
8
4 N
6

3 . E . n . 17.

55

~~17~~

~~40~~

SCOTUS ACADEMICUS,

SEU

THEOLOGIA SCOTI.


ACADEMIA
Subtilis Doctoris

SCOTUS ACADEMICUS,

SEU

UNIVERSA DOCTORIS SUBTILIS Theologica dogmata,

QUÆ AD NITIDAM ET SOLIDAM, ACADEMIÆ Parisiensis docendi methodum concinnavit : Selectissimis SS. Patrum oraculis firmavit, & illustravit : Nec-non explanatione graviorum Controversiarum, quæ nunc temporis in Scolis agitari solent, ditavit & ampliavit;

VT EODEM OPERE, THEOLOGVM SVBTILITATE; Concionatorem facundiâ, & Ecclesiasticæ historiæ Studiosum animi oblectatione vberrimè reficiat, & illustret

R. P. CLAVDIVS FRASSEN, Peronensis, Sacræ Theologiæ Parisiensis Doctor, & ejusdem, in majori Conventu Parisiensi Fratrum Minorum de Observantia sancti Francisci, Professor.



PARISIIS,
Apud EDMUNDUM COUTEROT, viâ Iacobæâ ad insigne boni Pastoris.

M. DC. LXXII.

Cum Approbationibus & Privilegio Regis.



AVGVSTISSIMÆ AC POTENTISSIMÆ
CÆLORVM TERRARVMQVE IMPERATRICI

DEI-PARÆ VIRGINI MARIÆ SEMPER ILLIBATÆ.



ON debuit inter mortales sibi patrocinium aucupari, Cælô oriunda Theologia Subtilis: nec inter Cælites alteri, quàm tibi litare, ô dignissima incarnatæ divinæ Sapientiæ Genitrix! quum non alteri quàm ipsi Deitatis sacrario, Naturæ miraculo, Gratiæ thesauro, Gloriæ compendio, se totam appendere & rependere debeat [a] doctrix disciplinæ Dei, & Electrix operum illius.

Dei-Paræ Virginis beneficiô & illustratione omnes Theologiæ partes nobis Mortalibus innotescere & reserari, ex SS. Patribus demonstratur.

a Sap. 8. vers. 4.

Enimverò si mirandam universorum Theologicorum dogmatum nomenclaturam revoluere ac penetrare tibi sit animus, non altera sanè subtilior occurret eorum Interpres, quàm quæ [b] Gymnasium est divinioris sapientiæ, & Forma disciplinæ Christi, *Cuius etiam nomen scientiam sapit, doctrinam redolet, cælesti lumine coruscat;* [c] MARIA *namque idem ac* illuminatrix.

b Sophron. Serm. de Assumpt.

c Canisius lib. 1. de Virg. ex S. Hieronimo.

Et reverà quidem, quis enim incomprehensibilem DEITATIS OCEANVM *nostris limitatis mentibus circumscribendum aptaret efficacius, quàm* [d] Tu incir-

d Method. ad Hyp. pant.

cumſcripti (ſi ita quidem loqui fas eſt) circumſcriptio, tu cuncta continentis & comprehendentis comprehenſio? *Siquidem* [e] Tuus venter capacior cælis, latior elementis, illum continere valuit quem totus orbis comprehendere non potuit. *Quis infinitas* ESSENTIÆ DIVINÆ DOTES ET PRÆCELLENTIAS *nobis reſeraret aptiùs, profundiùs explicaret, quàm ipſa virgo Deipara, quæ* [f] Vt ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros uſque ad ſolium Deitatis evexit? *Altitudinem divitiarum* SAPIENTIÆ *ac* SCIENTIÆ DEI, *& inveſtigabiles eius divinæ* PROVIDENTIÆ *vias, ac inſcrutabilia erga homines æternùm* PRÆDESTINANDOS *aut* DAMNANDOS, *illius iudicia, quis ſcrutaretur oculatiùs & planiùs aperiret, quàm* [g] quæ profundiſſimam divinæ Sapientiæ (ultra quem credi valeat) penetravit abyſſum, & quantùm ſine perſonali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videtur immerſa? *Quænam tandem ad imperuium adorandæ Trinitatis myſterium certior nobis eſſe poſſet manuductio, quàm* [h] Ipſa Patris æterni nobiliſſima Filia, divini Verbi Mater digniſſima, & ſancti Spiritus juſtiſſima Sponſa, *totiuſque divinæ Trinitatis* [i] nobile Complementum [k] & Triclinium.

Si autem ab ipſo Divinitatis intuitu oculos divertat Theologus; Convertatque ad mirandam illam Creaturarum omnium Encyclopediam, eximias earum præcellentias, & micantes in eis Deitatis radios inſpicere ac demirari cupidus, ſui voti pleniſſimè compos

e S. Bernardus ſerm. 01.
f S. Gregorius Magnus in lib. 1. Reg. cap. 1.
g Bernardus ſerm. ſuper ſignũ magnum.
h S. Bonavent. de laud. Virg.
i Heſichius homil. 2. de Deip.
k S.Thomas opuſc. 8.

erit, si unicam Mariam suspexerit, ipsa namque est[l] stupendum totius naturæ spectaculum ex omnium defloratione constructum; *quidquid enim*[m] Creator singulis, distributor justus, contulit, Mariæ adornandæ congessit. *Inde*[n] Virgo sua pulchritudine & dignitate omnem mundi pulchritudinem vincit, Solem, Lunam, & Stellas flore lucis excedit; neque enim Sol perpetuò nobis splendet, cùm contrariâ vicissitudine noster hic mundus, certô temporis spatiô tenebris obvolvatur; Maria verò & Sole & Luna & astris illustrior, suo lumine, nulla sui commutatione aut vicissitudine, complet & ambit omnia, flammis lustrat, luce vestit, nec illi nox succedit, *quoniam*[o] Dies est aspectus Mariæ, sol Patris rutilat in vultu.

[l] *Tertullianus adversus Valent.*

[m] *Arnoldus Carnot. de Laud. Virg.*

[n] *Idiota de Laud. Virg.*

[o] *S. Chrysol. serm. 2.*

Te forsan oblectat & ad sui notitiam & intuitum rapit Angelica cælestium Spirituum caterua: meritò quidem, sunt enim rerum omnium creatarum fastigium, empireæ domus purpurati Dynastæ, totius orbis Administri, & divinæ Mentis purissima quædam scintillæ, primusque divini Luminis radius, nihil terrenæ concretionis habens, nihilque prorsus lutosæ illius argillæ quam in mortalia nostra corpora rerum Artifex Deus digessit. At quid juvat per tot Angelorum agmina vagâ & anxiâ mente discurrere; Cùm[p] Ipsa Maria, Angelorum Regina gloriosior, Angelicam reverberet dignitatem: *Quemadmodum enim lux ab objectu obsistentis corporis miris aucta crementis, fulgores suos ampliat ad nitorem, & ab obsistente impedimento arcanè fœneratur lucis usuras*: *Sic dum*

[p] *Petrus Dam. serm. 4.*

Mariæ virginitati objicitur Angelica puritas, ab hoc Angelico objectu, Marianæ puritatis splendor reverberat nitoris argumenta, & ampliat lucem pudoris. Vnde virginis corpus, etsi è limo materiatum, [q] Angelificata caro *meritò prædicatur; quippe cognata Angelorum naturæ & Angelicæ puritatis candidata, Angelicam refert & reverberat dignitatem. Imo Divinæ puritatis splendorem æmulatur,* [r] Caro enim virginis ex Adam concepta, maculas Adæ non admisit; at singularis eius continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conversa est. *Quis igitur, ultra fidem negabit Dionysio scribenti* [s] Cum à Joanne vertice Evangelij, ductus fui ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis, tantus me splendor circumfulsit exteriùs & pleniùs irradiavit interiùs, ut nec Corpus infœlix nec Spiritus posset tantæ felicitatis insignia sustinere: defecit cor meum, defecit spiritus tantæ gloriâ majestatis oppressus.

Quid ergo per varias creaturarum crepidines frustrà vagaris Theologe? ut ex micantibus in illis Divini earum Artificis dotibus stupendam eius potentiam ac sapientiam conjicias? Vnicam, si lubet, Mariam inspice, idipsum namque, sed uberiori fœnore demonstrat. Hæc enim nedum est Naturæ Miraculum & Compendium: sed etiam [t] Gratiæ thesaurus & abyssus. [u] Cæteris namque per partes gratia præstatur, Mariæ verò se tota infudit gratiæ plenitudo. [x] *Etenim* si diligenter attendas, nihil est virtutis, nihil splendoris, nihil gratiæ & candoris, quod non resplen-

[q] Tertull. de resurr. carnis.

[r] S. Petrus Damianus, serm. 40.

[s] in Epistolis.

[t] S. Ildelphonsus lib. 1. de Virginitate Mariæ.

[u] S. Hieron. serm. de assumpt.

[x] Idem ibidem.

deat in Virgine gloriosa. *Siquidem*[y] non defuit illi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia & humilitas Virginum: in summa nullo genere vacavit virtutum. *O grande Dei-paræ Virginis elogium! ô divinum immensæ Marianæ gratiæ argumentum!*[z] Non igitur timeo dicere quòd in omnium gratiarum effluxus quandam jurisdictionem habuerit Virgo Maria, de cujus utero, quasi de quodam Divinitatis oceano, omnium gratiarum rivi & flumina emanabant.

Alia itaque sapientior nobis esse non potest gratiarum Aquilex, quæ occultissimos, sed uberrimos Sacramentorum fontes rimetur, ex quibus huc illuc in omnes partes erumpunt rivuli[a] aquæ salientis in vitam æternam. *Sed nec ullam certè doctiorem invenies usquam cæterorum fidei ac Theologiæ dogmatum Interpretem, quàm*[b] Prophetissam Prophetarum, Magistram Magistrorum,[c] fidei signaculum, sanctitatis solium, Veteris Novique Testamenti sigillum,[d] totius denique Religionis assertionem. *Illa siquidem est*[e] mundi salvatio,[f] *&* gratiæ inventrix, *quæ*[g] elevatis in cruce manibus celebravit cum filio sacrificium vespertinum; & cum Domino Iesu corporali morte, redemptionis nostræ mysterium consummavit: *Etenim*[h] omnino tunc erat una Christi, & Mariæ voluntas, unumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo, hæc in

y *Idiota de contempl. Virginis.*

z *S. Bernardinus tomo 1. serm. 61.*

a *Ioann. 4. v. 14.*

b *Rupert. lib. 1. in Cantica.*

c *Damian. serm. 23.*

d *Ildelph. serm. 1. de Assumpt.*

e *German. Const. orat. de Nativit.*

f *Bernardus epist. 174.*

g *Arnold. Carnot. in illa verba* mulier ecce filius tuus.

h *Idem tract. de Laudibus Virg.*

ſanguine cordis, ille in ſanguine carnis; unde communem in mundi ſalute cum illo effectum obtinuit.

Accedo igitur cum fiducia ad thronum gratiæ tuæ ô Dei-para Virgo: ut per te miſericordiam conſequar in tempore opportuno: Sicut enim à te deſpectus & averſus neceſſe eſt quòd pereat; ſic ad te reverſus & à te reſpectus impoſſibile eſt quòd pereat. *Quia namque*, [k] Dominus potentiſſimus tecum eſt, ideo & tu es potentiſſima ſecum; potentiſſima es per ipſum, potentiſſima apud ipſum. *Eia ergo Advocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad me converte: Et pro tot tantiſque mihi mortalium omnium indigniſſimo à te collatis beneficiis*, [l] Accipe quaſcumque exiles, quaſcumque meritis tuis impares gratiarum actiones; & cùm ſuſceperis vota, culpas orando excuſa. Admitte meas preces intra ſacrarium exauditionis, & reporta mihi antidotum reconciliationis. Sit per te excuſabile, quod per te ingero: fiat impetrabile quod fida mente depoſco. Accipe quod offero, redona quod rogo, excuſa quod timeo; quia es ſpes unica peccatorum. *Ita enixè precatur.*

[i] *Bernardus ſuper miſſus eſt.*

[k] *Bonavent. in ſpeculo, cap. 1.*

[l] *Auguſtinus, ſerm. 18. de Sanctis.*

TVORVM CLIENTVM,

Humillimus ac minimus,
F. C. F.

DOCTORIS



DOCTORIS SVBTILIS.

ELOGIVM.

ANIMATÆ SUBTILITATI, INGENIORUM COTI,
PHILOSOPHORVM APICI, THEOLOGORVM VERTICI,
DISCIPLINARUM OMNIUM SACRARIO,

IOANNI DVNS SCOTO,

CHRISTIANÆ RELIGIONIS LVMINI,
SERAPHICÆ FAMILIÆ COLUMINI, PIETATIS IDEÆ,
RECTE VIVENDI REGVLÆ.

VERITATIS INDAGATORI OCULATO, ASSERTORI FIRMO,
PROPUGNATORI STRENUO.
ILLVSTRATORI SPLENDIDO.

INTER COELITES SERAPHICO AMORE, CHERUBINO SCIENTIA;
ANGELO GRATIA.
INTER CHRISTIANOS PIISSIMO, INTER RELIGIOSOS OBSERVANTISSIMO;
INTER DOCTORES.

DOCTORI SVBTILISSIMO.



QVià teneris annis Philoſophiam ſic excoluit, ut cum ipſo natam eſſe crederes; Sic edocuit, ut ab ipſo doceri voluiſſet Ariſtoteles, ſi vixiſſet; Sic illuſtravit, ut dubium ſit, an plura Scotus Philoſophiæ, quàm Philoſophia Scoto debeat. *Qui* omnia Theologiæ penetralia ita ſubtiliter reſeravit, ut ejus inventor credi potuiſſet, ſi natam non inveniſſet; Subtilitatem addidit, cui nativitatem tribuere non potuerat: Subtiliorem edidiſſet, ſi primus genuiſſet. *Qui* præcoci ſenectute decrepitam quaſi degens inter crepundia, & in cunis canus, tanta animi felicitate vigebat, ut ab ipſa juventute ſciverit ad ſtuporem, ſcripſerit ad miraculum, ut Oraculum dòcuerit, vixerit ad exemplum,

VIR IN OMNIBVS ADMIRANDVS.

Cuius ortus, tanquam Euphratis origo, prodi neſcit, ut ſciatur Paradisô prodiiſſe; inde enim originem, unde acumen accepit.

Cuius genium humanæ mentis velut Aquila, cæteris altiùs ſic evolavit, ut nemo illius Diſcipulus eſſe poſſit, qui doctus non ſit; nemo Diſcipulus ſit, qui Doctor eſſe non poſſit; nemo ſacræ, & omnium ampliſſimæ facultatis Pariſienſis Doctor eſſe poſſit, qui de propugnanda cum Scoto Dei-paræ Virginis immaculata Conceptione, votum non emiſerit. *Cuius* oracula fundunt exhedræ,

cujus doctrinâ crepant pulpita, cujus ſententias docent Academiæ, Scholæ amplectuntur, Sectæ admirantur, Eccleſia veneratur,

SCOTUS OMNIBUS MIRACULUM EST.

Cui credita ſunt eloquia Dei, ut myſterium à ſæculis abſconditum hominibus propalaret, Deiparam nempe Virginem ab originali peccato prorſus immunem fuiſſe, ne Matris nævus Filium inficeret. *Cui* ut alteri Ioanni diſcipulo quem diligebat Ieſus, Matrem Virginem à Filiis impugnatam velut è cruce commendavit; ut cujus Cyrillus divinam Maternitatem, Ildelphonſus Virginitatem illibatam aſſeruerat, ejuſdem immaculatam Conceptionem Scotus tueretur. *Cui* revelata ſunt ſecreta cœleſtia, & reſerati omnes divinæ Sapientiæ & Scientiæ Theſauri, ut ſuis dictis & ſcriptis teſtimonium perhiberet de lumine, tanquam homo miſſus à Deo

CUI NOMEN ERAT IOANNES.

Quem nulla omnino veritas latuit, nullus error unquam infecit, nullus tam implicatus difficultatum nodus detinuit; ſcivit omnia ſibi ipſi non ignotus, omnibus Subtilis. *Quem* virtus naſcentem fovit, pietas infantem lactavit, Puerum ſapientia educavit, Adoleſcentem Seraphica Religio ſuſcepit, fovit, coronavit. *Quem* Oxonienſis Academia Magiſtrum habuit, ſacra Pariſienſis Facultas publicum Theologiæ Profeſſorem obtinuit, Colonienſis Univerſitas, Patrem & illuſtratorem quæſivit, Pariſienſis ampliſſima Civitas coram illuſtrioribus Imperii Gallici Proceribus pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione pugnantem, vincentem, & omnibus congratulantibus triumphantem ſuſpexit: vincit ſemper, vinci nequit.

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS ASSERTOR ET VINDEX.

Quô nullus ad excogitandum acutior, ad judicandum maturior, ad probandum aptior, ad confirmandum efficacior, ad confutandum vehementior invenietur. *Quô* nemo Theologorum altiori evectus ingenio, ſublimiori elatus fama, demiſſiori abjectus humilitate, ardentiori charitate incenſus, & uberiori virtutis ac ſapientiæ fœtu coronatus. *Quô* tacente, docti Doctores exiſtunt, quô docente Doctores diſcipuli fiunt; quô abſente reliqui ut ſtellæ fulgent, quô præſente, occidunt.

OMNIBUS SOL EST, NOCTUIS TANTUM OBSCURUS.

Cùm autem unde exeunt Flumina revertantur, & reciproco undarum flexu ad Oceanum pleno alveo curſuque rapidiſſimo ferantur, ut primæ ſuæ origini tributum veluti quoddam ipsô naturæ ductu pendant. Meritò jure poſt expenſum Virgini Deiparæ gratitudinis & venerationis meæ pignus, acceptam ab ipſo Subtili Doctore qualemcumque doctrinam, ejus Nomini & Omini ex animo rependere & appendere duxi.

LECTORI STUDIOSO.

DOCTORIS Subtilis Scholasticorum Theologorum facilè Principis toto terrarum orbe celebratam Academiam tibi refero (Studiose Lector) in qua, si mea me non fallit opinio, quidquid sublimis ac subtilis Sapientiæ ex uberrimo illo scientiarum omnium Fonte manavit umquam, nullò negotiò delibare nedum, sed & pleno pectore sorbere poteris. Universa namque ipsius Theologica dogmata, quantùm ingenii mei tenuitati licuit, ad nitidam Academiæ Parisiensis docendi methodum ita concinnavi, ut in comparanda ipsius subtili doctrina nullus tibi superesse videatur labor, nulla ab ejus studio retrahere ac retardare debeat prætensa illius obscuritatis molestia.

Ad hoc autem tam arduum opus auspicandum, non unus, sed multiplex mihi fuit stimulus. Urgebant enim in-primis nonnulli ex Seraphico nostro Ordine Viri percelebres, ut quas in concinnandis, iteratòque prælo mandandis ejusdem Doctoris Philosophicis dogmatibus manus dederam, easdem & Theologicis impenderem; quatenus utriusque Scholæ juniores Studiosi ab oneroso assiduæ scriptionis gravamine fierent immunes; ne victûs ac vestitûs asperitate, aliisque diurnis ac nocturnis arctæ nostræ Seraphicæ Religionis austeritatibus jam pene fracta eorum corpora, sub toties repetito iugis scriptionis onere penitus quassarentur, & ad rimanda sacræ Theologiæ penetralia anhelantem animum removerent, Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit sensum multa cogitantem.

Querebantur etiam plurimi Exteri, quòd inter tot eximios & eruditissimos Subtilis Doctoris Illustratores & Interpretes, adhuc prodiisse videbatur nemo, qui arduam & subtilem ejus doctrinam eô ordine, eâque perspicuitate & ubertate explicâsset, ut nec verborum brevitas subtilitatem retunderet; nec rerum minùs utilium cum necessariis promiscua & indigesta varietas infuscaret veritatem. Prodeunt equidem (inquiebant,) omnibus fere annis plurima in Subtilem Doctorem, subtiles variorum Authorum lucubrationes: At aliquæ tam compendiosa brevitate arctantur, ut ex immensô hoc Sapientiæ Oceano guttulas quasdam extremo solùm ore libandas proferant: Aliæ tanta verborum & rerum futilium nimietate redundant, tamque multiplici ac ingenti voluminum apparatu Subtilem Theologiam explicant, ut in eis evoluendis vix sufficiat integer vitæ cursus. In votis itaque habebant ut è Subtilium schola tandem aliquando prodiret aliquis, qui Subtilis Doctoris Theologica dogmata eâ methodô eôque ordine explanaret, ut nec compendiosa brevitas jeju-

num ac inanem animum; nec nimia prolixitas, fastidiosum & repugnantem efficeret.

Non etiam deerant Viri pietate ac doctrina conspicui, qui adversus Recentiores Scriptores obloquerentur, quòd arentem & macilentam (aiebant) suis Lectoribus Theologiam proponerent, nullis videlicet sanctorum Patrum oraculis refertam, nullâ celebrium Ecclesiasticarum Controversiarum explanatione divitem, nullo denique, aut perquàm raro sacrarum Paginarum testimonio roboratam, quibus tamen absoluta & perfecta Theologia, tanquam solidis ac firmissimis fundamentis stabilitur. Optandum itaque videbatur, sic de universa Theologia scriberet aliquis, ut eodem in opere haberent Studiosi, quid subtiliter proponerent & reponerent in Subselliis, quid ad populum sacra verba facientes de qualibet veritate Theologica ex fœcundo sanctorum Patrum promptuario proclamarent in Exhedris, quibus denique Historia Ecclesiastica cupidum in amico consortio uberrimè reficerent & recrearent. Grande sane opus, & æternâ memoriâ celebrandum, si dignum Authorem inveniret: At quis mortalium tam immenso labori plenè sufficiat?

Non is itaque sum, qui existimem, tanto implendo muneri me parem haberi. Verùm, quoniam etiam in arduis tentâsse sat est, & ad magna quaque, etiam cum vita dispendio, cæteris præivisse gloriosum; mirari debet nemo, si meæ tenuitatis licet conscius, tantum nihilominus laborem delineandum esse duxerim, ab altero fortè, si Deus aliquando concesserit, numeris omnibus absoluendum. In hoc igitur unum meus collineat labor, ut omnibus omnia, saltem ex parte, factus, nostris Theologiæ Studiosis, non solùm eam quam Theologiam Scholasticam appellant, ex ipso Subtilis Doctoris penu depromerem & exponerem, sed & eam, quam Positivam dicunt, ex ipsis Scripturarum sacrarum ac Conciliorum & sanctorum Patrum oraculis integratam, pro materiæ opportunitate, referrem & explicarem; quod utique si aliquantùm fuerim assecutus, in hujus operis decursu ipse judicabis Lector.

Vnum aut alterum ultrò te monitum volo: nempe me in scribendo mediam viam aggredi; non fusiori videlicet, ut Aliqui; nec strictiori calamo ut Alii omnes, licet doctè pariter ac ingeniosè: Meum quippe hoc fuit consilium in hujus operis molitione, ut nec compendiosam Tyronibus ac jejunam scientiam porrigerem, neve diffusam & prope ad nauseam fastidientem Doctis & peritis objicerem. Quare longam opinionum seriem transcribere, & rationes quibus nituntur approbare Aliis id munus lubens omitto: Illa enim quorumdam nullo modo probanda mihi videtur consuetudo, qui dùm eandem interdum cum aliis assertionem amplectuntur, ipsorum tamen rationes ut infirmas ac debiles impugnant & respuunt, ut suam tandem statuant, multò iis, quas reiecerunt, frequenter infirmiorem:

quò pactò dubia omnia relinquunt & incerta, & quas ornare vel explanare ſcientias ſuſceperant, perditum eunt. Cùm tamen in propugnanda Subtilis Doctoris ſententia ex animo totus ſim, neceſſum erit, (fateor) plerumque à mente Doctoris verè Angelici diſcedere, eiuſque interdum doctrinam & Interpretes impugnare; à verbo tamen longè ſemper aberit iniuria, idque mihi ſacrum erit, ut mutua de aſſequenda veritate concertatio non ſolvat ſtrictum fraternæ Charitatis vinculum, quò Angelici Dominicani cum Seraphicis *Franciſcanis perpetuo fœdere ſocientur.*

Quamquam autem omnem dederim operam ut vix faciliùs quis mea ſcripta legat quàm intelligat; non abnuo tamen fortè aliqua nonnullis ita abſtruſa viſum iri, ut in aſſequendo illorum ſenſu paululum laborent; quibus cum S. Auguſtino Libro I. *de Trinitate repono,* Quiſquis ergo cum legit, dicit, hoc non bene dictum eſt, quoniam non intelligo, locutionem meam reprehendat, non fidem; & fortè verè potuit dici planiùs; verumtamen, NULLUS HOMINUM ITA LOCUTUS EST, UT IN OMNIBUS AB OMNIBUS INTELLIGERETUR: Videat ergo cui hoc in ſermone meo diſplicet, utrum alios in talibus rebus quæſtionibuſque verſatos intelligat, cùm me non intelligit, & eis potius quos intelligit, operam & tempus impendat. Non tamen propterea putet me tacere debuiſſe quia non tam expeditè ac dilucidè quàm illi, quos intelligit, eloqui potui. Neque enim omnia, quæ ab omnibus conſcribuntur, in omnium manus veniunt; Et fieri poteſt ut nonnulli qui etiam hæc noſtra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, & in iſtos ſaltem incidant. Ideoque utile eſt plures à pluribus fieri libros diverſô ſtilô, non diverſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad illos ſic, ad alios autem ſic. At ſi ille, qui ſe ita non intellexiſſe conqueritur, nulla unquam de talibus rebus diligenter & acutè diſputata intelligere potuit, ſecum agat votis & ſtudiis ut proficiat, non mecum querelis aut conviciis ut taceam.

Cæterum ſi quid (quod abſit) in hujus operis decurſu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ doctrinæ, & ſacræ Facultatis Pariſienſis judicio minùs conſentaneum exciderit, id totum expunctum & ex animo retractatum volo.

Approbatio Doctorum sacræ Facultatis Parisiensis.

ITerum è tenebris emergit Scotus, facem præferente *Rev. admodum Patre Claudio Frassen, Ordinis Seraphici, sacræ Theologiæ Parisiensis Doctore, & apud suos Professore.* Ut cunctis gratior in publicum prodiret Scriptor doctrinæ, non minùs quàm subtilitatis profundæ; non passus est vir meritissimus, duplicem amplius in eo desiderari cultum, dictionis atque dispositionis. Nitorem igitur sermonis & ordinem adjecit methodicæ tractationis; atque duplicibus ita vestitum & cultiorem, è *Subtili* fecit *Academicum*: eò magis, sicuti meritò speratur, Academicis omnibus profuturum, quòd Christianæ fidei, castisque moribus omninò consentiat. Ita censemus & testamur ex animo Nos infra-scripti Societatis Sorbonicæ Doctores in sacra Facultate Parisiensi, die 25. Maii, anno 1672.

G. LESTOCQ,
Regius in Sorbonâ sacræ Theologiæ Professor.

A. CHEVILLIER.

Mandatum Obedientiæ & Permissio Reverendissimi Patris Generalis.

FRater Franciscus Mariâ Rhini de Politio, totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici Patris nostri Francisci Minister Generalis & servus, ac in Regno Galliarum super omnes Provincias nobis subjectas Commissarius Apostolicus, &c. Dilecto nobis in Christo *Patri ac Fratri Claudio Frassen, Provinciæ nostræ magnæ Franciæ Alumno, sacræ Theologiæ Doctori Parisiensi, ejusdemque in majori nostro Conventu Parisiensi Professori.* Salutem in Domino sempiternam.

Cùm (sicut accepimus) opus à te editum sit, Cujus titulus *Scotus Academicus, &c.* ac illud ad majorem Dei gloriam, Scoticæ doctrinæ exaltationem, Ordinisque nostri decus imprimi cupias: Nos omnia prædicta quantùm in Domino possumus, promovere cupientes, & intelligentes tuum Librum iis omnibus non modicùm profuturum: Harum nostrarum vigore, facultatem tibi elargimur cum merito salutaris obedientiæ, quatenus prævüs examine, & approbatione ejusdem Operis à RR. PP. nostri Ordinis Theologis emeritis, & sacræ Parisiensis Facultatis Doctoribus, Fratre Claudio Domart hujus magni Conventus Guardiano, Fratre Andrea Houbereau, & Fratre Carolo Miguet faciendis, ac servatis in reliquis sanctionibus Apostolicis, & constitutionibus nostris, ipsum Typis mandare possis, & valeas. Datum in Conventu nostro magno Parisiensi, die vigesima Aprilis, sub Chirographo sigilloque majori officii nostri anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo.

De mandato Reverendissimæ Paternitatis Frater F. Maria Rhini de Politio,
Minister Generalis.

Frater A. E. de Lossada,
Secretarius Generalis Ordinis.

Approbatio & Permissio R. admodum Patris Claudii Domart, Doctoris Parisiensis & majoris Conventus FF. Minorum de Observantia Sancti Francisci Guardiani.

VIsis prioribus quum *Philosophicis*, tum *vitæ spiritualis* lucubrationibus, non possumus non sperare, quin cum omni Theologorum applausu in lucem prodeat *Reverendi Patris Claudii Frassen, Doctoris Parisiensis & magni Conventus Fratrum Minorum de Observantia Sancti Francisci Lectoris Generalis* Scotus Academicus: Quapropter, non modò ut prælo mandetur permittimus, verùm in quantùm hoc Opus perutile publico judicamus, ex animo optamus. Datum in dicto Conventu Parisiensi die Aprilis decima, anni Domini millesimi sexcentesimi septuagesimi primi.

Frater C. Domart,
magni Conventus Observantiæ
humilis Guardianus.

Approbatio Reverendi admodum Patris Caroli Miguet, Doctoris Parisiensis & in magno Conventu FF. Minorum de Observantia in Theologia Lectoris Generalis, & nunc temporis eiusdem Guardiani.

DIu tandem desideratum Opus & per-utilem Methodum Scholæ nostræ ad nitidam & solidam Doctoris Subtilis enucleandam doctrinam, præsertim in primum Sententiarum, me infra scriptum perlegisse fidem facio : cui verè titulus est SCOTUS ACADEMICUS : Scoticæ siquidem disciplinæ validissimum & lucidissimum extabit ornamentum, Seraphicæ nostræ familiæ decus, & Theologorum ad divinam Sapientiam facilis via. Hinc est quod parum dixisse arbitror prælo dignum ; verùm etiam Authorem *R. P. Claudium Frassen* Doctoris Subtilis subtilitatis se legitimum probare Hæredem, nec-non ejus doctrinæ Interpretem, sicut & in Philosophicis exhibere fidelissimum : Quare ut Typis exaretur publico profuturum, & in singularem nostræ erga Authorem amicitiæ tesseram maximè peropto. DATUM Parisiis in magno Conventu FF. Minorum decima quinta Aprilis, anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo primo.

Fr. CAROLUS MIGUET,
in Theologia Doctor, &
Lector Generalis.

Approbatio Reverendi admodum Patris Andreæ Houbereau Doctoris Parisiensis, Ex-Definitoris Generalis, & Provinciæ Turoniæ Maioris Ex-Provincialis.

EGo infra scriptus in Universitate Parisiensi Doctor Theologus, Librum cui titulus est SCOTUS ACADEMICUS, *à R. P. Claudio Frassen*, nostri Ordinis in eadem Universitate Doctore & Professore compositum, legi & pervolui : quem singulari Doctrina, ordine & methodo elaboratum reperi : in eo enim altissima fidei mysteria, abstrusiores Theologiæ difficultates, & profundæ ipsius Scoti doctrinæ Thesauri absconditi, tam dilucidè, luculenter & nervosè aperiuntur, tantaque argumentorum & rationum densitate cumulantur, ut nullus vix hucusque alius eruditus ita enodârit : Unde Lectores quoslibet piorumque hominum animos pondere ipso, dulci quadam violentia in suam sententiam pertrahere videtur. Quamobrem, cùm hoc magnum opus fundatissimam in Scripturis, Conciliis, Patribus gravioribusque Theologis doctrinam contineat, nihilque in eo omnino non sanctum, nihil non pium, nihil alienum à mente Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ & Romanæ, nihilque non redolens insignem Authoris eruditionem pari cum pietate conjunctam; dignissimum censeo quod in lucem prodeat, ut in omnes Christianas regiones vulgetur, ad Dei gloriam publicamque utilitatem. Parisiis in magno Franciscanorum Conventu, vigesima Septembris, anno supra millesimum sexcentesimo septuagesimo primo.

Fr. ANDREAS HOUBEREAV,
Ex-deffinitor Generalis & Provinciæ
Turoniæ Ex-provincialis.

Approbatio Reverendi admodum Patris Pinault, sacræ Facultatis Parisiensis Doctoris Theologi, maioris Conventus ex-Guardiani, & in eodem sacræ Theologiæ Professoris Generalis.

HUnc Scoticæ Theologiæ cursum per *R. P. Claudium Frassen sacræ Theologiæ Doctorem, & in almo Conventu Fratrum Minorum Parisiensium, Lectorem Generalem*, Concinnatum sub hoc verborum titulo SCOTUS ACADEMICUS, ita luce dignum Judico, ut fore summæ utilitatis, non solis Theologiæ canditatis, sed etiam de illa bene meritis censeam. Nihil ejus subtilitate profundius, Subtilis sanè dignâ Doctoris; nec quidquam tanta cum subtilitate clariùs Auctoris adumbrans ingenii fœlicitatem: Sententias Patrum illustrat, profundiores Theologos exornat, sacra Religionis arcana profundè rimatur & patefacit; succeditque fœliciter *cursui Philosophico* ab eodem Authore nuper typis mandato, nec unquam satis expetito, ut qui talem ac tantum experti fuimus ex primo in formandis Philosophis progressum, ampliorem ex secundo in Theologis instituendis, fovendis, oblectandis certiorem habeamus. Sic sentit & testatur hac die 28. Maii, anni 1672.

Fr. PINAULT,
Doctor, & in Theologia
Professor Generalis.

SVMMA PRIVILEGII PER REGEM Christianissimum concessi.

LVDOVICUS XIV. Galliarum & Navarræ Rex Christianissimus suo Diplomate sanxit, ne quis Librum cui titulus est, *Scotus Academicus*: seu *Universa Doctoris Subtilis Theologica dogmata, &c. Authore R. P. ac F.* CLAUDIO FRASSEN, *sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & in maiori Conventu FF. Minorum de Observantia S. Francisci Professore Generali*, ab EDMUNDO COUTEROT Bibliopola Parisiensi in lucem editum, præter ipsius EDMUNDI COUTEROT Facultatem intra decennium imprimat, aut alibi terrarum impressum in Galliarum Regis ditiones importet. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & alia gravi pœna mulctabitur; ut patet fusiùs in Privilegio Regio DATO Versallii die vigesima octava Martii anni millesimi sexentesimi septuagesimi secundi. Signatum PEPIN.

Inscriptum Registro Societatis Bibliopolarum Parisiensium iuxta decretum Senatus die 8. Aprilis anni 1653. ac signatum die 25. Aprilis 1672.

Signatum D. THIERRY, *Syndicus.*

Editio præsens Tomi primi, *Scoti Academici, &c.* perfecta est die 10. Iunii 1672.

INDEX
DISPUTATIONUM, ARTICULORUM; SECTIONUM ET QUÆSTIONUM, QUÆ IN HOC PRIMO TOMO CONTINENTUR.

DISPUTATIO PROEMIALIS.

De Theologia in communi.

RTICULUS I. *De necessitate & existentia Theologicæ doctrinæ.* pag. 3
QUÆSTIO I. *An admittenda sit aliqua Theologica & supernaturalis doctrina?* ibidem
QUÆSTIO II. *An Theologia Positiva sit utilis & necessaria?* 8
QUÆSTIO III. *An & qualiter Theologia Scholastica Ecclesiæ Dei prosit?* 11
ARTICULUS II. *De Essentia Theologiæ.*
QUÆSTIO I. *An Theologia Dei & Beatorum sit propriè dicenda scientia?* 16
QUÆSTIO II. *An Theologia Viatorum perfectæ scientiæ characteres habeat?* 19
QUÆSTIO III. *An Theologia nostra perfectæ sapientiæ titulo glorietur?* 25
QUÆSTIO IV. *An Theologia nostra subalternetur scientiæ Dei & Beatorum?* 27
QUÆSTIO V. *Quodnam sit objectum Theologiæ nostræ?* 29
ARTICULUS III. *De proprietatibus & præcipuis characteribus nostræ Theologiæ.*
QUÆSTIO I. *An Theologia nostra sit speculativa vel practica?* 34
QUÆSTIO II. *An Theologia nostra sit habitus supernaturalis?* 38
QUÆSTIO III. *An Theologia nostra certior sit & dignior scientiis naturalibus?* 41
QUÆSTIO IV. *An Theologia nostra sit argumentativa & adhæsiva?* 45
QUÆSTIO V. *Quinam sint loci ex quibus Theologia argumenta sua depromit?* 47

Tota Theologia quatuor Sententiarum libros complectitur quorum PRIMUS *Deum exhibet in ordine Divinitatis subsistentem, operantem & producentem.*

SECUNDUS *eum demonstrat juxta naturæ ordinem Creaturas producentem, moderantem & ordinantem.*

TERTIUS *versatur circa Deum secundùm supernaturalem gratiæ ordinem hominum salutem in humanitate assumpta meditantem & molientem.*

QUARTUS *tandem spectat Deum ad ordinem gloriæ per sacramenta tanquam per media necessaria & efficacia deducentem.*

PRIMUS SENTENTIARUM LIBER.

De Deo iuxta ordinem Divinitatis considerato.

TRACTATUS PRIMUS.

De Deo in se subsistente.

DISPUTATIO PRIMA.

De Existentia & Essentia Dei.

ARTICULUS I. *De Existentia Dei.*
QUÆSTIO I. *An & quomodo nobis constet Deum existere?* 54
QUÆSTIO II. *An Deum esse sit per se notum?* 60
QUÆSTIO III. *An & quomodo demonstrari possit Deum existere?* 64
QUÆSTIO IV. *Quibus rationibus demonstrari possit Deum existere?* 66
QUÆSTIO V. *An & quomodo probari potest unicum esse Deum?* 74
ARTICULUS II. *De Essentia seu prædicatis quidditativis Dei.*
QUÆSTIO I. *An & quomodo Deus possit definiri?* 76
QUÆSTIO II. *An rationes Entis & Existentiæ essentialiter Deo competant?* 80
QUÆSTIO III. *An Deus sit Substantia completa, spiritualis, vivens?* 88
ARTICULUS III. *De ratione formali constitutivâ & ultimò distinctiva Essentiæ divinæ.*
QUÆSTIO I. *An Essentia divina ultimò constituatur & distinguatur per Aseitatem aut Intellectionem?* 90
QUÆSTIO II. *Quænam sit ratio formalis ultimò constitutiva & distinctiva Dei?* 95

DISPUTATIO SECUNDA

De perfectionibus Divinis in communi.

ARTICULUS I. *De divinarum perfectionum conceptu, numero, & præcellentia.*
QUÆSTIO I. *Quot & quæ sint divinæ Essentiæ perfectiones?* 98
QUÆSTIO II. *Quot & qualiter perfectiones Essentiæ divinæ competant?* 100
ARTICULUS II. *De divinarum perfectionum identitate & distinctione.* 102
QUÆSTIO I. *An divina Attributa idem sint realiter cum Essentia divina, an solo nomine ab ea diversa?* 103
QUÆSTIO II. *An Attributa divina tum inter se, tum ab essentia formaliter & actu distinguantur?* 107

DISPUTATIO TERTIA.

De perfectionibus modificantibus divinam Essentiam, seu de Attributis negativis.

ARTICULUS I. De SIMPLICITATE divina. 119 A
QUÆSTIO I. *An Deus sit omnino simplex & in quo formaliter consistat ejus divina Simplicitas?* 120
QUÆSTIO II. *An Deus omnem compositionem realem excludat?* 125
QUÆSTIO III. *An Deus omnem compositionem Metaphysicam excludat?* 131
QUÆSTIO IV. *An summa simplicitas soli Deo conveniat?* 535
ARTICULUS II. De INFINITATE Dei.
QUÆSTIO I. *An & quomodo probari possit* Deum *esse Infinitum?* 536
QUÆSTIO II. *An & quomodo* Deus *ratione sua Infinitatis omnes omnino perfectiones contineat?* 139 B
ARTICULUS III. De IMMENSITATE Dei.
QUÆSTIO I. *An & quomodo probari possit* Deum *esse Immensum & ubique?* 143
QUÆSTIO II. *An rectè inferatur* Dei *præsentia secundum Essentiam in omnibus rebus ex illius in ipsis operatione?* 147
QUÆSTIO III. *An* Deus *ratione sua Immensitatis realiter sit extra mundum & in spatiis imaginariis?* 151
ARTICULUS IV. De ÆTERNITATE Dei. 154
QUÆSTIO I. *Quid & qualis sit Æternitas?* 155
QUÆSTIO II. *An & quomodo Æternitas* Deo *conveniat?* 158 C
QUÆSTIO III. *Quomodo* Deus *ratione Æternitatis Creatura coexistat & Creatura* Deo? 162
ARTICULUS V. De IMMUTABILITATE Dei.
QUÆSTIO I. *An* Deus *sit omnino immutabilis?* 165
QUÆSTIO II. *An* Deus *sit immutabilis extrinsecè?* 172
ARTICULUS VI. De INEFFABILITATE Dei.
QUÆSTIO I. *An & quomodo* Deus *sit ineffabilis?* 175
QUÆSTIO II. *Qua & quomodo nomina* Dei *conveniant?* 179
ARTICULUS VII. De INVISIBILITATE & *visibilitate* Dei *tam respectu Viatorum quàm Beatorum.*
SECTIO I. De *possibilitate & existentia intuitiva Visionis* Dei. 181
QUÆSTIO I. *An* Deus *sit invisibilis vel visibilis naturaliter Creatura existenti aut alicui creabili?* ibidem
QUÆSTIO II. *An* Deus *saltem supernaturaliter visibilis sit oculo mentis & corporis?* 188
QUÆSTIO III. *An possibilitas divina visionis intuitiva ratione naturali probari possit?* 193
QUÆSTIO IV. *An* Deus *visus fuerit intuitivè ab aliquo hac in mortali vita degente?* 198
QUÆSTIO V. *An viri sancti statim post mortem* Deum *intuitivè videant? Et qua fuerit hac de re sanctorum Patrum & Millenariorum sententia?* 200
SECTIO II. De *Principiis productivis Visionis beatifica?*
QUÆSTIO I. *An species impressa* Dei *sit possibilis, &c.* 211
QUÆSTIO II. *An, quid, & quale sit lumen gloria?* 218
QUÆSTIO III. *An & quomodo intellectus concurrat ad formandam visionem beatificam?* 224
SECTIO III. De *objecto Visionis beatifica?* 228
QUÆSTIO I. *Quodnam sit objectum primarium beata visionis, & quomodo* Deus *videatur à Beatis?* ibidem

A QUÆSTIO II. *An & quomodo Beati videant in Deo Creaturas?* 233
SECTIO IV. *Quot & qua sint beata Visionis proprietates?*
QUÆSTIO I. *An beata Visio sit notitia simplex directa & permanens?* 240
QUÆSTIO II. *An visiones beatifica sint inaquales & unde inaqualitas oriatur?* 244
ARTICULUS ULTIMUS. *De* INCOMPREHENSIBILITATE DEI.
QUÆSTIO UNICA. *An & quomodo Deus sit incomprehensibilis?* 249

B

DISPUTATIO QUARTA.

De divinis Perfectionibus affirmantibus, seu de Attributis Dei positivis.

QUÆSTIO I. *An & quomodo Unitas Deo conveniat?* 251
QUÆSTIO II. *Quid & qualis sit entitativa Dei Veritas?* 254
QUÆSTIO III. *An & qualiter Bonitas Deo conveniat?* 255
QUÆSTIO IV. *An & qua sit Dei Pulchritudo?* 257

C

TRACTATUS SECUNDUS.

De Deo Essentialiter Operante.

DISPUTATIO PRIMA.

De INTELLECTU *divino &* SCIENTIA *divina.*

ARTICULUS I. *De Intellectu divino quatenus est potentia operativa?*
QUÆSTIO I. *An & quid sit Intellectus divinus seu potentia Dei intellectiva?* 258
D QUÆSTIO II. *Quodnam sit objectum primarium divini Intellectus?* 265
QUÆSTIO III. *Quodnam sit objectum secundarium divini Intellectus?* 267
ARTICULUS II. *De* SCIENTIA *Dei.*
SECTIO I. *De scientia simplicis Intelligentia.* 274
QUÆSTIO I. *An res possibiles ex se priùs sint intelligibiles quàm ab intellectu divino cognoscantur?* ibidem
QUÆSTIO II. *An & quomodo Deus cognoscat Creaturas possibiles?* 279
SECTIO II. *De* SCIENTIA VISIONIS. 281
QUÆSTIO I. An *futura contingentia Deus certò noverit?* 282
E QUÆSTIO II. *Quomodo & in quo medio priùs cognito Deus noverit futura contingentia?* 285
QUÆSTIO III. *Quomodo conciliari possit certitudo divina Scientia cum rerum contingentia & libertate humana?* 290
SECTIO III. *De contingentibus conditionatè futuris?* 293
QUÆSTIO I. An *Deus certò noverit contingentia conditionatè futura?* 294
QUÆSTIO II. An *dentur in* Deo *decreta conditionata?* 298
QUÆSTIO III. An *detur* SCIENTIA MEDIA *quâ* Deus *cognoscat futura conditionata ante decretum?* 302

ARTICULUS III. *De divino Intellectu practico.*
QUÆSTIO UNICA. *An, quid, & quot sint Ideæ divinæ?* 315

DISPUTATIO SECUNDA

De Voluntate divina.

ARTICULUS I. *De divina Voluntate generatim.*
QUÆSTIO I. *An, quid, & quotuplex sit divina Voluntas?* 321
QUÆSTIO II. *Quodnam sit objectum primarium divinæ Voluntatis?* 326
QUÆSTIO III. *An & quomodo Deus amet Creaturas?* 330
QUÆSTIO IV. *Quot & quinam sint actus seu effectus divinæ Voluntatis?* 335
ARTICULUS II. *De libertate Dei.*
QUÆSTIO I. *An & quotuplex sit divina libertas?* 338
QUÆSTIO II. *In quo formaliter consistat divina libertas?* 342
QUÆSTIO III. *An & qualis sit distinctio & ordo inter libera decreta divinæ Voluntatis?* 348
ARTICULUS III. *De divinæ Voluntatis virtutibus ac præcellentiis.*
QUÆSTIO I. *Quid & qualis sit divina Sanctitas?* 352
QUÆSTIO II. *An & qualis Iustitia sit in Deo?* 356
QUÆSTIO III. *An & quotuplex Misericordia sit in Deo?* 362

DISPUTATIO TERTIA.

De Providentia divina eiusque mirandis effectibus.

QUÆSTIO I. *An reverà sit in Deo rerum omnium Creatarum Providentia & cura?* 365
QUÆSTIO II. *Quid & quæ sit divina Providentia?* 371
QUÆSTIO III. *An & quomdo defectus tam naturæ quàm morum divinæ providentiæ subsint?* 376
QUÆSTIO IV. *An & quomodo Deus rebus creatis immediatè provideat?* 380
ARTICULUS II. *De Prædestinatione Sanctorum.*
SECTIO I. *De Prædestinatione generatim.* 384
QUÆSTIO I. *An reverà aliqui homines à Deo necessariò Prædestinentur?* ibid.
QUÆSTIO II. *Quid sit prædestinatio?* 387
QUÆSTIO III. *Qualis sit actus divinæ Prædestinationis?* 388
QUÆSTIO IV. *Quodnam sit objectum divinæ Prædestinationis?* 396
QUÆSTIO V. *An & quæ sit Prædestinationis certitudo?* 392
QUÆSTIO VI. *An & quomodo conciliari queat humana libertas cum invariabili Prædestinationis certitudine?* 397
SECTIO II. *De causis Prædestinationis.* 403
QUÆSTIO I. *Quot & qui fuere Hæreticorum errores de causis divinæ Prædestinationis?* 404

DE PELAGIO.

Paragraphus primus. *Quis & qualis fuerit?* 407
Paragraphus 2. *Qualiter & quando Hæreticus innotuerit?* ibid.
Paragraphus 3. *A quibus primùm impugnata & detecta Pelagii hæresis?* 408
Paragraphus 4. *Quæ scripserit Pelagius?* ibid.
Paragraphus 5. *Quot & qui fuerint Pelagii ac Cœlestii errores?* 409
Paragraphus 6. *Quanam arte Pelagius Concilii Diospolitani Patres luserit?* 411
Paragraphus 7. *Quibus in Conciliis damnatus fuit Pelagius?* ibid.
Paragraphus 8. *Quos habuerit Asseclas & Patronos?* 413
Paragraphus 9. *Quinam præcipui illius impugnatores?* 414
Paragraphus 10. *Vtrum Pelagius aliquando errorem suum temperaverit & tandem aliquod internum gratiæ auxilium admiserit?* ibid.
Paragraphus 11. *Quibus de causis erraverit Pelagius?* 417

DE SEQVACIBVS PELAGII.

Paragraphus 1. *Quot & qui fuerint Semi-pelagianorum errores?* 418
Paragraphus 2. *Qui fuerint Semi-pelag. principes ac Magistri?* 420
Paragraphus 3. *Qui fuerint Semi-pelag. impugnatores & damnatores?* 422

DE HÆRESI PRÆDESTINATIANOR.

Paragraphus 1. *An reverà aliquando extiterit Hæresis Prædestinatiana?* 423
Paragraphus 2. *Quid objiciant Novatores Hæresis Prædestinatianæ existentiam negantes?* 424
Paragraphus 3 *Quinam fuerint Hæresis Prædestinatianæ Restauratores?* 428
QUÆSTIO II. *An Prædestinatio ad gratiam fiat ex prævisis meritis?* 432
QUÆSTIO III. *An Electio efficax Prædestinatorum ad gloriam merita prævisa antecedat vel supponat?* 434
QUÆSTIO IV. *Quomodo hominum Prædestinatio decreta fuerit ex prævisis meritis Christi?* 452
SECTIO III. *De Effectibus Prædestinationis.* 460
QUÆSTIO I. *Quot & qui sint principes & directi Prædestinationis effectus?* ibid.
QUÆSTIO II. *Vtrum bona naturalia sint subsidiarii Prædestinationis effectus?* 464
QUÆSTIO III. *Vtrum defectus & mala tam naturæ quàm morum sint occasionales Prædestinationis effectus?* 447
ARTICULUS III. *De Reprobatione.*
QUÆSTIO I. *An, quid & quotuplex sit Reprobatio?* 469
QUÆSTIO II. *An & quæ sit causa Reprobationis?* 472
QUÆSTIO III. *Quot & quæ sint Reprobationis effectus?* 476
APPENDIX *De Libro Vitæ.*

TRACTATUS TERTIUS.

De Adorando divinæ Trinitatis Mysterio.

DISPUTATIO PRIMA.

De Existentia, Origine, & Principiis divinarum Personarum.

INDEX.

ARTICULUS I. *De* EXISTENTIA *trium divinarum Personarum in unitate essentiæ.* 495

QUÆSTIO I. *An & quomodo Trinitas & æqualitas Personarum in unitate divinæ essentiæ probari possit adversus Iudæos?* 496

QUÆSTIO II. *An mysterium Trinitatis detegi & probari possit ratione naturali à Philosophis?* 499

QUÆSTIO III. *An & quomodo suppositâ divinâ revelatione, probari possit divinæ Trinitatis mysterium adversus repugnantes Philosophos?* 504

QUÆSTIO IV. *An reverà tres tantùm sint divinæ Personæ realiter distinctæ & unicus Deus?* 507

QUÆSTIO V. *An Filius & Spiritus sanctus reverà sint Deus & Patri æterno consubstantiales?* 515

APPENDIX *An unitas trium divinarum Personarum* CONSUBSTANTIALITATIS *vocabulo à sanctis Patribus rectè explicata fuerit?* 519

ARTICULUS II. *De* ORIGINE & PROCESSIONE *divinarum Personarum.* 521

QUÆSTIO I. *An sint reales in Deo personarum Processiones?* 522

QUÆSTIO II. *Quot sint divinæ Processiones & qualiter invicem distinguantur?* 527

QUÆSTIO III. *Quid & quales sint divinæ Processiones?* 532

QUÆSTIO IV. *An & quæ Processio sit in divinis generatio?* 539

ARTICULUS III. *De* PRINCIPIIS, *objectis & terminis divinarum emanationum.*

QUÆSTIO I. *Quænam sint immediata principia emanationum divinarum?* 546

QUÆSTIO II. *Cujusnam objecti cognitionem & amorem divinæ processiones præsupponant?* 547

QUÆSTIO III. *Qui & quales sint divinarum processionum termini?* 554

QUÆSTIO IV. *Quomodo fiant divinæ processiones an liberè vel naturaliter?* 559

DISPVTATIO SECVNDA.

De Proprietatibus constitutivis, distinctivis, & notificativis divinarum Personarum. 563

ARTICULUS I. *De* PERSONIS, *hypostasibus & subsistentiis divinis.* ibidem.

QUÆSTIO I. *An & quomodo ratio Personæ Deo conveniat?* 567

QUÆSTIO II. *An & quibus proprietatibus divinæ Personæ in esse personali constituantur & distinguantur?* 568

QUÆSTIO III. *An sint in Deo tres subsistentiæ relativæ personales & una absoluta?* 574

ARTCULUS II. *De* RELATIONIBUS *divinarum Personarum constitutivis.* 577

QUÆSTIO I. *An omnes Relationes divinæ ad intra sint reales?* ibidem.

QUÆSTIO II. *Quænam relationes sint divinarum personarum constitutivæ?* 582

QUÆSTIO III. *An Relationes sint formaliter infinita & perfecta?* 585

ARTICULUS III. *De* NOTIONIBUS *divinis.*

QUÆSTIO UNICA. *An, quot, & quales sint divinarum personarum notiones?* 588

DISPUTATIO TERTIA.

De divinis Personis in particulari.

ARTICULUS I. *De* PRÆCELLENTIIS *primæ divinæ personæ.*

QUÆSTIO I. *An & quomodo nomen Patris primæ Personæ conveniat?* 592

QUÆSTIO II. *An & quomodo primæ Personæ conveniat nomen & ratio ingeniti?* 596

QUÆSTIO III. *An & quomodo Pater dicatur* PRINCIPIUM, CAUSA, AUTHOR, *&* FONS *in divinis?* 597

ARTICULUS II. *De Propriis secundæ Personæ characteribus.* 598

QUÆSTIO I. *An nomen & ratio* VERBI *soli Filio divino conveniat?* ibidem.

QUÆSTIO II. *An & quomodo Verbo divino competat ratio* IMAGINIS? 601

QUÆSTIO III. *An & quomodo ratio* SAPIENTIÆ *Filio divino conveniat?* 603

ARTICULUS III. *De* PERSONA SPIRITUS SANCTI.

QUÆSTIO I. *An reverà Spiritus sanctus à Patre Filioque procedat?* 605

APPENDIX *De additione particulæ* FILIOQUE *ad Symbolum Nicænum.*

QUÆSTIO II. *Vtrum Spiritus sanctus distingueretur realiter à Filio si ab ipso non procederet?* 612

QUÆSTIO III. *Quinam sint proprii & appropriati sancti Spiritus characteres.* 617

APPENDIX *De Missione divinarum Personarum.*

FINIS.

INDEX

INDEX HÆRETICORUM

QVI VERITATES CATHOLICAS ET THEOLOGICAS SÆCVLO QUOVIS IMPUGNARUNT.

NON ingratum fore arbitror studiosis hujusce nostri Theologici laboris & operis Lectoribus, è limine ipso varias Hæresum centurias proponere, à quibus divexata fuit semper Ecclesia & Catholica veritas impugnata: Constabit enim exinde quàm firmo quàmque stabili fidei fulcro nitantur Theologica dogmata, quæ tot pestiferis impetita hostibus, invariata steterunt & inconcussa. Non me latet Sapientibus nonnullis ac Piis Viris harum nefariarum Sectarum refrictionem non arridere, earum maximè quæ aut vetustate jam absoleuerint, aut insigni fœditate ac spurcitia contaminantur; ejusmodi namque recordatio nedum perniciosa est, sed & plerumque mortifera; dum obscænæ voluptatis lenociniis partim incautos allicit, partim invitos ac repugnantes afflatu quodam turpitudinis & odore perfundit. Verùm, qui pestifera Hæresum dogmata consignare litteris, & recondita iniquitatis mysteria mandare scriptis detrectant, summum ac singulare veritati patrocinium opinione sua detrahere videntur: Hoc enim extorquent, quô recrudescentes ac recidivæ mendaciorum Sectæ validissimè à nobis propulsari evertique possint. Qui enim certis Veterum testimoniis compererit ante ab antiquis Patribus & Conciliis publicoque Christianorum consensu impugnatas fuisse ac repudiatas illas nefarias opiniones quæ de novo protruduntur, eas tanquam suborientia monstra omni arte marteque enecanda & eliminanda nullo negotio suadebit. Optandum esset fateor, ut hæreses illæ turpitudine infames obliterarentur, hominumque memoria penitus exciderent: At cùm statis temporum intervallis eædem amputatæ toties ac jugulatæ Hydræ reviviscant, idque maximè nostro Ævo, quô tota penè Europa fidei jacturam luget per grassantem undique Calviniani ac Lutherani erroris pestem, in quam velut in orbis terrarum sentinam veterum ac recentium Sectarum colluvies confluxit: Quis necessarium non censuerit adversus redintegrati morbi periculum pristina certaque remedia comparare, & lethalis ægritudinis notare ortum & eventum, quô faciliùs, securiùsque in aliis vel caveatur vel curetur.

NON ea tamen mihi est sententia in texendo hoc hæreseon indice, ut venenata ac nefaria earum dogmata referens, illorum etiam impugnationem tanquam antidotum hìc proferam; id enim consultiùs fiet in nostri operis decursu: Sed brevem dumtaxat eorum Tenebrionum Chronologiam ex sanctis Patribus, maximè Augustino, Epiphanio, Irenæo, & Historicis fide dignis selectam delineare aggredior, quô prudens quisque Lector in emetiendo Theologico nostro opere è limine videat quas vitare Syrtes, quosve debeat scopulos declinare. Moneo insuper hoc in texendo indice non ita accuratè servatam esse annorum periodum quâ quisque Hæresiarcharum docuerit: Cum enim hac in re varient Chronologistæ sacri, inde contingere potest ut qui prior scribi debuit posteriorem locum hoc in indice occupet: Errores enim magis quàm errantium ætatem referre studuimus, sanctorum Patrum præfatorum morem sequuti.

Quæ fuerint Hæreses ante Christi Domini Nativitatem.

AFFIRMAT S. Epiphan. lib. 1. adversus hæreses cap. 5. nullam ante susceptum Babylonicæ turris ædificium & humanæ loquelæ confusionem ac divisionem subortam fuisse Hæresim: *Nulla*, inquit, *per id tempus Hæresis, opinionum nulla dissensio; Cùm universi sola* HOMINIS *appellatione censerentur; labio uno, unaque lingua præditi: Pietas porro atque impietas sola erat naturæ Lege, aut uniuscujusque ad naturam accomodata voluntate definita, necdum error emerserat sive disciplinà comparatus, sive monumentò Scriptorum traditus. Neque igitur Iudaïsmus, neque ulla alia secta prodierat, sed ut ita dicam illa eadem obtinebat, quæ hodie in sancta Dei Ecclesia ac Catholica perseverat fides, quæ cum ab ipsis rerum primordiis viguisset, rursus est postea patefacta.*

Inde constat, viginti Hæreses, quas ante Christi adventum numerât & impugnat S. Epiphanius eodem Libro, quasque revocat ad quatuor capita, nempe BARBARISMUM, SCYTHISMUM, HELLENISMUM, seu GRÆCISMUM, JUDAÏSMUM, & SAMARITISMUM, non tam hæreses, quàm varias de veritate aut Religione contentiones & sententias esse appellandas.

BARBARISMUS, inquit, in Epistola ad Acacium & Paulum, ab Adamo per decem generationes & Noëmi tempora perseveravit. Qui Barbarismus propterea dicitur, quod vetustissimi illi Mortalium, neque certum aliquem auctorem habebant, nec inter se consentiebant; sed unusquisque pro sua voluntate vitam instituebat, ac pro Lege suum quisque nutum atque arbitrium sibi proponebat.

II. SCYTHISMUS à Noëmi temporibus ad usque Turris & Babylonis exædificationem, ac pòst turrim paucis adhuc annis obtinuit, hoc est usque ad Phaleg & Rhagau, qui ad Europam transeuntes, in Scythiam ac nationes ejusmodi penetrârunt ab Thare temporibus & ultra, à quo Thraces oriundi sunt.

III. HELLENISMUS cœpit à Sereuchi temporibus. Unde Idolorum cultus initium habuit. Cumque tunc temporis falsâ quisque superstitione duceretur, deinceps civiliorem ad usum, & ad certas Leges, simulacrorumque ritus homines sese transtulerunt. Quorumque ex præscripto sibi Deos finxerunt. Ac primum eos quos in honore quondam habuissent, sive Tyrannnos, aut Præstigiatores, qui memorabile quiddam in vita fecerant, ac fortitudinis & roboris illustre specimen ediderant, depingere coloribus & assimilare solebant; postea verò à Thare Patris Abraami tempore, simulachris, ac statuis eundem errorem idololatriæ propagârunt. Quippe majores suos simulachris honestantes, ac mortuos, primùm arte figulina statuas effinxerunt; tum ad omnes artes imitandi pervenit industria. Nam & Architecti sectis lapidibus, argentarii, & aurifices, nec-non fabri suâ quique materiâ, ac reliqui deinceps effigies moliti sunt. Primi omnium Ægyptii, ac Babylonii, nec-non Phryges, ac Phœnices superstitiosi cultus & simulachrorum, ac mysteriorum auctores extiterunt. A quibus pleraque sunt ad Græcos translata. Jam tum ab ætate Cecropis & deinceps; postea verò longo demum intervallo Saturnum, Rheam, Jovem, Apollinem, ac reliquos Deos celebrare cœperunt.

HELLENISMUS rursus dividitur in quatuor Sectas; putâ Pythagoricos, Platonicos, (ex quibus orti sunt Peripatetici) Stoïcos & Epicureos: quæ divisio est etiam Clementis Alexandrini.

SAMARITANI habuerunt mixtam Religionem ex Judaïsmo & Gentilismo, & in quatuor Sectas fuerunt divisi ob diversitatem Festorum. Sunt autem hi: Gortheni, Sevæi, Esseni, & Dosithei, horum etiam meminit Tertullianus.

Quorsum autem Epiphanius *Essenos* Samaritanis adscripserit, vix peritus quisque divinare potest: Nam quod occurrere potest genus quoddam Essenorum fuisse à notis illis & sanctioribus diversum, probarem equidem, si apud Philonem aut Josephum, qui de Essenorum generibus, institutis, ac moribus accuratissimè scripserunt, vestigium aliquod istorum novorum ac posteriorum existeret. Nunc cùm neque isti, nec alius quisquam vel levissimè significârit, Essenos cum Samaritanis commune quippiam habuisse, cùmque inter Judæorum sectas à Josepho recenseantur Esseni; apparet primùm neque Essenorum ullam inter Samaritanos fuisse sectam, neque Epiphanium aliud Essenorum genus quod Samaritanis ascriberet, intellexisse, quàm celeberrimum, ac laudatissimum illud, quorum instituta Philo ac Josephus uberrimè perscripserunt. Quamquam Ossenos postea inter Judaïcas sectas commemorat, qui iidem cum Essenis videntur.

Judæorum Sectæ numero 7. ac primo SCRIBÆ, legis periti & traditionum, quas à majoribus acceptas δευτερώσεις vocabant, observatores fuêre, ac ritus omnes superstitiosiùs cæteris, diligentiùsque tenuerunt: quos non è lege didicerant, sed sibimet ipsis, tanquam Justitiæ legis singulares cultus, ac cæremonias indixerant.

PHARISÆI, quos *segregatos* interpretari possis, qui sanctissimam vitæ rationem professi, probitate cæteris antecellere videbantur, mortuorum apud illos resurrectio, ut & apud Scribas, defenditur. Iidem Angelos, ac Spiritum sanctum esse non negant. Vitæ eximium institutum præ se ferunt. Continentiam certum ad tempus, ac Virginitatem quoque suscipiunt. Bis hebdomadâ quâque jejunare, urceos, ac discos, & pocula sæpius eluere, ut & Scribæ, soliti. Ad hæc decimas, & primitias afferre, assiduè precari: certos cultus, ac superstitiosa vestimentorum genera curiosiùs affectare: cujusmodi sunt dalmaticæ ac colobia, & latiora quædam phylacteria, hoc est segmenta fimbriæ-

que purpureæ, ac malogranata ad vestium oras appensa, quæ temporariæ illius continentiæ signa præferebant. Iidem postremò Geneses ac farum introducebant.

SADDUCÆIS ab exactissima justitia nomen est. Qui è Samaritanorum genere à Sacerdote quodam *Sadoc* ortum habuerunt. 1. Mortuorum Resurrectionem damnant. 2. Angelum ac spiritum funditùs negant; in cæteris Judæis similes. Observandum autem est duos fuisse *Sadocos*, unum qui Davidis & Salomonis ætate vixit, alterum qui fuit Discipulus Antigni, ut affirmat Rabbi Elias in Thisbi, quique à Præceptoris & sacris institutis deficiens, Sadducæorum sectæ originem dedit; quamquam fortè Sadducæi à priori illo & vetustissimo Pontifice, quàm ab hoc posteriori transfuga oriundos sese profiteri mallent.

HEMEROBAPTISTÆ nihil ab Judæis præterquam hoc uno discreparunt, quòd neminem æternæ vitæ compotem esse posse dicerent nisi se quotidiè lavaret.

OSSENI quorum nomen procacissimos significat, ex præscripto legis omnia faciebant, sed alias præterea Scripturas adhibebant, & ex posterioribus Prophetis plerosque rejiciebant.

NASSARÆOS *extinctores* interpretari possis, qui 1. carnis usu prorsus interdicunt, 2. Ab animatis abstinent, 3. Patriarchas omnes, qui in Pentateucho ad Moïsis & Iesu Filii Nave tempora continentur, adsciscunt, & eis fidem adhibent, cujusmodi sunt Abraham, Isaac, & Iacob, iisque superiores omnes, nec-non Moïses ipse cum Aarone, atque Iosue. Cæterum quinque illa volumina Moïsis esse non putant, & alia ab iis diversa penes se esse jactitant.

HERODIANI cùm Iudæos in omnibus se, se præstarent, Herodem Christum esse profitebantur, eique Christi dignitatem ac nomen affingebant. Hæc S. Epiphanius laudatô locô.

Sciendum autem est, inquit Tostatus *in c. 23. Matth. q. 22.* quòd licet ponantur hîc SCRIBÆ, & PHARISÆI tanquam distincti, non tamen distinguuntur inter se, sicut *Pharisæus* & *Sadducæus*, sive sicut opposita: quia nullus Pharisæus est Sadducæus, neque è contrario, quia erant sectæ disparatæ & quasi oppositæ; sed distinguuntur sicut *Grammaticus* & *Dialecticus*; quia licet aliud sit Grammaticum esse, aliud Dialecticum; tamen idem potest esse Grammaticus & Dialecticus. Sic etiam licet aliud sit esse Scribam quàm Pharisæum, nam *Scribam* esse est esse sapientem in lege; *Pharisæum* esse erat habere certum vivendi modum & sectam, tamen accidit eundem esse Pharisæum & Scribam, id est doctum in lege.

Hinc Maldonatus *ad cap. 2. Matth.* docet *Scribas* propriè Notarios publicos fuisse, quorum duplex erat officium; alterum publica instrumenta conficiendi: alterum sacras Scripturas interpretandi & à corruptela vindicandi.

Circa annum Christi 30. prodiit THEODAS JUDÆUS cujus mentio fit *Actorum 5.* qui se Prophetam jactitabat, affirmabatque verbo suo scindere posse ac sistere Jordanem: cui adhæserat numerus virorum circiter quadringentorum, cum autem occisus fuisset, omnes qui credebant ei dissipati sunt & redacti ad nihilum. Post hunc exstitit JUDAS GALILÆUS docens omnes magistratus Judæorum tollendos esse, unum autem Deum solùm pro Domino & Rege habendum, ut ibidem notatur, nec-non apud Josephum lib. 3. belli Judaïci

Hæresiarchæ primi sæculi.

PRIMÆ omnium Hæresum (inquit sanctus Epiphanius) quæ à Christi tempore ad hanc ætatem prodierunt, princeps exstitit SIMON MAGUS circa annum Christi 98. cujus mentio habetur *Actorum 8.* qui baptisatus à Philippo, videns quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit illis pecuniam, quatenus eamdem conferendi Spiritum sanctum virtutem acciperet: à quibus repulsam passus totum sese magicis artibus dedit, ac Dæmonum ope multos delusit; docebat enim se esse Deum, qui in Samaria apparuerit ut Pater, in Judæa ut Filius, in gentibus ut Spiritus sanctus; affirmabatque Deum non condidisse hunc mundum: carnis Resurrectionem negabat; cumque in Venerem naturâ proclivior esset, suadebat indifferenter utendum esse fœminis. Hinc vagam quandam mulierculâ patriâ Tyriam, nomine *Helenam* nactus, sibi eam copulavit, quacum palam nullam habere se consuetudinem simulans, clam omni se in libidinum genere volutabat. Fabulabatur insuper Scortum suum esse Spiritum S. qui è cœlo in terram dilapsus ut expugnaret Principes Angelos qui mundum condiderant, ab eis fuerat carne

vinculatus: quocirca varias temporum successus formas induerat, eandem enim esse affirmabat Helenam cujus causâ bellum Græcos inter ac Trojanos exarsit: illam pariter Minervam ac Dei Sapientiam nominabat, nec non & Ovem errabundam, quam ut inquireret & in cœlum reduceret, in terras ut bonus Pastor advenerat. Inde imaginem suam sub Jovis simulachro, Helenæ verò sub figura Minervæ præbebat Discipulis adorandas, quas etiam Romæ tanquam Deorum simulachra inter duos pontes Tiberinos authoritate publica constitui fecerat, cum hac inscriptione, *Simoni Deo sancto.* At cum Dæmonum ope ut Romanos deluderet, in cœlos evolare tentasset, quò se verum Deum probaret, præceps ad humum stratus fuit ab Apostolo sancto Petro.

PSEUDO-APOSTOLI ita Evangelium de Christo recipiebant, ut interim observationem legis ad salutem necessariam esse contenderent. Contra hos primum Apostolorum Concilium Hierosolymis fuit habitum, *Actor 15.* Horum in numero fortè fuerint *Thebutiani* illi *Cleobiani*, *Dositheani*, *Gortheani*, & *Masbotheni* de quibus Nicephorus ex Hegesippo.

NICOLAITÆ de quibus *Apocalyps. 2.* nominati sunt à *Nicolao*, non ut perhibetur (inquit S. Augustinus) ex illis septem quos Apostoli Diaconos ordinaverant, Ille cum zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi se causa, permisisse fertur ut ea qui vellet uteretur, quod ejus factum in sectam turpissimam versum est quâ placet usus indifferens fœminarum. Inde docebant licere scortari; vesci idolothytis; mundum non à Deo factum, sed à quibusdam Principibus quos exprimebant nominibus horrendis & barbaris quibus terrorem suis auditoribus incuterent, purà *Ialdabaoth Chaulaucauch*, &c. Vix tamen possum adduci ut credam hujus turpissimæ sectæ principem fuisse unum ex illis septem Diaconis, siquidem isti leguntur esse repleti Spiritu sancto & inculpatæ vitæ, ac μαρτυρούμενοι. Quocirca non abs re crederem hunc fœdissimum errorem ab alio Nicolao fuisse disseminatum.

ALEXANDER, HIMENÆUS & PHILETUS à fide desciverant, docentes nullam esse resurrectionem, & conantes reducere ceremonias Mosaïcas. De his vide 1. Timoth. 1.

HERMOGENES, & PHYGELLUS cum ASIANIS fuerunt Schismatici, 2. Timoth. 1.

MENANDER à quo MENANDRIANI, Discipulus & successor fuit Simonis Magi, qui inquit sanctus Epiphanius, aiebat se Dei vim esse de cœlo ad humani generis salutem emissam, quatenus Angelicas virtutes mundi conditrices suæ dominationi subjiceret: Cætera Magistro ac Doctori suo consentanea iisdem præstigiis ac maleficiis attexebat, nec ab ejus dogmate dissidebat, nisi quod majorem se eo jactabat, utpote qui ipsum suum præceptorem sibi etiam subjecisset. Hos Hæreticos S. Linus Episcopus excommunicavit & ab Ecclesiæ gremio sejunxit docens secundùm sanctas Scripturas veteris Testamenti Deum esse rerum omnium Creatorem; & nihil esse ex sui natura vituperabile, quicumque enim culpantur actu, non conditione culpantur.

CERINTHIANI à *Cerintho*, vel MERINTHIANI à *Merintho* dicebant, 1. Mundum ab Angelis factum. 2. Circuncisionem faciendam. 3. Vetus Testamentum secundùm litteram esse servandum. 4. Iesum hominem tantùm esse; nec eum resurrexisse, sed adhuc resurrecturum esse. 5. Mille futuros annos post mundi conflagrationem & judicium in quibus Electi cum Christo regnaturi sunt, omni libidini & corporeæ voluptati operam dantes. Hos S. Paulus in Epist. ad Galatas damnavit.

NAZARENI, Christum quidem Messiam & Dei Filium confitentur: at cum Evangelica lege etiam Mosaïcam in omnibus servandam esse asseverant: Hos cum Galatiæ invenisset S. Paulus, anathematizavit.

Ebionitæ ab *Ebione* hominem solùm fuisse Dominum Christum asserunt, & legis mandata more Judaïco custodienda constituunt. Hos S. Lucas apud Antiochenam Ecclesiam inveniens condemnavit.

BASILIDIANI à *Basilide*, in hoc à Simonianis distabant. 1. Quod trecentos & sexaginta quinque cœlos assererent, ut eorum numero, dierum numerus annum constitueret: Vnde etiam Deum horum cœlorum artificem ABRAZSAX appellabant, quod hujus nominis litteræ secundùm Græcam supputationem eundem numerum complent, sunt enim numerô septem quarum *A*, significat unum, & *B*, duo, & *C*, centum, & *Z*, sexaginta, & *A*, unum, & *S*, ducenta, quæ in summa trecenta sexa-

ginta quinque constituunt. 2. Affirmabant mundum istum & hominem non à Deo factum, sed à trecentesimo sexagesimo quinto cœlo. 3. Christum Dominum à Judæis non fuisse crucifixum, sed ejus loco suffixum fuisse Simonem Cyrenensem qui in Cruce portanda Christi adjutor fuerat. Hos Ecclesia ut Energumenos computans, non altercando, sed projiciendo damnavit.

Hæresiarchæ secundi sæculi.

SATURNIANI à Saturnino quodam Menandri Discipulo, qui 1. Simoniacam turpitudinem in Syriam deportasse & confirmasse dicitur. 2. Asserebat mundum fuisse conditum præter scientiam Dei Patris à septem Angelis qui à Superiori virtute desciverant, qui invicem convenientes hominem effinxerunt ad similitudinem supremæ illius virtutis, cujus irradiante in eos pulchritudine fuerant summopere delectati: At cum præ imbecillitate sua opus suum perficere non potuissent, & homo jam conceptus subsisteret ac reptaret vermiculi instar; nec posset se erigere, nec quidquam moliri; virtus illa cœlestis hoc prospiciens, atque imperfectam suam Imaginem attendens, vim suæ scintillam in eam immisit, qua & illum erexit, & vitam impertiit. 3. Affirmabant unum ex illis Angelis fuisse Deum Judæorum qui pariter à sua virtute desciverat; quapropter de communi virtute & consilio à Deo Patre missus fuerat Salvator ipse Saturninus, ut & Judæorum Deum in ordinem redigeret, & iis qui sibi crederent salutem afferret. 4. Nuptias tamquam Dæmonum institutum ablegandas esse pronuntiabat. 5. Ab esu animalium ac quorumlibet viventium abstinendum, quò faciliùs terrenâ hominis parte deficiente, scintilla cœlestis quæ in ea est sursum evolaret. 6. Prophetias dicebat esse alias à Diabolo, alias ab Angelis mundi fabricatoribus, quibus ipse Sathanas, & maximè Deo Judæorum resistit.

CARPOCRATES, *Gnosticorum* Coryphæus Platonicæ Philosophiæ scientissimus, sed veræ Theologiæ ignarissimus, docebat 1. Mundum non factum esse à Deo. 2. Christum merum fuisse hominem ex Josepho & Maria natum, alios etiam homines Christo esse pares vel superiores. 3. Nihil esse malum naturâ, sed opinione. 4. Angelos malos placari peccatis & turpi hominum vita. 5. Uxores communes esse debere. 6. Animas in alia subinde corpora immitti; ut amplius peccent: Denique mysteria hæc in abdito continenda esse. Ab hoc seductore originem suam habent Carpocratiani: horrenda sunt quæ de nefanda eorum turpidine & impuritatibus scribit S. Epiphanius; quæ hìc exscribere pudet.

VALENTINIANI à *Valentino*, qui de natura rerum multa fabulosa confinxit. Triginta *Æonas*, idest sæcula asserens extitisse, quorum principium esset *profundum & silentium*, quod profundum etiam *Patrem* appellat. Ex quibus duobus velut ex conjugio processisse perhibet intellectum & veritatem & protulisse in honorem Patris *Æonas* octo. De intellectu autem & veritate processisse *Verbum* & *Vitam*, & protulisse *Æonas* decem. Porrò de verbo & vita processisse *Hominem* & *Ecclesiam*, & protulisse *Æonas* duodecim. Itaque ex octo & decem & duodecim fiunt triginta *Æonas* habentes, ut diximus, primum principium de profundo & silentio. *Christum* autem à Patre missum, idest, à profundo, spiritale vel cœleste corpus secum attulisse: nihilque assumpsisse de Virgine Maria, sed per illam tanquam per rivum, aut per fistulam sine ulla de illa assumpta carne transiisse. De trigesimo sæculo dicit *Diabolum* genitum & à Diabolo alios natos qui fecerint hunc mundum. Et ideo malitiam non arbitrio tribuit, sed naturæ mundi, idest generi Diabolico: Carnis resurrectionem negat, animam tantum & spiritum per Christum salutem accipere affirmans. Hos Tertullianus impugnavir, & Zachæus Cæsariensis Episcopus anathematizavit.

SECUNDUS à quo *Secundiani* nomen habent, fuit primarius Valentini Discipulus & Scholæ successor, in Ægypto excogitavit novam Syzygiam Æonum, & Syzygias Præceptoris ingeniosiùs divisit, & Æonas statuit esse substantias, cùm Præceptor illos haberet pro nudis tantùm divinæ mentis affectibus. Ipsum damnavit Diodorus Episcopus Cretensis.

Secundi successor fuit PTOLOMEVS, qui Æonas etiam aliter distinxit atque Valentinus aut Secundus, Ptolomeo coævus fuit HERACLEO, cujus magna fuit in Valentiniana Schola authoritas: Ille Æonas quoque retinebat, & hominem triplici natura constare aïebat, non verò tantùm ex anima & corpore: morientes ut ab æterna morte redimerentur, oleo balsamo & aqua ungebat.

Heracliani in Schola Valentini successit MARCUS à quo Marcitæ dicti sunt. Marcus

iste habebat Dæmonem familiarem; Magicis præstigiis hominum mentes deludebat & corporibus ad stupra abutebatur; statuebat duo rerum principia inter se contraria. Hunc sanctus Clemens Episcopus Romanus & Christi dignissimus martyr fixis & integris assertionibus confutans, & coram omni plebe in Ecclesia detegens, æterna damnatione punivit.

COLARBASUS à quo *Colarbasiani*, vitam omnem hominum in septem stellis esse positam affirmabat: Et has esse septem Ecclesias & septem candelabra aurea conabatur astruere. Vnum Deum diversis nominibus appellari aiebat; Christum triginta Æonibus cumpactum esse docebat: Jesum à Christo divellebat. Hunc sanctus Theodorus de Pergamo Episcopus habita Synodo, anathematisavit, docens septem Ecclesias in septi formi spiritu consecratas.

OPHITÆ à Colubro nominati sunt, Coluber enim Græcè *Ophis* dicitur; hunc autem (Colubrum qui decepit Adam & Evam) Christum arbitrantur, sed habent etiam verum Colubrum quem nutriunt & venerantur, qui & incantante Sacerdote egreditur de spelunca & ascendit super altare innixum speluncæ, & oblationes eorum lambit, & involuens se circa eas regreditur ad speluncam, & ita confringunt oblationes in Eucharistiam quasi à serpente Christo, ut illi putant, sanctificatas. Tradunt hujus serpentis cultum à Nicolaïtis sive Gnosticis ad istos deductum. Hæc S. Augustinus. Hos impugnârunt & expugnârunt Theocritus & Evander Chalcedoniæ, & Nicomediæ Episcopi, qui Sacerdotes eorum eliminârunt, & serpentes eorum occiderunt, & efficacissimis rationibus plebem ab hoc nefario errore vindicarunt.

CAÏANI propterea sic appellati, quoniam honorant Caïn, dicentes eum fortissimæ esse virtutis: simul & Judam traditorem divinum aliquid putant esse, & scelus eius beneficium deputant, asserentes eum præscisse quantùm esset generi humano Christi passio profutura, & occidendum Judæis propterea tradidisse: Illos etiam, qui Schisma facientes in primo populo Dei, terra dehiscente perierunt, Chore, Dathan, & Abiron; & Sodomitas colere perhibentur. Blasphemant legem, & Deum legis Authorem, carnisque resurrectionem negant.

SETHIANI nomen acceperunt à Filio Adæ, qui vocatur *Seth*: eum quippe honorant, sed fabulosa & Hæretica vanitate; dicunt enim eum de superna matre natum, quam perhibent convenisse cum superno Patre, unde divinum semen aliud nasceretur, tanquam Filiorum Dei. Ii quoque multa de principatibus & potestatibus vanissima fabulantur: quidam eos dicunt Sem Filium Noë Christum putare. Hos in Achaïa ortos damnavit sanctus *Perigenes*, Argûs Civitatis Antistes, ostendens eis de uno sancto vero & Justo Isaac duos natos geminos, uno pariter utero editos: unum ad superiora divinæ gratiæ penetrasse, alium ad inferiora inferi devenisse. Vnum itaque de duobus, inquit, aut naturæ malæ sunt Filii, & ambo pro eo quod sunt nati, damnandi sunt, aut naturæ bonæ sunt, & pro facti sui qualitate, justè alium benedictio coronavit, alium maledictio condemnavit.

Ab his nati sunt ANTITACTÆ qui quanto possent animi conatu præceptis Dei adversabantur. Porro PERATÆ finxerunt Christum tricorporem, & mundum duplicem.

ABELIANI sive ABELOITÆ, qui tempore etiam sancti Augustini adhuc vigebant, ut ipse scribit *Hæresi 87*. non miscebantur uxoribus, & eis tamen sine uxoribus vivere secta ipsius dogmate non licebat. Mares ergo & fœminæ sub continentiæ professione simul habitantes, puerum & puellam sibi adoptabant in ejusdem conjunctionis pacto successores suos futuros; morte præventis quibusque singulis alii surrogabantur, dum tamen duo duobus disparis sexus in illius domus societate succederent. Vtrolibet quippe parente defuncto, uno remanente, usque ad ejus quoque obitum filii serviebant. Post cujus mortem etiam ipsi puerum & puellam similiter adoptabant.

ARCHONTICI à principibus nomen acceperunt. Principes enim divinos se colere jactant, quos dicunt condidisse hunc mundum. Hos sanctus *Dioscorus* Cretensis Episcopus condemnavit, docens unum & verum Deum in partes substantiales penitùs dividi omnino non posse.

MARCIONISTÆ à *Marcione* qui duo principia fuisse confirmat boni & mali, quem Epiphanius tria dicebat principia docuisse, boni, justi, & pravi. Sed Eusebius Sirinum quendam non Marcionem trium principiorum atque naturarum scribit Authorem; *Marcionistæ*, cum universalem Orientis Ecclesiam macularent, ab Origene superati, confutati, & per singulas sunt civitates damnati. Item post aliquantos annos jam devicti atque detecti, in Africanis partibus pullulabant, quos

Tertullianus modis omnibus ita obtinuit, ut ipsos faceret contra sectam suam publicè prædicare.

Appellitæ, ab *Appelle*, qui duos quidem introducit Deos, sed unum fatetur principium, hoc est bonum, & ab ipso factum alterum: idest ab ipso uno principio alterum factum esse. Quod cùm malignum esset inventum, à bono abjectum est: Abjectum verò à bono principio, hoc principium, quod malignabatur contra boni principii voluntatem, in sua malignitate mundum fecit: Inde est quod ad malum promptiores quàm ad bonum nos natura consequitur, & plus in vitiis, inquit, quàm in virtutibus delectamur. Insuper, Dominum nostrum Iesum Christum asserunt carnem ex elementis suscepisse, quam aëri reddidit cum ascenderet, & sine ea intravit in Cœlum. Hos Origenes ita perfectè superavit, ut eorum causâ *Periodeütes* fieret, & per singulas quasque urbes per Orientem eundo prædicaret.

Cerdoniani, à *Cerdone*, qui duo principia sibi adversantia dogmatisavit, Deumque legis ac Prophetarum non esse Patrem Christi, nec bonum esse Deum, sed justum: Patrem verò Christi bonum; Christumque ipsum nec natum ex fœmina, neque habuisse carnem, nec verè mortuum, vel quidquam passum, sed simulasse passionem. Contra hunc suscepit sanctus *Apollonius* Episcopus Corinthiorum, eumque omni cum Synodo Orientali damnavit.

Severiani à *Severo* vinum non bibunt, eo quòd fabulosa vanitate de semine Satanæ terram germinasse asserunt vitem. Carnis quoque resurrectionem cum veteri respuunt Testamento. Hos damnavit sanctus *Euphranon* Episcopus Rhodius; apud Rhodum enim horum superstitio orta est, quos convicit Scripturarum ratione sanctarum, in quibus legitur Deus educere de terra panem ad confirmandum cor hominis, & vinum ad lætificandum. Vini autem non usum necessarium, sed nimietatem inimicam saluti culpandam esse.

Tatiani à Tatiano, qui & Encratitæ appellati sunt. Hi nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus, aliisque corruptionibus faciunt, nec recipiunt in suo numero conjugio utentem, marem vel fœminam. Non vescuntur carnibus, easque omnino abominantur. Contra hos suscepit sanctus *Epiphanius* Ancyræ Galatiæ Episcopus, objiciens eis Pauli Apostoli Epistolam ad Timotheum primam, & dicens eos habere cauteriatam conscientiam, prohibentes nubere, & abstinere docentes à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione à fidelibus & his qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.

Cataphryges circa annum 172. suum nomen à Provincia Phrygiæ, non à dogmate obtinuerunt. Eorum Authores fuerunt *Montanus*, tamquam Paracletus & duæ Pseudo. Prophetissæ ipsius *Prisca*, & *Maximilla*. Ejus errores exscribit sanctus Hieronymus Epist. 54. ad Marcellam: » Nos (inquit) Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in sua unumquemque persona ponimus, licet substantiâ copulemus. Illi Sabellii dogma sectantes Trinitatem in unius personæ angustias cogunt. Illi in tantum putant scelerata conjugia iterata, ut quicumque hoc fecerit, adulter habeatur. Illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores. Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos Episcopus tertius est. Habent enim de Pepusa Phrygiæ Patriarchas secundos, quos appellant Cenonos; atque ita in tertium, idest, penes ultimum locum Episcopi devoluuntur: quasi exinde ambitiosior Religio fiat, si quod apud nos primum est, apud illos novissimum fit. Illi ad omne pœnæ delictum Ecclesiæ obserant fores; nos quotidie legimus *Malo pœnitentiam peccatoris quàm mortem*. Rigidi sunt, non quod ipsi pejora non peccent; sed hoc inter nos & illos interest, quod illi erubescunt confiteri peccata quasi justi: Nos dum pœnitentiam agimus, facilius veniam promeremur. Prætermitto scelerata mysteria quæ dicuntur de lactente puero & de victuro martyre confarrata; malo, inquam, non credere, sit falsum omne quod sanguinis est; aperta est convincenda blasphemia dicentium Deum primum voluisse in veteri Testamento per Moïsem & Prophetas salvare mundum: sed quia non potuerit explere, Corpus sumpsisse de Virgine, & in Christo sub specie Filii prædicantem, mortem objisse pro nobis; & quia per duos gradus mundum salvare nequiverit, ad extremum per Spiritum sanctum in Montanum Priscam & Maximillam insanas fœminas descendisse, & plenitudinem quam Paulus non habuerit, dicens, *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*, &, *nunc videmus per speculum & in ænigmate*; abscissum & semivirum Montanum habuisse. Addit tamen S. Aug. Montanistas de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent,

quasi Eucharistiam suam conficere, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes: qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre: Si autem vixerit, pro magno Sacerdote. Damnati sunt à summis Pontificibus Zephirino & Aniceto, ut scribit Tertullianus libro contra *Psychicos cap.* 1. qui cum initiô adversus Montanum tamquam hæreticum pugnasset, postmodum illius austera & rigida vivendi ratione illectus & deceptus in ejus partes miserè dilapsus est, easque adversus Ecclesiæ damnationem deffendere suscepit.

Pepuziani, qui à loco quodam nominati sunt; quem desertam Civitatem dicit Epiphanius. Hanc autem isti divinum aliquid esse arbitrantes *Hierusalem* vocant; tantum dant mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim duas Ecclesias, Quintillæ & Priscillæ, in eadem Civitate *Pepuza*: Unum videntur esse cum Cataphrygis: Contemptui autem eos habent, quod se isti Pepuziani ceteris æstiment meliores. Dicunt enim hanc Pepuzam villam fuisse Montani, Priscæ & Maximillæ, & quia ibi cœperunt prædicare & ibi vixerunt, ideo locum appellari *Hierusalem*. Et quia habitatores loci sunt, ideo cæteris se esse meliores adscribunt. Hos Apollonius superavit Ephesiorum Episcopus.

Artotyritæ hoc nomine nuncupati ab eorum oblatione. Offerunt enim panem & caseum, dicentes à primis hominibus oblationes, ideo de fructibus terræ & ovium fuisse celebratas. Hos Pepuzianis jungit Epiphanius, contra quos nullus dignatus est nec loqui.

Quarto-decimani, aliàs *Tessaresdecatitæ* dicuntur, eò quod quartâ decimâ Lunâ Pascha celebrant quâlibet septimanæ occurrerit die. Et si dies Dominicus incurrerit, ipso die jejunant & vigilant. Hos Victor Romanus damnavit.

Alogii sic vocantur, quia Verbum Dei esse Filium accipere nolunt: in tantum ut Evangelium sancti Joannis dicant ipsius non esse. Nec Apocalypsim accipiunt ejusdem Joannis. Quid multa? Verbum Dei, Filium Dei penitus quasi blasphemiam exe-crantur. Hos *Philo* Episcopus sæpe superavit.

Adamiani ex Adamo nomen acceperunt, cujus imitantur in Paradiso nuditatem; qualis fuit ante peccatum. Unde & nuptias aversantur, quia nec priùs quàm dimissus esset de Paradiso, cognovit uxorem. Credunt ergo quod nuptiæ futuræ non fuissent si nemo peccasset. Nudi itaque mares fœminæque conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant sacramenta. Et ex hoc Paradisum suam arbitrantur Ecclesiam. Hos sanctus Presbyter Polycarpus detexit, obtinuit, eliminavit.

Helcesei. Hos quidam *Helchi* nomine Pseudo-Propheta decepit ex cujus genere duas mulieres tanquam Deas ab eis perhibetur adoratas. Cætera Ebionis similia tenere ab Epiphanio asseruntur. Hos Papias Presbyter Achaiæ obtinuit.

Theodotiani à quodam *Theodoto* instituti, hominem tantummodo Christum non Dei Filium asserentes. Quod dicitur idem Theodotus propterea docuisse, quia in persecutione lapsus, isto modo se casus sui devitare putabat opprobrium, si non Deum negasse, sed hominem videretur. Hos obtinuit *Craton* Episcopus Syrorum.

Melchisedechiani *Melchisedec* Sacerdotem Dei excelsi, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur, illum locum sequentes Apostoli ad Hæbreos quô ait capite 7. vers. 3. *Sine patre, sine matre, sine genealogia.* His occurrit *Dionysius* Hierosolymorum Episcopus, dicens hunc & patrem habuisse & matrem; & hoc ideo dixisse Apostolum, quia & Genealogia ipsius & materna paternave prosapia non haberetur in eo ordine in quo genealogiæ Hæbreorum adscriptæ sunt.

Bardesanitæ à quodam *Bardesane* perversi, qui Bardesan dicitur perfectus fuisse Catholicus, sed postea in id per Valentini Discipulum incurrisse, ut malam diceret carnis humanæ Creaturam, animæ bonam. Hunc in Cappadocia damnavit *Theocritus* Episcopus docens Deum bonum utraque fecisse, utraque copulasse, & carnis humanæ non naturam, sed prævaricationem esse culpandam.

Noëtiani dicunt Christum eundem ipsum esse Patrem & Spiritum sanctum, non per substantiam, sicut nos, sed per personam, ut putativè dicatur Spiritus sanctus non veraciter. Hi damnati sunt à Tranquillo Episcopo Chalcedoniorum Syriæ.

Valesii infelices & se ipsos castrant & hospites suos. Hoc modo dicunt illud impleri, Math. 19. *Sunt Eunuchi qui se castraverunt propter Regnum Cœlorum.* Alia quoque Hæretica asserere dicuntur & turpia: sed quæ illa sint nec ipse Epiphanius commemorat, nec uspiam (inquit S. Augustinus) potui reperire. Hi à Synodo sunt damnati Achaïæ.

Cathari se ipsos hoc nomine, idest puros & vacuos à labe peccati superbissimè appellârunt.

appellârunt. Secundas nuptias non admittebant. Pœnitentiam denegabant, Novatianum sectantes hæreticum : qui cum esset Romanæ urbis Presbyter adversus Cornelium Pontificiam Cathedram conatus est invadere, ut ipsemet Cornelius scribit ad Flavianum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum ; quod implere cùm non posset, primùm schisma, demum hæresim fabricavit.

Angelici, sic nuncupati, quòd doceant Angelos debere adorari & excoli animo & ipsis preces effundi, ut quem sciunt posse plus à se, ipsi faciant votis hominum & petitionibus subvenire. Hos Epiphanius iam omnino defecisse testatur victos à *Theophilo* Apameo Episcopo.

Apostolici, qui se isto nomine arrogantissimè vocaverunt, eò quòd in suam Communionem non reciperent utentes conjugibus, & res proprias possidentes, quales habet Catholica Ecclesia, & Monachos, & Clericos plurimos. Sed ideo isti Hæretici sunt, quoniam se ab Ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere qui utuntur his rebus, quibus ipsi carent. Encraticis isti similes sunt, nam & *Apotacticæ* appellantur. Hæc S. Augustinus.

Sabelliani à *Sabellio* docebant unicam esse in Deo personam, & eandem ipsum esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Hi sunt qui & *Praxeani* dicuntur, qui habuerunt inter initia *Praxeam* quendam Doctorem. Dicuntur & *Hermogeniani*, quia *Hermogenem* habuerunt in Sabellii contubernio. His occurrit *Dositheus* Episcopus Seleuciæ, docens eos totam Trinitatem negare, dum se æstimant unitatem deffendere. Pater enim ingenitus, Filius genitus, Spiritus sanctus procedens ex Patre, coæqualis per omnia Patri & Filio. Deitas enim sic recipit unitatem substantiæ, ut distinctionem personæ non perdat.

Origeniani à quodam *Origene*, non illo qui ferè omnibus notus est, sed ab alio, nescio quo, de quo, vel sectatoribus ejus Epiphanius loquens. Origeniani, inquit, cujusdam Origenis discipuli, turpis autem sunt operationis, isti sunt nefanda facientes, sua corpora corruptioni tradentes.

Alios autem Origenianos continuò subjiciens, Origeniani, inquit, alii, qui & *Adamantii* tractatoris illius Sectatores qui & mortuorum resurrectionem negant: Christum autem & Spiritum sanctum Creaturam dicunt: Paradisum autem & Cœlos, & alia non credunt esse secundum litteram, sed in allegoria. Hæc quidem de Origene Epiphanius refert. Sed defensores ejus dicunt, Origenem Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unius ejusdemque substantiæ docuisse, neque resurrectionem repulisse mortuorum : sed qui ejus scripta legerunt, contradicunt. Sunt & alia hujus Origenis dogmata quæ Catholica Ecclesia omnino non recepit: in quibus nec ipsum falsò arguit, nec potest ab ejus Defensoribus excusari, maximè de purgatione & liberatione ; ac rursus post longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis universæ Creaturæ. Quis enim Catholicus Christianus, vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat eam quam dicit purgationem malorum, idest, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus & sacrilegiis atque impietatibus quamlibet maximis finierunt ; ipsum etiam postremò Diabolum atque Angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos atque liberatos regno Dei lucique restitui : & rursus post longissima tempora omnes qui liberati sunt, ad hæc mala denuo relabi & reverti, & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum rationalis Creaturæ semper fuisse, semper fore? Hæc S. Augustinus.

Pauliani à *Paulo Samosateno*, Christum non semper fuisse dicunt, sed eius initium ex quo de Maria natus est, asseverant; nec eum aliquid amplius quàm hominem putant. Ista hæresis aliquando cujusdam *Artemonii* fuit : sed cùm defecisset, instaurata est à Paulo : & postea sic à *Photino* confirmata, ut *Photiniani* quàm *Pauliani* celebriùs nuncupentur. Istos sanè Paulianos baptisandos esse in Ecclesia Catholica Nicæno Concilio constitutum est. Unde credendum est eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi Hæretici cum de Catholica discederent abstulerunt, eamque non custodiunt.

Manes Persa, quem Discipuli appellarunt *Manichæum* quasi *Manna fundentem*; insaniæ nomen vitantes : Hic, inquam, Manes negabat sacro-sanctam Trinitatem ; Vetus Testamentum repudiabat ; duo principia coæterna unum bonum, alterum malum statuebat ; Dei boni substantiam frustillatim in Creaturas distributam esse aïebat ; negabat Christum verè passum esse: peccatum dicebat esse substantiam hominis, quam ex duabus animabus constare fingebat ; pro resurrectione carnis introduce-

bat corporum quamdem μετεμψύχωσιν, animarum ἀνασωμάτωσιν: denique ſeipſum appellabat Chriſtum & Paracletum. Vide plura *pagina 508*.

Meletivs Epiſcopus in Ægypto, interpolavit dogma Novati, & ſeceſſionem fecit ab Eccleſia. Ab iſto Schiſmatico dicti ſunt *Meletiani*, qui ſegregatas ab Orthodoxis Eccleſias habuerunt, & poſtea cum Arianis ſeſe conjunxerunt.

Hierachitæ, quorum author *Hieraca* nuncupatur, reſurrectionem carnis negant: Monachos tantum & Monachas & conjugia non habentes in Communionem recipiunt. Ad regnum Cœlorum non pertinere parvulos dicunt, quia non ſunt eis ulla merita certaminis quo vitia reparentur.

Hæreſiarchæ tertii Sæculi.

Arius natione Afer, profeſſione Preſbyter Alexandrinus, innotuit circa *annum 325.* & docuit Filium Dei eſſe Creaturam, non verò Patri coæternum & conſubſtantialem. De quo plura *pagina 508. & 515.*

Donatiani vel *Donatiſtæ* ſunt, inquit S. Auguſtinus, qui primum propter Cæcilianum contra ſuam voluntatem ordinatum Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopum Schiſma fecerunt, objicientes ei crimina non probata, & maximè quod à Traditoribus divinarum Scripturarum fuerit ordinatus. Sed poſt cauſam cum eo dictam atque finitam, falſitatis rei deprehenſi, pertinaci diſſenſione firmatâ, in Hæreſim ſchiſma verterunt; tanquam Eccleſia Chriſti propter crimina Cæciliani, ſeu vera, ſeu quod magis judicibus apparuit, falſa, de toto terrarum orbe perierit, atque in Africa Donati parte remanſerit, in aliis terrarum partibus quaſi contagione Communionis extincta. Audent etiam rebaptiſare Catholicos, ubi ſe amplius Hæreticos eſſe firmarunt, cùm Eccleſiæ Catholicæ univerſæ placuerit, nec in ipſis Hæreticis baptiſma commune reſcindere. Hujus Hæreſis principium accepimus fuiſſe Donatum, qui de Numidia veniens & contra Cæcilianum Chriſtianam dividens plebem adjunctis ſibi ejuſdem factionis Epiſcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit Epiſcopum, cui Majorino Donatus Epiſcopus alius in eadem diviſione ſucceſſit, qui eloquentiâ ſuâ ſic confirmavit hanc Hæreſim, ut multi exiſtiment propter ipſum potius eos Donatiſtas vocari.

Ad hanc Hæreſim in Africa & illi pertinent qui appellantur *Circumcelliones*, ſic dicti, quod inhabitarent cellas in agris, genus hominum agreſte, & famoſiſſimæ audaciæ, non ſolum in alios immania facinora perpetrando, ſed nec ſibi eadem inſana feritate parcendo. Nam per mortes varias, maximè præcipitiorum, & aquarum, & ignium ſe ipſos necare conſueverunt, & in iſtum furorem alios quos potuerint ſexus utriuſque ſeducere, aliquando ut occidantur ab aliis, mortem niſi fecerint comminantes.

Cæterum Melchiades Pontifex Donatum damnavit, qui prior author Donatiſtarum Schiſmaris fuit, & Cæcilianum Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginenſis abſolvit. At Donatiſtæ more Hæreticorum à Melchiadis ſententia ad Conſtantinum Imperatorem appellaverunt: Adverſum quos Conſtantinus in hæc verba reſcripſit: *Meum judicium poſtulant qui ipſe judicium Chriſti expecto. Dico enim (ut ſe veritas habet) Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens judicet; nihil enim licet his aliud ſentire, vel aliud judicare niſi quod Chriſti magiſterio ſunt edocti.*

Hoc tempore vigebant Messaliani aliàs *Pſalliani*, *Euchetæ*, *Euphemitæ*, *Spirituales*, & *Martyriani*; qui in aſſidua precatione meritum collocabant, & otio interim erant dediti.

Macedonius Epiſcopus Conſtantinopolitanus circa *annum 381.* docuit Filium quidem eſſe Patri per omnia ſimilem, ſed Spirirum ſanctum eſſe Creaturam. Filium, inquam, concedit eſſe Patri ὁμοούσιον, ſed non, ὁμοιούσιον & Spiritum ſanctum ait, vim eſſe à Deo conditam, quæ eſſentiæ diviſione ſingulis Creaturis inſit, adeout ſingulæ Creaturæ partem aliquam eſſentiæ Spiritus ſancti intra ſe habeant. Ab hoc dicti ſunt Macedoniani: Quos damnavit Concilium Conſtantinopolitanum primum agente S. Damaſo ſummo Pontifice.

Aëtivs, cùm Paulino Epiſcopo Antiocheno defuncto ſpem adipiſcendi Epiſcopatum fruſtrà animo concepiſſet, docuit Filium non tantum ἀνόμοιον eſſe Patri, ſed etiam omnino diſſimilem. Diſcipulus & ſcriba ejus *Eunomius* idem docuit. Ipſorum Sectatores dicuntur *Eunomei*. Hoc eodem tempore *Acatius* & *Aërius* floruerunt, Acatius docuit Filium eſſe Patri ὁμοιούσιον κατὰ φύσιν, Aërius κατὰ γνώμην ipſorum diſcipuli appellantur *Acatiani* & *Aëtiani*. Alii legunt pro Aërius, Aëtius, & pro Aëriani Aëtiani. Ex his Acatiani, etiam dicuntur Semi-ariani. Eunominianorum diſcipuli ſunt *Nativitarii*,

qui dicebant Filium semper fuisse, sed non semper esse Filium; sed ex quo natum est de Patre Filium esse cœpisse.

APOLLINARIS sive *Apollinarius*, uterque, scilicet Pater & Filius, ille Presbyter, hic Lector Laodicenus, *circa annum 370.* docuerunt Verbum Dei accepisse carnem sine anima rationali, & divinas Personas esse inæquales: Magnum videlicet esse Spiritum sanctum, majorem Filium, maximum Patrem. Ab his *Apollinaristæ* sunt dicti. Eodem tempore apparuerunt *Vrsicini* Schismatici: Item *Antropomorphitæ* qui authore *Vadio* sive *Audio* docuerunt Deum habere formam humanam. Aliàs appellantur *Andropiani* & *Audiani*, vulgò *Vadiani*, Verùm consule quæ dicimus de Audio, *pag. 126.*

ANTIDICOMARITÆ quorum parens videtur Elvidius, appellati sunt hæretici, qui Mariæ Virginitati usque adeo contradicunt, ut affirment eam post Christum natum viro fuisse commixtam. Egit contra hos Theodoretus Cyprius Episcopus.

MESSALIANI quod nomen ex lingua syra est, Grecè autem dicuntur *Euchitæ* ab orando sic appellati; nam psallunt jugiter & orant. Sed quia hoc solùm faciunt non habentes charitatem, nec colloquii, nec humanitatis, inter Hæreticos sunt à sancta Synodo confutati. Condemnant etiam eos Monachos, qui aliud præter legendi orandique opera, aliquid fuerint operati, vel artis, vel agriculturæ.

PATERNIANI eodem tempore, authore *Paterno*, docebant inferiores partes humani corporis non à Deo, sed à Diabolo factas esse, & omnium flagitiorum licentiam partibus illis tribuentes, impurissimè vivebant: qua de causa etiam appellati sunt Venustiani à Venere, & Ethicoproscoptæ, idest, morum irrisores. His subjunguntur TERTULLII, qui secuti *Tertullum* aiebant, sceleratorum hominum animas in dæmones converti, vel saltem in bestias, quarum naturam illæ habuerint in corpore. PATTALORINCHITÆ, digito compescunt os, ut taciturnitate sua possint Deo placere, à regione appellantur *Tabennesiotæ*. METANGISMONITÆ, dici possunt qui *Metangismon* asserunt, dicentes sic esse in Patre Filium quomodo vas in vase, quasi duo corpora carnaliter opinantes, ita ut Filius intret in Patrem, tamquam vas minus in vas majus.

SELEUCIANI vel HERMIANI ab authoribus *Seleuco* & *Hermia*, qui Elementorum materiam, de qua factus est mundus, non à Deo factam dicunt, sed Deo coæternam. Nec animam Deo tribuunt Creatori, sed Creatores esse animarum Angelos volunt de igne & spiritu. Malum autem asserunt esse aliquando à Deo, aliquando à materia. Negant Salvatorem in carne sedere ad dextram Patris, sed in Sole, ex psalmo, ubi legitur; *In Sole posuit Tabernaculum suum.* Negant etiam realem Paradisum, baptismum in aqua non accipiunt. Resurrectionem non putant futuram, sed quotidie fieri in generatione filiorum. PROCLIANITÆ secuti sunt istos, & addiderunt Christum non in carne venisse.

PATRICIANI à *Patricio* sumentes exordium, substantiam carnis humanæ non à Deo, sed à Diabolo conditam dicunt, eamque sic detestantur, ut hunc dicant esse perfectum qui se potuerit constanter occidere. Ex his sunt etiam qui rogant eos quos invenerint ignotos, ut ab eis occidantur. Hæc insania in partibus Numidiæ superioris & Mauritaniæ cœpit olim. Hos miseri Donaristæ postea secuti, cœperunt se mortis præcipitio, quasi futuros martyres tradere: Verùm qui vitam æternam Catholicæ fidei deserunt, hauddubiè æternam mortem invenient. Contra hos Optatus legitur egisse.

ASCITÆ ab utre appellantur. *Ἀσκὸς* enim Græcè *uter* dicitur; isti cum in Trinitate nihil malè habeant, utrem tamen ingentem juxta altare ponunt, eumque vacuum inflant, & linteaminibus velant & adorant, quia confectum sanguinem Domini ibi esse dicunt, juxta illud dicentes Evangelicum; *vinum novum in utres novos.*

AQUARII qui ex hoc appellati sunt quod aquam offerunt in poculo Sacramenti; dicunt enim vinum ebrietatis esse rem, per quam homicidia & fornicationes & cætera scelera perpetrantur; Cùm tamen constet, non vini haustu, sed nimietate crimina committi.

COLUTHIANI à quodam *Coluto*, qui dicebant Deum non inferre mala pœnæ contra illud quod scriptum est, *Ego Deus creans mala.*

FLORIANI à *Florino* qui contrario sensu dicebant Deum creasse mala: contra id quod scriptum est, *Fecit Deus omnia & esse bona valdè*: ac per hoc quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloquiis resistebant.

PRISCILLIANISTÆ à *Priscilliano* Gnostico sic dicti, cum omnibus præcedentibus hæreticis participârunt; nimirum cum Manichæis, Sabellianis, Arianis, Marcionistis, & Quarto-decimanis. 1. Corpus per se malum à malo principio, nimirum Diabo-

lo esse dicebant, & sic negabant corpora resurrectura: 2. Matrimonium detestabantur credentes pueros semine carnali procreatos ad Deum pertinere non posse, sed tantùm illos qui concipiebantur de Spiritu sancto. 3. Animas asserebant esse de substantia Dei licitumque dicebant jurare & pejerare, potiùsquàm prodere secretum: Unde hoc tritum erat apud eos *Iura periura, secretum prodere noli.*

Jovinianus idem cum Antidicomarianis sentit, qui insuper matrimonium æquale Virginitati dicebat, omnia crimina æqualia sicut Beatorum prœmia.

Triscelidæ triformem Deum ita asserunt, ut quædam pars ejus sit Pater, quædam Filius, & quædam Spiritus sanctus, & hinc sit Trinitas in unitate.

Hæresiarchæ quarti sæculi.

Hydrotheutæ, aquam Deum dicebant, non habentem nec initium nec finem, sordes luentem, peccata dimittentem & habentem Spiritum sanctum.

Ametritæ dicebant innumerabiles esse mundos. Hoc eos dicere novum putat qui non legit Philosophos, hoc enim olim aliquanti Philosophorum dixere Gentiles.

Psychopnevmones dicebant animas hominum bonas in spiritus Angelorum converti, animas verò hominum malas in spiritus Dæmonum mutari.

Adecerditæ dicunt quod Christo descendenti in Inferos omnis animarum multitudo occurrit & credidit ei, & liberata est.

Nudipedales nudis pedibus semper gradiendum esse asserebant, eo quod Dominus dixerit ad Moïsem *solve calceamentum de pedibus tuis*; & quod Propheta Isaïas nudis pedibus jussus fuerit ambulare. Inde ergo hæresis est, quia non propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia divina taliter intelligunt. Hæc August.

Hæresiarchæ quinti sæculi.

Pelagius Brito docuit peccatum Adami illi soli nocuisse, nullum in posteritate sua fuisse peccatum originale: Mandata Dei solis naturæ viribus posse observari: orationes ad Deum inutiles dicebat ad bene agendum id quod poterat ex se liberum arbitrium; admittebat tamen baptismum ut infantes de bono in melius proficerent: Mortem dicebat non esse pœnam peccati, sed conditionem naturæ etiam innocentis, ita ut mortuus fuisset Adamus, etiam non peccans: Sacerdotalia & Episcopalia vestimenta denique improbabat. Ipsum secutus est Cœlestius in Africa, unde Cœlestiani sunt iidem cum Pelagianis. Plura vide in sequentibus à *pagina 404.*

Vigilantius docuit inanem esse invocationem Sanctorum; cultum qui reliquiis fertur, esse idololatriam; Ecclesiastica jejunia sicut cælibatum Sacerdotum rejiciebat.

Nestorius Episcopus Constantinopolitanus in Christo duas personas asserebat esse; Virginem ut Matrem Dei nolebat agnosci, & in pane fermentato cum duabus speciebus consecrabat & communicabat.

Eutyches Archimandrita, sive Abbas Constantinopolitanus, ut contradiceret Nestorio *circa annum 451.* docuit in Christo esse unam naturam, & hoc velut assertum usurpavit: *Ex duabus quidem naturis, Scio Christum ante unionem constitisse, post unionem verò unam dumtaxat in illo fuisse scio & agnosco.* Item *Ex duabus naturis Christum esse confiteor, in duabus consistere nego.* Atque hæc fuit hæresis Eutychis, quæ unà cum Nestorianismo usque nostra tempora durat in Orientis partibus, ita tamen ut variæ sint factiones. *Eutychianismus* quidem has habet propagines atque fruticationes. Primò se offerunt Monophysitæ, qui aliàs appellantur *Schematici, Theophaschitæ,* & à loco *Ægyptii.* Hi docebant, Christum quidem constare ex duabus naturis, non verò subsistere in duabus naturis, itaut hæc controversia in duabus istis voculis consisteret, *ex* & *in.* In hoc errore defendẽdo occupatissimus fuit *Ioannes Philoponus, ann. 603.* celebris Philosophus qui etiam docuit tres Personas esse tres Deos, atque ita errorem Tritheitarum introducit: *Tritheïtæ* isti aliàs dicuntur *Triformiani.* Post Monophysitas erant Acephali, sic dicti quòd nullos Episcopos agnoscerent. Hi naturas duas concedebant, sed proprietates earum ita confusas esse centendebant, quemadmodum gutta aceti in mare effusa suas amittit vires Hi appellati fuerunt Severitæ à

Severo Episcopo Antiocheno: JULIANISTÆ à *Iuliano Halicarnasæo*: THEODOSIANI, à *Theodosio Alexandrino*, à loco CONTOCAPTILÆ, & ANGELITÆ.

Deinceps inter Eutychianos commemorantur AGNOETÆ vulgò *Agnoitæ*, cujus erroris patrocinium Themistio Philosopho adscribitur. Hi docebant diuinam Christi naturam (hanc enim solam post unionem agnoscebant, tanquam absorpta esset plane humanâ) quædam ignorasse, ut horam extremi judicij. Atque hi rursus in alias tres sectas, *Damianorum Paulianorum* & *Petreitarum* divisi erant.

Hos sequuntur IACOBITÆ sic dicti à quodam *Iacobo* Syro, qui totam Syriam ipsissima Eutychis doctrina imbuit. Rursus alij dicti sunt ARMENII qui ad dogma Eutychis in Armenia hoc addebant, Christum non assumpsisse corpus ex Maria; sed illud ab ipso Conceptionis momento incorruptibile habuisse: quod ipsum per se etiam & in suæ naturæ proprietate adorandum esse docuerant. Iidem quaternitatem in deo statuebant & Deitatem passam esse dicebant.

Ipsis præluserat Petrus *Cnaphæus* Episcopus Antiochenus qui sentiebat totam Trinitatem fuisse Crucifixam, unde in Trisagio sic loquebatur *sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis qui crucifixus est pro nobis.*

PACIFICANTES dicti sunt illi, qui authore *Zenone Imperatore* unionem quandam faciebant inter Catholicos & Eutychianos; ita ut ex una parte anathema dicerent Eutycheti, & ex alia Concilium Chalcedonense, ubi damnatus fuerat, contemnerent.

Hæresiarchæ sexti & septimi sæculi.

MONOTHELITÆ authore *Sergio* Patriarcha Alexandrino unam tantùm in Christo voluntarem asserebant. Ipse Syrus Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, ad suum errorem adduxit. Damnati sunt in Concilio Constantinopolitano tertio.

MAHVMETISMVS incipit anno circiter 615. authore *Mahumete*, qui dogmata sua conjecit in peculiarem librum, quem appellavit *Alcoranum*. Præcipua Capita sunt, 1. Deum habere essentiam corpoream anima prædiram, 2. Non esse tres in Deo personas, 3. Christum non esse Deum, sed magnum & sanctum quendam prophetam, 4. Ipsum non esse reverà passum, sed phantasma pro eo Judæis oblatum, 5. Ceremonias Mosaïcas, putà circuncisionem, delectum ciborum, lotiones varias corporis & similia ad salutem esse necessaria, 6. Bona opera naturalia mereri vitam æternam, 7. Polygamiam esse licitam, 8. Vitam æternam consistere in voluptatibus corporis. Hæc pestis totum Orientem longè latèque corripuit; tametsi enim aliquæ in iis locis sunt Ecclesiæ: tamen quàm misera sit illarum conditio, & quàm depravata sit plurium doctrinæ confessio, ex eo intelligi potest, quod decem sunt genera Christianorum qui Orientem hinc inde habitare traduntur, solique Latini integram fidem servant.

Hæresiarchæ octavi sæculi.

ICONOMACHI, id est oppugnatores sacrarum imaginum, in Ecclesiam maximè grassari in hoc sæculo, idololatriam imputantes illis qui eas in templis retinent; unde Leo Isauricus Imperator, dictus propterea Iconomachus seu Iconoclasta, edictum proposuit ut ubique sacræ imagines tollerentur de templis. Eos damnavit Nicæna secunda Synodus cui interfuerunt 367. Episcopi.

AGONYEKITÆ superstitiosos reputabant illos qui flectebant genua inter orandum, inde erecti semper orabant.

ALDEBERTINI ab *Aldeberto* Gallo, credebant sanctissimas sed incertas reliquias authori suo allatas fuisse ab extremis terris ministerio Angeli; ipsum credebant similem Apostolis, eius capillos & ungues æqualiter colendos esse dicebant, ac reliquias divi Petri, credebant ipsum cognoscere omnia peccata quæ commitebant, & posse illa remittere sine confessione aliqua.

ALBANENSES, duo principia unum bonum, aliud malum tenebant. 2. Aliquem ante adventum Christi justum fuisse negabant. 3. Deum credebant malum non providere sed illud ministerio diaboli fieri. 4. Mundum faciebant æternum & in æternum duraturum. 5. Deum non creare animas de novo, sed animam mortui in alterum corpus transmigrare. 6. Nullo modo juramentum esse licitum. 7. Nullum extare originale

peccatum. 8. Sacramenta nullam vim habere dum à malis conferuntur ministris. 9. Necessitatem ad confitendum esse nullam. 10. Nullum perversum posse Episcopari. 11. Matrimonium esse illicitum. 12. Ab Ecclesia nihil possidendum esse nisi in comuni, tandem resurrectionem corporum negabant.

ELIPANDUS Christum solum filium Dei adoptivum esse tenebat. PAULIANISTÆ à Paulo & Joanne sic dicti, præter Manichæismum quem profitebantur, tenebant formam baptismi in his verbis consistere *ego sum aqua viva*; & Eucharistiam in istis, *accipite, manducate & bibite*; Cultum sanctæ Cruci negabant, Sacerdotes nostros rejiciebant; Seque Christianos vocabant, nos verò Romanos.

Hæresiarchæ noni sæculi.

GOTHESCALCUS quem alij ex Gallia, alij ex Belgio oriundum putant, condemnatus fuit in Consilio Moguntino, quia renovabat hæresim Prædestinatianorum dicendo Deum sine prævisione boni & mali aliquos absolutè prædestinasse, alios absolutè reprobasse, consequenter tenebat Christum non esse pro omnibus mortuum. Nec Deum velle omnium salutem. Consule sequentia, *pag*. 428.

CLAUDIUS TAURINENSIS Episcopus contra quem Jonas Aurelianensis Episcopus tres Libros scripsit, hæreses Nestorianorum, Iconoclastarum & Arianorum profitebatur; inimicus sanctorum verè fuit; preregrinationes ad sacra Loca condemnabat, reputabatque baptismum nullum esse sine signo crucis.

PHOTHIUS fuit Vexilifer Græcorum Schismaticorum quorum schisma quatuordecies renovatum. Eum damnavit Concilium Constantinopolit. IV. maximè quod pulso Ignatio Patriarcha contra morem Ecclesiæ ipse laicus & neophytus sedem Constantinopolitanam vsurpaverat.

IOANNES SCOTUS, non Doctor subtilis, qui sanctissimè vixit, sed Monachus sancti Benedicti, qui fuit discipulus venerabilis Bedæ; scripsit librum in quo dicere videbatur, solam figuram Corporis Christi esse in Eucharistia: unde hic liber damnatus est in Concilio Vercellensi : ut testatur Lant-francus Episcopus Cantuariensis; propter hoc plurimi Joannem Scotum Sacramentariorum Patrem putant.

Hæresiarchæ decimi & vndecimi sæculi.

BERENGARIUS Archidiaconus Andegavensis, primùm docuit in Eucharistia Corpus Christi non existere, nisi figurativè. At cùm postea hunc errorem revocasset, docuit substantiā panis esse cum Corpore Christi, addiditque parvulos non esse baptisandos. Zuingliani in primo errore, Lutherani in secundo, & Anabaptistæ in tertio eum secuti sunt. Resipuit tamen & cantatâ semel & iterum palinodiâ Catholicus obiit. Moriens autem, recordatus quot miseros erroribus suis infecisset, eiulans, ait hodie apparebit mihi Dominus Iesus Christus, propter pœnitentiam ut spero ad gloriam; vel propter alios, ut timeo, ad pœnam. Ut refert Vincentius Bellouac. lib. 26. cap. 30.

SIMONIACI hoc tempore recrudescentes, venditionem reddituum Ecclesiasticorum licitam asseverabant. Reordinantes è contra Sacerdotes simoniacos admittere nolebant, nisi priùs reordinarentur. INCESTUOSI licitum asserebant Matrimonium in gradu consanguinitatis celebratum contra Canones Ecclesiæ.

Hæresiarchæ duodecimi sæculi.

BONGOMILII ab authore Basilico Medico, quem cremare fecit Alexius Comnenus Imper. Trinitatem in Divinitate negabant, Deum forma humana præditum asserebant, mundumque à dæmonibus creatum, obsequium redditum imaginibus improbabant; Credebant nostrum baptismum esse baptismum Ioannis; & suum esse baptismum Christi; fictionem in materia religionis affirmabant licitam, Michaëlemque Archangelum incarnatum proclamabant.

TANDENIUS vel *Tanquelinus* Laicus Antuerpiensis sola fide homines justificabat, cœnam proclamabat non esse necessariam, sed copulationem carnalē indiferenter licere,

PETROBRUSIANI à quodam Petro de Bruys Antuerpiensi, tenebant baptismum non esse parvulis necessarium: Christum non esse realiter in Eucharistia, nec preces esse utiles mortuis.

PETRUS ABAILLARDUS natione Brito, insignis Philosophus, ob violatam Heloïssam Discipulam suam ac Neptem cujusdam Canonici Parisiensis spado factus, dum novitate terminorum gaudet, & altiora se scrutari tentat, in plures incidit errores: non tot tamen quot illi affingebantur, ad quos damnandos plura habita sunt Concilia. Probatum tamen magis est ab his resipuisse ac cum sancto Bernardo in pacem rediisse, sancitâ inter eos per mutuos amplexus amicitiâ, ac tractatum inter ipsos, ut postmodum si quæ Catholicas aures offendentia in scriptis ejus reperirentur, obducta spongia abraderentur: reliquum vitæ tempus in Cluniaco exegisse fertur. Errores hi ipsi affinguntur: scilicet 1. Quòd Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia. 2. Quòd Spiritus sanctus non sit de substantia Patris. 3 Quod Spiritus sanctus sit anima mundi 4. Quòd Christus non assumpsit carnem, ut nos à jugo Diaboli liberaret, 5. Quòd non peccaverunt qui Christum ignoranter crucifixerunt.

GILBERTUS PORRETANUS Episcopus Pictaviensis circa *annum 1147*. docuit *quòd* divina natura quæ Divinitas dicitur, Deus non sit, sed forma quâ Deus est, quemadmodum humanitas homo non est, sed forma quâ est homo.

Quòd cùm Pater, Filius, & Spiritus sanctus unum esse dicuntur, non-nisi una Divinitate esse intelliguntur, nec converti possit, ut unus Deus, vel una substantia, vel unum aliquid, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus esse dicatur. *Quòd* tres Personæ tribus unitatibus sint tria, & distincta proprietatibus tribus, quæ non sunt ipsæ personæ, sed sunt tres æternæ, & ab invicem à divina substantia in numero differentes. Convictus fuit erroris in Concilio Remensi anno sequenti, & ibidem suos errores ejuravit: unde Hæreticus non est censendus, cùm errores animo pertinaci & adversus Ecclesiam repugnante non docuerit.

Eodem in Concilio damnatus fuit quidam phanaticus Brito dictus *Eon*, agnomine à *stella*, homo illiteratus & idiota, sed ludificatione Dæmonum ita dementatus, ut cùm distinguere non posset inter *Eon* & *eum*, ad suam personam pertinere credebat, quòd interdum Ecclesia profert in suis orationibus & exorcismis, *per eum qui venturus est judicare sæculum per ignem*. Unde supra modum stupenda cæcitate credebat se esse Dominatorem & Judicem vivorum & mortuorum; eratque per diabolica præstigia tam potens ad decipiendas simplicium animas, ut tanquam ex muscis aranearum opere irretitis seductam sibi multitudinem aggregaret, quæ tota illum tanquam Dominum Dominorum individuè sequeretur. Interdum quidem mira velocitate, per diversas Provincias ferebatur: Interdum verò morabatur cum suis omnibus in locis desertis, & inviis, moxque instigante Diabolo erumpebat improvisus: Ecclesiarum maximè ac Monasteriorum infestator. Accedebant ad eum plerumque Noti ejus & Propinqui: erat enim non minimi generis, sive ut eum familiari ausu præriperent, sive ut quomodo se circa eum res haberet cautiùs explorarent. Videbatur autem esse circa eum ingens gloriæ apparatus fastusque regius, & qui cum eo erant sollicitudinis laborisque expertes; pretiosè indui, splendidè epulari, & in summa lætitia agere videbantur in tantum, ut plerique qui ad corripiendum eum venerant, conspectâ ejus, non verâ, sed phantasticâ gloriâ deciperentur, & effugerent. Quæ omnia operabatur, arte magica & ope Dæmonum, à quibus scilicet misera illa multitudo, non veris & solidis, sed aëriis potius cibis in locis desertis, alebatur.

Captus tandem ab Archiepiscopo Remensi, cùm staret in conspectu Concilii, interrogatus à summo Pontifice quisnam esset, respondit; *Ego sum ille qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem*. Habebat autem in manu sua baculum insusitatæ formæ, in superiori scilicet bifurcum. Interrogatus quid sibi vellet baculus ille; Res, inquit, grandis mysterii est. Quandiu enim, sicut nunc videtis, duobus Cœlum capitibus suspicit, duas orbis partes Deus possidet, tertiam mihi partem cedens: Porrò si eadem duo superiora capita Baculi summitam usque ad terram, & inferiorem ejus partem, quæ simplex est, erigam, ut Cœlum suspiciat, duabus mundi partibus mihi retentis, tertiam tantummodo partem Deo relinquam. Ad hæc risit universa Synodus, stupendo homine tam profundè datum in reprobum sensum: jussus autem decreto Concilii, ne pestis iterum serperet diligenter custodiri, tempore exiguo supervixit.

HENRICIANI, ab Henrico quodam Tolosano, eandem tenebant doctrinam ac Petrus de Bruys, addebantque eos Deum irridere, qui canebant in Ecclesia.

Apostolici redivivi se Apostolos nuncupabant, missosque immediatè à Deo. Matrimonium, usus Ciborum conditorum lacte, parvulorum Baptisma, purgatorium, preces pro defunctis & omnia Sacramenta condemnabant.

Valdenses circa annum Christi 1181. à *Valdone* Lugdunensi qui sua bona pauperibus erogaverat, *pauperes de Lugduno* dicti sunt; obedientiam summo Pontifici, cultum Imaginum, Orationes ad Sanctos, festa Ecclesiæ, baptismi oleum, Confirmationem, *Ave Maria*, Confessionem auricularem, remissionem peccatorum, Purgatorium, merita, ordines Religiosos, extremam unctionem, miracula, juramenta, cantus Ecclesiæ, Horas Canonicas, & pene omnia quæ in Ecclesia Romana vigent rejiciebant; Asserebant Prælatos & Principes authoritatem amittere propter peccatum, Ecclesiam errasse tempore Siluestri Papæ; Symbolum esse rejiciendum & omnem copulationem esse licitam. Eos damnavit Lucius Pontifex, tamen penitus extinguere non valuit.

Petrus Joannis docuit hoc tempore 1. Latus perforatum fuisse Christo viventi. 2. Animam rationalem non esse formam corporis. 3. Ecclesiam universalem esse Babylonem de Apocalypsi; Papam esse mysticum Anti-christum, ita referunt Guido Carmelita & Bernardus de Lutcemburgo in Cathalogo hæresum.

Almaricus multa insanè docebat. *Primò* enim sustinebat corpus Christi non aliter esse in pane altaris quàm in alio pane & in qualibet alia re, Transsubstantiationem denegans. *Secundò*, Deum sic locutum esse in Ovidio sicut in Augustino. *Tertiò* negabat etiam resurrectionem Corporum, Paradisum similiter & Infernum: sed qui in se Dei cognitionem haberet, illum habere quoque in se Paradisum; qui contra peccatum mortale haberet eundem infernum habere in se non aliter quàm dentem putridum in ore. *Quartò* altaria sanctis dicata, & Imagines thurificare, sanctorumque invocationes Idololatriam esse asserebat. *Quintò*, non solùm cum Armenis, Adam & Evam nunquam carnali copula jungendos si in statu illo in quo Deus illos condidit permansissent; verùm etiam sexuum differentiam nullam, sed hominum multiplicationem, atque Angelorum futuram affirmabat contra illud quod in Genesi scribitur, *Creavit Dominus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam fecit eos. Sextò* asserebat rursus Deum non videri in se, sed in Creaturis, sicut lumen in aëre. *Septimò*, item illud quod aliàs est peccatum mortale, factum in charitate non esse peccatum, impunitatem peccatorum promittens. Affirmabat denique ideas quæ sunt in mente divina creari posse, cùm contra teste Augustino in mente divina nihil nisi æternum & immutabile sit. *Nonò* somniabat quoque mentem Contemplativi vel Beati perdere suum esse in proprio genere, & redire in illud esse ideale, quod habuit in mente divina. *Decimò*, docebat omnes Creaturas in fine in Deum redire, & in ipsum converti ut sint unum individuum cum ipso. Denique in resurrectione duplicem sexum fore negabat.

Affirmat tamen Rigordus in vita Philippi Augusti, quod à Theologis Parisiensibus convictus ac confutatus, ab errore resipuerit, Romamque adierit ut à summo Pontifice veniam admissi reatus obtineret. At cum post ejus mortem, illius Discipuli, errores ejus evulgassent, & insuper assererent Almaricum reverà fuisse Spiritum sanctum, ac Regnum Dei Patris duràsse usque ad Christum; Christi verò solùm usque ad Almaricum, adeoque Legem Evangelicam & omnia Sacramenta jam desiisse, solumque vigere legem charitatis, cujus motivo quidquid fiebat peccatum esse non poterat: Unde aïebant stupra, adulteria, & alia quoque nefanda non esse peccaminosa dum intuitu charitatis committebantur; ut tanto malo, quod tunc per universam Aurelianensem provinciam grassabatur, occurreret Ecclesiastica & Regia authoritas, censuris actum est in miseros illos Errones: At cum ne moverentur quidem: tandem igne ferroque pugnatum est in eos, & in hujus sceleris execrationem, etiam animadversum est in ipsius originem Almaricum jamdiu vitâ functum, & ut credebatur in pace Ecclesiæ sepultum. Edicto enim publico exhumata fuerunt ejus ossa, & à Lictore igni tradita, cinisque per sterquilinia dispersus.

Recruduerat hisce nostris temporibus pridem sepultus & extinctus vesanæ charitatis error, authore quodam phanatico nomine *Morin*, qui cùm plurimos dementasset, tandem authoritate publica carceri mancipatus Parisiis damnatus est, & vivus exustus.

Albigenses tempore Innocentii III. & fortè antea exorti sunt, qui non solùm concionibus, sed etiam armis Ecclesiam diu vexaverunt. Errores eorum recenset S. Antoninus in summa Theologica part. 4. tit. 11. cap. 7. quod videlicet ponerent duo

duo principia coæterna, unum bonum, alterum malum, more Manichæorum : & alia id genus. Vide sanctum Antoninum in summa Historiali tertia parte, tit. 19. cap. 1.

Hæresiarchæ tertii-decimi sæculi.

GUILLELMUS DE SANCTO AMORE tempore Alexandri Papæ IV. odiô furens in Religiosos mendicantes, docuit illicitum esse omnia relinquere nisi quis cogatur. Quod idem *Desiderius Longobardus* docuit, & addidit non esse licitum instituere, vel ingredi ordinem Religiosum, qui non habeat possessiones, saltem in communi. Scripserunt contra hanc Hæresim sanctus Thomas in Opusculo contra impugnantes Religionem, & sanctus Bonaventura in Opusculis variis.

FRATRICELLI quodam auctore *Hermanno*; cum Dulcitio Navariensi hæresim suam inchoarunt, docentes authoritatem Romanæ Ecclesiæ cessasse propter malitiam Prælatorum : Se solos esse veram Ecclesiam & perfectos, ut erant Apostoli : Se nulli debere obedire : & quòd secta ipsorum sit immediatè à Christo : Quòd omnes Pontifices à tempore sancti Sylvestri fuerint prævaricatores, excepto Cœlestino quinto. Hæc & similia damnavit Bonifacius VIII. Vide Nauclerum generat. 44. & Joannem de Turrecremata lib. 4. summæ part. 2. cap. 37.

BEGARDI ET BEGUINÆ, auctore Bogonato (qui videri volebant Monachi & Beguinæ moniales, sed absque votis) docebant hominem posse in hac vita fieri impeccabilem : & non teneri amplius ad jejunia & orationem, & in gratia crescere non posse, & alia id genus. Vide Alvarum *de Planctu Ecclesiæ lib. 2. cap. 52.* Et Joannem de Turrecremata *lib. 4. part. 2. cap. 36.*

LOLARDUS GUALTERUS docuit Luciferum injustè à Deo damnatum, ut testatur Thritemius in Cronico anni 1325. ubi alios etiam errores refert.

MARCILIUS DE PADUA & Joannes de Janduno, multos errores docuerunt, quos damnavit Joannes XXII. in extravaganti, quæ incipit, *licet juxta doctrinam*· Summa errorum est, quòd sanctus Petrus non fuerit Caput Ecclesiæ, & quòd Christus solverit didrachma necessitate coactus, non ex condescensione.

FLAGELLANTES orti quidem sunt in Italia, sed in Germania maximè propagati. Docebant non posse salvari eos qui non se baptisarent in proprio sanguine flagellantes se nodosis funibus : Sacramenta & cætera opera bona contemnebant. Purgatorium in alia vita esse negabant. Denique pluribus erroribus laborabant. Vide Bernardum Lutxemburgensem in Catalogo hæresum, & Nicolaum Sanderum de visibili Monarchia Ecclesiæ.

Hæresiarchæ quinti-decimi sæculi.

IOANNES VVICLEFFUS (ait Sedulius noster) Anglus Sacerdos, artium Magister, anno circiter millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, Carolo IV. Imperatore impia dogmata vulgavit : Cujus venenum *Hieronymus à Praga*, illi in Anglia Oxoniæ cùm operam daret, avidissimè hauriens, postea disseminavit Pragæ unà cum *Ioanne Hus*, qui sensim in odium Cleri, populum pertrahens commendatâ doctrinâ Vvicleffi, scripta ejus turbulenta populi favorem captans, in vulgarem linguam transtulit. Vvicleffi articuli erronei numerantur quadraginta-quinque præcipui, quorum illos potissimum ascribam quos ævi nostri Novatores resumpserunt, ut sciant se malorum corvorum istorum mala ova esse.

1. Substantia Panis & Vini materialis manet in Sacramento altaris.
2. Accidentia Panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.
3. Christus non est ibi realiter in propria præsentia Corporali.
4. Non est fundatum in Evangelio, quòd Christus Missam ordinaverit.
5. Deus debet obedire Diabolo.

6. Si homo fuerit debitè contritus, omnis Confessio exterior est superflua.

7. Contra Scripturam est Ecclesiasticos habere possessiones.

8. Domini temporales possunt pro arbitrio ab Ecclesia aufferre bona temporal. possessoribus delinquentibus.

9. Peccant fundantes claustra, & ingredientes sunt viri diabolici.

10. Sancti instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

11. Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana.

12. Omnes de ordine mendicantium sunt Hæretici.

13. Omnia de necessitate absoluta proveniunt.

14. Confirmatio Iuvenum, Clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservantur Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.

15. Excommunicatio Papæ, vel cujuscumque Prælati non est timenda, quia est censura Anti-christi.

16. Papa cum omnibus Clericis possessionem habentibus sunt hæretici quod possessionem habent, & consentientes eis.

17. Imperator & Domini sæculares seducti sunt à Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

18. Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ.

19. Papa non est immediatus Vicarius Christi, & Petri successor.

20. Electio Papæ à Cardinalibus per Diabolum est introducta.

21. Fatuum est credere Indulgentiis Papæ & Episcoporum.

22. Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt à Diabolo.

Tales imò fœdiores articuli JOANNIS HUS quos recensos in ejusdem Concilii Constantiensis Sessione 12. prætermittere omnes non possum, sed principales exscribam.

1. Unica est sancta universalis Ecclesia, quæ est sola Prædestinatorum universitas.

2. Paulus nunquam fuit membrum Diaboli, licèt fecerit actus quosdam actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.

3. Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cùm nulla pars ejus finaliter excidet, eo quòd Prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat non excidit. Petrus non fuit, nec est Caput sanctæ Ecclesiæ Catholicæ. Sacerdotes quomodolibet viventes criminosè Sacerdotii polluunt potestatem.

4. Papalis dignitas à Cæsare inolevit.

5. Romanus Pontifex non est Caput Romanæ Ecclesiæ.

6. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus.

7. Papa non est manifestus & verus successor Principis Apostolorum, si vivit moribus contrariis Petro; & si quærit avaritiam, tunc est Vicarius Judæ.

8. Cardinales non sunt manifesti & veri successores Collegii aliorum Apostolorum, nisi vixerint more Apostolorum.

9. Doctores ponentes quòd aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, judicio sæculari est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices Scribas & Pharisæos, qui Christum nolentem eis obedire in omnibus dicentes, *Nobis non licet interficere quemquam*, ipsum sæculari judicio tradiderunt, eo quòd tales sunt homicidæ graviores quam Pilatus.

10. Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ præter expressam authoritatem Scripturæ.

11. Divisio, immediate humanorum operum, quot sint ex se vel virtuosa, vel viciosa.

12. Per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ad sui exaltationem Clerus populum laicum sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit & viam præparat Anti-christo.

13. Papa non debet dici *sanctissimus*.

14. Condemnatio quadraginta-quinque articulorum Joannis Vuicleffi, per Doctores facta, est irrationalis & iniqua.

15. Non est scintilla apparentiæ quòd oporteat esse unicum Caput in spiritualibus regens Ecclesiam.

15. Christus fine talibus capitibus monstruosis, per suos veraces Discipulos sparsos per orbem terrarum, melius suam Ecclesiam regularet.

16. Apostoli & fideles Sacerdotes Domini strenuè, in necessariis ad salutem, regularunt Ecclesiam ante quàm Papæ officium foret introductum: Sic facerent deficiente per summè possibile Papâ usque ad diem judicii.

17. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

SYNODUS Constantiensis Oecumenica, ad quam Imperator Sigismundus coïerat, Patriarchæ quatuor, Cardinales viginti novem, Archiepiscopi quadraginta-septem, Episcopi centum sexaginta; Abbates & Doctores quingenti sexaginta quatuor, de Vuiclef, Joanne Hus, Hieronimo à Praga in hæc verba censuit: *Hæc sancta Synodus declarat, definit & sententiat eundem Ioannem Vuiclef fuisse Notorium hæreticum, pertinacem, ac in hæresi decessisse, eum anathematizando. Decernitque, & ordinat corpus ejus & ossa (si ab aliis fidelium corporibus discerni possunt) exhumari & procul ab Ecclesiæ sepultura jactari secundum Canonicas & legitimas sanctiones.*

Et Sessione 15. contra Joannem Hus, *Christi nomine invocato, hæc sacro-sancta Synodus Constantiensis solum Deum præ oculis habens, per hanc definitivam sententiam, quam profert in his scriptis, pronunciat, decernit, & declarat, dictum Ioannem Hus fuisse & esse verum & manifestum Hæreticum, ipsumque errores & hæreses dudum damnatas, & plurima scandalosa, piarum aurium offensiva, temeraria & seditiosa dogmatisasse, & publicè prædicasse, in non modicam offensionem Divinæ majestatis ac universalis Ecclesiæ scandalum & fidei Catholicæ detrimentum. Idcirco propter præmissa & alia plura, præfatum Ioannem Hus hæreticum fuisse, & esse, hæc sancta Synodus pronuntiat; & tanquam hæreticum judicandum & condemnandum fore judicat & condemnat per præsentes.*

HUSSITÆ dividuntur in varias sectas, alii enim dicunrur *Orebitæ*, alii *Thaboritæ*, alii *Orphani*, alii *Adamitæ*, sive *Pichardi* authore quodam Gallo, qui dicebatur *Pichardus* quique Boëmos multos seduxit dicens se esse Filium Dei & vocari Adamum. Vide Eneam Sylvium de origine Boëmorum cap. 40. 41. 43. & 47.

HERMANNUS Riesvich natione Batavus, tempore Alexandri VI. docuit animam mori cum corpore, nullum esse infernum, Christum fuisse stultum, fidem nostram esse fabulosam; Evangelinm falsum: Ita refert Bernardus Lutzemburgensis *in Catalogo Hæreticorum.* Hic Hermannus videtur fuisse omnium Hæreticorum perditissimus & stultissimus, quippe qui cum diceret animam mori cum corpore, tamen maluit vivus exuri quàm suam hæresim revocare.

Hæresiarchæ decimi-quinti sæculi.

MARTINUS LUTHERUS natione Saxo, Patriâ Illebiensis, parentibus fortunæ exiguæ natus, anno 1483. professione Monachus Augustinianus, quem Erasmus Roterodamus ex ipsius scriptis deprehendit *virum esse sceleratissimum*; ex Catholico Monacho factus desertor hæreticus, graviter imitatus omnium hæreticorum patrem Simonem Magum dicentem, *se summam Dei virtutem esse*, hic enimà nimio pretio sui, se prædicabat *Evangelistam Domini*; appellatus ab ejus Asseclis *Elias adventum Domini præcursurus*. Ex incubo natum fama est, ut mirum non sit Diabolo gratum familiaremque fuisse. Nam in libro quem scripsit *de Missa angulari*, quem habuerit authorem doctrinæ suæ, non obscurè fert; inducit enim ibi Diabolum secum disputantem, ac fortiora contra Missam argumenta proferentem, quàm quæ refelli à se potuerunt: Cujus etiam vocem inibi describit, quod ea gravis & robusta sit, tamque terribiliter insonet, ut usu quandoque eveniat quod post collationem cum Dæmone nocturnam, homines postridie mortui reperiantur: nam & corpus, inquit, occidere potest: Deinde verò animam ita reddit anxiam, ut in uno momento quandoque necesse habeat è corpore migrare; quod sæpe sibi propemodum accidisse scribit, quin & tandem accidit ad extremum.

Impudenter fatetur se non unum frustum, sed multum salis cum Diabolo, imò plus uno salis modio simul comedisse: Proinde se multa cum eo communicasse, ipsoque magistro didicisse; præsertim Missam non esse sacrificium; neque sub una specie

communicandum: nec aliquid credendum quod non sit scriptum in libris divinis. *Item* scribit confessum coram Diabolo se peccasse, quod Missam celebrasset: quin etiam non se amasse Deum, imò odisse justum & peccatores punientem. Ac tandem in Disputatione Lipsiæ, ejus blasphema vox audita est; imò monstrum furiale: *Non propter Deum hæc res cœpta est, neque propter Deum finietur.* Quæ cùm ita se habeant; quis dubitare potest Lutherum de grege illorum esse, qui in novissimis temporibus fidem abnegantes, & attendentes spiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium? adeoque ipsum impia hæretica, authore & magistro Diabolo dogmata diabolica induxisse.

Licet autem Theologi Parisienses Lutherum arbitrarentur indignum contra quem scriberetur: Propterea quòd non solum Vuicleffistarum & Hussitarum, sed etiam vetustissimos propugnasset errores, quos olim Ecclesia fudit enervavitque, denuo jam in arenam revocaret, & idcirco hominem tam impium flammis potiùs quàm argumentis examinandum. Attamen cùm jam Germani ex calice errorum Lutheri ita abundè potati & inebriati essent, ut virus illud serpere inciperet ad exteras Nationes, unicuique necesse fuit Regioni se adversus malum istud præmunire; ideo Sacra Facultas Theologica Parisiensis scripta Lutheri examini suo subjecit; ac pluribus in iis detectis erroribus, Censuram condidit, quæ & Galliæ populos in fide antiqua conservavit, & multis etiam Exteris, apud quos in pretio est authoritas principis huius Facultatis, præsidio fuit, ne occuparentur eorum mentes ab errorum currentium profluvio. Hanc censuram ex Thoma Illirico exscriptam refert D. Baïl in apparatu ad Concilium Tridentinum.

ANDRÆAS CARLOSTADIVS, qui primus ex Discipulis Lutheri uxorem publicè duxit cùm esset Sacerdos, & cum eo Huldricus Zuinglius & Ioannes Oecolampadius, Sacramentariam hæresim inchoarunt *anno 1526.* docentes in Eucharistia non esse corpus Christi nisi in signo; & addiderunt Imagines Christi & Sanctorum esse confringendas, vide Joannem Cochleum in libro de actis Lutheri, *anno 1526.*

BALTHASAR PACIMONTANUS, & Bernardus Rothmannus sectam Anabaptismarum instituerunt *anno 1527,* quæ etiam proles Lutheranismi est, & in varias sectas divisa. Docent hi non esse parvulos baptisandos, & si baptisati fuerint, iterum esse baptisandos, quando adulti erunt: Alios plurimos errores docent, de quibus vide Joannem Cochleum de actis Lutheri *anno 1529.* & Cardinalem Hosium lib. 1. de Hæresibus nostri temporis.

PHILLIPPUS MELANCHTON Lutheri discipulus, Confessionem Augustanam composuit *anno 1530.* unde Confessionistæ, & molles Lutherani dicti sunt qui eam sequuntur. Multos habent errores, ut quòd partes pœnitentiæ sint duæ tantùm, *Contritio & Fides*; id est, terrores conscientiæ, & fides, quâ credimus per Christum nobis remissa esse peccata. Vide Cochleum in libro de actis Lutheri.

JOANNES Calvinus sæculô nostrô Hæreticorum, imò Hæresiarcharum omnium facilè Princeps, natus est anno Domini 1509. Patre Gerardo Cauvino, quem impium hominem fuisse, & in Deum maximè blasphemum, præcipui aliquot Ciues Noviodunenses sunt testati. Inquisitum est in Filii mores & vitam, atque inter cætera in publicas tabulas relatum; Joannem Calvinum Novioduni Curatum beneficium, & aliud Sacelli cujusdam Sacerdotium cum obtineret, sodomitici sceleris convictum in vitæ discrimen venisse; ut igni (quæ hujusmodi sceleris ordinaria & legitima pœna est) concremaretur: Cæterum Episcopi urbis commiseratione pœnam moderatam, ut cauterio candens ejus humero lilium inureretur. Quam ignominiam non ferens, Germaniam petiit Basileæ delitescens. Tum Argentorati exulans Profugorum factus est Concionator. Deinde in Italiam profectus, se nominavit subinde *Carolum Happe*; demum qui *Cauvinus* erat, *Calvinum* se vocavit.

Inde revertens, Genevam uenit ad annum circiter 1537. totamquè Galliam suis infecit, evertit, perdidit blasphemiis, propter novum suæ cænæ figmentum, quô Christum, licèt absentem, imaginatur sua tantùm vi & efficacia præsentem per Metonymiam. In quo neque cum suo Patre *Farello* aut *Oecolampadio*, neque suo cum Avo *Zuinglio* convenit; quorum utrumque reprehendit quòd cœnam Domini non rectè tractarent.

Docuit insuper plures alios errores; primò quidem *de Prædestinatione*, Adamum

Dei ordinatione & æterno decreto in peccatum necessariò esse prolapsum: Adæ posteros quosdam qui salventur esse Electos: Alios sempiternæ morti destinatos: & diversitatis hujusce primam præcipuam causam esse Dei voluntatem asseverat, Quod Deus potissimè creavit genus humanum ad perpetuam damnationem & interitum: Quod Deus Adam creavit, non modo ut interiret, sed etiam quòd illum ab æterno ad exicidium prædestinavit; Ideoque illum necessariò peccare oportuerit.

De libero arbitrio, negat hominem esse libero arbitrio donatum, cum doceat Deum peccata non solùm permittere; sed etiam efficaciter operari.

De peccatis, Deum esse peccati authorem docet: Peccata, quæ homines faciunt, non modo Deum permittere ut faciant; sed etiam fieri Deo volente & impellenta: omnia peccata quæ fiunt, esse omnino opera Dei, verbi gratia, furtum, adulterium,&c. non fieri ab homine solùm,sed quod Deus illa efficiat in homine: Diabolum Dei mandatô esse mendacem: solam cum Luthero incredulitatem peccatum esse mortale asserit: nullum discrimen esse inter peccatum mortale & veniale, nec ullum veniale appellari debere, sed omne peccatum esse mortale: Legem Dei & voluntatem Dei sæpe esse inter se contrarias.

De fide, justificatione, & salute, docet omnem hominem justum scire se esse in gratia & suæ justificationis esse certum, eo quòd fides per quam justificatur homo, cuilibet possit esse certa; usurpans malè illud Augustini; nihil est homini certius sua fide, ita ut, inquit Calvinus, quævis peccata, quævis licet flagitia & scelera committat, nullum tamen imputatur credenti.

De operibus & meritis, nullum opus humanum, quantùmlibet bonum, esse vitæ æternæ meritorium; neque ad vitam æternam consequendam necessarium: fatetur quidem operibus nostris inesse aliquod meritum cui respondent prœmia corporalia & spiritualia, sed non vita æterna, imò asserit quemlibet justum in omni bono peccare.

De votis & monasteriis, asserit nullum prorsus esse discrimen inter præceptum & consilium Evangelicum, neque aliquod esse in Evangelio consilium, sed omnia quæ nobis à Christo commendata sunt, esse præcepta: Itaque omnia vota damnat nihil prodesse asserens, eò quòd quandam necessitatem hominibus inferant, quia dicit Propheta *voluntariè sacrificabo tibi*. Docet præterea nihil posse Deo voveri, nisi quod ab eo præceptum est.

De Matrimonio. Quamvis autem bonum esse fateatur, ut à Deo adjutorium petamus ad continendum, dicit tamen hanc invocationem non esse remedium sufficiens pro servanda continentia, & ideo necessarium esse conjugium; & tempore gratiæ, stare adhuc præceptum universale quod omnes ad nuptias obligat, nempe *non est bonum hominem esse solum*. Docet insuper baptismum pueris non esse necessarium.

De Missæ sacrificio, negat Missam esse à Christo institutam esse & eam nec sacrificium, nec opus bonum esse blasphemat, &c. Vide Prareolum, Bolzecum, &c.

MICHAEL SERVETUS Hispanus cum esset annorum 25. summum se orbis Prophetam esse jactabat, scripsit autem libros septem de erroribus Trinitatis: in quibus docuit nullam esse in Deo realem generationem: non esse in Deo personalem distinctionem: non debere homines baptisari nisi anno 30. tandem anno 1555. ab ipso Calvino Genevæ igni traditus est. Vide Joannem Cochleum, de actis Lutheri ad annum 1532. & Surium in historia ejusdem anni.

DAVID GEORGIUS Delphis in Batavia natus, prædicavit se esse eximium Prophetarum & Filium Dei Christo Jesu majorem, & anno tertio post mortem resurrecturum & Regnum Israël restituturum. Sed jam anni circiter octoginta ab ejus obitu præterierunt, nec tamen surrexit, neque resurget, nisi die novissimo, cum aliis impostoribus, æternis ignibus cruciandus. Vide totam historiam apud Surium in historia anni 1555,

GASPARD SUVENCHFELDIUS unus ex Confessionistis, propria dogmata adinvenit. Humanam Christi naturam post ascensionem in divinam esse mutatam, & solo Spiritu contentos nos esse debere: vocale verbum tanquam occidentem litteram esse rejiciendum. Vide Fridericum Staphilum in libro de Concordia Lutheranorum.

ANDREAS OSIANDER, unus ex Confessionistis, sed propter novas Hæreses ipsis etiam Confessionistis Hæreticus, docuit Charitatem, & Justitiam, & Sapien-

tiam, quibus homo Justus & Sapiens est, esse ipsam Dei essentiam: & Christum justificare homines solum juxta naturam divinam. Vide Fredericum loco citato, & Surium in Historia anni 1551.

JOANNES BRINTINUS, non minimus inter Confessionistas, docuit Christi humanitatem ab ipsa incarnatione semper fuisse ubique. Unde nati sunt *Vbiquistæ*. Adversus eum acriter diu pugnarunt Theodorus Beza, & alii. Vide Surium in Historia 1564.

MATHIAS ILLYRICUS auctor præcipuus historiæ Centuriatæ Magdeburgensis & Lutheranorum rigidorum Pater, præter alia stultissima dogmata, docuit peccatum originale esse substantiam.

LIBERTINI Auctore quodam Quintino, docent licitum esse simulare & dissimulare Fidem & Religionem, & cum omnibus communicare; unum esse tantùm Spiritum immortalem; Angelos & Animas hominum non esse immortales. Christum non verè obiisse in cruce, sed opinione tantùm. Alia multa docent, sed clam & inter se, ut ipsemet refert Calvinus in libro contra Libertinos, ubi dicit sibi notum esse, multa millia esse in hac secta.

VALENTINUS Gentilis, Patria Consentinus anno 1558. Arianismum revocans docere cœpit, tres Personas divinas esse tres Spiritus æternos essentiali numero differentes, sed Patrem esse majorem Filio, & Spiritu sancto: ob quam hæresim ab ipsis hæreticis Bernæ capite plexus est. Extat hæc Historia apud Benedictum Aretium, auctorem damnatum quem citat Belarminus, quia alios non habuit, qui id referant.

FRANCISCUS DAVID cum cæteris ministris Transsylvanis, docuit solum Patrem esse verum Deum, Filium, & Spiritum sanctum esse virtutes Dei, non distinctas à Patre, persona, vel relatione, vel essentia; Christum esse purum hominem, sed dici verbum Dei, quia verba Dei annuntiavit.

Socinus corrupit universam Theologiam, in-primis de sacro-sancta Trinitate & justificatione hominis coram Deo.

PURITANI, in Anglia ortum habuerunt tempore Elisabethæ Reginæ, quæ à Communione Catholica sese subduxerat; hoc nomine donati sunt, vel quia se Calvinistas reformatos jactitabant, vel quia sequebantur puram Scripturam, vel quia purissimos & sanctissimos se proclamabant. Illi, sicut Calvinistæ à fine Psalmorum sustulerunt versum *Gloria Patri, &c.* quem in illis apposuerat Ecclesia, contra Hæreticos qui Filium cum Patre adorare nolebant. Antipuritani adhuc in Anglia opinionibus Puritanorum omnino opponuntur.

PACIFICATORES, authore Joanne *Sturmio*, Religionem Calvinisticam à Catholica essentialiter non differre dicunt; unde Minister Anonymus quidam sub nomine Christiani Constantis, scripsit plura de conformitate utriusque Ecclesiæ.

ARMINIANI seu *Remonstrantes*, aut molles Calvinistæ, ortum duxerunt à *Iacobo Arminio* Ministro Amsterodami, qui factus fuit postea Professor Theologiæ Calvini, in Academia Leydena apud Batavos, cujus Cathedram antea tenuerat Franciscus Gommarus. Hic Arminius Calvinista semper reputari volebat, licet multas opiniones multum distantes à Calvino & Calvinistis rigidis sustineret contra Remonstrantes. Rigidi Calvinistæ auctorem habent Gommarum, qui disputationem aggressus est contra Iacobum Arminium. Hi sequebantur rigorem opinionum Calvini de libero arbitrio, de gratia, de reprobatione, & aliis.

Conradus Vorstius Minister Batavus perfectiones divinas contestabatur, ut pote, simplicitatem Dei, infinitatem ejus, immensitatem, & æternitatem; quod maximam divisionem Reformatis Bataviæ affert etiam his temporibus. Metaphoristæ omnia ad metaphoras reducentes Filium Dei dicebant non esse propriè, nec verbum Patris, nec Imaginem, sed per metaphoram.

MARCUS ANTONIUS DE DOMINIS, qui se fraude instrusit in Archiepiscopatum Spalatensem in Dalmatia, authoritatem Papæ deprimere semper conatus est.

In Batavia, Boëmia, Germania, & Anglia novæ Sectæ oriuntur continuò, quarum numeratio est impossibilis. Plures etiam hisce maximè temporibus subortæ sunt de divina Prædestinatione & Gratia erroneæ assertiones ab Ecclesia damnatæ: quas fusè referemus & expendemus Tomô secundô in Tractatu de Gratia.

QVIS FVERIT HÆRESIARCARVM INTERITVS.

Hic autem observandum est majores Hæreticos infœlicem semper habuisse exitum. *Simon* enim *Magus* cùm volare vellet, orationibus S. Petri dejectus, sibi tibias fregit; & paulo-post cum summa ignominia mortuus. Sic Egesip. lib. 3. cap. 2. de Excidio Jerosol. & Arnobius lib. 2. contra Gentes. *Manichæus* vivus excoriatus est à Rege Persarum, quia filium Regis curaturus occidit, ex Epiphanio Hæresi 66. *Montanus*, *Theodotus* & eorum Prophetissæ seipsos laqueis necaverunt: Ut refert Eusebius lib. 5. Historiarum cap. 16. *Donatistæ* ab iisdem canibus lacerati sunt, quibus Eucharistiam projiciebant. Optatus lib. 2. contra Parmenianum. *Arius* in Ecclesiam intrare volens, subito alvi motu ad latrinas publicas accessit, & simul cum excrementis intestina omnia effudit & animam; ex Athanasio Orat. 1. contra Arianos, & ex Rufino lib. 10. Hist. cap. 13. *Valens Arianus* vivus à Gothis crematus est; ex Rufino lib. 11. Hist. cap. 13. *Nestorius* linguâ impiâ à vermibus consumptâ, miserrimè interiit, ex Evagrio lib. 1. Hist. cap. 6. *Anastasius Imperator* Eutychianorum fautor, fulminis ictu interiit; ex Cedreno, & Zonara. *Lutherus* cùm vesperi opiparam sumpsisset cœnam lætus & sanus, omnesque facetiis suis ad risum provocasset, eadem nocte mortuus est: ex Cochleo in vita Lutheri. *Zuinglius* in bello contra Catholicos trucidatus est. *Oecolampadius* cùm vesperi sanus cubitum ivisset, manè inventus est ab uxore mortuus in lecto. Ex Cochleo, in actis Lutheri anno 1531. *Carlostadius* à Dæmone est interfectus: sic Ministri Basileenses in Epist. quam ediderunt de morte Carlostadii. *Ioannes Calvinus* denique, horrendis & sensibilibus morbis gravatus, vermibus consumptus expiravit, ut testatur Hieronymus Bolsecus in ejus vita, addens eum blasphemantem obiisse Dæmonibus invocatis.


FINIS.

Errata Typographica à Lectoribus emendanda.

PAg. 13. colum. 2, lin. 20. singulis *lege* singula.
Pag. 40. colum. 1, lin. 48. principis *leg.* principiis.
Pag. 48. colum. 1. lin. 13. significantes *leg* significantia.
Pag. 55. colum. 2, lin. 25. Arnobius *leg.* Ambrosius.
Pag. 59. colum. 2. lin. 20. infiniti *leg.* finiti.
Pag. 70. colum. 2. lin. 5. puri non existentia *leg.* puri existentia.
Pag. 73. colum. 1. lin. 49. rigdus *leg.* rigidus.
Pag. 78. colum. 1. lin. 17. Doctor *leg* rector.
Pag. 84. colum. 1. lin. 44. talis *leg.* alit.
Pag. 82. colum. 1. lin. 68. actualitatem *leg.* potentialitatem.
Pag. 99. colum. 1. lin. 51. rationali & intellectivo *leg.* irrationali & non intellectivo.
Pag. 106. colum. 2. lin. 48. producere *leg.* produci.
Pag. 116. colum. 2. lin. 1. debet *leg* debent.
Pag. 120. colum. 1. lin. 37. substantia *leg.* subsistentia.
Pag. 121. colum. 1. lin. 14. illud *leg.* aliud.
Pag. 122. colum. 2. lin. 14. minor *leg.* maior.
Pag. 148. colum. 2. lin. 37. finitæ *leg.* infinitæ.
Pag. 152, colum. 1. lin. 13. communes *leg.* communis.
Pag. 159. colum. 2. lin. 26. segmenta *leg.* figmenta.
Pag. 164. colum. 2. lin. 1. convenit *leg.* convenirent.
Pag. 169. colum. 2. lin. 44. immutabile *leg.* mutabile.
Pag. 177. colum. 2. lin. 21. lapidis *leg.* pedis.
Pag. 193. colum. 1. lin. 62. perfecta *leg.* perspecta.
Pag. 200. colum. 1. lin. 27. visibilem *leg.* invisibilem.
Pag. 213. colum. 1. lin. 4. expressa *leg.* impressa.
Pag. 233. colum. 2. lin. 52. tribus *leg.* duobus.
Pag. 253. colum. 1. lin. 51. decoloratius *leg* coloratius.
Pag. 219. colum. 1. lin. 1. dues *leg.* Deus.
Pap. 244. colum. 1. lin. 43. superab. *leg.* superabundanti.
Pag. 162. colum. 2. lin. 37 conspectu *leg.* conceptu.
Pag. 272. colum. 2. lin. 4. potentia *leg.* scientia.
Pag. 276. colum. 2. lin. 10. possibiles esse *leg.* possibiles non esse.
Pag. 286. colum. 2. lin. 8. futuritionem habet, *leg.* futuritionem non habet.
Pag. 299. colum. 1. lin. 50. Adamus peccasset *leg.* Adamus non peccasset.
Pag. 325. colum. 2. lin. 10. volitionem *leg.* nolitionem.
Pag 352. colum. 2. lin. 66 possibiles *leg.* futuras
Pag. 336. colum. 2. lin. 35 personales *leg.* rationales.
Pag. 347. colum. 2. lin. 59. terminantis & connotantis *leg.* terminati & connotati.
Pag. 347. colum. 2. lin. 61. connotati *leg.* connotantis.
Pag. 362. colum 1. lin. 6 virtutes *leg.* virtutis.
Pag. 371. colum 2 lin. 26. cognitione *leg.* conditione.
Pag. 372 colum. 1. lin 5. electio *leg* intentio.
Pag. 372. colum. 2. lin. 18. productiva *leg.* practica.
Pag. 378. colum. 2. lin 46. universi *leg* universæ.
Pag. 382. colum. 2. lin. 15. interiore *leg.* interno.
Pag. 393. colum. 1. lin. 32. terram *leg.* terra.
Pag. 399. colum. 1. lin. 4 proficimus *leg.* perficimus.
Pag 401. colum. 2. lin. 26. & 34. denominativam *leg.* dominativam.
Pag. 405. colum. 1. lin. 1. rulio *leg* rubo.
Pag. 409. colum. 2. 4. Pelagiani *leg.* Pelagii.
Pag. 411. colum. 1. lin. 36. convinctus *leg.* convictus.
Pag. 421. colum. 1 lin 60. insignatam *leg.* insignitam.
Pag. 425. colum. 2. lin. 1. adjecisse *leg.* adjecit.
Pag 428. colum. 1. lin. 1. execratur *leg.* execrantur.
Pag. 429. colum 2. lin 57. sua *leg.* suam.
pag. 430. colum. 2. lin. 26. cauens *leg.* catus.
Pag. 430 colum. 2. lin. 27. liberans *leg.* librans.
Pag. 432. colum. 2. lin. 29. excepta *leg.* excerpta.
Pag. 439. colum. 1. lin. 4. futuram *leg.* futuratum.
Pag. 447. colum. 2. lin. 22. aliqua *leg.* aliquo.
Pag. 447. colum. 2. lin. 25. gravia *leg.* gravis.
Pag 531. colum. 1. lin. 18. esset *leg.* esse.
Pag. 533. colum. 1 lin. 38. veritatem *leg.* veram.
Pag. 612. colum. 2. lin. 4. mutabilis *leg.* immutabilis.
Pag. 619. colum. 2. lin. 28. qui *leg.* cui.

Hi sunt, amantissime Lector, fœdiores nævi Typographici, quibus hic primus nostræ Theologiæ Tomus, maximè conspurcatur.

Eos è limine tibi proponendos duxi, quò faciliùs in huius operis decursu, quid in authographo nostro fuerat exaratum, quidque legendum sit percipere valeas. Alios, si qui sint minoris momenti pro tua benevolentia & peritia emendabis ipse; omniumque veniam facilè dabis, si miseram Litteratorum cum imperitis & plerumque dormitantibus Typographorum Asseclis luctam & sortem aliquando fueris expertus: nullibi namque Artes & Scientiæ periculosiùs decertant quàm cum viris istis quorum operâ fieri debent immortales.



DIVINÆ



DIVINÆ SAPIENTIÆ SEV SACRÆ THEOLOGIÆ

SCIENTIARVM OMNIVM REGINÆ DIGNITAS ET NATVRA, HOC IN PROEMIALI TRACTATV DELINEATA.

PRÆFATIO.



VGVSTVM Theologiæ nomen ex primaria sui à Fidelibus usurpatione, eam solùm doctrinam designavit, quæ Christi Domini Divinitatem explicaret & probaret: quocirca S. Ioannes Evangelista speciali dignitatis titulo Theologus fuit appellatus; quòd instar Aquilæ cæteris altiùs evolans, Christi Divinitatis radios irreverberatis aspexit luminibus ; Cæteri namque tres Evangelistæ, *inquit Augustinus*, tamquam cum homine Domino in terra ambulantes, de Divinitate ejus pauca dixerunt ; iste autem quasi piguerit in terra ambulare, erexit se non solùm super terram, & super omnem ambitum aëris & Cœli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque constitutionem invisibilium potestatum, & pervenit ad eum per quem facta sunt omnia. *Simili nomine donatus est aliquando* Gregorius Nazianzenus, *quod inter sacros Doctores eam de Christi Domini Divinitate doctrinam subtiliùs ac sublimiùs tractaverit* : Theodoretus *autem & quicumque alii Græci Patres, qui in explicandis incarnati Verbi mysteriis maximè versantur, profitentur se non in* Theologia, *sed in* Oeconomia *detineri ; propterea quòd adorandum Verbi incarnati mysterium, ad specialem illam Dei providentiam spectet, quæ nobis media ad æternam salutem consequendam necessaria subministrat.*

[Margin: Quæ primaria fuerit Theologiæ significatio. — I. — Tract. 36. in Ioann.]

Verùm succedaneo temporum decursu factum est, ut sacrum Theologiæ nomen, non solùm utrique doctrinæ de Christi Divinitate & Humanitate differenti concessum fuerit ; sed etiam illi quæ inter utramque veluti medium locum obtinens, ideo Scholastica *dicta est, quod Academicâ methodô & umbratili Disputationum exercitatione, omnia Fidei mysteria, quâ potest argumentorum vi adversus Infideles propugnet; vera secernens à falsis, certa à dubiis, & Catholica dogmata, à larvatis & fucatis Hæreticorum assertionibus eliminet & expurget.* II.

Primus autem ex sanctis Patribus, qui sacram Doctrinam ad Dialecticorum morem disputationibus & argumentis aptasse videtur, fuit S. Clemens Alexandrinus, *vir utique tam sacrâ quàm prophanâ litteraturâ præstantissimus, celeberrimi*

Quinam primitus eam ordinaverint.

Panteni *discipulus*, *ac famosissimi* Origenis *in Alexandrina schola Magister. Ipsum plures demum insequuti sunt viri doctrina simul ac pietate percelebres; inter quos* S. Damascenus *palmarium videtur obtinuisse, utpote qui circa annum 739. aut 800. sacros hujusce divinæ doctrinæ latices in amplissimis Græcorum Patrum scriptis, velut in spatioso alveo latiùs & uberiùs effluentes, certis quibusdam quæstionum & responsionum rivulis ita perstrinxerit, ut quæ cæteri grandiori volumine conscripserant, ipse quatuor de Fide orthodoxa libellis fuerit complexus.*

III.

Hunc nonnulla post elapsa sæcula, nempe circa annum millesimum centesimum quadragesimum, Petrus Lombardus *Parisiensium Episcopus imitatus est; collectis enim Latinorum Patrum, præsertim sancti Augustini sententiis, eas omnes ita sapienter, ac methodicè quatuor in libris ordinavit, ut ab hoc eximio opere,* Magister sententiarum *fuerit appellatus. Varios subinde habuit suorum scriptorum Commentatores, & Interpretes, qui divinæ sapientiæ aquis exundantes, veluti Paradisinus fluvius, divisi sunt in quatuor Capita, hoc est, in quatuor principes Theologorum Academias, putà* Seraphicam & Subtilem *Franciscanorum*, Angelicam *Prædicatorum*, Spiritualem *Nominalium*, & Solutiorem *ac liberam Cæterorum.*

Quatuor nunc in principes Academias propagatur & distribuitur.

Hos omnes meritò dixeris illos sexaginta Fortes, *qui mystici Salomonis lectulum, Christi nimirum Ecclesiam, ambiunt* ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos, *nempe Hæreticorum & aliorum Tenebrionum incursiones & insidias, quas Theologi Scholastici Ecclesiæ vigiles & excubitores præsentiunt, & eos in apertam aciem productos, rationum spiculo confodiunt & enecant;* Arma enim militiæ nostræ *(inquit Apostolus)* non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.

Cantic. 3.

2. Corinth. 10.

Quibus Ecclesia protegitur & illustratur.

Inde Hæretici quique Zizaniorum satores, & Catholicæ veritatis interpolatores astutissimi, atrocioribus quibusque sannis Doctores Theologos exagitant. Vviclefus namque impiè non minùs quàm imperitè, dixit Vniversitates, studia, Collegia, graduationes & magisteria esse vana gentilitate introducta, & tantùm Ecclesiæ prodesse sicut diabolus. *Quis nescit Lutherum hominem spurcissimum Theologiam Scholasticam passim appellare* inscitiam veritatis, inanem falaciam, & Academias in quibus illa docetur, Antichristi esse lupanaria? *Quem latet quantis conviciis Doctores Theologos, maximè Parisienses, Calvinus, impiissimus ille furcæ bustoque devotus nebulo, impetat; dum eos* Sophistas, Asinos Cornutos, Bestias bipedes, &c. *id genus appellavit?*

Ex Concilio Constantiensi sess. 8.

IV.

Libro de abroganda Missa privata.

Libro 3 & 4. Institut.

Cur ipsi tantopere Hæretici adversentur.

Sed quid mirum si lucem aversentur umbræ, lupi canes insectentur, antidotum venena respuant? Idcirco enim Scholasticæ Theologiæ, ejusque studiosis sunt infensi, quòd intelligant doctrinam ipsam, mysticam esse illam Davidicam Turrim, ex qua pendent mille clypei, omnis armatura fortium, *hoc est munitissimum quoddam armamentarium, unde tela promuntur, quibus & Catholica fides adversus eorum impetus huc usque firma ac tecta stat, & ipsorum pariter errores petuntur & concidunt. Erit enim semper, quidquid ipsi tenebriones reclament, erit, inquam, semper Theologia Scholastica Ecclesiæ lumen, fidei columen, veritatis trutina, errorum clava, nodorum gladius, fulmen hæresum, mysteriorum fax, & Catholicæ doctrinæ lapis lydius.*


V.

Breve sed egregium Theologiæ Methodicæ Encomium.

VI.

Hanc innumeris propemodum doctissimisque commentariis iam illustrem, accensis denuo, & geminatis Franciscanorum Doctorum, maximè subtilissimi Doctoris,

facibus, veluti novo suboriente splendore, iterùm illustrare auspicor, eò fidentiùs, quòd ipsam divinam Sapientiam inclamantem audiam: Qui elucidant me vitam æternam habebunt. *Ne autem insalutata hospite augustum Theologiæ sacrarium liberiori pede videar excurrere, ab ipsius tenui delineatione, ut moris est, ingentem laborem ordiendum duxi. Quocirca sit*



A

DISPUTATIO PROEMIALIS.

De Theologia in communi

I. NEMO sapientum ignorat *Theologiæ* nomen Græcum esse vocabulum *quo*, inquit S. Augustinus lib. 8. de civit. Dei cap. 1. *significari intelligimus de Divinitate rationem sive sermonem:* unde quisquis sacrum aut prophanum; serium, aut ludicrum sermonem de Deo instituit, Theologus potest appellari. Hinc refert idem Augustinus ibidem *lib. 6. cap. 5.* ex Marco Varrone, apud veteres idololatras triplex Theologiæ genus extitisse; unum quidem, *Mythicon*, seu fabulosum, quòd impiè non minùs quàm ridiculè Poëtæ excogitaverunt; *referunt enim* (inquit idem Augustinus) *ut Deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus: ut dii furati sint, ut adulteraverint, ut servierint homini: denique omnia diis attribuuntur, quæ non modò in hominem, sed in contemptissimum hominem cadere possunt.* Secundum est *Physicon*, & naturale, quod ipsi Philosophi tractaverunt, *inquirentes dii qui sint, ubi, quod genus, quale, ex quonam tempore, an à sempiterno fuerint, an ex igne, ut credit Heraclitus; an ex numeris ut Pythagoras; an ex atomis ut Epicurus, &c.* Tertium *Civile* quod *in urbibus cives, maximè Sacerdotes, nosse atque administrare debent, in quo est, quos Deos publicè colere, quæ sacra, & sacrificia facere quemque par sit.*

Quæ sit Theologiæ etymologia?

Triplex fuit apud veteres.

II. Prima Theologia (inquit Varro) *maximè accommodata est ad Theatrum, secunda ad Mundum, tertia ad Urbem.* Verùm hanc divisionem meritò ridet & impugnat S. Augustinus quippe inquit, *Cum mundus opus sit divinum; urbes verò & theatra opera sint hominum, nec alii dii rideantur in theatris, quàm qui adorantur in Templis: nec aliis ludos exhibeatis quàm quibus victimas immolatis. Quanto liberius subtiliusque ista divideres dicens alios esse Deos naturales, alios ab hominibus institutos? Sed de institutis aliud habere litteras Poëtarum, aliud Sacerdotum; utrasque tamen ita esse inter se amicas consortiò falsitatis, ut grata sint utraque Dæmonibus, quibus inimica est doctrina veritatis.*

At illam distributionem meritò ridet S. Augustinus.

III. Quamquam autem sacro hoc Theologiæ nomine in suis vanis ac prophanis mysteriis explicandis abusi fuerint Gentiles idololatræ; illud nihilominus usurpâtunt sacri Doctores ac divinorum Mysteriorum Interpretes, ad eam designandam doctrinam quæ tota est in Dei contemplatione, & solùm divinis ejus præcellentiis ac operationibus reserandis incumbit. Hujus autem divinæ Doctrinæ, ut evidens & exacta habeatur notitia, præsentem Disputationem tres in Articulos distribuemus, quorum *Primus* Theologiæ necessitatem & existentiam; *Secundus*, essentiam & dignitatem; *Tertius*, denique illius utilitatem, & efficacitatem aperiet.

Totius Disputationis distributio.

ARTICULUS PRIMUS.

De Necessitate & Existentia Theologicæ Doctrinæ.

NEC mirum certè nec insolitum videri debet, quòd præcipui impietatis hæreticæ Doctores & signiferi, ejus authoritatem apud omnes detrectare conentur, eamque maledictis omnibus ac conviciis è medio tollere & convellere; quippe nôrunt ipsam esse suorum errorum hæresisque clavam & gladium, quibus percussa concidit. At mirati satis non possum homines non modò Catholicos; sed quosdam B etiam eorum probos, & hæreticæ pravitatis hostes acerrimos, loqui tamen non solùm ac sentire cum hæreticis, sed & ipsorum armis, Theologiam Scholasticam infestare.

IV. Vereor autem ne habeantur numerò eorum de quibus S. Judas Apostolus scripsit, *Quæcumque quidem ignorant blasphemant, quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia nôrunt, in his corrumpuntur;* vereor, inquam, ne id genus homines memoriæ fœlicitate, potiùs quàm judicii firmitate, ingeniique acie freti, doctrinæ sacræ, quàm aliunde assequi non possunt, C obloquantur, & illa aspernentur in speciem, quibus careant inviti. Ut autem appareat quantùm exorbitent, & hallucinentur; utriusque Theologiæ, quam *Positivam*, & *Scholasticam* appellant, necessitatem & existentiam sequentibus in Quæstionibus opus est demonstrare: sed priùs est præmittenda

Quare nonnulli Catholici Theologiam Scolasticam criminentur?

QUÆSTIO PRIMA.

An admittenda sit aliqua Theologica, & supernaturalis Doctrina?

D

I. NOtandum primò, duplicem solitò distingui necessitatem; nimirum *absolutam* & *hypotheticam*; primò, namque aliquid dicitur absolutè necessarium, quod tale est, ut per se, ac vi suæ naturæ & essentiæ sibi competat summa existendi necessitas; ita quòd abstrahendo à cujuscumque alterius suppositione, non possit omnino non esse, qualiter solus Deus dicitur Ens absolutè necessarium. Secundò, ex hypothesi, quod nimirum supposito aliquò aliò non E potest non esse, quia in illo includitur, aut ex illo infallibiliter sequitur, vel habet cum eo necessariam connexionem; quô pactô, si homo est, necessarium est ut sit animal; si est causa sub ratione causæ, necesse est ut sit etiam effectus; si homo vitam naturalem diu servare velit, necessarium est illi alimentum; si vitam æternam consequi cupiat, opus est ut in gratia decedat ex hac mortali vita.

Duplex necessitas, Absoluta, & Hypothetica.

II. *Notandum* 2. Necessarium ex hypothesi in ordine ad finem aliquem obtinendum, dici posse tripliciter: Primò quidem necessitate præ-

Hypothetica triplex.

cepti tantùm : Secundò, solùm necessitate medii : Tertiò, utrâque simul necessitate, medii scilicet & præcepti. Sic audire sacrum diebus festis necessarium est necessitate præcepti in ordine ad salutem : Baptismus verò ad eundem finem parvulis necessarius est tantùm necessitate medii, non autem præcepti, cujus infantes, utpote rationis expertes, sunt incapaces. At verò adultis Baptismus necessarius est utraque necessitate ; medii quidem, quia sine illo in re vel in voto suscepto justificari nequeunt ; præcepti verò, quia divinô mandatô tenentur salutem suam procurare per media necessaria & à Deo ordinata, qualis est Baptismus. An autem aliquâ ex his necessitatibus necessaria nobis sit aliqua Theologica Doctrina, resoluendum erit in presenti Quæstione ; sed priùs

III. *Notandum* 3. Theologiam propriè sumptam, secundùm variam sui divisionem & acceptionem, etiam varias sortiri appellationes: Primò namque *ratione medii*, seu luminis quô illostratur, triplex distingui potest, & appellari, videlicet Theologia *Visionis*, *Revelationis*, *& Ratiocinationis*. Triplex enim lumen est quô Deus hominibus innotescit, nimirum lumen gloriæ, cujus ope beatæ mentes Deum facie ad faciem contemplantur, dicente Propheta Regio Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen* ; aliud est lumen fidei, *quæ*, inquit S, Petrus 2. t. *est lucerna lucens in caliginosô loco donec dies illucescat*, qoô lumine nos adhuc mortales videmus res divinas per speculum & in ænigmate; fides enim, ait S. Paulus, *est substantia rerum sperandarum*, *argumentum non apparentium*. Hebr. 11. Tertium denique est lumen rationis naturalis, *Signavit enim Deus super nos lumen vultus sui*, ut invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiceremus, & detegeremus.

Varia Theologiæ divisio.

Ratione luminis est triplex nempe *Revelationis*, *Ratiocinationis*, *& Visionis*.

IV. *Ratione Subjecti*, est etiam triplex ; nimirum Theologia *Dei*, *Beatorum*, & *Viatorum* : Prima dicitur Comprehensiva qoâ Deus seipsum & in se omnia infinita sua cognitione perfectissimè comprehendit : *Omnia enim nuda & aperta sunt oculis ejus*, Hebræor. 4. Secunda est Intuitiva, quâ beati Deum vident sicuti est : itaut nihil in eo sit, quod lateat videntem. Tertia est Discursiva, qoâ viatores, vel à magnitudine speciei & creaturæ Creatorem deprehendunt; vel ex sacro divinarum scripturarum promptuario, Catholica dogmata eruunt & demonstrant. Prima est in subjecto adæquato, secunda in subjecto claro, tertia in subjecto obscuro, *ex parte enim cognoscimus & ex parte prophetamus*. 1. Cor. 13.

Ratione subjecti, alia *Dei*, altera *Beatorũ*, alia *Viatorũ*.

Ratione Objecti circa quod occupatur, alia dicitur Theologia *Necessariorum*, quæ Deum ad intra, & secundùm se respicit, & quatenus est unus in essentia, trinus in personis, & infinitus in suis præcellentiis. Alia *Contingentium*, quæ Deum spectat ut operantem ad extra & per respectum ad creaturas, quas vel creat, conservat, & moderatur in ordine naturæ ; vel vocat & justificat in ordine gratiæ ; vel beatificat, & coronat in ordine gloriæ.

Ratione objecti, alia *Contingens*, alia *Necessaria*.

V. *Ratione*, *Methodi*, alia dicitur *Positiva*, alia *Scholastica* : prior fusiori stylô & modô oratoriô sacras litteras, & fidei articulos exponit; & ideo *positiva* dicitur, quia veluti ponit, & proponit veritates fidei, ex quibus tanquam ex principiis & præmissis, Scholastica more Philosophico & syllogistica arte suas conclusiones deducit, ut Catholica dogmata manifesta faciat, & à pravis Hæreticorum aut malè philosophantium assertionibus secernat, & tueatur. VI.

Ratione methodi alia *Scholastica* alia *Positiva*.

Conclusio Unica.

NEcessaria est hominibus Theologica doctrina quæ ex principiis fide divinâ cognitis, veritates quasdam aperiat, quas ope Philosophiæ non possent homines mortales sibi comparare. Hæc est omnium Theologorum contra Philosophos, & eam Doctor subtilis quæst. 1. *Prologi num*. 6. sic probat. VII.

Probatur conclusio triplici ratione.

Primò, necessum est ut homo determinatè cognoscat suum finem ultimum, ad quem suas omnes dirigere debet operationes : sed hanc cognitionem non potest assequi, absque aliqua doctrina revelationi innixa, quæ Theologia dicitur : ergo hæc ei est necessaria. Major patet ex summa Philosophorum consensione, qui ultrò fatentur omne agens ratione præditum in suis operationibus aliquem finem determinatum intendere, & in eum omnes suos dirigere motos & actus, ut in eo tanquam in objecto beatificante quiescat : sed incertum in scopum collimaret, nisi hunc finem determinatè cognosceret : Ergo distinctè debet eum nosse.

Prima probatio, quia homo debet suum finem ultimũ cognoscere determinatè.

Probatur minor : Si finis ultimus hominis ab aliquo philosophantium, solô rationis lumine detegi posset, eum haud dubiè Aristoteles Philosophorum Aquila, & Naturæ Genius deprehendisset : sed ipsum non detexit : quod utique duplici ratione evinco : *primò* quia nullibi docuit Deum clarè, & intuitivè videndum, esse nostrum ultimum finem ; imò 10. *Ethic. l*. 7. finem ultimum hominis constituit in cognitione substantiarum separatarum ; ubi enim *cap*. 5. *&* 6. varias retulisset & impugnasset veterum Philosophorum circa hominis finem ultimum & beatitudinem sententias, duplicem ipse statuit hominis fœlicitatem; alteram moralem, & civilem ; alteram speculativam & contemplativam. Moralem dixit primô *Ethic. cap*. 7. esse operationem secundùm optimam virtutem quæ est prudentia ; ita ut hominem tunc fœlicem existimaverit, cum sapienter, & ordinatè omnes suas actiones componeret; Speculativam verò explicat 10. *Ethic. cap*. 6. 7. *&* 8. atque eam consistere in operatione omnium perfectissima, qualem censuit esse Dei & substantiarum immaterialium cognitionem; non quidem intuitivam, quam ipse non novit; sed abstractivam & discursivam. Ergo, &c. VIII.

Hunc tamen nec Philosophi nec Aristoteles ipse noverunt.

IX. Patet *secundò*, quia nulla sunt principia naturalia ex quibus certò & evidenter colligi possit hominis beatitudinem æternam & finem ultimum, consistere objectivè in Deo, & formaliter in Dei clara visione, aut in amore visionem consequente, aut in utraque simul: ergo naturali lumine detegi nequit hominis fœlicitas & finis ultimus. Probatur antecedens: Si quæ essent talia principia ex quibus inferre liceret nos ad Deum clarè videndum naturaliter ordinari ; essent maximè aliqui actus, & effectus in nobis orientes, quibus veluti stimulis ad eam visionem naturaliter incitaremur : at constat nos tales actus aut effectus non experiri ; ac proinde nulli sunt : Ergo nec ulla principia quibus naturaliter nostrum finem ultimum determinatè cognoscere possimus ; proindeque necessaria est aliqua doctrina, quæ ex principiis revelatis id

Quia nulla sunt naturalia principia ex quibus æterna beatitudo cognosci queat.

inferat: hæc autem est Theologia, ideoque necessaria.

X. *Secunda probatio, quia tria ad agendum propter finem ultimum necessaria.*

Probatur secundò Conclusio, & præcedens ratio confirmatur ab eodem Doctore *ibidem num.* 8. Omne agens propter finem, necessariò tria debet cognoscere; *Primò*, qualiter sit acquirendus; *Secundò*, quæ media ad eius assecutionem conducant; *Tertiò*, an media illa huic assecutioni sufficiant; etenim si quis nesciat qualiter finis sit acquirendus, quò pactò sese ad illius consecutionem poterit accingere? Similiter, si, quæ sint media necessaria, ignoret, aliquod fortè necessarium non usurpabit, quò fiet, ut labore suo frustretur. Si denique certus non sit illa quæ usurpat media sufficere ad finem consequendum, haud dubiè aut ab opere manus omninò revocabit, aut non nisi vacillantes adjiciet; sed homo viator non potest hæc tria naturali lumine cognoscere.

XI. *Quæ naturali lumine homo nosse non potest.*

Non quidem *modum acquisitionis*; etenim quòd beatitudo acquirenda sit vel ut *hæreditas* filiorum, vel ut *merces* laborantium, vel ut *corona* vincentium, omninò contingens est, cùm eam aliter conferendam esse Deus potuerit ordinare. Non etiam *media*; nam quod hæc aut alia sacramenta, ut media necessaria destinata sint ad ejus consecutionem, omnino pendet à libera Dei ordinatione, quæ nullam cum rebus naturalibus necessariam connexionem habet; ac proinde naturali discursu non potest detegi. Ergo necessaria est aliqua doctrina, quæ ex revelatis principiis nostrum finem ultimum, & modum, ac media quibus possit obtineri determinatè, ac distinctè aperiat: hæc autem Theologia præstat, Ergo est nobis necessaria.

XII. *Propter quatuor defectus rationis naturalis.*

Probo denique 3. Ratio naturalis omninò insufficiens est ad principes altioresque veritates detegendas & manifestandas, putà Dei naturam, animæ immortalitatem, hominis beatitudinem, &c. siquidem alterô ex his quatuor defectibus; & plerumque quatuor simul laborat: illa enim naturalis ratio aut infirmior est ad eas veritates inquirendas: aut obscurior ad quæsitas inveniendas: aut incertior ad inventas amplectendas; aut timidior & imbecillior, ad creditas affirmandas & propalandas: Ergo necessariò opus est doctrina supernaturali, quæ his defectibus vacua veritatem certò inquirat, detegat, affirmet, & manifestet. *Probatur antecedens quoad singulas partes*; idque authoritate simul ac ratione, ut Concionatoribus ac Theologiæ studiosis faciam satis.

XIII. *Quia infirmior est ad divinas veritates inquirendas.*

Primò, itaque ratio naturalis infirmior est ad eas principes veritates inquirendas; cùm enim omnem suam cognitionem emendicet à sensibus, juxta illud Aristotelis 3. *de anima* cap. 9. *qui nihil sentit, nihil discere, & intelligere potest*; unde illud vulgare Averrois effatum, *nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu*; Cùmque sensuum ad res divinas & altiores veritates nulla sit proportio; inde fit ut humana mens in illis veritatibus inquirendis omnino deficiat; *Corpus enim quod corrumpitur*, inquit Sapiens 3. *aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem: & difficilè æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore, quæ autem in cœlis sunt quis investigabit?* unde S. Paulus, primæ ad Corinth. 2. *Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt.*

XIV. Hoc mirum in modum expendit S. Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 2. *Ecce* (inquit) *si potes, ô anima prægravata corpore quod corrumpitur & onusta terrenis cogitationibus multis, & variis: Ecce vide si potes, Deus veritas est... noli quærere quid sit* VERITAS; *statim enim se opponent caligines imaginum corporalium & nubila phantasmatum, & perturbabunt serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum dicerem* VERITAS: *Ecce in ipso primo ictu quo velut coruscatione perstringeris, cum dicitur* Veritas; *mane si potes, sed non potes. Relaberis in ista solita atque terrena. Quô tandem pondere quæso relaberis nisi sordium contractarum cupiditatis viscô & peregrinationis erroribus?* Unde meritò Isai 14. *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum.*

Quàm sit difficilis Veritatis notitia.

2. Obscurior ad inveniendas.

Secundò, Ratio *obscurior est ad veritatem inveniendam*, rebus enim corporeis alligata & assueta humana mens, vix sua phantasmata potest excutere, ut res ab omni corpore defæcatas & materiæ expertes percipere ac deprehendere queat. Inde factum est quod Philosophi Deum nihil aliud quàm corporeum aliquid existimaverint; siquidem, inquit Iustinus martyr exhortatione prima ad Græcos, THALES MILESIUS, *primus naturalis Philosophiæ author, rerum omnium principium aquam esse censuit*: ANAXIMANDER, *infinitatem*; ANAXIMENES, *aërem*; HERACLITUS, & HIPPASUS, *ignem*: ANAXAGORAS, *particulas inter se similes, sive similaritates*: ARCHELAÜS, *aërem infinitum, & quæ circa eum sunt densitatem & raritatem*; PYTHAGORAS, *numeros*; EPICURUS, *corpuscula, quæ nec corrumpi, nec contundi, frangique possint*: EMPEDOCLES, *quatuor elementa, & duas primarias virtutes, amicitiam, & dissidium; quarum altera unioni, altera dissensioni inserviat.* Unde concludit S. Justinus doctrinam Philosophorum de diis, Poëtarum Theologia multò ridiculosiorem esse.

Quàm gravis error veterum Philosophorum de divinitate.

XVI. Nec solùm de Deo hæc crassa & anceps fuit veterum Philosophorum sententia: sed etiam summa fuit eorum circa animam rationalem ignorantia & rixa. Quod egregiè explicat S. Justinus laudatus, nam cum dixisset Platonem tres in ea partes admisisse, nimirum rationem, iracundiam, & cupidinem; eam tamen esse immortalem; Aristotelem è contra dixisse in ea plures particulas deprehendi, easque corruptioni esse obnoxias, ac proinde eam esse mortalem, subdit alios Philosophos *ignorantiâ quodammodo plurifariam divisâ, de anima etiam decertandum, & dissidiis invicem digladiandum esse duxisse. Nam quidam eorum animam ignem esse asseverant; quidam alii aërem; alii mentem, alii motionem; alii exhalationem; nonnulli verò vim ab astris defluentem; quidam numerum movendi potestatem obtinentem; alii aquam genitalem.*

Et de Anima Rationali.

Eadem in assignanda hominis beatitudine laboravit Philosophorum ignorantia & disceptatio; siquidem octo supra ducentas & octoginta de hominis felicitate numeravit Marcus Varro. Cujus ignorantiæ & dissidii causam assignat S. Justinus, *quod scilicet non à peritis discere voluerint, sed seipsos humanæ mentis scientiâ solertiâ, cœlestia clarè pervidere posse confisi fuerint, cum ne terrena quidem perspicere quiverint.* Inferendum ergo cum Tertulliano, lib. de Præscript. cap. 7. quod *Sapientia sæcularis est temeraria interpres divinæ*

naturæ & dispositionis. Unde meritò S. Hilarius lib. 5. *A Deo discendum est quid de Deo intelligendum sit; quia nonnisi se Authore cognoscitur.* Idem lib. 4. *Non subeunt ingenia nostra in cœlestem scientiam; neque incomprehensibilem virtutem sensu aliquo infirmitas nostra concipiet. Ipsi Deo de se credendum est, & iis, quæ cognitioni nostræ tribuit obsequendum.* Nam, ut ait S. Cyrillus lib. 1. contra Julianum. *quæ captum humanæ mentis excedunt, ea fide honoranda sunt.* Hinc celebre est illud Platonis in Timæo, *veritatem omnem uno duntaxat addisci modo posse, si eam vel ab ipso Deo, vel ab iis qui à Deo sunt orti doceamur.* Ex quo Clemens Alexandr. lib. 6. Strom. *Merito nos Christianos, qui divinis oraculis testimonia colligimus, gloriari, per Dei Filium nos veritatem didicisse.*

3. Incertior ad amplectendas.

XVII. *Tertiò*, Ratio *incertior est ad veritatem inventam amplectendam*, quod satis superque patet ex ancipiti Philosophorum sententia; *nedum* enim, inquit ibidem Justinus, *confusa quædam & discors est apud eos opinio: quæ uno saltem nomine viris recto judicio præditis laudanda videtur, quod eis illud propositum sit studium, ut se invicem hallucinari minimeque vera afferre arguant & convincant*; sed etiam (ut supra monuerat) *si quis diligentiùs scripta eorum inspicere velit, sibimetipsis illi in opinionibus suis, non satis constant.* PLATO *ipse aliquando tria principia rerum omnium constituit, Deum, materiam, & ideam: aliquando quatuor: adjicit enim animam universalem. Idem ubi materiam ingenitam esse professus est, genitam eamdem postea dicit.*

Inde Cecilius apud Minutium Felicem in *Octavio*, non incongruè dicebat, *indignandum omnibus indolescendumque, audere quosdam certum aliquid de summa rerum, ac majestate decernere, de qua tot omnibus sæculis sectarum plurimarum usque adhuc ipsa Philosophia deliberat: Nec immerito cum tantùm absit ab exploratione divina humana mediocritas, ut neque quæ supra nos cœlo suspensa sublata sunt, neque quæ infra terram profunda demersa sunt, aut scire sit datum, aut scrutari permissum, aut stuprare religiosum.*

4. Timidior est ad prædicandas.

Quartò denique humana ratio naturalis imbecillior est & timidior ad cognitas & creditas divinas veritates propalandas & prædicandas, quod de Seneca demonstrat S. Au-

XVIII. gustinus, *lib. 8. de civit. cap. 10. Iste* (inquit) *quem Philosophi quasi liberum fecerunt; tamen quia illustris populi Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat.* Hæc omnia luculenter exprimit S. Paulus, 1. *cap. ad Romanos* affirmans veteres Philosophos & Sapientes quatuor in horrenda vitia fuisse prolapsos, Primùm quidem ingratitudinis. *quia cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*: Secundum ignorantiæ, *obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt*: Tertium Idololatriæ, *mutaverunt enim gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & serpentium*: Quartum abominandæ turpitudinis, *propterea tradidit illos in passiones ignominiæ*, &c.

Horrendus veterum Philosophorum lapsus.

Concludendum ergo cum S. Thoma secunda secundæ quæst. 2. art. 2. *Necessarium esse homini accipere per modum fidei, non solùm ea quæ sunt supra rationem, sed etiam quæ per rationem cognosci possunt, & hoc propter tria*: Primò, *ut citius homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat*: Secundò, *ut cognitio Dei sit communior*: Tertiò, *propter certitudinem; ratio enim humana in rebus divinis multum est deficiens.* Seu ut loquitur 1. p. quæst. 1. ar. 1. *Veritas de Deo per rationem investigata, paucis, & per longum tempus, & cum admixtione multorum errorum hominibus proveniret.*

Eximia S. Thomæ doctrina.

XIX.

Objicit primò Doctor pro Philosophis: Omnis potentia quæ versatur circa objectum aliquod commune, etiam versari potest circa quodlibet objectum speciale sub illo communi & generali comprehensum, oculus enim, v.g. quia versatur circa objectum coloratum ut sic, etiam versari potest circa album, & cætera particularia colorata, sed intellectus noster naturali virtute versatur circa ens ut ens, tanquam circa primum & adæquatum suum objectum; ergo etiam versari potest naturaliter circa quodlibet ens speciale; & sic non indiget ulla revelatione, ut quædam entia cognoscat.

XX. *Distinguit maiorem* Doctor *num.* 32. Potentia quæ versatur circa aliquod commune, etiam versari potest circa quodlibet objectum particulare sub illo contentum, idest, habere potest inclinationem naturalem ad illud objectum speciale cognoscendum; concedit: idest, habet in se virtutem naturalem quâ cognoscat quodlibet objectum speciale: sicut cognoscit objectum commune; negat. Licet enim intellectus cognoscendo ens ut ens, etiam habeat inclinationem à natura inditam cognoscendi quodlibet ens speciale; non tamen exinde sequitur eum posse quodlibet ens naturæ viribus detegere; plura namque sunt scibilia, quæ hoc in mortali statu absque diuina revelatione sciri nequeunt; vel quia nullum habent cum nostris sensibus commercium, ut substantiæ spirituales; vel quia nullus est naturalis effectus, in eorum cognitionem inducens, ut Trinitas personarum in unitate essentiæ: vel denique quia naturæ captum penitus excedunt, tum ut fiant, tum ut cognoscantur, cujusmodi sunt gratia, fides, spes, quæ idcirco supernaturalis ordinis esse dicuntur.

Duplex objectum naturale intellectus. Vnum inclinationis, alterum attingentiæ.

XXI.

Quare plura sciri nequeant naturaliter.

Objicit 2. Sensus est potentia cognoscitiva longè inferior intellectu, qui tamen nullo eget auxilio supernaturali ut circa quælibet objecta sua feratur; oculus enim, v. g. nativa sua activitate videre potest quodcumque visibile: ergo multò minùs tali auxilio intellectus indigere debet, ut in quodlibet intelligibile feratur. Consequentia probatur, Ideo sensus non eget supernaturali auxilio, quia ex Arist. 3. *de anima T.* 45. natura non deficit in necessariis, & potentiis omnia subsidia ministrat, quibus suas operationes exercere possint: Ergo multò minùs deficere debet intellectivæ potentiæ, quæ cùm sit sensibus longè præstantior, minùs pendere debet ab extrinseco ut operetur; sed ei deficeret si præter nativam suam intelligendi virtutem alio adhuc egeret auxilio, ut objectum aliquod perciperet: Ergo tali auxilio non eget.

XXII. *Negat consequentiam* Doctor & ad ejus pro-

Qualiter natura non deficit in necessariis.

bationem respondet, naturam idcirco non deficere in necessariis, non quod omnia media ad agendum necessaria ipsa ministret; sed quod potentias & facultates expeditas ad operationem cuique rei congruam tribuat: id autem tam intellectui, quàm sensibus confert; utraque enim facultas tam sensitiva, quàm intellectiva habet à natura inditam virtutem operandi sibi maximè convenientem. Quod si intellectus non possit hanc suam virtutem naturalem circa aliquod objectum exercere; id non provenit ex defectu naturæ ei necessaria non suppeditantis; sed ex summa dignitate tum objecti, quod cùm sit superioris ordinis, vim naturalem intellectus excedit, nec ab eo potest attingi nisi aliquo superioris ordinis auxilio elevetur & roboretur: tum intellectûs, qui idcirco nobilior censetur,

XXIII. Nobilitas intellectus ex dignitate sui objecti.

& illustrior, quòd non solùm naturalis, sed etiam supernaturalis ordinis perfectionem exigat ad suum ornatum, & complementum.

Unde meritò infert Doctor *num.* 33. Naturam ei idcirco non deficere; siquidem ei confert omnia quæ ad naturalem operationem in eo desiderantur; licet ei non conferat quæ ad supernaturalem cognitionem objecti supernaturalis exigit; natura enim tantùm quæ naturalia sunt debet exequi. Cum autem sensuum omnis perfectio purè sit naturalis, ipsis profecto natura deficeret, si eis omnia ad suum objectum percipienda non subministraret.

Instabis: Natura nedum virtutem, sed etiam media ad operandum necessaria sensibus subministrat: ergo etiam intellectui omnia ad quodlibet intelligendum necessaria media debet conferre, alioquin intellectus deterioris erit conditionis & sortis quàm sensus.

Nego consequentiam, non enim æqua est intellectus cùm sensibus comparatio; siquidem sensus ob suam minùs perfectam agendi virtutem, ad certa quædam objecta, certumque naturalem operandi modum limitantur, ultra quem ordinem nullatenus erumpere possunt; versantur enim solùm circa ens sensibile, quod cum sit tantùm ordinis naturalis, mirum non est si sensus ad omnia sua objecta pertingenda nihil quidquam ultra naturæ ordinem desiderent. Secus autem est de intellectu, qui cum pro adæquato objecto habeat quodlibet ens intelligibile, sintque aliqua intelligibilia naturæ captum, & ordinem excedentia; hinc fit, quod licet ad ea cognoscenda naturalem inclinationem habeat, non tamen naturæ viribus ad ea pertingere possit; unde necessum est ut ad illa cognoscenda, aliquo supernaturali medio illustretur, & firmetur.

Quare intellectus feratur circa objectum supernaturale; non verò sensus.

XXIV.

Nec exinde sequitur intellectum esse deterioris sortis quàm sensus, nam ut loquitur Doctor *num.* 33. Summa perfectio est intellectui, quòd possit divinitùs elevari ad majorem perfectionem recipiendam, quàm ipse possit activè producere; indicium enim est eum non perfici solùm iis quæ intra naturæ limites & cancellos arctantur; sed etiam præter-naturalem aliquam excellentiam ad suæ perfectionis complementum exigere. Secus autem est de sensibus, quorum summa & ultima perfectio cum ab agentibus naturalibus conferri possit, consequens est eos minoris esse perfectionis capaces quàm intellectus.

Plus intellectus potest recipere quàm producere.

XXV.

Objicit 3. Doctor: Idcirco requireretur doctrina aliqua supernaturalis, maximè quia intel- A lectus non est proportionatus cuilibet objecto cognoscendo, ac proinde per aliquid aliud ei deberet conformari & proportionari: sed hæc ratio nulla est, ergo neque id ad quod probandum assumitur. *Probatur minor*, Illud per quod intellectus æquari ac conformari deberet objecto, vel esset naturale, vel supernaturale: *Non primum*, quia elevare non posset intellectum ultra suum statum naturalem, & cum objecto supernaturali proportionatum efficere. *Non etiam secundum*, quia cum intellectus ex se non sit proportionatus alteri rei supernaturali, non posset illud supernaturale excipere, nisi iterum per aliud hujus receptionis capax efficeretur; de quo cùm eadem recurreret difficultas, B fieret processus in infinitum: ergo in intellectu nulla desideratur doctrina supernaturalis.

Respondet num. 34. concessa majore negando minorem. Verum enim est intellectum conformari objecto supernaturali, tum formaliter per cognitionem supernaturalem quam habet de ipso objecto, tum efficienter per Deum revelantem, & concurrentem effectivè ad producendam illam cognitionem, quam aliàs intellectus ex se & per phantasmata, (sine quibus naturaliter pro hoc statu nihil percipit,) non posset assequi. Unde illud per quod proportionatur objecto tam efficienter, quam formaliter, supernaturale est; non tamen ad id conformari, C & proportionari debet per aliquid aliud; siquidem cùm intellectus sit in potentia obedientiali, tum respectu cognitionis supernaturalis excipiendæ, tum respectu concursus effectivi supernaturalis Dei, utrumque immediatè recipere potest, nec indiget aliquô aliô, ut ad id disponatur & proportionetur.

XXVI.

Per quid & quomodo intellectus proportionetur objecto supernaturali.

Vrgebis. Cuilibet potentiæ naturali debet correspondere activum naturale, quod eam reducat ad actum; alioquin frustranea esset potentia, cum ad actum non esset reducenda: sed in anima nostra est intellectus possibilis, seu patiens, qui est potentia receptiva cujuscumque cognitionis, etiam supernaturalis: Ergo intellectus agens, qui in ea est, debet esse productivus cognitionis etiam supernaturalis.

D *Respondet Doctor num.* 25. primò negando majorem, falsum enim est quod omni passivo naturali activum naturale correspondeat; quia, inquit, multa sunt naturaliter receptiva perfectionis, cujus non habent principium activum intrinsecum; maximè verò quando potentia propter sui excellentiam ordinatur naturaliter ad recipiendam perfectionem ita eminentem, ut à nullo agente naturali produci queat; sicut de facto noster intellectus passibilis ordinatur ad cognitionem objecti supernaturalis, quæ à Deo solo revelante conferri potest. Nec exinde sequitur illam potentiam ut naturalis est, esse E frustraneam; licet enim per agens naturale non possit principaliter reduci ad actum; sufficit quod ab agente supernaturali compleatur & ad actum reducatur.

Non omni passivo naturali respondet activum naturale.

XXVII.

Respondet 2. distinguendo majorem *Num.* 26. Cuilibet potentiæ passivæ naturali correspondet activum naturale, quatenus illa potentia dicitur naturalis ex eo quod comparetur ad actum, vel formam naturalem, & naturalier excipiendam, *negat*: quæ dicitur naturalis quatenus respicit agens naturale, ut cum eo concurrat ad aliquem effectum producendum; v. g. materia ligni, quæ respicit ignem, ut cum eo concur-

Potentia dicitur naturalis bifariam.

XXVIII

rat ad alterum ignem producendum, *concedit*: intellectus autem passibilis, seu potentia receptiva cognitionis, quatenus sese extendit ad cognitionem objecti supernaturalis, non dicitur naturalis; quippe cùm respiciat formam supernaturalem ab agente supernaturali producendam: sed secundùm hanc considerationem appellari potest supernaturalis; ideoque ut sic considerata non mirom esse debet, si activum naturale sibi correspondens non habeat.

Instabis. Intellectus agens non potest immediatè cognitionem supernaturalem & circa objectum supernaturale producere, ergo nec patiens poterit eam à Deo revelante & supernaturaliter agente productam excipere. Consequentia patet, quia non minor esse debet intellectus agentis activitas ad producendum, quàm sit passibilis capacitas ad recipiendum id quod producitur.

Nego consequentiam, plura namque requi-
XXIX. runtur ad producendam cognitionem etiam naturalem, quàm ad eam productam excipiendam: siquidem ad eliciendam cognitionem, nedum desideratur intellectûs agentis activitas, sed & objectum movens per phantasmata, quæ à terrenis suis contagiis veluti debent esse defæcata, ut cum intellectu concurrere possint ad eliciendam cognitionem; hæc autem omnia non desiderantur in excipienda cognitione, sed sola requiritur intellectus patientis capacitas ad recipiendum quod ei proponitur.

Plura requiruntur ad formam producendam quàm ad eam recipiendam.

Hæc autem capacitas cùm se se extendat ad omnem cognitionem excipiendam, quoquô modô
XXX. illa producatur, ex se velut indifferens est ad cognitionem naturaliter aut supernaturaliter productam; utramque enim potest excipere sive ab intellectu naturaliter, sive supernaturaliter agente. Cum hoc tamen discrimine, quod ad cognitionis naturalis receptionem, egeat tantùm concursu ordinatio; ad receptionem verò cognitionis supernaturalis, uberiorem Dei concursum exigat. Restat itaque summè necessariam esse Theologicam Doctrinam quæ subliniores veritates apetiat.

Intellectus ex se est indifferens ad cognitionem naturalem aut supernaturalem.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Theologia Positiva sit Utilis & Necessaria?

EX præcedenti Quæstione satis superque con-
I. stat necessarió admittendam esse aliquam Theologicam Doctrinam, quæ principes & maximè necessarias veritates aperiat, quas ope Philosophiæ & rationis naturalis adminiculô nullatenus detegere liceret. Cùm autem, ut præmonuimus, Theologia ratione methodi distribuatur in *Positivam & Scholasticam*; cúmque hujus temporis hæretici utramque infensissimè criminentur; operæ pretium est resolvere, an utraque fidelibus & Ecclesiæ sit necessaria, an verò alterutra ableganda sit & respuenda; quod ut evidentiùs innotescat;

Notandum primò, Theologiam Positivam ita appellari, alterutro ex his tribus motivis. *Primo*, quia proponit & exponit veritates & articulos fidei, veluti certa ac indubitata quædam fundamenta, ex quibus Scholastica suas conclusiones elicit, & format argumentationes, qui-
II. bus fidei mysteria illustret & catholica dogmata adversus hæreticos & infideles tueatur. *Se-*

Theologia dicitur Positiva triplici de causa.

A *cundo*, quia maximè versatur in explicanda & aperienda lege ac institutione divina, quæ jus divinum positivum dicitur. Sicut enim jus positivum humanum appellatur, quod liberè positum est à Superiore, potuitque simpliciter ab eo non præscribi si voluisset, & adhuc posset ab eo liberè ex authoritate revocari, si ita videretur; in quo jus positivum à jure naturæ discrepat, quòd hoc non aliqua arbitraria institutione & præcepto libero Superioris, sed ex se & natura sua tale est, nec ullius est mutationis
capax: sic Theologia positiva dicitur, quæ tota III.
est in explicando jure divino positivo, nempe divina lege, sacris scripturis aperiendis, nec-non
B divinis traditionibus & Ecclesiæ decretis investigandis, quæ jus positivum, divinum, aut Ecclesiasticum appellantur; quia tam à Deo, quam ab Ecclesia liberè positum est, & determinatum. Tertiò denique *Positiva* dicitur à *Positionibus* & thesibus, quia graviores fidei controversias & positiones, seu principes veritates tractat, ut ex earum declaratione fides illustretur, & inconcussa perseveret.

Discrimen inter jus Positivum & Naturale.

Notandum 2. Theologiam Positivam & Scho- IV.
lasticam non differre invicem essentialiter; sed tantùm accidentarió, & secundùm diversum modum procednedi: siquidem utraque habet
C idem objectum, Deum nempe sub ratione deïtatis cognoscendum per discursum, aut oratorium à Positiva, aut Philosophicum à Scholastica: Utraque eadem principia agnoscit, easdem fidei assertiones, tam scriptas, quàm traditas: Utraque non hæret solis Scripturis sacris proferendis; sed etiam colligit & adjicit indubitatas Ecclesiæ traditiones; evolvit historiam Ecclesiasticam; decreta Conciliorum scrutatur; libros & commentaria sanctorum Patrum inquirit, ut latentem in eis Catholicam veritatem detegat & aperiat: Invicem tamen differre videntur, quòd Scholastica sit exactior & accuratior, magisque in his omnibus tractandis & applicandis Philosophicam methodum servet,
D & syllogisticum ordinem, ut veritates detegat evidentiùs & efficaciùs suadeat: ordo enim est obstetrix, sicut è diametro confusio noverca omnium disciplinarum. Adde quòd Scholastica plerumque Philosophiæ naturalis auxilium & lumen advocet, nedum ut vibrata ab hæreticis & infidelibus in fidei articulos argumenta naturali ac Philosophica ratiocinatione dissolvat, sed etiam ut fidei dogmata per rationes naturales & momenta Philosophica suadeat esse credenda.

Theologia Positiva & Scholastica differunt tantùm accidentarió.

Notandum 3. Hanc esse Ecclesiæ triumphantis
cum militante concordiam, quòd quemadmo- V.
dum in Ecclesia cælesti Deus inferiores Angelos à superioribus voluit edoceri & illuminari:
E ita pariter in Ecclesia terrestri *Quosdam*, inquit S. Apostolus ad Ephesios 4, *dedit quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores*: Idque duplicem in finem, primum quidem, inquit, *ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, &c.* Secundum autem, *ut jam*, ait, *non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*. Quasi diceret, Deum idcirco Doctores in Ecclesia statuisse, tum ut divinas veritates, quas ipsi penitiùs inspiciunt,
rudiori

Doctores in Ecclesia Desiderantur duplicem ob finem.

rudiori fidelium cœtui manifestent: tum ut, suæ doctrinæ face & clavâ suborientes hæreses extinguant, & ab Ecclesia eliminent. Quibus patet quantùm fideles Doctoribus egeant: quod utique evidentiùs probabit

CONCLUSIO UNICA.

VI. *Theologia Positiva Ecclesiæ Dei semper fuit utilis & summè necessaria.* Hæc est omnium Catholicorum contra hæreticos, maximè Calvinistas, qui cum suo hæresiarcha contendunt Scripturas sacras ita evidenter & apertè patere, ut nullo prorsus Doctore opus sit ad eas concipiendas & explicandas.

Quare Theologia Positiva sit necessaria?

Probatur conclusio. *Primò* namque admittenda est aliqua doctrina quæ Scripturæ sacræ genuinum sensum aperiat, illius solvat ambages, & sub simplicibus verborum involucris latitantia mysteria detegat; quibus fidem astruat, hæresim destruat, & jacula quæ ex divinis Scripturis depromere, & in Catholicos vibrare solent hæretici, in eos retorqueat ac retundat: sed hæc omnia præstat Theologia Positiva: Ergo necessariò est admittenda. *Minor* apertè patet ex ipsius Theologiæ Positivæ definitione & munere; tota siquidem versatur in Scripturarum explanatione, ut fideles instruat, mysteria reseret, & hæreticorum falsa dogmata iisdem quibus malè nitebantur Scripturarum oraculis impugnet, & expugnet; idcirco Tertullianus librô de præscriptionibus cap. 14. eam *Scripturarum exercitationem* appellat, utpote quæ tota sit in divinis Scripturis exponendis & reserandis.

VII. *Probatur* itaque major ex ipsamet Scriptura sacra, nam inquit sanctus Paulus 2. ad Timotheum 2. *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Quibus quatuor Theologiæ Positivæ munia præcipua detegit & indicat, quæ ex Scriptura depromit, *Primò* fideles Catholicam veritatem docet: *Secundò* Hereticos arguit: *Tertiò* corripit improbos: *Quartò* infideles erudit & instruit.

Quatuor sunt illius munia.

VIII. Insuper ipsemet ad *Ephesios* 4. affirmat Deum ineffabili sua erga Ecclesiam providentia ei varios dedisse ministros, maximè verò *alios Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei.* Rationem subdit, *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento Doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris.* Unde ad Titum primò, ait, *Oportet Episcopum esse amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Ergo censet aliquam esse doctrinam sacram, quam Ecclesiæ Pastores & Doctores callere debent, ut fideles erudiant, ne falsis hæreticorum dogmatibus circumveniantur; hæretici enim, ait Tertullianus lib. de præscriptione cap. 14. *Scripturas obtendunt, & hâc suâ audaciâ, statim quosdam movent; in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt.* Necessum est ergo aliqui sint viri peritissimi, qui genuinum Scripturæ sensum aperiant, & solvant insidias quas fidelibus ex depravato Scripturæ sensu struunt hæretici.

IX. *Probatur secundò*, Scripturæ sacræ ita profundum, ac reconditum sensum habent, totque ac tantas difficultates involuunt, ut summâ opus sit eruditione, summôque studiô ad eas explanandas & interpretandas; ac proinde necessum est ut aliqui huic explanationi & interpretationi omnem suam dent operam: sed id fit per Theologiam Positivam ergo est admittenda. *Minor* patet: *Major* probatur: *primò* namque idem pœnè de omnibus Scripturis videtur ferendum esse judicium, quod ipse sanctus Petrus tulit de Epistolis sancti Pauli in quibus, inquit Epist. 2. cap. 3. *sunt difficilia quædam intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsius perditionem.*

Præcipuum est Scripturarum Explanatio.

X. Idipsum omnes pœnè sancti Patres fatentur: nam Origenes *lib.* 7. contra Celsum, ait, *Alii quoque cordati viri scrutando Scripturam intellectum ejus invenire potuerunt; licet revera sit multis locis obscura.* Ambrosius Epist. 44. *Mare est Scriptura divina habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum.* Augustinus 12. confess. cap. 14. *Mira profunditas est eloquiorum tuorum Domine! quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis! sed mira profunditas. Horror est intendere in eam; horror honoris, & tremor amoris.* Idem lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 4. loquens de Scripturarum lectione, ait. *Sed multis, & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis quid vel falsò suspicentur non inveniunt; ITA OBSCURE QUÆDAM DICTA, densissimam caliginem obducunt.*

Quas sancti Patres esse intellectu difficiles affirmant.

XI. Subjicit autem hujus obscuritatis rationem, *Quod totum* (inquit) *provisum divinitùs esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt.* Ipsi concinit sanctus Gregorius Homil. 6. in Ezech. *Magnæ*, inquit, *utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum ut fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat quod non potest capere otiosus. Habet quoque aliud majus, quia si Scripturæ sacræ intelligentia in cunctis esset aperta, vilesceret, quæ in quibusdam locis obscurioribus tantò majori dulcedine reficit inventa, quantò majori labore fatigat animum quæsita.*

Idque rationabili de causa.

XII. Videant ergo hæretici quantùm hallucinentur dum Scripturas sacras ita intellectu faciles jactitant, ut earum genuinus sensus cuique etiam rudiori ex lectione sola fiat apertus & manifestus. Facessatque Calvinus, qui sibi ipsi licet contrarius lib. 1. institutionum cap. 7. ait, *Non obscuriorem veritatis suæ sensum ultro Scriptura præ se fert, quàm coloris sui res albæ ac nigræ, saporis suaves & amaræ.*

Quidquid superbè hæretici reclament.

XIII. *Probatur tertiò*; Hæretici Scripturas sacras pravum in sensum detorquent ut suis erroneis dogmatibus patrocinentur: Ergo necessum est quod sint aliqui Catholici Doctores qui ejusdem Scripturæ sacræ genuinum sensum aperiant, quò faciliùs fidei veritatem tueantur. *Consequentia* patet. *Antecedens* probant sancti Patres, in primis Tertullianus librô de præscriptione hæreticorum cap. 39. *Nec periclitor dicere ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut hæreticis materias subministrarent; cùm legam, OPORTET HÆRESES ESSE, quæ sine Scripturis esse non possunt.* Origenes in lib. 3. de principiis cap. 11. *Horum*, inquit, *Omnium falsæ intelligentiæ causa, his, de quibus supra diximus, non alia extitit, nisi quod sancta Scriptura ab his non secundùm*

spiritalem sensum, sed secundùm litteræ sonum intelligitur. Hilarius in libro 2. de Trinit. *de intelligentia haresis, non de scriptura est; & sensus, non sermo fit crimen.*

Variæ & egregiæ SS. Patrum sententiæ, quibus constat Hæreses ex perversa sacræ Scripturæ intelligentia ortas.

Concinit S. Augustinus in *tractatu* 18. super Evangelium Joannis: *Neque enim*, inquit, *nata sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis illaqueantia, animas & in profundum præcipitantia, nisi dum* SCRIPTURÆ BONÆ INTELLIGUNTUR NON BENE; *& quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.* Vigilius Afer in lib. 2. contra Eutychem: *Origo cunctarum impietatum hæc est, dum cælestium dictorum virtus vitiô malæ intelligentiæ temerata, non secundùm qualitatem sui sensus perpenditur, sed in alias res pro arbitrio legentis, secus quàm rei ratio postulat derivatur.* Isidorus Hispalensis in lib. 8. Originum cap. 5. *Quicumque aliter Scripturam sacram intelligit, quàm sensus Spiritus sancti flagitat, à quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen Hæreticus potest appellari.* Epiphanius Diaconus in Synodi 1. actione 6. *Cum aliqui recta secundùm quod sibi videtur dogmata conantur pervertere, nemo miretur si Scriptura verbis utuntur. Nam & omnes Heresiarchæ de divinitùs inspirata Scriptura erroris sui colligunt occasiones, quæ per Spiritum sanctum rectè dicta sunt, malignis sensibus adulterantes.*

Ecclesia scholas semper habuit.

Tertiò denique veritas nostræ Conclusionis formatur ex universa Ecclesiæ praxi; siquidem legimus ab ipsius exordio institutas fuisse scholas in quibus Theologia positiva publicè docebatur. Ejusmodi scholæ meminit Eusebius *lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 10. ubi loquens de Alexandrina Schola, ait, *Per idem tempus fidelium Scholæ præerat vir doctrina causâ celeberrimus, nomine* PANTÆNUS, *quippe iam à priscis temporibus* SACRARUM LITTERARUM SCHOLA *in ea civitate fuerat instituta, quæ quidem nostra adhuc ætate perseverat, & ab hominibus tùm eloquentiâ, tùm divinarum litterarum studiô instructissimis obtineri dicitur:* ergo perperam hæretici Christianas Academias ut novum, & à Gentilitate emendicatum fideique perniciosum inventum lacessunt & insectantur.

XIV. *Objiciunt* Hæretici: Si quæ ratio utilitasque suadeat admittendam esse Theologiam Positivam, maximè ut Scripturam sacram interpretetur, & varias illius solvat obscuritates & ambages: sed ad id prorsus est inutilis: Ergo respuenda. *Major* patet ex dictis. *Minorem* probant variis ipsius Scripturæ sacræ textibus, ex quibus inferre nituntur eam ita esse apertam, ut ad percipiendum illius genuinum sensum, nullo interprete, nulloque Doctore opus sit. Sic Psalmô 18. *Præceptum Domini lucidum & illuminans oculos.* Proverb. 6. *Mandatum lucerna est, & lex lux.* 2. Petri 1. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco;* Ergo tantùm abest, ut sacra Scriptura aliqua obscuritate offundatur; imò ipsa lux est, quæ omnes quas suo sinu veritates complectitur, divino veluti fulgore irradiatas exhibet.

XV. Scriptura sacra interdum perspicua, interdum obscura.

Nego maiorem, & illius probationem distinguo. Scriptura sacra fulget lucis instar in omnibus suis libris, & contextibus, *nego*: in aliquibus, putà historialibus, *concedo*; fateor enim Scripturam sacram interdum ita patentem sensum præ se ferre, ut legenti cuilibet primô intuitu fiat manifestus. Sed etiam necessum est Hæretici fateantur eam ut plurimum tanta caligine suffusam, ut non nisi vel Deo revelante; vel doctissimis viris interpretantibus, genuinus illius sensus possit detegi: ut patet tùm ex supra memorata sanctorum Patrum sententia: tùm ex ipso Davide, qui licet apprimè novisset significationem & vim verborum linguæ Hebraïcæ, quibus tunc sacra Scriptura erat exarata; nihilominus Deum supplex precabatur, *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam; Revela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua... Illumina super servum tuum & doce me justificationes tuas*, Psal. 118. XVI.

Ut ipsimet Prophetæ testantur.

Unde meritò sanctus Hieronimus *Epist. ad Palinum* subinfert. *Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, quâ nos putes parvulos, & pœnè lactentes inscitia noctè circumdari? Hoc autem velamen non solùm in facie Moysis; sed & in Evangeliis, & Apostolis positum est.... Nisi aperta fuerint universa quæ scripta sunt ab eo qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, nullo alio reserante pandentur.*

Instant Hæretici, Scripturæ sacræ non sunt intellectu difficiles nisi superbis & malitiâ excæcatis hominibus juxta illud Pauli 2. Corint. 4. *Si opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum; in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Dei.* Igitur Christi fidelibus sacra Scriptura non est operta, sed aperta. XVII.

Nec Apostolus nec Chrysost. contrarium affirmant.

Confirmant ex S. Chrysostomo *Homilia 3. de Lazaro*, ubi cum ostendisset Philosophos obscurè locutos, & veritatem non detexisse, sed eam multis texisse verborum involucris, subdit: *Apostoli verò & Prophetæ omnia contra fecerunt manifesta, claraque prodiderunt, veluti communes orbis Doctores; ut per se quisque discere possit ea quæ discuntur ex sola lectione:* Ergo ad eas percipiendas fidelis non eget interprete, & Doctore. XVIII.

Respondeo ad primum, Apostolum iis verbis non agere de facili, vel difficili Scripturæ intelligentia; sed de fide Evangelica, quam prædicantibus Apostolis plures ex malitia & mentis excæcatione repellebant; eò quòd veritates Evangelicas sensuum voluptati & rationi naturali repugnare censerent. Sanctus Chrysostomus autem non loquitur de universa Scriptura, sed solùm de libris historialibus, quos intellectu faciles ex ipsa sola lectione denuntiat. Subdit enim; *Sume librum in manus, lege historiam omnem, & quæ nota sunt, memoriâ tene; & quæ obscura sunt parumque manifesta frequenter percurre: quod si non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur,* ACCEDE AD SAPIENTIOREM, VADE AD DOCTOREM: Ergo censet aliquos esse contextus obscuros de quibus Doctores sunt audiendi & consulendi.

Objiciunt Secundò Hæretici, quod etsi sacra Scriptura aliquibus tenebris offundatur, eas tamen non ab homine exteriùs, sed à Deo interiùs docente esse solvendas; fideles enim Deum solùm Doctorem habere debent, juxta illud Isaïæ Vaticinium 54. *Ponam universos filios tuos doctos à Domino.* Et Jeremiæ 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum, & in corde eorum scribam eam; non docebit ultra vir proximum suum, dicens, Cognosce Dominum; omnes enim scient me, à minimo eorum usque ad maximum.* Ergo nullo Doctore egemus, nec proinde Theologiâ Positivâ opus est.

XIX. *Nego consequentiam*, nec enim is est prædictorum contextuum sensus; Isaïas namque & Jeremias intelligendi sunt de Doctrina Evangelica, quæ lege Mosaïca in hoc præ cæteris eminebat, quòd non per Prophetas, sed per ipsummet Dei Filium tradita & expressa fuerit, juxta illud sancti Pauli Hebr. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; novissimè diebus istis nobis locutus est in Filio:* quô fit ut omnes Christiani dicantur *Theodidacti*, hoc est à Deo edocti; vel immediatè ot Apostoli & Discipuli; vel saltem mediatè ut cæteri fideles.

Qualiter Christiani à Deo doceantur.

XX. *Vel* dico, prædictos Prophetas conferre statum legis novæ cum veteri, ut sit sensus, omnia fidei mysteria & arcana multò clariora fore in Evangelica lege, quàm in Mosaïca, quæ plena erat umbris & figuris. *Vel* denique dico, præfatos textus fuisse prænuntiativos illius mirandi illapsus Spiritus sancti super Apostolos in die Pentecostes & super alios quoscunque fideles nascentis Ecclesiæ filios, quibos cum baptismo Spiritus sanctus conferebatur, & donum scientiæ, prophetiæ, ac genera linguarum divinitùs infundebantur, ita ut idiotæ quique & rudes in momento sapientissimi evaderent.

Vrgent Hæretici ex primæ Joannis 2. Cap. *Non necesse habetis*, inquit Joannes ad fideles scribens, *ut quis vos doceat; sed unctio docet vos de omnibus:* Ergo fideles nullo etiam indigent Doctore, nec consequenter ullâ Theologiâ.

XXI. *Nego consequentiam*: Siquidem sanctus Joannes non intendit fideles homine Doctore non egere; quorsum enim ipse Epistolas ad fidelium eruditionem scripsisset? Quorsum Deus in Ecclesia sua ordinasset Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, ut supra diximus? Vult itaque solùm comprimere vanam quorumdam fidelium curiositatem, qui ab Apostolis edocti, etiam Pseudo-Apostolos audiebant, qui superseminantes zizania, veritates Catholicas suis pravis dogmatibus infuscabant.

S. Joannes Doctores non improbat.

Vel dico, eum intelligendum esse de Theologia Affectiva, & Mystica quam non lectio docet, sed unctio: non littera, sed spiritus: non mortalis homo, sed Deus immortalis, qui plerumque infirma mundi eligit ut confundat fortia.

XXII. Contingit enim non rarô, quòd rudes quique idiotæ, qui vix litteras callent, Deo interiùs docente & divinitùs illuminante, abditissima quæque fidei mysteria percipiunt & reconditos Scripturarum sensus aperiunt & explanant apertiùs, quàm doctissimus quisque facere posset. De quibus loqui videtur S. Augustinus, lib. 83. Quæstionum q. 48. dicens. *Credibilium tria sunt genera: alia sunt quæ semper creduntur, & numquam intelliguntur, sicut est omnis historia, temporalia & humana gesta percurrens: alia mox ut creduntur intelliguntur, sicut sunt omnes rationes humanæ, vel de numeris, vel de quibuslibet disciplinis. Tertium; quæ primò creduntur & postea intelliguntur, qualia sunt ea quæ de divinis rebus non possunt intelligi, nisi ab his qui mundo sunt corde, quod fit præceptis servatis, quæ benè vivendo accipiuntur.*

Theologia Mystica frequentiùs idiotis quàm Doctoribus tribuitur.

Credibilium triplex genus.

XXIII.

Quæstio Tertia.

An & qualiter Theologia Scholastica Ecclesiæ Dei prosit?

I. NOTANDUM 1. Theologiam *Scholasticam* sic appellari triplex ob motivum. *Primò*, quia hæc maximè docetur & discitur in Scholis; Positiva autem propriô studiô & sacrarum Scripturarum privatâ & assiduâ lectione ac sanctorum Patrum exercitatione comparatur. *Secundò*, quia more Academico & Philosophico ex principiis divina fide immediatè, vel mediatè cognitis, suas conclusiones per legitimum discursum elicit, ut fidei mysteria explicet evidentiùs, contra impugnantes animosè tueatur, & solvendo omnes, quæ adversus ea possent objici contradictiones & implicantias, faciliùs credenda suadeat.

Theologia Scholastica ita dicitur triplici ratione.

Tertiò denique, ita dicitur per quamdam analogiam cum Philosophia, quemadmodum enim Philosophia versatur in investigandis rebus naturalibus; ita Theologia Scholastica maximè detinetur & occupatur circa jus divinum naturale, idest circa veritates omnino immutabiles; quales sunt non solùm Dei essentia, perfectiones, Trinitas personarum; sed etiam cultus ei secundùm se debitus: imò & eius divina præcepta, ac media omnia quæ ad Deum consequendum conducunt; non quidem ut sunt actu existentia; sic enim hæc omnino libera sunt, & potius à Theologia Positiva, quàm à Scholastica considerantur: sed ut sunt possibilia, & quatenus nullam contradictionem involvunt, nimirum ut Theologus aperiat nullam esse repugnantiam in Dei operibus; nec gratiam naturæ officere, imò ipsam perficere; & omnia fidei mysteria non esse contra, licet non sint iuxta rationem naturalem.

II. *Notandum* 2. Certò certius esse Theologiam Positivam aut Scholasticam singolis fidelibus sigillatim spectatis, non esse absolutè necessariam ad consecutionem salutis. Ratio est clara; rustici enim complures rerum Theologicarum rudes penitus & ignari, utpote in agris ferè semper, & inter pecora degentes, fidei tamen Articulos firmissimè credunt, sanctisque Ecclesiæ sacramentis muniti, fæliciter ex hac vita decedunt, & salutem æternam consequuntur. Imò nec universo fidelium cœtui seu toti Ecclesiæ Theologia Scholastica videtur absolutè necessaria; quippe ante Magistri sententiarum tempora, qui circa annum millesimum centesimum quadragesimum Theologiam in Academicam formam & Methodum reduxit, Ecclesia diu pietate ac doctrina floruit, mediisque sufficientibus & ad suos de rebus fidei instruendos, & ad Hæreticorum vim propulsandam erroremque eliminandum, instructa fuit.

Theologia Scholastica non est absolutè necessaria singulis fidelibus.

Nec toti Ecclesiæ.

III. *Notandum* 3. Theologiam Scholasticam singulis fidelibus, mediatè saltem, toti verò Ecclesiæ immediatè necessariam esse necessitate morali, seu maximi commodi & summæ utilitatis; singuli namque fideles opus habent Doctoribus, qui fidei Articulos ex se obscuros ac difficiles variis propositis rationibus credibiles faciant; dubiaque omnia, quæ vel ex proprio cujusque ingenio occurrere, vel arte Dæmonis suggeri, vel denique ex Hæreticorum perversi-

Est tamen utrisque summè utilis.

supra rationem naturalem; imò plerumque demonstrantur conformes naturæ principiis, certùm est intellectum magis ac magis inclinari ut eis firmiorem tenacioremque assensum præbeat, quô fit ut fides veluti nutriatur & adolescat.

X. *Quintò* denique, sicut nemo est qui sanctorum Patrum Theologiam summis laudibus non excipiat, & eam Ecclesiæ Dei maximè utilem esse & necessariam non existimet; ita nullus est, qui Theologiam Scolasticam inutilem & respuendam judicare debeat: idem enim cum Theologia sanctorum Patrum habet objectum, eodem principio nititur, & eumdem in finem collineat, nimirum fidei ac mysteriorum explanationem, hæresum extirpationem, fidelium instructionem, &c. Nihilque hæc ab illa discrepat, nisi quod meliori methodo & ordine, quæ sancti Patres variis locis, prout ferebat occasio, tractârunt; hæc in unum corpus redigit, & suis locis aptè singulis disponit.

5. Ex ejus concordia cum SS. Patrum Theologia.

XI. Unde sicut nemo rationis compos vituperandum existimet Aristotelem, quod Philosophiam, antè perturbatam, indigestam, dissipatamque ordinaverit, summa arte tradiderit, in partesque distribuerit, ad quas omnia ordinatè revocârit, & multis eam locis auxerit; ita tantùm abest ut convitiis digni sint Theologi Scholastici, imò potiùs summam laudem apud omnes merentur, quòd eandem Theologiæ operam navaverint, & illam eô quô nunc est locô, eâque methodo ordinaverint ac pluribus quæstionibus divinorum mysteriorum explicativis auxerint.

Theologia namque *Scoholastica* ita omnia fidei dogmata indagat, expendit, & excutit, ut nihil ferè intactum, indiscussumque relinquat; varias enim difficultates quæstionesque ab antiquis Patribus omissas, aut certè breuiter perstrictas, excogitavit subtiliùs, proposuit evidentiùs, uberiùs explicavit, atque ad fidei normam, vel ad accuratam rationis amussim exactas pensitavit. Unde non immeritò Theologi Scholastici, sui temporis dici possunt *Ecclesiæ Doctores* & *Patres*; vices nempe agunt veterum illorum nascentis Ecclesiæ Doctorum, qui suâ doctrinâ Dei dogmata illustrârunt, & ab hæreticorum impugnationibus acerrimè defensârunt.

Quantùm utilitatis Theologia Scholastica Ecclesiæ conferat.

XII.

Adde quod adversus hujusmodi Theologiam, quæ omnibus piis & doctis perplacet, soli obloquuntur idiotæ grammatici, & hæretici atque hæreticarum partium homines; quorum primi non magis audiendi sunt, quàm cæci judicantes de coloribus; posteriores verò tanti faciendi sunt, quanti phrenetici qui medico & medicinæ obluctantur, quibus meritò quadrant hæc verba Augustini lib. 3. de peccatorum meritis & remissione cap. 6. *Quia non tales homines erant de quorum essem authoritate sollicitus, facilè hoc in transactis atque abolitis habui.*

6. Ex eo quod a solis Hæreticis & Grammaticis culpetur.

XIII. Hæc omnia luculenter non minus quàm sapienter confirmat noster Sixtus V. Ille enim Ecclesiæ Dei summus Antistes, in litteris decretalibus quibus sanctum Bonaventuram eximiis Doctoribus & Patribus Ecclesiæ annumerat, ubi dixisset Theologiam Scholasticam divino munere à viris sapientissimis inventam, subdit, *Hujus quidem tam salutaris scientiæ cognitio, quæ ab uberrimis divinarum litterarum, Summorum Pontificum & Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiæ adjumentum afferre potuit, sive ad Patres securiùs & utiliùs perlegendos, sive ad varios errores & hæreses detegendas & refellendas, &c.*

Eximia Theologiæ Scholasticæ commendatio à Sixto Quinto.

XIV. *Objiciunt hæretici.* Theologia Scholastica longè abest à veterum Theologorum dicendi gravitate, & peritia: graviùs siquidem divina mysteria tractabant Doctores & primi Ecclesiæ Patres; nihil enim absque authoritate scripturæ, aut priorum Patrum sententia & definitione Conciliorum dijudicabant: Formulas autem istas syllogisticas imbecillium muscipulas, aut ignorabant, aut tanquam inutiles aversabantur & respuebant: Theologi verò hujus temporis omissis omnibus, quæ fideles maximè decent, omnia ad rationis lancem & trutinam examinant: Ergo hæc abjicienda est ut inutilis.

Nego antecedens, siquidem ut dictum est num. 10. Theologia Scholastica à doctrina sanctorum Patrum in hoc solùm discrepat, quòd quæ illi fusiùs & stylô oratoriô ad vulgi intelligentiam magis accommodatô totis libris & voluminibus disputarunt; hæc brevi, & Dialecticô dicendi modô, unâ interdum aut alterâ ratiocinatione concludit. Quare si quod est in quo à vetere recentior Theologia dissideat; ob id sanè, quod plus utilitatis & commodi suis studiosis attulit; & idcirco majori commendatione & celebritate digna videri debet. XV

In quibus Theologia Scholastica à veteri discrepat.

Vrgent hæretici: Omnis novitas cavenda est, & ab Ecclesia procul abjicienda: Ergo hæc scholastica doctrina, ut pote novum posteriorum sæculorum commentum, longè est ableganda.

Distinguo antecedens. Novitas dogmatum metuenda est nec audienda, donec ab Eclesia ventilata fuerit, & reprobata, concedo: novitas methodi doctrinæ tradendæ, maximè si clarior sit & facilior, est abjicienda, nego: imò Christus ipse Theologum laudans *Matth.* 13. cum similem facit *homini patri familias qui profert de thesauro suo nova, & vetera.* Non quod nova, & veteribus opposita dogmata docere debeat: sed quod vetera, novâ methodo doceat, & explicet, ut monet Vincentius Lirinensis cap. 27. *Intelligatur*, inquit, *à te exponente illustriùs, quod antè obscuriùs credebatur; per te posteritas intellectum gratuletur, quod vetustas non intellectum venerabatur: Eadem quæ didicisti ita doce, ut cum dicas novè, non dicas nova.* Hæc imprimis ad amussim exequitur Theologia Scholastica, non enim nova tradit dogmata, sed quæ à veteribus, vel fusiùs & uberiùs, vel leviùs dicta sunt, pertingit acutiùs, & profundiùs scrutatur & explicat.

Novitas dogmatum metuenda, non verò methodi.

XVI.

Egregia de novitate sententia.

Objiciunt 2. Theologia Scholastica tota est in vanis quibusdam quæstionibus Philosophicis discutiendis, quæ ad salutem, & fidei dogmatum illustrationem, nihil quidquam conferunt: Ergo ut inutilis est ableganda.

XVII. *Respondeo* 1. Antecedens esse omnino falsum, ipsâ namque experientiâ constat Theologos Scholasticos res fidei accuratè & exactè tractare ex ipsius fidei principiis nempe, Scriptura sacra, doctrina sanctorum Patrum, Conciliorum Sanctionibus, & aliis Catholicæ veritatis Sanctuariis, ex quibus per legitimum discursum conclusiones elicit; quod maximè confert ad mysteriorum elucidationem, hæresum confutationem, & fidelium instructionem; nam ut disertè ait Melchior Canus loco 8. cap. 4. *Rationem si à Theologia submoveas, & rem, & nomen amittes; quia scientia non nisi per syllogismum quæritur ..... quid enim interest ratione sublata*

Theologia Scholastica nil inutile proponit.

non modo inter rusticum & Theologum, sed inter Theologum & pecudem, aut Saxum aut truncum?

XVIII. Secundò, si respuenda foret Theologia Scholastica, eò quòd rerum divinarum tractandarum gratiâ & occasione Quæstiones aliquas Philosophicas discutiat quæ ad salutem per se non conferunt, simili ratione abjicienda foret sacra Scriptura, utpote quæ ad salutem plura non conducentia referat: putà dum agit de historiis Patriarcharum, Judicum, Regum, de animalibus in arcam Noë inductis, & ex ea deductis, de cane Tobiæ caudâ blandiente, & aliis innumeris, quorum cognitio per se nihil confert ad salutem.

Licet ea de quibus agit, non immediatè conferant ad salutem.

XIX. Dico itaque quod omnes contentiones & rixæ inutiles apud Theologos, non Theologiæ adscribendæ sint, sed Theologo volenti sapere plus quam oportet. Quid? Scripturâ sacrâ in dies Hæretici abutuntur in fidei perniciem, ergone idcirco ableganda? An comburenda, & extirpanda seges, quòd nonnunquam inter tritici spicas, avena & lolium adolescant? minimè quidem; sed herbæ inutiles evellendæ, seges intacta relinquenda. Præscindendæ sunt, fateor, omnes illæ quæstiones vanæ: sed servandæ sunt, & discutiendæ, quæ rebus Theologicis explicandis & illustrandis deserviunt.

Si quid in ea vitiosum, non Theologiæ, sed Theologo adscribendum est.

Objiciunt 3. Hæretici, perpetua inter Theologos ardere dissidia eorumque scripta rixis, & contentionibus penitùs esse referta; nec ullum inter eos esse altercandi modum: nihil proinde certum, nihil stabile reperiri apud illos posse.

Respondeo. Theologos invicem non dissidere in his quæ ad fidem spectant, sed summè esse inter se concordes; quod verò in aliis discrepent, nihil incommodi: imò res variæ plurimum inde illustrantur, & veritas magis in dies elucescit: Dum enim quisque suas partes tuetur, & conquisitis undequaque rationibus suam sententiam firmare, omnique eruditionis genere excolere nititur, infiniti scientiarum thesauri in Ecclesiæ decus & ornamentum paulatim congeruntur, disciplinæque omnes suis numeris redduntur absolutæ.

Respondeo 2. Immeritò Hæreticos Theologorum culpare dissensionem; innocens enim sit oportet qui alteri crimen objicit, ne quam in alio reprehendit, se reum culpæ constituat. Quis autem nescit quantis rixis quàmque infensis contentionibus invicem Hæretici pugnent? vix enim nata est Lutheranorum secta, quin statim

XX. in tres alias classes dissecta fuit, & in *Anabaptistas*, *Confessionistas*, & *Sacramentarios*, velut in tria capita divisa, atque in ipsa propè infantia, triceps effecta: mox autem ubi adolevit (ut est fœcunda monstrorum parens Hæresis) alia & alia ex se capita protrusit, exiguóque temporis spatiô in triginta quatuor sectas excrevit: nunc verò centum propemodum diversissimæ Religiones numerantur ab uno Luthero prognatæ.

Quanta sit inter hæreticos dissensio.

Nec in levioribus tantùm, sed etiam in præcipuis fidei Articulis invicem dissident, sibique Hæretici nomen & notam inurunt. Sic Lutherus lib. contra Sacramentarios, eos, & Zuinglianos, hæreticos appellat: & alibi ait, *Beatus vir qui non abiit in Concilio Sacramentariorum, nec stetit in via Zuinglianorum, nec sedit in cathedra Tigurinorum*: Neque his contentus eos etiam *perdiabolatos*, *superdiabolatos*, & *transdiabolatos* appellat. Illi autem ut vicem ei rependant *Lutheri os diabolis plenum esse* aiunt, &c.

Quodque inconstantiæ caput est, una eademque secta adeò fidei articulis dissidet, ut prioribus relictis, alia & alia in dies dogmata procudat credendaque omnibus proponat. Hinc *Georgius Saxoniæ Dux* à Catholicis, quid ibidem Lutherani crederent rogatus, *Quid nunc credant, scio*, inquit, *quid sequenti anno credituri sint, penitus ignoro*: ita nimirum de fide in fidem, de religione in religionem transferuntur. Quare appositissimè ad rem præsentem S. Hilarius lib. ad Constantium, & Constantem Imperatores: *Periculosum*, inquiebat, *nobis atque etiam mirabile est, tot nunc fides existere quot voluntates: tot nobis doctrinas, quot mores, dum audita fides scribitur ut volumus; aut itaut volumus intelligitur; sic plurima cœperunt esse fides ne ulla sit, imo verò annua, menstruaque de Deo fides decernuntur, &c.*

Objiciunt 4. Theologia Scholastica fidei meritum evacuat & extinguit; ergo tantùm abest ut aliquatenus fidei prosit, imò plurimùm obest. Probant antecedens ex sancto Gregorio hom. 26. in Evang. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*: sed per discursum Theologicum ratio naturalis fidei præbet experimentum; per eum enim intellectus movetur ut assensum præbeat objecto proposito: Ergo hæc fidei meritum evacuat. XXI.

Distinguo antecedens. Fidei meritum evacuat si propositioni revelatæ solùm credatur propter rationis evidentiam, concedo: Si credatur maximè propter authoritatem Dei revelantis, nego: Discursus autem Theologicus non demonstrat evidenter propositionem revelatam; implicat enim aliquid esse revelatum & esse per se evidens quatenus revelatum est; sed solùm demonstrat eam propositionem contineri, vel in Scriptura, vel in Conciliis, vel in universali Ecclesiæ traditione & praxi. Unde non inducit intellectum ut ei assentiatur propter evidentiam rationis: sed tantùm propter certam, & infallibilem authoritatem revelantis.

Theologia fidem non destruit, sed astruit.

XXII.

Instant. Theologia Scholastica maximè nititur Philosophicis & Dialecticis argutiis: sed hæ plurimum obsunt Fidei & Christianæ veritati: Ergo, &c. Probant Minorem ex Apostolis & sanctis Patribus qui Philosophiam fidei inimicam & adversariam esse fatentur; nam sanctus Paulus ad Colossenses 2. cap. monebat, *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam*: & Tertullianus lib. de anima cap. 3. Philosophos appellat *animalia gloriæ & Patriarchas Hæreticorum*, & cap. 18. argumentationes Philosophicas dicit esse *tormenta cruciande simplicitatis, & suspendendæ veritatis*, & ibidem appellat Platonem *condimentarium Hæreticorum*. Unde lib. de præscriptionibus ait. *Stulta mundi in confusionem Philosophia ipsius elegit; ea est enim materia sapientiæ sæcularis & temeraria interpres divinæ naturæ, & dispositionis: denique hæreses à Philosophia subornantur, quid ergo Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid Hæreticis & Christianis? Nobis curiositate opus non est post Christum, nec inquisitione post Evangelium: cum credimus nihil desideramus ultra credere.* XXIII.

Quâ mente iter sancti Patres in Philosophiam invehant.

Unde S. Gregorius Nazianzenus *oratione* 26. dolet *in Ecclesiam irrepsisse captiones Sophisticas ac pravum artificium Aristotelea artis, & hujus generis alia, velut Ægiptiacas quasdam plagas*. Similiter Gregorius Nyssenus *lib.* 2. *contra Eunomium*, illam sophisticam astutiam exprobrat: *In-* XXIV.

genuè de fine rubore fatemur, inquit, *nos neque orationem aliquam Rhetorico elaboratam artificio ad certamen comparasse; neque Dialecticæ subtilitatis argutiam ad auxilium contra adversarios prætendere, quæ & veritatem in mendacii suspicionem apud imperitos traducit.* Ambrosius quoque *libro* 1. *de Fide cap.* 3. de Arianis loquens ait, *Omnem vim venenorum suorum in Dialectica disputatione constituunt, quæ Philosophorum sententiâ definitur non adstruendi vim habere, sed studium destruendi: sed non in Dialectica complacuit Deo salvum facere populum suum; regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis.* Et in Psalm. 118. *Nibil nobis cum Philosophia, ne fidem nostram per elementa mundi hujus traducat à vero: ne quis assertionem nostram per Philosophiam deprædetur. Sic enim Arianos in perfidiam ruisse cognovimus, dum Christi generationem putant usu hujus sæculi colligendam. Reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem: reliquerunt sapientiam, quæ apud Deum est: elegerunt Disputationis tendiculas, & aucupia verborum secundùm Dialecticæ disciplinam*: Ergo Theologia Scholastica à sanctis Patribus proscribitur, adeoque à nobis est explodenda.

Non Philosophiæ defectu; sed philosophantiū malitia.

Distinguo majorem, Nititut Philosophicis argutiis ad Hæreticorum Sophismata detegenda & strophas elimninandas, *concedo*; ad simplicitatem fidei circunveniendam & veritates Catholicas offuscandas, *nego*. Ad minorem dico, Philosophiam fidei adversari non per se, sed perversè philosophantium malitiâ, qui ut loquitur sanctus Judas versu 1. *Quæcumque quidem ignorant blasphemant, quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia nôrunt, in his corrumpuntur.*

XXV.

Hanc autem & non aliam esse sanctorum Patrum sententiam, inde liquet; quòd ipsi Dialecticam pluribus encomiis illustrent, & eam ad Fidem tuendam necessariam esse fateantur: nam S. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum ait, *Dialectica manuducit ad veram æternamque sapientiam, & ad cognitionem supremæ veritatis.* S. Hieronymus in caput 25. Ezechielis, *Verè*, inquit, *quidquid perversorum dogmatum est & putatur esse robustum in terrena sapientia, hac Dialectica arte subvertitur, & ad instar incendii in cinerem favillasque dissolvitur.* S. Augustinus idem pluribi inculcat, sed maximè in libris contra Cresconium, qui Augustinum irrisoriè Dialecticum appellabat; *Sed etiam Apostoli, scilicet Paulus, Dialecticus erat*; reponit Augustinus lib. 2. *& ideo conferre cum Stoïcis non timebat, quia non solùm acutè, sicut illi: sed etiam veraciter, quod non illi.* Subdit; *Cave ne cuidam Dialecticam pro crimine objeceris, quâ usos Apostolos confiteris*; Imò ostendit etiam Christum Dominum Dialecticâ usum fuisse. *Si autem Christum dixeris Dialecticum, laudabis Dialecticam quam mihi pro crimine objeceras.* Ergo non inutilis nec importuna censeri debet earum Philosophicarum rerum Tractatio & Methodus, quæ rebus fidei meliùs explicandis, vel accuratiùs defendendis usui esse potest.

Rectum enim usum Philosophiæ non improbant, sed approbant.

XXVI.

Adde quod Hæretici ipsi in causa sunt, cur Scholastici Theologi Philosophicas quasdam quæstiones discutiant; solent enim argumentari ex Philosophia adversus Catholicos, v. g. non posse idem corpus esse simul in diversis locis, ut realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia impugnent. Ita olim Ariani Philosophicis argumentis, seu potius Sophismatibus utebantur adversus Trinitatis mysterium, ut Catholicos deciperent; habebantque (ait S. Epiphanius) trecenta argumenta ex ratione naturali, quibus Filii divinitatem impugnarent.

Vtpote necessariam pro Hæreticis refellendis.

XXVII.

Inde necessum fuit Catholicis, iisdem Dialecticæ armis quibus oppugnabantur, repugnare, & Hæreticis cogentibus, Philosophiam in fidei tutelam usurpare, ut ipsius ope veritates Evangelicas diligentiùs indagarent & explicarent evidentiùs. Ut enim ait S. Augustinus lib. 16. de civit. cap. 2. *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint; & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs & instantiùs prædicantur: & ab adversario mota quæstio discendi existit occasio.* Et ut ait Gregorius Magnus 14. moral. cap. 12. *Cum graviora prodière hostium certamina, tunc sunt profectò subtiliora sensuum spicula requisita; tunc argumentorum obstacula, tunc perplexior indago verborum.*

Meritò itaque ad refellendas fallaces Hæreticorum, & Philosophorum Gentilium argutias Theologi Dialecticam usurpaverunt, quam sanctus Basilius in secundum Caput Isaïæ non dubitavit dicere, *Muri instar esse sacris dogmatibus, quod ea non sinit facilè diripi & quorumlibet incursioni patere.* Et Clemens Alexand. lib. 6. Stromat. eandem esse dicit vineæ Christi *Sepimentum* ne à Sophistis Catholica veritas proculcetur.

Objiciunt 4. Theologiæ Scholasticæ criminatores, incultum illius stylum, & duriora ac barbara verba, quibus sensa sua exprimit, quæ certe viros sapientes dedecent & fidei augusta mysteria depriment & offuscant.

Verùm si hac ratione Theologia Scholastica ipsis non arrideat; oportet etiam ipsis displiceat sacrarum litterarum simplicitas, & incultus dicendi modus. Nesciunt fortè sub rudi pallio eruditum sæpe Philosophum latere, & montes magis asperos & incultos, locupletissimas interdum auri venas occultare? Nullis verborum lenociniis veritas indiget ut fulgeat: satius est eam exprimere sermone facili & vulgari, quàm affectatâ elegantiâ eam offuscare: ampliorem sermonis ambitum & ornatum ferre non potest succincta illa brevitas, quâ utuntur Theologi, ne rerum copia & multitudine jam gravati, etiam verborum inutili sarcina opprimantur. Quod autem quædam sibi propria & aliàs inaudita, & inusitata vocabula usurpet, mirum videri non debet; cum quælibet disciplina suos habeat terminos aliis incognitos, & pro docentium arbitratu excogitatos. Quid Theologiæ, scientiarum reginæ non licebit, quod illius ancillæ ultrò usurpant?

Theologia congruè rudiori & impolito sermone exprimitur.

XXVIII.

Quæres cur his solùm posterioribus sæculis sacri Theologiæ Doctores Scholasticam usurpaverint, cum ab ipsius Ecclesiæ primordiis Positiva maximè fuerit frequentata?

XXIX.

Cur Positiva Theologia fuerit à veteribus frequenta-

RESpondeo id factum esse plurimis gravissimisque de causis. *Primò* quidem, quia positiva Theologia Platonicum docendi modum magis redolet, quippe quæ allegoriis & syllogismis Oratoriis ac Rhetoricis, Platonis instar, plurimùm utatur; Scholastica verò Aristoteli-

Ita non verò Scholastica.

cam docendi methodum per Analysim & pressiores syllogismos imitetur: voluit autem Deus justis de causis vt nascentis Ecclesiæ filiis Platonica Philosophia deserviret, *Tum quia* hic Philosophandi & ratiocinandi modus, frequentior erat apud Judæos & Gentiles, quorum errores

XXX. impugnandi erant & expugnandi iisdem armis, quibus propugnabantur: *Tum quia* Platonica Philosophia minùs pertinax erat & magis docilis, quàm dogmatica; ideoque aptior ad insinuandas fidei veritates & suadenda divina mysteria. *Tum* denique quia cum parabolis & allegoriis plurimùm vigeret & illustraretur, his involucris divinæ veritatis radios temperabat & ad infirmiorem adhuc fidelium captum veluti lac infantibus proponebat. Orientis enim Ecclesiæ filii erant adhuc velut infirmi parvuli, de quibus sanctus Paulus ad Hebræos 5. *Facti estis quibus lacte opus sit non solido cibo; omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ, parvulus enim est: perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni & mali.*

Philosophia Platonica veritatibus Evangelicis persuadendis primitùs fuit aptior.

Oportuit ergo Ecclesiæ filios adhuc parvulos allegoriis & parabolis attemperatas Evangelicas veritates priùs excipere & eis veluti lacte enutriri, quàm grandiores effecti & pluribus sæculis in hac cælesti doctrina exercitati, boni & mali discretionem haberent, & prava hæreticorum dogmata per Analysim à Catholicis veritatibus secernerent.

Secundò, Indecens erat, ut evulgatô Evangeliô, Christianæ veritates in summas Theologicas redigerentur & variæ de eis formarentur Quæstiones, quæ & fidelium nutantem fidem

XXXI. turbassent, & infidelibus abdita mysteria revelassent. Necessum fuit ergo ut Allegoria Analysim præcederet, & ut nova semper accedente veritatum revelatione, temporis decursu Catholicæ doctrinæ corpus veluti compaginaretur, antequam per resolutiones & disceptationes Theologiæ Scholasticæ & per dissectiones Analysis, quasi anatomicè scinderetur & distribueretur.

Ubi autem omnibus suis partibus solidè constitit Evangelicæ doctrinæ corpus; tunc ad faciliorem veritatum intelligentiam oportuit eas certum ac methodicum in ordinem redigere, & contractiorem ac breviorem, sed urgentiorem Aristotelicum philosophandi modum usurpare; tùm ut nitidiùs Evangelicæ veritates elucescerent; tùm ut hæreticorum technæ & sophismata faciliùs solverentur ac scinderentur.

Nunc autè Aristotelica magis congruit.

Adde quod cum Plato circa divina contemplanda totus sit, & plurimas fidei veritates & nonnulla mysteria ab Hebræis in Ægypto didi-

XXXII. cerit, easque suis in scriptis exaraverit; longè aptior videbatur ejus Philosophia ad eas veritates Philosophis & Doctoribus Paganis suadendas, quàm Aristotelica, quæ circa naturalia tota detinetur, & vix res divinas scrutatur ac investigat. Ubi autem hæ divinæ veritates satis superque fuerunt evulgatæ, & in sanctorum Patrum scriptis disseminatæ & oratorio sermone ac Rhetoricis syllogismis exaratæ, & comprobatæ; tum opus fuit ut Theologi Aristotelicam Analysim usuparent, & eas in unum corpus colligerent, ac Anatomistarum instar, eas variis Quæstionibus & resolutionibus, quasi tot dissectionibus scinderent, quô singulæ aptiùs ordinarentur, & evidentiùs apparerent.

Non est ergo cur adversus hanc Theologicæ Methodi immutationem tantopere obloquantur hæretici, & usurpatam à sanctis Patribus Positivam ac Oratoriam Theologiam iterum frequentari exoptêt, quam, inquiunt, non criminarentur, imò summis laudibus exciperent. Verùm eis meritò reponere possum quod Scribis & Pharisæis reposuit adorandus Salvator, Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum, & dicitis, Si fuissemus in diebus Patrum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum; itaque testimonio estis vobismetipsis, qui filii estis eorum qui Prophetas occiderunt.* Quid enim aliud hæretici hujus temporis, quàm filii eorum hæreticorum qui sanctos Patres insectati sunt, & eorum Doctrinam criminati? Nec aliud exequuntur dum moderniores Theologos verbis & scriptis lacessunt, quàm quod veteres hæretici in sacros Ecclesiæ Doctores moliebantur. Hi nempe Arii, Nestorii, Manichæi hæredes, dum Theologos insectantur, mensuram suorum Patrum implent, & eadem faciunt quæ in aliis culpant.

XXXIII. *Quàm injustè Novatores Theologiam Scholasticã criminẽtur.*

XXXIV.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Essentia Theologiæ.

Trita & quidem ipsi naturali rationi, rerumque ordini accommodata est docendi methodus, ut insinuatâ probatâque rei alicujus existentiâ, illius statim Essentia naturaque, omnium ejusdem proprietatum præcellentiarumque fons ac scaturigo, inquiratur & exponatur. Itaque cum satis superque jam pateat admittendæ Theologicæ doctrinæ necessitas, jamjam resolvendum est an eximius & sublimis ille mentis habitus scientiæ ac sapientiæ titulo gaudeat & glorietur; quod utique præstamus in articulo præsenti: inquirentes 1. An Theologia Dei & Beatorum vera perfectaque sit scientia. 2. An nostra Viatorum Theologia omnes perfectæ scientiæ characteres habeat. 3. An Sapientiæ appellatione digna sit. 4. Tandem an scientiæ divinæ ac beatificæ subalternetur.

Articuli distributio.

QUÆSTIO PRIMA.

An Theologia Dei & Beatorum sit propriè dicenda scientia.

Ex prima Quæstione num. 4. constat Theologiam generaliter sumptam dividi ratione subjecti in Theologiam Dei, Beatorum, & Viatorum: in præsenti resolvendum est an Theologia Dei & Beatorum verè & propriè scientia dicenda sit, sequens autem Quæstio aperiet an nostra Theologia perfectæ scientiæ characteres habeat.

Notandum primò, Ex Doctore subtili, in 3. *dist.* 24. *quæst.* unica, scientiæ nomen bifariam usurpari. Primò quidem pro cognitione vera, quoquo modo illius veritas innotescat; sic scientiam definivit Arist. 6. Ethic. cap. 4. *Quâ anima affirmando vel negando dicit verum:* Unde sanctus Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 12. cognitionem quam vel per sensus vel per aliorum relationem accipimus, scientiam appellat, *Absit*, inquit, *ut scire nos negemus, quæ testimonio didicimus*

Scientia est duplex propria & impropria.

I.

didicimus

didicimus aliorum; alioqnin esse nescimus Oceanum; nescimus esse terras atque urbes, quas celeberrima fama commendat. 2. Strictè prout eam usurpavit & definivit Arist. 1. Post. cap. 2. dicens, *Scire autem unum quamque rem (sed non ut Sophista, per accidens) arbitramur, cùm causam ob quam res est, & illius causam esse & fieri non posse ut res aliter se habeat, cognoscere arbitramur.*

Ex quibus Doctor subinfert quæstione 3. *Prologi num. 36.* Quatuor ad scientiam propriè dictam conditiones desiderari. Primò ut sit cognitio vera & certa, quibus distinguatur ab errore & opinione. Secundò rei necessariæ, hoc est, de propositione necessariò vera, ut secernatur ab arte & prudentia, quæ versantur circa res particulares & mutabiles. Tertiò per causas evidentes intellectui illi qui scientificè ratiocinatur; ut scientia distinguatur à fide divina, quæ equidem est cognitio vera, certa, & rei necessariæ, saltem consequenter, nimirum ex certitudine & infallibilitate revelantis; sed obscura est, & ænigmatica. Quartò denique quod ex causis evidenter cognitis conclusio eruatur per verum & legitimum discursum syllogisticum, ut scientifica cognitio differat ab intelligentia, quâ prima rerum principia non per discursum, sed solâ hominum apprehensione percipimus.

II. *Perfecta scientia quatuor habere debet conditiones.*

Notandum secundò, quod etsi Propheta Regius miretur, *Quomodo scit Deus & si est scientia in excelso, quoniam ipsi peccatores obtinuerunt divitias?* Nihilominus fide constat, aliquam esse in Deo veram scientiam, non quæ sit accidens, ut in nobis & Angelis; sed quæ est realiter ipsamet Dei essentia, & sine ullo defectu omnem omninò scientiæ perfectionem continens.

III. *Divina scientia ratione termini est duplex, Intrinseca & Extrinseca.*

Hæc autem licet sit omnino indivisibilis, tamen ratione objecti & termini duplex distingui potest, nimirum essentialis & omnino Intrinseca, quâ Deus seipsum novit; & Extrinseca quâ cætera à se, ex se, & in se cognoscit. Quæ iterum triplex solitò distinguitur; nimirum scientia *simplicis Intelligentiæ*, quâ novit res purè possibiles juxta illud ad Romanos 7. *Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.* Secunda scientia *Visionis*, quâ res determinatè futuras, præsentes & præteritas novit, juxta illud Psalmi 138. *Intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam, & funiculum meum investigasti: & omnes vias meas prævidisti. Tu cognovisti omnia novissima & antiqua.* Tertia dicitur, *Media* quâ res futuras sub conditione nosse dicitur, quæ conditio si ponatur, res eveniet; si verò non adsit, res non existet.

IV. *Extrinseca est triplex.*

Notandum tertiò: Duplicem in Beatis distingui scientiam: Prima dicitur beata, estque visio *Beatifica*, per quam clarè & intuitivè vident in Verbo divino omnia mysteria quæ obscurè solùm & per revelationem ac fidem nobis adhuc viatoribus innotescunt. Secunda est *Discursiva*, quam ipsimet Beati formant ex principiis per lumen gloriæ cognitis, inferendo conclusiones de Deo per discursum & lumen naturale intellectus; gloria enim & beatitudo naturam non destruit, sed perficit; proindeque integra & expedita manet virtus discursiva in Beatis, & consequenter ea possunt uti discurrendo ac Theologicas conclusiones inferendo. Prior cognitio dicitur à sancto Augustino *Matutina*, quia clara est, & prima quam Beati habent de objecto beatifico: posterior nominatur *Vespertina*, quia postrema est & priorem subsequens, nec tantùm luminis & claritatis habet, quantùm prior; quia lumen naturale discursûs quo nititur, non ita fulget ac lumen gloriæ quo prior irradiatur.

V. *Duplex scientia in Beatis.*

Notandum quartò: Theologiæ objectum speciale, aliud esse ex se necessarium, & aliud ex se contingens. *Primum* dicitur, quod ex natura sua aliud & aliter esse nequit; v. g. Deus unus in essentia, trinus in personis, æternus, infinitus, &c. *Secundum*, quod aliter esse potest, putà incarnatio, vocatio, sanctificatio, &c. quæ absolutè potuerunt non esse, si Deus nempè aliter statuisset, & ordinasset. Licet autem hæc contingentia, quatenus sunt à Deo decreta & prout divinæ illius scientiæ subsunt, non possint non evenire; non tamen ex natura rei & ex se sunt necessaria; sed tantùm ab extrinseco, & per divinam determinationem, & cognitionem. Unde notitia, quæ de ipsis objectis formatur non est intrinsecè, & ratione objecti simpliciter necessaria, sed tantùm secundùm quid, & ratione conditionis externæ. His prælibatis sit

VI. *Objectum Theologiæ aliud est necessariū, aliud Contingens.*

CONCLUSIO PRIMA.

Theologia Dei verè & propriè dici potest Scientia quantum ad tres priores conditiones ad perfectam scientiam desiderandas: non verò quantùm ad quartam. Hæc duas partes involvit, quas simul Doctor approbat quæst. 3. Prologi, num. 26. ait enim, *Theologia in se non est scientia quantùm ad ultimam conditionem scientiæ: sed quantùm ad alias tres conditiones est scientia in se & intellectu divino.*

Prima pars facilè constat: illa enim notitia est scientifica, quæ est evidens, & rei necessariæ: At talis est notitia quam Deus habet, tum de seipso, tum de rebus quas in infinita sua entitate complectitur & conspicit; *Omnia enim nuda, & aperta sunt coram oculis ejus, qui lucidiores sunt super solem*, ut sacer textus eloquitur: Est pariter de objecto summè necessario, Deus enim est ens simpliciter necessarium, sui cognitionem evidentem, & certam ingerens in intellectum distinctè, ac perfectè eum apprehendentem; ac proinde notitia quam habet de aliquo objecto Theologico (v. g. de hac propositione, *Pater producit verbum per Dictionem*) est cognitio certa, de objecto necessario, & ob causam evidentem, nempe ob naturam divinam, quæ est evidens Deo; ideoque ex hac parte est scientifica.

VII. *Theologia Dei habet tres priores cōditiones ad scientiā desiderandas.*

Patet etiam secunda pars. Deus enim non potest discurrere: Ergo non habet quartam conditionem ad scientiam desiderandam. Probatur antecedens: Discursus perfectus tria exigit, primum, ut unum per aliud; secundum, ut unum ex alio; tertium, ut unum post aliud, saltem instanti naturæ cognoscatur: sed hæc Deum summè dedecent, qui unicô simplicissimô actu omnia novit: unde Augustinus, *Lib. 15. de Trinit. cap.* 14. cum dixisset Deum Patrem, & Filium omnia nosse in seipsis, concludit: *Sciunt ergo invicem Pater & Filius, sed ille gignendo, ille nascendo, & omnia quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia unusquisque eorum simul videt: Non particulatim aut singillatim, velut alternante conceptu, hinc illuc, & inde huc, & rursus inde; vel inde in aliud, atque aliud, ut aliqua videre non possit nisi videns alia: Sed ut dixi, omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt.* Ergo cum Deus non habeat alternantes conceptus; sed

VIII. *Non sui quartam.*

IX. *Ad perfectum discursum tria desiderantur.*

X. *Quæ Dei cognitione dedecent.*

omnia uno simplicissimo actu comprehendat, A nullatenus discurrere potest; nec proinde quartam conditionem desiderandam ad scientiam perfectam habere.

Confirmatur ex Doctore laudato. Causatio scientiæ per discursum à causa ad scitum, includit imperfectionem ex parte scientiæ, scilicet quod sit effectus æquivocus; & etiam potentialitatem ex parte intellectus recipientis. Hoc est, scientia per discursum genita, duplicem importat & connotat imperfectionem, unam quidem ex parte sui, alteram ex parte intellectus.

XI. *Prior imperfectio* provenit ex eo quòd scientia discursiva sit effectus æquivocus, quia producitur à causa perfectiori, & diversæ speciei, nimirum ab intelligentia, seu notitia principiorum B ex quibus scientia eruitur: Intelligentia autem perfectior est, & evidentior scientiâ; quia propter quod unum quodque tale & illud magis; certum est autem conclusionem scientificam esse tantùm evidentem propter evidentiam præmissarum, ac proinde præmissæ quæ per Intelligentiam cognoscuntur, sunt evidentiores conclusione.

Scientia discursiva duplicem imperfectionem connotat.

Posterior imperfectio oritur ex parte intellectus, qui per discursum Theologicum acquirit notitiam scientificam; & consequenter priùs denudatus erat tali notitia, eratque in potentia ad eius receptionem: Hæc autem notitiæ carentia & potentialitas, est imperfectio; & proinde longè à Deo arcenda; Ergo Deus discurrere non C potest.

Idcirco à Deo est removenda.

Dices: Discurrere scientificè est rem per aliam certò, & evidenter cognoscere: sed Deus ita res aliquas per alias cognoscit, putà effectus per causas, & proprietates per essentias. Probatur, Deus res novit ut sunt: sed effectus sunt per causas, & proprietates per essentias; illi enim per causas producuntur, hæ per essentias emanant: Ergo Deus verè discurrit.

XII. *Distinguo majorem*, Discurrere est rem per aliam seu dependenter ab alia cognoscere, ita quod una sit principium, & medium cognitionis alterius, concedo: est tantùm cognoscere rem ex alia procedentem & ab alia dependentem, nego: D Minorem similiter distinguo, Deus cognoscit effectus dependentes à causis, concedo: dependenter à causarum cognitione, nego. Nam ut loquitur S. Dionysius lib. de divinis nominibus cap. 7. *Non habet Deus peculiarem scientiam sui, aliam verò communem res omnes complectentem: ipsa enim omnium causa se ipsam cognoscens, nullomodo ea quæ ab ipsa & quorum causa est, ignorabit. Hâc igitur Deus res cognoscens, non scientiâ rerum, sed scientiâ sui ipsius eas novit.* Et ut paulo supra dixerat, *Scit omnia materialia sine materia, & indivisè divisibilia, & unicè multa:* ergo illius cognitio intuitiva est, non discursiva. Ad discursum E enim requiritur *quod principium discursus sit naturaliter priùs notum, & ut sic sit causativum cognitionis alterius* (ut loquitur Doctor *quæst. 3. prologi num. 27.*) discursus namque est illatio rei minus notæ à notiori, quæ certè divinæ notitiæ competere nequeunt.

Quia rem per aliam cognoscere nequit.

Quomodo Deus seipsum & alia noscat?

XIII. *Rogabis*, num propter defectum hujus conditionis, notitia Dei non possit dici simpliciter scientia?

Respondeo: ita ritè posse nominari. Siquidem illatio unius rei ab alia per legitimum discursum, non est de intrinseca ratione scientiæ: sed ad eam desideratur solùm propter imbecillitatem intellectus creati, qui cùm non sit idem cum suo actu, nec per unicum simplicem actum, causam simul, & effectum detegere possit, omniaque simul nosse; hinc fit quod ad scientificam cognitionem adipiscendam cogatur discurrere ab una propositione ad aliam, inferendo minùs notum à notiori, propter necessariam connexionem, quam inter utrumque percipit. Cum autem divinus intellectus his non egeat, etiam illius notitia discursu non indiget ut scientifica censeatur. Verùm de divina scientia ampliorem & expressum sermonem instituemus in Operis decursu; quare sit

Licet scientia Dei non sit discursiva; non minùs est perfecta.

XIV.

CONCLUSIO SECUNDA.

Theologia Beatorum verè ac propriè dici potest scientia quantùm ad quatuor præfatas conditiones. Hæc est expressa Doctoris sententia locô laudatô n. 27, *Hoc potest concedi*, inquit, *quod Beatus verè potest habere scientiam Theologicam quantùm ad omnes conditiones scientiæ; quia omnes conditiones scientiæ verè concurrunt in cognitione Beatorum.* Probatur. Primò namque est cognitio *certa*, absque errore, cùm ipsi Deum videant facie ad faciem, divinamque essentiam evidenter & intuitivè conspiciant. 2. Est *de objecto necessario* absque mutatione; etenim apud Deum non est accidentium, aut existentiæ transmutatio, nec contingentiæ & vicissitudinis obumbratio. 3. *Per causas*, possunt enim colligere Deum esse immensum, v. g. propter infinitam illius essentiam, quæ est causa & fons omnium divinarum perfectionum, & attributorum. 4. *Per legitimum discursum*; cùm enim videant in essentia divina causas & naturas priùs, prioritate saltem naturæ, quàm videant proprietates & effectus, certum est eos posse unum inferre ex alio.

XV. Theologia Beatorum est perfecta scientia.

Quod sic probat Doctor, Essentia subjecti continet virtualiter suas proprietates, & causa suos effectus, potestque eorum ingerere notitiam in omnem intellectum capacem cognitionis illorum: Ergo siue essentia & causa illa videatur lumine naturali à viatoribus, sive supernaturali à Beatis, semper poterit suæ proprietatis, & effectus cognitionem efficere. *Subsumit Doctor*; Sed omnis veritas & notitia causata in intellectu per aliquid priùs naturaliter notum, fit per discursum; quia fit per illationem minùs noti à notiori. *Discursus, enim*, inquit, *non requirit successionem temporis nec ordinem ipsius, sed ordinē naturæ; scilicet, quod principium discursus sit naturaliter priùs notum, & ut sic, sit causativum alterius extremi discursus:* Hoc est: ad legitimum discursum non requiritur ut inter notitiam præmissarum & illationem acnotitiam conclusionis ex eis deductæ aliquod temporis spatium effluat, sed sufficit quod præmissæ cognoscantur prius naturâ, & ut in se contineant virtualiter notitiam conclusionis ex eis deductæ.

Perfectè enim discurrunt.

XVI.

Unde licet Beati unico temporis momento videant simul essentias, & proprietates, causas & effectus, præmissas & conclusionem, non minùs dici possunt discurrere, quia priùs naturâ nôrunt essentiam quàm proprietates, causas quàm effectus, & præmissas quàm conclusionem; hæc autem naturæ prioritas sufficit, ut minùs notum dicatur inferri ex notiori: Ergo pariter ad perfectum discursum formandum videtur sufficere. Licet revera vix intelligi possit qualiter discursus fieri possit in instanti, cùm exigat judicium de legitima illatione consequentis ex antecedenti.

Ad discursum non requiritur prioritas & successio temporis.

XVII.

Hæc ut pateant evidentiùs,

Dices primò, Discursus plures involuit actus quibus principia cognoscuntur; & Conclusio ex eis inferatur: sed Beati non habent multiplicem actum circa objectum beatitudinis, imo unico ac simplici actu illud & omnia in eo repræsentata percipiunt, ut affirmat S. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 16.* ubi cum dixisset: In beatitudine *verbum nostrum non erit falsum, quia neque mentiemur, neque fallemur*; subdit: *Fortassis etiam volubiles non erunt nostræ cognitiones, ab aliis ad alias euntes atque redeuntes: sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus.*

XVIII.

Respondet Doctor laudato loco, negando minorem, nec id affirmat August. sed tantùm dubitando proponit, dixit enim *fortassis* quod vocabulum dubitantis est non affirmantis. *Vel* intelligendus est Augustinus de visione Beatifica, quatenus ad essentialia sola sese extendit; hæc enim unico ac simplici actu intuetur: attributa verò & alia quæ ab essentia oriuntur, colligere possunt per legitimum discursum; Beatus enim videndo essentiam divinam illimitatam, & infinitam, colligere potest evidenter eam esse pariter immensam, sic ratiocinando: Omnis entitas infinita est immensa, sed essentia divina est entitas infinita: Ergo immensa. Quæ Conclusio verè scientifica est, & per legitimum discursum illata.

Qualiter Beati possint ratiocinari.

XIX.

Vel denique dico sanctum Augustinum intelligendum esse de cognitione beatifica & matutina, quæ est invariabilis & semper eadem, ut probabimus sectione 4. de invisibilitate Dei conclusione tertia; non verò de discursiva & vespertina, ut observatum est in tertio Notabili. Itaque duplex in Beatis distingui potest Theologia: una formaliter incomplexa & intuitiva, quæ est ipsa visio beatifica: altera complexa, & quasi abstractiva, quæ fit per discursum ex principiis clarè & evidenter cognitis. Prior similis est Theologiæ Dei ob suam simplicitatem & visionem; posterior assimilatur aliquatenus Theologię nostræ propter discursū quô firmatur.

Duplex in Beatis potest distingui Theologia.

XX.

Dices 2. Scientia versari debet circa objectum necessarium, sed Theologia tam Dei quàm Beatorum, ac nostra, versatur circa objectum contingens, putà circa creationem rerum, Angelorum existentiam, ordinem, operationem, loquelam, motum, incarnationem, gratiam, sacramenta, leges, virtutes & cætera, quæ omnia sunt contingentia: Ergo ob sui objecti contingentiam neutra potest dici scientia.

Respondet Doctor quæst. 3. prologi n. 28. equidem defectu hujus conditionis, neutram Theologiam propriè dici posse scientiam, quatenus ab Aristotele definitur *primo Posteriorum*: nihilominus, inquit, dici potest ad perfectionem intrinsecam scientiæ sufficere, quod sit evidens, & certa; quod autem sit de objecto necessario, hoc esse ipsi prorsus extrinsecum, & se tenere magis ex parte objecti, quàm ex parte scientiæ; quod inde patet, quia potest scientia esse contingens, etiamsi sit de objecto necessario; siquidem per oblivionem deleri potest.

XXI.

Qualiter cognitio de contingentibus dici possit certa 1. Ex parte Notitiæ.

Unde si daretur aliqua cognitio quæ ex se esset certa & evidens, & quantum est de se, esset perpetua, licet eius objectum esset contingens; videretur esse perfectior quàm sit scientia, quæ licet sit circa objectum necessarium, tamen ex se defectibilis est, & variabilis. Hâc ratione, inquit Doctor, utraque Theologia certa dici potest, & proinde scientia perfecta, quia in Deo &

A in Beatis habet certitudinem, & evidentiam perpetuam; in nobis habet etiam certitudinem invariabilem ratione fidei, quâ veritates certò & constanter aperit.

Vel dico rursus cum eodem ibidem, *quod contingentia ut pertinent ad Theologiam, nata sunt habere cognitionem certam & evidentem, & quantum est ex parte sui, evidentiam perpetuam; quia omnia contingentia Theologica nata sunt videri in primo objecto Theologico, & in eò nata est videri conjunctio istarum veritatum contingentium. Visio autem extremorum veritatis contingentis, & unionis eorum, necessariò causat evidentem certitudinem de tali veritate evidente; quantùm est etiam ex parte objecti Theologici ostendentis talia vera, nata* B *sunt videri in tali objecto perpetuo quantum est ex se: Igitur contingentia ut pertinent ad Theologiam nata sunt habere perfectiorem cognitionem quàm scientia de necessariis acquisita.*

2. Ex parte Objecti.

XXII.

Nihilominus ibidem inquirens Doctor an hac ratione Theologia de contingentibus verè sit scientia; Respondet: *Dico, quod secundùm illam rationem scientiæ positam in primo Posteriorum, quæ requirit necessitatem objecti, non potest de eis esse scientia, quia cognoscere contingens ut necessarium, non est cognoscere contingens; tamen secundùm quod accipit Philosophus scientiam 6. Ethicorum, ut dividitur contra opinionem & suspicionem. Bene potest esse scientia, quia est habitus quô determinatè* C *verum dicimus.* Itaque Theologia contingentium propriæ ac perfectæ scientiæ rationem nō habet; igitur constat solam Theologiam quæ est de objecto necessario, posse verè scientiam appellari.

Quæstio Secunda.

An Theologia Viatorum perfectæ scientiæ characteres habeat?

Ex præcedenti Quæstione constat, scientiam esse duplicem, perfectam nempe & imperfectam; constat pariter ad perfectam scientiam quatuor characteres & conditiones desiderari, D nimirum ut sit certa absque formidine, & ulla dubitatione; evidens absque obscuritate; de objecto necessario absque ulla vicissitudine; & per discursum cum vera & legitima illatione unius ex alio: An autem Theologia quatenus est in nobis Viatoribus, quatuor præfatos characteres habeat, resolvendum est hac in Quæstione. Sed priùs

Status Quæstionis.

I.

Notandum est 1. Triplex assignari posse lumen quô res divinæ & supernaturales hominibus adhuc mortalibus possunt innotescere. Primum est lumen fidei infusæ, quô percipiuntur per speculum & in ænigmate. Secundum est lumen scientiæ, vel diviniùs inditæ, vel ex principiis reve- E latis & scientiarum naturalium adminiculô comparatæ, quô periti ac Doctores fidei mysteria profundiùs & apertiùs, quàm idiotæ & rustici, percipiunt. Tertium denique est lumen divinæ contemplationis, quô mentes à vitiis & terrenis contagiis defæcatæ, plerumque rapiuntur in extasim, & vident arcana verba quæ non licet homini loqui. *Primum* assimilatur lumini nocturno. fides enim est lucerna lucens in caliginoso loco donec dies æternitatis illucescat: *Secundum* comparatur Auroræ, quæ partim solvit tenebras, partim ab eis offunditur: *Tertium* simile est diurno lumini, quô cuncta reserantur &

Triplex lumen quô res divinæ à nobis cognoscuntur.

II.

fiunt manifesta. An autem præter hoc triplex lu-
men, aliud etiam Doctoribus & studiosis divini-
tùs infundatur, quò fidei mysteria eis fiant evi-
dentia & manifesta, ut contendit Henricus Gan-
davensis, infra patebit.

Notandum 2. Evidentiam (dequa maximè in
presenti quæstione controvertitur) esse claram
Quid sit Evidentia.
& perspicuam objecti veritatem, quæ innotes-
cit ex perspecta necessaria connexione prædi-
III. cati cum subjecto. Hæc autem est duplex, ali-
qua enim propositio est evidens ex terminis,
quales sunt omnes propositiones immediatæ &
Propositio Evidens est duplex.
ex se necessariæ; alia evidens ex principiis, qua-
lis est evidentia conclusionis, quæ ex principiis
evidenter cognitis per veram demonstrationem
elicitur. Hæc autem evidentia ex principiis, fit
IV. duobus modis, *Primò*, quando procedimus à
principiis & causis nobis notis ad eorum effe-
ctus demonstrandos, ut fit per demonstratio-
nem à posteriori: *Secundò*, procedendo ab ef-
fectibus nobis notis ad cognitionem principio-
rum & causarum.

Causæ sunt notiores naturâ, effectus verò sunt nobis notiores.
Uterque autem iste processus fit ex iis, quæ
nobis notiora sunt: primus quidem ex Notioti-
bus naturâ; cum enim causæ sint universales,
& remotiores à sensibus, sunt quidem naturâ &
secundùm se notiores, quia virtualiter continent
veritatem, & entitatem effectuum, quorum ve-
ritas ex principiis emanat & in principia refun-
ditur: effectus verò cum sint propinquiores no-
V. stris sensibus, dicuntur etiam notiores nobis,
quàm sint eorum principia; scientia autem om-
Certitudo ab evidētia discrepat.
nis ex alterutra evidentia debet procedere. Evi-
dentia itaque in hoc à certitudine distinguitur,
primò quòd certitudo petatur ex parte poten-
VI. tiæ, evidentia verò ex parte objecti: Secun-
do, omne evidens est certum; omne autem
certum non est evidens; quæ enim creduntur
fide divina, certa quidem sunt, obscura tamen.

Notandum 3. circa præsentis quæstionis re-
solutionem varios varia sentire. Quidam enim
contendunt Theologiam nostram esse verè ac
propriè scientiam, quod ut astruant, Aliqui va-
rios excogitaverunt dicendi modos, quibus il-
lius evidentiam probarent: Alii autem eam esse
VII. omnino inevidentem conspicientes, censuerunt
non minùs propterea illam esse perfectam scien-
tiam, propterea quod (inquiunt) evidentia sit
tantùm conditio extrinseca ad scientiam deside-
randa, nimirum propter astruendam illius cer-
titudinem. quæ si aliunde firma sit, evidentiâ non
eget. Quid autem cum Doctore Subtili veriùs
judicandum sit, ut innotescat, sit.

CONCLUSIO PRIMA.

T*Heologia in nobis Viatoribus, non est propriè
dicenda scientia.* Hæc est Doctoris Subtilis,
Quæst. 3. *Prologi num.* 30. & in 3. *dist.* 24. *n.* 7.

Probatur primò; Scientia perfecta est effectus
legitimæ demonstrationis: sed Theologica no-
Theologia Viatorum non est perfectè scientia.
titia non paritur per legitimam demonstratio-
nem: Ergo non est scientia perfecta. Major con-
stat. Minor probatur ex his verbis Aristotelis 2.
de Demonstratione cap. ultimo, *Quod igitur*, in-
VIII. quit, *non contingat scire per demonstrationem non
cognoscentem principia immediata dictum est priùs.*
Ex quibus sic argumentor: Perfecta demonstra-
1. Quia non fit per demonstrationem.
tio fieri debet ex evidenti & certa cognitione
principiorum ex quibus infertur conclusio: sed
Theologus non potest habere evidentem cogni-
tionem principiorum ex quibus suas deducit

A Conclusiones Theologicas; principia enim illa
sunt revelata, & fide credita, ac proinde ob-
scura, & inevidentia, ut indicat sanctus Pau-
lus primæ Corinth. c. 13. *Videmus nunc per spe-
culum & in ænigmate.*

Confirmatur. Nullus, nisi stolidus aut proter-
vus, dissentire potest propositioni perfectè de-
monstratæ: sed conclusionibus Theologicis plu-
res dissentiunt, & refragantur, ut constat de IX.
hæreticis & infidelibus, qui rident & respuunt
omnes rationes Theologicas, quibus fidei my-
steria suadere nitimur: Ergo signum est eas ra-
tiones non esse perfectè demonstrativas.

Probatur 2. Perfecta scientia perfectum scien-
B tem efficit: sed notitia Theologica non reddit
Theologum perfectè scientem. Probo: Ille per-
2. Quia non efficit aliquem perfectè scientem.
fectè sciens non est dicendus, qui magis assen-
titur propositioni propter authoritatem, & ve-
racitatem revelantis, quàm propter legitimam
illationem Conclusionis ex præmissis: Sed per-
fectus Theologus experitur intellectum suum X.
magis propendere in assensum Conclusionis de-
ductæ ex principiis fidei, propter infallibilem au-
thoritatem Dei revelantis, quàm propter legiti-
mam illationem ex præmissis: firmiùs enim & te-
naciùs adhæret conclusioni Theologicæ, quàm
cuilibet conclusioni Philosophicæ; non propter
perfectiorem illationem syllogisticam, quæ in
utraque est æqualis: sed quia firmiùs nititur au-
C thoritate Dei revelantis præmissas conclusionis
Theologicæ, quàm lumine naturali manifestante
principia conclusionis Philosophicæ; Ergo si-
gnum est Theologum magis assentiri propter au-
thoritatem, quàm propter illationem. Sed as-
sentiri alicui propositioni propter authoritatem,
non est eam perfectè scire, sed credere; Ergo
Theologia non est perfecta scientia, cùm magis XI.
credentem quàm scientem efficiat.

Confirmatur ex Doctore in 3. *dist.* 24. *num.* 9.
Nulla adhæsio voluntaria est scientifica, scien-
tia enim cogit & necessitat intellectum ad assen-
tiendum; posito namque assensu præmissarum
D evidentium, ita necessitatur intellectus ad as-
sentiendum conclusioni, ut nullatenus dissenti-
ri queat, sicut in Logica probavimus: sed Theo-
logus voluntariè suspendere potest assensum
suum, tàm circa principia credita, seu articulos
fidei, ex quibus conclusionem Theologicam de-
ducit, quàm circa conclusionem ipsam; *Nihil
enim magis est in potestate nostra, quàm credere*,
inquit Augustinus lib. de *spiritu & littera cap.*
3. Quia caret evidentia.
21. Ergo talis assensus non est scientificus.

Probatur 3. Notitia quæ caret perfecto ac præ-
cipuo charactere scientiæ, non est perfecta XII.
scientia: sed notitia Theologica caret præci-
puo scientiæ charactere. Probo: Evidentia est
E præcipuus scientiæ character; definitur enim,
Cognitio certa & evidens, ita quod sicut per cer-
titudinem ab errore, & opinione, sic per eviden-
tiam a fide, tum divina, tum humana essentiali-
ter discrepat: imò certitudo ei competit solùm
ratione evidentiæ; siquidem ideo intellectus
propositioni scientificæ firmum assensum præ-
bet, quia conspicit eam evidenter deduci ex
principiis evidentibus; ac proinde constat evi-
dentiam esse præcipuum, ac essentialem scien-
tiæ characterem: Sed notitia Theologica nul-
lam habet evidentiam. Probo: Conclusionis evi-
dentia oritur ex principiis a quibus deducitur;
ergo ubi principia sunt inevidentia, etiam ne-
cessum est ut conclusio sit pariter inevidens, quia

perfectio, quæ non est in causa, nequit esse in effectu; cum enim effectus omnem suam entitatem à causa recipiat, etiam suam perfectionem ab ea recipit; ac proinde cum nemo det quod non habet, implicat ut priocipia inevidentia conferre possint evidentiam conclusioni: At principia conclusionum nostræ Theologiæ noo sunt evidentia, sed revelata & credita, eteoim, inquit sanctus Paulus, *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non aparentium*: Ergo nullam conferre possuot evidentiam conclusioni Theologicæ, proindeqne cum Theologia careat præcipuo charactere perfectæ scientiæ, scientia perfecta dici nequit.

Hoc validissimum argumentum ut solvant adversarii, varia varii reponunt; quos idcirco refellendos sigillatim duxi, ut magis illucescat & firmetur veritas nostræ conclusionis.

Proponitur Replica Henrici Gandavensis.

XIII. *Primò* itaque reponunt aliqui cum Henrico Gandavensi, *quodlib.* 12. *quæst.* 2. Principia conclusionum Theologicarum esse quidem ex se inevidentia; sed fieri manifesta per lumen aliqood veluti medium ioter lumen fidei & lumen visionis beatificæ: Henticus enim triplex distiuguit lumen, obscurum *Fidei*, clarum *patria* & evidens *via*: Primum comparat nocti, secundum meridiei, tertium auroræ, eo quod aliquid habeat lucis & tenebrarum; dicitque hoc lumen supponere, noo verò præcedere fidem; ita quod Theologiæ studiosus primò debeat credere juxta illud *Isaïæ* 7. secundùm versiooem septuaginta Intepretum, *Si non credideritis non intelligetis*: Secundò debet conari ad perfectiorem penetrationem termioorum ex quibus articuli fidei constant; idque adhibitô scientiarum naturalium adminiculô & studiô; quô positô, tanquam prævia dispositione, censet illud lumen medium divinitus infundi, quô fit ut Theologus clariùs percipiat fidei articulos, quàm fidelis rusticus & ignarus; quia per illud lumen Theologus evidentiùs & meliùs percipit terminos credibilium, quàm à vulgo fideliũ intelligantur.

Et impugnatus à Doctore.

Verùm hanc replicam impugnat Doctor in 3. *dist.* 24. *quæst.* 1. *num.* 7. Primò quidem quia scieotia & fides de eodem objecto simul esse oequeunt, quod sic probat.

XVI. Scientia & opinio noo possunt esse simul de eodem, igitur nec fides & scientia.

1. Quia scientia & fides nequeunt simul esse de eodem.

Patet antecedens, quæ enim contradictorie invicem pugnant, simul stare nequeunt; sed opinio & scientia habent prædicata contradictoria, nimirum certitudinem & non certitudinem: scientia namque est cognitio certa, opinio verò incerta; & consequenter opinio quæ habet noo certitudinem & scientia quæ habet certitudinem, sunt incompossibiles. Patet etiam consequentia eadem ratione: scientia enim habet evidentiam ex parte objecti, fides vero non evidentiam: Ergo cùm evidentia, & non evidentia invicem pugnent contradictorie, constat scientiam evidentem non posse stare cum fide non evidente: nec proinde lumen evidens, quod fingit Henricus, posse subsistere cum obscuro lumine fidei circa idem omnino objectum.

Confirmatur. Ex Henrici sententia, lumeo illud scientificum, quod fiogit, non potest præcedere fidem, sed eam tantùm sequitur: Ex quo sic arguit Doctor: Lumeo illud scientificum non potest præcedere fidem, aut quia habitus scientiæ & fidei sunt incompossibiles, & sic habetur intentum; aut propter formalem repugnantiam objectorum; & sic pariter evincitur fidem & scieotiam non posse simul de eodem haberi, *Quia*, inquit Doctor num. 9. *objecta aquè distinguntur secundùm rationes formales post fidem positam sicut ante. Nec valet dicere quod sint simul sicut contraria in medio, ut colores extremi in rubore: quia sic esset una cognitio mixta & media ex scientia & fide; tunc enim illa cognitio nec esset fidei nec scientia: sicut rubor nec est albedo. nec nigredo.* Absurdum autem videtur inter cognitionem obscuram & evidentem dari aliquam cognitionem quæ nec evidens nec inevidens esset. XV.

Effugium præcluditur.

2. Quia ad fidei jacturam Theologia non perit.

Secundò: Cùm hoc lumen fidem supponat, & eâ innitatur; consequens est ut ad fidei jacturam, etiam hoc lumen pereat, nec proinde superstit eadem, quæ prior erat, articulorum fidei major & clarior cognitio in Doctoribus, quàm in rusticis: Atqui hoc falsum esse ipsamet experientia testatur; XVI. dum enim quis Theologus labitur in hæresim, ipse fidem amittit; non tamen deperdit aliquid cognitionis rerum Theologicarum quas priùs habebat: Ergo illius cognitio Theologica noo nitebatur aliquo lumine divinitùs infuso, quod ad fidei amissionem deperdi posset.


3. quia hoc lumen esset frustraneum.

Tertiò: Desideraretur hoc lumen divinitùs infusum, *Vel ut* Theologi intellectus magis firmaretur assentiendo articulis fidei: Verùm ad id esset inutilis, cum ad hunc firmum assensum sufficiat fides infusa. *Vel ut* Theologus ita firmiter, & tenaciter adhæreret ipsis articulis, ut nullatenus dissentire posset: sed id etiam falsum est, XVII. aliàs homines à fide non possent excidere ex quo essent Theologi; cujus tamen contrariom quotidiana suadet experientia; plures enim Theologi etiam peritissimi miser labuntur in hæresim. *Vel* deuique ut evidentiorem mysteriorum, & fidei articulorum notitiam haberent Theologi, tum ad cæteros fideles edocendos, tum ad fidem ipsam contra hæreticos & infideles propugnandam, quod maxime intendere videtur Henricus: Sed ad id etiam lumen hoc omnino est inutile; cum ad id sufficiat fidei lumen quô mysteria percipimus, & lumen rationis naturalis scientiarum Philosophicarum, quô creditas à nobis veritates possimus explanare, & conclusiones ex fidei articulis beneficiô Phililosophiæ elicere, quibus & hæreticos expugnemus & fidem propugnemus.

4. Quia esset omnino insufficiens ad fidem.

Quartò: Etsi admitteretur hoc lumen, non sufficeret ad causandam scientiam perfectam, & cognitionem evidentem per veram & legitimam demonstrationem, ut subtilissimè probat Doctor in 3. *dist.* 4. *num.* 11. & 12. tum quia ut per hoc lumen causaretur scientia de hac propositione; v. g. *Deus est trinus & unus*, oporteret XVIII. ut priùs, saltem prioritate naturæ, evidenter perciperentur aliqua immediata principia ex qoibus ista propositio inferri posset: sed hoc lumen id non præstat, nulla namque nobis apparent principia evidenter nota, ex quibus præfatam propositionem evidenter inferre liceat. *Tum quia* si per aliquod lumen evidenter paterent articuli fidei, qui sunt principia conclusionum Theologicarom, fierentque manifesta sub propria sua ratione, essent certissima, non solùm propter assensum fidei, sed etiam propter suam evidentiam; sicque Theologia esset certior omnibus aliis scientiis, non solùm propter fidem, sed etiam propter evidentiam objecti, quod nullus Theologorum admittit.

Tum denique quia aut Deus concedit hoc



lumen omnibus conantibus ad Scripturarum & A mysteriorum intelligentiam, aut solùm quibus vult, pro bona voluntate sua: Si primum, illud

XIX. lumen, inquit Doctor *Num.* 12. non erit miraculosum & supernaturale; quando enim Deus confert aliquid ut causa generalis, & juxta naturæ dispositionem, illud miraculosum dici nequit, nec divinitùs, sed naturaliter infusum: sic v. g. infusio animæ rationalis in corpus organisatum, non dicitur miraculosa, licet fiat à solo Deo, quia fit juxta dispositionem, & exigentiam naturæ. Si secundum, ergo, inquit ibidem Doctor, frustrà laboramus in studendo & inquirenda virtute; & multò satius esset ad Theologiam comparandam, quod quis Deum enixè precaretur in templis, ut hoc sibi lumen dignaretur infundere, quàm sedere inter libros, ut ex eorum laboriosa lectitatione se se disponeret ad incertam hujus luminis infusionem. Patet ergo hoc lumen penitus esse fictitium & inane.

Confirmatur, Illud lumen nulli hactenus concessum videtur: Ergo gratis asseritur. Probo antecedens, Si alicui concessum fuisset illud lumen quô fidei articulorum termini, & principia conclusionum Theologicarum evidenter innotescerent, maximè sancto Paulo & S. Augustino, qui præ cæteris videntur intimiùs, & clariùs divina penetrasse, & reserasse Mysteria: sed ipsi testantur nullam hac in mortali vita nobis concedi mysteriorum evidentiam. Etenim, inquit S. Paulus 1. Corint. 13. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem:* Et S. Augustinus Epistola 3. quæ est ad Volusianum ait, *Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Non quod ad ea quæ necessaria sunt saluti, tantâ in eis perveniatur difficultate; sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè, rectèque non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda fidelibus restant, tantaque non solùm in verbis quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus, quæ intelligenda sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod Scriptura Eccles. 18. habet: Cum consummaverit homo, tunc incipit:* Ergo his apertè fatetur se terminos articulorum fidei evidenter non percipere, nec proinde sibi concessum lumen illud ab Henrico excogitatum.

3. Quia nulli concessum est.

XX.

Cum nec Paulus.

XXI.

Nec S. Augustinus illud habuerint.

Scripturæ sacræ studium semper proficuum & laboriosum.

Unde *tractatu* 68. in Joannem expendens illa verba: *Vado parare vobis locum, ait, Fides est quâ eorum, qui Deum visuri sunt, quandiu peregrinantur corda mundantur: quod non videt credit; nam si vides, non est fides: credenti colligitur meritum, videnti redditur premium. Eat ergo Dominus parare locum: eat ne videatur: lateat ut credatur; tunc enim locus paratur, si ex fide vivatur; creditus desideretur, ut desideratus habeatur: desiderium visionis, preparatio est mansionis.* Idem habet lib. 3. de vera innocentia & Epistola ad Consentium, *Fides*, inquit, *habet oculos suos quibus quodammodo videt verum esse quod nondum videt, & quibus certissimè videt nondum se videre quod credit*, quibus apertè fatetur nullam evidentiam cum fide de eodem objecto subsistere; ac proinde fictitium esse illud lumen scientificum ab Henrico excogitatum.

Fides est omnino inevidens.

XXII.

Dices: S. Augustinus ipsemet videtur admittere & probare hoc lumen, siquidem ad hæc verba Joannis cap. 1. *Erat lux vera*, ait, *Aliud est lumen ad credendum: aliud ad intelligendum.* Et ibidem, *Lux increata illuminat hominem duplici lumine sapientiæ, quô ut solidô cibô vescuntur, quod habebat Apostolus qui dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos:* 1. ad Corint. 2. Idem tractatu 39. in Joannem, *Fide præcedente quæ sanat oculum cordis nostri, ut quod intelligimus, sine obscuritate capiamus; quod non intelligimus, sine dubitatione credamus.* Denique contra Epist. Fundamenti cap. 24. *Ego Catholicam fidem profiteor, & per illam me ad certam scientiam perventurum præsumo; non jam hominibus, sed Deo intrinsecùs mentem nostram illuminante*; Ergo præter fidem datur B aliud lumen divinitùs infusum, quô scientia Theologica in nobis gignitur, & formatur.

Authoritates S. Augustini quibus nititur Henricus, proponuntur.

XXIII.

Respondeo negando consequentiam, & ad primam S. Augustini authoritatem dico, illum esse intelligendum vel de lumine contemplationis & intelligentiæ, quod diximus in 3. Notabili à Deo nonnunquam purissimis mentibus, aut Ecclesiæ Pastoribus, & Doctoribus infundi, ut majori facilitate divina mysteria percipiant, & per congruentes quasdam rationes, & similitudines illa aliis explanent, & suadeant: Vel de Theologia nostra, quæ dici potest lumen sapientiæ, non quidem ratione evidentiæ sui objecti; sed ratione C discursus, & majoris notitiæ terminorum, quibus articuli fidei exprimuntur, unde fit ut rationes, & argumenta facilè solvantur, quæ in contrarium possent objici.

Et exponuntur ac solvuntur.

XXIV.

Ad secundam authoritatem dico, duplicem posse distingui obscuritatem, alteram quæ opponitur evidentiæ, aliam verò quæ opponitur notitiæ distinctæ & explicitæ, quæque idem est ac indistincta & confusa cognitio; nam quæ confusè dumtaxat intelligimus, dicimur ea obscurè nosse. S. Augustinus de posteriori obscuritate loquitur, non verò de priori; ita quod velit Theologos magis explicitè, & distinctè cognoscere res fidei, quàm rusticos & ignaros; non verò quod evidentiùs eas percipiant. Dum enim rusticus audit Deum esse unum in essentia, & D trinum in personis, percipit quidem tres esse divinas personas & unum Deum; non tamen novit quid significet vocabulum *essentiæ*, quidve præcisè *personæ* nomen indicet, quæ tamen Theologo comperta sunt ex Metaphysica.

Duplex obscuritas quarum altera *evidentiæ*, altera *Notitiæ distinctæ* opponitur.

XXV.

Ad tertiam authoritatem dico S. Augustinum loqui de dono intelligentiæ, & scientiæ, quam Deus pro libito Ecclesiæ Pastoribus, & Doctoribus infundit, ut alios fideles instruant.

Replicant aliqui apud nostrum Aureolum Qu. 1. Prologi Articulo primo, Theologiam quidem non esse evidentem evidentiâ objecti, principiorum & consequentis, sed consequentiæ; ita quod ad evidentiam scientiæ non requiratur E ut evidenter innotescat consequens ritè deduci ex antecedente, sed sufficiat quod cognoscatur consequentiam rectè inferri ex præmissis secundùm formam syllogisticam: hæc autem evidentia consequentiæ reperitur in Theologia, siquidem Theologus judicare potest facilè suas conclusiones inferri legitimè, & juxta regulas formæ syllogisticæ.

Secunda replica proponitur.

XXVI.

Contrà primò, Falsum est evidentiam, quæ desideratur in scientia, consistere in consequentiæ, non in consequentis illatione; Discursus enim scientificus non consistit in Iudicio consequentiæ, sed consequentis ut in Logica demonstravimus. *Secundò*, Theologi non est judicare de

Et exploditur, quia evidentia consequentiæ non sufficit ad scientiam,

XXVII. bonitate consequentiæ; hoc enim omnino spectat ad Logicum: sed an consequens ritè inferatur ex Articulis & Principiis fidei. *Tertiò*, evidentia consequentiæ non impedit quominus consequens sit evidens: Ergo nec efficiet ut assensus Theologicus non sit obscurus, ac proinde nonobstante evidentia consequentiæ, Theologia semper erit obscura.

Tertia Replica.

XXVIII. *Replicant* nonnulli cum Francisco de Marchia apud Gregorium *Quæstione 1. Prologi*; principia Theologiæ non esse quidem per se evidentia, cum sint articuli fidei per solam revelationem cogniti; fieri tamen evidentia ab extrinseco, & per eorum resolutionem in aliqua principia evidenter cognita: hæc autem principia dicit esse duo. Primum quidem est hoc; *quidquid Deus revelavit est verum*; quod quidem lumine naturæ notum est; quia ratio naturalis dictat primam veritatem, nec falli, nec fallere posse. Posterius autem est hoc, *Deus revelavit omnes articulos, qui nobis credendi proponuntur*, quod pariter evidens fit per miracula in eorum confirmationem edita.

Excluditur, quia Theologia non est evidens per resolutionem in principia evidenter nota.

Contra: Miracula sunt motiva credibilitatis tantùm, non verò assensus fidei, & rem quidem esse credibilem evidenter demonstrant, non autem quod sit evidenter vera, quia evidentia credibilitatis oritur à veracitate revelantis; evidētia autem veritatis provenit à principiis ipsius rei, quæ vel per se, vel per suos effectus apparet evidenter vera: Unde cum evidentia credibilitatis

XXIX. stare potest inevidentia rei secundùm entitatem:

Cum evidentia revelationis potest stare inevidentia revelati.

nam si Deus immediatè & clarè mihi revelaret dari mysterium Trinitatis, v. g. evidenter quidem illud mysterium mihi appareret credibile; non tamen propterea illud mysterium mihi esset evidenter notum,

Deinde: licet ex evidenti revelatione aliqua fidei articulis inesset evidentia, hæc omnino esset extrinseca, proindeque insufficiens ad causandam evidentiam scientificam in conclusionibus Theologicis ex ipsis fidei articulis eliciendis; evidentia enim scientiæ, non ab extrinseco & ex

XXX. parte testantis & revelantis est repetenda, alioquin scientificus assensus non discreparet ab assensu fidei, qui nititur evidenti testimonio dicentis: sed desumenda est ab evidentia intrinseca & entitativa principiorum ex quibus Conclusio scientifica deducitur: Ergo licet per evidentem revelationem articuli fidei forent evidentes, eorum tamen evidentia non sufficeret ad causandam scientificam evidentiam in Theologia, proindeque hac ratione Theologia dici nequit perfecta scientia.

Evidentia revelationis non sufficit ad scientiam.

Dices: Nemo tenetur credere nisi quod est evidenter verum: sed tenemur credere articulos fidei: Ergo debent esse evidenter veri. Probatur major: Non tenemur rem ut veram existimare, quandiu non apparet nobis sufficienter illius veritas: Ergo non tenemur eam ut veram credere.

XXXI. *Nego majorem*, non enim solùm tenemur credere quod evidenter notum est, sed etiam quod est evidenter credibile, ratione scilicet infallibilis authoritatis revelantis; imò si esset evidenter notum, non esset amplius credibile, sed scibile; & non per fidem, sed per scientiam ei assentiremur. *Ad probationem* dico, sufficere ut rei credibilis veritas innotescat per testimonium infallibile revelantis; non autem necesse est ut ex terminis evidenter appareat.

Tenemur credere non quod est evidenter verum; sed quod est evidenter credibile.

A *Replicant Thomistæ*, Theologiam nostram fieri evidentem per resolutionem suorum principiorum in scientiam Dei & Beatorum cui subalternatur; *sciendum enim est*, inquit sanctus Thomas 1. parte. q. 1. art. 2. *quod duplex est scientiarum genus; quædam enim sunt quæ procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectûs, ut Arithmetica, Geometria & hujusmodi: quædam verò sunt quæ procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiæ, sicut Perspectiva procedit ex principiis notificatis per Geometriam, & musica ex principiis per Arithmeticam notis: & hoc modo sacra Doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est*

Replica Thomistarum proponitur.

XXXII.

B *scientia Dei & Beatorum*. Quibus apertè docet (inquiunt Thomistæ) quòd licet in scientiis subalternantibus requiratur evidentia formalis & actualis principiorum, in subalternatis tamen sufficit radicalis & quæ per resolutionem in subalternantem oritur. Unde cum Theologia nostra subalternetur scientiæ Dei & Beatorum, quibus articuli fidei sunt evidenter noti, sufficit ad ejus evidentiam, quod illius principia per resolutionem fiant evidentia.

Contra primò: Falsum est Theologiam nostram subalternari Theologiæ Dei & Beatorum, ut in sequenti Quæstione probabimus: Ergo ruit omninò Thomistarum replica. *Secundò*, ut scientiæ XXXIII.

Sed impugnatur, quia Theologia nostra non potest esse evidens per resolutionē in scientiam Dei & Beatorum.

C subalternatæ principia fiant evidentia per eorum resolutionem in scientiam subalternantem, necessum est quòd utraque scientia tàm subalternans quàm subalternata, sint in eodem intellectu; ita quod idem intellectus possit principia scientiæ subalternatæ resolvere in subalternantem; si enim hæc resolutio fieret à Petro v. g. quomodo Paulus nosse posset eam evidenter fieri, maximè si scientiam subalternantem non calleat? An cæcus evidenter percipit colorem, eò quòd ego ipse attester ei me colorem evidenter & intuitivè cōspicere? Quis asseret Medicum hoc Medicinæ principium, *contraria contrariis curantur*, evidenter cognoscere per illius resolutionem in hoc principium Physicum, *contraria se*

D *se mutuò expellunt ab eodem subjecto*, si Physicam ipse non teneat? Sed Theologia Beatorum nobis non inest, nec eam compertam habemus. Ergo non possumus principia nostræ Theologiæ in illam evidenter resolvere. *Tertiò*, experientiâ constat Theologum non assentiri conclusioni Theologicæ illatæ ex articulis fidei, quia illi articuli à Deo & Beatis evidenter cognoscuntur; sed quia ab ipso Theologo fide creduntur: Ergo illius assensus est inevidens, quippe cum solùm nitatur motivis & principiis inevidenter cognitis; & consequenter notitia Theologica hac ratione dici nequit evidens & scientifica. XXXIV.

E *Reponunt* aliqui moderni Thomistæ, Theologiam nostram non habere quidem modum & statum perfectæ scientiæ, putà evidentiam; habere tamen illius essentiam, nimirum certitudinem & necessitatem, proindeque dici quidem posse scientiam imperfectam quoad modum & statum, comparativè ad perfectionem quam intra propriam speciem habere potest, nimirum in statu beatitudinis, quando venerit quod perfectum est, & evacuabitur quod ex parte est. Sicut, inquiunt, puer licet sit substantialiter homo; quia tamen caret usu rationis & libertatis, non dicitur perfectus homo secundùm statum.

Alia replica proponitur.

XXXV.

Contra: 1. Evidētia est character essentialis scientiæ, ut probatum est; Ergo notitia quæ non

habet evidentiã nequit esse scientifica. Secundò, A
falsum est Theologiam nostram differre tantùm
statu à Theologia Beatorum, & eam aliquando
Et præcluditur. evidentiam posse assequi, sicut puer assequi potest usum rationis & libertatis; siquidem Theologia nostra specie differt à Theologia Beato-
XXXVI. rum, nec eadem remanet in Beatis, quæ fuerat
in Viatoribus ut infra probabimus: Ergo si sit
imperfecta, non solùm comparativè, sed simpliciter imperfecta dicenda est, quia caret perfectione essentiali ad scientiam desideranda, quam nusquam obtinebit.

Reponunt tandem alii, Theologiam nostram non esse quidem evidentẽ, sed evidentiam non requiri ad rationem perfectæ scientiæ, nisi ex hypothesi B
Sine evidẽtia nulla est scientia perfecta. quod intellectus non habeat præstantius aliud motivum, quô firmiùs tenaciúsque propositioni adhæreat: Sed præstantius habet motivum quô firmiùs adhæreat principiis Theologicis, & convincatur de illorum veritate, quàm sit eviden-
XXXVII. tia propositionum & scientiarum naturalium; nam fides efficit, ut eis adhæreat propter primam veritatem revelantem, quæ longè firmius est motivum ac magis convincens intellectum, quàm evidentia cognitionis principiorum aliarum scientiarum: Ergo non opus est evidentiâ ad perfectam rationem scientiæ Theologicæ.

XXXVIII. *Confirmant* ex Aristotele, qui loquendo de scientia 1. Poster. ait: *Quod nisi quis habeat* C *scientiam præmissarum, aut aliquid majus scientiâ, non potest esse verè sciens.* Ergo quando habet aliquid majus scientiâ, poterit esse verè sciens: sed fides divina est motivum majus & perfectius scientia: Ergo Theologus poterit scientificas conclusiones elicere ex principiis fide divina cognitis.

Contra: Scientia perfecta differt essentialiter
Scientia à fide differt per evidentiam. à fide; sed non aliunde quàm per evidentiam: Ergo vel non est scientia perfecta, vel debet habere evidentiam. Major constat, fides enim & scientia sunt habitus essentialiter diversi, si-
XXXIX. quidem illa nititur authoritate revelantis, hæc evidenti cognitione præmissarum: illa inclinat D ad assensum obscurum sine discursu; hæc ad assensum clarum cum discursu Philosophico, &c. Minor etiam patet, siquidem ab ea non discrepat per certitudinem & necessitatem, quia utraque est cognitio certa & de objecto necessario, maximè dum versantur circa Deum in se subsistentem: Ergo restat ut per evidentiam, scientia à fide distinguatur; ac proinde evidentia non ex hypothesi & per accidens; sed essentialiter scientiæ competit. 2. Illa firmitas assensus quæ major efficitur per fidem, quàm per evidentiam, nòn reddit intellectum promptiorem & expeditiorem ad proferendas rationes suæ cognitionis, & eam ex principiis omnibus notis demonstrandam, quod quilibet perfectè sciens debet exequi; sed solùm facit eum tenaciùs adhærere propositioni revelatæ, quàm adhæreat evidenti: Ergo non efficit eum perfectè scientem, sed tantùm certum & credentem; proindeque ad perfectam scientiam certitudo non sufficit.

Ad confirmationem dico Aristotelem per ali-
XL. quid majus scientiâ, non intelligere aliquod supernaturale lumen, quale est lumen fidei; iste enim naturæ genius res supernaturales nullas agnovit, utpote solo naturali lumine illustratus; sed per illud *Maius*, significare & indicare voluit habitum primorum Principiorum, seu Intelligentiam, quâ præmissæ cognoscuntur interdum, idque certiùs quàm per scientiam.

Dices: Doctor subtilis in 3. *dist.* 24. *quæst.* 1. loquendo de Prophetis & Apostolis cæterisque sacris Doctoribus à Deo illuminatis, dixit eos habuisse habitum, qui licet esset inevidens, tamen
Doctor videtur admittere evidentiam non requiri absolutè ad scientiam. ob suam firmitatem & certitudinem dici poterat scientia: ait enim num. 17. *Dico quod omnem effectum, quem potest Deus facere mediante causa secunda effectiva, potest facere immediatè; nunc autem si res ipsæ, de quibus Scriptura tractat, essent clarè apprehensæ & intuitivè, generarent notitiam certam absque dubitatione; & hæc notitia, quia evidens est, diceretur scientia. Sed Deus absque* B
XLI. *motione objecti potest sic causare notitiam certam absque omni dubitatione; ita quod habens talem notitiam revelatam à Deo, non possit dubitare de veritate illius; cujusmodi notitiam creditur Prophetas habuisse, & multos alios sanctos in Scriptura. Et tales habuerunt habitum præbentem magnum assensum, ita quod illo stante non potuerunt non assentiri veritati: illa tamen certitudo non fuit evidens ex evidentia rei; quia tunc contradictio esset, quod hujusmodi notitia & fides simul starent: fuit tamen certitudo illa firma sicut est certitudo scientialis, quæ causatur ex principiis notis ex evidentia terminorum*: Ergo ex ejus mente habitus ha- C bens certitudinem potest esse scientificus, etsi sit inevidens: sed Theologia habet majorem certitudinem, quàm omnes scientiæ naturales; ergo potiori jure scientiæ dignitatem & appellationem sibi vendicat.

Nego consequentiam; nec enim ea est Doctoris
Ea tamen non est ejus sententia. mens & sententia, vult equidem canonicos Scriptores à Deo excepisse habitum quemdam, quô adhærerent veritatibus sibi revelatis, idque fir-
XLII. miùs & tenaciùs, quàm si veritates illæ fuissent ex principiis evidentibus per discursum elicitæ & demonstratæ; non tamen vult eum habitum fuisse scientificum, subdit enim, *Ideo scientia non potuit dici ex evidentia rei; fuit tamen major cer-* D
XLIII. *titudo quàm certitudo fidei, quia fides non excludit omnem dubitationem, sed aliqua dubitatio potest stare cum fide.* Quibus patet eum loqui, non de habitu qui sit scientia; nulla enim scientia habet majorem certitudinem quàm fides, sed de perfectissimo habitu fidei, qui omnem prorsus dubitationem excludebat in illis viris sanctis, qualem non excludit fidei habitus, qui est cæteris hominibus infusus.

Vnde postquam subjunxit fidem non posse stare cum scientia, ait, *habetur tamen cum fide à multis alius habitus*; idest nova & superaddita priori habitui fidei firmitas & perfectio, seu modus, *Quo assentitur veritati Scripturæ firmiter, & non* E *uni veritati propter aliam, sed cuilibet immediatè*: At constat neminem assentiri Scripturæ immèdiatè nisi per fidem; ac proinde Doctor loquitur ibi de perfecto habitu fidei, non verò de aliquo alio habitu qui sit verè & propriè scientia

CONCLUSIO SECUNDA.

Theologia nostra est scientia imperfecta.

THeologia nostra dici potest SCIENTIA, *eo modo, quo scientiam definivit Aristoteles* 6. *Ethicor.* Patet hujus conclusionis veritas ex præcedenti; siquidem cognitio Theologica est certa; immò longè certior est omnibus scientiis naturalibus, ut infra probabimus. Hâc ratione sancti Patres Theologiam appellant *Scientiam*

&

& *scientiarum Principem ac Reginam*: Imò ipsam simul esse scientiam & sapientiam pluribi affirmat sanctus Augustinus; maximè *Lib. 14. de Trinitate cap.* 1. ubi sermonem faciens de Theologia, ait, *Quâ scientiâ non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ nonnisi æterna est: aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum & piis opituletur & contra impios defendatur, quam proprio vocabulo appellare scientiam videtur Apostolus* primæ Corinth. 12. *dicens: Alii datur sermo scientiæ*: Quibos constat Theologiam nostrã dici posse scientiam, quatenus scientia dicitur cognitio certa, de objecto necessario & infallibili, & per legitimum discursum genita; non verò prout scientifica cognitio etiam objecti evidentiam desiderat. An autem augustum Sapientiæ nomen sibi vendicet, aperiet

XLIV.

Quæstio Tertia.

An Theologia nostra perfecta Sapientiæ titulo glorietur.

Quinque sunt virtutes intellectus.

I.

NOTANNUM *primò* ex Aristotele *6. Ethic. c.* 4. quinque solitò distingui Virtutes intellectus. Prima est *Intelligentia*, quâ percipit prima rerum principia immediatè ac per se, & noo per aliud nota. Secunda *Sapientia*, quæ est notitia rerum divinarum per altissimas causas. Tertia, *Prudentia* quæ occupatur circa ea quæ sunt ab homine bona consequenda, & mala fugienda. Quarta *Scientia*, quæ est cognitio certa & evidens per demonstrationem genita. Quinta denique, est *Ars*, quæ est habitus dirigens facultatem externam ad aliquod opus sensibile peritè moliendum.

II.

Quænam ex eis sit Theologia.

Certum est autem Theologiam non esse *Artem*, nullum enim opus externum directè vel indirectè fabricandum respicit: Certum pariter non esse *scientiam perfectam*, quippe cùm, ut superiùs probatum est, evidentiâ careat; Constat etiam illam *Intelligentiæ* nomine non illustrari, siquidem non est singulis hominibus ingenita illa vis percipiendi prima rerum principia cognitionis; verùm res divinas contemplatur beneficiô fidei revelatas & teseratas. Posset equidem *Prudentiæ* nomine partim gloriari, non enim minor est illius pars quæ detinetur & occupatur in monstrandis vitiis fugiendis, virtutibus sectandis, & mediis ad finem ultimum docentibus designandis: nihilominus cum ipsius dignitas & natura ab objecto, Deo nempe cognoscendo, dignoscatur; hinc fit ut prudentiæ proprio nomine non censeatur appellanda. Restat ergo aperiendum, An vera perfectaque *Sapientia* possit appellari.

Sapientia est triplex *Artificiosa, Scientifica, & Theologica.*

III.

Notandum 2. Sapientiam posse distingui triplicem: aliam quidem *Prophanam*, & vitiosam; aliam *Indifferentem*, & neutram; aliam verò *Sacram*, & laudabilem. Prima, est astutia & versutia hominum mundanorum suis in rebus ac fortunis stabiliendis. Sic ad Romanos 8. *Prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus, vita & pax: Quoniam sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta*; unde Iacobi 3. *Non est ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica*. Secunda est illa notitia philosophica, quæ versatur circa ens ut sic, nobilioresque illius species contemplatur; quam S.Paulus humanam appellat 1. *Corinth.* 2. *Sermo meus*, inquit, *& prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.*

Hæc rursus duplex est, *Acquisita & infusa.*

IV.

Tertia est vel acquisita vel infusa; prior dicitur Theologica, quæ ex revelatis principiis Conclusiones elicit; posterior verò est Donum Spiritus sancti, *quæ est lux descendens à patre luminum*, inquit S. Bonaventura lib. de septem Donis Spiritus sancti, *quæque animam irradians facit eam Deiformem: illustrat enim intellectivam, inflammat affectivam, roborat operativam. Facit intellectivam speciosam, affectivam amœnam, operativam robustam: Simul enim est splendor & sapor; splendor dirigens intellectum ad veri cognitionem, sapor erigens affectum ad saporosam boni dilectionem*; Unde ibidem definitur *habitus supernaturalis animæ à Spiritu sancto infusus ad Deum cognoscendum & saporosè diligendum*, de qua Sapientia hìc non est sermo, sicut nec de propbana, ac naturali, sed solùm de Theologica.

Sapientiæ infusæ dotes & efficacitas.

V.

Sapientiæ acquisitæ definitio.

Notandum 3. Sapientiam acquisitam ex Aristotele lib. 1. Metaph. cap. 1. & ex Doctore ibidem, rectè sic definiri, *Sapientia est altissimus mentis habitus occupatus circa universalissima, difficillima, certissima, omnium causas, & principia evidenter proferens, maximè propter se expetendus & cæteris habitibus scientificis tamquam famulis imperans*. Ex qua definitione colligitur ad perfectam sapientiam sex conditiones desiderari

VI.

Et characteres.

VII.

Primò quidem ut versetur circa omnia scibilia, saltem in genere; est enim scientiarum omnium princeps, & moderatrix, proindeque illarum principia & maximas, saltem in communi, aperire debet & præscribere. *Secundò*, circa difficillima & à sensibus remota; sensibus enim pervia cognoscere, commune est omnium, inquit Aristoteles; solius verò sapientis est recondita & abstrusa perscrutari. *Tertiò*, circa certissima, vel in se, qualia sunt omnia entia necessaria, vel in alio, qualia sunt contingentia, quæ certa sunt in essentia & scientia divina. *Quartò*, evidenter proferens generales causas omnium, quæ sciuntur; ab ea namque cæteræ scientiæ suorum principiorum confirmationem, & evidentiam accipiunt. *Quintò*, propter se debet experi, quæ enim sunt de maximè scibilibus, quales sunt scientiæ quæ versantur circa prima principia, propter se expetuntur. *Sexto* denique, cæteræ Scientiæ ipsi debent ut famulæ subjici, & ei subservire. An autem hos omnes aut saltem præcipuos characteres Theologia Dei, Beatorum, & Viatorum habeat, ut resolvatur sit

Conclosio Unica.

VIII.

Theologia Dei & Beatorum præcipuos Sapientiæ characteres habet.

THEOLOGIA *Dei & Beatorum præcipuos perfectæ Sapientiæ characteres habet; Theologia autem Viatorum deficit in evidentia.* Hæc Conclusio duas partes amplectitur, quarum primam probat Doctot *quæst.* 3. *Prologi num.* 28. ubi cùm dixisset Theologiam non posse dici scientiam perfectam, quatenus versatur circa contingentia, subdit, *Magis tamen propriè potest dici quod Theologia secundùm se est sapientia, quia de* NECESSARIIS *contentis in ea, ipsa habet evidentiam, & necessitatem, & certitudinem, & objectum altissimum, & perfectissimum. Quantùm autem ad* CONTINGENTIA, *habet evidentiam manifestam de contingentibus in objecto Theologico, ut in se visis; & non habet evidentiam mendicatam ab aliis*

prioribus. Vnde notitia contingentium, ut habetur in ea, magis assimilatur Intellectui principiorum, quàm Scientia conclusionum. Quibus Doctor duo probat. Primum quidem Theologiam in se, & quatenus est in intellectu divino & beatifico, habere omnes præcipuos characteres perfectæ *Sapientiæ*, prout versatur circa objecta necessaria. Secundum autem, illam etiam appellari posse *Intelligentiam*, quatenus versatur circa contingentia. Constat ergo Theologiam ut sic consideratam, posse dici sapientiam; prout nimirum sapientia est illa cognitio, quæ evidenter occupatur circa objectum certissimum, altissimum & præstantissimum.

IX. *Theologia Viatorum etiam dici potest sapientia.*

Quòd autem Theologia *Viatorum* (si evidentiam seponas) etiam dici possit sapientia, probatur; *Primò* quidem authoritate Scripturæ sacræ, nam sanctus Paulus 1. *ad Corinth.* 2. de Theologia sermonem faciens ait, *Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam vero non hujus sæculi, neque Principum hujus sæculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysteriis quæ abscondita est, &c.* Hoc ipsum Apostolis spoponderat Christus Dominus Lucæ 21. *Dabo vobis os & sapientiam cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri.* Hanc pariter in sententiam eunt omnes sancti Patres, qui Theologiam illustri nomine *Sapientia* appellant.

Habet enim omnes conditiones ad sapientiam desiderandas, si evidentiam excipias.

Idipsum ratione patet. Etenim nostra Theologia omnes ad perfectam sapientiam desiderandas conditiones habet, si solam evidentiam excludas. *Primò* namque est *altissimus habitus* & circa universalissima & præstantissima occupatus; Deum nempe entium omnium præstantissimom & cæterorum artificem ac cooditorem contemplatur; inde rerum principia, originem, statum, & suos in fines per media congrua directionem aperit & explicat. 2. *Versatur circa certissima* & maximè lovariabilia, saltem ratione medii per quod innotescunt; divina namque rimatur & investigat mediô fidei lumine, quô nihil totius esse potest. 3. *Difficillima scrutatur*; quid enim intellectu & cognitu difficilius, quàm mysteria fidei ex quibus nostra Theologia suas conclusiones deducit? Hæc enim mysteria ratio naturalis quantumcumque perspicax fuerit, nè remotè quidem suspicari & deprehendere potuit.

4. *Omnium causas ac principia profert*, siqoidem ipsa disserit de Deo tanqoam sopremo efficiente & fine omnium; adeoque de rerum omnium ab ipso emanatione, cooservatione, gubernatione, & suos in fines congruos directione: Sicque scientia est omnium: non quidem in universali secundùm prædicationem & cognitionem, quasi traderet principia quibus res singulæ cognoscerentur: sed quia fontem ac principium omnium rerum aperit, idqoe divioo ac supernaturali lomine fidei innixa; qood certè moltò nobilius est ac præstantius, quàm si traderet generales & communes rerum omnium conceptus, earumque principia complexa per lomen naturale, ut facit Metaphysica.

X. *Qualiter propter se expetatur.*

Licet autem ordinetur ad praxim, nihilominùs maximè propter se expetitur, si comparativè ad alias scientias consideretur: siquidem non ordinatur ad eas, ut illis subserviat; imò aliæ ad eam referuntur, tanquam ancillæ, ut ei subsint & famulentur. Hæc eoim est divina illa Sapientia *Quæ misit ancillas suas*, scientias nempe omnes naturales, *vocare ad arcem* divinæ cognitionis & fidei defensionem; ut disertissimè indicat sanctus Bonaventura, *in opusculo de reductione artium & scientiarum ad Theologiam*: Ergo cùm omnes ad sapientiam desiderandæ conditiooes, demptâ evidentiâ, ei competant, non immerito sapientiæ titulo gaudet.

Dices 1. Sapientia tradere debet, probare & ootificare communia rerum & scientiarum principia: sed id non exequitur Theologia nostra, ergo non est sapientia.

XI. *Quomodo tradat & probet principia aliarum scientiarũ.*

Distinguo majorem. Sapientia *Philosophica* & vulgaris quæ nititur lumine rationis, & versatur circa prima principia evidenter & naturaliter nota, concedo: sapientia *Supernaturalis*, seu quæ supernaturali lumine procedit, qualis est Theologia, nego. Ideo enim Metaphysica v. g. tradit & probat principia cæterarum scientiarum, quia est ejusdem ordinis naturalis cum eis, & versatur circa ens in communi, & circa generalia rerum principia, quatenus naturaliter innotescunt: Theologia verò cum lumine superioris ordinis innitatur, etiam altiùs pertingit, nec ad scientias naturales sese deprimit, nisi ut judicet de earum doctrina, & quidquid in eis à veritate repererit alienum, improbet; & à Christianorum Academiis tanquam dogma perversum eliminet.

XII. *Diciturq; scientia generalis.*

Adde quod, si Theologia non tradat principia *Cognitionis*, tradit saltem principia *Entitatis* rerum; siquidem agit de Deo omnium rerum primâ causâ, moderatore summo, ac oltimo fine: idque tàm in ordine naturali, quàm supernaturali. Est etiam aliquatenùs & ex occasione, scientia omnium rerum in particulari, eaque perspicacior, qoàm quælibet scientia naturalis; siquidem occasione *Mysterii Incarnationis*, agit de essentiâ, subsistentiâ & personalitate; docetque subsistentiam & personalitatem realiter ab entitate individui esse distinctam; nec-non duas naturas eâdem subsistentiâ posse subsistere, qood utique Metaphysicis priùs erat ignotum. Similiter agendo *de operibus sex dierum*, aperit entium originem, situm, statum & directionem: insuper præstantissimarum entis specierum, Angelorum nempe & hominom naturam, dotes & proprietates indicat. Agit pariter de accidentibus corporeis in Eucharistiæ Sacramento sine subjecto subsistentibus, de habitibus virtutis & gratiæ, &c. ac proinde dici potest aliquatenus scientia oniversalis.

Dices 2. Sapientia versari debet circa difficilia & à sensibus remota: sed Theologia agit de iis quæ facilè cognosci possunt, & sensibus obversantur, putà de humanitate Christi, homine, Sacramentis, &c. Ergo non est dicenda sapientia.

XIII. *Mysteria fidei non ita facilè cognoscuntur.*

Distinguo minorem. Illa facilè cognosci possunt & à sensibus percipi, ut à Philosopho considerantur exteriùs & secundùm eorum naturalem constitutionem, transeat: ut considerantur à Theologo, & quatenus humanitas Christi est Verbo divino unita personaliter; item prout homines destinantur ad finem supernaturalem per media sopernaturalia; similiter prout Sacramenta assumuntur à Deo tanquam signa certa & efficacia ad producendam gratiam, &c. hæc inquam, sunt cognitu facilia, nego. Hæc enim & cætera quæque in Theologia tradita innotescunt & aperiuntur per solum lumen fidei & discursum lumini supernaturali innixum, ad quæ homo na-

turæ vitibus oullatenus poteſt aſſurgere. Nam ut loquitur ſanctus Paulus 1. ad Corintb. 2. *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur: ſpiritualis autem judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur.*

Quæstio Quarta.

An Theologia noſtra ſubalternetur Scientiæ Dei & Beatorum?

ETſi Theologia noſtra, propter ſuam inevidentiam, perfectæ ſcientiæ titulis non illuſtretur, proindeque ſopetfluè, & inaniter præſens Quæſtio moveri videatur; etenim ſi noo ſit ſcientia, conſeqoens eſt ut neque ſit ſcieotia ſubalternata: quia tamen ex ejus diſcuſſione & reſolutione magis firmatur præcedens concluſio, infirmaturque validiùs opinio Thomiſtarum contendentium idcirco Theologiam noſtram eſſe ſcientiam, qoia ejus principia ſunt evidentia in Theologia Dei & Beatorum quibus ſubalternatur; ut hoc poſtremum effugium præcludamus, operæ pretium eſt demonſtremus Theologiam noſtram oullatenus ſubalternari ſcientiæ Dei & Beatorum, quod ut fiat evidentiùs,

I.

Status Quæſtionis.

II.

Quid ſit ſcientia ſubalternans & ſubalternata.

Notandum primò; inter ſcientias, aliquas *Subalternatas*, & alias *Subalternantes* appellari. Priores ſunt, qoæ ſub alia collocantur, à qua dependent in certitudine, & evidentia ſui objecti, ſuorumque principiorum: poſteriores verò quæ talia objecta evidenter demonſtrant probantque principia ſcieotiarum inferiorum: ſic Medicina dicitur ſubalternari Phyſicæ, quia in Phyſica Medicinæ principia probantur, & corporis humani, quod eſt illius objectum, natura & proprietates demonſtrantur ac notificantur.

Tres ſunt conditiones ad ſubalternationem deſiderandæ.

III.

Notandum 2. ad ſubalternationem ſcientiarum tres præcipuas deſiderari conditiones. *Prima* eſt, ut materiale ſubjectum ſubalternatæ contineatur ſub objecto generali ſubalternantis, ſicut corpos humanum, quod eſt objectum Medicinæ, continetur ſub corpore naturali, quod eſt generale objectum Phyſicæ, cui Medicina ſubalternatur. *Secunda*, ut ſcientia ſubalternata conſideret illud objectum ſub aliqua differentia accidentali, ſub qua non conſideratur à ſubalternante, ratione cujos differentiæ objectum habeat novam ſcibilitatem; & ſit veluti radix oovarom proprietatum, quæ in ſcientia ſubalternata demonſtrantur. Sic Medicina conſiderat corpus naturale ot ſanabile, quæ *Sanabilitas* non cooſideratur à Phyſica, eſtque ratio, & radix omnium proprietarum, quas Medicina in humano corpore detegit & inveſtigat. *Tertia*, quod ſubalternata dependeat in certitudine & evidentia ſuorum priocipiorum à ſubalternante; ita quód hujus concluſiones ſint principia alterius; ubi enim ſcientia ſubalternans deſinit, ibi ſubalternata incipit, ut obſervat Doctor *Quæſt.* 3. *Prologi, Num.* 30. unde vulgare effatum, *Ibi Medicus incipit, ubi deſinit Phyſicus.*

Notandum 3. ſcientiam ſubalternatam aliquas babere proprietates à ſubalternantis proprietatibus diverſas. *Prima* eſt, qoód ſubalternaos procedat ex principiis perſe notis in ſeipſa: ſubalternata verò ex principiis ootis in

IV. ſubalternante. *Secunda*, quód ſubalternans ſit

A ſuperior & independens tam qooad objectum, quàm quoad principia ſua ootificanda: ſubalternata verò ſit inferior, & à ſubalternante quoad utrumque dependens. *Tertia*, quód utraque debeat & poſſit eſſe in eodem ſubjecto & intellectu, quia una debet aliam illuſtrare probando & notificando ejus principia, quod fieri non poſſet, ſi ſubalternans & ſubalternata eſſent in diverſis ſubjectis; ſicut enim ſubalternata non eſſet ſcientia ſi ipſius cooclusiones non eſſent reſolubiles in principia evidenter nota; ita non eſſet ſcientia in hoc intellecto, niſi hic intellectus poſſet illius ſcientiæ ſubalternatæ concluſiones reſolvere in principia evidenter

Diſcrimen inter ſubalternantem & ſubalternatam.

B nota; ſed non poſſet hanc formare reſolutionem ſi non haberet ſcientiam ſubalternantem, quæ continet & demonſtrat principia ſubalternata, ac proinde utraque debet eſſe in eodem intellectu.

Conclusio Prima.

V.

Theologia noſtra non ſubalternatur Theologiæ Dei & Beatorũ.

THeologia Viatorum nullatenus Beatorum ſcientiæ diſcurſivæ, ac Theologicæ ſubalternatur. Hæc eſt Doctoris ſubt. *quæſt.* 3. *Prologi num.* 30. & in 3. *quæſt. unica diſt.* 24. contra S. Thomam & ejus ſequaces. Probat Doctor *Primò*: Scientia ſubalternata eſt compatibilis cum ſubalternante in eodem ſubjecto: ſed Theologia noſtra non poteſt ſubſiſtere cum Theologia

C Beatorum; ergo ei non ſubalternatur. Major patet ex 3. notabili. Minor probatur: Theologia noſtra oititur fide, ejus enim principia ſunt articuli fidei, ex quibus ſuas concluſiones elicit; ſed fides oequit ſubſiſtere cum ſcientia Beatorum: ergo neqoe Theologia noſtra, quod fuſiùs ſequenti cooclusione probabimus.

1. Quia non poſſũt ſimul ſubſiſtere.

VI.

2. Quia noſtra Theologia non cauſatur à Theologia Beatorum.

Secundò: Scientia ſubalternata dependet à ſubalternante tanquam à cauſa; concluſiones enim ſubalternantis ſunt principia concluſionum ſubalternatæ; hæ ſiquidem per illas probantur, & conſequenter ſunt etiam principia, & cauſæ ſcientiæ ſubalternatæ; quia quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati: ſed Theologia noſtra non dependet à ſcientia Beatorum

D tanquam à cauſa. Probatur, Si Theologia Beatorum eſſet cauſa noſtræ Theologiæ, maximè vel ratione objecti, vel ratione potentiæ & ſubjecti, vel ratione luminis: ſed neutrum poteſt affirmari; noſtra namque Theologia non pendet à ſcientia Beatorum tanquam ab *objecto*, aut à *potentia*, quia Deus eſt objectum, & intellectus noſter eſt ſubjectum Theologiæ noſtræ independenter à Theologia Beatorum. Neque etiam ab ea pendet tanquam à *lumine*, quia Theologia noſtra dependet à lumine fidei. Inſuper concluſiooes noſtræ Theologiæ formantur & noſcuntur independenter à lumine viſionis Beatificæ; & conſequenter ab ea non depeodent tan-

VII.

E quam à cauſa: Ergo noſtra Theologia oon ſubalternatur Beatorum Theologiæ.

3. Quia utraque verſatur circa idem objectum.

Tertio: Scientia ſubalternata per ſe primò non verſatur circa eaſdem veritates quas ſubalternans conſiderat; quia ubi hæc deſinit, illa incipit, eò quod ſubalternatæ cooclusiones probari debeant per concluſiones ſubalternantis tanquam per principia: ſed Theologia noſtra verſatur circa eaſdem veritates circa quas Theologia Beatorum occupatur: myſteria enim credita, ex quibus ooſtras concluſiones deducimus, eadem ſunt ex quibus Beati ſuas concluſiones eliciunt; cum hoc ſolo diſcrimine, quód eadem myſteria quæ à nobis obſcurè per fidem, ab eis

VIII.

clarè & intuitivè per lumen gloriæ innotescant. A Hinc dicere possunt, *Sicut audivimus* (per fidem quæ est ex auditu) *sic videmus in civitate Domini, &c.* Psal. 47.

4. Utraq; non potest simul possideri. IX. *Quartò*; Qui habet scientiam subalternatam, potest, imò debet habere etiam subalternantem; alioquin non est perfectè sciens, cùm non possit scientiæ subalternatæ conclusiones resolvere in principia evidenter nota, quæ per subalternantem innotescunt; subalternans enim est habitus quô cognoscuntur principia scientiæ subalternatæ: impossibile autem est acquirere habitum conclusionum, nisi priùs habeatur habitus principiorum; unde Medicus debet callere Physicam saltem quantùm ad ea quæ habent rationem principii respectu Medicinæ. Sed nec possumus habere Theologiam Beatorum, nec illi nostram: Ergo nostra Theologia eorum scientiæ non subalternatur.

5. Una non considerat objectum sub aliqua ratione speciali. X. *Quintò*: Scientia subalternata considerat objectum suum sub aliqua ratione reali accidentali, sub quâ à subalternante non consideratur; Medicina enim considerat corpus naturale ut sanabile, qualiter à Physica non conspicitur, & per hanc differentiam Medicina specie distinguitur à Physica: sed Theologia nostra habet idem omninò objectum ac Theologia Beatorum, putà Deum sub ratione Deitatis: Ergo ei non subalternatur.

Nec refert quod à Beatis Deus sit clarè visus, C à nobis autem obscurè & per revelationem cognitus. Hæc enim non efficiunt diversitatem realem in objecto. *Tum quia* hæc diversitas non ab objecto, sed à diversitate luminis, nempè gloriæ & fidei est repetenda: *Tum quia* esse *clarè visum*, est tantùm denominatio extrinseca, quæ proinde non infert aliquam in objecto diversitatem realem, sub quâ considerari possit ab unâ scientiâ & non ab aliâ. *Tum quia* objectum sub ratione formali objecti præcedit scientiam, sicut causa effectum; ab objecto enim & potentia pariter omnis notitia: sed Deus ut clarè visus, non præcedit scientiam beatam, quæ est visio; imò potius eam sequitur, quia à visione dicitur *visus*. Ergo hæc ratio *clarè visi*, non est ratio D objectiva specificans & distinguens essentialiter scientiam beatorum à nostrâ.

XI. Replica moderni Thomistæ. *Reponis* Gonetus; quod licet in scientiis naturalibus subalternata debeat considerare objectum sub aliqua ratione accidentali, quæ sit ratio novæ scibilitatis, & radix proprietatum, quas subalternans non considerat; tamen hanc conditionem in Theologia non desiderari. Cùm enim Theologiæ objectum sit infinitum & illimitatum; ex se, & sine additione ullius differentiæ accidentalis habet plures modos scibilitatis, ratione quorum potest diversas terminare scientias, & cognosci per unam scientiam omnino supernaturalem, qualis est scientia Beatorum; E & per aliam naturalem, quæ per lumen naturale, & discursum suas conclusiones deducit ex principiis illius scientiæ Beatorum, qualis est Theologia nostra.

Exploditur & refellitur. XII. *Contra* 1. Implicantia loquitur, dicendo Theologiam nostram petere inevidentiam ex natura sua, eam tamen habere tantùm per accidens adjunctam & ratione status; quod enim postulatur ex natura rei, ipsi competit, non per accidens, & ratione extrinseci, sed ratione intrinsecorum suorum principiorum. Licet enim v. g. calor in igne sit accidēs; quia tamen ignis calorem ex naturâ suâ postulat, nemo dixerit ei competere solùm ratione status, & ab extrinseco; ac proinde vel Theologia nostra non postulat nevidentiam ex natura sua, vel eam non habet solùm ab extrinseco & ratione fidei cui innititur, & status viatoris in quo est; sed eam habet ab intrinseca sua ratione, & ex principiis ex quibus suas conclusiones deducit. Unde sicut evidentia est intrinseca scientiæ Beatorum, quia suas conclusiones eliciunt ex principiis evidenter cognitis per lumen gloriæ; ita inevidentia est intrinseca Theologiæ nostræ, quia suas deducit Conclusiones ex principiis inevidentet per fidem cognitis.

Secundò, Illa obscura revelabilitas non se tenet B ex parte objecti cognoscibilis, quod ex se nihil obscurum habet, nihil quod non sit evidens & evidenter cognoscibile: sed repetitur solùm ex parte luminis & medii, quô objectum idem clarè à Beatis per lumen gloriæ, & obscurè à Viatoribus per fidem deprehenditur: Sed diversitas luminis non sufficit ad rationē subalternationis, ut in secunda probatione demonstravimus. XIII.

Tertiò, hæc responsio falsô fundamentô nititur; putà quod Theologia nostra & Beatorum penes solum statum differant, ita quod Theologia Viatorum eadem perseveret in statu beatitudinis, quod ut resolvatur, sit

CONCLUSIO SECUNDA.

THEOLOGIA, *quam hic per discursum acquirimus, non remanebit in statu beatitudinis.* Probatur *primò* ex Apostolo *prima ad Corinth. c. 13.* ubi cum dixisset, *Charitas nusquam excidit*, subjungit: *Sive prophetiæ evacuabuntur sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.* Ex quibus sic argumentor, Scientia quam in patriâ destruendam indicat Apostolus, est Theologia hìc acquisita: ergo hæc in patriâ non remanebit. Probatur antecedens, Eam scientiam dicit esse destruendam, de quâ priùs sermonem faciens dixerat, *Si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia & omnem scientiam:* sed hæc est Theologica, quâ nempe novit mysteria per conclusiones ex articulis fidei deductas, ut patet. Ergo censet scientiam Theologicam in patriâ non remanere. XIV. Theologia nostra non perseverat in statu beatitudinis.

Respondebis forsan cum quibusdam Thomistis, eô modô scientiam ab Apostolo dici destruendam, quomodo elementa dicuntur à Christo solvenda post diem judicii: ita quòd, sicut elementa non solventur quantùm ad substantiam, sed solùm quantùm ad modum & statum, quia scilicet transibunt à statu imperfectiori ad statum perfectiorem; ita similiter scientia nostra non destruitur quantùm ad substantiam habitus, sed tantùm, quantùm ad modum obscuritatis, vel inevidentiæ, quam hìc habet. Thomistarum replica. XV.

Contra. Hæc explicatio omninò contraria est verbis Apostoli, & ab eius mente longè aliena, *tum quia* simpliciter & absolutè Apostolus dicit scientiam esse destruendam, destructio autem, non est sola rei defœcatio sive transitus à statu minùs perfecto ad statum perfectiorem, uti de elementis Christus loquitur dicendo *Cœlum & terra transibunt*: sed verbum *destruo* significat rei desitionem, ac cessationem sive transitum à non esse ad esse. *Tum quia* eô modô dicit scientiam esse destruendam, quomodo prophetiam evacuandam: at certum est prophetiam nullatenus remanere in patriâ, sed omninò deficere: ergo idem ferendum judicium de scientia Theo- Refellitur. XVI.

logicâ. *Tum denique*, quia hujus desitionis, & destructionis rationem reddit Apostolus: *Ex parte enim*, inquit, *cognoscimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Hoc est, quidquid modò cognoscimus, tantùm novimus partim per prophetiam & partim per scientiam Theologicam; quæ utraque cognitio cùm sit imperfecta, utpote obscura & inevidens, evacuabitur, cùm perfecta & evidens cognitio beatifica advenerit: Ergo apertè censet Apostolus omnem cognitionem, quam hic de Deo per discursum Theologicum habemus, in patria non subsistere, sed desinere.

Probatur ratione. *Probatur secundò*: Fides non remanebit in statu beatidinis: Ergo neque Theologia nostra. Antecedens ab omnibus Theologis admittitur & colligitur ex his Apostoli verbis, *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Consequentia probatur, Theologia nostra fide nititur; ex illius enim articulis omnes suas conclusiones deducit: Ergo fide pereunte necesse est etiam Theologia nostra pereat, fundamenti namque jactura ædificii ruinam infert.

XVII. *Confirmatur*: Ideo fides non remanet in patriâ, quia cùm sit obscura & inevidens, est incompossibilis cum scientiâ beatâ & clarâ Dei visione: sed Theologia nostra pariter est obscura & inevidens, nedum ratione status, & per accidens (ut volunt Thomistæ): sed ex principiis suis intrinsecis, & ex ratione sua formali, quod sic evinco. Talis est Conclusio essentialiter & intrinsecè, qualia sunt principia ex quibus deducitur; sed principia nostræ Theologiæ sunt intrinsecè inevidentia: sunt enim articuli fidei, qui ut articuli fidei sunt, habent annexam inevidentiam, & obscuritatem, cùm per solam fidem, & revelationem innotescant: Ergo conclusio Theologica intrinsecè est inevidens; proindeque cum visione beatificâ subsistere nequit.

Quomodo habitus pereat. *Dices* 1. Nullus habitus destruitur, nisi Vel *per se*, & ad introductionem contrarii, sicut habitus temperantiæ solvitur per vitium intemperantiæ; Vel *per accidens*, & ad desitionem subjecti inquo est, aut objecti de quo est, aut actûs per quem formatur & vegetatur: sed Theologia nostra neutro ex his modis perire potest in patria: Ergo non desinit, sed perseverat. Major nota est Philosophis: Minor patet quoad utramque partem: primò namque visio beatifica non opponitur per se Theologiæ nostræ, sed tantùm per accidens & ratione diversi luminis, fidei & gloriæ: secundò, idem est objectum, eademque facultas intellectiva, & discursiva, tàm in via quàm in patria: Ergo, &c.

XVIII. *Nego minorem* quantùm ad primam partem, siquidem visio beatifica per se opponitur Theologiæ, sicut clarum obscuro & evidens inevidenti, ut sæpe jam dictum est, ac proinde necessum est ut ad accessum visionis beatificæ omnis nostra Theologia pereat, sicut ad solis ortum tenebræ solvuntur, & evanescunt.

Et Theologia nostra esse desinat. XIX. *Dices* 2. Sanctus Hieronymus censet Theologicam scientiam in cælo perseverare, siquidem *Epistola ad Paulinum* eum adhortans ad studium sacræ Scripturæ, ait; *Discamus in terris quorum scientia perseveret nobiscum in cælis.* Et sanctus Chrysostomus *in cap.* 13. *prima ad Corinth.* expendens præfata verba sancti Pauli, ait, *Non abolebitur scientia, sed desinet esse non perfecta*: Ergo censent Theologiam non deficere, sed perseverare in cælo.

Nego consequentiam, & ad sanctum Hieronymum dico, eum loqui de rebus scitis, non de ipsa scientia, ita quod velit Paulinum incumbere studio mysteriorum, quorum scientiam evidentem & claram habere debet in cælis. *Ad S. Chrysostomum*, dico eum velle scientiam nostram, equidem non aboleri, non quod præcedens remaneat; sed quod ad imperfectæ & obscuræ cognitionis desitionem, clara & evidens succedat.

QUÆSTIO QUINTA.

Quodnam sit objectum Theologiæ nostræ?

EX *Philosophia* compertum est *objectum* scientiæ id omne dici quod objicitur seu proponitur intellectui cognoscendum per illam scientiam: dicitur etiam *subjectum*, non quidem *inhæsionis*, seu cui aliquod accidens inhæret; sed *attributionis*, quia omnia de quibus agit scientia ipsi attribuuntur, & ad ipsum referuntur vel tanquam partes, vel tanquam proprietates, vel tanquam species, si quas habeat. I. Quid sit objectum scientiæ?

Notandum autem *primò*, duplex solitò distingui objectum, *materiale* videlicet & *formale*. Primum itá dicitur, non quòd sit corporeum, & materiâ physicâ constans: sed per quandam analogiam, quam habet cum materiâ; sicut enim illa est indifferens ad varias formas à quibus informetur; ita hoc indifferens est ad varias scientias à quibus attingatur & percipiatur; idem enim corpus humanum v. g. dici potest objectum Medicinæ, ut sanabile: Physicæ, ut naturale: & Geometriæ ut extensum est. *Secundum* autem est illa formalitas in objecto materiali reperienda, quæ ipsum determinat ad certam scientiam; sic *naturalitas* determinat corpus humanum ad Physicam, *sanabilitas* ad Medicinam, *quantitas* ad Geometriam, &c. Utrumque est iterum duplex nempe *adæquatum*, seu totale, ad quod omnia quæ tractantur in scientia referuntur vel tanquam partes, vel ut proprietates, vel ut causæ, vel ut effectus, &c. Et *Inadæquatum* seu partiale, quod ab una tantùm parte illius scientiæ consideratur. Quid sit objectum materiale, II. Et formale. Adæquatū & Inadæquatum.

Notandum 2. Objectum formale, ut omnes alias omittam illius acceptiones & usurpationes, posse distingui triplex, nimirum specificativum, motivum, & terminativum. *Specificativum*, seu *quo*, est illa formalitas reperienda in objecto materiali v. g. sanabilitas in corpore humano, quæ illud determinat ad Medicinam, & eam specificat & distinguit à qualibet alia scientia. *Motivum* seu *quia*, est ratio quâ movetur intellectus ad objectum cognoscendum, & sine qua ad illius cognitionem sese non accingeret; sic lux dici potest objectum movens visum ad percipiendum colorem, & præmissæ objectivæ dici possunt movere intellectum ad assensum præbendum conclusioni: & quia revelatio divina objectivè intellectui proposita, ipsum movet ad assensum fidei, dici potest objectum formale motivum illius assensus. *Terminativum* autem seu *quod*, est totum conflatum ex objecto materiali & formali, quod terminat omnes cognitiones quæ in scientia de tali objecto habentur: sic *sanabile* dici potest objectum terminativum Medicinæ, quia est ratio terminâs omnes Medicinæ cognitiones & conclusiones, III. Objectum formale est triplex. Specificativum. Motivum. Et Terminativum.

IV. His adde rationem formalem *sub qua*, quam licet intellectus in objecto non attendat dum per scientiam versatur circa illud objectum; tamen si hæc non adesset, ad objectum per illam scientiam non tenderet. Sic *visibilitas* est ratio sub qua oculus colorem deprehendit; quamvis enim videns colorem non videat visibilitatem; tamen si color non esset visibilis, ab oculo non videretur. Sic pariter abstractio à materia est ratio sub qua Metaphysica considerat ens & ejus proprietates; quia licet dum Metaphysicus considerat ens, & in eo unitatem, bonitatem, &c. non attendat an præscindant à materia; tamen nisi ita præscinderent, illa Metaphysicus non consideraret, eò quòd objectum Metaphysicæ ab omni materia præscindere debeat.

Quid sit ratio formalis *sub qua*?

Notandum 3. aliquid dici posse revelatum dupliciter. *Primò*, formaliter, immediatè, & explicitè; sic revelatum est Deum esse unum in essentia, & trinum in personis, Verbum divinum esse incarnatum, &c. *Secundò* virtualiter, mediatè & implicitè, quando videlicet in re immediatè revelatâ, alia virtualiter, intrinsecè & necessariò continetur, aut eam sequitur, vel ut principium, vel ut proprietas, vel ut effectus, qui per discursum ab ea deducitur, qualiter in hac propositione immediatè revelatâ (Christus est homo) hæc virtualiter, & mediatè revelantur, *Christus est risibilis, discursivus*, &c. quia vis ridendi & discurrendi sunt proprietates ab homine inseparabiles.

Aliquid dici potest revelari duobus modis.

V.

His prælibatis resolvendum est quodnam sit objectum tàm materiale, quàm formale Theologiæ: in cujus quæstionis discussione, ita dissentiunt Theologiæ Principes, ut ex omnibus vix duo invicem consentiant. Quid autem verius Doctori Subtili visum fuerit, ut pateat sit

CONCLUSIO PRIMA.

DEus est objectum adæquatum Theologiæ nostræ. Ita Doctor, *Quæst.* 3. *Prologi Num.* 7. quanquam enim ibi loquatur solùm de objecto Theologiæ *in se* & quatenus est in intellectu divino, tamen eum idem sentire de Theologia, quæ *in nobis est* evincam infra. Probatur itaque conclusio: Illud est objectum adæquatum scientiæ quod continet omnes veritates, & ad quod referuntur omnia quæ in eâ tractantur: sed Deus virtualiter continet omnes veritates, & ad eum referuntur omnia, quæ in Theologia tractantur; Ergo est illius objectum adæquatum.

VI.

Deus est objectum Theologiæ nostræ.

Probatur Minor: Quidquid in Theologia traditur, respicit Deum subsistentem, operantem & producentem *Vel* in ordine Divinitatis, & est *Primus* liber sententiarum; *Vel* in ordine naturæ res creando, moderando, & destinando ad suos fines per media cuique congrua, & hæc *Secundus* liber continet; *Vel* in ordine gratiæ media supernaturalia hominibus subministrando ad finem supernaturalem assequendum, & de his *Tertius* liber disputat. Denique in ordine gloriæ cuique præmium vel supplicia decernendo pro meritis & demeritis.

Theologiæ divisio in quatuor partes, ratione quadruplicis status & ordinis; Naturæ, gratiæ, gloriæ & divinitatis.

VII. Seu, ut ait Aureolus noster, *Quæst.* 4. *Prologi Art.* 4. cum Theologia, inquit, sit de Deo & de divinis; Divina possunt dici aliqua per essentiam, aliqua per participationem; quæ verò per participationem, quædam dicuntur diuina per assumptionem ut Christus & humanitas ejus: Quædam vero per creationem & gubernationem, ut universus mundus comprehendens omnem creaturam: Quædam verò per præceptum & prohibitionem, ut virtutes & vitia: Quædam verò per institutionem, ut Sacramenta: Quædam verò per ultimatam directionem, ut visio & dilectio beatifica. Quibus apertè constat omnia quæ tractantur in Theologia ad Deum tanquam ad objectum adæquatum referri.

Vel ratione divini esse quod variè dicitur.

VIII.

Confirmatur per improbationem aliarum præcipuarum sententiarum: Primo quidem, objectum Theologiæ non sunt RES & SIGNA, ut asserit Magister sententiarum *librô primô dist.* 1. intelligendo *signorum* nomine, res quæ sunt aliorum symbola; sive interim efficiant quod significant, ut Sacramenta; sive tantùm significent, & præfigurent, ut figuræ veteris testamenti quæ significabant mysteria nouæ legis. Hæc inquam, sententia meritò ab omnibus exploditur, Tum quia res secundùm se considerantur à Physica vel Metaphysica, quarum est naturam & proprietates rerum indagare; quatenùs autem habent rationem signi, considerantur vel à Grammaticâ vel à Logicâ, quarum est nominum & rerum significationem aperire: Ergo res & signa non sunt proprium objectum Theologiæ: Tùm quia Theologia juxta nominis etymon, est sermo vel cognitio de Deo; & proinde res & signa non possunt esse illius objectum, nisi quatenus appropriantur Deo, & usurpantur ad divina significanda: sicque Deus congruentiùs statuitur objectum quàm res & signa

Improbatur sententia Magistri assignantis Res & signa pro objecto.

IX.

Secundò, neque OPUS MERITORIUM aut SALUS HOMINIS congruè assignari possunt in objectum Theologiæ, ut voluit Durandus, *Quæst.* 1. & 5. *Prologi*, Tum quia, quæ tractantur in Theologia non referuntur ad opus meritorium, putà unitas essentiæ, trinitas personarum, &c. Immò opera meritoria ordinantur ad aliud; considerantur enim ut sunt à Deo & in Deum tendunt: Tum quia etsi nullum esset opus meritorium, nullaque speranda salus, nihilominus salva remanere posset Theologia; Angelus enim aut homo viator fide illustratus, deducere posset conclusiones Theologicas ex objectis sibi revelatis: Ergo, &c.

Et Durandi assignantis opus meritorium.

X.

Tertio denique neque CHRISTUS quatenus DEUS HOMO legitimè statuitur objectum Theologiæ, ut voluit Sanctus Bonaventura *Quæstione prima Prologi*, & plures alii cum eo: Tum quia, ut inquit Doctor, si Christus esset objectum adæquatum Theologiæ, sequeretur quatuor propositiones non esse Theologicas; nimirum propositiones necessarias de persona Patris & Spiritus sancti; quales sunt, *Pater generat, Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit*; nec etiam veritates contingentes quæ de ipsis formantur verbi gratiâ, *Pater creat cum Filio: Spiritus sanctus temporaliter missus est in Apostolos & per gratiam infunditur in homines justificatos.*

Et S. Bonaventuræ assignantis Christum in objectū Theologiæ.

XI.

Similiter nec veræ essent propositiones necessariæ de Deo Trino & Uno; verbi gratia, *Deus omnipotens, immensus*, &c. nec contingentes, verbi gratiâ, *Deus creat, ordinat & regit mundum*, &c. hoc autem absurdum est; Ergo & illud unde sequitur. Consequentia patet; nulla enim veritas pertinet ad aliquam scientiam, nisi quia spectat ad illius objectum, vel ut pars subjectiva illius, vel ut pars integralis, aut essentialis, vel tandem ut illius proprietas: sed nec Pater, nec Spiritus sanctus, nec Trinitas personarum sunt Christus, nec pars subjectiva vel essentialis

XII.

Qui tamen esse nequit objectum illius adæquatum.

vel integralis Christi, nec sunt eius proprietates: Ergo veritates de illis non essent propriè Theologicæ si Christus esset adæquatum Theologiæ objectū. Minor patet, quia Christus ut Deus-homo non censetur comprehendere Patrem & Spiritum sanctum, est enim persona ab eis distincta.

XIII. Quatenus est Deus homo. Insuper cum Christus involvat simul & dicat divinam & humanam naturam, si esset adæquatum objectum Theologiæ, cum hoc debeat esse prius saltem naturâ & conceptu omnibus objectis particularibus quæ complectitur, & quæ ad ipsum referuntur, consequens esset quod secundùm humanam naturam esset prior Patre & Spiritu sancto: Sed hoc asserere nullus Catholicus debet nec potest. Denique Christus ut homo consideratur à scientiis naturalibus; à Metaphysica quidem, quatenus est ens; à Physica quatenus corporeus &c. ac proinde non posset statui objectum Theologiæ, nisi præcisè quatenus est homo Deus, sicque Deitas esset ratio principalis cur statueretur Theologiæ objectum. Ergo non Christus, sed Deus ipse legitimè assignatur in adæquatum Theologiæ objectum.

XIV. *Replicat* Linconiensis, Christum equidem præcisè spectatum & penes solam naturam divinam & humanam, non rectè assignari in adæquatum Theologiæ objectum: benè verò si spectetur juxta triplicem unitatem vel *essentiæ*, quam habet cum Patre & Spiritu sancto; vel *personæ*, quam habet cum natura divina & humana; vel *capitis*, quam habet cum Ecclesiæ membris: nihil enim inquit in Theologia tractatur, quod ad alterutram illarum unitatum non revocetur.

Nec secundùm triplicem unitatem essentiæ, personæ & capitis. *Verùm* neque hac etiam ratione Christus assignari potest in adæquatum Theologiæ objectum; siquidem ut dictum est, omnes propositiones tum necessariæ, tum contingentes, quæ fiunt de Patre & Spiritu sancto, hac ratione non essent Theologicæ; siquidem ad Christum juxta alterutram illarum unitatum revocari non pos-

XV. sunt. *Deinde* ex hoc sequeretur Christum posse dici priorem Patre; siquidem objectum adæquatum, prius est prioritate conceptus objectis particularibus sub se contentis. Itaque consequens est ut Deus ipse assignetur in objectum adæquatum Theologiæ.

Dices 1. Plura traduntur in Theologia, quæ ad Deum reduci nec debent nec possunt, putà vitia & peccata: Ergo Deus non est adæquatum Theologiæ objectum.

Quomodo vitia considerentur à Theologo. *Distinguo antecedens*: Reduci non debent directè, concedo, non enim sunt media ad Deum assequendum ordinata, imò ab ejus possessione removent: indirectè saltem, nego; vitia enim, etsi non habeant Deum authorem, quia non habent causam efficientem, sed deficientem, eò quód non sint effectus, sed potius defectus hu-

XVI. manæ libertatis à recto tramite devlantis; Deum tamen respiciunt ut causam permittentem, ordinantem & punientem. Deus enim propter suam infinitam libertatem, & ne nostram voluntatem coërceat, peccata fieri permittit ex sa-

Deus vitia & mala in bonum ordinat. pientiâ, ad bonum aliquod ordinat ex providentia, & ex justitia punit; nam ut ait sanctus Augustinus tractatu 112. in Joannem, *Bene utitur Deus bonus malis, & facit bona de malis,*

XVII. *ad faciendos bonos ex malis, & discernendos bonos à malis.*

Dices 2. Scientia quælibet supponit, non verò probat existentiam sui objecti: sed Theologia probat existentiam Dei, ut patebit infra: Ergo

A Deus non est ejus objectum.

Quare Theologia probet sui objecti existētiam. *Distinguo majorem*, Scientia non probat existentiam sui objecti à priori & per medium proprium & intrinsecum, concedo: non probat à posteriori per medium extrinsecum, seu per illius effectus, nego majorem.

XVIII. *Similiter distinguo minorem*, probat existentiam Dei à priori & ex propriis suis principiis, scilicet articulis fidei, nego: à posteriori per effectus, & ex principiis aliarum scientiarum naturalium, ut retundat Atheorum insaniam, concedo: Dei enim existentia, ut est ens supernaturale, qualiter à Theologia consideratur, non probatur ulla ratione, sed fide creditur.

B

CONCLUSIO SECUNDA.

XIX. OBIECTUM *formale* quod, *seu specificativum ac terminativum Theologiæ, est Deus, sub ratione Deitatis.* Probat Doctor, *quæst.* 3. *prologi num.* 7. Deus sub ea ratione est objectum specificativum Theologiæ, sub qua continet virtualiter omnes veritates, quæ in ea tractantur: sed eas continet sub ratione Deitatis: Omnes enim veritates, quæ traduntur, & considerantur in Theologia, vel sunt necessariorum, vel contingentium; eas autem omnes Deus virtualiter continet per rationem formalem Deitatis.

Deus sub ratione *Deitatis* est objectum formale Theologiæ.

C *Necessarias* quidem; ratio enim cur Deus sit unus, trinus, infinitus, æternus, &c. est ipsa Deitas; & per ipsam Deitatem evidenter notam, potest quilibet Beatus omnia quæ Deo competunt demonstrare; est enim ipsa Deitas fons & radix omnium quæ sunt in Deo; ac proinde est ratio pariter quâ probari possit illa Deo competere.

XX. *Contingentes* etiam, etenim quod Deus sit creator, sanctificator, glorificator, vel aliquid ex iis quæ vel Patri, vel Filio, vel Spiritui sancto, sigillatim, vel simul toti Trinitati contingenter tribuuntur, non alia ratione hæc ipsi competunt, quàm ipsius Deitatis, quæ cùm sit prima & fundamentalis ratio omnium quæ in Deo sunt, etiam virtualiter continet veritatem & scibilitatem eorum omnium, quæ de Deo affirmantur.

1. Quia Deitas est ratio cur cætera à Theologia considerentur.

D

XXI. *Secundò*, Nobilissimi habitus nobilissimum debet esse objectum, & sub nobilissima ratione: sed inter habitus intellectus, Theologia est nobilissima; inter objecta scibilia Deus est nobilissimus; & ipsa Deitas est præstantissima inter omnes rationes divinas, cùm sit aliarum radix & fundamentum: Ergo Deus sub ratione Deitatis est objectum formale Theologiæ.

2. Quia habitus nobilissimi debet esse objectum nobilissimum.

XXII. *Tertiò*, Illud est objectum formale specificativum, quô Theologia distinguitur ab aliis scientiis Deum spectantibus: sed per solam rationem Deitatis, Theologia distinguitur à Metaphysica, quæ itidem Deum considerat, non sub ratione Deitatis, sed sub ratione primæ causæ, entis infiniti, finis ultimi, &c. ut patet ex 1. & 12. *Metaphysicorum*: Ergo necessum est Theologia Deum contempletur sub ratione Deitatis.

3. Quia est ratio specificativa & distinctiva Theologiæ.

E

Quartò, Deus est objectum Theologiæ, sub ea ratione, sub qua objicitur fidei & visioni beatificæ; Theologia enim à fide pendet & ad visionem beatificam ordinatur, & illæ notitiæ sibi invicem succedunt: Sed omnes fatentur Deum esse objectum visionis beatificæ sub ratione deitatis: siquidem beati Deum vident sicuti est. Est pariter objectum fidei sub eadem ratione; idquè vel immediatè, putà in illis articulis fidei qui sunt

4. Quia sic consideratur à Beatis & Fidelibus.

XXIII.

immediatè de Deo Vno aut Trino; vel mediatè, A nimirum in illis articulis, qui concernunt Verbi incarnationem, nativitatem, passionem, &c. illi enim articuli non sunt de homine puro, sed de homine-Deo. Ergo Deus sub ratione Deitatis est objectum Theologiæ.

5. Quia positâ ratione Deitatis, subsistit ea integro Theologia, & ea sublatâ perit.

Quintò denique, illud est objectum formale specificatiuum Theologiæ, quô positô illa ponitur, & quô sublatô, perit, cæteris etiam aliis remanentibus: sed etiamsi Deus non fuisset vel Redemptor, vel Creator, vel Glorificator, nec ullas habuisset ex illis appellationibus, quas obtinet in ordine vel naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ; non minùs salva fuisset Theologia: siquidem his circumscriptis, Theologus varias de B

XXIV. Deo elicere potuisset conclusiones, & probare Deum esse æternum, quia est immutabilis; infinitum, quia est ens per essentiam; intelligentem, quia est substantia spiritualis: Ergo, &c.

Dices primò: Deus non potest cognosci à nobis Viatoribus sub ratione Deitatis: Ergo neque sub eadem esse potest nostræ Theologiæ objectum specificativum. Probatur antecedens, Deus cognosci nequit sub ratione Deitatis, nisi cognoscantur ejus prædicata essentialia: sed hæc à nobis cognosci nequeunt, ut constat: Ergo, &c.

Quomodo Deus sub ratione Deitatis à nobis Viatoribus cognoscatur.

Distinguo antecedens, Deus cognosci nequit à nobis sub ratione Deitatis distinctè, intuitivè, C & per se, concedo: confusè, abstractivè & per alienas species, quæ nos ducant in cognitionem illius divinitatis, nego; *Nam*, ut loquitur sanctus Paulus ad Rom. 1. *invisibilia ejus à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*: Ergo illius Deitas & attributa per creaturarum species possunt abstractivè saltem à nobis

XXV. Viatoribus cognosci. Hæc autem abstractiva cognitio sufficit ad rationem objecti scientifici; alioquin nullam scientificam cognitionem habere possemus de substantia nedum spirituali, sed etiam corporea; quippe cum (inquit Doctor q. 1. prologi n. 11.) nullam substantiam pro hoc statu cognoscamus distinctè, & per propriam speciem; sed tantùm confusè & per habitudinem & ordinem ad aliquem effectum sibi proprium.

Dices 2. Scientia debet adæquare & comprehendere suum objectum, & illud tantùm cognoscere, quantùm cognoscibile est: sed Theologia nostra cum sit finita, non potest adæquare Deum infinitum sub ratione Deitatis: Ergo sub hac ratione non est ejus objectum.

Quomodo Theologia Deum adæquet.

Distinguo majorem; Scientia debet adæquare suum objectum æqualitate arithmeticâ, quâ fit ut linea bipedalis, v. g. alteri lineæ bipedali sit æqualis, nego: æqualitate proportionis, hoc E

XXVI. est ut tantùm cognoscat objectum, in quantùm hoc modo & ab hac scientia cognoscibile est, concedo; sic autem Theologia nostra Deum sub ratione Deitatis adæquat, quia eum attingit & cognoscit in quantùm cognoscibilis est ex principiis revelatis. Quod autem hæc æqualitas proportionis ad scientiam sufficiat, nec requiratur æqualitas Arithmetica, evidens est; alioquin Metaphysica nihil de Deo ut supremo ente & prima causa scientificè cognosceret; imò nec scientia Beatorum esset perfecta, neutra enim Deum potest æquare Arithmeticè, cum utraque scientia sit creata & finita, Deus autem infinitus & increatus.

Dices 3. Objectum adæquatè specificativum alicujus scientiæ, prædicari debet de omnibus objectis specialibus quæ ab illa scientia considerantur: sed Deitas non prædicatur de Angelis, de Homine, de Legibus, de Sacramentis, de Vitiis, de Virtutibus quæ in Theologia considerantur: Ergo hæc non est Theologiæ objectum specificativum.

Distinguo maiorem, Prædicari debet vel in recto, vel obliquo casu, concedo: in recto semper, nego. Ad minorem, dico Deitatem non prædicari equidem de omnibus præfatis in recto; etenim verum est quod illa non sunt Deus: sed prædicatur in obliquo: sunt enim vel effectus Dei, vel media condocentia ad Deum tanquam ad finem supernaturalem.

Deitas prædicatur de omnibus quæ in Theologia tractantur, vel in recto; vel in obliquo.

Dices 4. Objectum specificativum & formale debet esse causa & ratio formalis omnium proprietatum quæ de objecto demonstrantur: XXVII. At Deitas non est causa nec ratio formalis innascibilitatis v. g. quæ est in Patre; alioquin Filius & Spiritus sanctus cùm habeant Deitatem, essent formaliter innascibiles; quod falsum est. Ergo, &c.

Et est ratio omnium prædicatorum quæ Deo competunt vel per se, vel ratione alterius.

Distinguo maiorem. Vel per se & immediatè, vel mediante alio in quo reperitur & per quod determinatur, concedo: per se semper, nego; Naturalitas enim v. g. quæ est objectum formale specificativum Physicæ, est ratio & causa formalis omnium proprietatum quæ de corpore humano demonstrantur, non quidem per se, sed quatenus per humanitatem ad tale corpus determinatur. Similiter distinguo minorem, Deitas non est ratio cur innascibilitas Patri conveniat per se & quatenus præcisè divinitas est, XXVIII. concedo: mediatè & ratione alterius, hoc est quatenus per relationem paternitatis determinatur ad primum suppositum divinum, nego.

Dices 5. Illud non est objectum formale Theologiæ, cui soli non convenit ratio formalis sub qua Theologia suum objectum considerat: At D hæc ratio non soli Deitati congruit. Probatur; Ratio sub qua Theologia suum objectum considerat, est veracitas Dei in revelando, ut in sequenti conclusione probabitur: At hæc non soli Deitati, sed etiam cuilibet supernaturali congruit; etenim omne ens supernaturale est revelabile æquè ac ipsa Deitas: Ergo Deitas non est objectum formale.

Et principaliter revelabilis: cætera verò solùm ratione ipsius.

Distinguo minorem: Cui soli illa ratio *sub qua* non convenit proximè, transeat; ultimatè & remotè, nego: Et similiter distincta minore, nego consequentiam. Licet enim hæc ratio proximè competere possit omni enti supernaturali immediatè & proximè; tamen certum est eam E principaliter & ultimò refundendam esse in ipsam Deitatem; unde ipsa nedum est objectum revelabile; sed etiam est fons omnium revelabilium; & hæc per se est revelabilis, cætera autem per eam, & ratione illius. XXIX.

Dices 6. Hæc conclusio apertè contradicit Doctori subtili: docet enim *quæst.* 3. *prologi num.* 7. Deum *sub ratione Deitatis* esse quidem objectum Theologiæ *in se*, vel quatenus est in intellectu divino: sed *num.* 12. affirmat objectum Theologiæ nostræ esse ens infinitum, ait enim, *Theologiæ nostræ ut nostra est, non oportet dari objectum primum nisi primum notum; de quo noto immediatè cognoscantur primæ veritates. Illud autem primum notum est ens infinitum, quia* XXX.

iste

iste est conceptus perfectissimus quem possumus habere de illo, &c. Ergo censet *Ens infinitum* esse objectum formale specificativum nostræ Theologiæ: non verò ipsam Deitatem.

Distinguo consequentiam. Censet ens infinitum esse objectum primò specificativum & quantùm ad modum cognitionis: ità quod Deus priùs & faciliùs cognoscatur à nobis sub ratione entis infiniti, quàm sub ratione ipsius Deitatis, concedo: quantùm ad rei veritatem & substantialem rationem objecti specificativi, quod ex se virtualiter continere debet omnes veritates quæ in scientia tractantur, & ad quod omnia, quæ in ea sunt, reduci debent, nego.

Doctor Subtilis nobis non contradicit.

XXXI. Non vult itaque Doctor rationem *entis infiniti* esse absolutè objectum formale Theologiæ, sive secundùm se & in intellectu Divino, sive in intellectu nostro consideratæ; hoc enim priùs improbaverat & impugnaverat *n.9.* dicens *Deum sub ratione entis infiniti aut necessarii, non legitimè statui objectum Theologiæ*, quia ut sic non potest causare omnes veritates Theologicas, & esse medium ad demonstrandum eas Deo competere: infinitas enim & necessitas essendi, non est ratio cur Deus sit Unus & Trinus, cur Filius generetur, Spiritus sanctus spiretur; alioquin cùm cognoscamus naturaliter Deum esse ens infinitum & necessarium, etiam naturaliter cognoscеremus Deum esse Trinum, Filium generari, & Spiritum sanctum per spirationem procedere; cognitâ enim causâ, cognosci potest id in cujus cognitionem inducit. Falsum autem est nos posse naturaliter cognoscere mysterium Trinitatis ut omnes fatentur.

Sed Doctor per præfata verba in objectione, solùm intendit, vel quod ratio entis infiniti sit præcipuus & notior conceptus quem de Deo hoc in statu habere possumus; cùm enim Deus variè à nobis concipiatur, nunc sub ratione *primæ causæ*, nunc sub ratione *entis necessarii*, nunc sub ratione *omnipotentis*; nunc sub ratione *entis infiniti*; censet Doctor rationem *entis infiniti* esse præcipuam & nobiliorem inter has omnes rationes, sub quibus Deus à nobis viatoribus concipi potest.

XXXII. Vel unô verbô censet Doctor Deum sub ratione *entis infiniti* esse objectum nostræ Theologiæ comparativè ad modum nostræ cognitionis; quia faciliùs & evidentiùs à nobis cognoscitur sub hac ratione, quàm sub ratione Deitatis; non autem absolutè & secundùm rationem essentialem objecti formalis adæquati, nempe quatenus est prima ratio & veluti radix omnium veritatum quæ in Theologia tractantur, hæc enim soli Deitati congruunt, ut probatum est.

Quòd autem hæc sit mens Doctoris, apertè constat, subdit enim, *Tamen quia Theologia nostra de necessariis, est de eisdem, de quibus est Theologia in se, ideo sibi assignatur subjectum primum quoad hoc, quod est veritates continere in se: & hoc idem est subjectum Theologiæ nostræ, quod est primum subjectum Theologiæ in se: sed quia illud non est nobis evidens, ideo non continet istas ut nobis notum.* Et sibi proponens hanc instantiam: Ergo Deus sub ratione Deitatis non est primum objectum nostræ Theologiæ, ait; *Respondeo verum est, non est primum subjectum dans evidentiam; sed subjectum primum continens omnes veritates, & natum dare evidentiam, si ipsum cognosceretur.* Itaque comparativè loquitur & penes nostrum modum concipiendi; non verò absolutè & penes rationem substantialem & fundamentalem objecti formalis adæquati; ac proinde nec nobis contradicit, nec nos illi; loquimur enim de objecto formali adæquato secundùm se spectato; ille verò de objecto prout à nobis evidentiùs attingitur. Ut etiam consentit Smising, q. 2. n. 58.

Loquitur enim comparativè, non verò absolutè.

XXXIII.

CONCLUSIO TERTIA.

OBJECTUM *Formale* QUÔ, *seu* MOTIVUM *nostræ Theologiæ*, *est* VERITAS, *seu* VERACITAS *Dei in revelando, quatenus per discursum Theologicum applicatur & innotescit.* Probatur: Theologia nostra non nititur evidentiâ sui objecti, sed Dei testimoniô & revelatione; suas enim conclusiones deducit ex principiis & articulis fidei: sed testimonii authoritas & certitudo resolvitur in veracitatem testis, tamquam in motivum assensûs quem quis præbet testimonio: Ergo veracitas Dei est motivum assensûs quem præbemus conclusioni Theologicæ; non quidem veracitas sola, alioquin assensus Theologicus non discreparet ab assensu fidei, qui fit solùm propter veracitatem Dei revelantis: sed veracitas applicata per discursum Theologicum.

Veracitas Dei est objectum motivũ Theologiæ nostræ.

XXXIV.

Secundò, Theologia nostra ferri debet in Deum speciali quodam motivo ac singulari ratione, quæ aliis non competat: Ergo cùm Theologia Beatorum feratur in Deum clarè & evidenter, suasque deducat conclusiones ex principiis evidentibus; Fides autem feratur in Deum obscurè cognoscendum & propter solam authoritatem revelantis: necessum est ut Theologia nostra velut inter utramque media, in Deum feratur propter illius veracitatem in revelando per discursum applicatam, ut per obscuritatem revelationis à Theologia Beatorum discrepet; & per discursum à fidei cognitione distinguatur.

XXXV. *Tertiò*, per Theologiam nostram certiùs & veriùs Deum cognoscimus, quàm per quamlibet scientiam naturalem, putà Physicam & Metaphysicam: sed hæc major certitudo firmiorque veritas non aliunde provenit, quàm quia scientiæ naturales solô rationis lumine, Theologia verò testimoniô Dei nitatur, quod longè firmius est & verius, quàm quodlibet naturale ac rationis lumen: Ergo testimonium Dei revelantis est objectum motivum nostræ Theologiæ.

Dices: Ratio formalis motiva objecti, debet esse illi intrinseca: sed veracitas Dei revelantis est extrinseca objecto Theologiæ. Ergo non est ejus ratio motiva.

XXXVI. *Distinguo majorem.* In scientiis naturalibus, quæ suas conclusiones deducunt ex principiis evidentibus & feruntur in objectum propter illius evidentiam, concedo: In Theologia quæ suas conclusiones deducit ex Articulis fidei, quorum veritas & certitudo pendet à veracitate Dei testantis & revelantis, nego.

Non enim habet motivum intrinsecum; sed extrinsecum.

Dices 2. Veracitas illa resolvitur in Deitatem, idcirco enim testimonium illud verax est & infallibile, quia divinum est: Ergo ipsa Deitas est etiam ratio formalis motiva Theologiæ.

XXXVII. *Distinguo antecedens.* Resolvitur in Deitatem tamquam in motivum ultimum & remotum, concedo: tamquam in immediatum & proximum, nego: Primum enim motivum cur assentior alicui propositioni revelatæ, est veritas Dei in revelãdo; mediatum autem est eius infinita bonitas & sapientia, quô fit, ut nec falli nec fallere possit: ultimum autem est ipsa Deitas. Conclusio enim Theologica idcirco censetur vera, quia

Deitas est objectum motivum, ultimum, non verò proximum & immediatum.

deducitur ex principiis à Deo revelatis: idcirco hæc principia revelata, sunt certa, quia Deus verax est nec mentiri potest: idcirco mentiri nequit, quia cum sit infinitè sapiens, non potest falli, & cum sit infinitè bonus, fallere non potest: idcirco autem est infinitè bonus & sapiens, quia Deus est: & sic in rationem Deitatis ultimò resolvitur veritas & certitudo conclusionis Theologicæ.

ARTICULUS TERTIUS.

De proprietatibus, & præcipuis characteribus nostræ Theologiæ.

IAM satis superque constat quanta sit Theologiæ nostræ necessitas & majestas; superest ut genuinos illius characteres & affectus, penitiùs inspiciamus. Hi quidem varii sunt, at præcipuos delibabimus & expendemus sequentibus in quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

An Theologia nostra sit speculativa, vel practica.

NOtandum 1, Scientiam eam dici speculativam, quæ in simplici & nuda objecti sui contemplatione quiescit, nec ordinatur ad dirigendam aliam facultatem ab intellectu in suis actibus eliciendis: Practicam verò eam esse, quâ intellectus instruitur & illustratur, ut alias à se facultates dirigat, in earum operationibus quæ verè dicuntur praxes. *Praxis* autem Græcum est

Quid & quotuplex sit praxis.

I. vocabulum, idem quod *operatio* Latinè significans: hinc sicut duplex est potentia, *Effectiva* nimirum & *Affectiva*, ita pariter duplex praxis vulgò distinguitur. Prior est operatio potentiæ seu facultatis effectivæ & corporeæ, quæ aliquod opus externum & sensibile moliri potest: posterior verò est operatio facultatis Appetitivæ, quæ cum sit duplex, Alia corporea & dicitur *Appetitus sensitivus*: Alia spiritualis & *Appetitus rationalis* seu voluntas nominatur; etiam duplex operatio practica dicitur, nimirum Rationalis & Animalis.

Et quæ ad eam conditiones requirantur.

Notandum 2. Quod ad operationem quæ verè sit *praxis*, Doctor subtilis, *quæst. 4. prologi num.* 3. tres conditiones desiderat. *Primò* quod sit operatio facultatis appetitivæ vel effectivæ, non verò intellectivæ. *Secundò* quòd actus ille
II. supponat cognitionem objecti ad quod ordinatur. *Tertiò* quod sit dirigibilis & ordinabilis ad bonum morale, si sit actus facultatis appetitivæ; vel ad bonum artificiale, si sit actus facultatis effectivæ. Unde omnis notitia dicitur practica, quæ ordinatur ad dirigendam facultatem vel Affectivam, vel Effectivam.

Perfectio est in subjecto tribus modis.

Notandum 3. Aliquam perfectionem posse in subjecto reperiri alterutrò ex his tribus modis, nimirum vel formaliter tantùm, sicut calor est in aqua calida: vel virtualiter tantùm, sicut calor est in sole, qui licet non sit calidus, est tamen calefactivus: vel formaliter & virtualiter simul,
III. sicut calor est in igne, qui ex innata sua virtute simul calidus est & calefactivus.

Status quæstionis.

Hinc triplex potissimum circa præsentis quæstionis resolutionem est graviorum Authorum A sententia: quidam enim cum S. Thoma 1. *p. q.* 1. *art.* 4. censent Theologiam nostram esse formaliter partim speculativam & partim practicam, magis verò speculativam quam practicam: Nonnulli cum Henrico *in summa art.* 9. censent eam esse purè & absolutè speculativam. Cæteri verò cum Doctore Subtili, *quæst. 4. prologi num.* 32. contendunt eam esse simpliciter practicam. Quam sententiam ut amplectamur & tueamur, aliasque impugnemus & expugnemus, sit

CONCLUSIO PRIMA.

THeologia nostra non est simul speculativa & practica. Probatur, Impossibile est B duas differentias oppositas generis divisivas, vel earum proprietates differentiarum vicem gerentes in eodem simul reperiri: sed speculativum & practicum sunt differentiæ essentiales dividentes scientiam, aut saltem proprietates conseqoentes diversas differentias & scientiam dividentes: Ergo in eadem scientia neqoeunt inveniri. Major patet, nam si differentiæ oppositæ vel proprietates eas consequentes, possent in eodem reperiri, sequeretur idem IV.
corpus posse esse corporeum & incorporeum, corruptibile & incorruptibile; idem animal posse esse sensibile & insensibile, eundem hominem C esse posse rationalem & irrationalem, risibilem & hinnibilem, quæ manifestè sunt impossibilia. Minor patiter est evidens, siquidem speculativum & practicum vel sunt differentiæ essentiales scientiam dividentes; vel saltem proprietates diversas differentias connotantes & ex eis emanantes ot Scotistæ concedunt; ac proinde eidem scientiæ competere nequeunt, sicque Theologia nequit esse partim speculativa & partim practica.

Theologia nostra nequit esse speculativa & practica simul.

Reponunt moderni Thomistæ cum Cajetano, *speculativum & practicum* non esse differentias divisivas scientiæ ut sic, & prout scientia est genus supremum respectu Theologiæ & scientia- D rum naturalium: sed tantùm esse differentias divisivas scientiæ naturalis & quatenus est genus subalternum respectu omnium scientiarum naturalium à quibus abstrahit, & in quas dif- V.
funditur. Ita quod (inquit Cajetanus) *speculativum & practicum* se habeant ad scientiam *ut sic*, sicut auditus & visus ad sensum communem & proprium; unde sicut sensus ut sic, primò dividitur in *communem & proprium*; proprius verò subdividitur in visum, auditum, &c. ita scientia *ut sic*, primò dividitur in *infinitam*, seu quæ habet objectum infinitum, qualis est Theologia; & *finitam*, seu habentem objectum finitum, qualis est scientia purè naturalis; hæc aotem sub- E dividitur in *speculativam & practicam*: Unde licet hæc non possint equidem simul stare in scientia aliqua naturali, possunt tamen simul esse in Theologia.

Communis evasio Thomistarum proponitur.

Contra 1. Hæc potius furtiva est difficultatis & argumentationis evasio, quàm solida illius solutio; siquidem hôc pactò facile solventur omnia argumenta deprompta ex Philosophia adversus res supernaturales; nec ex rebus naturalibus ad Theologicas ullatenus liceret philosophari: Facilè namque respondere poterit, VI.
quisquis erit adversarius, hujusmodi rationes in rebus quidem Philosophicis, non verò Theologicis & quæ altioris sunt ordinis, locum obtinere.

Et præcluditur.

Secundò, Nulla differentia includit prædicata

differentiæ sibi oppositæ & contradistinctæ; sed finitum & infinitum ex Thomistis sunt differentiæ primò distinguentes scientiam: Ergo prædicata scientiæ finitæ non possunt competere scientiæ infinitæ. *Subsumo*, sed ex eis, speculativum & practicum sunt differentiæ scientiæ finitæ: Ergo non possunt competere scientiæ infinitæ. *Major* constat, quia enim rationale & irrationale sunt differentiæ oppositæ, evidens est quod hinnibile, rugibile, & cæteræ differentiæ quæ irrationali subsunt, non possunt competere rationali; à quo enim removetur genus & totum; removentur pariter species generis & partes illius totius: hinnibile autem & rugibile, sunt species & partes subjectivæ irrationalis: ac proinde cui irrationale repugnat, etiam & hinnibile repugnat. *Minor* est ipsorum Thomistarum, nec non & subsumptum.

Solvitur validum eorum argumentum.

VII. *Tertiò*, Practicum & speculativum sunt opposita contradictoria: Ergo uni & eidem subjecto non possunt competere. Probatur antecedens, Notitia practica est, quæ ordinatur ad opus, speculativa autem quæ ad opus non ordinatur: sed ordinari ad opus & non ordinari, sunt contradictoria: Ergo non possunt uni eidemque competere.

Nec exemplum *sensûs communis* quidquam juvat. Non enim est par ratio inter sensum communem & sensus particulares, ac inter scientiam finitam & infinitam.

Etenim per *sensum communem* vel intelligunt sensum in communi, & quatenus ab omnibus sensibus particularibus præscindit, sicut universale ab inferioribus & commune à particularibus, sicut intellexit Cajetanus; sic autem nulla inter ipsum & scientiam infinitam est paritas; ille enim est genus & verè prædicatur de sensibus particularibus, eosque potentiâ continet sicut universale sua inferiora: at scientia infinita non est genus respectu scientiæ finitæ quæ speculativa & practica dicitur, & proinde nec illam nec illius differentias ullatenus continet. *Vel* per sensum Communem, intelligunt phantasiam seu facultatem illam internam quæ est veluti matrix aliorum sensuum, & sic multò minùs est paritas: Aliud enim est loqui de facultate respiciente actus disparatos tantùm; aliud verò de habitu respiciente actus contradictoriè oppositos: sensus autem Communis est potentia respiciens actus sensuum externorum qui sunt disparati, quique proinde eodem in subjecto recipi possunt: speculativum verò & practicum sunt actus contradictoriè oppositi, & consequenter eidem subjecto inesse nequeunt. Sicque cadit & omnino pessundatur validum Adversariorum argumentum & exemplum.

VIII.

Dices 1. Theologia Dei est formaliter speculativa & practica: Ergo & nostra, quæ est illius emanatio quædam & expressio.

IX. *Respondeo* 1. negari posse antecedens, quanquam enim Doctor Subtilis laudata *quæst.* 4. *num.* 36. circa hanc difficultatem nihil expressè determinet, sed videatur problematicus rationes utrimque solvendo; nihilominus magis propendere videtur in eam sententiam quæ affirmat Theologiam Dei esse speculativam: Tum quia voluntas divina est prima regula sui actus, ac proinde non supponit cognitionem practicam in intellectu per quam reguletur: Tum quia Deus amat se naturaliter, ac proinde ejus amor non est dirigibilis, & consequenter non habet notitiam practicam sui amoris directivam: Tum quia inter dirigens & directum est distinctio realis, quia dirigens habet rationem causæ respectu directi, unde notitia practica intellectus distinguitur realiter ab amore voluntatis quem dirigit: sed inter intelligere & velle divinum nulla est distinctio realis; proindeque unum non habet rationem dirigibilis, & aliud rationem directivi.

An Theologia Dei sit speculativa vel practica. Doctor problematicè sustinet.

Magis tamen speculativam censet.

Respondeo 2. Admisso antecedente, negari posse consequens. Cùm enim Theologia Dei sit infinita, nostra verò finita, nulla est inter utramque proportio; nec sequitur quòd si Theologia divina sit simul speculativa & practica, etiam nostra talis esse debeat; fatentur enim ipsi Thomistæ Deum ratione infinitatis plura virtualiter & formaliter involvere, quæ in creaturis finitis & limitatis incompossibilia sunt. X.

Dices 2. Deus est formaliter objectum speculabile & practicum: Ergo Theologia nostra, quæ Deum habet pro objecto, practica erit simul & speculativa.

Respondeo 1. Negari posse antecedens, cùm enim nihil sit in Deo quod amorem conciliare & accendere non debeat, etiam nihil est quod non sit objectum praxis & amoris. *Respondeo* 2. Admisso antecedente, negandam esse consequentiā; Theologia enim nostra non omnino adæquatur objecto suo, quod est Deus. Unde licet Deus esset simul objectum speculabile & appetibile, non sequeretur Theologiam posse utrôque modô illum attingere; cum speculativum & practicum eidem scientiæ finitæ competere nequeant.

Quidquid in Deo est, practicum est respectu nostri.

Dices 3. Si Theologia nostra non posset esse speculativa simul & practica, maximè quia speculativum & practicum non possunt simul eidem inesse: sed falsum est; tum quia in eodem intellectu sunt scientia speculativa & practica; tum quia Aristoteles dicit intellectum speculativum fieri practicum per extensionem; ac proinde aliquid potest simul esse practicum & speculativum. XI.

Distinguo minorem: Speculativum & practicum possunt eidem simul inesse subjectivè vel affectivè, seu esse in eodem tanquam in subjecto, vel ab eodem tanquam à causa, concedo: formaliter & per modum differentiarum aut proprietatum differentiæ vices gerentium, nego. Fateor itaque eundem intellectum subjectivè posse simul dici practicum per notitiam practicam, & speculativum per notitiam speculativam; sicut idem lac est album per albedinem, & dulce per dulcedinem: Similiter eundem intellectum, qui concurrit effectivè ad producendam notitiam practicam, etiam effectivè concurrere ad notitiam speculativam formandam: sed inde non sequitur quod eadem scientia sit speculativa & practica: alioquin etiam sequeretur albedinem esse dulcedinem, quia idem lac subjectivè est album & dulce.

Quomodo practicum & speculativum eidē possint inesse?

Vel nego paritatem. Speculativum enim & practicum sunt differentiæ accidentales respectu intellectus, ac proinde utrumque suscipere potest; at sunt differentiæ essentiales respectu scientiæ, vel proprietates differentiarum vices gerentes; & consequenter cum differentiæ oppositæ dividentes aliquid commune non possint alicui eidem convenire sub illo communi contento; ita nec speculativum & practicum scientiam dividentes, eidem scientiæ competere possunt XII.

Dices 3. Quæ dispersa sunt in inferioribus,

uniuntur in superioribus, sicut visivum & auditivum in sensu communi, vegetativum & sensitivum in anima rationali, &c: sed Theologia est superior ad omnes scientias naturales, quia versatur circa objectum infinitum, illudque attingit lumine supernaturali: Ergo speculativum & practicum, quæ sunt differentiæ divisivæ scientiarum naturalium, adunantur in Theologia & in ea continentur. A

Quomodo in inferioribus dispersa, possint adunari in superioribus.

XIII. *Distinguo majorem.* Quando illa dispersa, sunt tantum disparata, nec sunt contradictoriè opposita, concedo: secus, nego; constat autem ex dictis, speculativum & practicum invicem opponi contradictoriè, quia practicum ordinatur ad opus, speculativum autem non ordinatur; ordinari autem ad opus & non ordinari sunt contradictoria, proindeque in nullo sive inferiori sive superiori simul stare queunt.

Nec dicas cum quibusdam Thomistis, illa quidem non posse simul convenire alicui formaliter, benè verò eminenter. Hæc enim replica insulsa prorsus est & à veritate aliena; contradictoria namque tam invicem pugnant eminenter, quàm formaliter; sicut enim Deus non potest esse sapiens formaliter & non sapiens formaliter; ita nec potest esse eminenter justus & non justus eminenter. Insuper proprietates differentiæ oppositæ, nec formaliter nec eminenter petunt alteri differentiæ oppositæ inesse; homo enim nec formaliter, nec eminenter potest esse risibilis & hinnibilis: sed speculativum & practicum sunt proprietates diversarum differentiarum scientiam dividentium: Ergo nec formaliter nec eminenter uni eidemque competere possunt.

Conclusio Secunda.

Theologia nostra est simpliciter practica.

NOSTRA *Theologia nullatenus speculativa est, sed simpliciter practica.* Hæc est expressa Doctoris sententia *quæst. 4. prologi n. 3.* & eam sic probat.

1. Quia dirigit operationem quæ est verè praxis.

XIV. 1. Illa notitia est practica, quæ ordinatur ad volitionem rectam & est naturaliter prior ipsâ: sed talis est Theologia nostra: Ergo est practica. Major patet ex 1. notabili: volitio enim recta est propriè praxis. Ergo notitia quæ est prior ipsâ & ejus directiva, verè est practica. Probatur minor: Primarium & adæquatum objectum Theologiæ quod est Deus, est virtualiter conforme volitioni rectæ; siquidem ab eo sumuntur prima principia rectitudinis in voluntate, qualia sunt, *Deus est amandus, colendus, &c.* & istud objectum determinat intellectum creatum ad notitiam rectitudinis, priusquam voluntas creata illam velit: Ergo illa notitia dicenda est practica.

2. Quia ejus principia verè sunt practica.

XV. 2. Principia Theologiæ nostræ sunt practica: Ergo & conclusiones ex eis deductæ sunt practicæ. Consequentia est evidens; talis enim est conclusio, qualia sunt principia ex quibus deducitur. Probatur antecedens: Principia Theologiæ sumuntur à Deo qui est ultimus finis: sed principia sumpta ab ultimo fine sunt practica; ordinantur enim ad opus & ad applicanda media quibus finis ultimus acquiratur, juxta illud Joannis 20. *Hæc scripta sunt ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Non ait divina mysteria, quæ sunt Theologiæ nostræ principia, ideo litteris fuisse exarata, ut Deum ejusque perfectiones & operationes investigaremus acutiùs, & subtiliùs explicaremus, sed ut eum cognoscentes amaremus ardentiùs & promptiùs ac ferventiùs in omnibus ei famularemur.

Confirmatur ex S. Augustino lib. 1. de Doctrina Christiana circa finem. Habitus Theologiæ ordinatur ad dirigendum quatuor actus, videlicet credere, sperare, diligere & virtuosè vivere: Ergo non ordinatur ad simplicem speculationem, sed ad praxim.

3. Quia ejus objectum non est speculabile, sed operabile.

XVI. 3. *Probatur ex Aureolo artic. 3. idque primò à priori*, sic: Ille habitus est practicus, qui ordinatur ad objectum operabile & attingibile per nobiliorem actum & operationem, quàm sit simplex illius speculatio & contemplatio: sed Theologia versatur circa Deum qui est objectum attingibile per nobiliores actus, quàm sit simplex illius speculatio: Ergo est practica. Major patet, ideo enim Medicina & aliæ scientiæ practicæ sunt, quia earum objectum est operabile & nobiliori modo attingibile, quàm sit simplex illius speculatio: meliùs est enim homini habere sanitatem, quàm scire quid sit sanitas; meliùs pariter est habere virtutem, quàm scire quid sit virtus, ut docet Aristoteles 2. Ethicor. cap. 2. Probat minorem, Nobiliùs ille Deum attingit, qui ei adhæret per fidem, in eum assurgit per spem, & eum diligit per charitatem, & ejus amorem per obsequium & cultum sibi conciliat, quàm qui de eo subtiliter disputat & profundissima quæque illius mysteria reserat & exponit: Ergo habitus Theologicus hôc pactô erit purè practicus. B

Confirmatur. Quia quando objectum est operabile seu per operationes acquisibile, habitus qui illud respicit, maximè occupatur circa opera quibus possit attingi, ut docet Philosophus 1. Ethic. cap. 7. at id præstat Theologus, siquidem maximè occupatur ut aperiat qualiter per actus fidei, spei, dilectionis & obsequii, Deus à nobis possit attingi. Ergo, &c. C

4. Quia ordinatur non solùm ad actum eliciendũ; sed etiam dirigendum ad finem.

XVII. 4. *Ex eodem probatur à posteriori.* Ille habitus est practicus, qui non solùm habet pro fine actum quem elicit, sed actum quem dirigit: at habitus Theologicus non habet pro fine actum quem elicit, sed actum quem dirigit, nimirum actum fidei; quia per istum habitum ex S. Augustino fides defenditur & redditur stabilis contra incredulos; roboratur & redditur delectabilis quantùm ad pios; gignitur & redditur capax quantùm ad dubios, &c. Ergo est practicus. D

XVIII. Hæc probatio est efficax, si loquatur Aureolus de fide formata per Charitatem & virtutum connexionem; non verò de fide informi quæ solùm mysteria fidei reserat: Cum enim fides sit actus intellectus, ab ejus sola directione intellectus aut habitus dici non posset practicus; praxis enim est operatio alterius potentiæ ab intellectu, ac ptopterea intellectus operationes non possunt esse praxes, cujus tamen contrarium docuit ipsemet Aureolus, hac in sententia sicut & in pluribus aliis, à Scoti Doctrina alienus. E

5. Quia omnes ejus cognitiones diriguntur ad praxim, saltem virtualiter.

XIX. 5. Denique illa scientia dici debet practica, cujus nulla est conclusio quæ vel formaliter vel virtualiter, non ordinetur ad praxim: sed nulla est conclusio Theologica quæ sic ad praxim non ordinetur. Probo, Si quæ sint conclusiones Theologicæ ad praxim non ordinabiles sint, maximè illæ quæ per se & formaliter videtur speculativæ, puta *Deus est Trinus, Pater generat Verbum dictione*, &c. Sed illæ sunt virtualiter practicæ. *Prima enim* (inquit Doctor n. 32.) *includit virtualiter notitiam rectitudinis dilectionis tendentis in tres Personas, ita quòd si actus dilectionis eliceretur circa unam solam excludendo alias, sicut infidelis eliceret,*

esset actus non rectus. Secunda verò includit notitiam rectitudinis secundùm quod actus est circa duas Personas, quarum una est sic ab alia. Id est, quævis cognitio Divinitatis divinarumque Personarum quantumcumque videatur speculativa; nihilominus cum illa cognitio repræsentet divinas Personas ut sunt Personæ divinæ, ac proinde ut habent Deitatem formaliter & essentialiter, & consequenter ut sunt summum hominis bonum, ultimusque illius finis; hinc fit quod illa cognitio amorem & honorem erga divinas illas Personas provocet & accendat: Sicque illa notitia virtualiter saltem est practica.

XX. *Dices* 1. Si Theologia dicenda sit practica, quia nulla est ejus conclusio quæ saltem virtualiter & remotè ordinari non possit ad praxim; omnes aliæ scientiæ pariter dicendæ erunt practicæ; nulla enim est quæ virtualiter ordinari non possit ad Deum vel amandum, vel colendum; sicque nulla erit scientia perfectè speculativa: at consequens est absurdum: Ergo & id unde sequitur.

Scientiæ naturales speculativæ non ordinantur ad praxim etiam virtualiter.

Nego sequelam, & ratio disparitatis est, quod scientiæ naturales speculativæ nullatenus ordinentur ad praxim neque formaliter, neque virtualiter dum suum proprium objectum respiciunt; unde fieri non possent aliquatenus practicæ nisi vagando, & sese extendendo ultra proprios suos limites & objecti sui considerationem; sicque amplius non essent eædem scientiæ: Scientia enim variatur ad variationem objecti: Theologia autem non vagatur ultra suos limites, nec mutat objectum, dum illius notitiæ, quæ videntur speculativæ, ordinantur virtualiter ad regulandos actus voluntatis circa illud ipsum objectum quod considerant.

XXI. *Instabis*: Ergo hac ratione Metaphysica saltem dici poterit practica: Cum enim illa Deum ut objectum attributionis consideret, non vagabitur ultra suos limites, nec alienum objectum spectabit, dum ad eum colendum & amandum suas notitias ordinabit: at falsum est Metaphysicam posse dici Practicam; est enim omnium speculativarum scientiarum maxima, cùm sit earum princeps: Ergo pari ratione Theologia non est dicenda practica.

Nec etiam ipsa Metaphysica.

Nego paritatem, & ratio disparitatis est 1. quòd Metaphysica licet Deum contempletur ut objectum attributionis, & præcipuum inter objecta sua specialia; non tamen Deum respicit ut objectum totale & adæquatum; ut sic enim respicit *ens ut ens*, id est, quatenus præscindit ab omnibus suis speciebus; Deum verò idcirco contemplatur, quia est nobilissima species entis. Cùm autem objecti totalis notitia non ordinetur ad objectum minùs præcipuum; imò objecti minùs præcipui notitia ordinari debeat ad objectum totale; hinc fit quòd omnes conclusiones Metaphysicæ non possint ordinari ad Deum.

XXII. 2. Metaphysica non considerat Deum modô practicô; sed tantùm speculativô; non enim illum respicit ut appetibilem & fruibilem; neque etiam Philosophi cognoverunt nos ordinari ad Dei fruitionem, & nostrum appetitum per ejus possessionem esse satiandum: Sed tantùm Metaphysica Deum respicit ut est nobilissima entis species, quæ consideratio praxim non inducit. Unde Philosophi statuerunt Deum esse objectum quidem intellectus nostri; non autem voluntatis. Theologi verò cùm noscant Deum esse objectum nostræ voluntatis, quæ in ejus sola possessione satiari & expleri potest, hinc fit ut omnis Theologica cognitio, fieri possit practica, & ordinari ad excitandum & regulandum amorem circa Deum.

Philosophi nescierunt nos ordinari ad Deum tamquam ad objectū fruitionis; sed solùm tamquam ad objectū cognitionis.

Dices 2. Illa scientia generatim non est dicenda practica, cujus major pars conclusionum versatur circa objectum speculabile: at major pars conclusionum Theologicarum versatur circa objectum purè speculabile. Probatur, Theologia maximè versatur circa Personas divinas & circa Notionalia; non verò circa Essentialia, quia hæc à nobis lumine naturali per Metaphysicam cognosci possunt, in Metaphysica enim plura Philosophi de Deo ejusque attributis tradiderunt; nulla autem de personalibus, quæ nonnisi per Theologiam & Fidem innotescunt: sed personalia in Deo non sunt appetibilia, quia formaliter nullam dicunt perfectionem, nec terminant actum nostræ dilectionis, quæ ad sola essentialia terminatur. Ergo, &c. XXIII.

Quomodo notionalia sint practica.

Nego minorem, & illius probationis minorem distinguit Doctor, essentialia sola terminare possunt actum dilectionis, ut ratio *quâ*, concedit; ut ratio *quæ*, negat. Idest essentialia sunt equidem ratio quâ Deus est amandus, colendus, &c. Non enim *paternitas*, v. g. est ratio formalis quâ Pater æternus sit amandus; sed Deitas, ita quod diligatur à nobis non præcise quatenus est *Pater*; sed quatenus est *Pater divinus*. Unde personalia cum essentialibus, v.g. relatio paternitatis juncta cum Deitate, terminare possunt actum practicum dilectionis nostræ ut objectum *quod*; licet præcisè non eum terminent ut objectum *quô*. XXIV.

Dices 3. Deus non est objectum Theologiæ nec ab ea consideratur ut est finis ultimus, sed sub ratione Deitatis, ut dictum est. Ergo hac ratione Theologia dici nequit practica.

Deus non est objectū Theologiæ præcisè quatenus est finis ultimus.

Distinguo antecedens, Non est objectum Theologiæ ut est finis ultimus formaliter & respectivè, concedo: ut est finis ultimus absolutè & simpliciter, nego; ratio enim finis ultimi in Deo fundatur in ejus Deitate & essentia, à qua sola præcisè desumuntur principia practica, ut loquitur Doctor, non autem à præcisa ratione finis; Deus enim non est amandus aut colendus præcisè quia finis est, sed quia Deus, & quatenus est summum bonum summusque rerum omnium Dominator & Rector. XXV.

Doctiores sunt pejores defectu scientis; non defectu scientiæ.

Dices 4. Si Theologia esset practica, peritiores Theologi essent sanctiores, & præstantiores divini cultus & amoris actus producerent: peritiores enim artifices præstantiora moliuntur artis opera; at contrarium sæpè cernitur; Doctiores enim non rarò fiunt pejores. *Distinguo minorem*, Doctiores fiunt pejores defectu scientiæ Theologicæ, quasi ipsa ad malitiam viam sterneret & aperiret, nego: defectu Theologi, qui scientia in majorem sui perniciem & damnationem abutitur, concedo. XXVI.

Dices 5. Theologia cùm sit scientiarum Princeps & Regina, inter nobiliores scientias est reponenda: sed scientiæ speculativæ cùm sint gratiâ sui, nec ad opus ordinentur, sunt nobiliores practicis: Ergo Theologia potiùs speculativa quàm practica est nominanda.

Scientia Practica est aliquando nobilior speculativâ.

Distinguo minorem. Scientia speculativa est præstantior practicâ, quãdo operationes ad quas regulandas practica ordinatur, non sunt nobiliores quàm simplex & nuda speculatio, concedo: secus, nego: sed Deum diligere, colere, & eius possessionem meritoriis operibus promereri, longè præstantius est, quàm ipsum cognoscere & XXVII.

A ſpeculari tantùm, ſiquidem cognitio ſola fide nititur, operatio autem amoris & virtutis oritur à charitate quæ fide eſt præſtantior & perfectior: Ergo nobilior eſt Theologia practica & directiva illarum operationum, quàm eſſet ſi tantùm Deum ſpecularetur. Hinc meritò infert Aureolus art. 3. §. 2. *Quod Moralis Philoſopia eſt nobilior quàm Geometria: licet enim Geometria ſpeculativa ſit, & certiori modo procedat; nihilominus Moralis eſt de meliori ſubjecto, putà de homine & de actibus humanis. Et inſuper certitudo Electionis ad quam Moralis ordinatur; cum in moribus non penſetur actus, ſed electio, ut dicitur in 3. Ethic. hæc quidem certitudo & electio* B *ipſius eſt nobilior quocumque ſpeculari, quia eſt actus altioris potentiæ, nempe voluntatis.*

QUÆSTIO SECUNDA.

An Theologia noſtra ſit habitus ſupernaturalis?

CUm omnis notitia duobus modis poſſit obtineri, nimirum vel per infuſionem, quæ eſt actio Dei producentis aliquid ſine nobis coagentibus, qualis eſt notitia fidei; vel per ſtudium & exercitationem; quales ſunt notitiæ artium & ſcientiarum naturalium; Cumque Theologia pendeat ex principiis ſupernaturalibus fidei, hinc meritò quæritur, num illa ſit in nobis ſupernaturalis.

Quid ſit ſupernaturale quantùm ad entitatem; vel quantùm ad modum.

Notandum 1. Ex Doctore *quæſt.* 1. *Prologi num.* 20. aliquid dici poſſe ſupernaturale duobus modis, putà vel quoad entitatem, vel quoad modum. Illud dicitur *Supernaturale quantùm ad entitatem*, quod ſuapte naturâ tranſcendit & excedit perfectionem omnium rerum naturalium quæ cum eo conveniunt in eadem ratione generica, & non poſſunt produci ab agente ſe-
I. cundùm illius virtutem innatam & naturalem: qualiter virtutes Theologicæ, fides, ſpes, charitas, gratia tam actualis quàm habitualis dicuntur ſupernaturales quantùm ad entitatem; quia ſuapte naturâ excedunt perfectionem cujuſlibet agentis naturalis, nec cauſari poſſunt & comparari ab homine juxta innatam ſibi virtutem operante.

Illud verò dicitur *ſupernaturale quantùm ad modum*, quod non excedit omnino perfectionem naturalem rerum quæ ſunt ejuſdem generis, & obtineri poſſet per virtutem naturalem, ſed non cum tanta facilitate, nec ità brevi tempore, qualiter eſſet infuſio ſcientiæ Philoſophicæ homini qui aliunde per ſtudium & exercitationem eam poſſet aſſequi. Hinc apparet quàm turpiter hallucinentur, qui Doctorem erroris inſimulant, quaſi non admiſerit formam aliquam eſſe ſupernaturalem intrinſece & quan- E tùm ad entitatem, ſed tantùm extrinſecè & per reſpectum ad Agens illam producens; contrarium enim apertè docet tum locô præfatô, tum pluribus aliis quos laudat Scholiaſtes ad præfatum locum.

Unde deſumatur & innoteſcat rerum naturalitas & ſupernaturalitas.

Notandum 2. Ex eodem ibidem *naturalitatem* & *ſupernaturalitatem* rerum poſſe detegi & cognoſci per reſpectum quem potentia dicit, vel ad *Formam*, vel ad *Agens*: potentia enim receptiva comparari poteſt vel ad actum & formam quam recipit; vel ad agens à quo recipit.
II. Si comparatur ad *actum*, ſeu ad *formam*; vel habet ad eam inclinationem naturalem, ut ignis ad calorem, & ſic potentia & forma dicuntur *naturales*: Vel habet repugnantiam & oppoſitionem naturalem ad formam, ut aqua ad calorem, & forma & potentia dicuntur *violenta*: Vel habet indifferentiam ad formam & ad oppoſitum ejus, ut paries ad albedinem & nigredinem, & ſic dicitur potentia & forma *neutra*.

Unde colligit Doctor nullam formam dici *ſupernaturalem* per ordinem *ad potentiam*, cùm per hunc reſpectum ſit tantum vel naturalis, vel neutra. Secus verò *ſi comparetur ad Agens*; nam vel Agens habet virtutem naturalem producendi formam v. g. ignis calorem, & ſic forma dicitur naturalis, quatenus naturale opponitur ſupernaturali: Vel nulla eſt virtus naturalis quæ talem formam producere poſſit, putà gratiam, & ſic illa forma dicitur ſupernaturalis.

Hinc *naturalitas* formæ ſumitur ex duobus, nimirum ex parte potentiæ habentis inclinationem naturalem ad formam, & ex parte Agentis habentis virtutem naturalem productivam talis formæ: *Supernaturalitas* verò detegitur ſolùm ex parte Agentis ſupernaturalis. III.

Principia noſtræ Theologiæ conſiderantur duobus modis.

Notandum 3. Principia Theologiæ (putà Articulos fidei ex quibus concluſiones Theologicæ eruuntur) poſſe duobus modi ſpectari. Primò quidem in ſe & quatenus ſunt abſolutè vera ra- C tione ordinis quem dicunt ad primam veritatem revelantem: Secundò quatenus dicunt ordinem ad concluſiones quæ ex eis deducuntur medianter diſcurſu, & quatenus eas virtualiter continent, vel in eis continentur. Priori modo illa principia dicuntur formaliter revelata & pertinent ad fidem: poſteriori verò dicuntur virtualiter revelata, aut revelantia concluſiones Theologicas quæ ex eis eliciuntur, vel in ea reſolvuntur. IV.

Status quæſtionis.

His prælibatis reſolvendum eſt an habitus Theologicus inclinans ad eliciendas concluſiones Theologicas ex articulis fidei, ſit ſupernaturalis nec-ne. Circa quam reſolutionem duplex D eſt Authorum ſententia: *Quidam* enim cum Molina, *Diſp.* 1. *Art.* 2. docent quamlibet concluſionem Theologicam eſſe ſimpliciter ſupernaturalem, ac proinde habitum inclinantem ad eas eliciendas, eò quòd illæ concluſiones inferantur ex una ſaltem ex præmiſſis ſupernaturali lumine fidei cognitâ. *Alii* verò cõmuniter ſuſtinent concluſiones Theologicas eſſe merè naturales, ſive interim deducantur ex duplici præmiſſa de fide, ſive ex una tantùm; unde inferunt habitum Theologicum ad eas eliciendas inclinantem, eſſe pariter merè naturalem. Quibuscum ſit V.

CONCLUSIO PRIMA.

HAbitualis Theologia non eſt intrinſecè & entitativè ſupernaturalis. Hæc eſt communior & verior.

Theologia habitualis non eſt ſupernaturalis.

Probatur 1. Ille habitus non eſt ſupernaturalis intrinſecè qui noſtris actibus & ſtudiis comparatur: ſed habitus Theologiæ noſtris exercitiis & ſtudiis acquiritur: Ergo non eſt intrinſecè & entitativè ſupernaturalis. Major conſtat ex 2. *Notabili*, id enim non eſt ſupernaturale quod non excedit activitatem & vires nativas agentis: At quod noſtris exercitiis comparatur noſtras vires innatas non excedit, proinde ſupernaturale dici nequit. Minor patet ipsâmet experientiâ, quâ conſtat modum comparandæ Theologiæ

non esse devotionem & orationem, quâ homines solent sese præparare ad assequendos habitus supernaturales; sed opus est summô studiô & assiduâ exercitatione, & scientiarum naturalium, maximè Philosophiæ subsidiô, ut quis evadere possit peritus Theologus. Hinc videmus eos qui assiduam rebus Theologicis oavant operam, tandem aliquando illius habitum assequi, & facilitatem de rebus fidei differendi, easque explanandi sibi comparare; illos verò qui orationi tantùm indulgent, & hujusmodi studia & exercitia contemnunt, etiam rebus Theologicis vacuos & inanes permanere.

1. Quia nil supernaturale à nobis acquiritur.
VI.

Probatur 2. & prior ratio confirmatur. Eatenus ille habitus esset supernaturalis quia, fieret ab actuali cognitione Theologica, quæ supernaturalis est: sed inde non potest esse supernaturalis; tum quia falsum est Theologiam actualem esse supernaturalem, ut secunda conclusione patebit; tum qoia etiamsi actualis illa notitia Theologica esset supernaturalis, non tamen habitum supernaturalem pareret; siquidem actus fidei qoi sunt in entitate supernaturales, pariunt habitum merè naturalem in eo qui tales actus sæpius elicit, ut probabitur in Tractatu de Virtutibus Theologicis, & ut ipsâ patet experientiâ eorum qui labuntur in hæresim; licet enim habitum supernaturalem fidei deperdant, nihilominus priorê habent facilitatem credendi alios articulos de quibus inter eos & Catholicos non controvertitur. Hæc autem facilitas aliunde non provenit, quàm ab habitu acquisito & merè naturali credendi, per varios actus supernaturales fidei genito, & post fidei jacturam adbuc perseverante: Ergo etsi Theologia actualis supernaturalis esset, non tamen supernaturalem habitum produceret.

2. Quia fit per actus naturales.
VII.

Tertiò, Ille habitus est purè naturalis, cujus ratio formalis specificativa merè naturalis est: sed ratio formalis specificativa habitus Theologici est merè naturalis: Ergo & Theologiæ habitus. Major constat, talis enim est rei entitas, qualis est ratio constitutiva, distinctiva ac specificativa illius ab aliis. Probatur minor, Ratio specificans & distinguens nostram Theologiam à Theologia Dei & à fide, est discursus: sed discursus in Theologo viatore purè naturalis est, cùm sit fœtus intellectus agentis secundùm suam vim naturalem; virtus enim & proprietas naturalis intellectus, est discurrere.

3. Illius ratio specificativa est naturalis.
VIII.

Quartò, Ille habitus oon est supernaturalis & infusus, qui potest concurrere ad assensum falsum, quis enim dixerit Deum infundere habitum qui ad errorem & falsitatem inclinet? Sed habitus Theologiæ potest inclinare intellectum ad assensum falsum; cum enim plures oppositæ conclusiones ex eisdem fidei principiis inferantur, nedum ab Hæreticis & Catholicis, sed etiam ab ipsis Theologis fidelibus, qui plerumque sententus invicem pugnant, necessum est alterutras ex illis conclusionibus oppositis esse falsas; & consequenter habitus Theologicus qui ad eas eliciendas inclinat, ad falsum inducit.

4. Quia ad falsum potest inducere.
IX.

Quintò denique, ille habitus est merè naturalis, qui eôdem modô obtinetur, quô aliæ scientiæ & notitiæ merè naturales: sed habitus Theologiæ ita comparatur, nimirum per præcepta & doctrinam alicujus magistri docentis, & per studium & laborem discipuli audientis & studentis: Ergo, &c.

5. Quia eôdem modô comparatur ac scientiæ naturales.
X.

Replicant Adversarii, Studium quidem & doctrinam requiri ad obtinendum Theologiæ habitum, non ut causas illius productivas; sed ut conditiones & dispositiones quibus subjectum præparatur ad infusionem illius habitus; sicut à simili voluntas præparatur per varios actus ad infusionem & receptionem gratiæ sanctificantis; quæ præparatio non impedit quominus gratia sanctificans sit habitus intrinsecè supernaturalis.

Contra. Si illi actos requirerentur ut dispositiones, maximè vel ut dispositiones moventes, vel removentes, hoc est vel ut Deum moverent ad infusionem ipsius habitus; vel ut subjectum ad eam infusionem disponerent removendo ea quæ huic infusioni forent contraria: sed neutrum dici potest; *non quidem primum*, certum enim est Deum ad hanc infusionem moveri efficaciùs per orationes, jejunia eleemosinas, &c. quàm per studium & laborem; illa enim pietatis opera sunt ipsi acceptiora, quàm quodlibet studium; attamen qui his pietatis operibus magis incumbunt, propterea non sunt perfectiores Theologi. Insuper, si tales exercitationes & studia Deum moverent ad infusionem habitus Theologici, id esset maximè propter aliquod pactum & promissionem ex parte ipsius, sicut fit in Sacramentis: at nullum simile pactum nullaque talis promissio reperitur in Scriptura: imo quoties proponitur scientia comparanda, toties indicitur labor subeundus, etenim *qui addidit scientiam addidit & laborem*, inquit Salomon, Eccl. 1.

Scilicet per studium & doctrinam quæ non sunt illius dispositiones, sed veræ causæ.
XI.

Non etiam secundum; sicut enim nullæ dispositiones naturales desiderantur ad infusionem cæterorum habituum supernaturalium, ita oec desiderarentur ad infusionem habitus Theologici. Insuper dispositiones debeot esse ejusdem ordinis cum forma ad quam disponunt: Unde Theologi inferunt hominem non posse sese disponere proximè ad receptionem primæ gratiæ, sed eam à Deo ex misericordia infundi: Ergo si Theologia sit supernaturalis in entitate, nullus per studia & opera naturalia ad eam sese disponere poterit.

XII.

Dices 1. ex S. Iacobi 1. *Si quis indiget sapientiâ postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei.* Item Eccli. 1. *Deus sapientiam effundit super omnia opera sua, & super omnem carnem secundùm datum suum, & prœbuit illam diligentibus*: Ergo Theologia quæ est vera sapientia à Deo infunditur & donatur.

Nego consequentiam: Illi siquidem sacri Textus non sunt intelligendi de sapientia quæ docetur & studiô discitur, quæque ex articulis fidei conclusiones deducit; sed de sapientia quæ donû est Spiritus Sancti, quâ res cœlestes & divinæ nobis sapiunt per mysticam earum speculationem & contemplationem, quamque Deus fidelibus se interdum largitur ex bona voluntate sua. Nos de priori acceptione sapientiæ loquimur, non de posteriori.

Sapientia duplex: una quæ docetur & discitur, alia quæ infunditur & à Deo datur
XIII.

Dices 2. Illa scientia est supernaturalis, cujus certitudo supernaturalis est: sed Theologiæ certitudo est supernaturalis: Ergo & illa. Major constat; talis enim est scientia, qualis est ejus differentia; certitudo autem est differentia quâ scientia distinguitur essentialiter ab errore & opinione; ac proinde si hæc sit supernaturalis, etiam & illa erit. Minor pariter est evidens; illa enim certitudo est supernaturalis, quæ nititur principio supernaturali, & major est omni certitudine naturali; sed Theologiæ certitudo talis est: Ergo, &c.

Theologiæ certitudo est supernaturalis tantùm remotè

Distinguo majorem, Cujus certitudo est super- (A) naturalis formaliter & immediatè, concedo: remotè tantùm & illativè aut resolotivè, oego: Et similiter distiocta minore nego consequentiam Dico itaque quod sicut theologicus assen-
XIV. sus non immediatè nititur principio supernaturali, sed solùm mediatè & per illationem aut resolutionem, nimirum mediante discursu naturali per quem ex articulis fidei conclusiones Theologicæ inferuntur, & in eos resolvuntur; ita illius certitudo noo est supernaturalis nisi radicaliter & remotè, in quantùm scilicet per discursum conclusiones Theologiæ resolvuotur in principia supernaturalia, nimirum in articulos fidei; sicut per eundem discursum, illæ conclusiones ex illis articulis inferuntur: Hoc autem (B) sufficit ut certitudo Theologiæ firmior sit quàm sit certitudo scientiarum naturalium, licet non sit æquè firma ac certitudo immediatè supernaturalis fidei; quia scientiæ naturales nec mediatè nec immediatè resolvuntur in principia supernaturaliter, sed tantùm naturaliter certa.

Dices 3. Scientiæ specificantur à principiis: sed principia Theologiæ sunt supernaturalia: Ergo & Theologia.

Distinguo majorem, Scientiæ specificantur à principiis intrinsecis, immediatis & proximis, concedo: ab ultimis & remotis, nego; alioquin scientiæ subalternatæ specificarentur a principiis (C) subalternantium, quia in eas resolvuntur, & ex
XV. earum principiis eruuntur; quòd tamen falsum est, alioquin subalternatæ à subalternantibus non discreparent. Et similiter distinguenda est minor, & neganda consequentia.

Sicut & illius principia.

Vel distinguo minorem. Principia Theologiæ sunt supernaturalia, secundùm entitatem, concedo: secundùm usum & applicationem, nego: Illa equidem sunt supernaturalia secundùm en-
XVI. titatem, quia sunt articuli fidei; sunt verò naturalia secundùm applicationem, quia non applicantur, nec ordinantur invicem & in ordine ad conclusionem inferendam nisi per discursum Theologicum; discursus autem ille naturalis est; ac proinde etiam naturalis est talium principio- (D) rum usus & applicatio.

Conclusio Secunda.

Theologia actualis non est supernaturalis.

THEOLOGIA *actualis*, seu *actualis illatio conclusionis Theologicæ ex principis suis, non est supernaturalis.*

Probatur 1. Eatenus esset supernaturalis, quatenus formaretur & penderet intrinsecè à principio supernaturali, putà ab habitu aut actu fidei
XVII. infusæ: sed exinde dici oequit intrinsece supernaturalis. Probatur, Nec habitus nec actus fidei efficienter & physicè concurrunt ad formandam Conclusionem Theologicam, sicut nec præmissæ concurrunt physicè ad Conclusionem Philoso- (E) phicam, sed solus intellectus est illius artifex: Ergo Theologiæ actus intrinsecè non pendet, nec formatur ab actu aut habitu fidei tamquam à causis supernaturalibus; sicque exinde non est supernaturalis.

Quia non fit à causis supernaturalibus.

XVIII. 2. Quamvis penderet physicè ab actu fidei infusæ, noo propterea dici deberet intrinsecè supernaturalis; quia habitus fidei acqoisitus & genitus per actum fidei infusæ non est supernaturalis, ut supra dictum est *num.* 7. quamvis ab illo actu supernaturali formetur: Ergo à pari, etsi actus Theologiæ efficienter & physicè causaretur (A) ab actu fidei, non exinde esset intrinsecè supernaturalis.

3. Conclusio Theologica plerumque formatur ex duabus præmissis, quarum una est revela- XIX. ta & supernaturalis, alia Philosophica & naturalis: Ergo cùm semper debilioris præmissæ sortem sequatur, inde non poterit dici supernaturalis.

Sed tantùm naturaliter agentibus.

4. Illa notitia actualis oon est supernaturalis, quæ formatur à potentia & intellecto naturali ut naturalis est: sed actualis Theologia ita fit. Probatur, Ille actus formatur ab intellectu ut natu- XX. ralis est, qui eò est perfectior, quò intellectus eum eliciens perfectior & perspicacior est: at talis est notitia Theologica; constat enim eos (B) qui acutiorem habent intellectum, peritiores evadere Theologos, & subtiliùs de fidei mysteriis ratiocinari, quàm qui minùs subtile iogenium sunt sortiti: Ergo, &c.

Replicabis forsan, id oriri ex eo quòd intellectus ille per fidem habitualem elevetur: ita quòd quemadmodum intellectus vegetior Beati cum æquali lumine gloriæ clariùs Deum videt, quàm videret alter qui æquale lumen haberet, sed inæqualem activitatem; sic à simili intellectus vegetior viatoris instructus habitu fidei, subtiliùs quàm alter de rebus fidei discurrit.

Contra. Intellectus Beati qoi est minoris acti- vitatis naturalis, amplius tamen habet gloriæ XXI. (C) lumen, clariùs Deum intuetur, quàm qui majorem haberet activitatem naturalem & minus lumen gloriæ: Ergo ut staret replica, fieretque paritas, oecessum esset quòd qui abundantiorem & perfectiorem fidem habent, etiam majorem haberent facilitatem de rebus divinis & Theologicis disserendi; hoc autem esse falsum experientia testatur: ex perfectiori enim & majori habitu fidei, non colligitur major capacitas ad res Theologicas explanandas & percipiendas; plures enim rudes & idiotæ plerumque perfectiorem fidem quàm peritiores & doctiores obtinent: Ergo, &c.

Dices. Omnis actus qui habet objectum supernaturale, est supernaturalis; habitus enim specifi- (D) cantur ab actibus, & actus ab objecto: sed Theologici actus habent objectum supernaturale, siquidem versantur aut circa Deum, aut circa fidei mysteria quæ supernaturalia sont, tum in entitate, tum in modo cognitionis, cùm per fidei lumen innotescant: Ergo sunt supernaturales.

Distinguo maiorem. Si actus versetur circa XXII. objectum supernaturale ut supernaturale est, concedo: secus, nego: Actus autem Theologiæ non versatur circa Deum oec circa fidei mysteria ut supernaturalia sunt præcisè, sed ut certa; & Theologia articulos fidei tamquam sua principia respiciens, non in eis considerat præcisè rationem supernaturalitatis sed certitudinis, ut (E) ex illis certam conclusionem inferat: Unde si illi articuli eam certitudinem quam habent per supernaturale lumen fidei, habere possent per lumen quod esset naturale, non minùs Theologia ex eis suas eliceret conclusiones: Ergo cùm per accidens sit quod objectum Theologiæ est supernaturale, non exinde sequitur actum illius esse supernaturalem, qoippe qui objectum ut supernaturale est non respiciat.

Licet versetur circa objectum supernaturale, non tamen est supernaturalis.

Instabis. Actus fidei non fertur etiam in objectum suum præcisè ut supernaturale, sed tantùm ut certum est; nec minùs propterea est intrinsecè supernaturalis: Ergo à pari licet actus

Theologicus

Theologicus objectum suum non respiciat præcisè ut supernaturale, non minùs erit supernaturalis.

Theologia enim objecti sui certitudinem, non supernaturalitatem attendit.

Nego antecedens. Licet enim explicitè actus fidei non terminetur ad supernaturalitatem objecti sui; tamen implicitè saltem eam respicit, quia cùm objectum fidei nullatenus possit attingi naturæ viribus, necessum est ut fides illud respiciat quatenus supernaturale est. Secus verò est de Theologia, quæ cùm supponat illud objectum iam per fidem cognitum, in illo supernaturalitatem non attendit, sed tantùm certitudinem, ut ex eo suas conclusiones inferat. Hæc evidentiùs aperiet

---

Quæstio Tertia.

An Theologia nostra certior sit & dignior scientiis naturalibus?

Status quæstionis.

Tria sunt in præsenti quæstione resolvenda. 1. An Theologicæ conclusiones & illarum assensus, certior sit assensu quem quis præbet scientiis naturalibus & evidentibus. 2. An assensus Theologicus eandem certitudinem habeat cum assensu fidei. 3. An Theologicus actus & habitus sit dignior scientiis naturalibus.

I.

Quid & quotuplex sit Certitudo?

Notandum 1. Certitudinem à Philosophis solitò distingui triplicem, objecti, subjecti, & motivi. *Certitudo objecti*, est immobilitas & invariabilitas rei in se; quæ duplex est, nimirum immutabilitas essentiæ & existentiæ, eaque soli Deo competit: & invariabilitas propositionis essentialis, quæ est necessaria connexio prædicati cum subjecto. Illaque rursus est, vel Metaphysica, quâ nequidem divinitùs res potest esse aliter, v. g. *homo est certò animal rationale*; vel Physica, quâ saltem naturaliter propositio est semper vera v. g. *omnis ignis comburit.* Certitudo *Subjectiva*, est firma adhæsio intellectus alicui objecto cognito, quod putatur esse verum, licet tale non sit; quâ fit, ut nonnulli firmiùs & tenaciùs adhæreant propositioni falsæ, quam putant esse veram, v. g. hæretici; quàm alii veræ adhærerent. Unde Arist. 7. Ethic. 3. ait *Sunt qui non minùs opinioni suæ, quàm illi suæ scientiæ credunt.* Hæc autē satiùs dicenda est pertinacia, quàm certitudo.

Denique *certitudo motivi*, est connexio infallibilis medii cogniti cum re quæ cognoscitur. Hæc autem connexio apparet vel per experientiam, qualem habemus certitudinem quod omnis ignis sit calidus: Vel ex evidentia luminis naturalis, qualis est certitudo circa prima principia: Vel per debitam illationem ex principiis evidentibus, qualis est certitudo conclusionis debitè illatæ ex evidentibus præmissis: Vel denique per revelationem alicujus veracis, qualis est certitudo fidei, quæ nititur veracitate Dei revelantis.

Quot modis conclusio Theologica inferatur.

II.

Notandum 2. ex Aureolo nostro q. 2. prologi artic. 2. triplicem fieri processum & illationem in Theologia: Aliquando enim proceditur ad conclusionem aliunde *scitam*, ut cùm quæritur utrum Deus sit unus & infinitus, hæc enim per Metaphysicam patent: Aliquando verò proceditur ad conclusionem *credendam*, de qua nondum determinatum est quid sit credendum, ut cùm quæritur utrum Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si ab eo non procederet: Aliquando verò ad conclusionem jam creditam & de-

A terminatam, ut cum quæritur an Spiritus sanctus à Patre & Filio procedat, cujus veritatem jam Ecclesia determinavit in Conciliis generalibus.

Notandum 3. ex eodem ibidem, quòd secundus modus inferendi & procedendi, potest fieri quadrupliciter. 1. enim conclusio potest inferri ex una propositione credita & alia necessaria: v. g. *Christus est homo, sed homo est animal rationale*: Ergo *Christus est animal rationale*, prima propositio est credita, & secunda est necessaria. 2. Ex ambabus creditis, v. g. *Christus est beatus, sed beatus Deum videt facie ad faciem*: Ergo, *&c.* 3. Ex una propositione credita & alia probabili; v. g. *Christus habet verum corpus,*

B *sed verum corpus habet formam substantialem ab anima rationali distinctam*: Ergo, *&c.* Prima enim propositio fide constat: Secunda verò utrimque discutitur & ventilatur inter Scotistas affirmantes & Thomistas negantes, ac contendentes in corpore humano præter animam rationalem non aliam esse formam quàm cadaveris. 4. Ex ambabus probabilibus, v. g. Quantitatis essentia consistit in extensione partium in ordine ad se: sed Christus in Eucharistia habet quantitatem: Ergo & extensionem partium in ordine ad se. Ergo &c.

III.

C Certum est autem quòd ex duabus probabilibus, vel ex unâ creditâ & aliâ probabili, sola formetur & generetur opinio, quia conclusio sequitur sortem præmissarum, & maximè vicem præmissæ infirmioris; causa enim non potest aliquid perfectionis tribuere suo effectui, quod ipsa non habet; unde cùm præmissæ sint causæ conclusionis, talis erit conclusio, qualis præmissa minùs certa & perfecta. An autē ex duabus propositionibus creditis, aut ex unâ creditâ & aliâ necessariâ generetur fides supernaturalis, ut vult ibidem Aureolus. An verò generetur habitus Theologicus medius inter fidem & scientiam, qui sit certior scientia, & minùs certus quàm fides, ut affirmat Doctor in 3. d. 24. n. 20. hìc est resolvendum.

D

Conclusio Prima.

Conclusio *Theologica, quæ deducitur vel ex duabus præmissis revelatis & creditis, vel ex una necessaria & alia revelata, est certior certitudine* objecti & motivi, *quâcumque scientiâ naturali: Non verò certitudine* subjecti. Hæc conclusio duas habet partes, quarum

Theologia nostra certior est scientiis naturalibus certitudine objecti & motivi.

Probatur 1. Illa notitia certior est certitudine objecti & motivi, quæ fertur in objectum magis immutabile, & per motivum firmius & certius: sed Theologia versatur circa Deum, qui majorem habet certitudinem & immobilitatem ac necessitatē essendi, quàm objecta scientiarum naturalium; in eum etiam tendit per medium & motivum firmius, quàm sint motiva scientiarum naturalium;

IV.

E siquidem hæc nititur principiis revelatis & fide divinâ creditis, quæ certè longè majorem habent certitudinem quàm principia lumine naturali cognita, quibus scientiæ naturales fulciuntur; nam ait Christus Lucæ 21. *Cœlum & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt.* Ergo, &c. Hinc Augustinus 7. Confess. cap. 10. *Audivi, sicut auditur in corde, & non erat prorsus unde dubitarem; faciliùsque dubitarem vivere me, quàm non esse veritatem.*

V.

Secundò, Certitudo supernaturalis & divina longè major est quâlibet certitudine naturali: sed notitia Theologica habet certitudinem divinam & supernaturalem ex parte objecti & motivi;

ſcientiæ verò naturales ſolam habent certitudinem naturalem, & à cauſis purè naturalibus. Ergo illa eſt his certior.

VI. *Tertiò*, Quod innititur primâ veritate & eſſentiali, certius eſt eo, quod ſolùm fundatur in veritate participata: ſed Theologia innititur primâ veritate, Dei nempe revelatione; ſcientiæ verò naturales innituntur creaturis, quæ habent ſolùm veritatem participatam. Ergo, &c.

VII. *Quartò*, Certitudo abſoluta & neceſſaria, major eſt & præſtantior certitudine contingenti & hypotheticâ: ſed Theologiæ certitudo eſt abſoluta & neceſſaria ex parte objecti, quod impoſſibile eſt mutari; & motivi, cui repugnat ſubeſſe falſum; ſcientiarum autem naturalium certitudo eſt hypothetica & contingens, cùm omnino pendeat earum exiſtentia & entitas ex liberâ Dei ordinatione. Ergo, &c.

Non verò certitudine ſubjecti. PATET ETIAM SECUNDA PARS. *Primò*, Illa certitudo major eſt ratione ſubjecti, quâ intellectus omnem motum dubitationis excludit:

VIII. ſed experientiâ conſtat intellectum omnem proſsus dubitationem excludere dum aſſentitur concluſioni evidenter deductæ ex principio evidenter noto, quale eſt hoc v. g. *Totum eſt majus ſua parte*; dum verò aſſentitur concluſioni deductæ ex principiis, revelatis interdum dubitationem & anxietatem patitur. Non enim major poteſt eſſe firmitas intellectus aſſentientis concluſioni Theologicæ, quàm dum aſſentitur per fidem propoſitioni immediatè revelatæ: ſed dum aſſentitur per fidem, interdum omnem dubitationem non excludit; nam inquit Doctor in 3. d. 23. n. 15. *Fides non excludit omnem dubitationem, ſed dubitationem trahentem in oppoſitum credibilis.* Quòd etiam indicat Chriſtus Dominus dum Diſcipulos increpant *Matth.* 8. ait, *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Et cap. 14. Petrum alloquens? *Modicæ fidei quare dubitaſtis?* Ergo ratione ſubjecti, Theologia minùs eſt certa, quàm ſcientiæ naturales.

IX. *Secundò*, Illa certitudo eſt major ex parte ſubjecti, quæ intellectum magis quietat & firmat, eique connaturalis eſt & proportionata: Sed certitudo ſcientiarum naturalium, cùm adjunctam habeat evidentiam, intellectum magis quietat & ſatiat, ejuſque operandi modo connaturalior eſt, quàm certitudo fidei, quæ intellectus vires tranſcendit, & habet adjunctam obſcuritatem. Quâ fit, ut intellectus naturalem ſuum cognoſcendi modum exuere, & veluti nativis ſuis privilegiis orbari & deaudari debeat dum aſſenſum præbet propoſitioni revelatæ. Unde ſanctus Paulus aſſenſum illum appellat captivitatem intellectus, 2. Corinth. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Ergo, &c.

Objicies 1. *contra primam partem*, Habitus, qui ex omni parte certus eſt, dicendus eſt ſimplicitet certior, quàm is qui ex aliqua ſui parte incertitudinem patitur: ſed habitus ſcientiæ

X. naturalis certus eſt ex omni parte, nimirum objecti, ſubjecti & motivi; habitus verò Theologiæ, ſemper quidem certus eſt ex parte objecti & motivi; plerumque tamen incertus ex parte ſubjecti: Ergo hic eſt illo incertior.

Eſt enim certior quoad ſe, non quoad nos. *Diſtinguo majorem*, eſt certior quoad ſe, nego; quoad nos, concedo. Itaque certitudo habitus (ut dictum eſt) bifariam poteſt conſiderari; vel quantùm ad ſe & penes infallibilitatem objecti & motivi; vel quantùm ad nos & penes facilitatem & firmitatem aſſenſus ad quem inclinat noſtrû intellectum. Priori modo, habitus eò eſt certior & firmior, quò magis objectum & motivum ſunt infallibilia & neceſſaria. Poſteriori verò ultra infallibilitatem objecti, etiam requiritur ut talis certitudo ſit magis proportionata & connaturalis intellectui noſtro, magiſque in eo aſſenſu quietetur & dubitationem ac hæſitationem naturalem excludat; qood ſit equidem per habitum ſcientificum propter ſuam naturalem evidentiam. Unde hic habitus eſt certior habitu Theologico penes nos; ob debilitatem intellectus noſtri qui magis adhæret propoſitioni evidenti & ob motivum naturale, quàm ob motivum ſupernaturale; non quod hoc ſit illo minùs certum; ſed quia non eſt æquè connaturale.

Dices 2. Quod eſt cauſa certitudinis concluſionis Theologicæ, eſt certius ipſa concluſione: ſed principia naturalia, & concluſiones ſcientiarum naturalium ſæpe ſunt cauſæ certitudinis concluſionis Theologicæ: ergo hæ illâ ſunt certiores. Major patet ex illa Philoſophica maxima, *Propter unum quodque tale, & illud magis.* Minor etiam eſt evidens, in demonſtratione enim Theologicâ, ſæpe una ex præmiſſis eſt ſcientifica & ſolo lumine naturali nota. Quomodo præmiſſa naturalis concurrat ad concluſionem Theologicam.

XI. *Diſtinguo majorem*, Cauſa adæquata, concedo; inadæquata verò, nego; & ſimiliter diſtincta minore, nego conſequentiam. Præmiſſa enim naturalis, eſt tantùm cauſa inadæquata concluſionis Theologicæ; fitque cauſa adæquata illius, quatenus jungitur alteri præmiſſæ revelatæ, quæ eùm certior ſit omni concluſione ſcientificâ, etiam majorem certitudinem concluſioni Theologicæ confert, quàm conſerret illa præmiſſa ſcientifica & naturalis.

Inſtabis, Ex dictis in probatione præcedentis concluſionis, & ex communi axiomate Dialecticorum, *Concluſio ſequitur ſemper debiliorem præmiſſam*: Ergo ubi una præmiſſa in diſcurſu Theologico eſt naturalis, etiam certitudo concluſionis naturalis eſſe debet, ac proinde non eſt certior ſcientiis naturalibus, imò minùs certa, cùm evidentia careat.

Nec officiat quominus illa dicatur ſcientiis naturalibus certior. *Reſpondent* communiter Authores huic inſtantiæ, præfatum axioma eſſe verum, quando duæ præmiſſæ ſunt ejuſdem ordinis & æqualiter in aſſenſum concluſionis influunt: in diſcurſu autem Theologico, inquiunt, ſola præmiſſa revelata eſt cauſa aſſenſus concluſionis; quippe cùm in eam ſolam concluſio reſolvatur; præmiſſa autem naturalis videtur tantùm conditio applicativa &

XII. explicativa præmiſſæ revelatæ & principii ſopernaturalis, ut majori facilitate intellectus aſſenſum concluſioni præbeat. *Verùm* cùm ex hâc replicâ videatur ſequi, quod præmiſſa opinativa & probabilis cum aliâ præmiſsâ de fide habetet certitudinem ſupernaturalem: Item quod aſſenſus concluſionis Theologicæ idem foret ac aſſenſus propoſitionis de fide, quod apertè falſum ſequent concluſio demonſtrabit, idcirco,

Quando concluſio non ſequatur debiliorem præmiſſam. *Reſpondent* Alii, concluſionem ſequi debiliorem partem in iis præmiſſis, quæ excludunt conſortium alterius, ita quòd ſi una propoſitio eſt negans, etiam negant eſſe debet concluſio, quia non poteſt eſſe partim affirmant & partim negans; ſimiliter ſi una præmiſſa eſt particularis, etiam concluſio particularis eſſe debet, quia non poteſt eſſe ſimul particularis & univerſalis; eò quòd particulare & univerſale invicem pu- XIII.

gnent, & unum non admittat consortiũ alterius. A
In his verò præmissis quæ non excludunt consortium alterius, conclusio noo debet magis participare de propositione debiliori, quàm de certiori ac validiori, exquibos eruitur: coostat autem lumen naturale non excludere consortium luminis fidei qoantùm ad causandam conclusionem Theologicam: Ergo non est necesse ut conclosio Theologica sequatur propositionem minùs certam.

Respondeo cum nostro Smising *quæst.* 4. *num.*
XIV. 115. ad veritatem præsati axiomatis sufficere, quod conclusio noo adæquet perfectionem nobilioris ac validioris præmissæ; non autem necessum esse quod conclusio sit æquè imperfecta B ac præmissa minoris perfectionis. Sicut enim in naturalibus, mulus genitus ab equô & asina, est quidem imperfectior equo, licet sit perfectior asinâ; ita (si ex crassioribus his umbris spiritualia delineare liceat) dicere possumus quod assensus Theologicus causatus à præmissa revelata & ab alia evidente, est quidem incertior revelatà: sed propter consortium cum revelata, est certior præmisâ naturali evidente; & sic conclusio Theologica ex eis deducta, certior est qualibet scieotia naturali.

Conclusio non semper sequi debet debiliorem præmissam

Dices 3. Certitudo cooclusionis Theologicæ non oritur immediatè à præmisâ revelatâ, sed tantùm mediante discursu, per quem ex tali præmisâ deducitur: Atqui discursus non est certior C in Theologiâ, quàm in scientiis naturalibus; cùm innitatur eodem lumine naturali & iisdem regulis syllogismi: Ergo nec conclusio Theologica aliis erit certior.

Distinguo minorem, Discursus Theologicus idem est cum scientifico, quantùm ad sotinam
XV. & methodum, concedo: quantùm ad materiam & res de quibus differitur, nego: Cùm enim materia discursus Theologici longè sit certior materia scientiarum naturaliom propter præmissas revelatas; inde fit, quòd conclusio Theologica, sit etiam aliis certior: quemadmodum inter ipsas scientias, licet sit idem mo- D dus discurrendi, tamen materia onius scientiæ cùm sit certior & magis necessaria, quàm materia alterius; etiam fit quòd una scientia sit aliâ certior.

In quo differat discursus Theologicus à Philosophico.

Dices 4. Si Theologica notitia sit certior scientiis naturalibus, sequitur pariter eam esse certiorem assensu primorum principiorum, maximè hujus, *Quodlibet est vel non est*, & alterius, *Prima veritas nec fallere nec falli potest:* sed id dici nequit; siqoidem præmissæ revelatæ his duobus principiis nituntur, ac proiude sunt illis minùs certæ, quia propter unumquodque tale & illud magis.

Nego minorem præmissæ namque revelatæ, E quatenus revelatæ sunt, certiores sunt quôcumque primo principio, nec ullo discursu fulciun-
XVI. tur: sciendum enim est, qoòd eodem actu, quô quis assentitur alicui propositioni per fidem, eodem dissentitur propositioni oppositæ; sicque eô ipsô quô aliquid proponitur ut est, eodem proponitur non esse ejus oppositum, quare hæc propositio; *quodlibet est, vel non est*, continetur in propositionibus revelatis, & est revelata virtualiter in his articulis, qui esse proponuntur. Similiter eadem fides, quæ movet nos ad credendum aliquid propter primam veritatem infallibilem, ex consequenti movet ad credendum qood detur prima veritas infallibilis.

Quomodo conclusiones Theologiæ sint certiores primis principiis.

CONCLOSIO SACUNDA.

Theologicus assensus minùs est certus quàm assensus fidei. Hæc est Doctoris pluribi, præsertim in 3. *dist.* 23. *quæst. unicâ*, *num.* 16. & 20. Probatur 1. ex Aristotele 1. *Posteriorum.* Certitudo assensûs conclusionis nusquam æquat certitudinem præmissarum, quia *propter quod unumquodque tale & illud magis*: Sed conclusio Theologica tantùm certa est propter præmissas quarum una est de fide: Ergo præmissæ cooclusionis Theologicæ sunt eâ certiores.

Secundò, Non est æquale motivum certitu- XVII.
dinis in assensu Theologico ac in assensu fidei: Ergo hic est illô certior. Probatur antecedens. Motivum assensus fidei, est pota & immediata revelatio divina sine ullo discursu; motivum autem assentiendi conclusioni Theologicæ, est tantùm revelatio mediata, virtualis & complexa, seu secum involvens discursum naturalem: At revelatio pora & immediata longè certior est eâ, quæ tantùm mediatè per discursum innotescit. Ergo, &c.

Theologicus assensus est minùs certus assensu fidei.

Tertiò, Nemo Theologotum ita firmum assensum præbet conclusionibus Theologicis, ac propositionibus de fide, ot cuique compertum est: Ergo uterque assensus noo est æqualis certitudinis.

Quartò, Assensus Theologicus non potest esse æqualis certitudinis cum assenso fidei, oisi ab habitu fidei proveoiat: sed ab eo non provenit: Ergo non est æqualis certitudinis cum eo. Major est certa, vel enim ad hunc assensum æquè certum movere deberet habitus fidei, vel aliquis alius habitus qui eandem aut æqualem cum habitu fidei certitudinem haberet: at non datur talis alius babitus qui sit æqualis certitudinis cum habitu fidei: Ergo necessum esset ut assensus Theologicus ab habitu fidei proveniret. Minor probatur, habitus Theologicus est distinctus ab habitu fidei: Ergo assensus Theologicus noo proveoit ab babitu fidei. Consequentia patet, quia assensus Theologicus non fit nisi ab intellectu informato habitu Theologico.

Antecedens probatur authoritate S. Aogustini *libro* 14. *de Trinit. cap.* 1. ubi cum dixisset per habitum Theologicum fidem gigni, nutriri, defendi, roborari, subdit: *Quâ scientiâ non pollent* XVIII.
plurimi fideles, quamvis polleant ipsa fide plurimùm: Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ nonnisi æterna est; aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum & piis opituletur, & contra impios defendatur. Unde Doctor *locô laudatô num.* 20. expendens hæc S. Augustini verba, ait: *Dico quod simplices credunt omnia quæ Ecclesia, implicitè, nec sciunt fidem explicare nec defendere; ideo illi qui hoc sciunt habent habitum distinctum à fide, sed non alio lumine quàm sit fides: Nec ille habitus innititur principiis evidenter notis in aliquo lumine: Isto tamen habitu non pollent plurimi fideles, quia ille habitus distinctus est à fide, non tamen est scientia ut describitur à Philosopho.* Ex his patet quàm perperàm nonnulli affirment Doctorem asserere habitom fidei euodem esse cum Theologico.

Habitus fidei à Theologico habitu distinguitur.

Dices 1. Illa propositio est æqualis certitudinis com fide, quam qui negat est hæreticus: sed qui negat propositionem deductam ex principiis

fidei, est Hæreticus: Ergo &c. Probatur minor. A Idcirco Monothelitæ damnati sunt in *sexta Synodo* quòd negarent duas esse in Christo voluntates: sed duas esse in Christo voluntates colligitur tantùm & constat per hunc discursum Theologicum, *Vbi sunt duæ naturæ intellectuales, sunt duæ voluntates*; sed *in Christo sunt duæ naturæ intellectuales, nimirum divina & humana*: Ergo & *duæ voluntates*. Et proinde qui negat conclusionem Theologicam est hæreticus.

XIX. Quando qui negat conclusionem Theologicam, dici debeat hæreticus.

Distinguo minorem. Qui negat conclusionem Theologicam præcisè ut Theologica est, seu quatenus est illata per discursum Theologicum, est Hæreticus, nego: quatenus illa propositio quam negat, est etiam immediatè revelata, concedo. *Ad probationem* autem dico, æquè esse im- B mediatè revelatum quod duæ sint in Christo voluntates, ac revelatum est immediatè quod in eo sint duæ naturæ, divina & humana; quia impossibile est naturam intellectualem sejungi à suo intellectu & sua voluntate, quippe quæ ab intellectu & voluntate intellectualis & libera dicatur. Unde meritò Monothelitæ damnati sunt ut hæretici, non quia negabant conclusionem Theologicam; sed quia propositionem immediatè saltem implicitè revelatam admittere renuebant. Ut autem facili negotio solvantur ea omnia quæ contra hanc Conclusionem objici possunt;

XX. Quando propositio sit de fide, vel non.

Adverte 1. cum nostro Smising. *q. 1. n. 16.* conclusionem Theologicam considerari posse, Vel C quatenus illata est per discursum, & sic non est de fide, nec qui eam negaret, esset hæreticus: Vel quatenus est etiam immediatè revelata, & sic dicenda est propositio de fide, non autem Conclusio Theologica: Vel quatenus continetur in propositione revelatâ, ita ut apprehendatur ut omnino eadem cum illa, v. g. si quis auditô hoc Syllogismô: *Omne suppositum habens duplicem naturam spiritualem, habet duas voluntates*: at *suppositum Christi habet duplicem naturam spiritualem*: Ergo *duas voluntates*. Si quis (inquam) has duas propositiones, *habere duplicem naturam*, & *habere duas voluntates*, apprehendat per modum unius connexi, & illud connexum Christo attribuat; ille credet in Christo esse duas volun- D tates, eâdem fide quâ credit in eo esse duas naturas, licet connexio duarum illarum propositionum appareat illi per discursum. Si verò judicet eas propositiones esse distinctas, & concipiat aliud esse habere duas naturas, & aliud habere duas voluntates; & hanc popositionem ex illâ tantùm inferat lumine naturalis discursus; tunc si eam neget, non erit hæreticus, quia illam propositionem non ut immediatè revelatam, sed tantùm ut illatam ex revelatâ considerat.

XXI. Propositio ex aliis deducitur per modum vel suasionis vel illationis.

Adverte 2. unam propositionem deduci posse ex præmissis dupliciter. 1. *Per modum suasionis*, quando discursus non tam est illativus, quàm terminorum expositivus. V. g. si quis inferret E quòd Christus est verus homo, consequenter est animal rationale, hôc modô, *Omnis homo est animal rationale*: *Christus est homo*: Ergo *est animal rationale*: Cum enim homo & animal rationale idem sint formaliter, hæc conclusio non tam censetur illatio quàm terminorum expositio. 2. *Per modum illationis*, quando ex ordinata connexione præmissarum, conclusio infertur. V. g. si quis inferret Christum esse risibilem ex eo quòd sit homo, & omnis homo sit risibilis; licet enim risibilitas identificetur realiter cum homine; non tamen formaliter identificatur; est enim proprietas ab essentia hominis formaliter distincta. Prima Conclusio esset de fide; non autem secunda.

CONCLUSIO TERTIA.

THEOLOGIA *nostra dignior est quâlibet scientiâ naturali*. Hæc Conclusio apertè patet: Tum quia Theologia præstantius objectum respicit, nempe res divinas & supernaturales quæ dignitate suâ rationem transcendunt; cæteræ autem scientiæ versantur circa res naturales & ea quæ rationi subdûtur. Tum quia majorem habet certitudinem: Cæteræ enim scientiæ suam certitudinem mutuantur ex solo lumine naturali, quod errori sæpe obnoxium est; Theologia verò innititur primæ veritati quæ nec falli nec fallere potest. Tum denique quia cæteræ scientiæ velut ancillæ ei famulantur, hæcque eis utitur ad suas veritates aperiendas, confirmandas & suadendas. Unde Proverb. 9. dicitur de hac divina sapientia, *quòd misit ancillas suas vocare ad arcem*. XXII. Theologia dignior est omnibus scientiis.

Dices 1. Evidentia est perfectio scientiæ, ac proinde quò scientiæ erunt evidentiores, eò erunt perfectiores: sed scientiæ naturales sunt evidentiores Theologiâ: Ergo & perfectiores.

Distinguo maiorem, Evidentia est perfectio scientiæ secundùm quid & in ordine ad majorem perfectionem, concedo: Simpliciter & absolutè, nego: Evidentia enim ordinatur ad certitudinem, quæ est maxima scientiæ perfectio, unde quò scientia erit certior, eò perfectior erit: at constat Theologiam aliis scientiis esse certiorem: Ergo & præstantiorem. XXIII. Evidentia est perfectio scientiæ, non simpliciter: sed secundum quid.

Dices 2. Scientia illa est præstantior, quæ perfectiori modô suum objectum attingit: atqui scientiæ naturales perfectiori modô suum objectum attingunt quàm Theologia: Illæ enim objecti sui naturam & omnes illius partes ac proprietates detegunt & aperiunt; hæc autem vix quidquam de objecti sui naturâ percipit: Ergo hæc est illis imperfectior.

Distinguo majorem. Si præstantius vel æquè dignum objectum intueatur, concedo: Si minùs perfectum, nego: Theologia autem præstantius objectum quàm scientiæ naturales considerat: *Nobilius est autem parum attingere de nobilioribus subiectis, quàm multùm de aliis*; ut ex Aristotele 2. de animalibus refert Doctor in 3. dist. 23. in fine. Cui consonat D. Thomas quæst. 1. prologi articulo 5. dicens *Minimum quod potest haberi de cognitione rerum altissimarum, desiderabilius est, quàm certissima cognitio quæ habetur de minimis rebus*. XXIV. Præstat nobilius objectum imperfectè cognoscere, quàm minùs nobile perfectissimè.

Vel dico cum eodem Doctore ibidem; actûs dignitatem considerari posse vel absolutè & secundùm se: vel respectivè & penes attingentiam objecti circa quod versatur. Priori modô, Theologica cognitio nobilior est cognitione philosophicâ, quia illa oritur à sublimioribus principiis & circa nobilius objectum occupatur: Posteriori verò notitiæ philosophicæ dici possūt perfectiores, quia perfectiùs suum objectum attingunt & comprehendunt. Sicut v. g. visio solis ab Aquilâ, secundùm se dicitur perfectior visione candelæ ab oculo meo; quia illa est à perfectiori & acutiori potentiâ & circa præstantius objectum: Hæc verò dicitur perfectior secundùm attingentiam, quia oculus meus magis proportionatur objecto, nempe candelæ, meliùsque objectum visu comprehendit, quàm oculus aquilæ proportionetur soli. Subtilis observatio.

QUÆSTIO QUARTA.

An Theologia nostra sit Argumentativa & adhæsiva?

I. Status quæstionis. TRIA proponuntur in præsenti quæstione resolvenda. 1. An Theologia more Philosophico procedat inferendo & probando conclusiones ex præmissis. 2. Cùm veritas conclusionis Theologicæ pendeat à veritate præmissarum, quæritur an cùm negantur illa principia, Theologus ipsa possit argumentis probare: 3. An habitus Theologicus, quô dirigitur intellectus ad inferendas conclusiones Theologicas, eum faciat adhærere & assensum præbere conclusioni deductæ ex præmissis, ita quòd concessis præmissis intellectus non possit dissentire conclusioni: An veró hic habitus sit tantùm explicativus & declarativus veritatum fidei, ut voluit Aureolus q. 2. prologi, quæ evidentiùs ut pateant;

II. Quid sit & in quo sita sit Argumentatio. *Notandum* 1. quod Argumentatio sit *oratio, in qua propositio minùs nota, infertur ex notiori;* sive interim illa propositio nota sit lumine naturali, sive supernaturali; sive sit evidens, sive tantùm certa. In Argumentatione autem tria sunt, 1. *Antecedens*, estque propositio ex qua alia infertur. 2. *Consequens*, estque propositio quæ infertur ex alia. 3. *Consequentia*, in qua fit connexio antecedentis cum consequente. Insuper Argumentatio duplex requirit intellectûs judicium: primum, quô judicat consequens habere necessariam connexionem cum antecedente, & dicitur *judicium consequentis*: secundum, quô judicat consequens legitimè inferri ex antecedente secundùm regulas Syllogisticas, & *iudicium consequentiæ* nominatur. Essentia autem Argumentationis consistit in priori judicio, non in posteriori, ut in Logica nostra satis superque probavimus.

III. Probatio fit vel per locum extrinsecum, vel per intrinsecum. *Notandum* 2. aliquid probari posse dupliciter: nimirum vel per *locum extrinsecum*, quando nimirum adversarius aliquam propositionem concedit, ex qua concessa alia infertur; sic quia Judæi admittunt vetus testamentum & Calvinistæ novum, ex veteri Testamento Theologus probat Christi incarnationem contra Judæos; & ex novo probat Christi corpus esse realiter in Eucharistia contra Hæreticos illud negantes: Vel per *locum intrinsecum*; nimirum per argumenta petita à ratione & lumine naturali; quod

IV. Idque vel positivè vel negativè. insuper fit vel *positivè*, vel *negativè*. Probatio Positiva, fit quando per assumptum aliquod medium ostenditur necessaria connexio prædicati cum subjecto in eo quod affirmatur; Negativa autem quando aperitur & evincitur nullam esse contradictionem & repugnantiam in eo quod affirmatur. Hæc autem probatio rectiùs dicitur objectionum solutio, quàm exhibitio rationum.

Conveniunt autem omnes, Theologum posse probare sua principia per locum extrinsecum, ut mox dictum est: Conveniunt pariter illa principia probari non posse positivè, siquidem non sunt lumine naturali cognita, sed solâ fide creduntur. Unde restat discutiendum an saltem negativè probari possint evidenter.

Notandum 3. Præmissas esse causas conclusionis vel *in essendo*, quando medius terminus est causa cur prædicatum conveniat subjecto; sic

A rationale est causa cur risibile conveniat homini; vel *in cognoscendo*, quando medium inducit in cognitionem unionis prædicati cum subjecto; sic risibile indicat rationale convenire homini: Cùm autem omnis causa virtualiter suum effectum contineat; præmissæ virtualiter conclusionem involvunt: unde fit ut assensus præmissarum, conclusionis assensum virtualiter complectatur, ita quod qui præbuit assensum præmissis, non possit eum conclusioni denegare, ut probat Doctor in 1. d. 1. q. 4. n. 16. Quomodo præmissæ sint causæ conclusionis. V.

CONCLUSIO PRIMA.

B THEOLOGIA *nostra est argumentativa.* Probatur primò quidem authoritate sacræ Scripturæ, 2. ad Timotheum 3. *Omnis scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum & arguendum*, & item ad Titum 1. *Oportet Episcopum esse.... amplectentem eum qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Insuper Sap. 8. *sapiens* & Theologus *scit versutias sermonum & dissolutiones argumentorum.* Theologiam esse argumentativam probatur. 1. Authoritate. VI.

Secundò, idipsum patet exemplô, primò quidem Christi Theologorum principis & parentis, qui contra adversantes sibi Scribas & Pharisæos plerumque est argumentatus, sic Math. 19. indissolubilitatem matrimonii probat ex illo Genes. 2. 2. Exemplô Christi.
C *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne unâ*, ex quibus infert, *quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Similiter *cap.* 22. ex his verbis Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo*, infert Messiam non esse purum hominem, nec solùm filium David, sed etiam Deum, eò quòd David eum Dominum appellet, quod nomen Pharisæi concedebant esse proprium Dei, & *cap.* 2. *ex Psalmo* 8. & 117. probat se esse Messiam. Conquerentibus enim Pharisæis & Sacerdotibus, quod pueri in templo eum esse benedictum Domini acclamarent, respondit: *Vtique numquam legistis, quia*
D *ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?*

Similiter Apostoli plerumque argumentati sunt; maximè S. Paulus, qui pene ubique argumenta conficit, ut Evangelicas veritates suadeat; sed præsertim 1. ad Corinth. c. 15. insurgens in Pseudo-Apostolos, qui asserebant non fore resurrectionem mortuorum; sic argumentatur. *Si autem resurrectio mortuorum non est: Ergo neque Christus resurrexit: Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra; invenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quòd suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt: Nam si mortui non resur-*
E *gunt, neque Christus resurrexit; quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris: Ergo & qui dormierunt in Christo perierunt.* In hac autem repetita argumentatione, assumit resurrectionem Christi tamquam medium ad probandam cæterorum hominum resurrectionem, eò quòd non requiratur in Deo major vis & potentia ad suscitandos alios mortuos, quàm ad suscitandum Christum. Et Apostolorum. VII.

Dices 1. S. Ambrosius *l.* 1. *de Fide*, ait, *Auferte hinc argumenta ubi fides quæritur*: sed fides quæritur per Theologiam firmandam & protegendam. Et Joannis ultimô. *Hæc scripta sunt ut credatis.* Non ait ut disputetis & arguatis: Unde Tertullianus *lib. de præscrip cap.* 7. ait, *Nobis curiosi-* VIII.

tati opus non est post Christum, nec inquisitione A *post Evangelium: cùm credimus, nihil ultra desideramus credere.*

Respondeo S. Ambrosium ibi tantùm agere de
IX. assensu fidei qui non humana ratione & naturalibus argumentis, sed Dei verbo fulcitur, vnde subjungit, *Non creditur Philosophis, creditur piscatoribus; non creditur Dialecticis, creditur Publicanis.* Agit enim ibi contra Arianos qui pluribus rationibus naturalibus impugnabant Christi Domini divinitatem. Non autem censet ablegandam & removendam esse omnem argumentationem à Christianis, siquidem ipsemet ibidem contra Arianos argumentis utitur, ex sacra Scriptura depromptis. Eôdem modô sit satis verbis Tertulliani, ipse namque non improbat argumentatricem doctrinam, quā in omnibus suis scriptis usurpat; sed solùm contendit fidei mysteria non esse rationibus naturalibus metienda & investiganda.

Argumenta non obsunt sed prosunt fidei.

Dices 1. Si Theologia sit argumentativa, aut argumentabitur authoritate, aut ratione: sed neutrū dici potest. Non aotboritate, quia, ioquit Boëtius, locus ab authoritate est minùs efficax & infirmus, ac proinde Theologiæ dignitati & firmitati non coogruit: non etiam ratione, qoia hæc adversatur Theologiæ fini, fidei enim meritum evacuat; nam ut ait S. Gregorius, *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

Respondeo. Theologiam arguere ab authoritate, non quidem humanā & fallibili, sed
X. divinā & veraci, nititur enim ipsius Dei revelatione cui repugnat subesse falsum; arguere aotem ab authoritate divinā & infallibili, Theologiæ dignitatem & firmitatem noo dedecet. Utitur similiter ratione humanā tanquam principio extraneo, ita ut ratio naturalis subserviat fidei, eamque quantùm fieri potest illustret.

Sive ab authoritate sive à ratione petantur.

CONCLUSIO SECUNDA.

Theologia argumentari potest, ut probet positivè sua principia esse credibilia: Non autem ut demonstret ea esse naturaliter possibilia. Hæc conclusio duas habet partes, quarum prima

Probatur 1. Illud ostendi potest evidenter credibile, quod potest ostendi noo involvere con-
XI. tradictionem & repugnantiam, quodque validia habet & firma motiva credibilitatis: sed ita est de principiis Theologiæ; siquidem solvi possunt omoia argumenta, omnesque contradictiones qoæ contra fidei articulos solent objici; oti de facto omnes sancti Patres & sacri Doctores eas solverunt implicantias à Philosophis contra fidem objectatas. Plura pariter subministrantur motiva, quibus articuli fidei credibiles appareant, cujusmodi sunt miracula in fidei confirmationem facta, visibilis Ecclesiæ declaratio, & universalis consensus, illius Doctrinæ & morum sanctitas, assensus eruditissimorum quôvis sæculô, &c.

Insuper ex S. Bonaventura, quæst. 2. proœmiali. *Parati esse debemus omni petenti rationem reddere de ea quæ in nobis est fide*, inquit sanctus Petrus 1. *Epist. cap.* 3. Cùm ergo multi sint qui fidem oostram impugnant, necessum est ut per rationem eam astruamus modô inquisitoriô & argumentativô.

3. Ex eodem, Veritates fidei nostræ oon sunt deterioris conditionis, quàm aliæ veritates: sed aliæ veritates id habent quod possint per rationem propugnari, sicut & impugnari: Ergo idem de veritatibus nostræ fidei dicendum est.

4. Ex eodem, fides nostra, non est modò pejoris conditionis quàm in principio: sed in principio quando impugnabatur per falsa miracula Magorum, defendebatur per vera miracula Sanctorum: Ergo cùm modo impugnetur per falsa argumenta hæreticorum, debet defendi per vera argumenta Doctorum.

Posterior pars etiam constat, siquidem cùm fidei mysteria naturalem humanæ mentis capacitatem excedant, ratio naturalis nullum medium subministrare potest, quô illa mysteria esse possibilia B naturaliter demonstrentur, quod sic evinco. Quæ naturaliter demonstrantur possibilia, continentur intra naturæ limites, & per medium naturaliter notum: sed principia Theologiæ non continentur intra naturæ limites, cùm à nullo naturali agente fieri possint; nec ullum est medium naturaliter notum quod illa suadeat; omne enim medium quô rei possibilitas demonstratur, debet esse rei intrinsecum; & consequenter medium rei supernaturalis, qualia sunt mysteria, non potest esse naturaliter notum. XII.

Theologia probat sua principia negativè.

Non verò positivè.

Dices 1. Mysteria fidei quæ sunt principia Theologiæ, possunt positivè probari esse credibilia: Ergo & esse possibilia. Consequentia C patet, nihil enim est credibile nisi sit pariter possibile; quia nihil est credibile nisi sit verum, nihil autem est verum nisi sit possibile aut existens; impossibile enim cum noo sit ens, nec pariter verum est, quia veritas est proprietas entis. XIII.

Nego consequentiam. Licet enim quod est credibile, sit etiam possibile, non tamen inde sequitur eôdem modô posse probari rerum possibilitatem & earum credibilitatem; credibilitas enim probatur per medium extrinsecum rei creditæ, putà per authoritatem dicentis, miracula, &c. possibilitas autem probari debet per medium intrinsecum rei cognitæ, quô probe-D tur prædicatum posse convenire subjecto. Unde licet sint media positiva externa quibus probetur mysteriorum credibilitas, non sequitur esse pariter media positiva intrinseca & naturaliter nota, quibus eorum possibilitas demonstretur.

Non eōdem modō probatur rerum credibilitas & possibilitas.

Dices 2. Fidei mysteria possunt probari non esse impossibilia: Ergo probari possunt esse possibilia, quia inter esse possibile & impossibile, non datur medium; ac proinde si res non sit impossibilis, sequitur eam esse possibilem.

Nego consequentiam, similiter & ejus probationem, siquidem ut advertit & monet Philosophus *libr. de interpretatione cap.* 3. possibile E & impossibile non sunt præcisè contradictoria, quia utrumque est affirmativum. *Deinde* licet fortè à parte rei nihil mediet inter rem esse possibilem & impossibilem; tamen inter rem posse demonstrari possibilem & posse demonstrari impossibilem, datur medium, scilicet non posse demonstrari possibilem, nec posse demonstrari impossibilem, dum nempe non apparent urgentes rationes quibus rei possibilitas aot impossibilitas evincatur. Ac proinde licet fidei mysteria possint naturaliter probari non esse impossibilia, non sequitur quòd ea esse possibilia naturaliter demonstrari possit. XIV.

Possibile & impossibile non sunt contradictoria.

Conclusio Tertia.

XVII. *Theologia non solùm est explicativa, sed etiam adhæsiva.*

Theologicus *habitus non solùm est Explicativus articulorum fidei: sed etiam Illativus & Adhæsivus.*

Probatur 1. Si Theologia tantùm esset Scripturarum explicativa, ut vult Aureolus; non perveniretur ad notitiam Theologicam per fidem; imò ipsa notitia ad fidem quasi manu duceret: sed hoc est falsum, nam inquit S. August. serm. 51. de verbis Domini, *Sic accipite, sic credite, ut mereamini intelligere: fides enim debet præcedere intellectum, ut sit intellectus fidei præmium, Propheta enim* (Isaïas cap. 7. juxta versionem 70.) *apertissimè dixit, Nisi credideritis, non intelligetis.*

XVIII. 2. Si Theologia sit tantùm explicativa, quilibet infidelis, qui minimè præbet assensum propositionibus Theologicis, posset esse Theologus; si enim peritiam habeat idiomatum, studiumque in legendis sacris Scripturis adhibeat, poterit eas explicare, & earum sensum reconditum aperire; Sed falsum est eum, qui non habet fidem, nec conclusionibus Theologicis assentitur, posse Theologum appellari, ut omnes fatentur: Ergo &c.

XIX. 3. Discursus Theologicus procedens, ex præmissis creditis in formâ & figurâ Syllogisticâ debitè dispositis, generat & cõfirmat conclusionem necessariam: Ergo necessum est ut intellectus præbens assensum præmissis, etiam & conclusioni assentiatur; quia, ut dictum est in 3. *notab.* assensus conclusionis virtualiter continetur in assensu præmissarum, ita ut intellectus qui præmissis assentitur, non possit conclusioni non consentire; ac proinde necessum est ut habitus Theologicus sit adhæsivus, & non solùm Scripturarum declarativus, & fidei mysteriorum expositivus.

XX. *Fidei enim articulos non solùm illustrat, sed etiam ex eis conclusiones deducit.*

Dices 1. ex S. Augustino 14. de Trinit. c. 1. Theologicus habitus est, quô fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: sed hoc fit per solam litteralem expositionem sacræ Scripturæ, non verò per illationem aut argumentationem. Probatur, Per notitiam conclusionum, non gignitur notitia principiorum, nec per eam defenditur, nutritur, roboratur; imò è contra, conclusionum notitia gignitur & roboratur per notitiam principiorum: Ergo fides non gignitur à conclusionibus deductis; nec proinde Theologia ad fidem generandam & nutriendam ordinata, occupatur in inferendis conclusionibus.

Respondeo, Theologiam equidem non solùm scientiæ munus implere, deducendo & inferendo conclusiones ex principiis creditis: sed etiam interdum gerere & supplere vicem habitus principiorum, quatenus nimirum occupatur erga fidei mysteria quæ sua sunt principia, ut nempe illa illustret, explanet, & tueatur, partim per notitiam explicativam Scripturæ, partim per notitiam argumentationis: Sed inde non sequitur ubi explanavit & percepit talia principia, quod ex eis conclusiones deducere non possit.

Dices 2. Tota sanctorum Patrum Theologia versatur in expositione sacræ Scripturæ, sive libros ex professo exponant, sive per occasionem cum Hæreticis disputando aliquos ex ea textus depromant, sive in sensum perversum usurpatas ab Hæreticis Scripturas sacras elucident: Ergo adæquatum Theologiæ munus est fi-

A dei mysteria in sacra Scriptura recondita, reserare & exponere.

Sancti Patres non solùm habuerunt Theologiam explicativam, sed etiam illativam.

Confirmatur. Authoritate S. Dionysii librô de divinis nominibus cap. 1. *Nullâ* (inquit) *ratione præsumendum est aliquid de supersubstantiali secretissimaque Deitate, aut dicere aut cogitare, præter illa quæ nobis sacra eloquia tradiderunt.*

Respondeo equidem sanctos Patres solitò fuisse usos Theologiâ expositivâ, non tamen argumentativam & illativam neglexisse, ut constat ex eorum scriptis, & ut in *tertia quæst. primi artic.* probavimus. XXI. Ad S. Dionysium dico, eum intelligere per *sacra eloquia*, non solùm Scripturam sacram, sed etiam ea quæ ex sacris litteris deducta
B sunt, ut habet alia eius versio. Certum est autem, Theologiam occupari vel in sacrâ Scripturâ exponendâ, vel in inferendis ex eâ conclusionibus ad planiorem mysteriorum intelligentiam & persuasionem.

Quæstio Quinta.

Quinam sint Loci ex quibus Theologia argumenta sua depromit?

I. Cum Aristoteles in Topicis quædam proposuerit communia principia, ex quibus Philosophi, velut ex promptuario, suarum argumen-
C tationum materiem depromere possent, quæ idcirco argumentorum locos, sedes & domicilia censuit appellanda; ita Theologi quædam sibi principia statuunt, ex quibus rationes desumant in suis veritatibus eruendis & confirmandis.

Quid per Locum Theologicum significetur.

II. *Notandum autem* 1. Locos Theologicos posse considerari, vel secundùm laxiorem, vel juxta strictiorem usurpationem. Priori modô, vulgò decem numerantur, nimirum authoritas, 1. Scripturæ sacræ; 2. Traditionum Christi Domini & ejus Apostolorum: 3. Conciliorum, præsertim generalium approbatorum: 5. Summi Pontificis ex consulto & authoritate Pontifi-
D ciâ decernentis: 6. Sanctorum Patrum & Ecclesiæ Doctorum. 7. Doctorum Scolasticorum & juris Pontificii Peritorum: 8. Philosophorum naturalium, & juris Cesarei consultorum: 9. Humanæ ac civilis Historiæ: 10. Ratiocinationis naturalis. Theologus enim per omnes præfatos locos, velut apis volitat & spatiatur, ut inde mel veritatis per discursum eliciat.

Quid & quot sint Loci Theologici?

III. Si verò Loci Theologici strictim usurpentur, tres solùm numerabuntur, nimirum 1. *Scriptura sacra* veteri & novô Testamentô exarata: 2. *Traditio Christi & Apostolorum*, ad quem revocatur communis Patrum sensus in docendo & fidelium in credendo; his namque duobus Traditio innotescit. 3. *Authoritas Ecclesiæ*, quæ Conciliorum
E & summorum Pontificum decreta conplectitur. Hæc autem tria, dicuntur loci proprii & domestici Theologiæ; cæteri vero extranei & improprii, eò quòd hi humanâ tantùm fide aut ratione fulciantur; illi verò nitantur divinâ revelatione & cœlesti sancti Spiritus illustratione & auxilio. Quoniam autem de Traditionum & Eccesiæ authoritate, in tractatu de Fide (si Deus dederit) ex professo agendum est, ideò hìc solùm de Scriptura sacra, à qua potissimum Theologia suas veritates depromit, quædam sunt delibanda.

Notandum 2. Scripturam sacram non posse dici principium seu Locum argumentationum Theologicarum, nisi secundùm genuinam suam

IV.

Quomodo sacrâ Scriptura fit locus Theologicus.

A significationem. Cùm autem voces sint signa conceptuum, & conceptus signa rerum; sequitur significationem seu sensum Scripturæ sacræ esse conceptum rerum per voces & vocabula ejusdem Scripturæ expressarum. Hic autem sensus solitò triplex distinguitur, nimirum Historicus seu *litteralis*, quem primò littera menti ingerit ex solita vocum significatione & primaria hominum institutione. 2. *Mysticus*, seu spiritualis, quem non quidem voces, sed res ipsæ per voces significatæ exprimunt. 3. *Accommodativus*, seu per accommodationem, cùm verba Scripturæ rem unam significantes, usurpantur ad aliam significandam; juxta beneplacitum & existimationem usurpantis propter aliquam convenientiam, quam inter utramque rem intercedere judicat.

Triplex est sacræ Scripturæ sensus.

Litteralis.

Mysticus.

Accommodativus: Qui iterum est duplex.

B

V.

Notandum 3. Hos tres sensus iterum in alios subdividi, Accommodativus enim alius est *per extensionem*, quâ verba Scripturæ determinata ad unam personam, ad aliam etiam extenduntur: Sic v.g. verba Psalmi 68. *Improperia improperantium tibi ceciderunt super me*, quæ Dauid de seipso protulit, Paulus ad Romanos cap. 15. extendit & usurpat ad significandam Christi passionem & Christianorum persecutionem; unde subdit: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus*. Et alius per *Allusionem*, cùm Scripturæ verba alteri tribuimus & accommodamus, licet nulla inter eas res per se interveniat similitudo naturalis aut moralis; V. g. Si quis hæc verba Psalmi 62. adaptaret hominibus litigantibus, *Introibunt in inferiora terræ*, id est, detrudentur in carceres; *tradentur in manus gladii*, id est apparitores violentas in eos manus injicient; *Partes vulpium erunt*, idest, eorum bona ac divitiæ à Procuratoribus & Patronis dilapidabuntur.

1. Per Extensionem.

2. Per Allusionem.

C

VI.

Litteralis etiam duplex.

Litteralis similiter, alius est *Proprius*, cùm res significantur per voces juxta consuetam significandi vim & primariam hominum institutionem: alter *Metaphoricus*, cùm res significantur per vocem ex impropria & translatitia significatione, sic Christus dicitur Metaphoricè *agnus*, *leo*, *petra*, *&c*.

1. Proprius.

D

2. Metaphoricus.

Sensus pariter *Mysticus*, seu spiritualis, qui in historico & literali velut anima in corpore, continetur, est triplex: Primus *Allegoricus*, cùm nimirum historia veteris testamenti aliquid significat gerendum in novo, v.g. exaltatio serpentis à Moïse, quæ designabat Christum in cruce exaltandum. 2. *Tropologicus* seu *Moralis*, cum ex historia veteris paginæ ad componendos nostros mores provocamur. 3. *Anagogicus* seu sursum evehens, cum v.g. futuræ vitæ beatitudo per introitum in terram promissionis designatur. Hi autem omnes sensus unica voce *Ierusalem* v.g. manifesti fiunt; etenim ad litteram, significat civitatem Iudcæ; allegoricè, Ecclesiam; tropologice, animam justi, anagogicè celestem patriam. Illos pariter sensus his duobus versibus Lyranus noster complexus est.

Mysticus est triplex.

1. Allegoricus.

2. Moralis.

3. Anagogicus.

E

Littera, gesta docet: quid credas, Allegoria:
Moralis, quid agas: quid speres Anagogia.

Quos versus aliqui fusiùs & significantiùs expresserunt his sequentibus.

Dicitur Historicus, quem verba expressa designãt.
Et Allegoricus, priscis qui ludit in umbris.
Moralis, per quem vivendi norma tenetur.
Quid verò speres, Anagogicus altiùs effert.

VII.

A Sciendum autem est hos omnes sensus, nedum in veteri, sed etiam in novo Testamento reperiri, ut pluribus colligere licet: matrimonium enim, v.g. significat unionem Christi cum Ecclesia *Ephes.* 8. item gratiam collatam conjugibus designat, & tandem æternam fœlicitatem sub nuptiarum significatione adumbrat. Insuper omnis Christi actio, nostra fuit instructio: Cùm mortuos suscitabat, designabat hominum pœnitentium justificationem; dum cæcos illuminabat, effectus prædicationis Evangelicæ figurabat; dum super mare gradiebatur, hortabatur nos ad calcandas hujusce vitæ tempestates & varias tentationes constanti animo tolerandas, &c.

B An autem ex his omnibus sensibus valida erui possint argumenta ad fidem exponendam & propugnandam, controvertitur apud Theologos: quid autem nobis verius videtur, ut appareat, sit

CONCLUSTO PRSMA.

VIII.

SENSUS *Litteralis proprius Scripturæ sacræ semper firmum præbet argumentum Theologicum.*

Probatur. Idque ex sancto Paulo 2. ad Timotheum 3. *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad arguendum*, &c: Sed hoc maximè præstat per sensum litteralem; siquidem per eum sensum maximè fit utilis ad arguendum, qui faciliori negotio veritatem indigitat & omnibus idioma noscentibus compertus est: sed talis est sensus litteralis; quippe cùm ad eum percipiendum sola sufficiat notitia idiomatis & vocum, quibus Scriptura sacra exaratur. Quis enim ambigit ex his verbis Deuteronomii 6. *Dominus Deus noster, Dominus unus est*, rectè designari unitatem Dei? Quis non percipit illa verba Joannis 1. *Verbum caro factum est*, divini Verbi incarnationem significare? Ergo sensus litteralis ad arguendum est utilissimus.

Sensus litteralis maximè inservit ad arguendum.

C

Dices 1. Ex eo sensu firmum non potest colligi argumentum Theologicum, qui multiplex, varius, & omnino incertus est: sed talis est sensus litteralis. Probo. Ejusdem textus possunt esse plures & omnino dissonantes sensus litterales, ut constat ex primis totius Scripturæ verbis, *In principio Deus creavit cœlum & terram*: quæ verba ad litteram tripliciter usurpari posse docet S. Augustinus libro 12. Confessionum cap. 20. ita quod *in principio creavit*, idem sonet 1. ac *in Filio*, seu in æterna sua sapientia. 2. idem ac in *initio temporis*. 3. idem ac *ante omne aliud opus*. Unde subdit cap. 31. *Cum alius dixerit; Hoc sensit Moises quod ego; & alius, imo illud quod ego: religiosius me arbitror dicere, cur non utrumque potius, si utrumque verum est? & si quid tertium, si quid quartum, & si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt; cur non omnia illa vidisse credatur, per quem unus Deus vera & diversa visuris sacras litteras multorum sensibus temperavit.* Ergo censet ejusdem textus varios assignari posse sensus litterales.

D

IX.

An sint ejusdem textus varii sensus litterales?

E

X.

Respondeo negari posse minorem, & ad authoritatem dico, præfatorum verborum unicum esse genuinum sensum litteralem, eum nempe quô designatur Deum ab exordio temporum cœlum & terram & quæ in eis sunt creasse; ita quod l'y *in principio*, significet creaturas non esse ab æterno, sed omnes in temporum exordio simul fuisse conditas, uti præfata verba usurpavit Concilium Lateranense 4. sub Innocentio III. cap. 1. *Deus*, inquit, *ab initio temporis utramque de nihilo*

nihilo condidit creaturam, corporalem & spiritualem, Angelicam & Humanam. Unde alii duo sensus extranei sunt, nec verè litterales dicendi.

Dices 2. Ex eo sensu non potest firmom deduci argumentum, qui tanta obscuritate obtenebratur, ot vix detegi possit ac deprehendi: atqui talis est sensus litteralis, uti fatentur omnes sancti Interpretes; qui idcirco sacram Scripturam affirmant esse illum *Librum signatum sigillis septem*; Apocalypsis 5. ita quod nemo præter Agnum *dignus inveniatur, neque in cœlo neque in terrâ, neque subtus terram qui possit aperire librum & solvere signacula ejus*; divina namque veritas in eo delitescens *posuit tenebras latibulum suum*: Ergo ex eo sensu non potest validum argumentum depromi.

Scriptura sacra non est ubique obscura.

Distinguo minorem, in aliqoibus contextibus qui maximè non deserviunt ad suadendas & aperiendas veritates Catholicas, concedo: In his quibus Theologi indigent vt eas veritates suadeant & tueantur, nego. Fateor equidem sacram Scripturam multiplici interdum obscu-

XI. ritate refertam esse, idque variis de caosis, quas sancti Patres congerunt & aperiunt.

Variæ eius obscuritatis rationes.

Primò, quidem, ait sanctus Hieronymus, ut ad illius capescendam intelligentiam, apud Deum geminatis precibus humiliter ageremus. 2. Ne nimia facilitate nobis vilesceret, inquit sanctus Gregorius. 3. Ur per laborem & difficultatem assequendi sensum (ait Clemeos Alexandrinus) frangatur ac retondatur nostra sibi nimium complacens superbia. 4. Denique, ait sanctus Dionysius, ne mysteria nostra infidelibus fierent manifesta, ipsorumque ludibrio exponerentur.

Rogabis quibosnam indiciis sensus litteralis discerni possit & detegi?

Respondeo, ad eum detegendum sequeotes ma-

XII. ximè servandas esse regulas. 1. Si textus cum antecedentibus & consequentibus apertè cohæreat. 2. Hic genuinos & litteralis sensus est censendus, qui determinatus est aot à Conciliis, aut à Summis Pontificibus, aut ab ipsis Apostolis ad aliquid litteraliter exprimendum usurpatus. 3. Dum Patrum consensione recipitur & intelligitur. 4. Si cum altero textu directè non pugnet; fieri enim non potest ut verum vero adversetur. 5. Denique, dum verba nihil eounciant quod à fidei doctrinâ & rectâ morum ratione discorder ac discrepet, ut indicat sanctus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 10. *Quidquid*, inquit, *in Sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas.*

Regulæ quibus sensus Litteralis possit detegi.

CONCLUSIO SECONDA.

XIII. *SEnsus Mysticus inservit interdum ad aliquid probandum; Accomodativus autem nusquam.*

Probatur 1. pars. Omnis sensus verus & à Spiritu sancto in legendis sacris Scripturis intentus, deservire potest ad firmandam & explanandam veritatem: sed sensus mysticus verus est & à Spiritu sancto intentus, *Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia*, inquit S. Petrus 2. cap. 1. sed *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Est etiam ad nostram eruditionem ordinatos, *Quæcumque enim scripta sunt*, ait sanctus Paulus Rom. 15. *ad nostram doctrinam scripta sunt*: Ergo, &c.

Confirmatur. Ille sensus simul cum litterali designatus & consignatus est à Spiritu sancto, qui dicitur Scripturæ sensus & significatio: sed spiritualis sensus & mysticus dicitur Scripturæ sensus & ejus significatio. Probo ex *Ioannis* 19. ubi cùm dixisset Christi crura à militibus fracta non fuisse, subjungit: *Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo.* Sed hæc verba in sensu litterali dicta sunt. *Exod.* 12. de agno Paschali: Ergo cum sensu litterali designante os agni Paschalis non esse frangendum, etiam confirmatus erat à Spiritu sancto sensus mysticus & spiritualis, significans os Christi in cruce morientis non esse quassandum: qoomodo enim diceretur impleri Scriptura, si hunc sensum non involveret? XIV.

XV.

Sensus mysticus inservit ad probationem

2. Is sensus deservire potest ad veritatis probationem, quo Christus Dominus & Apostoli plerumque usi sunt, ot veritatem intimarent, & mendaciom ac errorem propulsarent: at usi sunt plerumque sensu mystico. Sic Joann. 20. cum Judæi Christum arguerent & lapidare vellent, eò quòd se Deum & Dei Flium dixisset, respondet & arguit *Nonne scriptum est in lege vestrâ*; Ego *dixi Dii estis. Si autem illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est & non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas; quia dixi Filius Dei sum.* Sic passim ex parabolis, aut colligit quæ sectanda sint quæve fugienda, aut arguit & refundit insultantium sibi Pharisæorum criminationem. Similiter Apostoli frequenter argumentantur in sensu mystico. Sic sanctus Paulus ex his verbis Deuteronomii 25. *Non alligabis os bovis triturantis*, colligit 1. *Corinth.* 9. concionatorem Evangelicum, de Evangelio debere vivere. Sic eo quòd Abraham duos filios habuerit, *Ismaël* de Ancilla, & *Isaac* de libera, allegoricè colligit ad *Galat.* 4. Deum esse authorem utriusque Testamenti, Veteris & Novi, & patrem duorum populorum, Judæorum & Gentilium.

3. Sicut homines vocibus utuotur ad soos conceptus promendos, ita Deus rebus ad futura vel mystica referanda & significanda. Nec minùs veritas inest rebus à Deo designatis & usurpatis ad aliquid significandum, quàm vocibus ab hominibus institutis: sed voces per sensum litteralem deservire possunt ad aliquid probandum: Ergo & res per suum sensum mysticum. Unde meritò sanctus Paulus, 1. *ad Corinth.* 10. cum præmisisset Patres veteris Testamenti omnes sub nube fuisse, subdit: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Et ad Hebræos 10. post longam & accuratam per plura capita discussionem signorum ac symbolorum veteris Testamenti, respectu Novi, subjungit hanc causalem suppositionem, *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum*; utiqoe futurorum in lege Evangelica, quam ot persuadeat totus est in ea Epistola. XVI.

XVII. *Adverte* tamen, ut omnia quæ objici possent unô verbô dissolvas, sensum mysticum nullam probationis & argumentationis vim habere, nisi apertè constiterit eum fuisse taliter à Christo aut ejus Apostolis usurpatum: Cùm enim res, in quibus maximè fundatur sensus mysticus, variam habeant cum aliis rebus similitudinem & convenientiam, etiam varium & an-

cipitem referre possunt sensum mysticum. Sic *Leo* v. g. propter suam rapacitatem 1. Petri 5. usurpatur ad significandum Diabolum, qui ibi dicitur *Leo rugiens*: Propter suam fortitudinem, designat Christum, qui Apocalips. 5. dicitur *Leo de tribu Iuda*: Propter suam feritatem adumbrat adversarium quemque, qui Psal. 16. dicitur *Leo paratus ad prædam*; propter firmitatem & constantiam justum designat, Proverb. 28. *Iustus quasi Leo confidens absque terrore erit.* Unde fit ut in sensu mystico nulla inter probandum & arguendum vis sit facienda, nisi aliunde constiterit rem ad id mysticè significandum à Christo aut ab Apostolis fuisse usurpatam.

XVIII. Non verò Accommodativus. *Secunda pars* apertè constat, siquidem cùm sensus accommodativus non sit à Spiritu sancto cum litterali consignatus, sed à quolibet pro ingenii dexteritate & mentis arbitrio usurpatus, certum est in eo nullam inesse vim ad res fidei probandas & contra impugnantes propugnandas. Unde S. Hieronymus lib. 2. in Mattheum, explanans illud cap. 13. de fermento quod abscondit mulier in farinæ satis tribus; postquam hanc similitudinem adorando Trinitatis mysterio adaptasset, subjungit, *Pius quidem sensus; sed numquam parabolæ & dubia ænigmatum intelligentia potest ad authoritatem dogmatum perducere.*

XIX. Vt probatur ex S. Dionysio. Idem habet S. Dionysius *Epistola* 9. quæ est ad Titum, ubi agens de multiplici & vario sensu mystico, quem Scripturæ complectuntur, ait: *Hoc etiam præterea intelligendum est duplicem esse Theologorum traditionem; alteram quidem occultam & mysticam; alteram planam & notiorem; & illam quidem signis contineri atque cæremoniarum normam præscribere; hanc ratiocinationem, & demonstrationem Philosophicam complectentem. Iunctum etiam & connexum est, id quod apertum est & occultum: Atque illud quidem probat & confirmat eorum quæ dicuntur, veritatem: hoc autem efficit, & collocat in Deo obscuris, & quæ doceri non possunt, modis & institutionibus.* Quibus indicat sensum Mysticum non semper deservire ad probationem, Accommodativum verò numquam.

XX. Et Augustino. Unde S. Augustinus *Epistola* 48. invehens in Donatistas, qui Ecclesiam in solâ Africâ, eorum patriâ, illæsam & intactam permansisse suadere volebant ex illo Canticorum 1. *Vbi pascis ubi cubas in meridie*: postquam hujus textus pravam usurpationem mirum in modum ventilasset & impugnasset, subjungit, *Quis autem non impudentissimè nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?*

Ex his apparet sensum litteralem inservire præcipuè ac fere unicè argumentis Theologicis certò concludentibus; cùm enim rarò manifesta adsint testimonia quibus mystici sensus obscuritas illustretur; hinc fit, ut vix ex eo certò liceat aliquid colligere ad veritates Catholicas probandas; licet mirum in modum Concionatoribus deserviat ad eas veritates illustrandas & suadendas.

Quæres primò, quænam Scripturarum EDITIO *deservire possit Theologo ad probandas & firmandas suas conclusiones?*

XXI. Scripturæ sacræ Versio multiplex. HUic Quæstiunculæ ut evidentiùs fiat satis, observandum est Scripturam sacram, ut plurimùm, Hebraïco idiomate fuisse exaratam: Insuper illius varias extitisse versiones. Priores quidem, fuerunt Chaldaïca & Syriaca: Chaldaïca alio nomine appellatur *Targum*, id est paraphrasis seu interpretatio: Targum autem aliud est *Babylonicum*, aliud *Hierosolymitanum*, quod & *Samaritanum* dicitur, ut observat noster Galatinus *lib.* 1. *Arcanorum cap.* 3. Syriacæ versionis author ignoratur; quod enim aliqui volunt novum Testamentum à Beato Marco translatum fuisse in Syriacum Idioma, nullo nititur fundamento; hujus namque versionis haud dubiè meminissent sancti Patres, cujus tamen nullus eorum, ne levem quidem mentionem facit, quod apertum indicium est hanc versionem ipso esse posteriorem.

1. Chaldaïca. 2. Syriaca.

XXII. Græcæ sunt duodecim. Versiones autem Græcæ variæ circumferuntur; maximè duodecim. Prima namque creditur fuisse ante Alexandum magnum, ut indicat S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum & Eusebius *lib. 9. præparationis Evangelicæ cap.* 3. Unde factum est, quod Philosophi plura ex Scripturis sacris deprompserint; quare non immeritò B. Cyril. lib. cit. asserit *Platonem videri alterum Moysem atticè loquentem*, ac proinde constat temporibus Platonis & ante Alexandrum, iam extitisse versionem Græcam, saltem aliquorum Scripturæ librorum. Post Alexandrum verò plures aliæ numerantur, videlicet *Lagiana* tempore Ptolæmei Lagi; sed ut notat Serrarius cap. 16. hæc sicut & *Herodiana*, supposita est, & ab Hæreticis conficta.

Prima ante Alexandrũ magnum. 2. Lagiana, & 3. Herodiana, quæ sunt suppositiiæ.

XXIII. 4. 70. Interpretibus. Prima itaque post Alexandrum celebris Scripturarum versio ea est, quæ facta fuit à septuaginta Interpretibus sub Ptolomeo Philadelpho Lagi Filio, qui trecentis ante Christum annis, ut notat Genebrardus, *lib.* 2. *Chronologiæ* petiit ab Eleazaro & totâ Ecclesiâ Iudæorum, & obtinuit septuaginta duos Doctores Judæos, nimirum sex ex unaquaque tribu, qui, ut communior fert opinio, in variis cellulis seorsim collocati, Scripturas sacras diebus septuaginta ex Hebraïco in Græcum Idioma transtulerunt.

XXV. 5. Aquilæ. Alia est editio nomine *Aquilæ*, qui videtur idem esse ac *Rabbi Onkelos*, ut probat Serrarius *cap.* 14. *q.* 4. fuitque primùm ex Gentili Christianus, & mox ex Christiano Judæus, qui ut refert S. Epiphanius, vertit integrum vetus testamentum tempore Adriani Imperatoris. Alia pariter versio dicitur *Symmachi*, qui cum esset Hæreticus Ebionita, sive ut volunt aliqui, Samaritanus, & Ecclesiasticam dignitatem ambiret, quam obtinere non potuit, à Christianis defecit ad Judæos: vixit autem temporibus *Lucii Veri* Imperatoris, ut patet ex præfatione Latinâ Romanâ in septuaginta Interpretes. Alia etiam dicitur *Theodotionis* Ephesi, qui tempore Imperatoris Commodi ex Hæretico Marcionita, factus est Judæus Proselytus, ut observat S. Hieronymus Præfatione in Danielem.

6. Symmachi. 7. Theodotionis.

XXVI.

8. Hiericuntina. 9. Nicopolitana. 10. Luciani 11. Hesychiana. 12. Origenis.

Plures aliæ circunferuntur Versiones; nimirum *Hiericuntina*, quæ inventa est in urbe Hierico tempore Caracallæ Imperatoris: *Nicopolitana*, inventa Nicopoli, tempore Alexandri Imperatoris Mammeæ filii: *Luciani Martyris*, quæ inventa est tempore Constantini, ut refert Eusebius *lib. 9. Historiæ cap. 6. Hesychiana* per Hesychium præsbiterum: *Origenis*, quæ est ipsamet editio septuaginta Interpretum, sed ab Origene variis in locis nunc mutata, nunc corrupta, nunc correcta.

XXVII.

Quid Tetrapla, Hexapla, & Octapla Origenis?

Hic autem Origenes ex omnibus Editionibus, quæ suo tempore extabant, selegit quatuor præcipuas, nimirum septuaginta, Interpretum, Aquilæ, Symmachi & Teodotionis, easque in B unum volumen redegit quatuor distinctis columnis, ita ut omnes eodem aspectu videri possent & versus versibus, & periodi periodis responderent: cujus editionis exemplaria dicta sunt *Tetrapla* ab illis quatuor Columnis, ut notat S. Hieronymus *Epist.* 89. Postmodum idem Origenes his quatuor editionibus præposuit adhuc Hebraïcam è regione, idque duabus columnis, quarum prior continebat textum Hebraïcum litteris Hebraïcis scriptum; posterior eundem textum referebat, sed litteris Græcis exaratum; sicque à duabus illis columnis adjunctis, exemplaria hæc appellata sunt *Hexapla*. Denique alias duas postmodùm Editiones Græcas, nimirum Hierichuntinam, & Nicopolitanam C prioribus addidit, ita ut octo essent columnæ sibi invicem parallelæ, unde *Octapla* Origenis appellata sunt.

XXVIII.

Quid & à quo sit Vulgata editio.

Sed omnium versionum celeberrima est *Vetus editio Latina*, quam communiter *Vulgatam* appellamus, quæ tota nunc videtur esse S. Hieronymi, demptis paucis versiculis, aut versuum particulis: imò videtur illius simpliciter, si menda & errores librariorum sustuleris, ut rectè monet Serrarius *cap. 9.* Licet enim S. Hieronymus non omnes Scripturæ sacræ libros ex Hebræo aut Græco transtulerit; nihilominus vertit quamplurimos, ac præterea omnes alias Latinas versiones emendavit, ut ipsemet affirmat in *Præfatione in Evangelistas*. His itaque prænotatis. D

XXIX.

Cæteris est præponenda.

Respondeo hanc Vulgatam editionem esse planè authenticam, & omnibus aliis Latinis præferendam, ut decernit Concilium Tridentinum sessione 4. his verbis. *Sacro sancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis Editionibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authenticâ habenda sit innotescat, statuit & declarat, ut & ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsâ Ecclesiâ probata est, in publicis Lectionibus, Disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis pretextu audeat vel præsumat.* Quibus tamen Concilium E non infirmat authoritatem Editionis Hebraïcæ, aut septuaginta Interpretum, cùm earum mentionem non faciat, sed solùm Vulgatam, cæteris Latinis editionibus præponat.

Quæres secundò, An Theologo liceat uti prophanorum Phisophorum, ac Poëtarum aliorumque Ethnicorum authoritatibus & sententiis?

XXX.

Quod Theologus usurpare possit dicta Ethnicorũ.

AFFIRMO. Æquum enim est philosophicas & naturales disciplinas Reginæ omnium scientiarum Theologiæ famulari; gloriosum A etiam est Philosophos Ethnicos suis ipsorum armis vincere, & in fidei captivitatem propriis repagulis constrictos redigere. Idque in primis suadet, quod nedum sancti Patres, sed etiam Apostoli modum illum argumentandi usurpaverint, ut luculenter demonstrat S. Hieronymus Epist. ad magnum Oratorem, qui eum culpaverat, quod suis opusculis sæcularium litterarum interdum poneret exempla, quibus, inquiebat, candorem Ecclesiæ, Ethnicorum sordibus polluere videbatur.

XXXI.

Vt probat S. Hieronymus.

Huic criminationi respondens S. Hieronymus ait: *Quis nesciat & in Moise & in Prophetarum voluminibus quædam assumpta de Gentilium libris & Salomonem Philosophis Tyri & non-* B *nulla proposuisse & aliqua respondisse? Vnde in exordio Proverbiorum commonet, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas & obscurum sermonem, dicta sapientum & ænigmata, quæ propriè Dialecticorum, & Philosophorum sunt. Sed & Paulus Apostolus Epimenidis Poëta usus versiculo est scribens ad Titum*, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.... *Et in alia Epistola* 1. ad Cor. 15. *Menandri ponit senarium*, Corrũpunt bonos mores colloquia mala. *Et apud Athenienses in Martis curia disputans, Aratum testem vocat*, Actor 15. dicens, Ipsius enim & genus sumus..... *Didicerat enim à vero David extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ su-* C *perbissimi caput proprio mucrone truncare. Legerat in Deuteronomio Domini voce præceptum, mulieris captivæ radendum caput, supercilia, omnes pilos & ungues corporis amputandos, & sic eam habendam in conjugio. Quid ergo mirum, si & ego sapienpientiam sæcularem propter eloquii venustatem, & membrorum pulchritudinem de ancilla atque captiva Israëlitidem facere cupio? Et si quid in ea mortuum est Idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado.* Hæc pari elegantiâ sermonis, sed mirâ eruditione prosequitur, aperiens qualiter omnes sacri Scriptores & Doctores profanorum litteras & sententias interdum usurpaverint.

XXXII.

Confirmat S. Basilius.

Ipsi concinit S. Basilius *Homilia* 24. ad Ado- D lescentes, suadens eis ut imitentur Danielem & Moïsem Ægyptiorum & Chaldeorum sapientiam ediscentes: non ut in eius dumtaxat cognitione quiescant, sed ut eam in Dei cultum & Ecclesiæ utilitatem ac splendorem traducant. His pariter adstipulatur S. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 40. *Philosophi*, inquit, *si qua forte vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam ab iniustis possessoribus, in usum nostrum vendicanda*: Subdit autem exemplum Israëlitarum qui Ægyptiorum vasa aurea & argentea asportaverunt, relictis eorum Idolis, & concludit quod cùm Philosophorum doctrina E non solùm perversis Dogmatibus sit referta, *sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores contineant, deque ipso vero Deo colendo nonnulla vera inveniantur apud eos, quod eorum tamquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infusa est, eruerunt, & quo perversè atque injuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur; cum ab eorum miserâ societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad usum justum prædicandi Evangelii.*


Et S. Augustinus suadet.

XXXIII.

Idem ibidem cap. 18. *Non propter superstitionem prophanorum debemus musicam fugere, si quid in-*

de utile ad intelligendas sanctas Scripturas rapere potuerimus: nec ad illorum theatricas nugas converti, si aliquid de Cytharis & de Organis quod ad spiritalia capienda valeat, disputemus. Neque enim & litteras discere non debuimus, quia earum repertorem dicunt esse Mercurium, aut quia iustitiæ virtutique templa dedicarunt, & quæ corde gestanda sunt, in lapidibus adorare maluerunt, propterea nobis iustitia virtusque fugienda est. Imò verò quisquis bonus verusque Christianus est, Domini sui esse intelligat, ubicumque invenerit veritatem quàm confitens & agnoscens etiam in litteris sacris superstitiosa figmenta repudiet, doleatque homines atque caveat, qui cognoscentes Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, &c. inquit S. Paulus ad Rom. 1.

XXXV. Unde S. Augustinus ibidem *cap.* 19. distinguit duplex genus doctrinæ apud infideles. *Vnum earum rerum quas instituerunt homines; alterum earum quas animadverterunt iam peractas aut di-* A *vinitùs institutas: Illud quod est secundum institutionem hominum, partim superstitiosum est, & partim superstitiosum non est. Superstitiosum est quidquid institutum est ab hominibus ad colenda Idola.* &c. Cap. 25. subdit. *Deinceps videnda sunt institutiones hominum superstitiosa, id est non cum Dæmonibus, sed cum ipsis hominibus instituta. Namque omnia quæ ideo valent inter homines, quia placuit inter eos ut valeant, instituta hominum sunt; quorum partim superflua, luxuriosaque instituta sunt; partim commoda & necessaria.* Concludit cap. 27. *Iam verò illa quæ non instituendo, sed aut transacta temporibus aut divinitùs instituta, investigando homines prodiderunt; ubicumque discantur, non sunt hominum instituta existimanda.* Inde aperit qualiter omnes scientiæ & artes naturales ad Scripturæ & sacræ Doctrinæ intelligentiam subserviant. *Hæc de Theologia in communi dicta sufficiant.*





PRIMI LIBRI SENTENTIARVM, METHODICA EXPLANATIO.



AM apertè ſatis in Theologiæ prælūdio diximus, Sententiarum libros *Authorem & parentem habere* PETRUM LOMBARDUM *Pariſienſem Epiſcopum; quamquam enim ſapientiſſimus ille Præſul, his in Libris non tàm ſuam, quàm ſanctorum Patrum Sententiam congerere videatur; eos tamen illuſtres genii fœtus meritò jure ſibi proprios vendicat, & eorum Authoris nomine gloriatur. Nam ut notavit Seraphicus Bonaventura quæſt. 4. Prologi;* quadruplex eſt modus faciendi librum. Aliquis enim ſcribit alienam materiam, nihil addendo vel mutando, & iſte merè dicitur SCRIPTOR: Aliquis ſcribit aliena addendo; ſed non de ſuo, & iſte COMPILATOR dicitur: Aliquis ſcribit aliena & ſua, ſed aliena tanquam principalia, & ſua tamquam annexa ad evidentiam, & iſte dicitur COMMENTATOR: Aliquis ſcribit & aliena & ſua, ſed ſua tamquam principalia, aliena tamquam annexa ad Confirmationem, & talis debet dici AUTHOR. Talis fuit Magiſter, quoniam ſententias ſuas ponit, & Patrum ſententiis confirmat; unde verè debet dici Author hujus libri. I.

Petrus Lombardus Author eſt Libri Sententiarum.

Quadruplex modus ſcribendi Libros.

Hunc autem Librum totius divinæ Sapientiæ ſacrarium, non immeritò idem Seraphicus Doctor aſſimilat illi mirando Fonti, quem Deus in medio terreſtris Paradiſi collocaverat, ut ſuâ perenni alluvione terram univerſam rigaret & fœcundaret: Etenim, ut plura taceam, quæ utriuſque collationem mirum in modum commendarent; hoc unum referre juvat, quòd ſicut ille Fons Paradiſinus in quatuor capita, ſeu flumina diffundebatur, quæ longè latéque ſerpentia terrarum orbem irrigabant ac recreabant; ſic Theologia, myſticus ille divinæ ſapientiæ fons, in quatuor Libros Sententiarum, velut in tot lucis fluvios diſtribuitur, ut Chriſtianum Orbem cœleſti lumine perfundat & divino ſplendore undique colluſtret & irradiet.

Tota namque Theologia in eo detinetur & occupatur, ut Deum demonſtret & exhibeat; Vel in ordine Divinitatis *ſubſiſtentem, operantem & producentem: Vel juxta* Naturæ *ordinem, Creaturas producentem, moderantem & ordinantem: Vel ſecundùm ſupernaturalem* Gratiæ *ordinem, hominum ſalutem in humanitate aſſumptâ meditantem & molientem: Vel denique ad ordinem* Gloriæ *per Sacramenta, tamquam per media neceſſaria & efficacia deducentem.* II.

Theologiæ univerſæ diviſio.

PRIMUS *itaque Sententiarum Liber, tribus Tractatibus proponitur abſolvendus, in quorum* Primo, *Deum in ſe ſubſiſtentem, adeoque illius eſſentiam, exiſtentiam & præcellentias contemplabimur. In* Secundo, *ſuſpiciemus Deum operantem per intelle-*

Primi Sententiarum Libri nitida diſtributio

ctum & voluntatem, tum respectu sui, tum in ordine ad Creaturas quas scientiâ cognoscit, providentiâ regit, & prædestinatione ad finem supernaturalem ordinat; In Tertio *denique, Deum intra se producentem, & adorandum Trinitatis mysterium suscipiemus explanandum.*

TRACTATVS PRIMVS.

DE DEO IN SE SVBSISTENTE.

III.

Primi Tractatus delineatio,



U M assuetus ordo doctrinæ postulet, ut scientia quælibet objecti sui naturam, proprietates, & virtutes inquirat & aperiat, priùsquam ad detegendas illius operationes explicandosque ipsius effectus incumbat & effundatur: Cùmque jam innotescat Deum esse primarium Theologiæ objectum, ad quod cætera, quæ in ea tractantur, velut lineæ ad centrum, radii ad solem & ad mare flumina revocantur & refluunt: hinc præsentem Tractatum quatuor Disputationibus absolvemus, quarum *Prima* Dei existentiam & essentiam indigitabit; *Secunda* illius proprietates, & attributa generatim scrutabitur: *Tertia* modos omnes essentiæ divinæ, seu Attributa negativa numerabit & discutiet: *Quarta* denique divinas omnes proprietates, seu Attributa positiva referet & aperiet.

DISPVTATIO PRIMA.

De Existentia & Essentia Dei.

IV.

Nominis Dei varia usurpatio.

ETSI Dei nomen, soli primæ rerum omnium Causæ designandæ primitùs fuerit consecratum; varias tamen decursu temporum etiam sacris in Litteris, ipsoque Deo Authore significationes obtinuit. Augustum enim hoc nomen, Creaturis omnibus indidit supremus ille rerum Arbiter, inquibus relucebat aliqua ipsius præcellentiarum adumbratio. Sic propter participationem sui in sobditos imperii, de Regibus ait Psal. 81. *Ego dixi Dii estis*: Propter commissam Moïsi miracula patrandi virtutem ait Exodi 3. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*: Propter adumbratam illius dominationem in Magistratibus, ait Psal. 45. *Dii fortes terræ vehementer elevati sunt*: propter administrationem suæ Justitiæ, de Judicibus, ait Psalm. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum, &c.* Denique propter imitationem suæ celsitudinis à personis in aliqua dignitate, vel Ecclesiastica vel Politica constitutis, ait Exod. 32. Diis *non detrahes.*

Et significatio ac etymon.

Nihilominus sacrum hoc nomen DEUS, soli supremo rerum omnium Moderatoti proprium est, suamque ab idiomate Græco duxit originem θεὸς enim à quô Latinè *Deus*, oritur vel à verbo θεᾶσθαι quod significat *prospicere*, quia omnia nuda & aperta sunt coram oculis Domini: Vel à verbo θέειν, quod significat *urere*, Deus enim igne divini sui amoris velut in se æstuat, unde dicitur *ignis consumens*; & meritò de eo Isaïas 33. *Quis vestrûm poterit habitare cum igne devorante & cum ardoribus sempiternis?* Dei itaque nomine sic usurpatô, illius Existentia & Essentia investiganda est tribus in sequentibus Articulis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE EXISTENTIA DEI.

Status primi Articuli

TRIA sunt in præsenti Articulo discutienda. Primum, an & quomodo constet Deum existere; Secundum, an ipsius Existentia sit per se nota: Tertium, an & quibus rationibus sit demonstrabilis, *Primum* quidem adversus Atheos & politicos, qui ut genio suo lubentiùs & impudentiùs indulgeant; Dei Existentiam in dubium revocant; *Secundum* adversus nonnullos Philosophos, qui Dei Existentiam captu difficilem arbitrantur: *Tertium* contra quosdam Theologos, qui Deum ratione naturali prorsus indemonstrabilem affirmant. Tres autem hæ difficultates tribus in sequentibus Quæstionibus sunt resolvendæ.

QUÆSTIO PRIMA.

An & quomodo nobis constet Deum existere.

IN præsenti Quæstione hoc unicum proponitur determinandum, an revera Deus existat, seu utrum inter omnia entia realiter existentia admittendum sit aliquod supremum ens, à quô cætera tanquam à suo principio pendeant, & in quod tanquam in finem suum ultimum collineent ac referantur. Quod ut percipiatur;

Notandum 1. Quod etsi vulgares scientiæ ab objecti sui existentia plerumque præscindant, 1.

Cur divina existentia inquiratur.

ne fortè cum illa sit contingens & motationi obnoxia, scientiæ certitudini ac infallibilitati detrahat & officiat: nihilominus Theologia scientiarum princeps in detegenda & probanda Dei existentia non abs te detinetur. Cùm enim omnis cognitio Theologica à divina revelatione pendeat, quæ haberi non potest nisi à Deo existente; meritò nobis priùs constare debet Deum existere, qoàm ullam certam cognitionem Theologicam possimus assequi. Adde quód cum existentia Deo necessariò & esseotialiter competat, sitque unum ac præcipuum ex ipsius prædicatis essentialibus, evidens est ipsius essentiam noo posse detegi, nisi priùs existentia innotescat.

Existentia Dei triplici lumine constare debet.

Notandum 2. hanc divinam existentiam nobis mortalibos solùm triplici viâ posse certò innotescere, nimirum vel per *naturalem intelligentiam*, vel per *fidem*, vel per *discursum*. Cùm enim solùm quadruplex lumen nobis affulgeat quô veritatem detegere possumus, nimirum lumen fidei supra nos; naturalis iotelligentiæ, intra nos; discursus à nobis; & experientiæ quæ fit ex iis quæ circa nos sunt: Cumque sensibos nostris corporeis Deus non pateat, propter suam spiritualitatem & ab omni materia defæcationem; manifestum est illius existentiam experientiæ lumine non posse detegi, nec probari; proindeque divina illa existentia non potest oobis innotescere, nisi vel ab ingeoito singulis intelligentiæ lumine: Vel ab aliqoo testificante fide digno: Vel denique ab ipso discursu. An autem his tribus viis divina existentia pateat, hac in quæstione resolveodum est.

III. Triplex est ignorantia.

Notandum 3. Ignorantiam, quæ est carentia illius cognitionis quam homo natus aptus est habere, à Theologis solitò distiogui triplicem, nimirum invincibilem, crassam, & affectatam: *Prima* est, quæ nullô studiô nullaque exercitatione ac diligentiâ depulsari potest & superari. *Secunda* est, quâ parum aut nihil diligentiæ adhibemus ad eam rem percipiendam, qoam tamen scire tenemur: *Tertia* est, quâ quis voluntariè ea ignorat quæ scire tenetur ut liberiùs peccet. *Prima* totam tollit malitiam; *Secunda* partem malitiæ; *Tertia* ipsam auget, eo quód ex determinatione voluntaris humanæ actui prohibito addat affectionem talis ignorantiæ.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. *DEi existentiam ingenitò singulis Intelligentiæ lumiae coastare, non est improbabile.*

Deum existere naturalis ipsa vis intelligendi indicat.

Probatur primò. Illud innata intelligendi virtute deprehenditur, quod nullô docente & absque omni studio ac formali discusu, sed per solam terminorum notitiam cuique venit in mentem; sed talis est cognitio & manifestatio existentiæ Dei: Ergo per naturalem intelligendi vim mentibus nostris inseritur. Major constat, idcirco enim cognitio primorum principiorum dicitur *Intelligentia*, qoia singulis comperta est absque ullo studio, ollave ratione. Minor probatur authoritate sancti Damasceni librô 7. de fide cap. 1. *Notitia*, inquit, *Deô omnibas à natara est insita; neque id aliqnis ratione ntens ignorare potest.*

Ut Patres affirmant.

V. Maximè Tertullianus.

Idipsum affirmat Tertullianos *Libro primô adversus Marcionem* dicens, *Prima aaima rationalis Dos, Dei notitia est.* Unde in *Apologetico cap.* 17. cum dixisset, *Hac est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare noa possaat;* subdit animæ ipsius testimonium, *Quæ*, inquit, *licet carcere corporis pressa, licet iastitutionibus pravis circumscripta; licet libidinibus & coacupiscentiis evigorata; licet falsis diis exancillata; Cum tamen resipiscit ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine & sanitatem suam patitur, Deum nominat .... & qaod Deas dederit omnium vox est .... O Testimonium animæ naturaliter Christianæ!* Nam, inquit librô de Testimonio animæ cap. 5. *Quis tiasmodi eruptiones animæ non putavit doctrinam esse naturæ, & congenitæ & ingenitæ conscientiæ tacitæ commissa? .... Certè prior anima quàm Littera, & sermo prior qaàm liber; & prior sensas quàm stylus, & prior homo ipse quàm Philosophus & Poëta.* Hioc antea præmiserat, *Hæc testimonia animæ quantò vera, tantò simplicia: quantò simplicia tantò vulgaria: quantò vulgaria tantò communia: quantò communia, tantò nataralia; quaatò naturalia tantò divina .... magistra Natura, anima Discipula, quidquid aut illa edocuit, aut ista perdidicit, à Deo traditum est, magistro scilicet ipsius magistræ.*

Et Ambrosius.

Subscribit Arnobius *Libro 1. contra Gentes*, dicens, *hanc esse scientiam aaturalem, sine qua nemo nascitur; adeo ut cuilibet ingenitum sit & affixum, ac in utero matris impressum ac insitum, esse Regem ac Dominum cunctorum, quæcumque sunt moderantem, &c.*

VI. Philosophi pariter suadent. Etiam Epicurus ipse.

Hanc ipsam veritatem (ut alios S. Patres idipsum probantes omittam) suô calculô firmaverunt Philosophi, in primis verò Epicurus ipse; qui, ut refert Cicero Libro 1. de natura Deorum, *Vidit quod in omnium animis Deorum notionem impressisset ipsa natura. Quæ enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam Deorum, quam appellat Prolepsim Epicurus, id est anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec sciri quidquam, aec quæri, aec disputari possit.* Quibus apertè fatetur Dei notionem à natura oobis impressam; ideoque vocat eam *anticipationem doctriaa*, quia sine ullo Doctore à natura ipsa mentibus nostris inseritur & omoem ratiocinationem antecedit, veluti quoddam generalissimum totius discursus principium, sine quo oihil intelligi, nec disputari queat; quasi omnium entium certa cognitio à prævia Dei cognitione penderet, sicut & ab ejus efficientia pendet omnium rerum virtus & natura. Unde meritò *Libro 1. de Legibus* affirmat idem Cicero, De *hominibus* (inquit) *nulla gens est, neque tam immaasueta, neque tam ferrea, quæ aon, etiam si ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.*

VII. Ratio theologica persuadet.

Idipsum ratione probatur. Dei cultum & observantiam singulis quibusque hominibus natura indidit: Ergo multò magis ipsios existentiæ notitiam. Consequentia patet, nihil enim coli potest, nisi id priùs esse constiterit. Probatur antecedens, ex Apostolo *Ad Romanos cap.* 2. ubi ait, *Gentes, quæ legem aon habent, aaturaliter ea quæ legis sunt faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*

VIII. Dei existentia non potest invincibiliter ignorari.

Secundò: Non potest dari invincibilis ignorantia Dei: Ergo illius notitiam vis naturalis intelligendi cuilibet hominum menti ingerit. Consequentia patet: Plures sunt enim homines, qui Deum nec per fidem, nec per discursum

cognoscere queunt; putà infideles, qoibus nondum prædicatum est Evangelium, & homines rudes & inscii qui nullam ratiocinandi artem aut peritiam sunt assecuti: Ergo si illi Deum noverint, necessum est per naturalem intelligendi vim eum agnoscant.

Antecedens patet, tum ex *laudato loco ad Romanos*, in quo dicuntur inexcusabiles qui Deum ignorant: at non essent inexcusabiles si invincibiliter eius existentiam ingnorare possent; ignorantia enim invincibilis excusat à tota culpa, juxta illud sancti Augustini *lib. 3. de libero arbitrio cap. 15.* ubi ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod agnoscis.* Tum qoia si homo posset inculpabiliter verum Deum ignorare, posset etiam sine culpa Deum falsum & Idola colere, sicque ratione illius invincibilis ignorantiæ, excusari posset à peccato Idololatriæ, quam Tertullianus librô de Idololatria cap. 1. appellat *principale crimen generis humani, summum sæculi reatum, totam causam judicii:* Ac proinde nullatenus est excusanda. Tum denique quia, ut communiter docent Theologi, præcepta legis naturæ non possunt invincibiliter ignorari: Ergo neque Deus, qui author est & finis talium præceptorum; ac proinde cùm plures sint infideles & stolidi, qui per fidem & discursum Deum agnoscere nequeant, necessum est ut illius existentiam innatâ vi intelligendi deprehendant.

Vt suadetur ratione triplici.

Dices 1. Quod innata vis intelligendi manifestat, primô rationis intuitu cuilibet venit in mentem: sed Dei existentia non omnibus hominibus ratione utentibus venit in mentem; siquidem Molina 1. *p. q.* 2. *art.* 1. refert Brasiliæ incolas nullum coluisse & agnovisse Numen, priusquam à Lusitanis Religionem audirent & exciperent: Ergo, &c.

IX. *Nego minorem:* Nam, ut inquit S. Hieronymus Epist. 3. ad Nepotianum, *Persa, Gotus, Ægyptius, Turca ipsum agnoscunt; Bessorum feritas, & pellitorum turba populorum stridorem suum in dulce nominis eius fregerunt melos: & totius mundi una vox,* Deus est. Fateor equidem, distinctam & evidentem Dei existentiæ notitiam cuilibet homini à naturali intelligendi virtute non ingeri, quasi certò & evidenter cuique appareret Deum existere; sed ad minùs cuique subest aliqua illius cognitio, nam ut ait idem S. Hieronymus in hæc verba Iob. 36. *Omnes homines vident eum.* Hoc est *per naturæ bonum notitia Creatoris inest cordibus, & quamvis aliquis tam pravus sit & frigidus, ut alienus esse studeat à Creatore suo, nullus tamen est qui se abscondat à calore eius.*

Eam enim etiam Barbari & Agrestes agnoscunt.

Dices 2. Quod à natura notum est, non potest in dubium revocari; quis enim ambigit, v.g. totum esse majus sua parte? sed existentia Dei in dubium revocatur; imò re ipsa negatur, *dixit enim insipiens in corde suo; Non est Deus.* Psal. 13. Nec solùm insipiens, sed etiam plurimi sapientiores Philosophi & Politici sagaciores illam Dei existentiam, rident & insectantur: Ergo illius notitia non est à natura ingenita.

X. *Distinguo majorem:* Non potest in dubium revocari ab homine mentis compote & ratiocinante secundùm lumen & dictamen rationis, concedo: ab homine vel orbato ratione, vel excæcato malitiâ, nego: quamvis enim, inquit S. Damascenus lib. 1. de fide orthodoxa, cap. 3. *Cognitio existentiæ Dei naturaliter sit nobis impressa; tamen in tantùm invaluit perniciosa hominum malitia, ut dicant non esse Deum: Non quidem exteriùs, ne ab omnibus creaturis falsitatis, ac impietatis arguerentur, sed interius & in corde suo. Nec enim* (inquit S. Augustinus in hæc verba) *ipsi sacrilegi & detestandi quidam Philosophi, qui perversa, & falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere; Non est Deus: Ideo ergo dixit in corde suo, quia hoc nemo audet dicere etiam si ausus fuerit cogitare.*

Et solus insipiens eam negat, non ore, sed corde.

Ad minorem dico, eum qui de Dei existentia ambigit, non immeritò vocari insipientem, quippe cùm rationis lumen ita extinguat, ut non videat super se signatū lumen vultus Dei, neque audiat omnes sui corporis partes & animæ facultates introrsum clamantes: *ipse fecit nos & non ipsi nos;* unde etiam de ipsis Atheis dicere lubet, quod de Idololatris protulit S. Paulus 1. cap. ad Romanos, *Cum cognovissent Deum* (natura docente) *non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Hanc autem Atheorum insaniam *tertia sequenti quæstione* efficaci ac multiplici ratione reprimere tentabimus.

Quapropter legitimè insipiens dicitur.

Instabis. Lumen à natura mentibus nostris insitum, nulla superveniente erroris aut ignorantiæ caligine, usquam interiùs potest extingui; tandiù namque remanet, quandiù ipsa natura; sic v. g. lumen ac dictamen conscientiæ quâvis accedente morum corruptione nusquam deperit: sed cognitio existentiæ Dei in corde præfati insipientis deperit (dicit enim, *Non est Deus*): Ergo non est à natura insita.

Distinguit minorem S. Anselmus in *Prosologio cap.* 4. & cum eo noster Alensis 1. *parte, quæst.* 3. *membro* 2. *ad* 2. Cognitio Dei deperit in corde insipientis verbô tenùs, concedit: reipsa, negat: vel enim insipiens ille de facto intelligit, & cognoscit rem quam negat, vel non: si non cognoscat, nec de ea seriò cogitet, dum eam negat; eam equidem negare poterit, sed verbô tenùs: si verò eam percipiat, certè negare non poterit: nullus quippe intelligens quid sit Deus, poterit eius existentiam negare, *Deus enim*, inquit S. Anselmus, *est id quô majus excogitari non potest; quod qui bene intelligit, utique intelligit idipsum sic esse; ut nec cogitatione queat non esse: qui ergo sic intelligit esse Deum, nequit eum non esse cogitare.* Hanc sancti Anselmi rationem quæst. 3. expendemus.

Vel si Deum ore deneget, non ex animo, sed specie tenus id profert.

CONCLUSIO SECUNDA.

LUMINE *ac certitudine fidei constat Deum existere.* Patet conclusionis veritas, ac firmatur innumeris propemodum Scripturæ sacræ textibus, quibus Deus nedum alia, sed & suipsius existentiam revelavit & testificatus est, illiusque revelationis veritatem tot signis totvè miraculis ac prodigiis confirmavit & in dies confirmat, cùm ad eius invocationem mira patrantur, ut nullus nisi a ratione omninò devius, de hac veritate dubitare queat.

Hinc de Dei existentia jure potiori affirmare possumus, quæ de Evangelii veritate & credibilitate protulit Picus Mirandulanus Epistolâ primâ: *Magna profectò*, inquit, *insania esset Evangelio non credere, cuius veritatem sanguis martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, mundus testatur, elementa loquuntur, dæmones confitentur.*

Hujus autem conclusionis veritas nedum est XI.

de

Dei Existentia basis est articulorum fidei.

de fide, sed & omnium fidei divinæ, ac supernaturalis articulorum basis est, & fundamentum; ut constat tum ex symbolo Apostolorum, cujus primus articulus est, CREDO IN DEUM; tum etiam ex sancto Paulo ad Hebræos *cap. 11.* ubi ait: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia Est, & quod inquirentibus se Remunerator est*; Quibus duo distinguit, nempe quod *Deus sit*, & quod *inquirentibus remunerator sit*, quare utrumque fide divina credendum est, ac proinde de fide est, Deum existere. Adde quod tota fidei certitudo pendeat ex divinæ revelationis infallibilitate; quæ autem esse posset revelationis veritas, nisi certò constaret de existentia & veracitate revelantis? Ergo quâ fide creditur Deum hæc aut illa revelasse, eâdem credi debet eum existere.

Dices. Fieri non potest ut quis fide divina credat Deum existere: Ergo existentia Dei, fidei lumine non constat. Probatur antecedens. Assensus fidei divinæ nititur testimonio Dei: Ergo fides in omni assensu suo supponit Deum esse qui testimonium veritati credendæ perhibeat, ac proinde fieri non potest ut eius existentia per fidei lumen innotescat, cùm eam supponat.

XII. *Nego primum antecedens*, & secundam distinguo consequentiam: Fides in suo assensu supponit

Fides enim non solùm Deum supponit, sed etiam detegit & indicat.

Deum esse in entitate, & existentia sua reali, concedo: in formali & distincta cognitione credentis, nego; oportet quidem ut is qui credit Dei existentiam, eò quod Deus se existere revelaverit, supponat eum esse, non enim revelasset nisi esset; sed dum huic revelationi assentitur, non cogitat de præsupposita illa Dei revelantis existentia: Vel si cogitet, solùm cogitat confusè & indistinctè; ita ut illius cogitatio primò & immediatè veluti terminetur ad hanc propositionem, *Deus est, quia se esse revelavit*; quàm ad hanc (*non posset revelasse nisi esset*): prima enim propositio est veluti immediata respectu assentientis, secunda verò tantùm mediata & confusa.

Instabis. Si eôdem actu fidei credamus Deum existere, quô testatur se esse, sequitur per eundem assensum nos bis credere Deum existere; semel quidem, quia revelavit se esse; & denuò, quia revelare non potuisset, nisi esset; sicque priùs crederemus Dei existentiam, quàm eum esse existentem credamus, quod est omnino nugatorium.

XIII. *Distinguo antecedens.* Sequeretur nos bis credere Deum esse, eôdem motivô, mediô & modô,

Nec propterea Dei existentia bis creditur.

nego: diversô, concedo. Credimus enim fide divina eum esse præcisè, formaliter & explicitè, quia revelavit & dixit se esse, ita quod illius revelatio sit medium, & motivum illius assensus; solùm autem virtualiter, mediatè & consequenter credimus eum esse, quia revelare non potuisset, nisi esset. Primum quidem motivum talis assensus est à revelatione, secundum à demonstratione: Primum præcisè pertinet ad fidem, posterius autem spectat ad Metaphysicam, quæ ex eò quòd impossibile sit idem operari, & non esse, colligit quod si Deus testificetur se esse, necessariò esse debet, ut illud testificetur; operari enim sequitur esse. Unde præfatus assensus si sit in entitate simplex, est saltem virtualiter multiplex, cum diversum virtuale habeat motivum, diversumque medium.

CONCLUSIO TERTIA.

LUMINE *discursûs naturalis certò constat Deum existere.* Hanc conclusionem disertis verbis

XIV. indicat & probat S. Paulus ad Romanos, ubi

A loquens de hominibus sola ratione naturali illustratis, nec per illam divinam revelationem edoctis, ait, *Quod notum est Dei, manifestum est illis, Deus enim illis manifestavit*: Lumine scilicet naturali, & per discursum ab effectibus & rebus creatis ad creatorem: *Invisibilia enim eius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus & Divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.*

Discursus Deum demonstrat per creaturas.

Unde meritò Sapiens cap. 13. ait. *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei & de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum* QUI EST, *neque operibus attendentes agnoverunt quis esset Artifex.* Paucis interpositis conclu-

B dit; *A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit eorum Creator videri.* Quibus constat ex Dei operibus illius existentiam per discursum, & lumen rationis naturalis ita certò, & apertè innotescere, ut meritò sancti Patres eam notitiam evidentem appellaverint.

Hinc Augustinus Tractatu secundo in Ioannem: *Deus*, inquit, *potest inveniri per creaturas evidenter, dicente Apostolo: Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*; id est, inquit in hunc locum sanctus Hieronymus, *tàm evidenter intellecta sunt, ut conspecta dicantur.* Quibus concinunt alii sancti Patres, sed omnium elegantissimè Minutius Fœlix in Octavio; *Quid*, inquit,

XV.

Idque evidenter & perspicuè.

C *potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cùm oculos in cœlum sustuleris & quæ sunt infra citraque lustraveris, quàm esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quô omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur.* Constat ergo Dei existentiam per rationis lumen innotescere. Quæ autem sint rationes naturales quibus illa probetur, ac contra Atheos efficaciter demonstretur, infra patebit.

Dices primò. Ratio naturalis non potest Dei existentiam deprehendere: Ergo hæc per illam non innotescit. Probatur antecedens: Inter objectum cognoscendum, & potentiam cognoscentem, debet esse aliqua proportio: sed Dei ad intellectum non est proportio: Deus enim est

D infinitus; intellectus autem est facultas finita; finiti autem ad infinitum nulla est proportio. Unde S. Dionysius *libro 5. de divinis nominibus*, ait, *Deum neque dicere, neque intelligere possibile est*: Ergo Deus per rationem naturalem non potest cognosci.

Nego antecedens: & majorem illius probationis distinguo cum sancto Bonaventura *in 1. dist. 3. quæst. 1. ad 1.* Inter intellectum cognoscentem & objectū cognoscibile, debet esse aliqua proportio, vel convenientiæ, vel æquiparentiæ, concedo: æquiparentiæ semper, nego. Sicut enim duplex est objecti cognitio, nimirum Apprehensiva, & Cōprehensiva; quarum prior consistit in manife-

XVI.

Licet enim inter intellectum nostrum & Deum non sit proportio *Æquiparentia*, est tamen proportio *Convenientia*.

E statione alicujus veritatis objecti cogniti; posterior verò in perspicaci visione & contemplatione eorum omnium quæ in objecto sunt; ita ut nihil in eò sit, quod lateat videntem & cognoscentem; Ita etiam inter intellectum & objectum, duplex est proportio: una *Convenientia*, quâ intellectus fertur in objectū sibi conveniens, & quatenus est intelligibile; altera *Æquiparentia*, seu æqualitatis, quâ fit ut tanta sit virtus ad intelligendū in facultate cognoscente, quanta est perfectio cognoscibilis in objecto. Prima proportio requiritur in cognitione apprehensiva. Secunda verò in comprehēsiva desideratur. Prior reperitur inter Deum co-

gnoſcendum & animam cognoſcentem, quia cùm Deus ſit cognoſcibilis, eſt intra latitudinem objecti intellectus, qui verſatur circa omne intelligibile; non ita poſterior; unde anima poteſt quidem Deum cognoſcere, non verò comprehendere. De poſteriori loquitur S. Dionyſius; non verò de priori.

Subſumes. Atqui inter Deum & animam nulla eſt etiam proportio convenientiæ, quæ ſufficiat ut anima Deum poſſit cognoſcere: Ergo hæc illum cognoſcere nequit. Probatur antecedens: Minus invicem diſcrepant ſenſus & ſpiritus creaturæ, quàm Deus & intellectus humanus, quia ſenſus & ſpiritus creaturæ conveniunt in ratione entis creati & finiti; major autem eſt convenientia inter duo entia finita, quàm inter intellectum qui finitus eſt, & Deum, qui eſt infinitus: ſed non obſtante illa majori convenientia, ſenſus numquam poteſt elevari ad cognitionem & perceptionem ſpiritûs: Ergò multò minùs anima poterit elevari ad cognitionem Dei.

Eſque major quàm ſit inter Senſum & Intellectũ.

XVII. *Nego ſubſumptum* & majorem illius probationis diſtinguo cum eodem S. Bonaventura ibidem: Minùs invicem diſcrepant ſenſus & ſpiritus, quàm Deus & anima in ratione objecti cognoſcibilis, nego: in ratione entis, concedo, *Senſus* equidem & *Spiritus* quatenus ſunt entia creata & finita, magis invicem conveniunt, quàm *Deus & anima*: ſed quatenus ſpiritus eſt objectum perceptibile, & Deus pariter objectum perceptibile, magis Deus convenit cum intellectu humano, quàm ſpiritus cum ſenſu; cùm enim Intellectus habeat pro objecto ſuo omne intelligibile, etiam Deum intra latitudinem ſui objecti involvit; Senſus verò cùm habeat pro objecto ſuo omne ſenſibile, ſpiritus autem ex ſe non ſit ſenſibilis; etiam non comprehenditur ſub objecto ſenſus: Ergo licet ſenſus non poſſit percipere ſpiritum, tamen anima poterit agnoſcere Deum.

Dices 2. generatim contra reſolutionem quæſtionis: Si Deus exiſteret, eſſet ens infinitè bonum: atqui nullum datur ens infinitè bonum: Ergo nec Deus. Major conſtat, ſiquidem nomine Dei deſignatur ens infinitè perfectum, proindeque infinitè bonum. Minor probatur: Si duorum contrariorum unum eſſet infinitum & exiſteret, ageretque neceſſariò, non poſſet dari aliud contrarium, etiam finitum; ſi v. g. exiſteret in rerum natura calor infinitus, non poſſet reperiri, nec cum eo ſubſiſtere minimum frigus; ſimiliter ſi infinitum eſſet lumen, nullæ forent tenebræ: Ergo ſi daretur bonum infinitum in rerum natura, non poſſet dari aliquod malum etiam finitum: ſed plurima ſunt mala, ut experientiâ conſtat: Ergo non datur bonum infinitum, nec conſequenter Deus.

Reſpondent aliqui Minorem eſſe veram de contrariis formaliter & per ſe, qualia ſunt v. g. calor & frigus; non verò de contrariis virtualiter & ratione effectuum quos poſſunt producere; ſicut Sol v. g. dicitur virtualiter contrarius aquæ; quia ille calorem, hæc frigus producit. Deus autem inquiunt nullum malum habet ſibi contrarium formaliter, ſed ſolùm virtualiter, quatenus nempe malum aut probibet, aut odit, proindeque omne malum à rerum natura non debet neceſſariò excludere.

XVIII. *Verùm* hanc replicam nullam eſſe demonſtrat Doctor Subtilis in 1. *diſtin.* 2. *q.* 7. *n.* 1. quia (inquit) *Sive formaliter, ſive virtualiter aliquid ſit alteri contrarium: ſi ſit infinitæ virtutis, alterum ſibi contrarium non compatietur; quod enim eſt infinitæ virtutis, nedum excludit quod ſibi formaliter contrarium eſt; ſed etiam quod contrariatur ſuo effectui: v. g. ſi Sol eſſet infinitè calidus virtualiter, non magis compateretur ſecum aliquod frigus in rerum natura, quàm ſi eſſet formaliter calidus:* Ergo ſi Deus ſit infinitè contrarius malo, non magis admittet ſecum in rerum natura aliquod malum, quàm ſi eſſet formaliter ipſi malo contrarius: Itaque in forma cum eodem Doctore *ibidem quæſt.* 2. *num.* 35.

Quare Deus infinitè bonus non debet omne malum à rerum natura excludere?

Nego minorem & majorem illius probationis diſtinguo. Si illud contrarium infinitum ageret neceſſariò, aliud ſibi aut ſuo effectui contrarium non compateretur, concedo: ſi enim Sol virtualiter, & ignis formaliter eſſent infinitè calidi, v.g. cùm agerent neceſſariò & ex impetu naturæ, etiam agerent ſecundùm omnimodam ſuam virtutem; quæ cùm eſſet infinita, produceret calorem infinitum, qui proinde omne frigus à rerum natura abigeret: ſi ageret liberè, nego: Deus autem non agit neceſſariò ad extra, ſed omnino liberè: *Omnia enim quæcumque voluit fecit in cælo & in terra.* Nec etiam producit neceſſariò aliquos effectus incompoſſibiles cum malis aut poſſibilibus aut exiſtentibus; ideoque licet ſit infinitè bonus, mala tamen eſſe & fieri permittit, vel ex juſtitia puniente, vel ex providentia ad congruum aliquem finem mala ipſa ordinante.

Dices 3. Si daretur aliquod corpus infinitæ magnitudinis ſecundùm omnem extenſionem, aliud corpus ſecum non admitteret in rerum natura, quia omnem omnino locum repleret; & ſic quodlibet aliud corpus à loco abigeret: Ergo à ſimili, ſi daretur aliquod ens infinitum, non admitteret ſecum aliud ens finitum in rerum natura: Sed conſtat plura eſſe entia finita in rerum natura: Ergo in ea nullum datur ens infinitum. *Prima ſequela patet*, ſicut enim extenſio ſe habet ad extenſionem, ita entitas ad entitatem: Ergo ſi extenſio infinita aliam extenſionem finitam excludit, etiam entitas infinita omnem aliam entitatem excludet, vel eam in ſuo ſinu realiter complectetur & abſorbebit; ac proinde ſi detur in rerum natura aliqua infinita entitas, non poterunt aliæ finitæ entitates, in ea admitti.

XIX. *Negat paritatem* Doctor *ibidem*, & rationem diſparitatis hanc profert, quod una entitas non pugnat cum alia entitate, ſicut unum corpus quantum pugnat cum alio corpore quanto reſpectu ejuſdem loci occupandi: cùm enim duo corpora quanta ſint naturaliter impenetrabilia, ideoque non poſſint ſimul eundem locum occupare; evidens eſt quod ſi corpus aliquod eſſet infinitè extenſum, omnem omnino locum repleret; proindeque omne aliud corpus loci repletivum excluderet: Entitas autem una nullam habet incompoſſibilitatem & pugnam cum alia entitate: Neque ratione ſui; cùm non ſint contrariæ, quippe quæ ſint ſubſtantiæ, quibus proprium eſt non eſſe ſibi invicem contrarias; Neque ratione loci, cùm conſiderentur ſolùm ut entitates ſunt, non verò ut extenſæ: Ergo licet corpus infinitum excluderet corpora finita; non tamen entitas infinita excludere debet entitatem finitam.

Licet corpus infinitum alia corpora excluderet; non tamen infinita entitas alias entitates abigit.

Imo poteſt retorqueri argumentum: Nam ſicut corpus infinitum non excluderet aliqua corpora quanta, ſi cum eis non pugnaret ratione extenſionis, eò quod non eſſent impenetrabilia nec loci repletiva, qualia ſunt corpora glorioſa, quæ nec locum replent, nec impenetrabilia ſunt; ita

à pari entitas infinita non debet excludere entitates finitas, quia cum eis nullam pugnam habet.

Instabis. Idcirco corpus quantum finitum non potest esse cum corpore quanto infinito, quia si daretur, cum eo faceret majus, quod implicat; infinito enim nihil addi nec detrahi potest: Ergo propter eandem rationem, nec entitas finita potest cum infinita subsistere. Patet antecedens: effici enim majus, nihil aliud est, quàm suscipere novam quantitatem sibi superadditam; corpus autem infinitum novam susciperet quantitatem, si aliud corpus finitum cum eo poneretur in rerum natura. Ergo, &c.

XX.

Sicut corpus infinitum non fieret majus per coëxistentiam corporis finiti: ita nec infinitum ens fit perfectius per coëxistentiam infiniti.

Distinguo antecedens. Fieret majus, si corpus quantum finitum ipsi infinito uniretur, concedo: B si non uniretur, nego. Similiter entitas infinita dici posset fieri magis perfecta, si aliæ entitates finitæ ipsi realiter & formaliter unirentur, concedo: secus, nego. Sed constat entitatem finitam cum infinita non posse uniri realiter nec formaliter; ac proinde ex eô quòd utraque ponatur in rerum natura, infinita entitas non debet dici magis perfecta propter consortium & coëxistentiam entitatis finitæ: sicut v.g. Paulus non efficitur perfectior per productionem & coëxistentiam Petri; quia perfectiones Petri non sunt realiter & formaliter in Paulo.

Dices 4. Si Deus existeret, deberet esse infinitus secundùm entitatem & perfectionem: sed nullum est ens quod sit infinitum secundùm entitatem & perfectionem: Ergo non est Deus. Probatur minor. Quod ita est *hic* ut non sit alibi, est finitum secundùm *ubi* & positionem in loco: & quod ita est *hodie*, ut non fuerit heri, nec erit cras, est finitum secundùm *tempus* & durationem: & quod ita facit hoc, ut facere nequeat aliud, est finitum secundùm actionem & virtutem: Ergo à simili, quod ita est *hoc ens singulare*, ut non sit aliud, est finitum quoad entitatem & perfectionem: Sed Deus, si daretur, ita esset hoc ens divinum, ut non esset aliud, putà homo, lapis, lignum, &c. Ergo esset finitus secundùm entitatem, nec propterea esset Deus.

XXI.

Infinitum posset esse in loco & tempore determinato si daretur.

Respondet Doctor in 1. *dist.* 1. *q.* 2. *n.* 36. negando consequentiam & rationem disparitatis profert, quod *locus & tempus* in quibus res esset, & non alibi, aut alio tempore, sint finita: nam si essent infinita, falsum esset antecedens: etenim, inquit Doctor, *Si esset aliquod ubi infinitum, per impossibile, & corpus infinitum, repleret illud* UBI; *non sequeretur, hoc corpus est* HIC *ita quod non sit alibi: Ergo est finitum secundùm* UBI, *quia l'y* HIC *non demonstrat nisi infinitum. Ita secundùm Philosophum si motus esset infinitus & tempus infinitum, non sequeretur, iste mòtus est in hoc tempore, & non in alio: Ergo est finitus secundùm tempus. Ita ad propositum oportet probare illud quod demonstratur per* HOC ENS, *esset finitum.*

Quia determinatum non opponitur infinito sed indeterminato.

Vel in forma *distinguo minorem.* Si locus & tempus essent infinita, quod in eis esset, deberet esse finitum, nego: si sint finita, concedo. Unde concessâ minore, nego consequentiam, illud enim ens singulare, quod dicitur *Deus*, est infinitum secundùm entitatem & perfectionem, omnem enim aliorum entium perfectionem suo sinu complectitur vel formaliter vel eminenter, ac proinde ex eô quòd sit *hoc ens*, singulare & determinatum, non sequitur exinde quòd sit ens finitum; *determinatum* enim opponitur quidem *indeterminato*, non autem *finito*; quia aliquid potest esse ens in-

A finitum & simul determinatum; etenim si daretur linea infinita, esset ens determinatum, quia esset quantitas, & non qualitas, nec relatio, nec substantia; propterea tamen non minùs esset infinita.

Dices 5. Si daretur Deus, haberet virtutem infinitam, sed nulla est infinita virtus: Ergo nec Deus. Major constat: Siquidem nomine Dei, intelligimus ens infinitum, tum in entitate, tum in perfectionibus. Minor probatur ex Aristotele 8. *Physicorum textu* 79. ubi ait, *Virtus infinita si esset, moveret non in tempore:* sed non potest ulla virtus movere in non tempore: Ergo non datur virtus infinita, nec consequenter Deus.

Minorem sic probo ex Doctore *num.* 36. *laudatô.* Si virtus infinita non ageret in non tempore, sequeretur quod æquari posset in motu per actionem, & activitatem virtutis finitæ: sed consequens est falsum, quia infiniti ad infinitum nulla est proportio: Ergo si virtus infinita infinitè agat, debet agere in non tempore. Probat majorem ex Hypothesi 1. quod virtus infinita agat in tempore, quod claritatis gratiâ vocetur *A*; Virtus autem finita agat in tempore quod *B* nominetur: 2. quod tempus *A*, in quo virtus infinita agit, excedat tempus *B* secundùm centuplum vel millecuplum; 3. Quod virtuti finitæ addatur nova alia virtus centupla vel millecupla, ita quod C sufficientem habeat activitatem ad movendùm & agendum, non solùm in tempore *B*, in quo ipsa per priorem suam activitatem priùs operabatur; sed etiam in tempore *A*.

Virtus infinita non potest movere in tempore, si agat necessariò & in corpore.

His, inquam tribus suppositis ut possibilibus, sicut revera possibilia factu apparent; apertè colligit Doctor quòd virtus finita æquaret activitatem & operationem virtutis infinitæ; siquidem ageret in simili cum ea tempore *A*; quia per superadditam activitatem centuplam vel millecuplam, virtus finita æquat illud tempus *A*, secundum id in quo illud priùs excedebat. Ergo si virtus infinita agat secundùm omnem suam activitatem, necessum est vel ut agat in non tempore, D vel ut æquetur à virtute finita, quæ in simili tempore cum ea operari poterit.

XXII.

Potest verò dum agit liberè & independenter à corpore.

Distinguo minorem cum Doctore ibidem: Si virtus illa infinita supponatur agere in corpore & necessariò ac juxta naturæ ductum & impetum, concedo: si supponatur agere extra corpus & eam esse spiritualem ac liberam, nego. Fateor equidem quod si virtus illa infinita necessariò ageret, uti Deum operari falsò censuit Aristoteles, illa certè sic agens secundùm omnimodam suam activitatem, deberet agere in non tempore ut à virtute finita non posset adæquari.

Insuper. Si illa virtus infinita esset in corpore extenso, ut supponit Aristoteles *locô in objectione* E *laudatô*: non posset movere in non tempore, quia ageret circa corpus, cujus partes cùm aliquæ magis distarent à motore, aliæ minùs, non posset eas simul movere; & haberet etiam aliquam resistentiam ex parte illius corporis quod moveret; quæ resistentia mobilis, & diversa illius partium approximatio duæ sunt causæ successionis; & proinde durationis temporaneæ. Ergo sequeretur illam virtutem infinitam agere in tempore, quia ageret cum successione; & agere in non tempore, ne æquaretur à virtute finita: Agere autem in tempore & non agere in tempore sunt contradictoria: Ergo meritò concludit & probat Aristoteles non posse dari aliquam virtutem infini-

tam quæ simul agat necessariò & in corpore extenso, quia sic deberet agere in tempore & non in tempore, quod implicat. Itaque non negat absolutè aliquam virtutem infinitam quæ libera sit, & corporis expers, qualis est Deus, agere posse in non tempore, sed id negat solùm de virtute infinita quæ esset in corpore, & ageret necessariò.

Dices ultimò. Quod nec est à se, nec ab alio, non est: sed Deus, si daretur, nec esset à se, nec ab alin: Ergo non est. Probatur minor. Primò non esset ab alio, alioquin non esset primum ens, nec independens: ac proinde non esset Deus. Non etiam esset à se. neque *effectivè*, quia nihil producit seipsum, alioquin esset antequam esset; productio enim fit per operationem, operari autem sequitur & supponit esse; neque *emanativè*, quia emanans præsupponit id à quo emanat, sicut fluuius fontem, & radius solem: Ergo seipsum esse suppooeret antequam esset, quod implicat.

XXIII. *Distinguit minorem* noster Bassolis *in 1. d. 2. q. 2. ad 2. principale*, Deus non est à se effectivè, positivè, seu per productionem, concedit: non est à se negativè seu per negationem productionis tum à se tum ab alio, negat. Itaque l'y *esse à se* non importat effectionem, neque emanationem, quasi Deus seipsum produceret, aut à se emanaret: sed tantùm negationem productionis; ita quod idem sit esse à se, ac esse omninò improductum.

Deus est à se non effectivè & positivè, sed negativè.

Qoæstio Secunda.

An Deum existere sit per se notum?

I. VT inanes omnes subtilitatis argutias circa præsentis Quæstionis resolutionem proponi solitas, faciliùs rescindamus, & solidæ comparandæ potius doctrinæ, quàm vanis & ludicris discutiendis quæstiunculis tempus & laborem impendamus; duo solùm hic proponimus resolvenda. 1. An per se notum sit Deum existere quatenus *Deus est*, seu prout in se conceptibilis est sub præcisa ratione suæ Deitatis ac divinæ essentiæ. 2. An per se notum sit eum existere quatenus concipitur à nobis sub rationæ primæ causæ, entis summé necessarii, infiniti, & omnium entium principii, moderatotis & finis: quæ ut appareant evidentiùs;

Status Quæstionis

II. *Notandum* 1. Quod quemadmodum triplex distinguitur VERITAS, nimirum *Rei*, *Cognitionis*, & *Locutionis*, quarum prima consistit in conformitate rei ad sua principia, vel ad soam ideam; secunda, in conformitate cognitionis cum objecto cognito; tertia, in conformitate dictionis cum interno mentis conceptu: Prima opponitur falsitati & apparentiæ, secunda errori, tertia mendacio: Ita paritex triplex dicitur esse PROPOSITIO, nimirum vocalis, mentalis & objectiva. *Vocalis*, constat terminis vocalibus conceptum exprimentibus & significantibus: *Mentalis*, est conceptus internus quô unum affirmatur de alio: *Objectiva* autem, est ipsa realis terminnrum unio à parte rei, nimirum unio realis prædicari cum subjecto; v. g. unio animalis cum rationali in homine, quæ repræsentarur per mentalem & sigoificatur per vocalem enunciationem.

Sicut triplex est VERITAS.

Ita triplex est PROPOSITIO.

III. *Licet* autem propriè loquendo sola propositio objectiva præcisè diccnda sit *per se nota*; sicut A enim sola res dicitur per se sciri vel ignorari, ita pariter sola dicitur nota per se vel per aliud: Attamen iam usus invaluit ut signô acceptô pro re significatâ, etiam propositiones vocales & mentales dicerentnr per se notæ ratione propositionis objectivæ quam exprimunt & significant.

Sola propositio objectiva est propriè per se nota.

IV. *Notandum* 2. Circa propositionis *per se notæ* deffinitionem, tantam esse tamque variam Authorum sententiam, ut vix invicem in ea assignanda duo conveniant. Nos tamen Doctoris Subtilis vestigiis inhærentes, dicimus cum eo *in 1. dist. 2. q. 2. n. 2. & 3.* propositionem *per se notam* eam dici, cujus veritas patet evidenter ex cognitis vel distinctè, vel confusè terminis quibus B constat; ita quòd præter notitiam terminorum nullô aliô mediô egeat intellectus ad percipiendam necessariam & immediatam connexionem subjecti & prædicati ex quibus illa propositio formatur. Sic v.g. *totum est majus sua parte*, vulgò dicitur propositio per se nota, quia ubi quis novit quid significet *totum*, quid *pars*, & quid *majus*, nulla alia cognitione, nullave probatione indiget, ut evidenter percipiat omne totum esse majus sua parte.

Quid sit propositio PER SE NOTA.

Unde sicut Sol dicitur per se visibilis, quia nullo alio lumine indiget ut videntibus appareat, cum ille sit totius lucis fons & origo: sic etiam con- C gruè illa propositio per se nota dicitur, cujus veritas patet ex terminis; quæque, inquit Doctor *num. 3. Nata est habere evidentem veritatem contentam in terminis, etiam in quocumque intellectu concipiente terminos*: Ita quod quemadmodum Sol, licet nnn videatur à cœcis & oculis clausis, non minùs de se & per se visibilis est, sic *licet aliquis intellectus non concipiat terminos; & ita non concipiat propositionen, non minus illa est per se nota quantum est de se.* Unde colligit ibidem, *Est igitur omnis & sola illa propositio per se nota, quæ ex terminis sic conceptis ut sunt ejus termini, nata est habere evidentem veritatem complexionis.*

Ex mente Doctoris Subtilis.

V. *Notandum* 3. Ad propositionem *per se notam*, D tres potissimum desiderari conditiones.

Tres sunt conditiones ad propositionem *per se notam* desiderādæ.

Prima est quod prædicatum immediatè & per se conveniat subjecto; si enim ei cōveniat per aliud, illius cum subjecto connexio etiam per aliud notificabitur; sicque non erit propositio per se sed per aliud nota; Quâ ratione omnes propositiones in quibos proprietas affirmatur de suo subjecto, v. g. *risibile* de *homine*, præcisè non dicuntur per se notæ, qoia risibile non conuenit homini immediaté; sed tantùm mediante rationali; homo enim risibilis est, quia est rationalis: possunt tamen dici per se notæ impropriè, quatenus prædicatum necessariò convenit subjecto, nec ab eo sit ullatenus separabile, qoô fit, ut vera sit hæc E consequentia; *Est homo*: Ergo *risibilis*.

1. Vt prædicatum immediatè conveniat subjecto.

Secunda conditio est, quòd prædicatum conveniat essentialiter & intrinsecè subjecto; cujus defectu hæc propnsitio, *nix est alba*, est qoidem per se nota sensibus & oculis, qoi nivem omnem albam evidenter deprehendunt; non autem est per se nota intellectui, quia quamvis albedo immediatè nivi conveniat, & non ratione alterius formæ aur prædicati; tamen cum nix possit esse sine albedine, nec proinde necessaria sit & inseparabilis connexio prædicati cum subjecto, videlicet albedinis cum nive, etiam illa propositio non est intellectui per se nota.

2. Vt conveniat intrinsecè & essentialiter.

Tertia conditio est, ut non possit demonstrari à priori prædicatum subjecto convenire; alioquin

3. Vt hæc convenien-

tia non possit demonstrari à priori. non esset immediata, nec proinde per se nota, si per aliquod medium prius conceptibile in re quæ cognoscitur, prædicatum quod de ea affirmatur ipsi competeret. Non excluditur tamen demonstratio à posteriori, quâ intellectus noster veluti manu ducatur, ut per rei effectus aut proprietates deprehendat prædicatum quod de ea affirmatur ipsi per se & immediatè competere.

CONCLUSIO PRIMA.

VI. Deus est, est propositio per se nota. DEUS EST, *seu existit, est propositio per se nota*. Ita Doctor Subtilis *in 1. dist. 4. quæst. 2. num. 4.* & sanctus Thomas cum suis, & probatur: Illa propositio est *per se nota*, in quâ prædicatum est de essentia subjecti; illa enim non potest demonstrari, vel notificari per aliquid prius, cùm nihil sit prius essentiâ rei; sed in hac propositione *Deus est*, seu *existit*, prædicatum (nimirum existentia) est de essentia subjecti; cùm enim Deus sit ens per essentiam & actus purus, oportet quod existentia sit de conceptu quidditativo essentiæ divinæ: Ergo illa propositio *Deus est*, dicenda est per se nota. Secundò, illa propositio est per se nota, quæ ex terminis suis cognitis habet evidentem veritatem, nec ullo alio indiget ut nota fiat; quæque est immediatè, & in primo modo dicendi *per se*; hoc est, in quâ prædicatum convenit essentialiter subjecto: sed talis est propositio *Deus est*, nam ut inquit Doctor laudatus *num.* 4. prædicatum subjecto convenit per se primo modo, & illa propositio est immediata; imò immediatissima, ad quam resolvuntur omnes propositiones enuntiantes aliquid de Deo qualitercumque concepto: Ergo, &c.

Dices primò: Illa propositio non est dicenda per se nota, ad cujus veritatem evidenter percipiendam opus est demonstratione & discursu: sed ad percipiendam veritatem hujus propositionis, *Deus est*, opus est discursu & demonstratione saltem à posteriori: Ergo non est per se nota.

VII. Maximè ei qui novit terminos. *Respondeo* concessa majore, distinguendo minorem: Opus est discursu iis qui perfectè cognoscunt terminos, nempe quid sit DEUS, & quid sit *existere*, uti eos percipiunt Angeli, & beati Spiritus, qui Deum vident sicut est, & facie ad faciem intuentur, nego: opus est discursu iis qui præfatos terminos imperfectè solùm percipiunt, quales sumus quamdiu mortalem hanc vitam agimus, concedo; Cum enim Deum noverimus solùm per speculum creaturarum, & in ænigmate fidei, hinc non mirum si invisibilia ejus per ea quæ facta sunt, discurrendo concipiamus ac deprehendamus.

Adde quod demonstratio à posteriori non officiat propositioni per se notæ, ut observatum est in *tertio notabili*; alioquin nulla foret propositio per se nota; siquidem nulla est cujus Veritas, vel per inductionem, vel per demonstrationem à posteriori non possit innotescere.

Dices secundò: Illa dictio *Deus est*, non est propositio: Ergo non est propositio per se nota. Probatur antecedens: Propositio debet constare duobus terminis; si enim solùm unicus appareat, non erit propositio sed simplex terminus; atqui in hac propositione *Deus est*, non apparent duo termini sed unicus; Deitas enim, seu divina essentia est unica & simplex entitas, indivisibilis in plures formalitates; ac proinde in suo conceptu plures terminos non admittit: Ergo nec propositionem per se notam efformat.

VIII. An Deus est, sit propositio. *Distinguo minorem*: Non apparent duo aut plures termini formaliter & actu distincti, transeat: non apparent saltem virtualiter distincti, nego; quamvis enim Deitas & existentia ejus non distinguantur formaliter, quippe cùm Deitas non possit concipi sine existentia; tamen distinguuntur virtualiter, & quatenus propositionem efformant, concipiuntur ut duo distincta, quod sufficit ad formandos duos terminos qui in propositione desiderantur.

CONCLUSIO SECUNDA.

IX. Deum esse, non est per se notum viatoribus. HÆc *propositio* Deus est, *quatenus concipitur à nobis viatoribus, non est per se nota*. Ita Doctor Subtilis *in 1. dist. 2. quæst. 2. num. 4. & 5.* Probatur. Per hanc propositionem *Deus est*, concipimus Deum, vel ut ens infinitum; vel ut necessariò existens, vel ut summum bonum; vel ut principium, moderatorem, & finem rerum omnium: Atqui sub nullo horum conceptuum, per se notum est Deum existere: Ergo hæc propositio *Deus est*, quatenus concipitur à nobis, non est per se nota. Major est certa; omnes enim conceptus, quos de Deo formare possumus, vel sunt absoluti, vel respectivi, seu concernunt Deum vel quatenus est in se, vel quatenus respectum dicit ad creaturas. Si concipiatur quatenus est in se, vel apprehenditur ut ens à se & necessariò existens ac omnimodè independens, vel ut est ens infinitè perfectum; & omnimodam entis rationem & perfectionem suo sinu complectens: si concipiatur per respectum quem habet ad creaturas, concipitur vel ut est earum principium, vel quatenus est ipsarum moderator, aut finis; ac proinde patet majoris propositionis veritas.

X. Quia conceptus, quos de Deo formamus, sunt demonstrabiles à priori. Minorem autem probat Doctor tribus rationibus. 1. quidem sic. Illi conceptus non sunt per se noti, qui sunt demonstrabiles à priori; atqui præfati conceptus sunt demonstrabiles à priori. *Probatur*, Illi conceptus sunt demonstrabiles à priori qui demonstrari possunt per divinam existentiam tanquam per aliquid à quo emanant: atqui tales conceptus ita possunt demonstrari. *Probatur*: Omnis proprietas aut modus rei potest demonstrari per essentiam à quâ emanat: atqui illi conceptus objectivi de Deo se habent per modum proprietatis aut modi: Ergo demonstrari possunt per existentiam quæ Deo essentialiter competit.

XI. Nec per se veri apparent. *Secundò*. Propositio per se nota ea est, quæ ex terminis cognitis evidenter apparet vera: sed licet quis noverit quid sit infinitum, & quid sit existere, non propterea videt evidenter veritatem illius propositionis, Ens infinitum existit, idem dicendum de aliis conceptibus: Ergo illæ propositiones non sunt per se notæ.

Tertiò, Nihil potest esse notum de conceptu non simpliciter simplici, hoc est, qui includit varios conceptus, nisi sit notum illos conceptus inter se uniri; sic v. g. non potest esse notum quòd homo irrationalis sit animal; quia non est notum quod detur homo irrationalis; imò oppositum ipsius notum est, putà hominem esse rationalem; similiter non est per se notum quòd paries sit albus, nisi sit notum quòd paries habeat albedinem conjunctam: Sed in hoc mortali statu nullum habemus conceptum proprium de Deo, qui sit simpliciter simplex; Omnis enim con- Nec eorum unio est evidens.

ceptus proprius quem de ipso formamus, plures alios conceptus includit, etenim conceptus summi boni, entis infiniti, entis necessarii, primæ causæ, &c. plures conceptus involuunt; Alius enim est conceptus causæ, & alius causæ primæ; siquidem aliquid potest habere rationem causæ, & non esse causam primam, sicut potest habere rationem entis, & non esse ens infinitum & necessarium: Ergo nullum conceptum in hoc statu possumus formare de Deo qui plures conceptus non inuolvat; nec possunt illi conceptus esse per se noti, nisi constiterit illos per se uniri: sed nullatenus nobis constat omnes conceptus quos de Deo formamus esse per se unitos ut experientiâ constat. Ergo non constat illos conceptus esse per se notos.

XII. Nec ad eos percipiendos naturaliter intellectus noster determinatur.

Confirmatur. Ipsâmet experientiâ, siquidem apertè patet quòd dum concipimus Deum sub aliquo præfatorum conceptuum, non statim determinetur noster intellectus ad assentiendum quòd tale ens existat; sed ut ad hunc assensum certò determinetur, debet ad eum quibusdam rationibus urgeri & manu duci; ac proinde hæc propositio *Deus est*, non est per se nota.

Dices 1. Illa cognitio est per se nota, quæ à naturâ nobis inseritur, atqui cognitio existentiæ Dei nobis à natura inseritur: ut quæstione superiori probatum est. Ergo est per se nota. Patet major, non enim aliunde prima principia cognitionis dicuntur esse per se nota, nisi quia illorum veritatem percipimus ex solo ingenito nobis rationis lumine & absque omni discursu.

XIII. Licet Dei existentiam natura suadeat.

Distinguo majorem. Si illius propositionis termini etiam natura docente distinctè innotescant, & necessaria apareat eorum connexio transeat; si solùm confusè termini veniant in mentem, nec eorum connexio nobis certò & evidenter constet, nego: sed certum est terminos illius propositionis *Deus est*, naturali lumine solùm confusè apprehendi, nec eorum connexionem evidenter & per se apparere: quô fit, ut cum naturali luce & intuitu, etiam egeamus lumine ac discursu rationis, quô Dei existentiam deprehendamus & persuadeamus: ac proinde licet illa propositio *Deus est*, naturâ duce & docente pateat, non propterea est per se nota.

Dices 2. Nobis per se notum est quod illud existat, quô majus excogitari non potest: atqui Deus est id quô majus esse ac cogitari non potest: Ergo Deum esse est propositio per se nota: Major patet tum ex mente S. Anselmi, qui hoc unico argumento utitur ad demonstrandam Dei existentiam: tum quia oppositum prædicati repugnat subjecto: Si enim non existeret, non esset illud quô majus excogitari non posset, quia majus est rem existere, quàm non existere.

XIV. Quomodo notum sit illud existere, quô maius esse non potest.

Distinguo majorem. Illud est per se notum, si per se notum intelligatur id quod facile probari potest, concedo: Si illud intelligatur quod evideus est ex simplici terminorum apprehensione & cognitione, nego. Sanctus autem Anselmus voluit hanc propositionem *Deus est*, solùm esse per se notam quatenus facilè probatur & demonstratur; Siquidem ipse integrum librum composuit ut demonstraret illud existere, quô majus esse non potest; hoc autem omninò superfluum fuisset, si præfata propositio esset per se nota; etenim propositio per se nota strictè sumpta, nullâ probatione indiget ut illius veritas pateat, sed solâ terminorum expositione

A & cognitione innotescit.

Aliter distinguo: Si per se notum sit, quod id, *quô majus esse non potest*, sit possibile, per se notum erit pariter quòd illud de facto existat, concedo: si non sit per se notum illud esse possibile, nego: nobis autem per se notum non est aliquid esse possibile, quô majus excogitari non potest; ac proinde nec notum erit illud de facto existere. Unde ad propositionem per se notam, non sufficit quod oppositum prædicati repugnet subjecto; sed ultra requiritur, quòd prædicati & subjecti connexio possibilis aut actualis evidenter appareat. Sic v. g. ut per se

B notum sit hominem esse animal rationale; non sufficit quod irrationalitas repugnet homini; sed ultrò requiritur ut appareat evidenter connexio necessaria animalis rationalis cum homine.

Dices 3. Per se notum est veritatem existere: sed Deus est veritas: Ergo per se notum est Deum existere: *Patet major*, vel enim certò constat veritatem esse, & sic habetur intentum; vel certò constat eam non esse, & sic verum esset veritatem non esse; ac proinde esset veritas quòd non esset veritas; sicque existentia veritatis colligitur ex veritatis negatione.

Respondet 1. Doctor *num.* 8. argumentum non concludere, sed in eo latere fallaciam consequentis; arguitur enim à communi ad speciale;

C nimirum à veritate in communi ad veritatem in particulari. Unde sicut non sequitur, *animal existit*, sed *homo est animal*: ergo *homo existit*; quia posset animal existere in bruto, licet homo non existeret; ita non sequitur datur veritas in communi: Ergo datur Deus; Deus enim est quidem veritas, sed in determinata, licet in infinita specie entis.

Respondet 2. Negando majorem; & ad ejus probationum dicit, quod si nulla veritas est, non potest sequi dari aliquam veritatem, sed potius bene sequitur, quod non sit verum aliquam veritatem esse, quia nulla est; *non enim sequitur*, inquit, *ergo verum est aliquam verita-* XV. An sit per se notum Deum esse veritatem.

D *tem non esse; est enim fallacia consequentis à negativa habente duas causas veritatis ad affirmativam, quæ est una illarum.* Adde quod non sit nobis per se notum Deum esse veritatem; siquidem Marcion, licet imperitè, admittebat Deum unum qui esset author malorum & mendacii parens; ac proinde ruit argumentum.

Dices 4. Aliquæ propositiones, quarum prædicati unio cum subjecto est tantùm necessaria secundùm quid, sunt per se notæ: Ergo multò magis illæ propositiones in quibus unio prædicati cum subjecto est absolutè necessaria debent esse per se notæ: Atqui in hac propositione

E *Deus est*, prædicatum unitur subjecto, unione summè necessaria: Ergo debet esse per se nota: Major patet, etenim hæ propositiones *totum est majus sua parte*, & *homo est animal rationale*, & similes, habent tantùm veritatem & connexionem necessariam secundùm quid, & ex hypothesi quod existant: Secus est autem de Deo, cujus existentia est absolutè invariabilis & necessaria.

XVI. Propositio magis necessaria nō est magis per se nota.

Nego sequelam majoris, Siquidem ad rationem propositionis *per se notæ*, non sufficit quòd necessaria sit major & strictior unio prædicati cum subjecto; sed ultro requiritur ut illa major connexio evidenter apparere possit ex terminis, & movere intellectum ut assensum præbeat illi pro-

positioni: Inde fit quod cùm propositio necessaria secundùm quid faciliùs intellectui innotescat evidentiùsque pateat, quàm quæ est necessaria simpliciter, non sequitur quod si illa nota esse debeat, hæc pariter nota semper debeat apparere. Imò cùm propositiones, quæ fiunt de Ente summè necessario seu divino, sint altioris ordinis, quàm sint hypotheticæ quæ fiunt de Ente creato; etiam illæ nobis minùs sunt evidentes & magis imperviæ.

Dices 5. Quod est causa & ratio cognoscendi omnia, debet esse prioiò cognitum & per se notum: sed Deus est ratio cur omnia alia Entia cognoscantur: Ergo debet esse per se notus. Major constat: Quia propter quod unumquodque tale & illud magis: Ergo quod est causa per quam res evidentes sint notæ, magis debet esse notum. Minor probatur authoritate S. Augustini, *lib. 9. de Trinitate cap. 7.* dicentis, *In illa igitur æterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam secundùm quam sumus & secundùm quam, vel in nobis, vel in corporibus, vera & recta ratione aliquid operamur, visu mentis aspicimus.*

XVII. *Distinguo majorem.* Quod est causa cognoscendi omnia objectivè & formaliter, debet eis esse notius, concedo: quod est causa tantùm effectivè & exemplariter, nego: Deus autem est tantùm causa effectiva & exemplaris cognitionis omnium rerum, quatenus nimirum nobis concessit lumen & activitatem intellectus per quem omnia cognoscere possumus. Est etiam causa exemplaris ad quam necessum est intendere, velut ad rerum omnium exemplar secundùm quod metienda est, earum veritas; Ita quod perfectè res nosse dicendus est, qui eas novit, nedum secundùm id omne quod in se complectuntur; sed etiam secundùm proportionem quàm habent ad divinum suum exemplar, ut indicat S. Augustinus.

Deus est ratio cognoscendi omnia effectivè, non objectivè.

Dices 6. Per se notum est nobis quod ens necessariò existens, existat: sed Deus concipitur à nobis ut ens necessariò existens: Ergo per se notum est nobis quod Deus existat sub conceptu quô concipimus ipsum. Similiter, per se nobis notum est, quod operans actu, existat actualiter: sed Deus à nobis concipitur ut operans actu; Deus enim communiter dicitur juxta Damascenum *lib. 1. cap. 12.* ab actuali, *fovere*, vel *ardere*, vel *considerare*: Ergo per se nobis notum est, quod existat prout eum concipimus. Major utriusque instantiæ patet, quia repugnat rem necessariò existentem & operantem actu non existere, quia, inquit Doctor, in 1. dist. 2. q. 2. num. 6. *Oppositum prædicati repugnat subjecto; si enim non est, non est ens necessariò existens; & si non sit, non est ens actu operans.* Ergo, &c.

XVIII. *Respondet Doctor*: Esse quidem notum nobis non existentiam repugnare rei necessariò existenti, ac operanti cum independentia: sed negat esse per se notum quòd aliqua res necessariò existat, & cum independentia operetur. Vt ergo propositio aliqua sit *per se nota*, non sufficit quod notum sit oppositum prædicati illius propositionis non posse subjecto competere; sed ulterius requiritur quòd vel subjectum apprehendatur conceptu simpliciter simplici; vel si plures involvat conceptus, necessum est ut illi conceptus evidenter invicem uniti appareant.

Quomodo notum sit ens necessariò existens esse.

Instabis. Eò ipsô quò aliquod prædicatum repugnat subjecto, evidens est quod oppositum prædicatum ipsi convenit; unde si negatio *animalis* v. g. repugnet homini, evidens est quod

A *animal* ipsi necessariò conveniat; quia aliàs contradictoria non essent immediatè pugnantia, & dici posset quòd neutrum ex contradictoriis rei competeret: Ergo si negatio existentiæ repugnat enti necessariò existenti & actu operanti; sequitur manifestè quòd existentia necessariò ipsi competat: Et consequenter de quocumque dicitur quod sit ens necessariò existens & independenter actu operans, de eodem evidenter colligitur quod existat: Ergo cùm de Deo dicatur quod sit ens necessarium & actu independenter operans; cùmque repugnet ens necessarium & actu operans non existere, evidenter colligitur Deum ne-
B cessariò existere.

Respondeo; Illam quidem consequentiam valere *Deus est ens necessarium*: Ergo *est existens*, virtute hujus propositionis ex qua elicitur, *Quod est ens necessarium est existens*; sed minor ex ea deducenda, nempe quod *Deus sit ens necessarium*, vel *actu independenter operans*, non est nobis per se nota.

Dices ultimò, Doctor Subtilis *laudata quæstione, num. 3.* cum impugnasset sententiam S. Thomæ asserentis propositionem per se notam dividi in propositionem *notam in se*, & in *per se notam nobis*, colligit quòd quæcumque propositio
C est nota in se, etiam est per se nota cuicumque intellectui: sed ex prima conclusione constat, hanc propositionem *Deus est*, esse per se notam secundùm se: Ergo etiam debet esse per se nota in nobis; alioquin vel Doctor sibi contradiceret, vel nos ipsi. XIX.

Doctor Subtilis negando propositionem per se notam in se & nobis, sibi non contradicit.

Respondeo, Doctorem nec sibi contradicere, nec nos illi: aliud enim est dicere aliquam propositionem *esse per se notam*, non tamen actualiter ab aliquo intellectu cognitam; aliud verò dicere, unam propositionem *esse per se notam*, & aliam *esse per se noscibilem*; quia hæc duo stant simul, quod aliqua propositio sit per se nota, hoc est, ut terminis ejus apprehensio habeat evidentiam, & tamen
D non sit aliquis intellectus qui illos terminos apprehendat, & illam propositionem cognoscat: Etenim licet nullus esset intellectus, qui illos terminos apprehenderet, *totum* & *pars*; attamen hæc propositio *totum est majus sua parte*, non minus esset per se nota, licet non esset actualiter cognita. Ita à simili hæc propositio, *Deus est*, per se nota est quidem, non tamen ab omnibus intellectibus actu evidenter cognita; sed solùm ab illis qui distinctè & clarè apprehendunt hos terminos, *Deus* & *esse*, non verò à nobis, qui hos terminos confusè solùm cognoscimus, & Deum per illos significatum apprehendimus tantum, ut est ens necessarium, omnipotens, &c. qualiter apprehensus non est evidenter cognitus & ex-
E pressus per hanc propositionem *Deus est*. XX.

Ex his collige 1. nullam esse divisionem propositionis in propositionem *per se notam Insipientibus* & *per se notam Sapientibus*: Si enim aliqua propositio sit per se nota sapientibus, & insipientibus ignota, hoc non provenit ex eô quòd hæc propositio non sit per se nota respectu omnium qui concipiunt illius terminos: sed ex eô quòd insipientes illos terminos non apprehendant; quos si conciperent, æquè illis esset nota ac sapientibus.

Nulla est divisio propositionis in per se notam sapientibus & insipientibus.

Nec refert, quod Boëtius distinguat *communem animi conceptionem Sapientum à communi animi conceptione Insipientium*, quasi innueret propositionem per se notam Sapientibus distingui à propositione per se Insipientibus nota.

Etenim respondet Doctor 1. *Communem animi conceptum* non idem esse ac & propositiooem per se ootam. 2. Ex hypothesi quòd idem sit communis animi conceptio cum propositione pet se nota; Respondet Boëtium non accipere propositionem *per se notam*, pto ea quæ revera est per se oota, sed solùm pro ea quæ de facto cognoscitor. Certum est autem Sapientes multas propositiones cognoscere, quæ notæ non sunt Insipientibus, non quidem defectu propositionis, sed ex eô

XXI. quòd insipientes propositionis terminos noo ita percipiant qualiter percipere deberent ut eis propositio esset per se nota.

Nec in per se notam, & noscibilem.

Collige 2. Quod nulla pariter sit divisio propositionis in *per se notam, & per se noscibilem*; qoia idem est ptopositionem esse per se notam, & esse noscibilem; etenim propositio per se nota illa est, quæ licet actu non cognoscatur, tamen

Nec in per se notam in se & per se notam nobis.

potest cognosci ex simplici terminorum apprehensiooe; At talis etiam est propositio per se noscibilis, ac proinde unum & idem omnino sunt.

Colliges denique nullam prorsus esse divisionem in propositionem *per se notam in se, & per se notam nobis*. Quia, inquit Doctot, *quacumque propositio est in se & per se nota, est etiam nota cuicumque intellectui terminos illius propositionis apprehendenti, licet non sit ab omni intellectu actualiter cognita. Propositio enim dicitur per se nota, qua ex terminis evidenter patet omni intel-*

XXII. *lectui terminos apprehendenti; & sic propositio per se nota in se & per se nota in nobis, non sunt membra opposita.*

Licet aliqua sint notiora secundùm se alia secundùm nos.

Dices: Ex Aristotele aliqua sunt *notiora naturâ*, seu secundùm se, & *ignotiora nobis*; aliqua verò *notiora nobis & ignotiora secundùm se*, ex quibus sic fit argumentum: Omne comparativum supponit positivum: Ergo si detur notius secundùm se, & ignotios nobis, debet etiam dari notum secundùm se & notum nobis; & coosequenter admitti debet aliquid pet se ootum ex se, & aliquid per se notum oobis.

Resp. distinguendo ultimum coosequens: Est aliquid per se notum ex se, & aliquid per se notum nobis, itaut illud quod est notum secundùm se, non sit notũ nobis, qoando à nobis apprehenditur ut est per se notum in se; nego consequentiam; in quocumque alio sensu transeat consequentia; sed non est ad propositum. Vult autem Aristoteles solùm quod aliqua sunt secundùm se ootiora aliis, quæ tameo ignotiora sunt nobis, eô

Non sequitur aliqua esse nota per se secundùm se, & non secundùm nos.

quòd aliqua sint priora aliis, sicut v. g. Substantia est prior accidentibus, & tamen priùs novimus accidentia, quàm substantiam; utrumque tamen tàm accidens quàm substantia, est ootum ex se & notum nobis, quia ex natura sua possunt cognosci & cognoscuntur; sed accidentia à nobis viatoribus priùs cognoscuntur quàm substantia; à Beatis verò substantia priùs quàm accidentia percipitur: Hinc autem non sequitur quod detur aliqua propositio ex se nota, quæ non sit nota cuicumque apprebeodenti terminos ipsius; quamvis multæ sint propositiones, quarum termini non possint à quolibet apprehendi. Quâ ratione Doctor *in* 1. *dist.* 3. *q.* 3. dicit Deum sub ratione Deitatis esse quidem primum objectum conceptibile secundùm se: sedoon penes nos, eò quod distinctè non percipiamus quid significet terminus, hic *Deitas*.

QUÆSTIO TERTIA.

An & quomodo demonstrari possit Deum existere?

CUM Dei existentia non sit per se nota, ot superiori quæstione probatum est; hinc fit quod illum existere nonnulli hominum sceleratissimi in dubium revocaverint. Cujus pestileotissimi erroris principes extiterunt Protagoras, Diagoras, Evemerus Thegeates, & Bioo Boristhenites cum suo Præceptore Theodoro Ciræneo, qui idcirco *Atheus*, hoc est sine Deo appellatus est, ut refert sanctus Augustinus *lib.* 3. *contra litteras Petiliani cap.* 21. & Lactantius *de ira Dei cap.* 9. Imo ex posterioribus etiam Plinius ipse, licet in naturali Philosophia doctissimus *lib.* 2. *cap.* 7. dubium relinquit an sit aliquod Numen, *& quidquid sit, esse ridiculum quod illud curam gerat rerum humanarum*, quô certè Numen è medio sustulit; nam ut de Epicuro Lactantius supra laudatus ait, *Cum providentiam sustulit, etiam Deum negavit*. Et sanctus Augustinus lib. 5. de civitate Dei cap. 9. *Confiteri Deum*, ait, *& negare præscientiam futurorum, apertissima insania est*. Hinc etiam David Psalmo 13. Atheum insipientem appellat, *Dixit insipiens*, inquit, *in corde suo; Non est Deus.* I.

Quinam primi fuerint Athei.

At quod maximè lugeodum est, nostris etiam temporibus atheismum ab inferis excitârunt, nedum innumeri Politici, quorum patrocinium scriptis editis suscepit *Nicolaus Machiavellus*, homo impiissimus; sed & jam plures Novatores & hæretici: nam ut testatur Lyndanos *in suo Dubitantio*, dum pravi homioes hujus temporis maximâ ioconstantiâ ex Catholicis fiunt Lutherani, ex Lutheranis Zuingliaoi; & ex his Calvinistæ: atque sic singulas Sectas profitentur; tandem omnem omnino religionem ejurant & exuunt, ac Deum non esse maximâ impietate affirmant. Adversus quos tam præsens quàm sequens Quæstio movebitur.

Etiam & nunc plures sunt.

Io præsenti quidem tesolvendum erit: 1. An Deum existere propriâ ac perfectâ demoostratione constare possit. 2. Quânam demonstratione illius existentia innotescere queat: quod ut percipiatur faciliùs;

Status Quæstionis.

Notandum 1. seu revocandum ex Logicis, Demonstrationem solitò definiri perfectum *Syllogismum parientem scientiam*: Per causas autem dicitur *Syllogismus constans veris, primis, immediatis, notioribus ac prioribus causisque conclusionis*. Qoam otramque definitionem approbat Aristoteles 1. Posteriorum cap. 2. II.

Quid sit Demonstratio.

Notandum 2. Medium terminum ex cujos diversitate colligitur Demonstratioois diversitas, esse duplicem; Primus dicitur *à priori*, qui scilicet est causa cur prædicatum conclusionis conveniat subjecto: Sic rationale dicitur medius terminus respectu hojus conclusionis, *Omnis homo est risibilis*, quia est ratio cur risibile conveniat homini. 2. Dicitur *à posteriori*, qood non est quidem causa cot prædicatum conveniat subjecto; sed ita est ipsi necessariò connexum, ut unum ex alio possit inferri: Sic *risibile* v. g. dicitur medius terminus respectu hujus conclusioois, *Homo est rationalis*; Licet enim risibile non sit causa cur rationale conveniat homini; est tamen ita necessariò homni & rationali coojunctum, ut

Et quotuplex.

per

per ipsum hæc duo ritè inferantor esse connexa. Prior dicitur causa conclusionis in *essendo*; Posterior causa conclusionis *in cognoscendo* nominatur. Prior dicitur medium demonstrationis *à priori* seu *propter quid*: Posterior dicitur medium demonstratioois *quia*, seu *à posteriori*, quâ causa per effectus vel essentia per proprietates suas demonstratur.

Conclusio Prima.

III. *Existentia Dei demonstrari potest per creaturas.* DEMONSTRARI *potest Deum existere discursu ita evidenti, ut ei dissentiri non valeat intellectus.* Probatur; Si Divina existentia demonstrari non posset, id oriretur vel ex parte sui, vel ex parte intellectus; seu vel ex eô quòd illa oon esset demonstrabilis; vel ex eô quòd hic per discursum non posset eam deprehendere: sed ex neutra parte repugnat: Ergo illius existentia demonstrari potest. *Major constat*; Ex objecto namque & intellectu paritur omnis notitia. *Minor probatur*; Omois causa manifestari ac demonstrari potest per effectus cum quibus necessariam babet connexionem; etenim sic causam quamlibet per suos effectus discurrendo detegere possumus & apertè cognoscere: sed Deus est causa Creaturarum, & cum earum existentia ita necessariam habet connexionem, ut illæ sine ipso nullatenus existere possint; hancque connexionem intellectus noster deprehendere potest: Ergo potest pariter Dei existentiam per Creaturas demonstrare. Confirmatur hæc Conclusio per omnes authoritates, & rationes quibus Conclusionem tertiam primæ Quæstionis probavimus.

Dices 1. Entis necessarii existentia, non potest certò colligi per existentiam entis contingentis: sed Deus est ens necessarium, & Creaturæ sunt contingentes: Ergo Dei existentia per Creaturas noo potest colligi.

Licet contingenter existentes. *Distinguo majorem*; Si entis contingentis existentia non habeat necessariam connexionem cum existentia entis necessarii, concedo: Si habeat, nego: Sed creaturarum existentia ita necessariam habet connexionem & dependentiam ab existentia Dei, ut si ille non existeret, hæ non essent: ac proinde hic per illas demonstrari potest.

Dices 2. Tantùm abest ut ex Creaturis Dei existentia depreheodi possit; imò illæ homines à Deo avertunt & revocant; oam Sapientiæ 14. *Creatura Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*: Ergo Dei existentia per Creaturas non potest innotescere.

Cui Sapiens non refragatur. *Respondeo* 1. Sapientem non ibi agere de quibuscumqoe Creaturis, sed de solis Idolis quæ homines sibi fabricant ex lapidibus lignis, & aliis metallis, ut postmodum ea pro Diis colant ac venerentur; præmiserat enim Sapiens hæc verba, *In Idolis Nationum non erit respectus, quoniam creaturæ Dei in odium facta sunt, &c.* Quibus ut constat invehit in Idololatras qui Creaturas in gloriam & honorem Dei conditas cedere faciunt in ejus dedecus eas Dæmonibus sacrificando. Unde subdit, *Initium omnis fornicationis est exquisitio Idolorum, &c.* quibus apertè significat se de solis idolis sermonem instituere. Nihilominus

Respondeo 2. Quòd si hæc verba de Creaturis geoeratim usurpentur, eas esse quidem in muscipulam & tentationem pedibos hominum, non quidem sapientum, sed iosipientium; eô ferè modô quô Christus Dominus in Scriptura dicitur *Positus in ruinam & resurrectionem multorum, in lapidem offensionis & petram scandali*; non quidem per se; sed ex malitia perversorum hominum, qui fuerunt rebelles lumini & illius doctrinam & gratiam respuerunt.

Conclosio Seconoa.

IV. *Dei existentia non potest demonstrari à priori.* DEI *Existentia non potest à nobis demonstrari à priori: Posset tamen demonstrari à Beatis & Angelis sub eo conceptu quem nos Viatores de ipso formamus.* Hæc est Doctoris quoad utramque partem in 1. *dist.* 2. *q.* 2. *num.* 1. Probatur *Prima pars.* Demonstratio à priori, fieri debet per causam aut rationem connectentem attributum cum subjecto: sed nihil in Deo assignari potest à oobis quod sit causa aut ratio connexionis illius existentiæ cum essentia: Ergo illa non potest à priori demonstrari.

2. Quidquid demonstratur de aliquo, debet esse extra conceptum formalem illius de quo demonstratur; alioquin idem demonstraretur de se ipso; sed existentia non est extra conceptum formalem essentiæ divinæ, cum sit de essentia Dei, ut Disputatione sequenti patebit: Ergo oon potest hæc de Deo demonstrari.

3. Omnis demonstratio à priori nititur aliqua propositione objectiva nobis per se nota, & notificativa unionis prædicati cum subjecto; sed nullam talem habemus de Deo propositionem per se, quæ possit esse notificativa unionis illius existentiæ cum essentia: Ergo nullatenus divina existentia à nobis demonstrari potest à priori.

V. *Posset tamen ita demonstrari à Beatis, quatenus Deus à nobis concipitur.* SECUNOA PARS CONCLUSIONIS satis superqoe probata est in secunda Cooclusione præcedentis Quæstionis, in qua diximus divinam existentiam, quatenus Deus concipitur à nobis, non esse per se notam; Omnes enim illi cooceptus quos de Deo formare possumus hac in mortali vita, sive absoluti sint, sive respectivi, demonstrari possunt per divinam existentiam à Beatis, qui cùm Deum intuitivè conspiciant, vident pariter divinam essentiam ipsi essentialiter competere. Ac proinde posse assumi tanquam medium ad demonstranda omnia quæ Deo intrinsecè conveniunt, sive per modum attributi, sive ut modus intrinsecus, qualiter solùm Deus à nobis conceptibilis est; siquidem noo eum concipimus sub ratione formali essentiæ: *Veraciter enim*, inquit sanctus Dionysius libro de Divinis oominibus capite 7. *dicemus nos Deum non ex ipsius natura cognoscere; id namque ignotum est, omnemque superat rationem & sensum: sed ex Creaturarum ordinatissima dispositione.* Ergo sicut animal rationale, qood est essentia hominis, assumitur tanquam medium ad demonstrandas à priori omnes hominis proprietates; Ita pariter divina existentia, cùm Deo sit essentialis, à Beatis mentibus assumi potest tanquam medium ad demonstrandos à priori omnes conceptus quos de Deo formamos, dum eum concipimus, ut ens summè necessarium, infinitum, primum omnium rerum principium, moderatorem, & finem, &c. Hæc enim omnia Deo competunt præcisè, quia Deus est, suntque veluti proprietates ab ipsius essentia emanantes, & per eam demonstrabiles.

Quæstio Quarta.

Quibus rationibus demonstrari possit Deum existere?

CUM variæ suppetant rationes quibus suaderi nedum, sed & persuaderi possit divina existentia; quarum aliquæ ex principiis Metaphysicis; nonnullæ ex Physicis, aliæ ex Moralibus solitò depromuntur; quæ inter eas efficaciores appareant, operæ prætium est hac in quæstione subjicere & aperire. Quod ut fiat efficacius; B

I. *Notandum* 1. Causas esse duplicis ordinis: aliæ enim dicuntur *Subordinantes*, idest nonnullas sub se causas continentes; Aliæ verò quæ ab eis vel à superioribus pendent, & idcirco *Subordinatæ* appellantur. Rursus causa dicitur alteri subordinari dupliciter, nimirum vel *per se*, vel *per accidens*. Causa subordinata per se ea dicitur, quæ, ut ait Doctor in 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. *num.* 11. tres sequentes habet conditiones: 1. Quòd ita dependeat à subordinante, ut sine ea nec esse nec operari queat; sic creatura dicitur subordinari Creatori. 2. Quòd habeat causalitatem diversæ rationis à causa subordinante; quia nulla causa requirit essentialiter & necessariò aliam causam quæ sit ejusdem rationis cum se ipsa, ac proinde si necessariò requirat concursum alterius causæ, hic concursus debet esse diversæ rationis. 3. Quòd omnes causæ essentialiter subordinantes debent necessariò concurrere ad effectum simul cum causa quæ subordinatur, ac proinde simul cum ea debent existere.

Causa alia Subordinãs, alia Subordinata.

Idque vel per se vel per accidens.

Triplex conditio ad subordinationem per se.

II. *Notandum* 2. ex Doctore *ibidem*; Triplex esse discrimen inter causam subordinatam *per se*, & subordinatam *per accidens*. Primò enim causa subordinata per accidens, non exigit concursum subordinantis ut agat; ignis namque productus ab alio igne, independenter ab eo potest calefacere: *Secundò*, non requirit causalitatem diversæ rationis; ignis enim producens & ignis productus possunt simul concurrere per causalitatem ejusdem rationis ad eundem effectum: *Tertiò* denique causa per accidens non exigit præsentiam causæ subordinantis; ignis siquidem productus agere potest etiam destructo igne, qui eum produxerat. Secus est de causa subordinata *per se*; hæc enim ita depender à subordinante, ut sine ipsius concursu nullatenus agere possit; & causæ subordinantis causalitas est essentialiter distincta à causalitate causæ subordinatæ. V. g. actio Solis distinguitur ab actione hominis generantis: Denique causa subordinans necessariò debet simul concurrere cum subordinata ad effectum producendum, ita quòd, defectu concursûs causæ subordinantis, causa secunda subordinata nullatenus agere possit.

Triplex discrimen inter causam subordinatam per se & per accidens.

Conclusio Prima.

PLures *sunt rationes Metaphysicæ quibus Divina demonstrari possit Existentia.* Maximè verò tres.

Primam quidem, eamque potissimam subministrat Doctor Subtilis in 1. *d.* 2. *q.* 2. *num.* 11. & sequentibus, ubi quatuor demonstrat: 1. dari aliquod ens simpliciter primum secundùm rationem *causæ efficientis*, & *causæ finalis*, & *entis supereminentis*: 2. Illud ens quod est primum, hâc A triplici primitate, esse etiam primum secundùm omnes alias primitates, nimirum primum in duratione, dignitate, imperiô, sapientiâ, potentiâ, &c. 3. Quod hæc triplex primitas, uni soli enti competere possit: 4. Quod hoc ens cui tres illæ primitates competunt, sit ipsum quod *Deum* appellamus. Quod autem detur prima *Causa Efficiens*, ex cujus admissione aliæ probationes de Existentia Dei facile colligi possunt, iam demonstrandum est.

PRIMA DEMONSTRATIO.

De Existentia Dei, Ex eo quod sit prima Causa Efficiens.

DAtur ens effectibile, seu producibile: Ergo datur ens effectivum seu productivum; ac proinde datur prima causa. Antecedens patet ipsâmet experientiâ, quâ constat res plurimas in dies produci & interire, qualia sunt præsertim viventia; *Forma enim nascendi, causa moriendi est, pendetque ab origine finis*, inquit Tertullianus: Vel ut ait libro de anima cap. 10. *Publicâ totius generis humani sententiâ mortem naturæ debitum pronuntiamus; hoc stipulata est vox Dei, hoc spopondit omne quod nascitur.* Unde Lactantius *lib.* 2. *cap.* 11. ait, *Omnia tribus temporibus constare necesse est, præterito, præsenti & futuro: præteriti est origo, præsentis substantia, futuri dissolutio*; ut compertum habemus in singulis animalibus, plantis & quibuslibet viventibus corporeis. Constat itaque plura dari entia effectibilia & producibilia; ac consequenter dari aliquod ens primò effectivum & productivum. III. C

Prima Demonstratio Existentiæ Dei ex Causa Efficiente.

Hæc consequentia probatur; Omne quod fit & producitur, aut producitur à se, aut ab alio; non producitur à se, quia, ut inquit sanctus Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 1. *Nulla omnino res est, quæ seipsam gignat ut sit:* Alioquin esset antequam esset. Cùm enim nihil fiat nisi per productionem; cùmque productio supponat rem producentem, quia quod non est, nequit operari: inde fit, quod si aliquid produceretur à se, illud esset antequam esset: Esset quidem, quia produceret: Non esset autem quia produceretur; quod enim est non fit, sed factum est: Ergo contradictionem implicat quod aliquid seipsum producere possit; ac proinde necessum est ut quidquid producitur, ab alio producatur: Sed non potest produci ab alio & alio in infinitum: Ergo sistendum erit in aliquo primo productivo, quod cætera omnia alia producat, ipsum autem à nullo alio producatur, sed à se subsistat. IV. D

Nihil potest seipsam producere.

Minor in quâ jacet tota difficultas, quamque solitò negant Athæi, probatur. Processus in infinitum, si daretur, fieret vel in Causis subordinatis per se, vel in Causis subordinatis per accidens: sed neutrô modô talis processus in infinitum fieri potest: non quidem in Causis essentialiter subordinatis, quod sic probo. E

Si daretur processus in infinitum in Causis essentialiter subordinatis, sequeretur nullam Causam posse agere, quin infinitæ numero Causæ à quibus subordinatæ dependent, simul coagerent ut dictum est in 2. *Notabili*, sicque requireretur tempus infinitum ad hoc ut fieret etiam modica quælibet actio; siquidem priusquam fieret talis actio, causa subordinata deberet determinare primam subordinantem, & hæc secundam, & V.

Non potest admitti processus in infinitum.

ſecunda tertiam & ſic in infinitum: ac proinde A non poſſet quis etiam digitum movere, v. g. niſi per infinitum tempus; quia non poſſet fieri talis inflexio digiti, quin omnes cauſæ ſubordinantes coagerent; Nec illæ poſſent coagere, niſi earum quælibet à ſubordinata determinaretur; Nec omnes ita poſſent determinari, niſi per infinitum tempus, ſi cauſæ determinandæ eſſent numerô infinitæ: Ergo ad minimam etiam actionem eliciendam, opus eſſet infinito tempore; quô certè nihil abſurdius excogitari poteſt; nihilque magis contra quotidianam experientiam, quâ conſtat nos pro libito quando & quomodo volumus poſſe operari; ac proinde dari nequit proceſſus in infinitum in cauſis eſſentialiter ſubordinatis; alioquin nulla fieri poſſet actio.

VI. *Prima Atheorum replica.*

Replicant Athei, ad actionem Cauſæ ſubordinatæ non requiri, quòd omnes cauſæ ſubordinantes numerô infinitæ comproducant; ſed ſufficere concurſum illius, quæ eſt immediatè ſubordinans reſpectu cauſæ ſubordinatæ; ita quod hæc operetur eô modô, quô nonnulli Theologi cum *Durando* aſſerunt, Deum non concurrere immediatè ad actiones omnium creaturarum ſublunarium; ſed ſolùm mediante Aſtrorum & nobilium cauſarum influxu; quod tamen non officit, quin Deus dicatur cauſa eſſentialiter ſubordinans, reſpectu omnium effectuum creatorum.

VII. *Cauſa ſubordinata nequit agere ſine concurſu ſubordinantis.*

Contra. Vel omnium cauſarum illarum ſubor- C dinantium influxus neceſſariò requiritur ad effectum & actionem cujuſlibet cauſæ ſubordinatæ: vel non. Si non: Ergo illæ cauſæ non ſunt eſſentialiter ſubordinantes; cauſa enim ſubordinans eſſentialis ea ſola dicitur, à quâ ſubordinata ita dependet, ut ſine ea nec eſſe, nec operari valeat; nihil enim aliud per cauſam eſſentialiter ſubordinantem unquam intellexerunt Philoſophi. Si requiratur: Ergo pariter opus erit tempore infinitô ut omnes illæ cauſæ ſubordinantes à ſubordinata determinari & cum ea coagere valeant.

An huic veritati obſiſtat Durandus.

Nec vim hujus argumenti frangit aut ſolvit ſententia Durandi; quamquam enim hæc vera eſſet, quæ tamen ut falſa exploditur ab omnibus ferè Theologis; nihilominus maxima diſparitas eſt D inter Deum & illas cauſas eſſentialiter ſubordinantes, ſi darentur; quia licet Deus immediatè non concurrêret cum cauſa ſubordinata, nihilominus hæc ab eo diceretur eſſentialiter dependere tum *in eſſe*, quia eſt ejus auctor & conſervator; tum *in operari*, quia hæc non agit niſi per virtutem quam à Deo recipit, & mutuatur. Omnis namque virtus & entitas creaturarum ab eo eſſentialiter pendet & emanat, qui cùm ſit ens infinitum, omnimodam entis rationem, & perfectionem continet, cæteriſque entibus eam pro nutu & arbitrio largitur; quæ omnia præfatis cauſis ſubordinantibus competere non poſſent, cùm non eſſent entitatis & perfectionis in- E finitæ.

VIII. *...cet dare ... proceſ... in infi...im; ta...n Deus conce...dus.*

Confirmatur præcedens ratio. Non poteſt admitti proceſſus in infinitum in eſſentialiter ordinatis, quin admittatur Deus. Quod ſic probat Doctor: Cauſa ſuperior ſubordinans, eſt perfectior inferiori & ſubordinata, quia eſt minùs dependens in operatione, & virtute cauſandi: Ergo cauſa in infinitum ſuperior; erit infinitè perfecta, & habebit virtutem infinitam & omnimodè independentem; id autem quod talem habet virtutem & perfectionem, eſt Deus: Ergo etiam ſi daretur proceſſus in infinitum, nihilominus Deus erit admittendus; ſicque ex negatione exiſtentiæ Dei colligitur illius affirmatio.

IX. *Secunda Atheorum replica.*

Replicant Athei, hunc diſcurſum eſſe Sophiſticum, & ex falſo ſupponente concludere: Siquidem ſupponitur in infinitudine cauſarum eſſentialiter ſubordinatarum, dari aliquam primam perfectiſſimam, & infinitè diſtantem, quod apertè falſum apparet ex ipſamet ratione infinitudinis. Quemadmodum enim licet creaturæ poſſibiles ſint infinitæ numerô, ut vulgò fatentur Theologi, non tamen niſi ſtultè quis inferret inter eas aliquam poſſe aſſignari quæ ſit infinitæ perfectionis poſſibilis: Similiter licet ex ſancto Auguſtino *lib.* 12. *de Civitate cap.* 18. numeri qui à Deo cognoſcuntur, & intelliguntur, B ſint infiniti; nullus tamen ex ipſis dici poteſt infinitus: Ergo à ſimili non videtur ſequi quod ſi daretur infinitus cauſarum numerus, aliquæ earum deberent eſſe infinitæ virtutis perfectionis.

Impugnatur.

Nego paritatem: Et ratio diſparitatis eſt, quod cauſæ ſubordinatæ cùm habeant connexionem invicem & certam dependentiam inferioris à ſuperiori, evidenter ſequitur quòd quò magis una erit ſuperior, eò minùs erit dependens, ac proinde perfectior & vegetior erit in cauſando; & conſequenter cauſa quæ in infinitum erit perfectior, etiam infinitam habebit perfectionem & virtutem omnimodè independentem; ſicque Deus erit, ſi quidem nomine Dei intelligimus illam cauſam quæ eſt infinitæ virtutis & perfectionis. Aliud verò ferendum eſt judicium de creaturis poſſibilibus & numeris infinitis, cùm enim inter ea nulla ſit connexio, nec dependentia virtutis unius ab alio; mirum non eſt, ſi ex earum infinitudine non poſſit colligi alicujus eorum infinita virtus & perfectio.

X. *Non poteſt etiam admitti proceſſus in infinitum in cauſis accidentariò ſubordinatis.*

Probatur ſecunda pars Minoris, nempe quod fieri nequeat proceſſus in infinitum in cauſis accidentariò ſubordinatis, quin admittatur Deus. Omne ens vel eſt factum, vel non factum: ſed omnia entia non ſunt facta: Ergo eſt aliquod ens non factum; hoc autem eſt Deus: Ergo datur. Major patet, quia eſſe factum, & non factum, ſunt contradictoria, & conſequenter neceſſum eſt alterutrum cuilibet enti conveniat. Minor probatur: Si omnia eſſent facta, fieri debuiſſent vel à ſe, vel ab alio: non à ſe, quia nihil ſeipſum producere poteſt, ut ſupra demonſtravimus: non etiam omnia ſunt facta ab alio: Ergo oportet ut aliqua ſint facta ab aliquo quod ſit improductum.

Probatur Minor. Si quidquid eſt, eſſet productum ab alio, ſequeretur totam collectionem entium eſſe pariter ab alia productam; talis eſt enim collectio, qualia ſunt ea ex quibus coaleſcit: ſed falſum eſt totam collectionem entium poſſe dici productam ab alio; tota enim illa collectio produceretur vel ab aliquo intra, vel extra collectionem. Non ab aliquo intra collectionem, quia quod eſt cauſa collectionis, eſt etiam cauſa omnium quæ in collectione continentur: Ergo ſi eſſet cauſa collectionis, eſſet etiam cauſa ſui ipſius, quippe cum in collectione involvatur: Sed implicat aliquid eſſe cauſam ſui ipſius: Ergo pariter implicat totam collectionem entium produci ab aliquo contento intra ſeipſam: Ergo vel tota collectio entium non eſt producta, & ſic datur aliquod ens improductum: Vel debet produci ab aliquo quod ſit extra collectionem

entium, quod implicat in terminis: Qui enim dicit *totam collectionem entium*, nullum aliud ens supponit, quod intra ipsam collectionem non involvatur; aliàs non esset omnium entium collectio. Ergo necessum est ut admittatur aliquod ens improductum & quod cætera producat; hoc autem est Deus: Ergo. Vt hoc argumentum solvant Athei, varii varia reponunt.

XI. Primum Effugium Atheorum. *Replicant enim primo*, hanc argumentationem esse vitiosam, quia procedit à distributivo ad collectivum, quod omnino Sophisticum est, sicut enim non sequitur, *Quilibet hominum est individuum naturæ humanæ: Ergo tota hominum collectio est individuum naturæ humanæ.* Ita nec sequi debet: si *quodlibet ens est productum ab alio: Ergo etiam tota collectio entium debet esse producta ab alio*; est enim paritas inter utramque illationem; ac proinde cum prior sit vitiosa, etiam & vitiosa erit posterior.

Præcluditur & solvitur. *Nego paritatem*, licet enim non valeat illatio à distributivo ad collectivum, quotiescumque prædicatum est quantitas continua vel discreta; seu quando collectio fit ex rebus ratione quantitatis quâ afficiuntur: Valet tamen, & est legitima, quando prædicatum nec est quantitas, nec se habet ad modum quantitatis. Sic v. g. etsi non liceat inferre, *Singuli homines seorsim sunt unum individuum: Ergo omnes homines collectivè sumpti sunt unum individuum*; licet tamen inferre, *singuli homines sunt rationales & albi: Ergo, tota hominum collectio est rationalis & alba*; quia *rationalitas* & *albedo* non sunt prædicata quantitativa nec se habent admodum quantitatis; *Individuum* autem & *Vnitas* cum sint principium numeri, & forment quantitatem discretam, ideo in eis non valet illatio à distributivo ad collectivum; eò quòd collectio ex prædicatis quantitativis aliquid addat toti collectioni, quod non convenit partibus, nempe numerum: *Impotentia autem essendi à se*, seu exigentia essendi ab alio in ente contingenti, non est prædicatum quantitatis continuæ vel discretæ; nec habet aliquam affinitatem cum alterutra quantitate: sed est prædicatum essentiale, entibus creatis conveniens ex intrinseca sua ratione, & ex limitatione ac imperfectione eorum essentiæ, quæ cùm sit contingens, necessariò exigit esse ab alio: Et consequenter optima est illatio, quod si quodlibet ens exigat esse ab alio, etiam & tota entium collectio ab alio esse debeat.

XII. Secundum Atheorum effugium. *Replicant secundò*, Argumentum concludere ex falso supponente; *Primò*, quia supponit dari posse collectionem omnium entium, quod falsum est, cùm sint infinita in infinitum: infinitorum autem (inquiunt) nulla potest esse collectio; quia non tot possunt concipi, quin plures adhuc sint conceptibiles: *Secundò*, quia supponit terminos *omne & totum* posse dici de infinito, quod tamen falsum esse probat Aristoteles 3. *Physic. cap.* 7. *Tertiò*, quia supponit quodlibet ens esse productum aut improductum, quod falsum est; siquidem plures etiam Theologi sustinent rerum essentias esse ab æterno secundùm aliquod esse reale diminutum: Hoc autem ut sic, nec productum est nec improductum; *Quartò* denique, supponit aliquid non posse seipsum producere, cujus contrarium apparet in *Phœnice*, qui dicitur naturaliter seipsum reproducere & ex propriis suis cineribus iterum reviviscere. Unde Tertullianus *Libro de Resurrectione carnis cap.* 13. assumit hanc naturalem historiam in confirma-

A tionem & specimen futuræ resurrectionis hominum; *Accipe*, inquit, *plenissimum atque firmissimum hujus spei specimen .... illum dico alitem orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum; qui semetipsum libenter funerans renovat, natali fine decedens atque succedens, iterum Phœnix.* De quo pariter Lactantius cecinit carmine de eodem.

Ipsa sibi proles, suus est pater & suus hæres:
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.

Præmiserat autem ibidem.

Nam perit ut vivat; se tamen ipsa creat.

Ergo hoc argumentum prorsus nullum est.

Nego antecedens simul & consequentiam. Et ad B primam ac secundam antecedentis probationem dico, esse prorsus à veritate alienum, non posse dari collectionem omnium entium, si supponantur esse numerô infinita: falsum esse pariter terminos *omne & totum*, non posse huic infinitorum entium collectioni tribui; Evidens enim est nihil esse, quòd nòn sit id totum quod est, & omne quod est; quidquid reclamet Aristoteles; Est enim evidenter impossibile, quod aliquid sit id quod est, nisi habeat illud omne per quod constituitur in suo esse: Non potest autem ita constitui, nisi sumatur collectivè, & ut est totum; nihil potest etiam esse id quod est, nisi habeat suas partes & involvat omnia ex quibus constituitur. Impugnatur, & prima eorum instantia solvitur.

C Unde quidquid est, est collectivè id totum quod est, sive interim illud finitum sit, sive infinitum; totum enim nihil est aliud quàm partes collectivè sumptæ, maximè totum per accidens; nam multitudo lapidum, v. g. sive sit infinita, sive finita, nihil est aliud quàm collectio omnium lapidum, qui hanc multitudinem efformant: Ergo non repugnat omnia entia, etiamsi non essent infinita collectivè sumi, & terminos *omne & totum* huic collectioni posse tribui. *Omne & totum* tam infinito quam finito tribui possunt.

Confirmatur. Qui dicit *omne ens*, aut *omnia entia*, vel dicit tantùm aliquod ex entibus; vel omnia prorsus entia designat. Non primum, ali- D oquin quodlibet ens esset omne ens, quod apertè falsum est. Si secundum: Ergo significat & concipit omnia entia collectivè; dicere enim & significare omnia entia collectivè, nihil aliud est, quàm significare hoc aut illud aut quodlibet aliud in infinitum, si entia sint infinita.

XIII. An infinitorum entium collectio sit possibilis? *Repones forsan*, hoc vocabulum *omne ens*, non collectivè, sed distributivè solùm posse usurpari, eò quòd omnium entium, collectio sit impossibilis, quia non tot concipiuntur, quin plura concipi possint; sicque nulla tanta concipi poterit collectio, quin multò major & amplior adhuc sit concipienda.

E *Contra*, Licet in infinita multitudine nulla sit pars ultra quam non sit alia; adeoque nulla sit ultima; falsum tamen est omnia entia non posse sumi collectivè, quia ut collectio infinita sumatur tota, non opus est ut sumatur illius pars ultima, hoc enim est impossibile, quia nulla de facto est ultima: sed sufficit quod singula illa entia simul in genere, & in universum concipiantur, & velut adunatim exprimantur per hæc vocabula *omne ens*: Cùm enim nullum ens esset in hac multitudine infinita quod verè non haberet rationem entis, sic etiam nullum esset quod his vocibus non designaretur.

Solvitur secunda instantia. *Ad secundam antecedentis probationem* dico, Essentias rerum ab æterno non posse dici me-

dias inter productionem & non productionem, verum enim est quod non sint productæ, & consequenter quod sint improductæ & quod non habeant existentiam actualem quæ per productionem acquiritur. Adde quod verum non sit eas esse reales in se ipsis, sed solùm quatenus concipiuntur ab intellectu divino & in essentia divina repræsentantur.

Solvitur tertia instantia. *Ad tertiam probationem* respondeo, primò *Phœnicis* narrationem potius videri fabulam, quàm historiam, ut affirmat Plinius *Lib.* 10. *cap.* 2. Vel dico non omnia quæ de ea feruntur esse vera, sed pleraque omnino fabulosa, ut observat Scaliger contra Cardanum.

XIV. An Phœnix existat? *Respondeo* secundò, quod etsi verum sit Phœnicem ex suis cineribus renasci: non tamen eundem numerò; sed eundem specie ut observat Tertullianus; subdit enim, *Iterum ipse: qui non jam alius idem*; quibus indicat non eum qui mortuus fuerat renasci, sed alterum ejusdem speciei.

Adde quod Tertullianus ibidem Phœnicis historiam *Parabolam divinæ operationis* appellet; ita quod Deus non solùm locutus sit parabolis, sed etiam operatus.

Nec refert quod Phœnicem assumat in specimen & probationem resurrectionis: solùm enim vult ex suppositâ veritate hujus historiæ, aliquam resurrectionis similitudinem in naturalibus adumbratam referre; similitudo autem non in omnibus vera est & semper in aliquibus claudicat. Itaque ad id solùm Phœnicis exemplum Tertullianus assumit, ut suadeat possibilem esse hominis mortui reproductionem ejusdem numeri & individui per virtutem divinam, quod inquit creditu videri non debet difficile: Si enim sola virtute naturali ex Phœnice mortuô, alius ejusdem speciei resurgat quid ni virtute divina idem homo numerò resurgere posset?

XV. Egregia Tertulliani sententia ad insinuandam resurrectionem. Hanc autem esse genuinam Tertulliani mentem apertè constat ex his quæ præmiserat, *cap.* 12. ubi ad illustrandum resurrectionis mysterium hæc habet, *Dies moritur in noctem & tenebris usquequaque sepelitur; funestatur mundi honos, omnis substantia denigratur..... & tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum Sole eadem & integra & tota universo orbi revivi scit; interficiens mortem suam noctem, rescindens sepulturam suam tenebras; hæres sibimet existens, donec & nox revivi scat cum suo & illa suggestu. Redaccenduntur enim & stellarum radii, quos matutina successio extinxerat &c.* Quibus constat illum eôdem modô loqui de Phœnicis ortu & interitu, quomodo de diei & noctis renovatione; Certum est autem diem præteritum non eundem redire, nec fugatam noctem eandem succedere, sed alteram ejusdem rationis: & consequenter Tertullianus non vult aliquid seipsum posse iterum producere. Nec etiam Lactantius: nam subdit: *ipsa quidem, sed non eadem, quia & ipsa nec ipsa est.*

Replicant tandem: quod etsi res seipsam non possit producere, ut tamen retundatur & omnino frangatur vis præcedentis argumenti, sufficit quod res naturales generatione circulari se ipsas producere possint: Ita quod vario tempore ipsa res quæ hodie aliquam producit, ab eadem post aliquot annos reproduci possit: positô enim hôc generationum circulô colligi non potest primum esse inproductum aliquod rerum omnium principium.

Contra. Hæc replica supponit fieri posse naturaliter ut res eadem numerô iterum produci possit, ac proinde quod hominis resurrectio sit naturalis; quod evidenter falsum apparet: hæc enim vires naturæ omnino superat: Unde non mirum, si Philosophi Gentiles irriserint Apostolum resurrectionem mortuorum annuntiantē.

Deinde, si filius v. g. post aliquot annos mortuum suum patrem naturaliter posset reproducere, quidni & potuisset dum adhuc viveret? Res enim existens non impedit naturalem virtutem alterius, maximè quando ei non resistit nec ponit obicem per actionem contrariam: sed pater actu existens non impedit naturalem virtutem & operationem filii: Ergo si filius habeat vim naturalem regenerandi Patrem suum, tàm poterit ipsum reprodocere dum vivit, ac quando mortuus est. Non potest dari generationum circulus. Et multò magis ipsemet Pater poterit suum reprodocere filium, qui ex consequenti incipiat esse in multis locis simul, & sit junior simul ac senior, sanus & ægrotus quæ omnia prorsus falsa sunt. *Denique*, si dari posset ille generationum circulus, & eadem res quæ aliam produxit, posset ab eadem reproduci, tunc naturalis esset regressus à privatione ad habitum, sicque cæcus amissam visionem naturaliter recipere posset, quod apertè falsum constat; ac proinde oportet res omnes productas non à se invicem circulari generatione; sed necessum est ut ab aliquo supremo rerum Opifice producantur.

SECUNDA DEMONSTRATIO

A Fine ultimo.

XVI. Finis ultimus necessariò est unicus. Datur *unicus Finis ultimus*: Ergo & Deus. Consequentia patet, siquidem nomine Dei, intelligitur primum principium, & finis ultimus rerum omnium: Probatur *antecedens*, Vel unus est finis ultimus, vel fines sunt numerò infiniti: sed fines non sunt numerò infiniti: Ergo est unus ultimus. *Major* patet: si enim nullus assignetur ultimus, necesse est ut fiunt infiniti, & innumerabiles. *Probatur minor*, Si essent infiniti fines, deberent cognosci, ut appeterentur, quia appetitus elicitus non fertur in incognitum: sed infiniti fines ab hominibus cognosci nequeunt, quia vel cognoscerentur simul, vel successivè: Sed non possent cognosci simul, quia intellectus finitus, qualis est humanus, non potest infinita numerò simul cognoscere, ut constat: quia talis est cognitio, qualis virtus cognoscitiva; hæc autem finita est & limitata sicut & hominis entitas: Ergo non potest circa infinita objecta simul occupari.

Nec pariter successivè possent cognosci; quia si essent infiniti fines, appetitus noster nusquam posset tot frui, quin multò plus adhuc remanerent fruibiles; falsum autem est appetitum nostrū nusquam posse quiescere & satiari; alioquin esset frustraneus: natura autem nihil frustra molitur. Deinde si essent infiniti fines, nullus eorum esset finis, nam ubi omnia sunt media, nullus est finis: sed si essent infiniti fines, omnes fines intermedii essent media, quia ad alium ulteriorem finem ordinarentur; & consequenter nullus eorum dici posset finis.

Confirmari potest hic discursus omnibus argumentis, quibus supra probavimus dari aliquod primum rerum omnium principium, etenim sicut tota rerum causatarum, seu actu existentium, seu possibilium collectio debet, ha

bere aliquod principium à quo fit; ita debet habere aliquem finem per quem fit, & qui existat extra illam collectionem. Cùm enim nullum sit ens causatum intra illam collectionem quod non sit causatum propter aliquem finem; sic etiam tota collectio debet esse causata propter aliquem finem; talis siquidem est collectio qualia sunt ea quæ colliguntur, ut supra probatum est; ac proinde collectio entium causatorum propter finem, debet etiam esse causata propter finem: sed non potest hæc collectio esse causata propter finem qui sit intra seipsam; aliàs ut supra dictum est, idem esset causa efficiens & finalis sui ipsius: Ergo debet esse causata propter aliquem finem, qui sit extra ordinem entium causatorum, ac proinde qui sit finis incausatus, & improductus, finis autem incausatus & improductus, est Deus: Ergo datur.

TERTIA DEMONSTRATIO,

Ab Ente perfectissimo.

XVII. Ens quô majus & perfectius excogitari non potest, existit: sed Deus est ens quò nullum majus excogitari potest: Ergo existit. *Minor* admittitur ab omnibus. *Major* probatur, *primò* quidem à S. Anselmo in *Monologio*, Ens existens, melius est, & perfectius quàm ens non existens: Ergo necessum est ut ens, quô nullum majus & perfectius cogitari potest, sit existens; si enim non existeret, posset aliquid eo perfectius cogitari, nimirum ens existens: Ergo oportet ut ens quô nihil majus cogitari potest, existat.

Id quô majus excogitari nequit, necessariò existit.

Verùm, quia, ut optimè etiam notavit S. Anselmus in *Proslogio*, reponere posset Atheus, id quidem verum esse si cogitaretur verè, secus autem si tantùm fictitiè cogitetur: ex eô enim quòd aliquis cogitat, v. g. regionem aliquam bonis omnibus refertam, quâ nulla alia ditior, & iucundior posset excogitari; non inde sequitur hanc regionem sic excogitatam existere in rerum natura: Ita à pari priùs probandum esset verè cogitari, & non fingi ens quô majus cogitari nequit, quàm inferatur illud esse; alioquin argumentum esset Sophisticum. Idcirco

Probatur eadem Major ex Doctore: Ens purum & actuale, seu actus purus, est ens quô majus cogitari nequit; quia actus purus debet involvere omnem perfectionem, alioquin non esset actus purus, sed esset in potentia ad perfectionem: atqui actus purus verè cogitatur & existit. Probo: Actus purus si non implicat necessariò existit; atqui actus purus non implicat: Ergo necessariò existit. Major patet ex terminis; Illud enim dicitur actus purus, quod nihil est nisi actus & omnem prorsus potentialitatem excludit, sed actu notum est quod esse potest: Unde si potest esse aliquid, statim necessariò est illud quod esse potest.

Actus purus necessariò existit.

Probatur Minor. Si implicaret aliquod esse ens quod sit actus purus, maximè quia esset contradictio, & verum esset dicere quod esset simul & non esset: sed talis contradictio non apparet. *Probatur.* Esse actum purum, non includit in suo conceptu esse simul & non esse; actus enim purus nihil aliud importat quàm esse ita actuale, ut omnem omninò potentialitatem excludat: Ergo tantum abest ut ille conceptus includat simul esse & non esse, imò simpliciter dicit esse, & simpliciter excludit non esse: ac proinde nulla est contradictio quod actus purus existat: Ergo necessariò existit; alioquin non esset actus purus, quippe cum potentialitatem involveret.

XVIII. *Repones forsan*, quod actus puri non existentia, in suo quidem conceptu non importet directè & formaliter contradictionem; sed consequenter tantùm: sicut à pari, qui negant infinitum, dicunt quod in conceptu infinito præcisè, non importatur quidem ulla contradictio; sed consequenter tantùm; nempe quia ex admissione infiniti plures sequantur contradictiones. Quidni ergo, inquiunt, de actu primo idem dici posset?

Implicat enim illud non existere.

Contra. Illud neque directè, neque indirectè contradictionem importat, quod neque consequenter involvit esse, & non esse; imò non esse omnino negat & excludit; sed actus purus non esse omnino negat ex sua ratione formali, quippe cùm neget omnem potentialitatem & transitum de non esse ad esse: Ergo etiam consequenter nullam contradictionem importat: Ergo non repugnat esse actum purum: Ergo necessariò est, quia actus purus est necessariò quod esse potest, alioquin non esset actus purus.

QUARTA DEMONSTRATIO,

Ab Ente necessario.

XIX. Admittendum est in rerum natura aliquod ens necessarium quod essentialiter & independenter existat; sed illud est Deus: Ergo datur. *Minor patet:* Ens enim necessarium & essentialiter existens, est à se & improductum, ac cætera producens, & consequenter Deus; nomine namque Dei, nihil aliud intelligimus. *Major*, in qua tota jacet difficultas, probatur. Si non detur aliquod ens necessarium & essentialiter existens, sequitur omnia entia quæ sunt in rerum natura, esse contingentia: sed hoc falsum est: Ergo datur aliquod ens necessarium & essentialiter existens. *Major* constat; Nam si quidquid existit, non est contingens, oportet ut vel totum sit necessarium, vel ut aliquid necessariò existat: At nemo dixerit omnia entia esse necessaria; experientiâ namque constat plurima in dies oriri & interire: Ergo necessum est ut aliquid sit necessarium.

Ens necessarium necessariò existit.

XX. *Minor probatur*; Si omnia entia, quæ sunt in rerum natura, sint contingentia, sequitur fieri potuisse ut ab æterno nullum ens existeret; Contingens enim est, quod potest esse vel non esse: sed falsum est quòd fieri potuit ut ab æterno nihil existeret: Ergo non omnia quæ sunt & fuerunt, sunt contingentia. *Probatur Minor:* Si fieri potuit ut ab æterno nihil existeret, oportuit dari aliquid per quod totum, quod fuit, determinaretur ad existendum: Ergo non potuit fieri ut ab æterno nihil existeret. *Major* certa est: quod enim est indeterminatum ad existendum, debet determinari ad existentiam ut sit. *Minor probatur:* Totum quod fuit, non potuit seipsum ab æterno determinare ad existendum; sicut si modò nihil existeret, implicaret omnino aliquid de novo determinari ad existendum: Ergo nihil fuit per quod totum illud determinaretur ad existendum.

Implicat enim omnia entia esse contingentia.

Confirmatur primò: Si potuit fieri ut nulla omnino res existeret, debet dari aliqua ratio quare

potiùs fuerit quàm non fuerit: sed nulla omninò potest dari ratio, hæc enim non potest assignari quare res potiùs fuerit determinata ad essendum quàm ad non essendum: Ergo non potuit fieri ut nulla omnino res existeret: Ergo non omnia fuerunt contingentia.

Confirmatur secundò: Contingentia non magis ab æterno potuerunt determinari ad existendum, quàm nunc, si nihil omninò existeret: sed si nunc nihil omninò existeret, implicaret ut aliquid determinaretur ad existendum: Ergo neque potuerunt ab æterno determinari; non enim potest proferri ulla disparitatis ratio.

XXI. Atheorum replica proponitur. *Replicant Athei*, Non opus esse recurrere ad aliquod ens necessarium; licet enim ens contingens possit esse, & non esse, tamen ubi est, potest aliud ens contingens producere: sicut aqua calida, v. g. licet ex natura sua non habeat calorem, tamen ubi illum obtinuit, potest ipsum in altero subjecto producere & illud calefacere: Ergo à pari, licet ens contingens non habeat esse ex se, tamen ubi illud obtinuit, potest alteri tribuere; sicque omnia entia contingentia ab altero ente contingenti vicissim potuerunt produci, ac proinde nullo opus est ente necessario.

Et explodi-tur. *Contra*: Sicut aqua quæ ex se non est calida, debet emendicare calorem ab aliquo quod sit per se, vel formaliter calidum ut ignis, vel virtualiter ut Sol; ita à simili cum ens contingens non habeat existentiam à se, necessariò debet illam accipere ab aliquo quod sit per se & necessariò existens.

XXII. Secunda eorumdem replica. *Replicant* 2. Id quidem verum esse si omnia entia contingentia essent numerô determinata; hôc enim positô deveniendum esset ad aliquod primum quod per se existeret: sed (inquiunt) entia contingentia non sunt numerô determinata, quia sunt infinita in infinitum, ac proinde cum hoc ens contingens ab altero ente contingenti, & illud iterum ab alio, & sic in infinitum productum fuerit; non opus est recurrere ad aliquod ens necessarium, à quo entia contingentia produci debeant.

Diluitur & refellitur. *Contra*: *Primò* falsum est dari processum in infinitum in causis tàm essentialiter quàm accidentariò subordinatis, ut efficaciter probatum est in prima demonstratione. *Secundò*, etiam admissa infinitudine entium contingentium, tamen oportet admittere aliquod ens à se & per se existens, à quo hæc infinita entium contingentium multitudo producta fuerit; quod sic evinco. Talis est multitudo & collectio entium contingentium, qualia sunt entia collecta: Ergo cùm entia collecta necessariò debeant esse ab alio, etiam & tota multitudo necessariò ab alio esse debet. *Antecedens patet*, à simili; quia enim singuli homines sunt rationales, singuli cygni sunt albi, & singuli corvi sunt nigri, legitimè infertur quod omnium hominum collectio sit rationalis, & cygnorum sit alba, & corvorum sit nigra: Ergo pariter verum est quod si singula entia sint contingentia & ab alio, etiam & entium collectio debet esse ab alio: Sed non potest esse ab alio ente contingente, tum quia aliàs non esset tota collectio entium contingentium, sicque esset implicantia in terminis; tum quia totum non potest produci à parte sui, alioquin ipsa pars cùm sit aliquid totius, etiam seipsam produceret, quod omnino implicat.

XXIII. Instantia precluditur. *Nec refert* quod illa multitudo entium contingentium fingatur infinita. Sicut enim candelæ extinctæ, etsi infinitæ, non magis seipsas possunt accendere & amissum lumen recipere, quàm si essent tantùm numerô finitæ: & sicut lapides quamvis essent infiniti, non magis possunt moveri sursum, quàm si essent tantùm in numero determinato, eò quòd motus sursum ipsis non cõpetat ex natura sua, sed tantùm motùs deorsum, scilicet propter ingenitam gravitatem: *Insuper*, sicut multitudo, sive finita sive infinita hominum, quorum singuli nullô exceptô sint penitus stulti, & ad omnia & singula indigentes directione ac instructione alterius, non potest se solâ esse sapiens, aut non indigens instructione ac directione alterius existentis extra totam eam collectionem, & non indigentis similiter sapientia, & directione alterius. *Denique*, sicut multitudo famelicorum, quorum nullus seorsim habeat sufficientiam illius cibi, sed quilibet indigeat accipere ab alio individuo præhabente; non potest abundare cibis aut saturari, si non subveniatur sibi ab aliquo alio existente extra totam ejusmodi collectionem & habente de suo sufficientiam ciborum, nec indigente ut accipiat ab alio; sive interim ea multitudo sit finita sive sit infinita; quis enim in animum sibi inducat subventum esse toti hujusmodi indigentiæ singulorum, præcisè quia aucta est in infinitum multitudo indigentium, factusque est regressus infinitus ab ultimo indigente in alium, atque alium, ita quòd unusquisque indigentium egeat altero subveniente in infinitum? — variis exemplis. — An sit admittenda circulatio generationum.

Sic à pari nemo, nisi à ratione prorsus alienus asserere poterit, entium contingentium multitudinem, quorum singula postulant ab alio produci, non egere aliquo producẽte, quia scilicet illa multitudo crevit in infinitum: Ergo necessum est admittatur aliquod ens necessarium quod per se & essentialiter existat, sitque aliorum entium productivum: ac proinde quod admittatur Deus: siquidem nomine DEI nihil aliud intelligimus, quàm ens necessariò existens, quod habeat esse à se, & cætera producat. Aliæ sunt Demonstrationes; sed vel insufficientes, vel ad has facilè reduci possunt. Itaque sit

CONCLUSIO SECUNDA.

XXIV. Triplex argumentum Physicum ad demonstrandam Dei existẽtiam.

VARIUM, *sed potissimum triplex argumentum Physica subministrat ad probandam Dei existentiam.* Primum quidem deducitur ex universa mundi fabrica: Secundum ex præcipuis illius partibus: Tertium ex illius synopsi, homine scilicet, qui idcirco Mycrocosmos à Græcis, & à Latinis mundus compendiatus appellatur.

Primum ex mira mundi fabrica. Primum inquam deducitur ex mirabili & artificiosa mundi fabrica, dispositione, pulchritudine, & vario ac eleganti ornatu: nam ut disertè observat Durandus in proœmio libri Sententiarum, *Triplex est liber in quo Deus seipsum velut exaravit & inscripsit*; *Primus* est liber Creaturarum mundi; *Secundus*, Prophetarum & veteris Testamenti: *Tertius*, Evangelistarum & novæ Legis scriptorum. Primum præbuit Philosophis legendum, dicente sancto Paulo ad Romanos primò: *Invisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus & divinitas*: Unde creaturæ dicuntur à Trismegisto, *Divinitatis radii*: à Platone, *Deitatis speculum*: à Salomone, *Creatoris species & imagines*: à Davide, divini sui opificis *voces & oracula*, nulla enim est tam elinguis quæ tacito sermone non pronunciet: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*.

XXV. *Secundum librum* præbuit Judæis, dicente Ecclesiastico cap. 39. *Occulta Proverbiorum exquiret sapiens & in Prophetis vacabit, &c.* Tertium verò obtulit Christianis & fidelibus; dicente S. Paulo ad Romanos cap. 15. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Unde sicut Christiani, omnes supernaturales veritates ex Evangelicis scripturis facilè possunt depromere; sicut Judæi ex veteri testamento & Prophetarum oraculis repromissas sibi divinitùs benedictiones, divinumque Numen colendum & supremum cultum Deo exhibendum intelligere potuerunt: Sic pariter Philosophi ex creaturis Dei existentiam perfectionesque facilè possunt deprehendere; *A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit eorum Creator videri,* inquit Sapiens cap. 13. Unde Lactantius lib. 1. cap. 3. *Quis, nisi totaliter cæcus & ratione privatus, hanc vastissimam molem tot cœlis, tot elementis, totque aliis corporibus compaginatam, ab aliquo præstantissimo, & divino Opifice constructam non judicet? Qui terram stabili firmitate suspendit, qui cœlum distinxit astris fulgentibus, qui Solem rebus humanis clarissimum ac singulare lumen in argumentum suæ unicæ majestatis accendit, &c.* Ergo ex mundi libro divina constat existentia.

Triplex est Divinitatis liber.

Eximia sententia Lactantii.

XXVI. *Replicabis* forsan cum *Hermogene* & nonnullis Atheis, hæc omnia ex Hile seu materiæ primæ sinu spontanea eruptione prodiisse.

Atheorum replica.

Verùm quid ineptius, materiam primam entium minimum, imperfectissimum ac propè purum nihil, omnibus mutationibus subjectum, omnibus agentibus naturalibus subserviens, à se inops, atque omninò informe, & omnem suam perfectionem ab aliis emendicans, fuisse ab æterno à se ipso, ab omni causa independens, & cæterorum entium producendorum fœcunditate donatum? Quid à veritate magis alienum, tribuere summam perfectionem, qualis est necessitas essendi à se, enti tam exiguo, & imperfecto, eam verò denegare Causæ alicui efficienti & omnium opifici?

Impugnatur & exploditur materia prima à ratione primi rerum omnium principii.

Adde quod si materia prima esset à se, cùm nullam ex se habeat formam determinatam, sed omninò sit indifferens ad omnes formas, si nulla fuisset causa efficiens in rerum primordio, per quid quæso illa materia ad vnam formam potius quàm ad aliam fuisse determinata?

Insuper si ad primarum formarum è sinu materiæ eductionem nullo agente fuit opus; cur modo agente opus est in singulis ac quotidianis generationibus? Cur à materia informata aquæ forma, ignis non erumpit? Cur homo ex saxo durissimo suam non trahit originem? Denique omnes Philosophi fatentur, quód quando in rerum natura datur unum extremorum, etiam dari debet & aliud: Ergo si detur materia quæ sit pura potentia ab æterno ut fingunt Athei, etiam ab æterno dari debet aliquid quod sit actus purus: id autem Deus est rerum omnium artifex: Ergo datur.

XXVII. *Replicant* Athei cum Democrito, omnem prorsus coaluisse naturam ex Atomorum in vastissimo nihili sinu sese moventium occursu & coagulatione.

Impugnantur etiam Atomi Democriti.

Verùm, inquit Minutius Fœlix, Democritus ipse nonne plerumque naturam, quæ rerum imagines fundit, & intelligentiam Deum loquitur, ac proinde ipsemet Democritus Deum admittit suarum atomorum opificem, ac compaginatorem. Insuper si ex hac atomorum revolutione & coagulatione cuncta fuerunt congesta & ordinata, cur simili modo ligna, cæmenta, lapides, & cætera ad ædificium necessaria ab aliquo altissimo monte in vallem demissa & simul volventia, ac in revolutione sibi inuicem cæmento coagulata, ordinatum ac magnificum Palatium non struunt & efformant? Denique cur modò non fit similis illa atomorum revolutio ad alicujus novi entis formationem? An exhausta est atomorum illarum fœcunditas? An gluten deficit quô invicem cohæreant?

Hoc argumentum mirè torquet Lactantius lib. 1. de ira Dei cap. 10. *Quis, inquit, artifex potuit aut cor hominis, aut vocem, aut ipsam fabricare sapientiam? Quisquam ne igitur sanus existimat quod homo ratione & consilio facere non possit, id concursu atomorum sparsim cohærentium perfici potuisse? .... Quô igitur consilio, quâ ratione de confuso acervo se atomi congregaverunt, ut ex aliis inferiùs terra conglobarentur, cœlum desuper tenderetur, tantâ syderum varietate distinctum, ut nihil unquam excogitari possit ornatius? Tanta ergo qui videat, & talia potest existimare nullô effecta esse consiliô, nullâ convenientiâ, nulla ratione divina: sed ex atomis subtilibus & exiguis concreta esse tanta miracula? Nonne prodigio simile est aut natum esse hominem qui hæc diceret, aut extitisse qui crederent?*

Replicant denique Cæteri, hæc omnia quidem formata fuisse, sed à casu.

Verùm, inquit, Seneca lib. 1. quæstionum naturalium in præfatione: *Quis adeò rationis expers, ut hoc, quô neque formosius quidquam, nec dispositius, nec in proposito constantius, existimet fortuitum, & casu volubile & non à suprema aliqua Ratione ordinatum?* Nam, ut loquitur Trismegistus in Pimandro *Cum statuam absque fabro & pictore fieri nullus asserere audeat; miram hujus mundi constitutionem sine Conditore constitisse putabimus?* Cui concinit sanctus Chrysostomus in hunc versum Psal. 13. *Dixit insipiens* &c. *Non est fundamentum,* inquit: *Ergo quomodo stat ædificium? Non est ædificator, quomodo Domus facta est? Non est architectus & quis urbem condidit? Non est musicus, & quomodo in mundi lira apparet concentus?* Eodem argumento utitur sanctus Gregorius Nazianzenus oratione secunda de Theologia, proferens exemplum cytaræ cujus concentum cùm audimus, certò compertũ habemus eam pulsari à perfectissimo quodam artifice. XXVIII.

Et casus cæterorum Atheorum.

Unde concludit S. Augustinus lib. 10. confessionum & 11. de Civitate cap. 4. *Mundus iste ordinatissimâ suâ mutabilitate & mobilitate & visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter pulchro fieri se potuisse, proclamat.* Hinc apposité Trismegistus dicit mundum hunc esse librum Divinitate plenum, & speculum divinorum, in quo diuini esse splendidissima fulget imago; quot enim in mundo creaturæ conspiciuntur, tot sunt Divinitatis vestigia, tot imagines, tot divini sui Artificis præcones; nulla siquidem est tam elinguis, quæ tacito sermone non eructet, *Ipse fecit nos & non ipsa nos.*

Eximia Trismegesti sententia.

Secundum Argumentum petitur ex corpore cœlesti totius mundialis machinæ parte nobilissima. Nam, inquit Regius vates Psal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Quæ verba S. Chrysostomus exponens homilia 9. ad populum, ait, *Quomodo enarrant gloriam Dei? Dic mihi. Vocem non habent* XXIX.

Secundum Argumentum Physicum.

Egregium S. Chrysostomi dictum.

habene, os non possident, illis non est lingua, quomodo igitur narrans? Per ipsum aspectum. Cùm enim vides pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, formam per tantum corpus permeare, tanquam vocem audiens & ad aspectum discens, adoras eum qui tam pulchrum & admirabile corpus creavit. Tacet cœlum, sed ipsius aspectus vocem tubâ clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docens. Unde idem Regius Psaltes alludens ad morem Antiquorum, qui ex pellibus libros conficiebant, ait Psalmo 103. *Extendens cœlum sicut pellem*, idest sicut librum apertum, in quo Divinitatis authoritas, dignitas, & potentia legitur, juxta illud Isaiæ 34. *Complicabuntur sicut liber cœli.*

Cœli sunt libri Deitatis.

Hinc S. Prosper, libro 2. de Vocatione Gentium cap. 1. *Ante sacras litteras in testimonium Domino deseruivit Orbis, & inenarrabilis Cœlorum pulchritudo, per quam hominibus quadam tabula prebebantur, ut veluti in paginis elementorum & voluminibus temporum Divina institutionis doctrina legeretur. Cœlum ergo cunctaque cælestia consono speciei suæ ordinationisque concentu protestantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua majestatem sui loquuntur Authoris.*

Elegans S. Prosperi sententia.

Unde concludit Minutius Fœlix in Octavio, *Quid potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum cùm oculos in Cœlum sustuleris, & quæ sunt infra citraque lustraveris, quàm esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quò omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur. Cœlum ipsum vide quàm latè tenditur, quàm rapidè volvitur, vel quòd in noctem astris distinguitur; vel quòd in diem Sole lustratur; iam scies quòd sit in eo summi Moderatoris mira & divina libratio.... Quid cùm ordo temporum & frugum stabili varietate distinguitur, nonne Authorem suum Parentemque testatur? Ver aquè cùm suis floribus, & æstas cùm suis messibus & autumni maturitas grata, & hiberna olivitas necessaria, qui ordo facilè turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Iam providentia quanta est, ne Hyems sola glacie ureret, aut sola Æstas ardore torreret, Autumni & Veris inserere medium temperamentum?*

Et Minutii Fœlicis ad probandam Dei existentiam ex mundi fabrica.

XXX. Tertium denique Argumentum colligitur ex ipso Homine; nam ut prosequitur Minucius Fœlix, *Ipsa præcipuè forma nostræ pulchritudo Deum fatetur artificem: Status rigdus, vultus erectus, oculi in summo velut in specula constituti, & omnes cæteri sensus velut in arce compositi. Longum est ire per singula: Nihil in homine membrorum est, quod non & necessitatis causa sit & decoris. Et quod magis mirum est, eadem figura omnibus: sed quædam unicuique lineamenta deflexa. Sic & similes universi videmur, & inter se singuli dissimiles invenimur.* Similia passim habent alii sancti Patres & graviores quique Philosophi etiam apud Idololatras degentes, qoi ex miranda hominis structura summaoi Divini artificis prudentiam & sapieotiam agnoverunt: ut videre est apud Lessium libro 1. de Providentia Numinis *numerò* 64. Quo etiam argumento utebatur olim invictissima septem Machabæorum mater, quæ 2. Machab. cap. 7. Filios compellens ait; *Nescio qualiter in utero meo apparuistis, neque enim ego spiritum & animam dedi vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed mundi Creator qui formavit hominis nativitatem.* Unde meritò Psaltes Regius Psal. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi:* Et Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me:* Nihil ergo magis divinam Potentiam infinitamque ejus Sapientiam commendat, quàm miranda hominis fabrica.

Tertium Argumentum Physicum ex hominis constitutione.

...uæ Deum ...tificem ...noscit.

Conclusio Tertia.

XXXI. Plurimæ *sunt rationes Morales quibus Dei existentia suadetur: Præcipua verò sunt quinque sequentes.*

Prima ratio moralis Dei probans existentiam.

Primò, Quòd non possit abradi à conscientia hominum etiam sceleratissimorum, Dei timor ad fulmina nedom & tonitrua: sed & ad cujuslibet rei nocivæ & adversantis occursum, ut manifestè Iob testatur cap. 15. ubi de impio ait, *Tetendit adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est, cucurrit adversus eum erecto collo & pingui cervice armatus est. Verumtamen sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Unde cùm Tertulliano libro de Testimonio Animæ concludere licet: *Hinc ergo tibi anima de conscientia suppetit domi ac foris, nullo irridente vel prohibente prædicare, Deus vides omnia & Deo commendo, & Deus reddet, & Deus inter nos judicabit: Vnde hoc tibi non Christiana?*

Ex Conscientiæ dictamine.

XXXII. *Secundò.* Apertæ insaniæ & impudentissimæ temeritatis est aliquid contra totius orbis consensum velle tueri: sed qui negat Deum esse, id affirmat reclamante universo hominum cœtu; siquidem una est gentium omnium etiam efferatissimarum alicujus Divinitatis veneratio & confessio. Unde Lactantius lib. 3. cap. 10. ex Cicerone, *Nullum est animal, præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei; ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ alicujus Religionis sensum non habeat.* Hinc Plato in Protagoram apud Marcilium Ficinom, *lib. 14. de Immortalitate cap. 9.* maximum vult esse nostræ Divinitatis indicium, quod soli nos tanquam sortis divinæ participes, ob cognationem quamdam, Deum agnoscimus, & cupimus tanquam Authorem, invocamus & amamus ut Patrem, ut Regem veneramur, timemus ut Dominum. An non ergo maxima est arrogantia & amentia, ob leves aliquas argutias Dei existentiam in dubium revocare, quàm Creaturæ prædicant, omnes homines venerantur, testatur orbis universus?

Secunda ex universali Hominum cōsensione.

XXXIII. *Tertiò:* Quod ex negatione supremi Numinis virtutis pereat præmium, pietas omnis extinguatur, & ad exercenda quæque vitia improbis laxentur habenæ: Quid enim non molietur hominum vesana libido? Quid malitia non attentabit, si nullus timeatur criminum vindex, occultorum scelerum nullus appareat ultor? Unde cùm David dixisset insipientes in corde suo Deum ejurasse, statim subdit, *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis, &c.* Ex quibus sic argumentor: Illa doctrina quæ vitiis ac flagitiis, etiam tetrioribus committendis viam aperit, exquisitissimis quibusque suppliciis est eliminanda: sed ea quæ negat Deum esse, talis est. *Major* est certa. *Minor* probatur. Nihil tam à flagitiis, & facinoribus committendis homines revocat, quàm ultio atque vindicta, quæ cogitatur sumenda de his si committantur; etenim

Tertia ex nefaria Atheorum vita.

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ:

Ergo nihil magis aditum aperit criminibus, quàm doctrina, ex qua sequitur neminem esse criminum ultorem: sed ex ea quæ negat Deum esse, sequitur neminem esse flagitiorum & facinorum ultorem: Ergo doctrina quæ negat Deum esse, aperit viam omnibus flagitiis & facinoribus. Subsumptum probatur, Duo tantùm cogitari possunt scelerum ultores; homo & Deus: atqui homo non potest esse scelerum ultor: Ergo superest ut sit Deus: Ergo si non detur Deus, sequitur nullum esse criminum ultorem ac vindicem. Major perspicua est.

Quarta ex necessario criminum vindice.

Minor probatur: Homo ultor criminum dumtaxat esse potest per patibula & similia tormenta temporalia, quæ infert potestas humana: At non sufficit ut dicatur dari criminum ultor at vindex. Quod sic probo. Ultor criminum, est qui de omnibus criminibus à quocunque committantur vindictam sumere potest & debet; nam si de quibusdā tantùm criminibus vindictam sumat, non erit simpliciter criminum ultor dicendus: sed tantùm quorumdam criminum: Et si non possit sumere vindictam de criminibus etiam à quovis genere hominum committendis, simpliciter quoque criminis ultor dicendus non erit. Atqui nec de quibusvis criminibus homo vindictam sumere potest, eò quòd multa crimina sint occulta; quis enim punire potest tot fornicationes, adulteria, homicidia, detractiones, rapinas, odia occulta, cæteraque id genus? Nec ex quibuslibet hominibus, qui crimina commiserint, potest quoque homo vindictam sumere. Nam licet ab homine sumi possit vindicta de crimine publico ab aliquo Plebeio perpetrato; non ita si à Potente aut Principe fuerit perpetratum: Ergo ex ea Doctrina quæ negat Deum esse, sequitur nullum esse omnium criminum ultorem.

XXXIV. *Replicant Athei:* Equidem ritè inferri ex eô quòd Deus admittatur, etiam admittendum esse criminis ultorem; sed hunc ultorem confictum & excogitatum fuisse à Principibus & Rectoribus populorum, ut eos hac arte in officio continerent.

Atheorum replica.

Contra 1. Si ita temerè excogitatus fuit ille criminum vindex: Ergo in rei veritate nemo est quem homines timere debeant, & cujus metu à perpetrandis quibusque criminibus valeant revocari: Quòd si ita est, sequitur tàm Principes quàm Plebeïos homines tutò ruere posse in atrociora quæque occulta crimina, & vitiis omnibus laxare habenas. Quô fit ut homines, non modò brutis pecudibus nihil excellent; sed & erunt multis partibus longè miseriores, utpote qui, quod malorum formis obnoxii, tumultuariam & irrequietam vitam perpetuò trahent; nam quid non timebunt ab homine plerumque feris ferociore?

Solvitur & impugnatur.

Secundò: Replicæ hujus mendacium & insaniam aperit ipse hominum veluti medullis infixus de criminum ultore timor, quô fit ut ipsi impiissimi ab ejus metu nullô modô sese unquam extricare potuerint; quod ex ipso *Caligula* constat, quô ut nemo insolentiùs negavit scelerum ultorem Deum; ita nemo trepidavit miseriùs ad ejus vindictam & fulmina. Constat & experientiâ perditissimorum illorum hominum, qui cùm omnem pietatem & religionem exuant, ita suorum criminum

A furiis & conscientiæ stimulis dirè vexantur, ut *trepident timore ubi non est timor.*

Adde quod si nullus Deus existeret, nullum pariter foret præmium virtutis & pietatis; quotidianâ namque experientiâ constat, viros probos in hac mortali vita variis tentationibus jactari, urgeri molestiis, doloribus cruciari, vexari angustiis, & ab impiis hominibus irrideri, contemni, & affligi; impios verò è contra honorum culmen ascendere, ingentes cumulare opes, abundare thesauris, amicis, clientibus, & summis laudibus celebrari, etiam cùm jura divina & humana violaverint: Ergo cùm Davide B Psalmo 57. meritò concludendum est, *Si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra,*

Quinta ex virtutis præmio.

Quæstio Quinta.

An & quomodo probari possit unicum esse Deum?

I. Tanta est Polytheismi cum Atheismo affinitas & connexio, ut plurium Deorum affirmatio, unius veri Dei sit omnimoda negatio. Imò longè minùs piaculum Tertulliano videtur, Deum omnino negare, quàm C multiplicare. *Deus enim*, inquit, librô primô contra Marcionem; *si non unus est, non est; quia credimus non esse, quodcumque ita non fuerit, ut esse debebit.* Hinc suum librum de *Idololatria* his verbis orditur, *Principale crimen generis humani, summus sæculi reatus, tota causa judicii Idololatria est.* Ideo post debellatum *Atheismum*, operæ pretium est, etiam ut *Idololatriam* expugnemus; ac ratione naturali Deorum pluralitatem omnino impossibilem esse demonstremus.

Idololatria criminum omnium est maximum.

II. *Notandum est* 1. Dæmonem esse omnis Idololatriæ parentem & artificem; quippequi eam in cœlestem terrestremque Paradisum, & inde in universum terrarum orbem inducere tentaverit. D Vix enim formatus fuerat ille Divinitatis æmulus, cùm fieri voluit similis altissimo; in Cœlum Deitatis ascendere, & super astra solium suæ Pseudo-Divinæ majestatis exaltare. Vix etiam diem salutaverant primi hominum Genitores, cùm ille malitiæ, ac versutiæ artifex ipsos ad Idololatriam sollicitavit; dicens, *Eritis sicut Dii:* Vix tandem homines è jugulatricibus diluvii aquis superstites, terram iterum colere, ac humanum pene extinctum genus suscitare cœperant; quum eis Dæmon plurium Deorum cultum suasit, ut hominem à cogitatione & cognitione veræ Divinitatis auerteret; ipseque, sub falso Idolorum nomine, inania quædam Oracu- E la proferens, divinos aucuparetur honores. Unde appositè Tertullianus cap. 22. Apologet. *Æmulatur divinitatē, dum furantur divinationē.*

Cujus Dæmon est parens: eam enim in Cœlum, Paradisum, & Mundum inducere tentavit.

III. *Notandum* 2. Tantam fuisse Gentilium cæcitatem & amentiam, ut innumerabilem penè Deorum multitudinem adoraverint. Nam ut refert Eusebius libro 5. præparationis Evangelicæ cap. 15. *Triginta Deorum millia in terra esse censuit Hesiodus*; Hinc S. Augustinus librô 4. de Civitate Dei, cap. 8. *Quomodo* (inquit) *possent unô locô libri hujus commemorari omnia nomina Deorum aut Dearum, quæ illi grandibus voluminibus vix comprehendere potuerunt, singulis rebus propria dispertientes officia Numinum?*

Quàm ingentem Deorum multitudinem Gentiles induxerint.

Et paucis interpositis referens duodecim Deos, quos statuerant pro unica arista servanda & fovenda, ait: *Præfecerunt ergo* Proserpinam *frumentis; germinantibus geniculis nodisque culmorum Deum* Nodotum: *involumentis folliculorum, Deam* Volutinam; *cùm folliculi patescunt ut spica exeat, Deam* Patelinam: *cùm segetes novis aristis æquantur, quia veteres pro æquare hostire dixerunt, Deam* Hostilinam: *florentibus frumentis, Deam* Floram; *lactescentibus, Deum* Lacturnum; *maturescentibus Deam* Maturam, *cùm runcantur id est à terra auferuntur, Deam* Runcinam. *Nec omnia commemoro, quia me piget quod illos non pudet.* At quantùm pudere debuisset homines ratione præditos, colere, & veluti Deos adorare, invocare, timere, alios nedum homines mortales, & in omnibus sibi similes: Sed etiam febrim, pestem, pallorem, & alias infirmitates, & clades, quæ (inquit idem S. Augustinus ibidem cap. 23.) *Non erant Numina colendorum: sed crimina colentium.* Imò & venerari, ac pro Diis habere stupida quæque ac infesta animantia; etiam & plantas exiguas, veluti porrum, cæpe, quæ & Ægyptii pro Diis habebant, & ita venerabantur, ut ea nec frangere, nec manducare auderent. De quibus lepidè scribit Juvenalis Satyra 15.

Sed quàm insanam & indignam.

Coluerunt enim serpentes, & exiguas plantas.

Quis nescit Volusi Bitynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat....
Porrum & cæpe nefas violare ac frangere morsu.
O sanctas gentes! quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.

IV.

Notandum 3. Quod etsi Evangelico irridiante fulgore omnis hic idololatriæ error depulsus fuerit, juxta illud Isaiæ vaticinium cap. 2. *Elevabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur.* Ad ipsius enim splendidissimi justitiæ Solis ortum, superstitionis densa caligo minui cœpit, & ex tunc antiquas tenebrarum sedes Dæmon ipse repetens, & perpetuum in Oraculo Delphico cæterisque silentium futurum prænuntians, ab eo discedens, ait:

Me puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub Orcum.

Hæretici etiam Deorum pluralitatem induxerunt.

Nihilominus nonnulli è Christianis, infames quidam eruperunt Hæretici, qui Deorum pluralitatem induxerunt; siquidem Manichæi, Cerdoniani, Gnostici, & Marcionistæ duos statuerunt Deos; Bonum unum, Malum alterum: Unde Tertullianus loquens de Marcione lib. 1. quem in eum scripsit cap. 2. *Duos*, inquit, *Ponticus Deos affert tanquam symplegadas naufragii sui: Vnum quem negare non potuit, id est Creatorem, & nostrum; & Alterum quem probare non poterit, id est suum.* Et cap. 5. loquens de Valentino Hæresiarcha, ait, *Honestior & liberalior Valentinus, qui simul ausus est duos concipere,* Bythium & Sygen, *cum usque ad triginta Æonum fœtus, tamquam Æonia scropha, examen divinitatis effudit.* Itaque nedum adversus Idololatras, sed etiam contra Hæreticos unitas Deitatis est demonstranda rationibus, tùm naturalibus, tùm moralibus.

Nam Manichæi & Marcionitæ duos, unum Bonum, alterú Malum.

Valentiniani triginta Deos esse affirmabát.

Conclusio Prima.

Deus *ita necessariò est Vnicus, ut sit omninò impossibile plures esse Deos.* Hanc conclusionem probat Doctor Subtilis *in* 1. *dist.* 2. *q.* 3. septem rationibus naturalibus; quarum *Prima* repetitur ex infinito intellectu; *Secunda*, ex infinita voluntate: *Tertia* ex infinita bonitate: *Quarta* ex infinita potentia: *Quinta*, ex ipsamet ratione infinitatis; *Sexta*, ex necessaria existentia: *Septima* ex omnipotentia; quas omnes brevitatis & claritatis causa ad tria capita censui esse reducendas: nimirum ad divinam entitatem, operationem, & dignitatem, ex quibus velut ex triplici luminis fonte, Divinitatis unitas evincitur, ac quantùm fieri potest demonstratur.

V.

Vnicum esse Deum probatur ex Deïtatis natura.

Primò quidem sic. Quod est essentialiter singulare, est unicum: sed Deus est essentialiter singularis: Ergo est unicus. Major patet, singularitas enim formaliter importat secum negationem communicabilitatis & multiplicabilitatis in plura numerô distincta: Unde fatentur omnes Philosophi, quod si natura humana v. g. ex essentialibus suis principiis esset singularis, in unico solùm individuo posset reperiri. *Minor* probatur. Quod est essentialiter existens, est essentialiter singulare: sed Deus est essentialiter existens: Ergo est singularis. *Minor* patet, Siquidem Dei nomen nihil aliud sonat, quàm ens per essentiam & à se ita necessariò existens, ut impossibile sit illud non existere. *Major* etiam est evidens, siquidem existentia est tantùm rei singularis; est enim ultimus rei gradus, ultimumque illius complementum: Unde meritò docet Aristoteles, naturas communes, sive genericas, sive specificas, non habere existentiam nisi in singularibus quibus conveniunt, & de quibus prædicantur: Ergo necessum est, quod si Deus sit essentialiter existens, etiam essentialiter sit singularis: ac proinde omnimodè in plures Deos immultiplicabilis: & consequenter Deus necessariò est unicus.

Quæ cum sit essentialiter singularis, necessariò est unica.

Confirmatur. Si Deitas posset multiplicari, essent infiniti Dii; sed non sunt infiniti Dii: Ergo Deitas nequit multiplicari. *Minor* patet, nullus enim Polytheorum hactenus asseruit infinitam Deorum catervam: Quia cum Deus sit à nobis colendus, nec possimus infinitos colere per limitatas, ac finitas nostras operationes; si essent infiniti, sequeretur innumeros Deos omni prorsus cultu ac veneratione destitui, ac penitus à Deorum consortio apud nos ablegari.

Alioquin infiniti essent Dii.

VI.

Unde *Octavius* apud Minutium Fœlicem Deorum procreationem, & generationem lepidè arguens ait: *Cur si nati sunt Dii, non hodieque nascuntur? Nisi fortè Iupiter senuit, & partus in Iunone defecit, & Minerva canuit antequam peperit: Et ideo cessavit ista generatio, quia nulla fabulis ejusmodi præbebatur assensio? Cæterùm si Dii creari possent, & interire non possent, plures totis hominibus Deos haberemus, ut iam eos nec Cœlum contineret, nec aër caperet, nec terra sustineret.*

Lepidem Minutii argumentum contra Deorum pluralitatem.

Majorem probat Doctor citatus *num.* 5. Omnis essentia multiplicabilis, & in individuis plurificabilis, non determinatur ex se ad certum numerum individuorum: sed quâ ratione potest esse in duobus, eâdem potest esse in quatuor, in centum, in mille, & sic usque in infinitum; ut patet de natura humana, quæ posset esse in infinitis hominibus, si darentur: Ergo si natura divina possit esse in pluribus individuis, poterit esse in infinitis. Cur enim potius sisteret illius communicatio in uno numerô, verbi gratia in centenario, quàm in millenario, & sic de cæteris? Insuper, cur natura

quælibet creata poterit esse capax multiplicationis & plurificationis in infinitum, & divina non poterit? Ergo si possint esse plures Dii, poterunt esse infiniti: Atqui si possent esse infiniti, de facto & actu existerent, quia cum Deus sit ens summè necesse esse, quidquid potest esse, de facto est: Sed non sunt infiniti Dii existentes: Ergo nec esse possunt: Ergo nec possunt esse plures: Ergo est tantùm unicus. Hanc rationem maximè convincentem censet Maironius in primum dist. 2. quæst. 4. Attamen contra eam

Natura communis non determinatur ex se ad certū numerum individuorum.

VII. *Replicant* Polythei, ut hujus rationis vim frangant, illas consequentias nullas esse, sicut à simili nullæ sunt hæ illationes: Natura humana non est determinata de facto ad certum numerū hominum: Ergo de facto possunt esse infiniti homines actu existentes. 2. Faber ferrarius non est de facto determinatus ad faciendum unum cultellum: Ergo poterit facere infinitos. 3. Non sum determinatus ad portandum pondus trium aut quatuor librarum: Ergo possum portare infinitas ponderis libras. 4. Pater in Divinis non est determinatus ad producendum unicum suppositum divinum: Ergo poterit producere infinita numerò supposita divina. At certum est has quatuor consequentias esse falsas: Ergo etiam falsa erit sequela nostræ probationis, quâ inferebamus, quòd si natura divina non sit necessario determinata ad unicum individuum, sed sit multiplicabilis in plura, poterit multiplicari in infinita; sicque possent esse infiniti Dii.

Impugnatur præcedens ratio quatuor instantiis à Maironio.

Respondet Maironius noster ad primum, quod licet equidem natura humana & quælibet alia non sit ex se determinata ad certum numerum individuorum; alioquin Deus non posset mundum perpetuare quandiu & quantùm vellet, quippe qui præter determinatum hominum numerum, alios non posset producere; illa tamen est determinata ab extrinseco, scilicet à voluntate divina, quæ tot homines & non plures producere statuit. Si autem divina natura ex se posset multiplicari; à nullo extrinseco illius multiplicatio limitari posset, ac consequenter tot essent illius individua, quot esse possent; quia cum Deus sit ens necesse esse, in eo esse & posse idem sunt.

Quæ omnes ab eodē solvuntur.

Ad secundum, Dicit quod faber determinatur à materiæ & vitæ brevitate; quod si viveret in æternum & haberet ferrum infinitum, infinitos posset facere cultellos.

Ad tertium Dicit repugnantiam illam respectu portandi ponderis infiniti, repeti non ex parte infinitatis, sed ex parte simultatis; nam successivè possem portare infinitas libras ponderis, si nempè infinitos dies viverem, & diebus singulis unam libram portarem: sed non possem eas infinitas portare simul, nisi infinitam vim mihi Deus inderet.

VIII. *Ad quartum*, Distinguit antecedens, Patet in divinis non est determinatus ad unicum suppositum ejusdem rationis, & per eandem facultatem & operationem producendum, negat: per diversas facultates & operationes producendum, concedit; determinatur enim ad producendum suppositum Filii per dictionem intellectus, & ad producendum suppositum Spiritus sancti per spirationem voluntatis. Unde non sequitur quod possit infinita divina supposita producere; id quidem sequeretur si esset indeterminatus ad producenda duo supposita ejusdem rationis per eandem facultatem & operationem; v. g. duos Filios divinos aut duos Spiritus sanctos, quia qua ratione Deus posset duos producere, etiam & infinitos posset. Sicut legitimè sequitur, quod si natura divina esset communicabilis duobus individuis divinis, etiam & mille & infinitis esset communicabilis; quia eadem est ratio de communicatione infinitis, ac duobus; cùm hæc communicatio à nullo extrinseco posset limitari & determinari ad certum numerum potius quàm ad alium: proindeque stat firmitas & robur præfatæ rationis.

Quomodo Pater divinus determinetur solùm ad duo Supposita producenda.

Secunda ratio petitur ex infinita operandi virtute, cum autem in Deo triplex supponatur operatio; nimirum *Omnipotentiæ*, quâ producit omnia; *Intelligentiæ*, quâ se & alia cognoscit, & *Voluntatis*, quâ seipsum & omnia alia bona diligit; ex hoc triplici operandi modo probat Doctor repugnare Deorum pluralitatem. *Primò* quidem ex Omnipotentia: Repugnat plures esse omnipotentes: Ergo & plures Deos. Patet consequentia; siquidem Dei nomine, significamus primam causam omnino independentem & illimitatam, tum in sua entitate, tum in suis operationibus. Licet enim omnipotentia Dei ratione naturali non possit demonstrari, ut observat Doctor *numero* 6. tamen ut vulgò accipitur Dei nomen, causam omnipotentem designat.

Probatur 2 Unitas Dei ab ejus triplici operatione.

Primò quidem ab omnipotētia.

Probatur antecedens. Si essent duo Omnipotentes, & unus illorum vellet producere aliquam Creaturam, vel alter posset illius Creaturæ productionem impedire aut productam destruere; vel non posset: si non posset, certè non esset dicendus Omnipotens, cum non posset exequi quæcumque vellet; si posset, sequeretur alterum non esse Omnipotentem; quippe cùm non posset suum opus absolvere aut factum servare. Unde meritò concludit sanctus Athanasius, *Dicere plures Deos æqualiter potentes, est dicere plures æqualiter impotentes*.

IX. *Replicabis* forsan, illos esse æqualis virtutis & potentiæ, sed tantum esse tamque arctum inter eos prudentiæ ac amoris vinculum, ut unus ab alterius voluntate dissentire non valeat.

Quia non possunt esse plures Omnipotentes.

Contra Quilibet eorum esset omnino liber, ac proinde posset ab alio interdum dissentire? Supposito autem quòd paria non sentiant circa aliquod opus, quod unus eorum moliri intendit; aut ille poterit opus intentum exequi, vel non: si possit aliis repugnantibus, quis non videat eos esse imbecilles & impotentes? Quippe qui non possent impedire ne opus sibi repugnans fiat. Si non possit, certè non erit omnipotens, nec proinde Deus erit dicendus. Itaque ex parte operationis Omnipotentiæ, omnino repugnat plures esse Deos.

X. *Secundò*, idem repugnat ex parte operationis Intellectus divini; quod sic probat Doctor, & cum eo Bassolis in 1. *dist.* 2. *quæst.* 3. Deus debet habere intellectum infinitæ perfectionis: sed si plures essent Dii, neuter ex illis haberet intellectum infinitæ perfectionis: Ergo neuter esset Deus. *Major* constat; cùm enim Deus sit ens infinitè perfectum, maximè debet habere intellectum infinitæ virtutis ac perfectionis in cognoscendo; cognitio namque

2. Ex parte Cognitionis.

entis spiritualis, maxima perfectio est. *Minor* probatur. Intellectus infinitæ perfectionis debet omnia intelligibilia cognoscere modô perfectissimô, quô ex se cognoscibilia sunt: sed si essent plures Dii v. g. duo quorum unus, majoris claritatis causâ, vocetur *Deus Pater*, & alius *Deus Filius*; neuter ex illis posset cognoscere quodcumque intelligibile perfectissimô modô, quô ex se intelligibile est: etenim *Deus Pater* v.g. non posset ita cognoscere Deum Filium. Probat Doctor. Ut Deus Pater cognosceret Deum Filium perfectissimè, deberet ipsum cognoscere per essentiam ipsius Dei Filii: At non potest illum ita cognoscere: Ergo eum non perfectissime cognosceret.

Qia si essent plures Dii neuter alium perfectè cognosceret.

Major patet, nihil enim cognoscitur perfectissimè, quod per essentiam suam non cognoscitur, aut per aliquid aliud in quo essentia illius perfectiori, ac nobiliori modo continetur, quàm in ipso; eô scilicet modô quô Theologi docent Creaturas perfectiùs esse & cognosci in Deo, quàm in se ipsis: sed ille *Deus Filius*, si daretur, esset cognoscibilis per suam essentiam, quippe cùm ipse sic se cognosceret; nec aliquid esset in quo ipsius essentia perfectiori modo contineretur quàm in se ipsa; siquidem illa supponitur esse infinitæ perfectionis, ac proinde nihil est quod ipsâ sit perfectius: Ergo non posset cognosci perfectissimè à *Deo Patre* nisi cognosceretur per essentiam.

Quia non cognosceret per essentiam.

Minor etiam est evidens; nempe quod *Deus Pater* non posset cognoscere Deum Filium per illius essentiam: Tum quia sequeretur (inquit Doctor) quod cognitio *Dei Patris* esset posterior naturâ essentiâ *Dei Filii* realiter a se distincta: omnis enim cognitio distincta realiter ab objecto, præsupponit objectum prioritate saltem naturæ, sicut effectus causam; ab objecto enim & potentia paritur omnis notitia: Tum quia (inquit Bassolis) *Deus Pater* dependeret à Deo Filio in comparanda sua cognitione, tanquam ab aliquo extrinseco; ac proinde noo esset independens in operatione sibi maximè propria, qualis est cognitio, & consequenter non esset Deus.

Replicabis forsan quod unus Deus cognosceret alterum per suammet essentiam, hoc est per essentiam ipsius Dei cognoscentis, quæ esset omninò similis essentiæ Dei cogniti: Vel eum cognosceret per aliquam speciem repræsentantem essentiam Dei cogniti, quæ proinde ipsam perfectissimè repræsentaret.

Contra. In hac hypotesi (inquit Doctor) cognitio Dei cognoscentis non esset perfectissima, siquidem non tam perfectè res cognoscitur in aliquo simili & representativo, quàm in se ipsa; cognitio enim intuitiva perfectior est cognitione abstractiva: Ergo si *Deus Pater* Deum Filium cognosceret tantùm cognitione abstractiva, nimirum per suam essentiam aut per speciem repræsentativam essentiæ Dei Filii, illius cognitio non esset perfectissima; nec consequenter esset Deus.

XI.

Tertiò ex operatione voluntatis.

Tertiò denique pluralitas repugnat ex operatione Voluntatis divinæ, quod sic probat Doctor *numerô* 3. Voluntas divina cum sit infinitæ perfectionis, debet esse ordinata & regulata; proindeque debet diligere quodcumque diligibile quantùm diligibile est: sed si dentur plures Dii, unus alium non posset diligere quantùm diligibilis est. Probatur. Vel unus alterum diligeret infinitè, vel non [illegible] si non: Ergo illius voluntas non esset regulata, quia cum alter Deus supponatur infinitè perfectus, est infinitè diligibilis: si sic, Ergo alium æquè amaret ac se ipsum; proindeque illius amor non esset ordinatus. Sicut enim quilibet naturali pondere magis propendet in sui ipsius, quàm in alterius conservationem; sic etiam plus tenetur se ipsum amare quàm alterum; si autem unus Deus, alium infinitè amaret, se ipsum non posset plus diligere quàm alterum; in infinito enim non est plus nec minus: Ergo si darentur plures Dii, eorum voluntas esset deordinata, proindeque non esset divina: Ergo non essent Dii.

Quia unus Deus non posset aliū tantum diligere quātùm diligibilis est.

Deinde. Si plures essent Dii, aut unus frueretur se ipso & aliis simul; aut uteretur aliis, & se ipso frueretur; sed neutrum dici potest. *Non primum*, quia aliàs frueretur duobus objectis adæquatè beatificantibus, quilibet enim ex illis cum esset bonum infinitum, adæquatè beatificaret: & sic unus conferret ad Beatitudinē alterius, & non conferret: conferret quidem, quia eô frueretur; non conferret autem, quia utrôlibet eorum sublatô, non minùs esset Beatus. *Non etiam secundum*, quia cum unus Deorum ex se non ordinetur ad alterum tanquam ad finem, si quis eorum alterô frueretur, abuteretur; sicque voluntas illius non esset ordinata, nec consequenter esset ille Deus.

Nec altero frui.

Tertia denique ratio petitur ex dignitate Deitatis, quæ potissimum est triplex, juxta triplicem respectum quem Creaturæ omnes ad Deum habent tanquam ad suum principium, moderatorem & finem, à quo oriuntur, per quem regontur, & ad quem ordinantur.

XII.

Tertia unitatis Dei probatio ex ejus suprema dignitate.

Primò namque constat ex Physicis unius ejusdemque effectûs non posse assignari plures causas totales & adæquatas; alioquin causa esset totalis ut supponitur, & non esset; quia ad productionem effectûs, alterius causæ consortium & activitatem admitteret: Ergo nec plura admitti possunt rerum omnium prima principia. Vel enim quodlibet eorum esset totale principium, vel non: Non *primum*, quia implicat ejusdem rei esse plures totales causas: Non etiam *secundum*, aliàs non esset Deus, cùm non haberet virtutem infinitam, sed alterius adminiculum admitteret. Unde meritò Lactantius librô de vera Sapientia cap. 3. *Si natura* (inquit) *non patitur, ut sint unius hominis plures patres, ex uno enim procreantur*: Ergo *etiam multos colere Deos contra naturam est, contraque pietatem*.

Quia unicus est supremus rerum Opifex

XIII.

Vnicus finis Vltimus.

2. *Constat* ex Moralibus non posse admitti plures fines totales, & adæquatos; finis enim totalis is dicitur, ad quem omnia appetibilia referuntur: Ergo ubi quis sibi proponit unum Deum tanqoam finem ultimum totalem, necessum est ut omnia alia ad ipsum ordinet & referat; ac proinde onn potest alium Deum ut finem totalem sibi proponere; aliàs prior Deus esset finis totalis, & noo esset; esset quidem ex suppositione; non esset autem, quia alii Dii ad ipsum non referrentur: sic ex dignitate & ratione finis totalis necessariò ooieus Deus est admittendus.

XIV.

Et unicus Monarcha.

3. *Denique* ex Politicis constat regimen Monarchicum esse omnium optimum; proindeque Deo supremo omnium moderatori tribuendum, *Vnus igitur omnium Dominus est*

Deus, inquit sanctus Cyprianus, librô de vanitate Idolorum: *Neque enim illa sublimitas potest habere consortium, cùm sola omnem teneat potestatem ac divinum imperium. Etiam de terris mutuemur exemplum. Quando unquam regni societas, aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? sic Thebanorum germanitas rupta;* ET PERMANENS ROGIS DISSIDENTIBUS ETIAM IN MORTE DISCORDIA. *Et Romanos geminos unum non capit regnum, quos unum uteri cœpit hospitium. Pompeius, & Cæsar affines fuerant; nec tamen necessitudinis fœdus in amula potestate tenuerunt. Nec hoc tantum de homine mireris cum in hoc omnis natura consentiat. Rex unus est apibus; & Dux unus in gregibus: & in armentis Rector unus; Multò magis mundi unus est Doctor, qui omnia quæcumque sunt, verbô jubet, ratione dispensat, virtute consummat.*

Egregia S. Cypriani de unitate Dei sententia.

XV. *Dices primò:* Ex Apostolo primæ ad Corint. 8. *sunt Domini multi, & Dii multi:* Ergo non est tantùm unicus Deus.

Quomodo Apostolus dixerit esse multos Deos.

Distinguo: Sunt Dii multi veri, nego: fictitii, concedo: *Omnes enim Dii gentium Dæmonia*, ait Vates Regius.

XVI. *Instabis:* Illi sunt veri Dii, qui veros habent charateres Deitatis: atqui Dii gentium veros habent caracteres Deitatis. Probatur, Tres potissimum sunt caracteres Deitatem nobis notificantes, nimirum patrariô miraculorum, juxta illud Psal. 71. *Qui facis mirabilia solus:* infirmitatum repentina curatio, ut fertur primò Regum cap. 2. *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit;* Et prædictio futurorum, secundùm illud Isaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos:* Sed ttia hæc Dii gentium operati sunt, ut compertum est innumeris historiis: Ergo veri Dii dicendi sunt.

Triplex veræ Deitatis charactêr.

XVII. *Nego minorem*, & ad probationes dico, ea omnia quæ narrantur facta ad invocationem falsorum Numinum, nativâ dæmonum ope, & virtute patrata fuisse; qualia fuerunt stupenda illa opera à duabus Vestalibus edita in signum & confirmationem suæ illibatæ virginitatis, quarum una nomine Tuscia, aquam cribro continuit & gestavit: altera nomine Claudia navem in qua Saxum magnæ Deorum matri sacrum ferebatur mediis in Tiberinis aquis, ita hærentem, ut nulla humana virtute moveri posset, cingulo suo movere potuit, & ad portum deducere: Hæc enim & similia à Dæmonibus sub Deorum nomine edebantur (inquit Tertullianus) *Vt Numina lapides crederentur & Deus verus non quæreretur.* In Apologetico cap. 22.

Prodigia à Gentilibus patrata, fiebant ope Dæmonû.

Ad secundam probationem dico: Has curationes morborum à falsis Numinibus fuisse potius Dæmonum infestantium quietem, quam ægritudinis depulsionem; *Lædunt enim primò*, inquit ibidem Tertullianus, *dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, sive contraria: post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur.* Vel ut loquitur Octauius apud Minutium Fœlicem, *Morbos fingunt, terrent mentes, torquent membra, ut ad cultum sui cogant; ut nidore altarium vel hostiis pecudum saginati, remissis quæ constrinxerant curasse videantur.*

Dæmones cessant lædere, & curasse creduntur.

XVIII. *Ad tertiam probationem dico*, Illas omnes vel rerum absentium declarationes, vel futurarum notificationes & prædictiones, factas fuisse pariter Dæmonum industriâ, qui mirâ suâ velocitate in momento, orbem lustrant & referre possunt quæ in remotioribus plagis geruntur. Possunt pariter miranda sui genii subtilitate ventura conjicere ex Astrorum influxu, Scripturarum interpretatione & Prophetarum oraculis.

Quomodo Gentilium vates & Oracula futura prædixerint.

Hæc omnia eleganter detegit & aperit Tertullianus ibidem: *Omnis*, inquit, *spiritus Ales est; hoc Angeli & Dæmones. Igitur momentô ubique sunt. Totus orbis illis locus unus est, quid ubique geratur tam facilè sciunt, quàm enunciant; velocitas, Divinitas creditur, quia substantia ignoratur; dispositiones etiam Dei, & nunc Prophetiis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus resonantibus carpunt; ita & hinc sumentes quasdam temporum sortes*, ÆMULANTUR DIVINITATEM DUM FURANTUR DIVINATIONEM. *In Oraculis autem quô ingeniô ambiguitates temperent in eventus, sciunt Crœsi, sciunt Pyrrhi.* Crœsus enim cum Oraculum Apollinis, cui devotus erat, consuluisset, num arma adversus Persas moveret; Oraculum respondit, ut refert Eusebius libro 3. de præparatione Evangelica. XIX.

Quàm incerta & deceptoria fuerint Dæmonum Oracula.

Intrepidum si Crœsus Halym transmiserit amnē,
Imperium perdet in ignum regnumque superbum.

Quâ ambiguitate verbi *perdet* deceptus Crœsus, bellum Persis indixit, arbitratus regnum Persarum suis armis perdendum & devastandum: sed ipsemet suum *Lidiæ* regnum infœlici belli eventu perdidit. Simile quid contigit *Pyrrho* Epirotarum Regi, qui cùm idem Oraculum consuluisset, utrum adversus Romanos pugnans victor evaderet, audivit ambiguum hoc Oraculum,

Aio te, Aacida Romanos vincere posse.

Quô factum est ut victoriæ spe animatus Pyrrhus, adversus Romanos pugnaverit: sed ab eis victus ac prostratus, ambigui Oraculi sensum propriâ jacturâ didicit.

Dices 2. Quidquid est melius, est admittendum maximè in Deitate: sed melius est plures esse Deos quàm unicum: Ergo plures Dii sunt admittendi. Probatur Minor. Melius est esse plura bona quàm unicum; sed plures Dii sunt plura bona: Ergo melius est esse plures Deos quàm unicum.

XX. *Distinguo majorem:* Si illud quod cogitatur ut melius, est possibile & admittendum, concedo: Si sit impossibile, nego: Plures autem Deos esse, impossibile satis superque demonstratum est. Similiter probationem Minoris: *Distinguo*, Plura bona meliora sunt unico; si illud unicum in se non contineat quidquid perfectionis in aliis reperitur, concedo: si contineat, nego. Licet enim decem libræ argenteæ, v. g. sint plura bona quàm unus nummus aureus; attamen eum prætio non excedunt, quia nummus aureus in se continet valorem & prætium illarum decem librarum: Ita à pari, licet plures Dii, si darentur essent plura bona; cùm tamen unicus Deus sit infinitè perfectus, ac proinde cùm contineat quidquid perfectionis in aliis reperitur; hinc fit quod non esset melius plures esse Deos quàm unicum.

Plures Dii non essent meliores unica.

Dices 3. Cùm Marcione & Manichæis. Tot sunt admittendi Dii, quot primi rerum Productores summi Moderatores, & ultimi Fines: At illi sunt ad minimum duo: Ergo & duo Dii. *Major* patet ex dictis: *Minor* probatur. Tot sunt rerum Productores, Moderatores, & Fines, quot Effectus omnino oppositi, Leges contrariæ, & Termini perpetui diversi; sed illa XXI.

Fundamentum Manichæorum triplici ratione stabilitur.

sunt ad minimum duplicis generis & ordinis. A *Major* patet, ex oppositis enim effectibus, legibus, & terminis perpetuis, cognoscitur causæ, rectoris, & finis diversitas & distinctio.

Minor etiam ipsâmet experientiâ & Scripturâ constat: corpora namque & spiritus sunt effectus oppositi, hinc inter corpus, & animam, perpetua pugna juxta illud S. Pauli Romanorum 7. *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Leges pariter divinæ omnino oppositæ; Vetus enim, & Mosaïca nonnisi severitatem, terrorem, & supplicia intentabat; lex autem Nova & Evangelica, nihil nisi dilectionem, veniam & misericordiam præ se B fert. Duo similiter Termini rationalium Creaturarum perpetui, nimirum beatitudo & damnatio, Cœlum & Infernus, fœlicitas & gehenna. *Ergo* necessariò admittendi sunt duo rerum Productores, quorum unus res malas corporeas & visibiles; alter bonas, spirituales & invisibiles produxerit: Duo pariter mundi Rectores, quorum unus vindictam & mala ex depravata per maliciam sua natura sapiat; alter ad amorem & misericordiam ex innata sua bonitate pronus sit: Duo denique ultimi Fines, quorum unus in cruciandis ac perpetuò torquendis corporibus humanis delectetur; alter in C animabus ad suam similitudinem factis, liberandis, salvandis, ac æternis deliciis leniendis & demulcendis occupetur.

Et totupliciter impugnatur ac evertitur.

Nego minorem; & ad primam illius probationem dico, diversitatem effectuum indicare quidem non nunquam diversitatem causarum finitarum, quarum virtus cum sit limitata, etiam determinata est ad certos effectus ita producendos, ut alios non posset producere; sic ignis ignem & non aquam producit: Secus verò de potentia Divina, quæ cum sit infinitæ virtutis, & fœcunditatis, quoslibet effectus potest producere, sive similes, sive disparatos, sive contrarios; unde meritò in Symbolo Deus D dicitur *Creator Cœli & Terræ, Visibilium & Invisibilium.*

Vnicus enim est rerum disparium Artifex.

Adde quod si duo primi Productores essent assignandi; quorum unus res corporeas & visibiles, alius res spirituales producere deberet, nec possent simul ab unico produci propter earum oppositionem; etiam & innumeri essent assignandi rerum corporearum Productores, quippe quæ nedum disparatæ, sed etiam propriè oppositæ & contrariæ inveniantur, verbi gratia calor & frigus, album & nigrum lux & tenebræ; imò ejusdem humani corporis diversi erunt primi assignandi artifices: nam, inquit Tertullianus librô primô in Marcio- E nem cap. 16. *Hominem ipsum, inquit, diversitas temperavit tam in corpore quàm in sensu; alia membra fortia, alia infirma, alia honesta, alia inhonesta, alia gemina; alia unica, alia comparia, alia disparia. Proinde & in sensu, nunc lætitia, nunc anxietas, nunc amor, nunc odium, nunc ira, nunc lenitas; quod si ita est ut æmula inter se conditionis universitas ista modulata sit; jam igitur & visibilibus visibilia debentur, non alteri Auctori deputanda.*

XXIII. *Ad secundam probationem* respondet etiam ipsemet Tertullianus librô secundô cap. 4. *Quam arguis legem, inquit, quam in controversiis torques, bonitas erogavit, consulens homini quò Deo adhæreret, ne non tam liber quàm abjectus videretur, æquandus famulis suis cæteris animalibus solutis à Deo, & ex fastigio liberis: Sed ut solus homo gloriaretur, quòd solus dignus fuisset qui legem à Deo sumeret.* Ut autem utriusque legis tam Veteris quàm Novæ non diversos fuisse Conditores demonstret, ostendit quidquid in una delineatum fuerat, in altera fuisse impletum, & quæ de Deo Veteris Legis Auctore Marcion objiciebat, eadem in novæ Legis artificem tantopere à Marcione decantatum, Tertullianus in fine hujus secundi libri retorquet.

Vnicus est utriusque legis Veteris & Novæ conditor.

Lex homini præscribitur ad ejus gloriã & dignitatem.

XXIV. *Ad tertiam* probationem ipsemet pariter replicat, justitiam & bonitatem, vindictam & indulgentiam, beatitudinem & damnationem, diversitatem Deorum non inferre; imò unitatem evincere: nam, inquit, librô 2. cap. 12. *A primordio Creator tam bonus quàm justus, pariter utrumque processit. Bonitas ejus operata est mundum, justitia modulata est .... Justitiæ ejus quod inter lucem & tenebras separatio pronunciata est; inter diem & noctem; inter Cœlum & Terram; inter aquam superiorem & inferiorem; inter Maris cœtum & Aridæ molem; inter luminaria majora & minora, diurna atque nocturna; inter marem & fœminam; inter arborem agnitionis mortis & vitæ; inter orbem & Paradisum; inter aquigena & terrigena animalia omnia, ut bonitas concepit, ita justitia distinxit.*

Vnus etiam criminum Vindex & bonorum Remunerator.

Vtrumque Deus ab initio præstitit.

Et cap. 13. demonstrans in Deo summè bono severitatem necessariam, ait. *Tot illecebris mali expugnantibus bonum, quis illud appeteret quod impunè contemneret? Quis custodiret, quod sine periculo admitteret? Legis mali viam latam & multò frequentiorem: Nonne omnes illaberentur si nihil in illa timeretur? Horremus terribiles minas Creatoris & vix à malo avellimur, quid si nihil minaretur? Hanc justitiam malum dices quæ malo non favet? Hanc bonum negabis quæ bono prospicit? Qualem oportet Deum velles; qualem malles expediret, sub quo delicta gauderent, cui Diabolus illuderet? Illum bonum judicares Deum, qui hominem magis posset malum facere securitate delicti?*

Egregia Tertulliani sententia, de Deo criminum vindice.

Inde concludit: *Justitia Dei plenitudo divinitatis, exhibens Deum perfectum & Patrem & Dominum; Patrem clementiâ, Dominum disciplinâ; Patrem potestate blanda, Dominum severa: Patrem diligendum piè, Dominum timendum necessariè. Diligendum quia malit misericordiam quàm sacrificium; & timendum quia nolit peccatum: diligendum quia malit pœnitentiam peccatoris quàm mortem; & timendum quia malit peccatores sui jam non pœnitentes.*

Dices 4. Plus potest Deus facere, quàm intellectus humanus cogitare possit: sed intellectus humanus, ut constat de Idolololatris & Gentilibus, cogitare potest plures Deos: Ergo Deus potest facere plures Deos: at in divinis idem est esse & posse: Ergo de facto sunt plures Dii.

XXV. *Respondet* Seraphicus Doctor in 1. *dist.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. quod Gentes non intellexerunt Deum secundùm nobilitatem divinam; ideo non est mirum quòd multos Deos cogitaverint, vel potius finxerint; fuit enim Deorum pluralitas fictio intellectus humani,

Pluralitas Deorum potius fuit fictio Gentilium quã assertio.

vocem, & quemdam cibum, & quemdam amplexum cum amo Deum meum: sed lucem, vocem, odorem: cibum, amplexum interioris hominis mei; ubi fulget animæ meæ quod non capit locus; & ubi sonat quod non rapit tempus; & ubi olet quod non spargit flatus; & ubi sapit quod non minuit edacitas; & ubi hæret quod non divellit satietas. Hoc est quod amo cùm Deum meum amo.

Tertia, Oratores.

Tertia denique Oratores æmulatur, qui quidquid perfectionis inveniunt in eo quod laudant, mirum in modum extollunt, & per gradum comparativum aut superlativum enuntiant. Hac methodo usus est S. Bernardus, *Miraris*, inquit, *in Sole splendorem, in igne ardorem, in aëre puritatem, in aqua fœcunditatem, in terra firmitatem, in pane saporem, in melle dulcedinem, in flore suavissimum odorem, in auro fulgorem; at hæc omnia in Deo intuere, sed eminentissimô perfectionum omnium cumulô: Sole enim splendidior est, aëre purior, aquâ fœcundior, terrâ firmior, melle dulcior; pane sapidior, flore suavior, aurô pretiosior:* Hoc modo sanctus Dionysius lib. de Divinis nominibus, ubi Deum definivisset per plures gradus superlativos, tandem concludit, *Infinitas est quædam omnis infinitatis, & omnis termini terminus.*

III.

Varia ac multiplex, insufficiens à veteribus excogitata Dei definitio.

Notandum 2. variam à variis Authoribus tùm Prophanis cùm Sacris assignatam fuisse Dei definitionem: siquidem à Platone apud Alcinoüm cap. 10. Deus dicitur, *Vivens, immortalis, per seipsum ad beatitudinem sufficiens, essentia sempiterna, &c.* A Thalete Milesio, *Ens quod principio caret & fine.* Ab Aristotele, *Mundi Opifex, summus Rector, immotus movens omnia: cujus si vim spectes, valentissimus; si decorem, formosissimus; si vitam, immortalis; si virtutem, præstantissimus.* A Cicerone, *Mens quædam libera & soluta, secreta ab omni concretione mortali, &c.* A Seneca, *Totus ratio, quo nihil majus excogitari potest, mens universi, mundi anima, &c.* Cui concinit Ovidius dicens:

Spiritus intus talis totosque infusa per artus,
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Sic etiam passim describitur à sanctis Patribus juxta varias suas divinas præcellentias, quas omnium optimè delineavit S. Bernardus lib. 5. de Consideratione. *Quid est Deus?* inquit, *longitudo, latitudo, sublimitas, profundum: longitudo propter æternitatem, latitudo propter Charitatem, sublimitas propter majestatem, profundum propter sapientiam. Deus qui amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, &c.* Verùm hæ aut similes descriptiones Oratoriæ aut Philosophicæ, Dei quidem præcellentias & operationes, non verò naturam & essentiam aperiunt.

IV.

Gravis inter Doctorem Subtilem & Angelicum pugna, de modo quo Deus à nobis cognosci potest.

Notandum 3. in aperienda Dei essentia, non levem moveri controversiam inter Doctorem Subtilem & Angelicum eorumque Sectatores; siquidem S. Thomas *lib. 1. contra gentes cap.* 14. censet Deum non posse à nobis Viatoribus affirmativè, sed tantùm negativè, cognosci & definiri; ab eo scilicet removendo quidquid imperfectionis in Creaturis deprehendimus. Doctor verò Subtilis in 1. *d.* 3. *q.* 2. *n.* 2. contendit Deum non solùm posse cognosci negativè, sed etiam affirmativè. Et *n.* 17. docet conceptum *Entis infiniti* esse perfectissimum omnium.

Tria itaque hâc in quæstione sunt resolvenda, *Primum*, quod Deus non solùm negativè; sed etiam affirmativè possit à nobis Viatoribus cognosci. *Secundum*, quòd definiri possit nedum per attributa, sed etiam per prædicata quidditativa saltem confusè & arguitivè. *Tertium*, quænam sit genuina Dei definitio, quæ à nobis Viatoribus hac in mortali vita formari possit & explicari.

CONCLUSIO PRIMA.

V.

Deus affirmativè & negativè potest à nobis cognosci.

Deus non solùm negativè, sed etiam affirmativè à nobis concipi potest. Hæc Conclusio est Doctoris *locô laudatô*, & eam PROBAT 1. quidem experientiâ, quâ constat nos Deum diligere, ut eum concipimus: sed non diligimus solùm negationes, quia negatio formaliter cum sit non ens, nequit habere rationem appetibilis; nihil enim est appetibile nisi bonum; nihil autem bonum nisi ens, eô quòd bonitas sit proprietas solius entis, quæ consequenter non enti, & negationi convenire nequit. Ergo non solas negationes in Deo concipimus.

Deinde etiam experientiâ patet, nos Deo non attribuere negationes alicujus entis positivi; nisi pariter ei tribuamus aliud positivum incompossibile cum illo positivo, quod Deo negamus: Verbi gratiâ dicimus, quod Deus sit immaterialis, quia ei tribuimus spiritualitatem, quæ incompossibilis est cum materia, quam per vocabulum (*Immateriale*) à Deo removemus; dicimus quod non sit compositus, quia ei tribuimus simplicitatem quæ est incompossibilis cum compositione quam à Deo excludimus, & sic de cæteris.

Denique eâdem experientiâ fit compertum, intellectum nostrum in sola negatione cognoscenda non quiescere; maximè in ente summè perfecto qualis est Deus: sed insuper investigat cur talis negatio illi competat; quia intellectus per negationem non removet à Deo aliquid imperfectum, vel minùs perfectum, nisi quia in eo deprehendit, & ei attribuit aliquid quod sit magis perfectum: Ergo patet experientiâ Deum non posse concipi negativè, quin pariter affirmativè concipiatur.

VI.

Non enim ei convenit negatio, nisi ratione alicujus positivi.

PROBATUR 2. Quando Deus concipitur conceptu negativo, aut in eo concipitur simplex & sola negatio; aut concipitur negatio alicui positivo conveniens. Si primum, ille conceptus non est Deo proprius; si secundum, habemus intentum, nempe quod non possit de Deo formari perfectus conceptus negativus sine affirmativo; simplex enim negatio v. g. *non lapis*; æquè convenit nihilo, & cœteris entibus (inquit Doctor) ac Deo; siquidem tàm verè dicitur, quòd *nihil* non sit lapis, aut quod planta non sit lapis, ac dicitur quod Deus non sit lapis: & consequenter ille conceptus purè negativus non esset proprius Deo; nec proinde Deum perfectè, & distinctè; sed tantùm imperfectè, & confusè exprimeret, quippe cùm tam aliis quàm Deo tribui posset.

Idem dici potest de *immaterialitate* & cœte-

ris attributis negativis; etenim si immaterialitas; v. g. significet tantùm in Deo negationem materiæ, tam conveniet Angelo & animæ rationali, & aliis entibus spiritualibus, ac conveniret Deo; quia tam verè dicitur, quòd anima, quòd Angelus, intellectio, volitio, gratia, &c. careant materiâ; ac dicitur de Deo, quòd careat materiâ seu quòd sit immaterialis: Ergo ut illa negatio sit Deo soli propria, necessum est ut aliquid positivum in eo admittamus, ratione cujus positivi ista negatio materiæ speciali modo Deo conveniat, quò aliis entibus spiritualibus non convenit; & consequenter vel ille conceptus non erit simpliciter negativus, vel non erit Deo proprius: Itaque non potest Deus solùm negativè, sed etiam affirmativè cognosci.

VII. Melius tamen & verius Deus cognoscitur per negationem, quàm per affirmationem.

Dices 1. Ex sancto Dionysio librô *de Divinis nominibus cap.* 7. cum quæsivisset quomodo nos Dei notitiam habeamus, cùm nec animo cernatur; nec sub sensum cadat; nec sit quidquam penitus eorum quæ sunt: Respondet, *Non ex ipsius natura; est enim incognita, omnemque rationem & mentem superat, sed ex rerum descriptione ad id quod omnia superat viâ, & ordine pro virili parte omnium detractione, & præstantiâ, omniumque causâ ascendimus.* Et lib. *de Theologia Mystica cap.* 1. Timotheum adhortans ad Dei cognitionem secedendo à sensibus & omnibus Creaturis, ait, *Libero enim solutoque, ac liquido à te & ab omnibus discessu, ad divinarum tenebrarum radium, qui omni essentia superior est, contendes, cum & omnia dempseris, & ab omnibus solutus fueris & liber.* Quibus manifestè indicat Deum nonnisi negativè, & removendo ab eo imperfectiones Creaturarum posse cognosci. Ei concinunt sanctus Damascenus lib. 1. de fide cap. 4. *Quæcumque*, inquit, *de Deo prædicantur, hæc non id quod est significant, sed quod non est.* Et alii sancti Patres affirmantes passim *nos meliùs de Deo dicere quid non sit, quàm quid sit*: Ergo Deus conceptu affirmativo propriè ac distinctè cognosci nequit.

Quia distinctiùs dicitur quid non sit, quàm quid sit.

Distinguo consequentiam. Non potest Deus cognosci conceptu affirmativo propriè, ac distinctè; ita ut illius essentia per hunc conceptum evidenter exprimatur, & pateat, concedo: Ita ut in hoc conceptu illius essentia obscurè saltem, & velut arguitivè non appareat; nego. Mens itaque sanctorum Patrum est, nos equidem distinctiorem, & faciliorem habere conceptum negativum de Deo, quàm affirmativum: faciliùs enim innotescit quid non sit Deus, quàm quid sit; non tamen propterea contendunt eum non posse etiam affirmativè cognosci. Imò utrumque modum cognoscendi Deum, affirmativè scilicet & negativè, ipsemet sanctus Dionysius ploribi probat, ut constat cùm ex dictis, tum ex cap. 3. suæ Theologiæ Mysticæ, ubi aperit quæ sint affirmantes de Deo rationes, & quæ negantes.

Dices secundò: Nulla perfectio habens rationem actus puri simplicissimi potest à nobis mortalibus cognosci conceptu positivo: sed omnis Dei perfectio sive essentialis, sive attributalis, habet rationem actus puri simplicissimi: Ergo à nobis concipi non potest conceptu affirmativo. *Minor* est evidens: probatur *Major*: Primò, quia intellectus noster non potest formare talem conceptum de ente, & substantia spirituali creata: Ergo multò minùs de substantia, aut perfectione increata quæ est actus purus simplicissimus. *Secundò*, si haberetur conceptus proprius Dei, Deus in hoc conceptu appareret sub ratione creata, aut increata: Non sub ratione creata, sic enim non conciperetur ut Deus, sed ut creatura: Non etiam sub ratione increata, quia aut conciperetur sic conceptu negativo, & habetur intentum; aut positivo, & tum conciperetur ut in se est; ac proinde intuitivè cerneretur à nobis Viatoribus solo lumine naturali, quod repugnat.

Tertiò denique, quia omnes Dei perfectiones, tam intrinsecæ quàm extrinsecæ, seu quæ dicunt ordinem ad Creaturas non concipiuntur nisi conceptu negativo. Etenim Deus non concipitur ut ens necessarium spirituale, &c. nisi per negationem contingentiæ, materiæ, &c. Similiter non concipitur sub ratione primæ Causæ, supremi Rectoris, & ultimi finis, nisi per ordinem ad negationes; hi enim conceptus ut à nobis percipiuntur, involvunt negationem superioris, aut anterioris: etenim prima Causa dicitur, quæ non habet anteriorem, summus Rector, qui non habet superiorem, & finis ultimus, qui non habet ulteriorem: Ergo nullus de Deo proprius conceptus affirmativus à nobis formari potest.

VIII. Quomodo ens spirituale concipiatur negativè & affirmativè.

Nego majorem, & ad primam illins majoris probationem, dico quod etsi non possimus habere conceptum affirmativum de ente creato spirituali per proprias species; possumus tamen eum habere per species alienas, concipiendo nimirum ens spirituale per affirmationem simul & negationem; negando scilicet spiritum esse materiam aut corpus; & affirmando ipsum esse aliquid præter materiam & corpus: ita quod species entis corporei conferant ad formandum hunc conceptum; spiritus non est materia nec corpus; sed est substantia materiæ ac corporeitatis expers. Sic à simili dici potest, species creaturarum conferre posse ad cognitionem Dei, quatenus ad earum intuitum negamus ipsum esse hoc, aut illud ens creatum, & affirmamus eum esse ens omnis finitatis ac creatæ & limitatæ rationis expers.

Si dixeris Deum hoc modo non concipi nec cognosci per proprias species; ac proinde conceptum illum non esse Deo proprium;

Conceptu proprio & distincto.

Negabo sequelam. Sicut enim quando concipimus substantiam per ordinem ad accidentia, quæ ex natura sua excipit, aut per ordinem ad operationes ad quas eliciendas naturaliter ordinatur: Verbi gratiâ quando concipimus ignem per modum substantiæ, quæ exigit lucem, & calorem in tali gradu, & quæ potest alterum similem ignem producere, habemus proprium conceptum substantiæ ignis; licet hic conceptus non formetur nisi dependenter à speciebus alienis, nimirum à speciebus accidentium; ita à pari non minùs

conceptus formatus de Deo erit proprius, licet non formetur, nisi dependenter à speciebus Creaturarum, quæ de eo negantur, & quarum beneficiô intelligitur aliquid esse præter & supra creaturas.

Ad secundam probationem dico, quod Deus per hunc conceptum repræsentatur ut ens increatum; nec propterea conceptus ille affirmativus erit intuitivus, quia non fit, nec causatur ab objecto præsente & movente per suam immediatam præsentiam, quæ motio requititur ad conceptum intuitivum.

Ad tertiam probationem præfatæ majoris, dico quod etsi divinæ perfectiones tàm intrinsecæ, quàm extrinsecæ, non possint à nobis concipi sine aliquo ordine ad negationes; nihilominus ideo non sequitur eas à nobis concipi ut puras negationes, sicut volunt Thomistæ: sed tantùm ex eo inferre licet, quod positivè illæ perfectiones quasdam negationes connotant, majoris claritatis & evidentioris cognitionis gratiâ. Salva itaque, & integra manet conclusionis veritas, Deum posse à nobis nedum conceptu negativo, sed etiam affirmativo cognosci ac definiri.

Conclusio Secunda.

IX.

Formari potest à Viatoribus proprius conceptus attributalis de Deo.

POtest à nobis Viatoribus haberi naturaliter conceptus proprius de Deo, non solùm ATTRIBUTALIS, seu per illius attributa, *sed etiam* QUIDDITATIVUS, ET ESSENTIALIS. Hæc est Doctoris locô laudatô num. 5. contra *Henricum Gandavensem*, & *S. Thomam* 1. part. quæst. 2. art. 1. PROBATUR PRIMA PARS. Deum concipimus per modum summi boni, infinitè sapientis, omnipotentis, &c. sed hi conceptus sunt propriè attributales ut omnes fatentur: Ergo à nobis Viatoribus formari potest conceptus attributalis Deo proprius.

X.

Perfectiones aliter Deo, & Creaturis aliter conveniunt.

Dices. Illi conceptus non sunt Deo proprii, qui etiam Creaturis competunt, quique Deo non tribuuntur, nisi quia conspiciuntur esse perfectiones in creaturis, quæ Deo omnium perfectionum Authori & Origini non debent denegari: sed tales sunt omnes conceptus attributales: Ergo non sunt Deo proprii.

Distinguo majorem. Si illæ perfectiones attributales eadem ratione, & eodem perfectionis gradu, Deo & creaturis competant, earum conceptus non erit Deo proprius, concedo; secus, nego. At verum est eas omnes perfectiones quæ Deo tribuuntur, ei aliter, quàm creaturis tribui; *Potentia* enim, v. g. creaturis tribuitur ut limitata est ad certos quosdam effectus; Deo autem ut ad quoslibet effectus possibiles se se extendit; & sic de ceteris: Ac proinde conceptus formatus de illis divinis attributis ita Deo est proprius, ut alteri non competat.

XI.

Essentialis & quidditativus conceptus de Deo formari potest à nobis.

SECUNDAM PARTEM probat Doctor *ibidem* sic. Quando Deus concipitur ut *infinitè Sapiens*, concipitur per modum entis habentis infinitam sapientiam, & eam ex natura sua exigentis: sed ille conceptus est quidditativus proprius ac essentialis Deo: Ergo, &c. Est quidem *proprius*, cùm præter Deum nullum aliud sit ens quod infinitam sapientiam exigat & habeat: Est etiam *Quidditativus*, quippe cùm alium priorem non supponat; alioquin daretur processus in infinitum: Ergo conceptus de Deo proprius & quidditativus à nobis formari potest.

Confirmatur. Omnes pene Theologi fatentur attributa divina distingui ab essentia, aut formaliter ut Scotistæ, aut virtualiter, ut Thomistæ, aut ratione, ut cæteri: Ergo necessum est, ut habeant conceptum Essentiæ divinæ alium à conceptu Attributorum: quomodo enim essentia & attributa distincta apparerent, nisi diversis conceptibus possent exprimi? Ergo conceptus quidditativus de Deo à nobis formari potest.

Dices. Conceptus quidditativus essentiam exprimit: at nullus est conceptus qui divinã essentiam nobis exprimat: Ergo non datur. Major constat, minor pariter; si quis enim conceptus divinam essentiam nobis exprimeret, eam distinctè nosse possemus: at illa nos latet, nunc enim nonnisi *per speculum & in ænigmate* Deum novimus: Ergo, &c.

Si non evidens saltem confusus.

Distinguo majorem: Conceptus quidditativus essentiam exprimit, vel distinctè, vel saltem confusè, concedo: distinctè semper, nego. Duplex itaque distingui potest conceptus quidditativus: unus quidem evidens, qui essentiam distinctè, id est per genus & differentiam exprimit; alius confusus, seu arguitivus qui essentiam indigitat per proprietates, quas illa exigit: sic v. g. distinctè concipio essentiam hominis dicendo; *homo est animal rationale*; & confusè solùm, dum affirmo ipsum esse *animal risibile*, quia risibilitas est proprietas quæ essentiam quidem indigitat & supponit; non verò eam constituit nec exprimit.

Ad minorem, dico cum Doctore Subtili ibidem *num.* 16. de Deo quidem à nobis formari non posse naturaliter conceptum quidditativum distinctum; quia Deus est objectum voluntarium respectu intellectus creati; ac proinde non potest ab illo distinctè percipi nisi ipse se se percipiendum exibeat ac manifestet: potest tamen formari conceptus proprius, qui confusè saltem illius essentiam exprimat, & eam ab omni essentia Creaturarum distinctam aperiat. Qui autem conceptus à nobis formari possint, quibus divina essentia distinctiùs aperiatur & manifestetur, indicabit

Conclusio Tertia.

XII.

Perfecta Dei definitio quæ à Viatoribus formari potest.

DEus rectè definitur à nobis, *Ens omnimodè infinitum.* Ita Doctor in 1. *distinct.* 3. *quæst.* 2. *num.* 17. & probatur. Ea definitio est legitima, quæ definiti naturam aperit eô perfectiori modô, quô potest à nobis concipi, quæque est ratio cur cætera definiti prædicata ei competere demonstrentur: atqui præfata talis est. Primò namque Dei naturam demonstrat: si quidem per rationem *Entis*, cum creaturis omnibus veluti genericè & univocè convenit, ut in Metaphysica nostra fusè probatum est: & per rationem *infiniti*, ab eis essentialiter discrepat; nulla namque est creatura quæ sit omnimodè infinita; imò omnes sunt finitæ ac limitatæ, tùm in entitate, tùm in suis præcellentiis & perfectionibus. *Deinde*, illa entitas infinita est formalis ratio, cur omnia prædicata, quæ Deo attribuuntur, ei conveniant; etenim si quis requirat cur Deus sit æternus v. g. ritè respondebitur, quia est omnimodè infinitus, ac proinde debet esse infinitus in duratione, & sic carere principio & fine, & consequenter esse

æternus; idem dicendum de cæteris attributis divinis.

Est, quod sit ENS INFINITUM.

Confirmatur per rationes Doctoris hanc Conclusionem sic probantis: Illa definitio censenda est legitima, quæ fit per conceptum simplicem, & perfectiorem: Atqui prædicta talis est. Primò namque ille conceptus est simplicior, quia infinitas entitativa non concipitur per modum alicujus proprietatis distinctæ ab ente, qualiter unitas, veritas, bonitas, quæ sunt entis proprietates, ab eo distinguuntur, & suos habent conceptus objectivos, à conceptu entis ita distinctos, ut seorsim ab ente possint concipi: Unde quando ens concipitur ut *bonum*, v. g. is conceptus non est simplex, sed veluti adunatus ex duobus conceptibus, nimirum ex conceptu entis & bonitatis. Secus est autem de ente infinito, quia conceptus entis infiniti, non est conceptus entis, ut afficitur proprietate emanante ab ipso: sed est conceptus entis ut dicit modum, & gradum sibi intrinsecum.

Quia hic conceptus est simplicior.

Unde sicut conceptus albedinis intensæ ut octo, non est conceptus albedinis ut afficitur aliqua proprietate ab ea emanante, v. g. visibilitate: sed est formaliter ipsemet conceptus albedinis sub tali gradu, qui non est ejus proprietas; sed tantùm determinatio illius entitativæ intensionis ad octavum gradum: Ita conceptus entis infiniti (inquit Doctor) est simplex conceptus ipsius entis in certo gradu perfectionis, nimirum infinitatis. Unde ens infinitum non dicitur propriè ens *tale*, id est affectum proprietate: sed rectiùs dicitur ens *taliter*, id est determinatum in tali modo & gradu essendi: qui conceptus prior est conceptu omnium attributorum, quæ per modum proprietatum Deo conveniunt, & consequenter est omnium simplicior.

Et perfectior.

Secundò: Est etiam perfectior, Tum quia (inquit Doctor) conceptus entis infiniti, plures, imò omnes divinas perfectiones, virtualiter includit; sicut enim ens continet virtualiter veritatem, unitatem, & cætera sua attributa; ita ens infinitum continet virtualiter summum bonum, & summum verum, & quæcunque alia attributa quæ concipimus de Deo. Tum quia illa sunt perfectiora, quæ ultimò demonstrantur à posteriori de Deo; quæ enim sic ultimò de Deo demonstrantur, magis remota sunt à Creaturis; ac proinde magis excedunt perfectiones Creaturarum, ideoque sunt perfectiora: sed Deum esse ens infinitum ultimò demonstratur à posteriori, quia in infinitate cum nulla Creatura convenit; nec infinitas cognoscitur Deo competere nisi removendo ab eo omnia, quæ in Creaturis finita ac imperfecta sunt, & consequenter conceptus entis infiniti est omnium perfectior.

Dices 1. Ens *Summum* æquè significat modum intrinsecum, ac ens *Infinitum*: æquè pariter omnia divina attributa virtualiter includit: Ergo conceptus entis infiniti non est simplicior, neque perfectior omnibus qui de Deo formari possunt; nec proinde magis deservit ad illius definiendam & aperiendam essentiam.

XIII. *Respondet* Doctor ibidem, *summum* posse intelligi vel comparativè, vel absolutè; scilicet vel per ordinem ad alia quæ excedit; vel pro eo quod excedi non potest: quòvis autem modò

Ens summum non

sumatur, constat conceptum entis infiniti esse illo perfectiorem: Tum quia conceptus *infiniti* potest intelligi sine comparatione ad Creaturas; ac proinde est magis absolutus, & consequenter magis perfectus: Tum quia etiamsi conceptus entis summi absolutè sumatur, minùs tamen perfectus est quàm conceptus infiniti; ex eò enim quòd ens aliquod sit summum, non sequitur illud esse infinitum; quia etsi omnia entia essent finitæ perfectionis; nihilominus inter ea posset dari unum quod esset summum, nec tamen infinitum: Ergo licet realiter & de facto conceptus entis summi & entis infiniti in Deo idem sint & significent; tamen si seorsim formaliter conciperentur, certum est conceptum entis infiniti esse alterò præstantiorem.

ita perfectè Deum exprimit ac ens infinitum.

Dices 2. Conceptus substantiæ spiritualis viventis vitâ intellectuali, est perfectior conceptu infinitatis; quia dum concipio Deum ut ens infinitum, adhuc restat difficultas an sit substantia vel accidens, vivens aut non vivens, spiritualis vel corporeus: Ergo conceptus entis infiniti non est præstantior.

Nego antecedens: Nam eò ipsò quò concipio Deum ut ens infinitum, necessariò concipio ipsum ut ens perfectius quod possit cogitari; ac proinde ut habens quidquid in ente perfectionis est; alioquin non esset ens infinitum, quia aliqua entitas vel perfectio ei deesset: Ergo eò ipsò quò illum concipio ut ens infinitum, etiam ipsum concipio ut necessariò & indefectibiliter existens, ut per se subsistens, ut incorporeum, ut intelligens; denique ut habens alios gradus entis qui secum important perfectionem sine ulla imperfectione. Cætera quæ objici possent, faciliùs & convenientiùs proponentur ac solventur in sequentibus Quæstionibus, in quibus de Divina Infinitate sermo erit.

Hic enim præcisè omnem perfectionem includit.

QUÆSTIO SECUNDA.

An rationes ENTIS *&* EXISTENTIÆ *essentialiter Deo competant?*

I. Status Quæstionis.

DUo sunt in præsenti Quæstione resolvenda. *Primum*, quidem an conceptus & ratio Entis aliquò speciali modò ita Deo conveniat, ut simili ratione Creaturæ convenire non possit: *Secundum*, an Existentia seu actualitas entis Deo conveniat essentialiter, aut solùm per modum proprietatis vel modi intrinseci, sicut nonnulli Scotistæ contendunt; quæ ut pateant evidentiùs;

II. Ens trifariam usurpatur.

Notandum 1. Quòd licet vocabulum ENS secundùm Grammaticalem significationem, sit participium verbi substantivi *sum, es, est*; in quo sensu rem actu existentem denotat; non secus ac *vivens* significat rem actu viventem: Attamen à Philosophis usurpatur pro nomine substantivo significante id quod est vel esse potest. Qualiter usurpatum, trifariam sumi potest, ut notat Doctor *q.* 3. quodlibetica *n.* 20. Nimirum communissimè, communiter & strictè. Primò modò involvit entia tam realia quàm rationis, tam actualia quàm possibilia; & sic acceptum opponitur contradictoriè non enti seu nihilo. Secundò modò complectitur tantùm entia realia sive accidentalia, sive substantialia; & sic opponitur contradictoriè enti rationis quòd est

non ens reale. Tertiò modò comprehendit entia per se subsistentia, quales sunt substantiæ tam corporeæ quàm spirituales, & sic opponitur accidentibus, quæ cùm à substantia dependeant in fieri & in conservari, non tam entia dici possunt quàm quid entis. Quæritur autem an aliquo ex his modis ens Deo conveniat; an verò speciali & omnino supereminenti modò ipsi maximè propriò, & nulli Creaturæ ita convenienti, tribuendum sit.

III. *Notandum* 2. Existentiam generatim sumptam esse *id quò res est actu*; vnde fit ut res existentes per hanc suam actualitatem distinguantur à possibilibus, futuris, & præteritis. Hæc autem rerum actualitas est duplex, una *Contingens* & dependens à causa extrinseca & præexistente; alia *Necessaria*, à se, & omnino independens. Prima competit omnibus Creaturis, quæ totum suum esse à Deo mutuantur. Secunda, verò soli Deo est propria. Utraque ab essentia quàm afficit realiter est indistincta, ut probat Doctor *in* 2. *d*. 3. *q*. 3. An autem existentia Deo propria, sit ei essentialis, aut tantùm modus illius essentiæ, non est levis inter ipsos etiam Scotistas controversia: Quid autem in hac dirimenda lite verius nobis videatur, infra patebit.

Quid sit Existentia.

Est duplex Contingens & Necessaria.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. RATIO ENTIS *propriissimè ac essentialiter Deo competit*. Hæc Conclusio duas habet partes; quarum

Deus est Ens propriissimè.

Probatur prima: Illud propriissimè Deo convenit, quod maximè Deum exprimit ac demonstrat: At ratio entis maximè Deum demonstrat ac notificat: Ergo, &c. Major patet; res enim quælibet notificatur ac ab alia distinguitur per id quod sibi proprium ac peculiare est. Minor probatur per geminam definitionem quam Deus ipse de seipso Exodi 3. tradidit: Cùm enim Moyses ab eo mitteretur nuntius ad filios Israël, & ipse interrogaret Dominum his verbis: *Si dixerint mihi, Quod est nomen ejus?* respondit, *Ego sum qui sum: Qui est misit me ad vos.*

Vt egregiè probat S. Bernardus.

Quem locum S. Bernardus lib. 5. de Consider. cap. 6. sic luculenter expendit. *Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur quod est* (EST.) *Nempe hoc est ei* ESSE *quod hæc omnia esse. Si & centum alia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti. Si vidisti hoc tam singulare tam summum* ESSE, *nonne in comparatione hujus quidquid hoc non est, judicas potius non esse quàm esse? Quid item Deus?* SINE QUO NIHIL EST, *tam nihil esse sine ipso, quàm nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodammodo ipse solus est qui suum ipsius est, ac omnium esse.*

V. Idipsum priùs docuerat Trismegistus in Pymandro cap. 5. *Quoties Existentiam dico, Dei dico Thesaurum; nam Existentia Deum ipsum complectitur: extra illum nihil est, extra nihil ipse.* Unde in Templo Apollinis Delphici aureis litteris hæc inscriptio olim legebatur (EI) TU ES, vel TU SIS, ut refert Eusebius *lib*. 11. *de Præparatione Evangelica*, quam Plutarchus librò de hac inscriptione edito, sic interpretatur, *Tu es & solus verè es Deus*. Quod pariter nomen suis in scriptis plurimùm commendavit Plato, ut refert Augustinus *lib*. 8. *de Civit. Dei, cap*. 11. Idque fortè ex Moysi libris mutuatus fuerat. Unde author Catenæ advertit nomen *Tetragrammaton*, quod ab Hebræis dicitur ita factum & augustum, ut illud soli summo Sacerdoti proferre liceret, idem significabat ac *qui est*.

Notatio digna de esse Dei.

His concinit Elias commentans & explanans orationem 24. Nazianzeni. *Deus*, inquit, *ut sanctus Dionysius ait, est quidem causa iis quæ sunt, ut sint; ipse autem non est, ut qui nihil horum quæ sunt, sed supra omnia sit. Quamvis enim Deus* ENS *dicitur, juxta illud*, Ego sum qui sum; ENS *tamen non est, ut ea quæ sunt: quonam enim modo opifex, ut opera esset? Neque certo modo Ens, sed simpliciter ac peculiari modò, aut velut eximiè ac præcellenter quemadmodum ipse solus novit.*

Secundo, Ille solus verè *esse* dicitur, & *ens* ei propriissimè convenire, si cætera præter ipsum congruentiùs dicantur non esse, quàm esse: atqui cætera præter Deum meliùs & rectiùs dici possunt non esse quàm esse. *Probatur*: Illa rectiùs dici possunt non esse quàm esse, de quibus longè plura negari possunt quàm affirmari: at de homine, v. g. omnium creaturarum visibilium Monarcha, multo plura negari possunt quàm affirmari; pauci namque gradus essendi de ipso affirmantur, nempe quod sit animal rationale, corpus, &c. at infinitæ propemodum sunt aliæ creaturæ, quæ de eo negantur; non enim homo est Angelus, non Astrum, non Elementum, &c.

VI. *Deinde*, triplex entis creati status potest à nobis concipi. *Primus*, ante sui productionem: *Secundus*, in sui existentia: *Tertius*, post sui consumptionem; seu quando non erat, cùm actualiter existit, & postquam esse desiit: *Certum* est autem hominem ante sui ortum & post interitum penè esse nihil; siquidem ante ortum solùm habebat esse possibile, quod Doctor *esse diminutum*, seu parum distinctum à nihilo appellat: Post sui interitum iam non remanet nisi secundùm partem & penes solam animam; Corpus enim ejus solvitur in cineres & favillas.

Creatura nihil pene est in suo triplici statu.

Certum pariter dum vivit, cum parum à nihilo distare, non solùm quia continua mors ei instat, & ut loquitur Seneca, Senibus est in januis, Iuvenibus in insidiis; ita ut meritò cum Davide quivis hominum dicere meritò debeat, *Vno tantùm gradu ego morsque dividimur*; sed quia esse cuilibet Creaturæ non nisi accidentariò, mendicatim & precariò convenit. *Secundò*: quia esse Creaturarũ nihilo summè vicinum est; etenim ut docet S. Dionysius, ultimum in elementis est terra, in corporibus materia prima, in intellectualibus anima nostra, in rebus omnibus esse. Itaque sicut esse Creaturæ apparet primum in creatione post nihilum, sic ultimum est resolutione & prope nihilum: Sicque esse creatum est inter duo nihil; unde cùm media semper aliquid ab extremis participent; sic esse creatum aliquid habet nihili ex quo prodit, & nihili in quod rendit.

VII. Nonnulli huc referunt quod Christus Dominus instante Passione Iudæos omnes prostravit hoc verbo *Ego sum*; quasi significare voluisset infinitam essentiæ & naturæ suæ majestatem: & è diametro creaturæ nihilum. Hinc in Scripturis, Job cap. 23. dicitur, *Ipse enim solus est*, & cap. 14. *Nonne tu qui solus es?* De Creaturis è

Vt sacra Scriptura.

Quadruplex est gradus univocationis.

si tantùm in quartô gradu univocationis, nego. Quadruplex enim gradus univocationis à nostris distinguitur. *Primus est*, cujus ratio univoca æquali perfectione, eodem ordine essentiali, & eodem modo essendi est in suis inferioribus, sic species infima; verbi gratia, homo, est in Petro & in Joanne, &c. *Secundus*, cujus ratio est quidem in inferioribus eodem ordine essentiali, & eôdem modô essendi: sed non cum æquali perfectione, sic genus, verbi gratia, animal, est in homine & in bruto, nobiliùs quidem in homine ratione perfectioris differentiæ, quæ illud contrahit ad hominem. *Tertius*, cujus ratio æquè essentialiter, sed non æquè immediatè inferioribus convenit: sic numerus est univocus ad binarium & ternarium, quia uterque est essentialiter numerus; sed priùs binario quàm ternario convenit. *Quartus* denique cujus sola ratio univoca convenit inferioribus, seclusis eodem modo essendi & eodem ordine essentiali: & hôc modô existentia convenit Deo & Creaturis. Deo quidem essentialiter formaliter. Creaturis verò tantùm essentialiter realiter, seu ut modus intrinsecus ab essentia realiter indistinctus.

Instabis: Hac admissa responsione, sequeretur essentiam divinam non esse primò diversam ab essentia creata, nec simpliciter simplicem; sed falsum consequens: Ergo & antecedens. Probatur sequela. Illa essentia non est primò diversa, nec simpliciter simplex, quæ habet unum conceptum communem, in quo cum alia convenit, & conceptum peculiarem per quem ab alia distinguitur: atqui divina essentia talis foret, siquidem per conceptum existentiæ cum essentia creata conveniret, & per conceptum essentiæ ab ea differret; sicque esset resolubilis in rationem particularem & communem: Ergo nec esset simplex, nec primò diversa.

XIII.

Quomodo Dei Existentia ab existentia creaturæ discrepet.

Nego minorem: Nihil enim inde absurdi sequitur, licet enim essentia divina deberet esse diversa à creatura & simplex; non tamen opus est ut sit primò diversa & simpliciter simplex; neque hoc ullam arguit imperfectionem in Deo, imò dicit perfectionem, quia conceptus simpliciter simplex, seu irresolubilis in alios conceptus tam virtualiter, quàm formaliter videtur esse minùs perfectus, siquidem perfectionem, ac entitatem veluti determinatam & limitatam includit.

Dices 3. Quod adveniens alicui rei non variat ejus rationem formalem, est tantùm modus intrinsecus; sed talis est existentia, siquidem homo possibilis, & homo actu existens, est idem homo essentialiter; nec per actualem existentiam variantur illius prædicata essentialia: Ergo à simili, existentia divina erit tantùm modus divinæ essentiæ.

Nego paritatem, & ratio disparitatis est, quod existentia creata non ingrediatur rationem formalem essentiæ creatæ: sed eam sequitur & de statu possibili ad actualitatem reducit: secus est autem in divinis; cum enim essentia divina sit necessariò purus actus, omnem omnino possibilitatem excludit & existentiam in suo essentiali conceptu includit.

Dices 4. Si existentia esset de formali conceptu essentiæ, esset etiam de formali conceptu attributorum, & relationum personalium: at consequens est falsum, alioquin plures essent in Deo existentiæ sicut in eo plura sunt attributa, & plures relationes personales multiplicata enim re, moltiplicatur & id quod est de conceptu essentiali illius. Probatur *antecedens*; Ideo enim existentia esset de conceptu formali essentiæ; quia ut diximus, essentia divina est ens necesse esse & actus purus: sed talia pariter sunt attributa talesque relationes: Ergo si existentia ob hanc rationem sit de conceptu formali essentiæ divinæ; debet etiam esse de conceptu formali attributorum & relationum.

Negari posset antecedens: Non enim eadem est ratio essentiæ & attributorum ac relationum, siquidem attributa & relationes cùm præsupponant essentiam divinam à qua emanant, possunt intelligi ab ea suam mutuari existentiam, essentia autem divina à nullo potest existentiam accipere; ac proinde necessum est ut illam in suo conceptu formali involvat. Verùm eô gratis admissô, XIV.

An tot in Deo sint existentiæ distinctæ quot Attributa.

Nego minorem: Non enim inconveniens est tot in Deo admittere existentias, quot sunt proprietates & relationes adæquatè distinctæ; cum enim existentia sit prædicatum transcendens & conveniens omni enti actuali, necessum est tot esse existentias, quot sunt entia actualia formaliter, vel realiter adæquatè distincta; quia sicut modus intrinsecus non habet realitatem vel formalitatem adæquatè distinctam ab essentia; sed involvitur in perfecto ac modificato illius conceptu: ita etiam non habet existentiam ab essentia distinctam. Secus autem est de attributis positivis, & relationibus personalibus, quæ cùm sint entitates actuales distinctæ formaliter & adæquatè ab essentia divina, etiam necessum est habeant suam existentiam ab ea distinctam; quod maximè constat de existentia essentiæ & relationum; illa enim est communicabilis, hæ verò omnino incommunicabiles. Unde inferendum est, quod quidquid habet realitatem, formaliter ab essentia distinctam, debet etiam habere existentiam formaliter ab existentia essentiæ distinctam. Sic Doctor *in* 2. *dist*. 3. *quæst*. 1. docet naturam communem habere proprium esse reale extra animam distinctum formaliter ab esse naturæ singularis, sicut habet suam propriam realitatem & quidditatem.

Dices 5. Quod existit essentialiter, non potest concipi non existens: sed Deus concipi potest non existens: Ergo, &c. Major patet: Res enim non potest concipi sine sua essentia, nec sub opposito suæ essentiæ: homo enim, v.g. non potest concipi nisi ut est sensitivus & rationalis, nec potest apprehendi ut Asinus. Minor etiam constat ex sententia Atheorum, qui Dei existentiam in dubium revocant.

Respondeo cum sancto Bonaventura *in* 1. *dist*. 8. *parte* 1. *quæst*. 2. aliquid posse cogitari & concipi non esse dupliciter; nimirum sine assensu & cum assensu concipientis. *Priori modo*, aliquid potest concipi sub opposito suæ essentiæ, v.g. homo Asinus: Hic enim conceptus nihil aliud importat quàm intelligentiam eorum quæ dicuntur & proferuntur in propositione. *Posteriori modo*, quando aliquid concipi potest non esse, id provenit vel ex defectu intelligentis, vel ex defectu intelligibilis: Defectus autem intelligentis est vel cæcitas, vel ignorantia, quâ fit ut qui rem ignorat, eam non esse putet: Hæc autem ignorantia, vel spectat rei existentiam, vel essentiam. Fatetur autem intel- XV.

An Deus concipi possit non existens & quomodo?

lectum humanum posse concipere Deum non esse quoad *quid sit*, hoc est, nescire ejus essentiam; non autem quoad *an sit*, id est, de ejus existentia verè dubitare.

XVI. Nam (inquit Hugo lib. 1. de Sacram. parte 3. cap. 1. *Deus ab initio sic cognitionem suam in homine temperavit, ut sicut numquam quid esset poterat ab homine comprehendi; ita numquam quia esset poterat ignorari.* Quia ergo (inquit S. Bonaventura) intellectus noster numquam deficit in cognitione Dei, *si est*, ideo non potest ignorare ipsum esse, nec cogitare ipsum non esse; quia verò deficit in cognitione, *quid est*; ideo frequenter cogitat Deum esse quod non est. V. g. esse Solem, Idolum, &c. Et etiam cogitat non esse quod est, v. g. Deum non justum; & idcirco ratione defectûs intellectus, Deus potest cogitari non esse id quod est; licet non possit cogitari quid sit.

Eximia S. Bonaventuræ doctrina, de modo cognitionis Dei.

Si autem id proveniat ex parte intelligibilis, cùm hic defectus sit aut defectus præsentiæ, aut defectus evidentiæ, nimirum quia vel res non est semper, & sic potest cogitari non esse aliquando; vel non est ubique, & sic potest cogitari non esse hîc; vel quia non habet probationes evidentes, & sic potest cogitari non habere certam existentiam. Neutrô autem ex his modis Deus potest cogitari non esse, quia est semper, ubique, & per Creaturas evidenter demonstrabilis. Sicque non potest cum assensu cogitari non esse, nisi propter ignorantiam cogitantis, qui ignorat quid significetur per nomen Dei; ideoque falsum est Atheos revera Dei existentiam in dubium revocare, & de facto assentiri huic propositioni *Deus non est:* sed solùm eam ore tenus proferunt.

QUÆSTIO TERTIA.

An Deus sit Substantia completa, Spiritualis, Vivens?

CUM apertè satis superque pateat Deum esse entium omnium maximum & præstantissimum, cuique facilè in mentem venit, eum pariter inter præcipuas ac nobiliores entis species primum locum ac sedem obtinere; ac proindeeum esse substantiam completam, spiritualem & viventem, nulla foret ambigendi & disputandi occasio, nisi ad id malè philosophantium error provocaret.

I. *Notandum primò*, SUBSTANTIÆ nomen variis modis usurpari, primo quidem pro *facultatibus*, seu *divitiis*, quibus humana vita sustentatur; qualiter substantiæ nomen plerumque in Scriptura sacra usurpatur. Sic Proverb. 3. dicitur, *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei, &c.* Sic Luc 15. Filius prodigus dicitur accepisse à patre suo *portionem substantiæ* sibi debitæ, & eam dissipasse vivendo luxuriosè.

Substantia variè usurpatur.

2. Sumitur pro *natura* & *essentia* cujuslibet rei, sive substantialis, sive accidentalis, quô sensu dicimus aliquando accidens posse considerari secundùm substantiam suam; hoc est secundùm suam entitatem & naturam.

3. Accipitur pro eo *ente* quod opponitur *accidenti*, & quod ita per se subsistit, ut nullatenus esse possit in subjecto inhæsionis.

Hôc autem modô usurpatum *substantiæ* nomen oritur à verbis *substo*, vel *subsisto*; Primum designat illius munus, quod est *substare*, seu *stare* sub accidentibus: Secundum indicat illius rationem formalem, quæ consistit in existentia per se, seu in modo existendi independenter à quolibet accidente.

Notandum secundò: Nomen *spiritûs* omnium pene æquivocorum esse maximum: Primò enim accipitur pro *re tenuissima*, sive illa sit accidens, sive substantia; qualiter purior sanguinis pars *spiritus vitalis* nominatur: & species intentionales, spirituales rerum imagines vocantur. Sic autem acceptum nomen, *spiritus*, non opponitur corporeo: sed crasso, maximèque solido. II.

Varia nominis *spiritus* significatio.

Secundò accipitur pro *vento, aëre, exhalatione*, & hinc *spirare*, & *respirare*; idem est ac aërem trahere; & ventus nimio impetu irruens *spiritus procellarum* vocatur. Tertiò pro *anima* sive rationali, sive sensitiva. Sic Eccle. 3. *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Quartò pro *substantia incorporea*, qualiter opponitur corpori. Sic Christus Dominus Luc 24. Veritatem suæ resurrectionis aperiens suis Discipulis, qui videntes eum januis clausis medium in Cænaculum intrasse, putabant esse phantasma, & *existimabant se spiritum videre*, ait, *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

Notandum tertiò, ex S. Thoma 1. part. q. 18. a. 1. *Quod illa Propriè sunt viventia, quæ se ipsa secundùm aliquam speciem motus movent; sive accipiatur motus Propriè, sicut motus dicitur actus imperfecti, idest existentis in potentia: sive motus accipiatur Communiter, pro ut dicitur actus perfecti, pro ut sentire & intelligere dicitur moveri, ut dicitur in tertio de Anima. Vt sic autem viventia dicuntur quæcumque se agunt ad motum, vel operationem aliquam: Ea verò, in quorum natura non est ut se agant ad aliquem motum, vel operationem, viventia dici non possunt nisi per aliquam similitudinem.* Unde respondens ad tertium ait, *Quod aqua viva dicuntur, quæ habent continuum fluxum; aquæ verò stantes dicuntur mortuæ, ut aquæ cisternarum & lacunarum, sed hoc per similitudinem.* Hic autem motus vitalis ut propriè dicatur, fieri debet à re in proprio ac naturali loco stante. Unde gravia quidem & fluuii moventur dum sunt extra situm suum nativum, in eo verò quiescunt. Plantæ autem & aliæ res viventes moventur motu vitali, quando sunt in sua dispositione & situ naturali, ut ait idem ibidem ad secundum. III.

Quid sit Vita.

Hinc ibidem *articulô tertiô* colligit triplex genus vitæ. Primum eorum quæ se movent ad augendam & perficiendam formam sibi à natura inditam ut plantæ. Quædam, ad formam externam sui perfectivam obtinendam, qualia sunt animalia quæ moventur ad formam, non à natura inditam, sed per sensus acceptam: Quædam tandem se movent ad finem apprehensum cum debito ordine mediorum, qualis est creatura rationalis. Sed quoniam intellectus creatus movetur à cognitione principiorum ad cognoscendam conclusionem, & ab objectis externis movetur & allicitur ad operationem; hinc fit quod licet moveat se, tamen quoniam ab alio etiam movetur, perfectum vitæ gradum non habet. Unde concludit: Illud igitur cujus sua natura est ipsum intelligere, & cui id quod naturaliter IV.

Triplex vitæ genus.

naturaliter habet, non determinatur ab alio, hoc A
est, quod obruiet summum gradum vitæ: tale autem est Deus; unde in Deo maximè est vita. His claritatis gratiâ prælibatis, sit

CONCLUSIO PRIMA.

V. *Deus est Substantia.*

DEus *est Substantia, eaque Completa.* Hæc Conclusio duas partes complectitur, quarum probatur.

Prima. Deus est ens præstantissimum: Ergo inter species entis primum ac præcipuum locum obtinet: sed substantiæ sunt nobiliores entis species: Ergo inter eas Deus primas obtinet. Major patet ex dictis: Minor pariter ex communi Philosophorum calculo, qui fatentur accidens *esse entis ens*, seu ens minùs perfectum. B
Secundò. Accidens dependet à subjecto, eòque est naturâ posterius; Deus autem est ens independens in omni genere: Ergo non est accidens, ac proinde est substantia. *Tertiò.* Quod producit substantiam, non potest esse accidens; quia causa est suo effectu præstantior, & quidquid dignitatis & perfectionis effectus habet, id totum à causa sua mutuatur; & consequenter cum accidens sit imperfectius substantiâ, eam producere nequit: sed Deus est omnium substantiarum Auctor & Opifex: Ergo non est accidens, sed substantia: Hæc fusiùs infra constabunt agendo de Divina simplicitate, obi omne accidens à Deo removendum esse demonstrabimus. C

Dices 1. ex S. Augustino lib. 7. de Trinitate cap. 5. *Manifestum est Deum abusivè substantiam vocari.* Item Boëtius etiam lib. de Trinitate circa medium dicit *Deum non esse verè substantiam*, ac proinde nulla conclusio.

VI. *Non abusivè, sed propriè.*

Nego consequentiam, auctoritatem verò sancti Augustini distinguo: Deus non est substantia, quatenus *substantia* significat id quod *substat* & subjicitur accidentibus, concedo: quatenus substantiæ nomen exprimit id quod *per se subsistit*, nego. Quod autem hæc sit mens S. Augustini, liquet; cùm enim in fine capitis quarti dixisset *sicut ab eo quod est* ESSE, *appellatur* ESSENTIA, *ita ab eo quod est* SUBSITENS, SUBSTANTIAM *dicimus...... Omnis enim res ad seipsam subsistit, quantò magis Deus? Si tamen dignum est ut Deus dicatur subsistere.* Subjungit in cap. 5. *Deus autem si subsistit ut substantia propriè dici possit, inest in eo aliquid tanquam in subjecto. & non est simplex, cui hoc sit esse quod illi est, & quidquid alind de illo ad illum dicitur, sicut magnus, omnipotens, bonus, & si quid hujusmodi de Deo non incongruè dicitur. Nefas est autem dicere ut subsistat & subsit Deus bonitati sua, atque illa bonitas non substantia sit vel potius essentia; neque ipse Deus sit bonitas sua: sed in illo sit tanquam in subjecto. Unde manifestum est Deum abusivè substantiam vocari, ut nomine usitatiore intelligatur essentia. quod verè ac propriè dicitur: ita ut fortasse solum Deum dici oporteat substantiam.* Quibus liquidò mens eius constat. D E

Nec S. Augustinus contradicit.

Neque Boetius.

Ad Boetium autem dico eum ita esse intelligendum, ut velit Deum non esse substantiam finitam ac limitatam, qualiter creaturæ substantiæ dicuntur; sed substantiam infinitam, & omnimodè independentem ac per se subsistentem, ait enim: Substantia in illo non est verè substantia, sed ultra substantiam.

Et (paucis interpositis) nam cum dicimos, Deus, substantiam quidem significare videtur: sed eam quæ sit ultra substantias: qualiter etiam sanctus Dionysius libro de divinis nominibus censet Deum non esse appellandum substantiam, sed supersubstantiam.

Dices secundò, Scripturæ sacræ plerumque Deum exprimunt nomine accidentibus proprio. Sic verbi gratiâ dicitur primæ Ioannis, *Deus lux est & tenebræ in eo non sunt ullæ:* ibidem capite quarto, *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet:* Sed lux & charitas sunt accidentia: Ergo Deus est accidens.

VII. *Quare Deus nominibus accidentium appelletur.*

Distinguo majorem: Secundum analogiam & proportionem aliquam, ratione videlicet operationis & effectuum, concedo; secundùm rei veritatem & entitatem, nego: Itaque Deus dicitur *lux*, quia nimirum omnes peccati tenebras & creaturarum omnium defectus, sicut lux caliginem, procul à se abigit & eliminat: tum etiam quia gratiarum suarum nos luce perfundit & *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Pari ratione dicitur *charitas*, quia nempe summo in homines amore æstuat & ardentissima dilectione nos prosequitur.

VIII. *Deus est substantia completa.*

PROBATUR SECUNDA PARS: Quia si esset substantia incompleta, vel esset materia, vel forma; neutrum dici potest. Non *primum*, quia materia non vivit, Deus autem vivit: materia est potentia passiva, adeòque aliquid imperfectum, Deus autem est ens perfectissimum; materia non est activa, Deus autem est prima causa effectiva rerum. *Non etiam secundum.* tum quia omnis forma habet ordinem essentialem ad materiam, qui ordo essentialis arguit dependentiam: tùm etiam quia si esset forma, vel animata vel inanimata; non posterius, quia esse formam animatam perfectius est, quàm esse formam inanimatam: Non etiam priùs, quia forma animata debet uniri alicui materiæ ut faciat totum aliquod animatum: non à se, Ergo ab alio: Ergo si Deus esset forma animata, esset aliqoid Deo prius.

CONCLUSIO SECUNDA.

IX. *Eaque spiritualis.*

DEus *est Substantia Spiritualis.* Hæc est de fide, ut constat tum ex Scripturâ sacrâ Ioannis quarto, *Deus spiritus est*: Secundæ ad Corinthios tertio, *Dominus autem spiritus est*; Sapientiæ primo; *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*: Psalmo vigesimo octavo, *Quò ibo à spiritu tuo? si ascendero in Cœlum tu illic es:* quamquam enim vocabulum, *Spiritus*, interdum sumatur in Scripturis pro substantia corporea, ut dictum est in 2. *Notabili*, tamen præfatis in locis propriè usurpatur, ut probabimus agendo de simplicitate Dei ubi ipsum nec corpus, nec corporeum esse demonstrabimus.

CONCLUSIO TERTIA.

X. *Deus est substantia vivens.*

DEus *est Substantia Vivens.* Hæc est pariter de fide, ut constat ex Scriptura sacra, in quâ Deus ipse nedum efficacissimis argumentis, sed etiam jusjurando se vivere affirmavit. Sic Deuteronomii 33. ubi inanium Deorum impotentiam exprobrasset, & insa-

Physicæ, sive Metaphysicæ experti; de hoc autem modo constitutionis impræsentiarum agimus.

IV. *Constitutio formalis tria requirit.*

Notandum 2. ad formale constitutivum rei, tria requiri. *Primum* quidem, ut quantum fieri potest sumatur ex ultima & perfectissima ratione rei; ex *ultima* quidem, quia debet rem distinguere ab omni alia; ex *perfectissima* verò, quia debet esse radix omnium operationum, & proprietatum quæ rei competunt. *Secundum*, quod conveniat rei per se primò & quatenus est præcisè talis res à quacumque alia distincta; alioquin vel esset accidens, vel esset illi commune cum reliquis; ac proinde nec esset illius constitutivum, nec distinctivum essentialiter; *Tertium* denique, ut realiter & formaliter contineat omnia, quæ sibi vendicat essentia ut talis est, eò quód numquam essentia concipiatur perfectè constituta, donec intelligatur formaliter involvere ea quæ ipsam constituunt in ratione essentiæ.

V. *Tria sunt in actu primo intelligendi distinguenda.*

Notandum 3. in actu primo intelligendi generatim sumpto, tria potissimum reperiri: *Primum* est virtus physicè productiva actualis intellectionis; qualis non est in Deo, quippe cùm essentialis Dei intellectio sit improducta. *Secundum* est virtus intellectionis receptiva; & hic similiter conceptus à Deo quàm longissimè removendus est, utpote qui sit omnis accidentis incapax. *Tertium* denique, & præcipuum in principio radicali intelligendi, est vis quædam perceptiva objectorum intelligibilium ab actuali intellectione repræsentatorum. Cum ergo non minùs hæc vis Deo competat, quàm animæ vel Angelo; quippe cùm Deus percipiat omnia intelligibilia; idque infinitô modô: inde fatentur omnes pene Theologi in ipso esse principium intelligendi per modum actus primi, & virtutis ac facultatis intellectivæ, sive per modum radicis à quâ emanat intellectio actualis, ab ipsa radice & virtute distincta, vel formaliter, ut affirmant Scotistæ; vel ratione ratiocinata, ut plerique Thomistæ edocent. An autem hæc vis intelligendi, vel ipsa intellectio actualis sit ultimò constitutiva & distinctiva Dei, patebit in sequenti Quæstione: sed prius sit

CONCLUSIO PRIMA.

VI. *Essentia divina non constituitur per Aseïtatem.*

ESSENTIA *Divina formaliter non constituitur, nec ultimò distinguitur per* ASEITATEM, *seu rationem essendi à se & essentialiter existendi.*

Probatur 1. *Aseitas* sumitur prout negat omnem rationem essendi ab alio vel tanquam à causa, vel tanquam à principio; sed neutrô modô potest esse formaliter constitutiva & ultimò distinctiva essentiæ divinæ. *Non primum*, quia non esse ab alio tanquam à causa, ne dum essentiæ divinæ; sed etiam attributis & relationibus divinis competit: Ergo hæc ratio aseïtatis, quatenus negat existentiam ab alio tanquam à causa, nequit esse principium formaliter constitutivum essentiæ divinæ sub præcisa & formali ratione essentiæ. *Secundum* etiam dici nequit, alioquin essentia divina Filio & Spiritui sancto propriè non conveniret; non enim habent rationem essendi à se per negationem principii, siquidem Filius est à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio, tanquam à principiis, à quibus emanant & producuntur.

VII. *Hæc enim est tantùm modus essentiæ divinæ.*

Secundò, Gradus constitutivus essentiæ non debet esse aliquis modus habendæ & obtinendæ entitatis, aliqua enim duo non distinguuntur specificè aut quasi specificè, nec constituuntur in tali specie entis ex sola diversitate habendi suam entitatem; quis enim diceret Abelem essentialiter ab Adamo distingui, quia ab eo suam entitatem ac naturam accipit? Sed *aseitas* dicit tantùm modum habendi entitatem à se & non ab alio: Ergo non est principium essentiæ constitutivum & distinctivum.

VIII. *Et essentiæ divinæ tantùm competit ut est ens.*

Tertiò, Quod convenit essentiæ divinæ ut considerata per modum entis, & quasi genericè, non potest esse gradus illius differentialis constitutivus & formaliter distinctivus: sed *aseïtas* divinæ essentiæ competit præcisè ut ens est, dicitque solùm ultra rationem entis, negationem essendi ab alio: Ergo nequit esse divinæ essentiæ formaliter constitutiva & distinctiva. *Major* patet exemplo omnium graduum differentialium essentias constituentium & distinguentium; nemo enim dixerit hominem v. g. essentialiter constitui & ultimò distingui per gradum *animalis* aut *viventis sensitivi*, qui ipsi genericè competunt. *Minor* pariter est evidens, *aseitas* enim formaliter nihil aliud importat, quàm negationem existendi dependenter ab alio, sicque Deo præcisè competit sub ratione entis independenter existentis; ac proinde ei convenit per modum gradus generici, qui non potest esse formaliter constitutivus & ultimò distinctivus essentiæ.

IX. *Et Deum tantùm à creaturis veluti genericè distinguit.*

Confirmatur. Sicut homo v. g. dupliciter considerari potest, nimirum genericè, quatenus est ens creatum, & sub hac ratione communi cunctis creaturis, constituitur per rationem formalem essendi ab alio; vel specificè quatenus est homo seu animal rationale, qualiter consideratus distinguitur per rationalitatem ab omni alio ente creato: Ita à simili, essentia divina considerari potest vel quatenus est ens increatum & à creaturis distinctum, & sic considerata, constituitur equidem per rationem aseïtatis: Vel quatenus est formaliter hæc essentia divina & radix omnium divinorum attributorum, ac perfectionum quæ Deo conveniunt; sic autem constitui nequit per aseïtatem; siquidem aseitas non est formalis ratio cur Deus sit spiritualis, vivens, sapiens, &c. quia hæc prædicata possent ei competere etsi per impossibile non esset à se, sicut de facto creaturæ competunt, licet sit ens dependens & ab alio, nempe à Deo productum.

Dices 1. Illud est formale constitutivum essentiæ divinæ, quod Deus usurpavit ad suam naturam & essentiam hominibus declarandam & exprimendam: sed Deus suam naturam declarans Moysi Exodi 3. non aliter eam expressit, quàm per hoc quod sit ens per essentiam & à se existens, ait enim, *Ego sum qui sum, qui est misit me ad vos.* Unde S. Athanasius oratione contra Gentes columna 3. ait, *Deus qui est ipsa essentia, nullis partibus coalescit, quapropter & ejus ratio, ipsum est esse:* Ergo ratio existendi essentialiter & à se, est formaliter constitutiva ac distinctiva essentiæ divinæ.

X. *Hanc tamen Deus usurpavit*

Distinguo majorem. Quatenus divina essentia laxiori vocabulo exprimitur, & habet rationem transcendentis ac entis increati & distincti à creaturis, concedo: quatenus strictiùs consideratur & prout essentia distinguitur & præscindit

quasi characterem notiorem ut se creaturis manifestaret.

tum à modis intrinsecis, tum ab attributis, tum à relationibus divinis, nego. Et similiter distincta minore, neganda est consequentia. Fateor itaque quod ipsa ratio entis à se & independenter existentis sufficiat ad ostendendam essentialem distinctionem Dei à Creaturis; idcirco hanc, uti intellectu faciliorem, Deus usurpavit, tum ut suam divinitatem exprimeret; tum ut hominum subjectionem, dependentiam, & sibi debitam obedientiam ac reverentiam designaret: non autem sufficit ad notificandam distinctionem ipsius divinæ essentiæ à divinis perfectionibus, quæ ab ipsa emanant; uti de divina essentia impræsentiarum agimus.

Dices 2. Illa ratio est formaliter constitutiva alicujus, ante quam res non intelligitur essentialiter distingui, & postquam nihil in ea concipitur per quod essentialiter differat ab eo omni quod non est ipsamet; idem enim est principium rei constitutivum ac distinctivum: sed ante conceptum gradum aseïtatis, Deitas non intelligitur distingui à quocumque alio quod non est ipsa; & post conceptum gradum aseïtatis, nullus est per quem Deus ita distingui potest, quia post esse, non datur ulterior contractio essentialis, cùm esse sit ultima actualitas essentiæ. Ergo gradus aseïtatis est formaliter distinctivus naturæ & Essentiæ divinæ. *Minor* patet quoad posteriorem partem; patet similiter quoad priorem, siquidem Deus per substantiam distinguitur ab accidentibus, per completam à partibus, per viventem ab inanimata, per spiritualem à corporea, per singularem à communi, & per ens à se, distinguitur ab omni ente creato & dependente: Ergo aseïtas est prima ratio formalis distinctiva.

XI. *Per eam enim primò quidem, non autem ultimò à Creaturis discrepat.*

Respondeo concessa majore, & prima parte minoris, nimirum quòd ante conceptam aseïtatem nullus gradus in Deo appareat per quem priùs distinguatur essentialiter à Creaturis; negando alteram partem ejusdem minoris, nimirum post gradum aseïtatis, nullum ulteriorem esse, per quem Deus essentialiter à Creaturis discrepet: infinitas enim radicalis est gradus posterior aseïtate, per quem Deus essentialiter nedum à Creaturis, sed & ab attributis & modis distinguitur. Ad rationem probativam minoris, distinguo, Esse est ultima actualitas essentiæ genericè spectatæ & ut ens est, concedo: specificè spectatæ & ut est formaliter essentia distincta à perfectionibus quæ ab ea emanant, nego.

CONCLUSIO SECUNDA.

Neque vis intellectiva, neque actualis intellectio, sunt principia formaliter constitutiva & ultimò distinctiva Essentiæ divinæ.

XII. *Intellectus divinus non est formale constitutivum essentiæ Dei.*

PROBATUR PRIMA PARS. Per id formaliter non constituitur nec distinguitur divina essentia, quod eam constitutam & distinctam præsupponit: sed vis intellectiva divinam essentiam jam constitutam præsupponit: Ergo eam nec constituit nec distinguit. Major patet; Minor pariter: omnis enim virtus supponit rem cujus est, ut patet generatim per inductionem: sic vis formalis discursiva in homine supponit illius essentiam, vis intellectiva in Angelo, Angelum jam essentialiter constitutum præsupponit. Dixi *formalis*, non enim me latet quod sicut vis intellectiva radicalis in Angelo est eadem formaliter cum ejus immaterialitate & spiritualitate, ac proinde sic usurpata est de conceptu essentiali ejus; sicut etiam vis intellectiva in Deo radicaliter sumpta, idem est cum ejus essentia; secus autem si formaliter sumatur, & quatenus ad intellectionem ordinatur; sic enim ab essentia distinguitur, & eam præsupponit.

Secundò. Illud non est formale constitutivum & distinctivum Essentiæ divinæ, quod ab ea distinguitur formaliter: sed intellectus divinus seu vis intellectiva distinguitur ab Essentia divina formaliter, ut pluribi affirmat Doctor, præsertim quæstione prima quodlibetca, & in quartum distinctione 13. quæstione 1. numero 31. ubi hæc habet: *Deus est simpliciter Beatus in operationibus intellectus & voluntatis suæ: non est autem simpliciter Beatus in essentia:* Ergo essentia ab intellectu & voluntate distinguitur. Insuper ibidem numero 32. dixit voluntatem non includere omnes perfectiones fundamentaliter; *Sed sola* (inquit) *essentia, sic omnes includit.* Idem ferendum judicium de intellectu: censet Ergo Doctor intellectum & voluntatem Dei formaliter ab essentia distingui; ac proinde censet neutrum eorum esse formale constitutivum & distinctivum essentiæ.

XIII. *Neque etiã actualis intellectio.*

Tertiò. Essentia divina est ens actualissimum & proinde omnem rationem potentialitatis à suo conceptu formali excludit: sed vis intellectiva importat rationem potentiæ ordinatæ ad actum intellectionis: Ergo hæc Essentiæ divinæ conceptum formalem non ingreditur.

1. Quia potest demonstrari à priori.

PROBATUR ETIAM SECUNDA PARS & prior confirmatur: Illud non est formale constitutivum Essentiæ divinæ, quod potest demonstrari à priori: sed tàm virtus intellectiva quàm intellectio actualis in Deo, demonstrari possunt à priori: Ergo, &c. *Major* per se patet: essentia namque est primum conceptibile in re. *Minor* probatur à sancto Thoma 1. *p. q.* 14. *art.* 1. sic, Immaterialitas est ratio cur aliquid sit intellectivum & cognoscitivum: sed Deus est summè immaterialis: Ergo & summè cognoscitivus, & consequenter intelligens; intellectio namque est suprema inter omnes cognitiones. *Minorem* probat tum ex Philosopho 2. *de anima*, ubi docet quod idcirco plantæ non cognoscunt, quia purè materiales sunt; sensus autem cognoscitivus est, quia est receptivus specierum sine materia & proinde aliqualiter immaterialis; intellectus etiam humanus magis cognoscitivus est, quia magis immaterialis ac minus materiæ immixtus ut docet Philosophus 3. *de anima*. Similiter quia Angelus præstat anima rationali per suam immaterialitatem, utpote qui ad corpus informandum sicut anima non ordinatur, etiam perfectiùs cognoscit: Ergo immaterialitas cum sit in Deo perfectissimè; Deus omnium perfectissimè etiam cognoscit: ac proinde tàm vis intellectiva quàm ipsa intellectio demonstratur à priori, sicque neutrum potest esse principium constitutivum Essentiæ divinæ.

XIV. *2. Quia supponit divinam essentiã ut objectum,*

Secundò. Actualis intellectio & cognitio supponit objectum: sed objectum intellectionis & cognitionis actualis Dei, est Essentia divina: Ergo intellectio actualis supponit Essentiam divinam, ac proinde illam non constituit. Confirmatur. Si intellectio non suppo-

neret Essentiam divinam à se distinctam, sequeretur illam habere se ipsam pro objecto; sicque divina cognitio non esset actus directus, sed reflexus, quod certè videtur absurdum. Insuper, omnis cognitio supponit objectum cognoscibile: Ergo cognitio divina supponit saltem priùs naturâ essentiam suam quam attingit. Denique cognitio est operatio: Ergo supponit & potentiam & essentiam; siquidem operari sequitur esse, proindeque essentiam illam non constituit.

XV. *Tertiò*. Essentia divina est radix omnium attributorum & modorum ab ea emanantium: sed intellectio non est radix nec ratio à priori omnium divinorum attributorum; purà omnipotentiæ, æternitatis, immensitatis; non enim idcirco Deus est immensus, obique præsens, nec idcirco æternus & omnipotens quia est intelligens, posset enim esse formaliter intelligens etsi per impossibile non esset immensus nec æternus, nec omnipotens: Ergo, &c.

3. Quia non est radix eorum omnium quæ sunt in Deo.

XVI. *Quartò* denique. Si divina Essentia formaliter per intellectionem actualem constitueretur, sequeretur quòd quidquid divina intellectio complectitur, etiam divinam Essentiam afficeret: sed falsum consequens: Ergo & antecedens. *Major* patet, quia enim *rationale* v. g. est principium constitutivum hominis, quidquid rationale complectitur, putà virtutem discursivam, risivam, id etiam homini convenit. *Probatur minor.* Cognitio divina complectitur omnes creatnras earumque defectus, imò & peccata: Ergo si hæc divinam essentiam constitueret, sequeretur etiam quòd peccata Dei naturam afficerent & inhærerent, quod certè asserere blasphemum esset.

4. Quia plura complectitur quæ Essentiæ divinæ non competunt.

Dices primò. Essentia divina est actus potissimus & præstantissimus: Ergo constitui debet per gradum omnium perfectissimum & qui majorem exprimit actualitatem: sed gradus intellectivus est omnium perfectissimus, & intelligere est id quod majorem actualitatem exprimit; imò est ultima actualitas substantiæ spiritualis, sicut existentia est ultimus actus entitatis: Ergo intelligere divinam essentiam constituit.

XVII. *Distinguo sequelam Majoris.* Constitui debet per gradum perfectissimum & qui majorem dicit actualitatem in ratione entis, concedo: in ratione operationis, nego. *Ad Minorem* dico, *Intelligere actuale*, seu actualem intellectionem dicere quidem majorem actualitatem in ratione operationis, quàm quilibet alius gradus in Essentia divina conceptibilis; non verò majorem connotat actualitatem in ratione entis, & principii constitutivi. Illud enim quod omnem omnino perfectionem tàm essentialem & modalem quàm attributalem identificat, majorem importat actualitatem in ratione essendi, quàm id quod ita vim identificandi non habet: sed infinitas fundamentalis hanc identificandi vim habet, non autem intellectio: ac proinde illa infinitas magis habet rationem principii constitutivi quàm hæc intellectio.

Quæ denotat quidem majorem actualitatem in ratione operationis, non verò in ratione entis.

Dices 2. Per illud formaliter Essentia divina constituitur, quod Verbum divinum recipit ex vi suæ processionis: sed Verbum divinum ex vi suæ processionis recipit intellectionem actualem: Ergo hæc est Naturæ divinæ constitutiva. *Major* patet, quia secunda persona

A vi suæ processionis dicitur filius; non potest aotem filius dici nec constitui nisi per communicationem Naturæ divinæ, ut docent Theologi in Tractatu de Trinitate. *Minor* probatur, secunda persona procedit ut Verbum: sed esse Verbi nihil aliud est quàm esse terminus intellectionis: Ergo &c.

Nego minorem: Etenim Verbum divinum ut filius est, recipit quidem Naturam divinam, non per intellectionem; sed per dictionem, quæ ab intellectione actuali distinguitur, licet utetque sit actus intellectus; ut patebit in *Tractatu de Trinitate*, in quo probabimus pariter secundam personam non idcirco filium appellari quia procedit per intellectionem, sed quia procedit à principio operante per modum naturæ. XVIII.

Quomodo secunda persona dicatur recipere divinã intellectionem.

B *Dices* 3. Deus est vivens perfectissimum: Ergo constitui debet gradu vitæ perfectissimo: sed hic gradus est intellectivus: Ergo constitui debet gradu intellectivo.

Distinguo sequelam majoris. Constitui debet gradu vitæ perfectissimo tamquam principio se tenente ex parte conceptus veluti generici, concedo: tamquam principio se tenente ex parte conceptus veluti differentialis, nego; fateor equidem Deum esse essentialiter viventem & intellectivum, siquidem gradus entis substantialis viventis vitâ intellectuali perfectissimâ essentialiter ipsi competit, sed per modum conceptus veluti generici non autem per modum gradus & principii distinctivi & præcisè constitutivi. XIX.

Qualiter conceptus *Vitæ* Deo competat.

C *Dices* 4. Actuali intellectioni competunt omnia requisita ad constitutivum Dei: Ergo Deus constituitur per gradum vitæ intellectivæ. *Antecedens* patet: Primò enim est specialis perfectio non transcendens, nec communis aliis attributis aut Creaturis. Secundò, est gradus omnium quæ sunt in Deo perfectissimus. Tertiò, est radix & conceptus prior attributorum, nam intellectio divina movet ad volitionem divinam & omnipotentiam: Ergo, &c.

D *Nego antecedens*, nam ut jam probatum est, intellectio est quidem perfectissimus graduum omnium qui in Deo sunt in ratione operationis, non verò in ratione entis; nec etiam est radix omnium attributorum, modorum, & relationum quæ in Deo sunt, ut jam diximus, ac proinde non potest esse principium formaliter constitutivum & distinctivum Dei.

QUÆSTIO SECUNDA.

E *Quanam sit ratio formalis ultimò constitutiva & distinctiva Dei.*

NOtandum 1. ex Doctore Subtili *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *num.* 32. duplicem in Deo distinguendam esse infinitatem, nimirum *fundamentalem*, & *formalem*. Prior est constitutiva Essentiæ divinæ, seu esse divini, *quod totum esse in se comprehendens*, inquit S. Damascenus, *habet esse velut substantiæ quoddam infinitum pelagus & interminatum*; seu omne prorsus *esse* in se complectitur vel eminenter vel virtualiter, vel formaliter. *Posterior* est modus ipsius Essentiæ divinæ, quæ tam in se, quàm in suis perfectionibus non est limitata; sed I.

Duplex est in Deo infinitas.

omninò & formaliter est infinita. Quemadmodum enim duo alba, v. g. dicuntur fundamentaliter similia per albedinem, & formaliter per similitudinem; quia albedo est fundamentum relationis similitudinis, quæ est veluti forma denominans alba invicem similia; sic essentia divina cùm sit omnium perfectionum divinarum radix & fundamentum, meritò ex se dicitur infinita fundamentaliter & infinita formaliter, per rationem & perfectionem formalis infinitatis.

II. *Notandum secundò* ex eodem ibidem, utramque infinitatem, *fundamentalem*, videlicet & *formalem*, competere essentiæ divinæ; *Primam* quidem per modum prædicati quidditativi convenientis essentiæ divinæ, ut essentia divina est præcisè: *Secundam* verò tantùm ut essentia est sub tali modô, seu ut infinitas formalis est modus & perfectio ipsius essentiæ. Dicit autem Doctor solam infinitatem formalem competere perfectionibus seu divinis modis & attributis; *quæ*, inquit, *habent suam perfectionem formalem ab infinitate essentiæ tanquam à radice & fundamento: neutra autem infinitas, tam formalis quàm fundamentalis competit relationibus personalibus divinis*, quales sunt paternitas, filiatio & spiratio passiva, quæ nec finitæ sunt, nec infinitæ, neque perfectæ, nec imperfectæ, ut in tractatu de Trinitate, si Deus dederit; apertè demonstrabimus.

Vtraque essentiæ divinæ competit.

III. *Notandum* 3. Quod quemadmodum in Creaturis aliqua sunt prædicata, quibus cum aliis conveniunt: alia verò quibus ab eis discrepant, sic homo v. g. convenit cum omnibus rebus in ratione *entis*; cum per se subsistentibus, in conceptu *substantiæ*; cum corporatis, in conceptu *corporis*; cum plantis, in conceptu *vegetativi*; & cum brutis, in conceptu *animalis*; ab eisque discrepat per *rationale*, quod est prædicatum ultimò hominis constitutivum, & distinctivum: Sic pariter in Deo plures concipiuntur formales rationes, quibus cum Creaturis convenit; qualis est ratio *entis*, *substantiæ*, *spiritualis*, *intelligentis*, &c. nonnullæ verò rationes sunt quibus à Creaturis longè discrepat; v. g. *infinitas*, *æternitas*, *&c.* quæ autem magis sit illius essentialiter distinctiva hìc resolvendum est; quapropter sit

In Deo sunt rationes formales convenientiæ & disconvenientiæ.

CONCLUSIO UNICA.

IV. ENs *infinitum radicaliter, seu infinitas radicalis, est formale constitutivum, & ultimò distinctivum essentiæ Divinæ.* Hæc videtur esse genuina Doctoris sententia ut colligitur ex ejus verbis in 1. *distinctione* 8. *q.* 3. *numerò* 18. ubi docet ens priùs dividi per finitum & infinitum quàm per sustantiam & accidens; sed substantia est de essentia Dei per modum generis: Ergo infinitas est etiam Deo essentialis per modum differentiæ; siquidem per eam cum nullo alio ente convenit, & per eam à quovis alio ente essentialiter discrepat. Insuper ibidem num. 29. docet ens priùs intelligi esse infinitum, quam hoc ens: sed hoc ens, seu singularitas est essentia Dei: Ergo & infinitas radicalis. Hæc evidentiùs ut appareant, profero verba Doctoris. Ait enim, *Ens autem ut convenit Deo, scilicet ens per essentiam, est ipsum esse infinitum & non aliquid, cui tantum convenit ipsum esse: & ideo ex se est hoc, & ex se infinitum, ut quasi per priùs intelligatur, aliquomodo infinitas esse modus entitatis per essentiam, quàm ipsum intelligatur esse* A *hoc; & ideo non oportet quærere quomodo hoc ens sit infinitum, quasi priùs conveniat sibi singularitas, quàm infinitas; & ita est universaliter in his quæ possunt esse entia per essentiam, non per participationem. Tale primò determinatur ex se ut sit tale per essentiam, & ut sic infinitum tale, & ut sic hoc de se*; quibus Doctor tria indicat: *Primò* quidem infinitatem Deo priùs competere, quàm singularitatem: *Secundò*, utramque esse Deo essentialem: *Tertiò*, Deum esse ens per essentiam & essentialiter singularem, quia est ens infinitum; ex quibus apertè liquet ipsum statuere infinitatem tanquam gradum constitutivum & distinctiuum essentialiter Dei.

Deus ultimò constituitur per infinitatem radicalem.

Vt Doctor affirmat.

Nec refert quòd ibidem infinitatem *modum entitatis* appellet; B non enim vult eam esse tantùm modum divinæ essentiæ, qualiter *immensitas*, *æternitas*, *&c.* dicuntur modi Deitatis; sed solùm quod non habeat rationem perfectæ & completæ differentiæ, nec sit conceptus adæquatè distinctus ab ente quod ad Deum determinat & contrahit; eô scilicet modô quô *rationale* v. g. adæquatè concipitur distingui ab animali quod contrahit ad hominem, cujus est differentia constitutiva & distinctiva; aliàs enim Deus constitueretur ex genere & differentia; quod ibidem Doctor impugnat.

SS. Patres indicant.

Idipsum constat ex omnium pene sanctorum Patrum calculo, qui rationem entis infiniti C Deo essentialem esse affirmant. Sic S. Damascenus lib. 1. de Fide orthodoxa cap. 12. Deum definit, *Immensum & infinitum essentiæ Pelagus*; sic cæteri Patres affirmant Deum à creaturis distingui per rationem *entis*; non quidem entis simpliciter; in eo namque cum creaturis univocè convenit, ut probatum est in Metaphysica; sed per rationem *entis infiniti & illimitati*. V.

PROBATUR EADEM VERITAS RATIONE. Illud est formale constitutivum & distinctivum Dei, quod primò & per se divinum esse constituit, & à quovis alio distinguit: sed talis est ratio infinitatis; siquidem ens determinat & contrahit ad Deum & illum à quolibet ente creato D distinguit; nullum quippe est ens creatum quod cum Deo in ratione entis infiniti conveniat.

Ratio probat.

Secundò. Infinitas est radix & ratio fundamentalis omnium tùm attributorum, tùm modorum ab essentia divina emanantium; siquidem idcirco Deus est omnipotens, immensus, æternus, &c. quia est ens infinitum.

Tertiò. Illud est formale constitutivum Dei, per quod nullatenus Deus cum creaturis convenit: sed per rationem entis infiniti Deus nullatenus cùm creaturis convenit: Ergo infinitas est ejus ratio formalis constitutiva.

Quartò: Si per infinitatem radicalem divina essentia non constitueretur, sequeretur eam posse concipi non infinitam; sed absurdum est E consequens: ergo & antecedens. *Major* patet, siquidem essentia concipi potest sine eo omni quod non habet rationem prædicati & principii essentialiter constitutivi. *Minor* etiam est evidens, etenim si divina essentia conciperetur non infinita, nihil in suo cõceptu formali involveret per quod à creaturis essentialiter distingui intelligeretur; siquidem per gradum entis substantialis viventis vita intellectuali, qui sunt Deo essentiales, per modum generis univocè convenit cùm creaturis, ac proinde necessum est infinitas radicalis essentialiter ipsi

conveniat tanquam conceptus differentialis illius constitutivos & distinctivus.

Dices 1. Infinitas fundamentalis, est ipsamet Essentia divina, quatenus est fundamentum & radix infinitatis formalis, ac omnium modorum & attributorum: sed incongruè Essentia divina diceretur constitui per se ipsam: Ergo & incongruè dicitur constitui per infinitatem fundamentalem.

VI. *Distinguo minorem.* Est Essentia divina in sensu identico, seu est idem cum Essentia divina quam constituit, sicut ratio est idem cum essentia hominis, concedo: in sensu formali, quasi tota formalis & præcisa ratio Essentiæ divinæ consistat in infinitate illa radicali, nego; siquidem Essentia divina duo dicit: nimirum rationem entis, & infiniti. Ratio entis est veluti generica, utpote Deo & Creaturis objectivè conveniens: infinitas verò est veluti differentia Deum ab omni alio ente distinguens.

Infinitas radicalis non est tota Essentia divina formaliter.

Dices 2. Quod demonstrari potest à priori in Deo, divinam essentiam non constituit: sed ex Doctore pluribi, infinitas demonstrari potest à priori ab habente conceptum quidditativum Dei: Ergo, &c.

VII. *Distinguo minorem.* Infinitas demonstrari potest à priori, fundamentalis & radicalis, nego; est enim ipsamet formale constitutivum Essentiæ divinæ: formalis, concedo: quia cum hæc sit modus supponit essentiam cujus est modus, ac proinde per eam demonstrari potest. Unde quando Doctor in 1. *distinct.* 3. *quæst.* 2. & *dist.* 8. *quæst.* 3. *num.* 26. & alibi, asserit *infinitum esse modum intrinsecum Deitatis*, non verò illius prædicatum essentiale, loquitur de *Infinitate formali*, quæ inter modos divinæ essentiæ numeratur; non verò de *Infinitate radicali*, quæ est ratio primariò determinativa & contractiva entis ad Deum, ac ejus distinctiva essentialiter à quovis alio ente. Unde formalis infinitas demonstrari quidem potest à priori, sicut & cæteri modi Deitatis: non verò radicalis.

Nec potest demonstrari a priori.

Dices 3. Si radix & fundamentum infinitatis dicatur Dei constitutivum, idem dici poterit de cæteris modis & attributis; cùm enim æquè immensitas v. g. sit modus Essentiæ divinæ, & ab eo tanquam à radice profluat, sicut & ipsa infinitas formalis, tam ritè dicetur immensitatem radicalem esse Dei constitutivum essentialiter quàm infinitatem: at falsum consequens: Ergo & antecedens.

VIII. *Nego majorem*; licet enim cæteri modi & attributa cum infinitate formali in hoc conveniant quod ab Essentia divina emanent; attamen non eam æquè distinctè indigitant: siquidem per infinitatem faciliùs concipitur Deum essentialiter distingui à Creaturis, & habere omnes has perfectiones, quàm per immensitatem; si enim quis quærat quare Deus est Sapiens, Omnipotens, Immensus, Æternus, ritè respondebitur, quia est illimitatus & infinitè perfectus. Unde cæteri modi, & attributa colligi possunt, ac veloci demonstrari per infinitatem; hæc autem per nullam aliam perfectionem modalem, aut attributalem colligi potest.

Non idem de cæteris attributis.

IX. Ratio autem cur divina essentia magis infestatur & cognoscatur per infinitatem, quàm per alterutrum ex aliis modis, est, quia cùm A infinitas formalis seu modalis sit intimior Dei veluti proprietas & perfectio, & per alios modos & attributa diffundatur, ut observatum est in tertio Notabili; etiam evidentiùs divinam essentiam indigitat. Non secus ac vis discursiva in homine, quæ magis indicat illius differentiam essentialem nomine rationalis expressam, quia majorem affinitatem habet cum ipso rationali, & per alias hominis proprietates veluti excurrit & effunditur; homo enim est admirativus v. g. quia est discursivus; unde faciliùs & evidentiùs indicatur & agnoscitur hominis essentia per discursivum, quàm per admirativum, aut risibile.

Quare perfectiùs divina essentia per infinitatem quàm per alias perfectiones innotescat.

Dices 4. Formale constitutivum Deitatis, B debet esse radix eorum omnium quæ Deo conveniunt: sed infinitas non est radix omnium quæ Deo tribuuntur, & quæ in esse divino continentur.

Probatur. Eorum duntaxat infinitas est radix, quibus convenit, & quæ infinita dicuntur: sed infinitas non convenit iis omnibus quæ in Deo sunt: non enim tribuitur personalitatibus divinis; siquidem relationes personales non sunt infinitæ: Ergo, &c.

X. *Distinguo minorem.* Infinitas formalis quæ solùm attributis & aliis modis convenit, non est radix eorum omnium quæ sunt in Deo, nec Deitatis formale constitutivum, concedo: C radicalis & fundamentalis quæ soli divinæ essentiæ propria est, non est principium emanationis eorum omnium quæ sunt in Deo, nego. *Probationem similiter distinguo.* Infinitas eorum est radix quibus convenit, vel formaliter, vel realiter, concedo; formaliter solùm, nego. Infinitas autem illa fundamentalis soli Essentiæ divinæ formaliter convenit, cùm sit illius principium formale constitutivum; cæteris autem quæ in Deo sunt convenit realiter & identicè, quia scilicet omnia quæ in Deo sunt identificat. Unde etiam relationes Personales dici possunt infinitæ realiter & identicè, quia realiter identificantur cùm essentia, proprietatibus & modis divinis D quæ infinita sunt; essentia quidem infinita est fundamentaliter, & formaliter; modi & attributa solùm formaliter, relationes verò personales tantùm identicè; ut in tertio Notabili observatum est.

Infinitas est principium & radix attributorum

XI. *Dices* 5. cum pluribus Scotistis. Constitutivum formale essentiæ divinæ, ex Doctore Subtili, est intellectualitas purissima, sive illud intellectivum purissimum, quod à nobis concipitur & dicitur radicale intelligere: Ergo infinitas radicalis non est principium formale ejusdem essentiæ constitutivum. Probant antecedens variis textibus ex Doctore deprompts. Primò quidem in primum dist. 26. quæst. E unica num. 55. *Hac essentia, ut hac essentia* (inquit) *præcedens omnem quasi qualitatem, est intellectualis & volitiva essentia: ita quod sicut rationalitas est attributum homini, sic intellectualitas huic essentiæ.* Deinde quodlibeto 4. §. de altero, ait. *Nunc autem intellectualitas, sive vita intellectiva, vel intellectualis, est idem essentialiter Essentia divina, sic intelligendo, quod non tantùm est idem realiter ipsi essentia, sed hoc modo est idem sibi: quod si ipsa essentia divina definiretur, vita intellectualis, sive intellectualitas, non esset extra ejus definitionem, sicut sapiens & bonum.* Et in eodem quodlibeto 1. sub

Doctor videtur affirmare intellectivitatem pro formali constitutivo Dei.

num. 11. ait. *Intellectualitas quidem non habet rationem attributi quasi secundi advenientis ipsi; sed rationem perfectionis omnino intima: quemadmodum vita etiam in Deo est actus, non attributum, sive adveniens, sed omnino intimus, & idem essentia: ita etiam vita perfecta qua soli Deo convenit cujusmodi est vita intellectualis, est idem essentialiter ipsi prima essentia:* Ergo intellectualitas, sive intellectivum est ratio formalis constitutiva divinæ essentiæ.

Non tamen ea est illius sententia

Distinguo consequentiam. Est de conceptu constitutivo formali divinæ essentiæ per modum differentiæ ultimò constitutivæ & distinctivæ, nego: Per modum conceptus generici veluti determinabilis per rationem infinitatis radicalis & distinguendi à quolibet alio ente intellectivo & spirituali, concedo. Cum enim fateatur Doctor conceptum entis & substantiæ spiritualis, esse communem & univocum Deo & Creaturæ, ut in Metaphysicis probatum est; necessum est pariter admittat conceptum substantiæ spiritualis viventis vita intellectuali, non esse ultimò distinctivum Essentiæ divinæ; siquidem in eo conceptu cum Creaturis veluti genericè convenit: Ergo is conceptus Essentiæ divinæ ultimò constitutivus dicendus est, qui omnimode eam à creatura secernit, & in quo cùm ea nullatenus convenit; is autem est conceptus infinitatis radicalis, ac proinde censendus est formaliter Essentiæ divinæ constitutivus & distinctivus.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Perfectionibus Divinis in Communi.



NEFFABILEM & nostris mortalium obtutibus prorsus imperviam Deitatis essentiam pro imbecilli nostræ mentis acie quantùm licuit hactenus conspeximus; quoniam autem formidandum est ne ut Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ cap. 7. raciocinatur, *Cùm ad divina perventum fuerit, majorem inde anima concipiat imbecillitatem, ubi avidè quietem fessa conquirebat*: idcirco ne nimia divinæ essentiæ luce reverberati hallucinemur, Naturam divinam non in propria sphæra collucentem, sed in suis perfectionibus veluti Solem in radiis temperatum & promicantem nunc contemplandam auspicamur. Sunt autem illæ divinæ præcellentiæ in duplici differentia; aliæ quidem Modales; aliæ verò Attributales subnominatæ; quas omnes prout cælitùs dabitur antequam sigillatim discutiamus, priùs quædam generatim de utrisque hac in communi Disputatione prælibanda sunt duobus in sequentibus Articulis.

Delineatio disputationis præsentis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Divinarum perfectionum conceptu, numero & præcellentia.

I. PErfectionem divinam hìc intelligo, quidquid Essentiam divinam suis prædicatis essentialibus jam constantem & determinatam afficit ac perficit: hæc autem divina perfectio duplex solitò distinguitur; nimirum Modalis & Attributalis. Quæ sit autem utriusque definitio & discrepantia, in sequenti Quæstione resolvendum erit.

Duplex est divina perfectio.

QUÆSTIO PRIMA.

Quot, & quæ sint Divinæ Essentiæ perfectiones?

II. NOtandum primò. Modum entitativum generatim sumptum, significare statum & gradum perfectionis rei cujuslibet: qua ratione talis extensio in quantitate, vel intensio in qualitate, dicuntur modi qualitatis vel quantitatis. Hinc modus entitativus à Scotistis propriè dicitur, id quod additum rei vel detractum non variat rationem formalem ejus; sine quo tamen illa perfectè concipi nequit. Nam ut ait Doctor *in primum dist. 8. quæst. 3. num. 27.* octavus gradus albedinis non efficit distinctionem essentialem ejusdem albedinis à se ipsa, dum tantum quatuor gradibus constat: Si tamen conciperetur tantùm ut est albedo, non attendendo ad illos octo gradus quibus res constat, conciperetur quidem conceptu essentiali, sed non conceptu adæquatè illius perfectionem, quia albedo ut duo tam essentialiter est albedo quàm albedo ut quatuor, sed non est tàm perfecta.

Quid sit modus.

Notandum 2. Attributum trifariam usurpari: *Primò* quidem *laxiùs*, quatenus importat quodcumque prædicatum ab aliquo alteri tributum; qualiter omnia quæ Deo tribuuntur sive intrinsecè illi conveniant, ut *bonitas, justitia*, relationes divinæ, &c. sive extrinsecè, ut relationes *Creatoris, Sanctificatoris, &c.* sive per metaphoram ut *ira, dolor, pænitentia, &c.* dici possunt attributa. *Secundò strictiùs*, pro omni perfectione Deo intrinsecè & objectivè convenienti, sive interim illi soli, sive etiam creaturæ univocè conveniat; qualiter omnes modi Divinæ Essentiæ dici possunt attributa. *Tertiò* denique attributum divinum *strictissimè* usupatur pro perfectione simpliciter simplici, quam in Creaturis conspicientes Deo tribuimus, judicando eam ipsi competere per modum qualitatis veluti perficientis Divinam Essentiam jam adæquatè constitutam in ratione Essentiæ divinæ. III.

Attributum trifariam usurpatur.

Notandum 3. Perfectionem generatim distingui duplicem, alia enim dicitur *Simpliciter simplex*, alia verò *Secundùm quid*. Utriusque duplex est acceptio, ut colligitur ex Doctore *in primum dist. 2. quæst. 2.* & *distinctione 8. quæst. 1.* Primò namque perfectio *Simpliciter simplex* ea dicitur, *cujus conceptus non est resolubilis in varios conceptus objectivos*; qualis est IV.

Quid sit perfectio *Simplex*, & *Simpliciter simplex*.

est conceptus entis & ejus proprietatum ac modorum intrinsecorum & ultimarum differentiarum; *Simplex* autem tantùm *Secundum quid*, ea dicitur *quæ licet unico conceptu formali apprehendatur, potest tamen in varios conceptus objectivos resolvi*, qualis est v.g. conceptus *Hominis* qui potest resolvi in conceptum animalis, rationalis, risibilis, &c. *Secundò modò*, perfectio simpliciter simplex ea dicitur, quæ ex sancto Anselmo in Monologio cap. 14. *In unoquoque est melior ipsa quàm non ipsa*, seu ut loquitur sanctus Anselmus, *quam in unoquoque melius est esse, quàm non esse*: E contra verò perfectio secundùm quid ea dicitur, *quæ in unoquoque non est melior ipsa quàm non ipsa*. Hæ autem definitiones ut pateant

V. Et quomodo explicetur.

Notandum 4. ex Doctore *in primum dist.* 8. *quæst.* 1. *num.* 7. hæc præfatæ definitionis verba (*Melior ipsa quam non ipsa*) non accipienda esse *Contradictoriè*, quasi melius esset habere hanc perfectionem quàm non habere: sic enim omnis perfectio dicenda esset *Perfectio simplex*, quia quælibet perfectio etiam *Secundùm quid* melior est, quàm ipsius negatio; siquidem negatio non dicit perfectionem, sed carentiam entis & perfectionis. Itaque usurpanda sunt illa verba *Contrariè*, itaquòd illa perfectio dicatur *Simplex*, quæ est melior quàm alia perfectio, quæ incompossibilis esset cum ea in eodem subjecto; sic v.g. *Rationale* dici posset perfectio simplex, quia melius est habere rationalitatem quàm irrationalitatem.

Tamen ut insuper observat Doctor, hoc non sic accipiendum est, quasi perfectio illa simplex esset dicenda, quæ melior est inquacumque re particulari, aliàs *Irrationabilitas* dicenda esset perfectio simplex in bruto, quia melius est bruto esse irrationale quàm rationale; si enim esset rationale, brutum esse desineret: sed sensus est, quòd si res consideretur præcisè secundùm rationem genericam, ut est ens existens præscindendo à natura particulari ipsius, melius esset ei habere perfectionem simplicem quàm ipsi oppositam. Sic bruto considerato non ut brutum est, sed ut species entis, melius esset habere rationalitatem, quàm irrationalitatem, quia ens rationale, & intellectivum perfectius est ente rationali & intellectivo; itaque perfectio simplex accuratè describi potest, quæ est melior, quàm alia perfectio ipsi opposita & repugnans in subjecto considerato secundùm generalem rationem entis.

CONCLUSIO PRIMA.

VI. Quid sit divina perfectio modalis.

MODUS seu *perfectio modificans Essentiam Divinam, est prædicatum intimè & soli essentiæ conveniens, per quod ab ea removentur omnes Creaturarum imperfectiones, & sine quo Divina Essentia concipi nequit conceptu quidditativo adæquato.* Hujus definitionis veritas patet ex illius partium declaratione; Primò dicitur prædicatum, quia de Deo affirmatur & prædicatur; dum enim v.g. Deus dicitur infinitus, infinitas de Deo enuntiatur: Secundò intimè, per quod excluduntur omnia prædicata, quæ Deo per metaphoram aut extrinsecè solùm tribuuntur: Tertiò soli Essentiæ Divinæ conveniens, in quo modi ab attributis dis-

A crepant, attributa namque sunt perfectiones quædam Deo & Creaturis competentes. Quartò per quod removentur à Deo imperfectiones Creaturarum, modus enim quilibet importat negationem alicujus imperfectionis, sic infinitas negat limitationem, immensitas negat circumscriptionem, & determinationem, æternitas negat successionem, durationem, &c. Quintò denique sine modificante perfectione Essentia Divina nequit adæquatè & quidditativè concipi: conceptus enim adæquatus & quietativus importat nedum cognitionem rei secundùm se, sed & secundùm omnes modos sibi intrinsecè convenientes.

B Ex quibus, triplex apparet discrimen modi ab attributis. *Primò* namque modus soli Essentiæ Divinæ congruit; attributum verò nedum Deo, sed & creaturis competit. *Secundò*, per modum removentur à Deo imperfectiones Creaturarum, quod attributis non convenit saltem formaliter; attributa namque non important formaliter & explicitè negationem alicujus imperfectionis; sed solùm consequenter ac implicitè, & quatenus perfectiones attributales eminentiori modô Deo tribuuntur, quàm creaturis conveniant. Hinc licet *Sapientia* v. g. in creaturis sit accidens, non tamen Deo tribuitur sub ratione accidentis, cujus Deus est incapax; sed tantùm sub ratione cognitionis certæ & evidentis altissimarum quarumlibet veritatum; unde consequenter solùm removet à Deo rationem accidentis, quam in creaturis obtinet. *Tertiò* Essentia Divina concipi potest adæquatè & quietativè sine attributis, quæ ab ea formaliter distinguuntur, ut infrà patebit; secus verò de modis qui ab eadem modaliter solùm discrepant, & ipsi ita intimè conveniunt ut hæc sine ipsis adæquatè nequeat concipi, non secus ac hæc albedo v. g. nequit perfectè concipi nisi sub hoc aut altero gradu suæ intensionis.

VII. Quotuplex sit discrimen inter *Modum & Attributum*

C

CONCLUSIO SECUNDA.

D

VIII. Genuina Attributi definitio.

ATTRIBUTUM *divinum, est perfectio simpliciter simplex, quam à Creaturis vel univocè, vel analogicè participatam & in eis relucentem, Deo tribuimus; ipsique formaliter & intrinsecè convenire judicamus per modum proprietatis afficientis Divinam Essentiam jam adæquatè in ratione essentiæ constitutam.* Hæc definitio colligitur ex Doctore in 1. *d.* 8. *q.* 3 & 4. Ipsius veritas patet ex singularum illius partium explicatione. Primò namque dicitur *Perfectio simpliciter simplex*, per quod excluduntur à ratione attributi omnes relationes Personales Divinæ, nec non & respectus extrinsecùs advenientes, putà Creatoris, Redemptoris, & quæ non sunt perfectiones simpliciter simplices. Secundò, *A Creaturis univocè, vel analogicè participatam, &c.* ea enim quæ sunt in Deo, si in Creaturis non inveniantur attributa censeri non possunt; & per hoc attributa à modis intrinsecis discrepant; sic namque soli Deo conveniunt. Tertiò *Formaliter & intrinsecè*, ut secernantur ab iis omnibus quæ Deo solùm per metaphoram conveniunt. Cætera adduntur ut attributa distinguantur à prædicatis essentialibus quæ Deo in actu primo & per se competunt ejusque essentiam constituunt.

E

Quæstio Secunda.

Quot & qualiter Divinæ Perfectiones Essentiæ Divinæ competant?

I. Status Quæstionis

TRIA sunt in præsenti quæstione resolvenda. Primum quidem an divinæ perfectiones tàm attributales quàm modificantes sint numerô infinitæ. Secundum an revera formaliter aut solùm virtualiter & eminenter Deo competant. Tertium denique, an sint æqualis invicem perfectionis: quæ ut faciliùs percipiantur;

II. Infinitum est duplex.

Notandum 1. Aliquid posse dici infinitum duobus modis; nimirum vel *Intensivè* & secundùm qualitatem aut gradum perfectionis; vel *Extensivè* & penes numerum. *Priori modô* illud infinitum dicitur quod habet gradus perfectionis infinitos; ita quòd non tot concipi possint, quin plures in eo perfectionis gradus ulteriùs remaneant concipiendi. *Posteriori* verò infinitum dicitur, cujus partes aut veluti partes, ita sunt indeterminatæ, ut quibuslibet designatis & numeratis multò plures remaneant numerandæ. Quæritur autem an alterutrô aut utrôque infinitatis modô, divinæ perfectiones sint infinitæ.

III. Forma variè dicitur.

Notandum 2. Formalitatem à forma originem ducere: forma autem variis modis dicitur. *Primò* quidem pro altera parte compositi naturalis, quæ cum materia concurrit ad formandum corpus naturale; & sic appellatur forma pars, seu partialis. *Secundò* pro forma totius, quæ est tota rei natura in abstracto considerata; sic humanitas dicitur forma totius hominis, non quidem per informationem, sed quia suppositum humanum designat ac abstractivè exprimit. *Tertiò* sumitur pro quacumque substantia immateriali, & hôc modô Intelligentiæ interdum vocantur formæ a Philosophis. *Quartò*, forma dicitur quodcumque accidens subjecto adveniens illudque informans, sive sit quantitas, sive qualitas, sive relatio. *Quintò* denique, forma dicitur ea omnis ratio sub qua ex natura rei aliquid concipi potest, ipsique inest per modum gradus determinantis aut perficientis; sic proprietates rerum dici possunt earum formæ, quia earum essentias afficiunt & perficiunt.

IV. Unde distinctio formalis.

V. Continentia est triplex.

Notandum 3. aliquam perfectionem in alio contineri posse tripliciter: nimirum vel *Formaliter* & actu, sicut rationalitas in homine; vel *Eminenter*, qualiter rerum inferiorum imperfectiones dicuntur contineri in superioribus: sic v. g. rerum vitæ expertium præcellentiæ dicuntur contineri in viventibus, animalium in homine, hominum in Angelis, & Angelorum ac omnium entium perfectiones dicuntur eminenter in Deo contineri; Tertiò denique *Virtualiter*, sicut v. g. calor dicitur in sole contineri, quia sol calorem producere potest. Dubium est autem quònam ex his modis attributa contineantur in Essentia Divina.

VI. Attributa variè possunt concipi.

Notandum 4. Attributa divina posse considerari bifariam, vel secundùm se & objectivè, vel penes nostrum modum concipiendi & formaliter. Idque iterum dupliciter, nimirum vel absolutè, quando ea concipimus tantùm ut sunt perfectiones divinæ, nullo habito respectu ad perfectiones Creaturarum, cum quibus aliquam habent Analogiam; vel comparativè, & per respectum & ordinem quem dicunt ad Creaturarum perfectiones, cum quibus conferuntur, vel ad effectus quos in Creaturis producunt. Difficultas autem est an divinæ perfectiones, tàm secundùm se quàm penes nostrum modum concipiendi absolutum & comparativum sint infinitæ.

Conclusio Prima.

PERFECTIONES *divinæ modificantes & Attributales sunt infinitæ intensivè, non verò extensivè.* Hæc est communis inter Theologos quoad utramque partem: Et quidem *Prima pars* clara est, siquidem in ente infinito & illimitato, finitum nihil ac limitatum reperiri potest; necessum est ergo, id omne quod in Deo est, infinitum esse; ac proinde divinas illas præcellentias omnimodé esse infinitas. Hæc fusiùs & efficaciùs probabuntur in sequenti disputatione, ubi de divina infinitate sermo erit.

VII. Perfectiones divinæ non sunt numerô infinitæ.

Secunda pars autem nonnihil habet difficultatis propter Nominales qui cum suo principe Occhamo sentire videntur divinas perfectiones divinas esse numerô infinitas. Occhamus equidem *In quartum quæst.* 3. *art.* 1. dixit solum Deum cognoscere omnia prædicata sibi convenientia haud dubiè propter infinitatem, quorsum enim Beati Deum clarè & intuitivè videntes omnia Divina Attributa non possent deprehendere nisi essent infinita? Itaque

Quippe hanc infinitudinem nec sacra Scriptura.

Probatur hæc secunda pars Conclusionis. Illud non est Deo tribuendum, quod neque Scriptura sacra, nec sancti Patres, nec ulla conveniens & convincens ratio suadet ei convenire; sed divinarum perfectionum infinitas extensiva ex neutro illorum capite colligi potest: Ergo non est asserenda. *Major* constat: quidquid enim affirmatur vel authoritate, vel ratione firmari debet.

Nec sancti Patres,

Minor probatur. Nullus enim Scripturæ sacræ textus apertus, nec ulla evidens sanctorum Patrum sententia hanc divinarum perfectionum infinitudinem astruit, nec ullæ referuntur tùm à canonicis scriptoribus tùm à sacris Ecclesiæ Doctoribus aliæ divinæ perfectiones, quàm quæ solitò à Theologis referri solent, & quæ infra nominabuntur; quorsum autem Deus alias divinas præcellentias nobis occultasset potiùs quàm quæ revelantur & referantur? Patet etiam eadem minor ipsa ratione.

Nec ulla ratio convincit & astruit.

Siquæ enim convincens ratio illam infinitudinem suaderet, maximè quia Deus cum sit ens infinitum, etiam infinitis numerô præcellentiis fulgere debet & eminere, sed hæc ratio propositum non evincit; sicut enim si dicatur ens infinitum, non opus est ut complectatur entitates numerô infinitas; sed sufficit ut in sua indivisibili & simplicissima divina entitate formaliter aut eminenter contineat omnes prorsus entitates actuales aut possibiles; ita à pari ut dicatur ens infinitè perfectum, sufficit ut virtualiter aut formaliter complectatur omnes

omnino poſſibiles aot actuales perfectiones quæ enti poſſunt competere, nec opus eſt ut eas numerô infinitas involvat.

Secundò. Attributa ſuot perfectiooes Divinæ quaſi ſpecie diverſæ: ſed illæ non ſunt niſi nomerô finitæ: Ergo, &c. *Major* patet, non enim quælibet in Deo perfectio rationem habet attributi, ſed quæ peculiari modo Naturam divinam nobis explicat; ſiquidem attributa ſunt veluti Divinitatis radii immenſum Deitatis Solem oobis aperientes & indigitantes. *Minor* probatur. Divina perfectio, aut Deo tribuitur per analogiam cum perfectionibus Creaturarum, aut ab eo removet Creaturarum imperfectiones: ſed utroque ex iis modis non eſt numerô infinita. Patet quoad priorem partem, quia cum omnis perfectio attributalis ſimilitudinem & proportionem habeat cum perfectionibus Creaturarum quæ nomerô ſunt finitæ, etiam illæ attributales perfectiones debent eſſe numerô finitæ.

VII. Patet etiam minor quoad secundam partem: novem eoim ſolùm numerantur præcipui Creaturarum defectus qui per totidem Divinas perfectiones à Deo removentur, nimirum dependentia à principio, quæ per *Aſeitatem*; limitatio in entitate, *quæ per Infinitatem*; compoſitio ex partibus & accidentibus quæ per *Simplicitatem*, coarctatio io loco, quæ per *Immenſitatem*, variatio in operatiooibus, qoæ per *Immutabilitatem*, ſucceſſio & alternitas in duratione, qoæ per *Æternitatem*, conſtitutiò ex corporea aut entitate limitata & à ſenſibus apprehenſibili, aut ab intellectu comprehenſibili, quæ per *Inviſibilitatem* & *Ineffabilitatem* removentur: Ergo cùm non ſint infiniti Creaturarum defectus, etiam infinitæ numerô noo debeot aſſignari in Deo perfectiones, quæ oostros defectus ab eo removeant & arceant.

Novem ſunt præcipui Creaturarum defectus à Deo removendi.

Nec refert quod plures alii excogitari poſſint Creaturarum defectus præter oominatos, qui pariter à Deo debent arceri. Non enim quælibet imperfectionis negatio & remotio, ſpeciale attributum aut modom in Deo conſtituit; ſed ſolùm illa quæ ſpecialem aliquam in Deo perfectionem deſignat & importat: Cùm autem omnes excogitandi defectus per aſſignatas perfectiones explicitè vel implicitè ſufficienter à Deo removeantur; non aliæ videntur aſſignandæ præcellentiæ nominibus negativis expreſſæ, quæ excogitandos & aſſignandos alios Creaturatum defectus à Deo removeaot.

Conclusio Secunoa.

VIII. **P***Erfectiones Divinæ tam* Mooificantes, *quàm* Attributales *ſunt in Deo* Formaliter, *& non ſolùm* Eminenter, *aut* Virtualiter. Ita Doctor Subtilis in 1. *diſt.* 8. *quæſt.* 4. Et ex eo Baſſolis *diſt.* 22. *quæſt.* 2. *ad* 3. & ex otroque concluſio ſic probatur.

Perfectiones ſunt in Deo formaliter & actu.

Primò. Si Divinæ perfectiones v. g. *Infinitas, bonitas, &c.* ſolùm eſſent in Deo virtualiter & eminenter, ſeqoeretur Deum oon aliter eſſe infinitum booom ſapientem, &c. quàm ſit albus, calidus, &c. ſed conſequeus eſt abſurdum: Ergo & antecedens. *Patet ſequela majoris*; Cùm enim Deus ſit omne ens, & quodlibet ens creatum contineat vel emi-

A nenter, propter ſummam & infinitam ſuam perfectionem, qoæ quamlibet excogitabilem eotitatem & perfectionem involvit: Vel virtualiter, quia virtutem babet quodlibet aliud ens à ſe producendi; ſequitur eum albedinem, calorem, &c. continere eminenter & virtualiter: Ergo ſi hôc modô ſolùm ſapientiam, infinitatem & alias aſſignatas ſibi perfectiones contineat, pari jure dici poterit albus, ac ſapieus; cum ſapientiam & albedinem ſimili modo complectatur, quû ſanè nihil abſurdius eſt.

Secundò. Omnis perfectio ſimpliciter ſimplex eſt formalitet in ente perfectiſſimo, quia perfectio ſimpliciter non poteſt alicui conve-
B oire nobiliùs, quàm formaliter: ſed Deus eſt ens perfectiſſimum, & attributa ac modi Eſſenitæ divinæ ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices: Ergo Deo convenire debent formaliter. *Major patet*, Tum quia, inquit Doctor, aliter non eſſet ens perfectiſſimum; quia oon eſſet id quô majus excogitati non poſſet; cogitaretur enim aliud eô perfectius, nempè illud cui infinitas, ſapientia, &c. convenirent formaliter: *Tum quia* ſi illæ perfectiooes ſimpliciter ſimplices noo ſint io Deo formaliter, ſequitur eas in nullo formaliter poſſe reperiri: Non poſſunt in Creaturis, ſiquidem cum omnes Creaturarum perfectiooes ſint finitæ,
C & limitatæ, non ſunt ſimpliciter ſimplices, quia, non ſunt meliores ipſæ quàm non ipſæ, perfectio oamque infinita eis eſt præſtantior, & melior. *Tum denique quia* ſequeretur perfectionem ſimpliciter ſimplicem eſſe in aliquo per participationem formaliter, & non eſſe: eſſet quidem ut ſuppooitur; non eſſet autem quia non poteſt participari formaliter niſi ſit etiam formaliter in eo à quo illam participaret: Ergo ſi illa perfectio non eſſet in Deo formalitet, neque etiam per participationem poſſet eſſe in creatura formaliter.

Secundò. Si perfectio ſimpliciter ſimplex non eſt in Deo formaliter, ſed ſolùm virtualiter aut eminenter, ſequitur quod Deus
D non eſt formaliter perfectus abſolutè & ſimpliciter, ſed ſolùm virtualiter, vel eminenter: atqui boc implicat, licet enim Deus Creaturarum perfectiones contineat virtualiter, vel eminenter, oullus tamen dixerit eum pari modô ſuas divinas perfectiones continere; aliàs eodem modo dici poſſet perfici per Creaturarum perfectiones, ac per ſuas, ſi utraſque ſolùm virtualiter & eminenter contineret.

Tertiò. Si perfectiones attributales & modificantes in Deo continereotur ſolùm virtualiter, aut eminenter, ſequeretur pariter rationem entis, & relationes perſonales etiam
E virtualiter ſolùm, & eminenter in eo cootineri: ſed hoc implicat, alioquio Deus non eſſet ens formaliter, & per conſequens eſſet noo ens formaliter, & nihil: ſimiliter prima perſona non eſſet formaliter Pater, nec ſecunda eſſet formaliter Filius, ſed ſolùm eminenter, quod certè falſum eſt.

Dices. Deus continere debet ſuas perfectiones modô nobiliſſimô, & continentiâ præſtantiori: ſed continentia eminentialis, & virtualis præſtantior eſt formali: Ergo Deus continere debet ſuas perfectiones virtualiter aut eminenter. *Minor* patet; Sol enim, v. g. qui continet colorem IX.

Continentia eminentialis non ſemper eſt perfectior.

virtualiter, perfectior est igne qui formaliter calidus est: Similiter anima rationalis quæ est tantùm sensitiva eminenter & virtualiter, præstantior est animâ brutorum, quæ formaliter sensitiva est: Denique certum est entia perfectiori & nobiliori modo in Deo contineri eminenter quàm in seipsis formaliter, ac proinde continentia eminentialis præstantior est formali.

Distinguo minorem. Quando perfectio contenta non est simpliciter simplex, concedo; secus, nego: Constat autem attributa & modos esse perfectiones simpliciter simplices, ac proinde nobilius est eas continere formaliter quàm solùm eminenter. Fateor equidem perfectiones secundùm quid nobiliori modô contineri eminenter quàm formaliter, propterea quod dum continentur formaliter, continentur ut sunt in se ipsis, ac proinde quatenus habent annexam perfectionem quæ removetur in continentia eminentiali. Secus est autem de perfectione simpliciter simplici, quæ nullam admixtam habet inperfectionem.

CONCLUSIO TERTIA.

ATTRIBUTA *divina secundum se & absolutè considerata, sunt omninò æqualis perfectionis: inæqualis autem si comparativè & respectivè considerentur:* Hæc Conclusio duas habet partes, quarum probatur *prima*, authoritate & ratione S. Augustini lib. 8. de Civit. Dei cap. 1. ubi loquendo de æqualitate divinarum Personarum hæc habet, *Diximus non esse in hac Trinitate majus aliquid duas aut tres personas, quàm unam earum, quod non capit consuetudo carnalis, non ob aliud, nisi quia vera quæ creata sunt, sentit ut potest: veritatem autem ipsarum quâ creata sunt non potest intueri. Nam si posset, nullô modô esset lux ista corporea manifestior quàm hoc quod diximus; in substantia quippe veritatis, quoniam sola veri est, non est major aliqua, nisi quæ veriùs est.*

X. *Attributa secundùm se sunt æqualis perfectionis.*

Quidquid autem intelligibile atque incommutabile est; non aliud aliô verius est, quia æquè incommunicabiliter æternum est. Nec quod ibi magnum dicitur, aliunde magnum est, quàm eô quô verè est. Quapropter ubi magnitudo ipsa veritas est, quidquid plus habet magnitudinis, necesse est ut plus habeat veritatis. Quidquid ergo plus veritatis non habet, non habet plus etiam magnitudinis.

1. Quia quodlibet eorum est infinitum.

Quibus tria indicat sanctus Augustinus: *Primò* quidem luce meridiana clarius esse, quod id solùm est perfectum, quod verum est; id autem verum esse, quod est incommutabile. *Secundò*, omnia quæ in Deo sunt, esse æquè incommutabilia, ac proinde æquè esse vera. *Tertiò*, illa consequenter æquè esse perfecta; & sic nihil in Deo magis aut minùs perfectum est; sed omnia sunt æqualis omnino perfectionis.

Probatur 2. ratione Theologica. Infinitum aliquid formaliter non est altero infinito perfectius: sed modi & attributa essentiæ divinæ sunt infinita formaliter: Ergo unum eorum non est alterô perfectius. *Major* constat, tùm ex Aristotele dicente infinitum esse *Id in quo non est plùs aut minùs accipere.* Tum ratione, siquidem infinitum est id, quod omnem omnino excogitabilem perfectionem in se complectitur:

A sed quod ita perfectum est, non potest aliquid habere se perfectius; alioquin non omnem excogitabilem perfectionem in suo genere complecteretur. *Minor* patebit ex infra dicendis agendo de infinitate.

2. Quia invicem & cum essentia divina summè identificantur.

Probatur 3. Quæ Deo summè identificantur, unum nequit alterô esse perfectius: sed modi & attributa summè Deo identificantur realiter: Ergo unum eorum nequit altero esse perfectius. *Major* est evidens, alioquin si quæ Deus complectitur inæqualis essent perfectionis; Deus etiam inæqualiter & magis aut minùs dici posset perfectus: at consequens est absurdum: Ergo & illud ex quo sequitur.

B *Dices.* Duo infinita possunt esse inæqualis perfectionis: Ergo licet attributa divina sint infinita, non minùs propterea possunt esse inæqualis perfectionis. Probatur antecedens. Si esset lumen infinitum, v. g. & linea infinita, lumen longè præstantius esset quàm linea, ut patet: Ergo unum infinitum alterô posset esse perfectius, ac proinde ex infinitate attributorum & modorum non rectè colligitur eorum æqualitas.

XI. *An duo infinita possent esse inæqualia.*

Distinguo antecedens. In creatis in quibus diversa & inæqualis omnino apparet perfectio, concedo: in divinis, nego: Divina namque cùm summa identificatione unum sint, & nedum sua infinitate formali, sed etiam infinitate radicali essentiæ divinæ propria, invicem adunenC nentur, nec Deus per unum dici possit minùs perfectus & magis per alterum; inde fit quod licet ex infinitate rerum creatarum colligere non liceret earum æqualitatem, rectè tamen ex ea infertur attributorum & modorum æqualis omnino perfectio.

XII. *Attributa sunt inæqualia secundùm nos.*

Secunda pars sufficienter probatur tùm authoritate, tùm ratione; *Ratione* quidem: cùm enim creaturarum perfectiones quæ Deo per analogiam tribuuntur, sint aliæ aliis præstantiores, sequitur divinas præcellentias comparativè ad illas creatas perfectiones usurpatas posse dici alias aliis perfectiores. *Authoritate* pariter idem D constat: Siquidem Scriptura sacra loquendo de divinis præcellentiis comparativè ad effectus quos in creaturis operantur, eas majores aut minores appellat. Sic Ps. 137. David ait, *Magnificasti super omne nomen sanctum tuum*, nimirum quia creaturarum sanctificatio, præstantius est omnium Dei operum, & in quod tanquam in caput, omnia, quæ vel in ordine Naturæ, vel in ordine Gratiæ molitus est, collineant & referuntur. Sic pariter Jacobi 2. *Superexaltat autem misericordia Iudicium:* Et Psalmo 144. *Miserationes ejus super omnia opera ejus;* quia scilicet Deus ex misericordia suas nobis gratias E largitur & auxilia divina suppeditat quibus nostram salutem & sanctificationem operari possimus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De divinarum perfectionum Identitate & Distinctione.

NON alibi major & acrior quàm in præsenti materia videtur Theologorum pugna. Vix enim circa divinarum perfectionum distinctionem unum cùm alterô per omnia consentire reperies, si diversa Scholarum pla-

cita spectaveris. Quocirca operæ prætium est ingentes hac de re concertationes omni quâ licet mentis acie ponderare. Quod utique præstare tentabo duabns in sequentibus Quæstionibus.

Quæstio Prima.

An divina Attributa idem sint realiter cùm Essentia divina, an solo nomine ab ea diversa?

I. Status Quæstionis.

CIRCA præsentis Quæstionis resolntionem varia fuit & omnino opposita quorumdam Theologotum sententia: Qoidam enim seoserunt inter essentiam & attributa realem adæquatam intercedere distinctionem; sicut de quodam *Gnaltero* resert *Niphus* libro 12. Metaphysicæ Disput. 13. cap. 3. & *Iacobus de Vitriaco*: quæ pariter sententia ttibuitur *Gilberto Porretano Pictaviensi Episcopo*. Nominales verò in oppositam omnino sententiam ierunt, qui cùm suo Ptincipe *Ochamo* in 1. dist. 2. quæst. 2. nullam omnino à parte rei in Deo distinctionem admittunt: sed volont attribota esse solam nominum diversitatem & varietatem, oriundam ex diversa connotatione & respectu divinæ essentiæ ad creatoras; ita ut eadem omnino simplicissima essentia divina conotando, v. g. miseriam sublevandam, dicatur *misericordia*; connotando veritates claré & certò cognoscendas, dicatur *sapientia, &c.* Ut autem medias bas inter sententias & syrtes securiorem viam teneamus, & quid veriùs sentiendum sit, evidenter aperiamus;

II. Quomodo Divisio, Distinctio, & non Identitas discrepent.

Notandum 1. hæc tria vocabula, *divisio: distinctio, & non ideniitas*, differre invicem penes magis & minùs, & sicut superius & infetios: Omnis enim divisio est distinctio, & non identitas; non tamen è converso: quia Divisio cùm mareriam & quantitatem sequatur, in solis rebus corporeis extensis reperiri potest; distinctio verò cum sit entis proprietas, repetitur in omnibus entibus, tam spiritualibus quàm corporeis: unde fit ut in Angelis sit equidem distinctio non autem divisio. Similiter Divisio & non Identitas differunt penes superius & inferius; Omnis enim distinctio est non identitas, non tamen è converso; quia cum distinctio sit entis proprietas, solùm reperitur inter entia & exttema positiva: unde inter ens & non ens, inter formam & privationem ejus non est distinctio, sed non identitas. Quod si interdum Doctores & Philosophi dicant fotmam & privationem, ens & non ens invicem distingui, hæc distinctio accipienda est negativè, id est quod sint non idem; Omnia enim, quæ distinguuntur sunt non eadem, non tamen omnia quæ sunt non eadem, ptopriè distincta dici debent.

III. Quadruplex est genus distinctionis.

Notandum 2. cùm nostro Meyrooio in 1. *dist. 8. quæst.* 1. quadruplex esse genus distinctionis rerum à parte rei & independenter ab operatione intellectus. Ptima, inquit, distinctio est *Essentialis*, quâ una essentia existens, distioguitur ab alia essentia existente, v. g. Deus à creaturis. Secunda *Realis*, quâ res distinguitur ab alia re, vel à quâ producitur, ut Filius à Patre, vel à quâ separari potest, ut albedo à pariete; vel sine quâ existere potest, ut fundamentum sine relatione. Tertia est *Formalis*, quâ quidditativus conceptus unius, v. g. sapientiæ non est quidditativus conceptus alterius, v. g. omnipotentiæ. Quarta, *Modalis*, quæ est intet quidditatem & modum, seu gradum illius, v. g. inter sapientiam & finitatem, aut infinitatem ejus.

IV. Quarum maior est Essentialis.

Notandum 3. harum omnium distinctionum maximam esse *Essentialem*; res enim quæ essentialiter invicem differunt, magis discrepant, quàm quæ aliis distinctionibus secernuntur: Ipsam seqoitur *Realis*, ut potè, quæ est inter entitates realiter existeotes, quarum una, vel est productiva alterius, vel ab ea separabilis est, vel sine ipsa potest existere: *Formalis* tertium locum obtinet, utpote media inter realem, & modalem, estque inter duas formalitates seu conceptus objectivos seorsim conceptibiles: *Modalis* omnium est minima; modus enim non variat rationem formalem rei, sed eam auget vel minoit intra eandem rationem formalem; albedo namque intensa ur duo, non distinguitur à se ipsa formaliter, nec essentialiter diversa est; quatenus habet octo gradus; licet non sit eadem modaliter. Unde distinctio modalis sequitur sortem distinctionis formalis; ac proinde si attributa distinguantur à parte rei formaliter ab invicem, & ab essentia divina, etiam modales perfectiones distinguentur actu modaliter.

Conclusio Prima.

INTER *Essentiam & Attributa nulla intercedit distinctio Essentialis nec Realis.* Hæc videtur de Fide; siquidem in Concilio Lateranensi cap. *Firmiter* definitur *substantiam divinam esse indivisibilem ut pote omnino simplicem*: sed non esset omnino simplex, si constatet attributis ab ea realiter & essentialiter distinctis: Ergo attributa ab essentia divina ita non discrepant.

V. Inter essentiam & attributa non intercedit distinctio essentialis.

Insuper in eodem Concilio determinatur quod fide credendum est *In Deo esse Trinitatem solummodo, non verò quaternitatem; quia qualibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina*: sed si attributa distinguerentur realiter ab essentia, non minùs in Deo foret quaternitas, quàm si divinæ Personæ ab eadem realiter discreparent; ubicumque enim est distinctio realis, ibi pariter est rerum multiplicitas: Unde cùm attributa plura sint, si ab essentia divina realiter distinguerentur; non solùm in Deo admittenda esset quaternitas, sed & centeneitas, si totidem esseot attributa, ut meritò colligit sanctus Bernardus lib. 5. de Consideratione cap. 7. *Multa, inquit, dicuntur esse in Deo & quidem sanè Catholicéque; sed multa unum, alioqnin si diversa putemus, non quaternitatem habneris; sed centeneitatem. Verbi causâ dicimus magnum, justum & innumerabilia talia: sed nisi omnia unum in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum.*

Insuper in Conciliis *Toletano undecimo* & *Florentino* definitur *In divinis omnia esse unum, ubi non obviat relationis oppositio*: sed ioter essentiam & attributa, nulla intercedit oppositio relationis: Ergo inter illa etiam nulla est distinctio realis. Denique S Bernardus *Sermone* 8. *in Cantica*, asserit in Concilio Remensi damnatam fuisse illato expositionem GILBERTI *Porretani*, quâ libros Boetii de sancta Trinitate sic interpretabatur, *Pater est veritas, id est verus; Filius est veritas, id est ve-*

rus, &c. Unde exlamat Bernardus, *O ebsenram perversamque explanatienem; quàm veriùs saniùsque per contrarium ita dixisset, Pater est verus id est veritas, Filius est verus id est veritas*, &c. Et ibidem. *Scribatur*, inquit, *stylo ferreo in ungne adamantino, vel sculpatur in silice quod Divina Essentia, Forma, Natura, Deitas, Bonitas, Sapientia, Virtus, Potentia, Magnitudo, verè est Deus.* Sed hæc definitio stare non posset, si bonitas, magnitudo, &c. realiter ab Essentia Divioa distinguerentur; sicut enim v. g. paries non dicitur albedo, sed albus, quia albedo non ipsi ideotificatur; ita nec Pater & Filius dici possunt veritas; nec Deus rectè dicitur bonitas, magnitudo, &c. si inter ea sit realis distinctio: Ergo ex mente tam S. Bernardi quàm Concilii Remensis, attributa divina noo realiter ab essentia distinguuntur.

VI.

Neque etiã distinctio realis ut optimè probat Bassolis.

Idipsum ratione triplici probat noster Bassolis in 1. *dist.* 22. *quest.* 2. *ad* 4. *articulum*. Primò quidem sic. Omne infinitum identificat sibi ea omnia qoi ipsi compossibilia sunt: sed Essentia Divina est infinita, est enim inquit sanctus Damascenus, infinitum quoddam substantiæ pelagus: Ergo identificat sibi ea omnia quæ ipsi compossibilia sunt: Atqui perfectiones tam attributales quàm modales sunt compossibiles Essentiæ Divinæ, siquidem ipsam afficiunt & perficiuot: Ergo cum ea identificantur. *Minor* patet, si enim infinitum sibi noo identificaret ea quæ ipsi compossibilia sunt, illa cum eo deberent uniri per compositionem ex partibus: sed infinitum non potest perfici nec constitui ex partibus; quia omnis pars in ratione partis, est limitata & finita, non enim involvit id quod altera sibi compars complectitur, alioquin non essent diversæ: infinitum autem non potest componi ex parte finita, tale enim est totum per se, quales sunt partes illud componentes. Ergo si partes sint infinitæ, etiam totum per se constans illis partibus infinitum erit: Ergo cum Divina Essentia sit infinita, necessum est ut omnes suas perfectiones sibi identificet realiter, & consequenter inter essentiam & attributa non potest intercedere aliqua distinctio realis.

Secundò. Illa sunt idem realiter, quorum unum prædicatur de alio in abstracto: sed attributa divina de se invicem & de Essentia Divina prædicantur in abstracto; nam ut loquitur sanctus Augustinus 15. *de Trinitate cap.* 5. *Deus non percipit sapientiam quâ sit sapiens, sed ipse sapientia est.* Et sanctus Gregorius Nazianzenus *Oratione* 2. *de pace num.* 24. ait, *Trinitatem esse verum ac veritatem, & Spiritum veritatis, sanctum & sanctitatem ipsam.* Denique sanctus Anselmus *in prologio cap.* 18. Deum alloquens ait, *Certè Vita est, Sapientia est, Veritas est, Beatitudo est, Æternitas est, & omne Verum, Bonum est; multa sunt hae; non potest angustus intellectus meus totum uno simul intuitu videre ut omnibus delectetur.*

Tertiò, Si essentia & attributa non essent idem realiter, sequeretur essentiam cùm attributis esse quid perfectius secundùm entitatem, quàm essentia sola: sed hoc est falsum; alioqoin essentia non esset ens infinitum cùm omoem prorsus entitatem non involveret: Ergo non sunt invicem realiter distincta.

Dices primò: Idem realiter non continetur in se ipso; alioquin idem esset & non idem: sed attributa continentur realiter in essentia divina: Ergo ab ea distinguuntur realiter.

Distinguit majorem Bassolis. Idem secundùm eandem rationem non continetur in se-ipso, concedit; non enim potest esse continens & contentum secundùm eandem omnino rationem: noo continetur in se-ipso penes aliam & aliam rationem, negat; unde sicut homo in quantùm animal, dici potest contineri in se-ipso quatenus homo est, quia animal continetur in homine quasi pars in toto; ita licet attributa sint idem realiter cum essentia, quia tamen ab ea formaliter discrepant, dici possunt in ea contineri realiter, quemadmodum proprietates in essentia continentur.

VII.

Qaomodo idem contineatur in seipso.

Vel clariùs & breviùs distinguo majorẽ. Idem non continetur in se-ipso per veram continentiam, qoæ importat distinctionem realem inter continens & contentum, *concedo*: per identificatiooem realem unius formalitatis cum entitate alterius, nego. *Minorem* similiter distinguo. Attributa continentur in Essentia Divina per veram continentiam, *nego*: per identificationem realem cum entitate Essentiæ Divinæ, *Concedo.* Unde rectiùs & veriùs dicuntur esse, quàm cootineri, in Essentia Divina.

Dices 2. Quando aliqua sunt eadem realiter, multiplicatô uoô, multiplicatur & aliud: Ergo si atttributa & essentia sint idem realiter, sicut multiplicia sunt attributa, sic etiam multiplex erit essentia.

VIII.

Multiplicatur formalitas non multiplicata entitate.

Distingno antecedens. Multiplicatô unô secundùm entitatem realem, etiam aliud multiplicari debet, secundùm entitatem, concedo: multiplicatô secundùm formalitatem, aliud multiplicari debet secundùm entitatem, nego; atttributa autem varia sunt tantùm secundùm formalitatem, non verò secundùm entitatem realem: Ergo ad eorum multiplicationem, non debet multiplicari divina entitas & essentia.

Dices 3. Perfectibile & perfectivum distinguuntur realiter: sed attributa divina sunt perfectiones Divinæ Essentiæ: Ergo ab ea distingui debent realiter, *Major* patet, nihil enim est perfectivum sui ipsius: Ergo debet esse perfectivum alterius.

IX.

Quodnam perfectivũ à perfecto distinguatur realiter.

Distingno minerem. Si perfectivum se habeat per modum formæ informantis subjectum, vel partis componentis totum aliquod; sicut albedo v. g. informat & efficit parietem album, & anima cum corpore constituit vivens, concedo: Si sit tantùm formalitas afficieos subjectum quod perficitur, per modum proprietatis & perfectionis intrinsecæ, nego; attributa autem non perficiunt Divinam Essentiam per modum formæ informantis, aut partis componentis; sed taotùm per modum formalitatis & perfectionis intrinsecè Essentiam divinam determinantis & perficientis hoc aut illo modo, v. g. sapientia in ratione sapientis, &c. Ergo ab ea noo debeot distingui realiter.

Dices 4. Quæ spectant ad diversas categorias, & sub diversis prædicamentis collocantur, distinguuntur realiter: sed Esseotia Divina & attributa sub diversis prædicamentis

collocantur, illa quidem sub prædicamento substantiæ, hæc verò sub prædicamento qualitatis. *Probari* potest variis sanctorum Patrum sententiis, præsertim S. Augustini *lib. 15. de Trinit. c. 5.* ubi ait. *Si dicam, æternus, immortalis incorruptibilis, immutabilis, vivus, sapiens, potens, speciosus, justus, bonus, beatus, spiritus, horum omnium novissimum quod posui videtur significare substantiam; cætera verò hujus substantiæ qualitates.* Ergo censet essentiam divinam ad prædicamentum substantiæ; attributa autem ad qualitatem spectare.

X. *Nego Minorem*: Siquidem ex dicendis de *divina simplicitate*, apertè constabit Deum nullatenus sub aliqua categoriarum comprehendi. Neque etiam ea mens fuit Augustini; in præfatis enim verbis loquitur quidem de conceptu quem formare possumus de prædicatis creaturæ convenientibus; non verò de prædicatis quæ Deum spectant; subdit enim, *Sed non ita est in illa ineffabili simplicique natura; quidquid enim secundùm qualitates illic dici videtur, secundùm substantiam vel essentiam est intelligendum: absit enim ut spiritus secundùm substantiam dicatur Deus, & bonus secundùm qualitatem; sed utrumque secundùm substantiam*: Ergo tantùm abest quod crassissimus is error Augustini genium infuscaverit, ut sentiret divinam essentiam esse quidem substantialem, divinas autem perfectiones inter accidentia computandas, quin imo apertè fatetur nihil in Deo nisi substantiam inveniri.

Deus non est in categoriis.

Dices 5. Illa de quibus prædicata contradictoria verificari possunt distinguuntur realiter: sed de essentia divina & attributis ac maximè de relationibus divinis prædicata contradictoria verificantur. Essentia enim est radix & fons attributorum ac relationum; attributa autem & relationes non sunt sibi invicem suæ scaturiginis fontes; nec vicissim ab eis essentia emanat, sicut hæc ab ea profluunt. Insuper essentia communicatur tribus personis, non ita relationes personales, &c. Ergo inter eas admitti debet realis distinctio.

XI. *Nego majorem.* Siquidem ad salvandas & solvendas has omnes contradictiones, sat est quod inter essentiam & attributa ac relationes intercedat distinctio formalis, ut in sequenti Quæstione evidenter aperiemus. Cætera quæ vel ipse Gilbertus in suæ sententiæ defensionem proposuit, vel quæ alii in ejus gratiam objicere solent, cùm maximè depromantur ex Tractatu de Trinitate, ideirco censuimus eorum discussionem ad ipsum tractatum esse remittendam, ut convenienti ordine singula invicem cohæreant.

Distinctio formalis sufficit ad salvanda contradictoria.

Quæres tamen hîc obiter *num revera Gilbertus Porretanus censuerit realem intercedere distinctionem inter Essentiam & Attributa?*

XII. RESpondeo haud dubium esse ita censuisse de Essentia & de relationibus divinarum personarum constitutivis, ut ex ejus commentariis super Boëtii librum de Trinitate liquet, quod data opera sequenti Quæstione in objectionum solutione probabimus. Quòd autem parem distinctionem inter essentiam & attributa non asseruerit, colligere licet ex præfati commentarii variis textibus quibus identitatem realem essentiæ divinæ cum suis attributis videtur astruere: nam libro 1. §. *Sed hæc*, ita scribit, *Cum dicitur, homo est justus, non dicitur esse justus toto quod ipse est: sed divisè justitiâ solâ dicitur esse justus; nec aliquid prorsus quô ipse sit, dictio hæc dimittit, nam Deus idem ipsum est quod est justum, idest, eôdem quô est Deus, est justus.*

Gilbertus censuit divinas relationes distingui realiter ab essentia.

Non ergo censet justitiam esse realiter à Deitate distinctam; qualiter enim fieri posset, ut Deus esset justus eô quô Deus est, si justitia divina à Deitate realiter esset distincta? Siquidem paries, v. g. non dicitur albus eôdem quô est paries; sed eô quô habet albedinem, posset enim esse paries & non esse albus, quia cùm albedo sit ab eo realiter distincta, etiam ab illo separari potest. Plures similes loquutiones in eodem commentario reperies, & ut pateat hanc fuisse genuinam illius mentem;

Non idem censuit de attributis.

Eodemmodo loquitur in commentario super librum ejusdem Boëtii de Hebdomad. regula 7. *Non cogitamus*, inquit, *ab essentia, quâ illum esse prædicamus, potentiam aut sapientiam ejus in illa ratione esse diversam.* Ergo fatetur potentiam & sapientiam (idem dicendum de cæteris attributis) ab essentia divina non esse realiter; imò, ut sentire videtur, nec etiam ratione distinctam.

Nec obstat quod referente sancto Bernardo, negaret Deum esse veritatem, quasi veritatem à Deitate realiter distingueret. DEI namque nomine intelligebat *personam habentem Deitatem*: Unde cùm personalitates realiter ab essentia distingui contendêret, etiam & ab attributis distinctas esse realiter affirmabat. Hinc dicebat, *Pater est verus & non veritas*, ut supra ex sancto Bernardo annotavimus. Idcirco autem vir ille aliunde doctissimus gravissimum hunc in errorem impegit, quod Philosophicis præceptis nimiùm deditus, nostræ fidei mysteria trutinaret ad rationis naturalis lancem, nec concipere posset qualiter relationes divinæ essent idem realiter cum essentia divina, & tamen invicem realiter distinguerentur, contra illud Dialecticum principium, *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, quod quidem principium in Tractatu de Trinitate expendemus.

Nec reclamat S. Bernardus.

CONCLUSIO SECUNDA.

XIII. ATTRIBUTA *divina non distinguuntur invicem, & ab Essentia Divina, solâ nominum varietate.* Hæc est omnium Theologorum contra Nominales puta Ochamum in 1. q. 2. Gregorium Ariminensem ibidem *Dist. 8. q. 2. a. 1.* Majorem *q. 1.* Gabrielem *d. 2. q. 1.* contendentes attributa divina ne per intellectum quidem vel inter se vel ab essentia distingui: sed solùm esse diversa nomina eandem rem & sub eadem omnino ratione intrinseca significantia; & invicem solùm discrepare per connotationem diversorum effectuum, vel perfectionum aut imperfectionum creaturarum, cum quibus Deus ab intellectu nostro comparatur, & nomine comparativo, seu connotativo diversimodè significatur, ita quod eadem omnino formaliter etiam simplex essentia divina dicatur misericordia per ordinē ad effectum parcendi & miserendi; justitia per ordinem ad effectum puniendi; sapientia, bonitas, & omnipotentia, per comparationem ad perfectiones creatas v.g. sapientiæ, bonitatis moralis, & potentiæ multiplicis creaturarum quibus Deus infinitè supereminet: Similiter dicitur immortalis, immutabilis, & per negationem mutabilitatis & de-

Attributa non tantùm nomine & varia connotatione ab essentia discrepant.

Explicatur Conclusio.

fectibilitatis quæ in creaturis reperitur. Verùm ut meritò notat Suares *lib. 7. de Trinitate cap. 1. num. 1.* hæc opinio si in re ipsa dissentiat à communi sententia, est plusquam falsa; si verò tantùm in modo loquendi, est impertinens & sine fundamento, & vix permittit nobis uti vocibus aptis ad explicandum mysterium Trinitatis. Itaque

Et probatur ex Scriptura.

Probatur Conclusio: Primò quidem authoritate sacræ Scripturæ, quæ de essentia & divinis attributis sæpius loquitur ut de multis: Ergo indicat ea inter se, & ab essentia distingui; quæ enim multa sunt, distincta sunt, & ubi est multitudo ibi & distinctio. Consequentia patet: Eôdem namque modô Scriptura vocibus in plurali dicenda est uti ad plura significanda quomodo utitur vocibus in singulari ad unicum exprimendum; sed dum vocibus in singulari utitur, unicum tantùm exprimit, ut notat sanctus Paulus ad Galatas 3. his verbis. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dixit: Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno Et semini tuo qui est Christus:* Ergo dum utitur vocibus in plurali plura designat. Probatur antecedens iis & similibus Scripturæ locis Romanorum primô, *Invisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas;* quibus Apostolus tria designat, nimirum attributa, operationes & essentiam divinam: Ergo censet hæc aliquatenus invicem distingui. Et ibidem cap. 11. exclamat, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Item Joannis 16. Christus ipse de attributis divinis & essentia sibi ut Filio communicatis à Patre loquitur ut de multis, *Omnia*, inquit, *quæcumque habet Pater mea sunt.* Quæ verba Concilium Florentinum Sessione ultima sic exponit, *Omnia quæ Patris sunt ipse Pater unigenito Filio suo dedit gignendo, præter esse Patrem:* Censet ergo Concilium præter paternitatem plura esse in Patre: sed illa non sunt nisi essentia & ejus perfectiones, sive attributales, sive modales, uti etiam explicat sanctus Hilarius lib. 5. de Trinitate, ubi expendens præfata verba Joannis, ait, *Deus in his ostendit intelligendum esse quæ sua sunt in virtute, in æternitate, in providentia, in potestate.*

Ex Conciliis.

Secundò. Concilia nedum de attributis & essentia loquuntur ut de multis; sed etiam affirmāt inter ea aliquam intercedere distinctionem: Sic 6. Synodus actione 8. ait, *Patrem, Filium & Spiritum sanctum nihil in Incarnatione habere commune nisi benignissimam misericordiam & voluntatem*: quasi diceret aliquid esse in Filio commune in Patre & Spirito sancto, secundùm quod non unitur immediatè humanitati; & aliquid proprium secundùm quod immediatè ipsi humanitati personaliter unitus est: Ac proinde aliquam esse distinctionem inter essentiam divinam communem tribus Personis, quæ immediatè non incarnatur & personam Filii, quæ immediatè naturam humanam assumpsit: impossibile enim est unum & idem, re & ratione indistinctum incarnari simul & non incarnari; alioquin de eodem secundùm idem penitus affirmarentur duo verè contradictoria; qualia sunt incarnari & non incarnari: impossibile pariter est quod si essentia divina & relatio filiationis differant tantummodo penes nomina, quicquam verè affirmari posse de personalitate Filii, quod non verè affirmetur de essentia divina; sicut v. g. ex Hypothesi quod *gladius & ensis* differant tantùm nomine, quidquid verè affirmatur de ense, etiam verè prædicatur de gladio; ac proinde sicut verè dicitur Filius immediatè naturam humanam assumpsisse, sic pariter verum erit dicere essentiam divinam immediatè naturam humanam assumpsisse, & ipsi uniri; quod à veritate simul & à fide alienum est, ut testatur Concilia Toletanum 6. & 11. affirmantia Filium assumpsisse humanitatem in eô quòd est proprium Filii, non quod est commune Trinitati. Eamdem in sententiam eunt omnes sancti Patres sequenti Quæstione laudandi, eædem enim rationes & sententiæ quæ inter essentiam & attributa distinctionem formalem astruent, Nominalium sententiam funditus destruent & expugnabunt, nihilominus conclusio etiam ratione

Ex Patribus

Et ratione.

Probatur. Illa de quibus contradictoria verificari possunt, distinguuntur invicem; contradictoria enim de eodem secundùm idem vera esse non possunt; sed de divinis attributis deque essentia & relationibus personalibus duo contradictoria verificantur; etenim Filius gignitur per intellectum non per voluntatem; Spiritus verò sanctus producitur per voluntatē, non per intellectum, sicque intellectus generat, voluntas non generat; voluntas spirat, intellectus non spirat: essentia divina nec generat nec generatur, nec spirat nec spiratur; item essentia cōmunicatur tribus Personis, relationes verò personales non communicantur: hypostasis Verbi immediatè unitur humanitati, non ita essentia: Ergo inter illa necessum est aliqua intercedat distinctio, alioquin duo contradictoria de eodem secundùm idem verificarentur; quod implicat.

Insuper si paternitas, v. g. & essentia divina sint omnino idem & nullatenus distinctæ, tam verum erit dicere; Filiatio est Paternitas realiter, quàm Filiatio est essentia realiter, idem enim omnino conciperetur & affirmaretur in utraque propositione: Similiter tam verum esset dicere, essentiam generare & generari, producere & produci, quàm Patrem generare & Filium generari: Similiter Filius verè dici poterit producere per voluntatem æquè ac Spiritus sanctus, si voluntas & intellectus solo nomine differant; quæ enim tantùm nomine discrepant, ut ensis & gladius, vel Deus & [illegible] quidquid de uno affirmatur, similiter & affirmari potest de altero: Hæ autem omnes consequentiæ in fidem militant.

XIV.

Primum fundamentum Nominaliū proponitur.

Objiciunt Nominales varias sanctorum Patrum authoritates quibus Deus dicitur non tam habere, quàm esse suam omnem perfectionem. Sic S. Anselmus in Monologio cap. 25. *Summa natura*, inquit, *non propriè dicitur justa quia habet Justitiam, sed quia existit Justitia.* Similiter S. Augustinus 6. de Trinitate cap. 7. *Deus*, inquit, *multipliciter quidem dicitur Magnus, Bonus, Sapiens, Beatus, Verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur: sed eadem magnitudo ejus quæ sapientia, & eadem bonitas quæ sapientia & magnitudo.* Ergo nec essentia ab attributis, nec attributa invicem ullatenus discrepant.

Et solvitur.

Distinguo consequentiam: Nullatenus discrepant realiter, concedo: Non enim sunt res, & res distinctis realiter existentiis existentes: non

discrepant

discrepant formaliter & tanquam diversæ formalitates ac conceptus objectivi diversimodè conceptibiles, nego. Itaque dum sancti Patres affirmant Deum esse totum quidquid est, & unam perfectionem divinam esse alteram, loquuntur de identitate reali, quâ per infinitatem, omnia quæ in Deo sunt, idem omnino sunt, & realiter indistincta; non autem loquuntur de identitate aut distinctione formali; alioquin sibi ipsis contradicerent, ut patebit ex assignandis eorum sententiis in sequenti quæstione.

XIV. *Instant* Nominales. Sancti Patres interdum affirmant divinas perfectiones nullatenus invicem differre, & negant unam alteri quidpiam addere: Sic S. August. lib. 15. de Trinit. cap. 5. *Bonitas, inquit, atque Iustitia, nunquid inter se in natura Dei sicut in ejus operibus distant, tanquam duæ diversæ sint qualitates Dei, una Bonitas, alia Iustitia? Non utique; sed quæ justitia, ipsa bonitas, & quæ bonitas ipsa beatitudo.* Item cap. 6. *Neque sicut nos de illo percipimus sapientiam, ita Deus de aliquo; sed sua est ipse sapientia, quia non est aliud sapientia ejus, aliud essentia, cui hoc est esse quod sapientem esse.* Similiter S. Gregorius Nyssenus lib. ad Ablavium, circa finem, *Omnem*, inquit, *circa essentiam diversitatem rejicit divina simplex & variationis inscia natura.* Item S. Bernardus lib. 5. de Consider. cap. 6. *Hoc est ei esse, quod hæc omnia esse; & si centum talia addas, non recessisti ab esse:* quod manifestum indicium est nullum discrimen inter essentiam & attributa reverâ intercedere.

2. Fundamentum.

Nego consequentiam. Volunt enim solùm præfati Patres à Deo arcere distinctionem realem inter essentiam & attributa, omnemque à Deo compositionem removere, ne ipsius divinæ simplicitati & infinitati detraherent: cùm enim simplicitas & infinitas, omnia prorsus quæ in Deo sunt; essentialia & attributalia identificent realiter; verum est dicere unam perfectionem esse alteram realiter, & nihil reale distinctum alteri adjicere: non autem negant illas esse varias formalitates, realiter quidē invicem & cum essentia identificatas, sed formaliter distinctas.

Solvitur & explicatur.

Vrgent Nominales. Sancti Patres etiam affirmant pluralitatem nominum, quibus divinas perfectiones significamus, solùm oriri ex imperfectis nostris conceptibus, quibus Deum more creaturarum apprehendimus, aut ad creaturas variè comparamus; in Deo tamen nihil esse varium & multiplex, sed solùm diversam nominum appellationem: Sic S. Bernardus lib. 5. de Consider. cap. 13. cum dixisset Deum esse longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundum, subdit, *Visus sum protulisse plura, sed unum est: unus Deus signatus est pro captu nostro, non pro suo statu. Divisus est hic captus noster, non ille Deus: voces diversæ, semitæ multæ; sed unum per eas significatur, unus quæritur.* Item S. Cyrillus lib. 11. Thesauri, ait, *Substantiam Dei seipsâ perfectam esse, sed tamen nos cogi nonnunquam accidentium modô concipere, intelligentes ante creationem mundi creatorem Deum fuisse, sed non actu; creato autem mundo actu quoque Creatorem esse.* Ergo attributa sunt tantum varia nomina, nec ullam à parte rei in Deo distinctionem importanr.

3. Fundamentum.

Nego consequentiam: Vel enim SS. Patres loquuntur tantùm de denominationibus & relationibus extrinsecis, putà Creatoris, Redemptoris, Sanctificatoris, Auctoris, &c. quæ quatenus actum important, & significant, non novam quidem inferunt in Deo perfectionem intrinsecam, quam non haberet ab æterno; sed sunt tantùm nova & extrinsecùs adveniens denominatio: Non autem loquuntur SS. Patres de perfectionibus divinis, quæ reipsa seclusô quôcumque intellectûs cōceptu divinam essentiam afficiunt & perficiunt. Vel SS. Patres volunt nominum diversitatem non designare in Deo rerum variationem: sed essentiam divinam, cum suis perfectionibus & attributis esse quidem unam rem omnino realiter simplicem; at formaliter diversam ac pluribus nominibus significatam.

Convellitur.

Objiciunt 4. Nominales, illud suum solemne argumentum: Ubi non est unum & aliud, non potest unum concipi sine alio: sed in re simplici, qualis est Deus, non est unum & aliud: Ergo unum non est conceptibile sine alio, ac proinde nihil est in eo distinctum.

4. Fundamentum.

Nego Minorem. Siquidem essentia ab attributis & attributa invicē distinguntur formaliter, ut seq. quæst. patebit. Insuper retorqueri posset & in eos urgeri argumentum, Ubi non est unum, & aliud, non potest unum producere aut produci, generare aut generari, spirare aut spirari, communicari aut uniri sine alio: sed in essentia divina, non est unum & aliud; similiter & in persona divina, quæ est ens simplicissimum, non est unum & aliud, ut volunt Nominales: Ergo non potest essentia divina communicari Filio non communicata Paternitate, neque Filius potius diceretur generari per intellectum quàm per voluntatem; nec voluntas magis spirare quàm intellectus, quæ & similes consequentiæ absurdæ sunt & hæreticæ. Ergo, &c.

Concutitur.

Quæstio Secunda.

An Attributa Divina tum inter se, tum ab Essentia formaliter & actu distinguantur.

Ex præcedenti Quæstione liquet, inter essentiam divinam & illius attributa ac relationes, aliquam à parte rei intercedere distinctionem; nec eam solùm fieri per fictionem & operationem intellectus: Restat hac in quæstione examinandum & resolvendum, an illa distinctio sit tantùm *virtualis*, ut contendunt Thomistæ, an verò *formalis* & actualis, ut Subtilis Doctoris Sectatores affirmant, quod ut percipiatur evidentiùs;

Notandum 1. Distinctionem VIRTUALEM, ut ex Becano *parte 1. tract. 1. cap. 1. quæst. 1. conclus. 3.* & aliis Thomistis modernis colligitur, eam dici, quâ res aliqua licet simplex formaliter & indivisibilis secundùm se, æquivalet multis, & ita se habet per respectum ad nostrum modum concipiendi, ac si multiplex esset; unde fit ut non modò possit diversimodè concipi: sed & operari inadæquatè. Sic in creatis, *anima rationalis*, quæ in eadem simplici entitate est vegetans, sentiens, & intelligens, dicitur triplex virtualiter; quia animæ vegetantis, sentientis, & intellectivæ vices obit & operationes elicit. Unde cùm intelligit, dicitur operari inadæquatè; quia operatur tantùm quatenus intellectiva est & spiritualis, & ut æquivalet virtuti intellectivæ Angelorum; non autem quatenus æquivalet formis brutorum aut plantarum. Sic pariter *lux*, v. g. quæ in sua entitate simplex est & indivisibilis, dicitur tamen triplex virtualiter, quatenus est illuminativa, exsiccativa, & calefactiva. Similiter ergo, inquiunt, divina entitas, quamvis simplex & formaliter indivisibilis in se, dicitur tamen multiplex virtualiter; quia per suam infinitatem multis æquivalet

I. Quod sit distinctio VIRTUALIS.

& supereminet, & dicitur diversimodè operari inadæquatè, sivè ad intra generando Filium per intellectum, v. g. non per voluntatem, idest quatenus habet intelligendi vim & æquivalet ac supereminet infinitè intellectui creato: non autem quatenus habet facultatem volendi, quâ ratione spirat Spiritum sanctum; sivè etiam ad extra cùm creaturas producit v. g. per omnipotentiam.

II. Quid sit distinctio Formalis.

Notandum 2. Distinctionem FORMALEM colligi & intelligi per ejus oppositum, nimirum per identitatem formalem. Formalis autem identitas est inter ea, quorum unum est definitio, aut pars definitionis alterius, seu quæ diversis nominibus exprimuntur, licet in se diversa non sint. Unde Doctor in 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. *num.* 44. Voco autem, *inquit*, identitatem formalem, ubi illud quod dicitur sic idem, includit illud cui sic est idem in ratione sua formali, & per consequens per se primò modô. Quæ ut faciliùs percipiantur præmonet ibidē Doctor, aliquid posse dici *unum* alterô ex his sex modis: Primò quidem, unitate *aggregationis*, eorum scilicet quæ coacervantur absque ullo ordine, ut acervus lapidum. Secundò unitate *ordinis*, quæ priori major est; fitque, cùm ordine adunantur invicem aliqua realiter distincta & seorsim existentia, ut exercitus militum. Tertiò unitate *adhæsionis*, quâ accidēs subjectum afficiens, cum eo unum efficit: sic albedo cum pariete facit album. Quartò unitate *constitutionis*, quâ duo invicem adunantur ad constituendum unum per se, sic materia & forma constituunt corpus physicum. Quintò unitate *identificationis*, quæ prioribus strictior est, reperiturque in iis gradibus Metaphysicis unam speciem constituentibus: Sic animalitas & rationalitas invicem identificantur in homine. Sextò denique, aliquid dicitur unum unitate omnium maxima, nempe unitate *formali*, quâ duo habent nedum identitatem realem, sed etiam formalem. Illa autem dicuntur habere identitatem formalem, vel quorum unum est prædicatum essentiale alterius, vel quæ licet diversis nominibus exprimātur, res tamen significata per unū nomen, est omninò eadem formaliter, quæ per aliud nomē designatur.

III. Quænam præcisè dicantur formaliter distingui.

Ex his facilè colligitur illa distingui formaliter, quæ licet invicem realiter identificentur, unum tamen non est definitio alterius, nec prædicatum ipsi intimè conveniens, seorsim tamen ab illo conceptibile est & actu eum afficiens formaliter & denominans. An autem hæc distinctio reperiatur tùm inter Essentiam & Relationes personales, tùm inter Essentiam, & Attributa, tum denique inter ipsamet Attributa, resolvendum est in hac Quæstione.

CONCLUSIO PRIMA.

RELATIONES *personales, v. g. Paternitas & Filiatio, distinguuntur formaliter ab Essentia Divina; ita quod essentia divina actu non sit formaliter Paternitas; nec vicissim Paternitas sit formaliter Essentia Divina.* Hæc est Doctoris in 1. *d.* 2. *q.* 7. *num.* 41. *& d.* 8. *q.* 4. *num.* 17. contra S. Thomam 1. *p. q.* 28. *art.* 2. & alibi.

IV. Relationes personales ab Essentia Divina formaliter distinguuntur.

PROBATUR 1. authoritate S. Augustini lib. 7. *de Trinit cap.* 1. ubi disertè probat necessariò relationem & essentiam invicem distingui, nec utrumque penitus idem esse, nedum in creatis, sed & in divinis, cum enim dixisset, *Homo ergo cum Dominus dicitur, ipse homo essentia est, Dominus verò relativè dicitur; homo enim ad se dicitur, Dominus ad servum: Hoc autem unde agimus, si essentia ipsa relativè dicitur, essentia ipsa non est essentia. Huc accedit, quia omnis essentia quæ relativè dicitur, est etiam aliquid exceptô relativô.* Concludit, *Quapropter si & Pater non est aliquid ad seipsum, non est omnino qui relativè dicatur ad aliquid.* Quibus duo distinguit. Primum quidem essentiam divinam non esse relationem; quia essentia est quid absolutum & ad se, relatio verò quid respectivum & ad aliud. Secundum, in Patre aliquid revera esse, nimirum essentiam divinam, quâ est ad se; & aliquid, nimirum relationem Paternitatis quâ ad Filium refertur. Ac proinde S. Augustinus censet revera à parte rei essentiam à Paternitate distingui.

Ut colligitur ex S. Augustino.

Insuper idem ibidem cap. 2. *Non*, inquit, *quia Pater non est Filius, & Filius non est Pater, aut ille ingenitus, ille autem genitus; ideo non una essentia, quia his nominibus relativa eorum ostenduntur. Vterque autem simul una essentia & una sapientia, ubi hoc est esse quod eorum sapere; non autem simul uterque, Verbum aut Filius; quia non est hoc esse quod Verbum esse, aut Filium esse.* Ergo revera ratio *Ingeniti* & *Paternitatis*, & ratio *Geniti*, *Verbi*, & *Filii*, cùm sit relativa, distinguitur ab essentia divina; non quidem realiter, alioquin Pater non esset formaliter Deus, idem dicendum de Filio. Restat ergo ut formaliter distinguantur; siquidem S. August. loquitur de ratione essentiæ & relationis prout revera sunt à parte rei in Deo; non verò solùm quatenus à nobis concipiuntur.

Denique ibidem *cap.* 6. expendens illud Joann. 10. *Ego & Pater unum sumus*, ait: *Et unum dixit, & sumus. Vnum secundùm essentiam, quod idem Deus, sumus secundùm relativum quô ille Pater, ego Filius.* Ergo essentia & relatio distincta sunt formaliter: Quod sic evinco; primò quidem ante omnem intellectûs operam reverâ Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt unum unitate essentiæ, & plures pluralitate personarum & relationum. Ergo relationes ab essentia distinguuntur, aliàs revera sicut dicitur unica essentia, sic & dici posset unica relatio Personalis; & vice-versa sicut tres sunt relationes Personales, ita & tres essentiæ concipi possent & affirmari, si nullum omnino inter essentiam & Personalitates discrimen sit à parte rei.

Et ratione probatur.

Secundò. Divina essentia in Patre, seclusô omni prorsus actu intellectus, est entitas ex natura rei communicabilis, & de facto communicata Filio; & Paternitas est etiam entitas ex natura rei incommunicabilis, nec actu communicata Filio, juxta illud Florentini in litteris unionis, *Pater omnia communicavit Filio præter esse Patrem:* Similiter per Paternitatem actu & formaliter absque omni opere intellectus, prima Persona Trinitatis constituitur in esse Patris, & distinguitur realiter à Filio: per essentiam verò divinam non constituitur actu & formaliter in esse Patris, nec distinguitur realiter à Filio, juxta illud Concilii Toletani secundi, *In relatione Personarum numerus cernitur, in Divinitatis verò substantia, quid numeratum sit non comprehenditur.* Et illud Concil. Lateran. cap. firmiter, *Hæc sancta Trinitas secundùm communem essentiam individua, & secundùm Personales proprietates discreta:* Ergo est aliqua distinctio actualis à parte rei ante omnem operationē intellectus, inter Essentiam divinam & Paternitatem. Probatur consequentia: Si nulla prorsus esset distinctio aut formalis, aut realis inter ipsas, seclusa qualibet intellectus operatione, impossibile esset quin quidquid actu convenit uni à parte rei, etiam non conveniat alteri: Ergo cùm communicari & identificari Filio, prædicetur de essentia, etiam idem prædicari deberet

de paternitate, & sic Pater à Filio non distingueretur realiter, nec esset alia ab eo persona, quod asserere hæreticum est.

Confirmatur: Pater divinus seclusâ omni intellectus operâ realiter à parte rei distinguitur à Filio: Ergo debet habere actu aliquid quô ab ipso distinguatur actu: sed non haberet aliquid actu, quô taliter ab ipso distingueretur, nisi haberet aliquid à parte rei aliquomodo actu distinctum à Filio; illud autem non haberet, si Paternitas nullatenus ab essentia distingueretur; siquidem per essentiam divinam, à Filio non distinguitur; imo cum ipso in ea convenit, sunt enim unus Deus formaliter: Ergo ut Pater sit actu distinctus à Filio, paternitas debet esse actu distincta ab essentia.

Confirmatur 2. Impossibile est prædicata contradictoria actu competere eidem secundùm idem: sed si nulla esset actualis à parte rei distinctio inter paternitatem & essentiam, eidem rei secundùm idem competerent prædicaca contradictoria, putà communicari actu & non communicari actu; constituere & non constituere; distingui realiter & realiter non distingui: Siquidem essentia divina communicatur actu, Paternitas verò actu non communicatur Filio; Paternitas constituit Patrem, essentia non constituit; Paternitas distinguit realiter Patrem à Filio; essentia verò non ipsum ita distinguit, imò est principium convenientiæ in quo Pater essentialiter cum Filio convenit, & est cum eo unus Deus: Ergo si Paternitas & essentia à parte rei nullatenus sint distinctæ, sequitur eidem secundùm idem prædicata contradictoria competere: sed falsum consequens: Ergo & antecedens.

Replicant aliqui apud Meironium, in creatis quidem prædicata contradictoria non posse eidem rei competere propter limitationem & finitatem, secus verò in divinis, propter infinitam Dei entitatem, quæ cùm omnem prorsus excogitabilem perfectionem & entitatem involvat, etiam quodlibet prædicatum excipere potest.

V.

Prædicata contradictoria Deo competere nequeunt.

Contra: Si prædicata contradictoria vera esse possint in divinis, cur pariter in creatis non poterunt verificari? Siquidem contradictio non pugnat formaliter cum finito & infinito: sed cùm ente & non ente; ita quod sicut negat aut affirmat ens infinitum, etiam ens infinitum astruit aut destruit: tam enim repugnat aliquid esse ens infinitum, & non infinitum, quàm esse ens finitum & non finitum; ac proinde tam verificari posset contradictio de ente infinito, quàm de finito. *Insuper* si verificari possint contradictoria de eadem omnino re indistincta in divinis, poterit aliquis affirmare Deum simul esse sapientem, & non esse sapientem: similiter Deum esse & non esse; nec qui hoc tam absurdum affirmabit, ullatenus poterit falsitatis argui, si revera duo contradictoria prædicata in divinis subsistere possint.

Replicant Thomistæ, ad salvandas & solvendas has omnes contradictiones, sufficere quod intercedat distinctio virtualis inter essentiam & relationes personales; cùm enim, inquiunt, essentia divina sit infinita & omnem entitatem & perfectionem creaturarum involvat & excedat, ex se fundamentum sufficiens præbet intellectui, ut in ea aliquid distinguat per modum essentiæ, aliud per modum relationis, comparativè ad essentias & relationes creatas. Non quod revera essentia, & relatio sint formalitates actu distinctæ; sed quod entitas divina propter suam infinitatem, sufficiens motivum præbeat intellectui, ad hanc distinctionem excogitandam & affirmandam.

VI.

Distinctio virtualis non sufficit ad ea salvanda.

Contra 1. Illa distinctio virtualis, vel efficit ut aliquid sit actu in Patre quod non sit identificatum Filio, vel non efficit. Si efficit: Ergo est aliquid actu in Patre quod actu distinguitur ab essentia, quæ est identificata Filio. Si non efficit: Ergo falsum est quod Pater sit realiter & actu distinctus à Filio.

Secundò. Quando principium distinctivum est virtualiter tantùm distinctivum ab eo in quo aliqua conveniunt, etiam ipsamet tantùm virtualiter distinguuntur, non verò actu: Ergo si Paternitas & Filiatio sint tantùm distinctæ virtualiter ab essentia divina, in qua Pater & Filius conveniunt, etiam ipsæ Personæ divinæ non distinguentur invicem actu, sed tantùm virtualiter.

Tertiò. Impossibile est quod aliqua distinctio aut realis, aut virtualis, aut formalis, efficiat ut idem secundùm idem sit formaliter tale, & non sit tale formaliter: Ergo impossibile est quod distinctio illa virtualis efficiat quod eidem entitati competat, esse identificatum & non esse identificatum, constitutivum & non constitutivum, distinctivum & non distinctivum: Ergo cùm hæc prædicata conveniant essentiæ & paternitati; oportet ut Paternitas, & essentia sint diversæ formalitates, quarum ratione illa prædicata in Deo verificentur.

Quartò. Dum Pater divinus intelligit se, aut intelligit essentiam divinam, & Paternitatem, ut diversa objecta formalia actu distincta, aut ut idem objectum sub alio, & alio modo à nobis apprehensibili. Si primum: Ergo inter Paternitatem & essentiam est formalis, & actualis distinctio. Si secundum: Ergo non est major differentia inter Paternitatem & Deitatem, quàm inter Deum & Deitatem, & consequenter non concipit Paternitatem esse magis incommunicabilem quàm essentiam; si nempe nullum inter utramque discrimen deprehendat. Qualiter enim cognosci poterit Paternitas magis incommunicabilis quàm divina essentia, si revera inter utramque nullum omnino actuale discrimen intercedat à parte rei: sed solùm per nostri intellectus conceptum? An divina cognitio nostri intellectus imbecillitati & figmento attemperabitur, & ipso indigebit, ut aliquid actu distinctum percipiat, & sine quo omnino indivisum & indistinctum perciperet? Quid si nullus creatus intellectus usquam extitisset, qui hanc essentiæ divinæ à relationibus distinctionem deprehenderet, Deus nusquam eam novisset? Neminem arbitror qui rem acu tetigerit, ita desipere, ut absurdas has consequentias admittat; quin potius libenter cum Doctore Subtili fatebitur nihil distinctione formali aptius esse ad explicandum adorandæ Trinitatis mysterium, & omnes excutiendas ambages & contradictiones quibus Adversarii & Impugnatores distinctionis formalis in dies implicantur & urgentur.

Objiciunt Thomistæ Primò quidem; Si divinæ relationes non sint de conceptu formali essentiæ divinæ, sequitur eas ipsi esse extrinsecas, ac proinde accidentales: sed falsum conse-

quens: Ergo & antecedens. Patet sequela majoris, siquidem inter essentiale & accidentale nullum medium est. Patet etiam minor; nihil enim in Deo est quod non sit essentia.

VII. Quomodo divinæ perfectiones nec sint essentiales, nec extrinsecæ.

Distinguo sequelam majoris. Sunt accidentales, quatenus accidentale sumitur pro eo quod non est definitio, nec pars definitionis, nec prædicatum in primo modo dicendi per se illius rei cui convenit, concedo; quatenus accidentale sumitur pro eo quod extrinsecùs advenit rei jam intrinsecè completæ, nego; itaque relationes sunt quidem extra conceptum formalem ipsius essentiæ quatenus præcisè essentia est, non verò sunt extra ipsius entitatem realem; siquidem intrinsecè ipsi competunt & realiter identificantur.

Objiciunt 2. Divina Essentia necessariò est Pater: sed necessariò esse Patrem non competit ei tanquam proprietas, nec tanquam modus distinctus ex natura rei à Divina Essentia: Trinitas enim Personarum, non est proprietas essentiæ: Ergo competit ei prout essentia est formaliter & intrinsecè.

VIII. An & quomodo Essentia Divina dicatur Pater.

Distinguo majorem. Est necessariò Pater necessitate identica, concedo: formali, nego: divina namque essentia non est Pater formaliter, sed tantùm realiter & identicè. Ad minorem dico, quod etsi Esse Trinum non conveniat Deo tanquam proprietas; tamen verum est quod esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum, non est de ratione formali Divinæ Essentiæ, sed extra ejus rationem formalem. Fateor ergo necessariò competere Deo & intrinsecè quod sit Trinus; siquidem Personarum Trinitas oritur ex summa fœcunditate Divinæ Essentiæ: Non tamen essentiæ rationem formalem ingreditur, sed solùm ei realiter identificatur.

Instant, Quidquid essentialiter competit divino esse, etiam competit essentialiter Divinæ Essentiæ: sed divino esse infinito competit essentialiter esse Patrem Filium, & Spiritum sanctum: Ergo & Divinæ Essentiæ. Patet minor, aliàs non esset essentialiter & intrinsecè infinitum esse, siquidem intrinsecè non esset personarum Trinitas quæ summa est perfectio.

Et sit infinitè perfecta licet relationes non involvat.

Distinguo majorem: Si essentiale sumatur pro eo quod est rei intrinsecum & identificatum realiter, *concedo*: si sumatur pro eo quod est prædicatum essentiale & in primo modo dicendi per se, *nego*. Ad minorem dico quòd licet Divina Essentia formaliter in suo formali conceptu non involvat relationes, non minùs est infinitè perfecta, tum quia relationes personales nullam per se formaliter dicunt perfectionem: tum quia Essentia Divina per suam infinitatem formalem & radicalem, est infinitum essendi pelagus, à quo omnes relationes divinæ & attributa ac modi pullulant & emanant.

Objiciunt 3. varias Conciliorum authoritates, quibus probare nituntur nullam actualem inter Essentiam Divinam & relationes personales distinctionem inveniri; sed solùm virtualem & quæ per intellectum concipitur & apprehenditur. Proferunt in primis Concilium Florentinum *Sessione* 18. ubi Joannes Theologus ex sententia Ecclesiæ Latinæ ait, divinam substantiam & personam, *re quidem idem esse; secundùm autem modum intellectionis nostræ* A *videri differre*, Et sessione 19. Andreas Collossensis causam Latinorum agens adversus Græcos ait: *Haud quaquam putare debetis quod re differant (putà essentia & relatio:) sed sola ratione aut intelligentiâ differre creduntur*, Et Sessione 25. *Ne ipsam eandem substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasibus & Personis differre credere videamur:* Ergo ex mente Patrum Latinorum, quorum partes agebant præfati Joannes & Andreas, constat essentiam & paternitatem sola ratione actu differre ac proinde à parte rei nulla inter eas est formalis distinctio.

IX. Distinctioni formali non repugnat Concilium Florentinũ.

Nego consequentiam. Et dico ad præfatas authoritates; primò quidem ea verba prolata B fuisse non definiendo, sed disputando & explicando res fidei: in disputationibus autem & explicationibus, communiores solitò opiniones usurpantur, ut ex illis clarior & evidentior appareat veritatis indagatio & manifestatio. *Secundò*, per *Rationem* fortè intelligunt distinctionem *Rationis ratiocinatæ*, quæ connotat extrema actu distincta, quæque, inquit Doctor in 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. *num.* 43. coincidit cum distinctione formali *Potest enim, vocari differentia rationis, sicut ait quidam Doctor: Non quod accipiatur differentia formata ab intellectu: sed ut ratio accipitur pro quidditate rei secundùm quod quidditas* C *est objectum intellectùs.*

Imò ipsam propugnat.

Tertiò dico quod per *distinctionem rationis*, illi Theologi excludebant vulgarem distinctionem realem, quæ solveret unitatem & identitatem essentiæ cum Personis; non autem distinctionem formalem cujus nomen nondum Theologis & Philosophis innotuerat; quæque mediat inter distinctionem purè realem & purè rationis; nec solvit indentitatem realem Essentiæ & relationum: Quam realem identitatem solùm astruere volebant illi Theologi, non verò identitatem formalem, ut liquet ex verbis præfatis Joannis dicta *Sessione* 16. quibus ipse videtur distinctionem formalem propugnare: subdit enim, *Ipsa tamen substantia cum* D *personis communicat; proprietates verò nequaquam communicabiles sunt: quod quidem ex relationis vi creditur evenire:* Ergo tantùm abest ut nostram distinctionem formalem destruat, imò adstruit: distinctio enim quæ fit vi relationis divinarum personarum constitutivæ, non fit per solam actualem intellectus considerationem; sed est revera à parte rei.

Objiciunt 4. Concilium Rhemense in quo (ut refert Otto Frisingensis *Libro primo de gestis Frederici Imperatoris c.* 57.) contra Gilbertum Porretanum dicentem *Rationem Theologicam dividere inter naturam & personam*, definitum est, *Ne aliqua ratio inter naturam & personam* E *dividat, neve divina essentia dicatur in sensu ablativi tantùm, sed etiam nominativi*, hoc est ne solùm dicatur, *Pater Deitate est Deus*, sed *est ipsa Deitas:* Ergo ex mente Concilii, inter essentiam & relationes personales sola intercedit distinctio rationis, & quæ fit per mentem; non autem formalis, & quæ fit à parte rei.

X. Neque Rhemense quod so-

Respondeo in eo quidem Concilio meritò damnatum fuisse Gilbertum, quòd assereret relationes divinas realiter ab essentia distingui, ut constat nedum ex nostro *Alensi* 1. *part. quæst.* 68. *memb.* 5. *S. Bonaventura in* 1. *dist.* 23.

quæst. 2. *S. Thoma* 1. *part. quæst.* 28. *art.* 3. A & aliis antiquioribus Theologis, qui eam fuisse Gilberti mentem referunt & affirmāt; sed etiam ex Confessione Fidei quam *Sanctus Bernardus* unà cum aliquibus Ecclesiæ Gallicanæ Episcopis, solutô Rhemensi Conciliô edidit; quæque reprobata fuit ab Eugenio Summo Pontifice, eò quòd ipso insciô & inconsultis Cardinalibus fuisset edita. In hac autem Fidei professione, quam refert *Otto Frisingensis cap.* 56. habetur, *Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non esse res alias à Deo*, quod indicium est Gilbertum docuisse Personas & relationes earum constitutivas esse res alias à Deo & realiter ab Essentia Divina distinctas.

(Margin: lùm reprobat distinctionem realem quā Gilbertus inter relationes & essentiam asserebat.)

XI. Insuper sanctus Bernardus *Librô* 5. *de Consideratione, cap.* 7. adversus eundem Gilbertum B disputans, ait illum admittere in Deo *Quaternitatem*, quia nimirum Essentiam Divinam à relationibus numerô distinguebat: distinctio autem numerica est realis: Ergo censebat Gilbertus relationes ab essentia non solùm distinctione rationis, sed reali à parte rei distingui.

(Margin: Ut colligitur tum ex Concilio tum ex S. Bernardo.)

Denique idem sanctus Bernardus *Sermone* 80. *in Cantica* disputans in eundem Gilbertum, ait Essentiam Divinam non esse in Personis tanquam formam in subjecto à quo distinguatur, sicut distinguitur albedo à nive & nigredo à corvo; quæ certum est realiter distin- C gui: qualem etiam distinctionem putabat esse inter genus & differentiam, inter animam & ejus facultates; licet non accuratè satis ad Philosophiam & rei veritatem.

XII. Quibus patet quàm perperam Vasquez, *Prima parte disp.* 120. *cap.* 4. *n.* 18. & nonnulli Recentiores Thomistæ ex eo affirmant, definitionem ab Eugenio Summo Pontifice contra Gilbertum editam, etiam in Scoti distinctionem formalem à parte rei, militare: quod certè summa hallucinatio est, quippè cum longè diversa sit Subtilis Doctoris à Gilberti Porretani sententia; hic enim admittebat verè realem maximam distinctionem inter essen- D tiam & relationes personales, quæ solveret earum realem identitatem; Doctor verò Subtilis solùm admittit distinctionem formalem, quæ talem identitatem non solvit. Nam si secus sensisset Doctor, haud dubiè tantùm errorem indemnatum Ecclesia tamdiu non tulisset: quam utique sententiam cùm non damnaverit, indicium est non idem Scotum cum Gilberto sentire, ac proinde turpiter hallucinari eos omnes qui hunc errorem Doctori Subtili ascribunt.

(Margin: Unde turpiter hallucinatur Vasquez dum distinctionem formaliter in eo Concilio proscriptam edocet.)

XIII. *Nec refert* quòd ut ait præfatus *Otto*, Gilbertus assereret *inter naturam & personam non* E *Mathematica abstractione, sed Theologica consideratione quoquomodo rationem dividere*, Etenim, *per considerationem Theologicam*, non significabat diversos conceptus objectivos & formales, quales importat distinctio formalis; uti falsò interpretatur Vasquez: sed designabat distinctionem realem, ut colligitur tum ex dictis; tum ex ipso vocabulo *Dividere*; Divisio namque significat abstractionem negativam, quâ unum negatur esse alterum, ac proinde distinguitur realiter ab altero. Quæ autem formaliter discrepant, unum non negatur esse alterum, sed solùm abstrahi formaliter ab altero, abstractione præcisivâ, non autem negativâ.

(Margin: Nec ipsi patrocinatur Ottonis Frisingensis dictum.)

CONCLUSIO SECUNDA.

XIV. DIVINA *Attributa invicem distinguuntur formaliter & actu ex natura rei & seclusa intellectus consideratione.* Hæc conclusio est Doctoris in 1. *dist.* 8. *quæst.* 4. *num.* 17. *& alibi.* Eamque sic probat.

(Margin: Attributa divina formaliter ab invicem distinguūtur.)

PRIMO. Seclusâ quâcumque intellectûs consideratione, Deus habet formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem, aliàs non esset infinitè perfectus, nec illud quô majus excogitari non potest, ut jam probavimus *Quæst.* 2. *præcedentis articuli num.* 8. sed divinæ perfectiones simpliciter simplices non possunt esse formaliter in Deo, quin formaliter & actu distinguantur, tum ab invicem, tum ab Essentia Divina; alioquin si idem omninò formaliter essent cum Deitate & cum seipsis, non essent ibi plures perfectiones simpliciter simplices, sed unica: Ergo si Sapientia v. g. est formaliter & actu in Deo, etiam formaliter & actu distinguitur à justitia & cæteris attributis.

(Margin: 1. Quia aliàs non essent in Deo plures perfectiones.)

Confirmatur 1. Ubi est res formaliter, ibi est secundùm suum conceptum quidditativum: Ergo & secundùm suam unitatem entitativam quia ens & unum convertuntur: Ergo si perfectiones simpliciter simplices sint in Deo formaliter, quælibet in eo suam habet unitatem, ac proinde suam distinctionem ab alia, unitas enim est id quo res est indivisa in se & divisa à quolibet alio.

Confirmatur 2. Circumscripto omni actu intellectus Deitas est infinitum essentiæ pelagus, *ex S. Damasceno lib.* 1. *cap.* 12. sed non potest esse pelagus perfectionum nisi ea sit perfectionum multitudo & pluralitas: Ergo seclusa intellectus operatione est in Deo perfectionum pluralitas & diversitas. Insuper *Ex S. Augustino lib.* 15. *de Trinitate cap.* 3. omnes perfectiones divinæ sunt mutuò æquales: sed æqualitas est inter plura actu distincta: Ergo perfectiones divinæ sunt à parte rei actu distinctæ.

Denique: Si attributa distinguerentur per operationem intellectus, hæc distinctio fieret actualis vel per operationem intellectus divini; vel per operationem intellectus creati: sed neutrum dici potest: Ergo non fit per operationem intellectus, sed attributa sunt se-ipsis à parte rei distincta. *Major* patet, nullus est enim intellectus præter creatum & increatum: *Minor* probatur quoad *Primam* partem; Intellectus divinus est attributum divinum: Ergo non potest per suam operationem actu distingui; omnis enim operatio supponit potentiam actualem: Ergo operatio intellectûs divini supponit eum actualem, & proinde non potest eum actualem efficere. Patet etiam quoad *secundam partem*; quia consideratio intellectus creati nihil causat in Deo nisi solam relationem rationis, & denominationem extrinsecam: Ergo non potest efficere ut divinæ perfectiones sint in Deo formaliter actu distinctæ: Ergo illæ se-ipsis à parte rei debent esse distinctæ.

Probat 2. *Doctor. Sapientia* in genere, & *bonitas* in genere non sunt idem formaliter & actu; sed invicem formaliter & actu distinguuntur: Ergo sapientia & bonitas in Deo etiam formaliter & actu distinguuntur. *Consequentia* probatur. Sapientia divina & bonitas

(Margin: 2. Quia perfectiones illæ in genere & secundū se sunt distin-)

ctæ: Ergo etiam distinctæ sunt in Deo

divina, quatenus divinæ sunt, nihil habent præter rationem infinitatis: sed infinitas non variat rationem formalem earum, est enim modus rei; modus autem non variat rem formaliter, *ut ait Doctor in 1. dist. 13. quæst. unica*; Albedo siquidem ut quatuor & albedo infinita, non sunt diversæ essentiæ, nec habent rationem formalem diversam: Ergo infinitas non efficit quod sapientia & bonitas in Deo non sint actu distinctæ.

3. Quia *Intellectus & Voluntas* in Deo ita distinguuntur: Ergo etiam cætera attributa ita sunt distincta.

Probatur 3. Intellectus & Voluntas in divinis distinguuntur formaliter: Ergo similiter sapientia & bonitas. *Consequentia* patet à paritate rationis. *Antecedens* probatur: Primò quidem; Intellectus est principium intellectionis, non autem voluntas, & voluntas est principium volitionis, & non intellectus: Ergo intellectus, & voluntas actu distinguuntur. *Consequentia* patet, quia si intellectus, & voluntas sint omnino formaliter idem à parte rei; etiam eorum actus erunt omnino idem; & sic intellectio erit volitio, & volitio erit intellectio; siquidem distinctio actuum colligitur ex distinctione potentiarum à priori, sicut distinctio potentiarum ex actuum distinctione infertur à posteriori.

Secundò: Si intellectus & voluntas formaliter & actu à parte rei non essent diversæ; sequeretur productionem Verbi divini non esse distinctam à processione Spiritus sancti: sed falsum consequens: Ergo & antecedens: *Minor* patet cùm ex doctrina Sanctorum Patrum; tùm ex decretis Conciliorum, *Filius enim*, inquit S. Athanasius in Symbolo, *à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus* verò *sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Major probatur. Illa emanationum diversitas non aliunde repeti potest quàm ex diversitate intellectus per quem Filius; & voluntatis, per quam Spiritus sanctus procedit.

Unde sancti Patres communiter docent, Filium oriri *nascendo* tanquam Verbum & conceptum mentis; Spiritum verò sanctum *procedendo* ut donum, & amorem, quia amor, est veluti quædam processio in amatum, ut indicat S. Anselmus, lib. de Processione Spiritus sancti cap. 2. *Filius*, inquit, *ideo non est Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre: Spiritus verò sanctus, non nascendo sed procedendo*. Et S. August. *lib. 15. de Trinitate cap. 27.* loquens de statu beatifico, *Videbis*, inquit, *quid distet nativitas Verbi à processione Doni*. Et *lib. 5. cap. 9.* ubi proposuit cur Spiritus sanctus non sit Filius, cùm tamen à Patre exeat; Respondet, *Exit enim non quomodo natus, sed quomodo datus*: Ergo SS. Patres censent à parte rei esse discrimen inter processionem Filii & Spiritus sancti, quippe cum unius emanatio *nativitas* dicatur, alterius verò *processio* nominetur: Sed illud discrimen non potest aliunde repeti quàm ex diversitate intellectus & voluntatis: Ergo revera intellectus & voluntas divina à parte rei distinguuntur.

Minorem hanc probat Meironius in 1. *dist.* 8. *quæst.* 3. Ubi sunt diversæ emanationes à parte rei, ibi debent esse diversa principia: sed generatio Verbi & processio Spiritus sancti sunt diversæ emanationes à parte rei, ut mox probatum est: Ergo à parte rei debent esse diversa earum principia: sed illa principia non sunt alia præter intellectum & voluntatem: Ergo intellectus, & voluntas in Deo sunt diversa à parte rei; nam idem manens idem, non est natum facere nisi idem, ac proinde si non sint diversa principia, non erunt pariter diversæ emanationes, nec consequenter diversi termini producti.

Replicant aliqui, Falsum esse ex diversitate operationum & effectuum colligi diversitatem potentiarum; siquidem *spiratio activa & creatio*, sunt operationes omnino diversæ, quæ nihilominus ab eadem voluntate divina oriuntur: Similiter eadem virtus calefactiva Solis, lutum indurat, & ceram liquefacit, Ergo, &c.

XV.

Ex diversitate operationum rectè infertur potentiarũ diversitas.

Contra: Si diversitas formalis in effectu non argueret diversitatem in operatione causæ, sequeretur omnes omnino effectus quantumcumque oppositos ab eadem causa posse produci: sed consequens est contra communem experientiam & rationem, quâ constat causam debere proportionari suo effectui, si non in entitate, saltem in operatione, & in modo operandi; nec effectum sequi diversum ex eadem facultate eodem modo circa idem objectum operante. Cùm ergo intellectus & voluntas in Deo habeant eandem essentiam divinam pro objecto, evidens est quod si intellectus & voluntas non sint reipsa facultates diversæ, nec pariter diversæ erunt earum operationes, & consequenter earum termini non erunt distincti; idem namque manens idem, semper natum est facere idem: Nec contrarium evincunt allata exempla: Fateor enim cum Arist. 2. *Physic. cap. de Causis*, quòd idem principium reale diverso modo affectum & circa diversa objecta occupatum, potest diversos effectus producere.

Inde fit quod voluntas divina, quatenus versatur circa divinam essentiam ad intra per actum amoris, sit principium spirationis Spiritus sancti; sicut est principium creaturarum ad extra per actum creationis & omnipotentiæ. Idem dicendum de Virtute calefactiva Solis, quæ aliter se habet ad lutum indurandum & aliter ad ceram eliquandam. *Adde quod* (inquit Meironius) nondum sit compertum Solem per eandem & indivisibilem virtutem hos effectus edere; fortè namque ejus virtus indurativa diversa est, saltem formaliter, à virtute eliquativa. Inde apparet Adversariorum replicam nostri argumenti vim non infringere: Loquimur enim de facultatibus circa idem objectum occupatis. Nam si intellectus & voluntas non sint diversæ & actu formaliter distinctæ facultates à parte rei, nihil est unde repeti possit earum operationum diversitas, quippe cum circa idem objectum, putà circa eandem essentiam divinam versentur.

Confirmatur hæc responsio, & præcedens ratio ultrò firmatur. Implicat idem omnino & formaliter indistinctum, esse principium cognitionis & non esse; esse principium emanationis Verbi divini & non esse: sed intellectus divinus est principium cognitionis & emanationis Verbi divini, non ita voluntas; similiter divina voluntas est principium amoris & spirationis Spiritus sancti etiam nullò cogitante intellectu creato, non ita divinus intellectus; Ergo implicat divinum intellectum &

voluntatem esse idem omnino formalitet.

Replicant Thomistæ cum Cajetano; ad salvandas & solvendas has & similes contradictioues, sufficete quod inter intellectum & voluntatem divinam intercedat distinctio virtualis à parte rei; seu quod eadem omnino simplex Essentia Divina, cùm eminenter & virtualiter contineat omnem prorsus entitatem & perfectionem creaturarum, etiam fundamentum præbeat intellectui creato, concipiendi ea in ipsa esse actu & formaliter distincta, quæ revera in creaturis fotmaliter & actu distincta sunt; distinctio enim virrualis in Deo (inquiunr) æquivalet distinctioni formali actuali in creaturis; sicut v. g. licet Sol sit tantùm virtualiter calidus, tamen totùm id præstat quod ignis, qui formaliter est calidus.

XVI.

Distinctio Virtualis non sufficit ad saluandas & solvendas propositiones contradictorias, quæ fiunt de intellectu & voluntate.

Contra 1. Omnis contradictio actualis supponit actualitatem in fundamento cui inest & de quo formatur: sed illæ contradictiones sunt veræ ab æterno, *Intellectus divinus est principium cognitionis omnium & processionis Verbi; voluntas verò divina non ita*: Ergo illarum fundamenta, nempe intellectus & voluntas non solùm virtualiter, sed & actu debent esse in Deo ab æterno distincta.

Secundò. Ubi est contradictio simpliciter, ibi pariter debet esse simpliciter fundamentum cootradictionis, & non tantùm ibi esse secundùm quid: sed illæ contradictiones in Deo sunt simpliciter & absolutè veræ actu: Ergo earum fundamenta debent in eo esse simpliciter & actu: sed esse tantùm virtualiter & in potentia, non est esse simpliciter, sed tantùm esse secundùm quid; ens enim in potentia est tantùm ens secundùm quid, ens verò in actu est ens simpliciter: Ergo cum in Deo præfatæ contradictiones sint veræ simpliciter, etiam earum fundamenta in eo debent esse simplicitet, & proinde non in potentia, sed actu.

Quia illæ facultates sunt actu distinctæ, quidquid varii *Thomistæ* reclament.

Tertiò. Vel per illam distinctionem virtualem de facto intellectus & voluntas, quatenus sunt principia generationis Filii & spirationis Spiritus sancti, suot actualiter distincta, vel non: si sint, stat veritas nostræ conclusionis: si non sint, infracta manet vis argumenti, nec allatæ contradictiones ullatenus solvuntur.

Nec urget exemplum de virtute calefactiva Solis; siquidem virtus illa actualis est in Sole sicut & in igne; non enim ignis calefacit solùm quia est formaliter calidus, sed etiam quia per calorem quem continet, virtutem actualem habet alterum calotem prodocendi.

Respondent aliqui; Illud equidem discrimen esse actu in Deo, si *Actus* referatur ad terminos distinctionis, non verò ad distinctionem ipsam: idest, *Filius* procedit quidem per intellectum, & *Spiritus sanctus* per voluntatem, ut distinctus; non tamen ut per facultatem ab æterno distinctam.

Non solùm penes terminos productos, sed etiam penes seipsas.

Contra. Vel *Intellectus* & *Voluntas* sunt facultates ab æterno actu distinctæ, vel non: si sic, habeo intentũ: nihil enim aliud est actualis distinctio quàm terminos esse actu distinctos, sub ea ratione, sub qua distinguuntut; idest intellectum esse sub ratione formali intellectûs, & voluntatem sub ratione formali voluntatis. Si non: Ergo ab æterno actu sunt idem & omnino indistincta; & sic remanet eadem vis argumenti, reditque eadem conttadictio; nec inter divinas processiones ullus ab æterno erit ordo, ullaque in divina Trinitate distinctio nisi penes nostri fallacis intellectns figmentum; quod asserere impium est ac blasphemum.

Reponunt insuper, hanc distinctionem ab intellectu nostro excogitandam, non esse merè fictitiam, quippè cum illius excogitandæ ipsa Divina Essentia fundamentum præbeat.

Contra. Entia rationis, quæ habent fundamentum in re, non minùs fictitia sunt, quàm quæ ex intellectus otiantis fœcunditate generantur, ot in Logica demonstravimus: Ergo licet hujus distinctionis fundamentum ipsa Divina Essentia præbeat, si revera non sit actu ante omnem nostri intellectus circa ipsam operationem, talis distinctio non minùs erit fictitia; & sic totum discrimen inter divinas processiones tantopere à sanctis Patribus propugnatum, chimericom erit & inane. Hoc argumentationis pondere fracti nonnulli Recentiores Thomistæ, ad nova recurrunt effugia, ut præfatam cootradictionem salvent & solvant.

Nova Recentiorum Thomistarum contra distinctionem formalem effugia proponuntur.

Replicant enim primò, illas propositiones, *Intellectus Divinus intelligit & generat: Voluntas Divina non intelligit nec generat*; sed *spirat*. Similiter *Essentia Divina est communicabilis, relatio verò* (v. g. Paternitas) *est incommunicabilis*) non esse propriè contradictorias, quia non enuntiantur de eodem secundùm eandem rationem spectato, sed usurpantur secundùm diversam rationem, & prout multis æquivalent: idest, eadem entitas divina omnino simplex & indistincta à parte rei, prout æquivalet virtuti creatæ intelligendi, generat Filium, & prout æquivalet facultati volendi, spirat Spiritum sanctum. Item prout æquivaler absoluto, est communicabilis, & quatenus relationi æquivalet, est incommonicabilis. Cùm ergo, inquiunt, hæc prædicata non conveniant Essentiæ Divinæ toti & totaliter consideratæ, sed tantùm quatenns concipitur inadæquatè ut diversis æquivalens, idcirco non sunt propriè contradictoria, ac proinde non inferunt in Deo ullam distinctionem actualem.

Sed impugnantur & expugnantur.

Contra. Hæc replica magis evertit Mysterium Trinitatis & divinarum processionum ordinem, quàm præcedens, siquidem in tei veritate nullam omninò à parte tei, neque fundamentalem etiam distinctionem in Deo admittit; sed solùm diversam ejusdem omnino simplicis divinæ entitatis considerationem: ac proinde censet intellectum, & voluntatem, essentiam & relationes re ipsa esse omnino indistinctas; sicque re ipsa non magis Filios emanat per intellectum quàm per voluntatem, nec re ipsa Paternitas minùs est commonicabilis quàm essentia, quod est totum processionum ordinem evertere.

Secundò. Illa divetsa æquivalentia & correspondentia divinæ entitatis, vel importat in Deo aliquam diversitatem à partè rei, vel tantùm per nostrum modum concipiendi: si primum, stat nostræ conclusionis veritas: si secundùm: Ergo ordo diuinarum processionum fictitius est & à solo nostro intellectu excogitatus.

Tertiò. Ab æterno oollus erat intellectus creatus, cui Essentia Divina acto æquivaleret in modo intelligendi, nullaque voluntas creata

cui æquivaleret in modo volendi: Ergo stante eorum replica oullus pariter in Deo erat intellectus per quem Verbum nascendo, nullaque voluntas per quam Spiritus sanctus procedendo emanaret; & si nec intellectus, nec voluntas creata fuissent possibilia, omnino pessundaretur tota divinarum processionum diversitas, quam S. Pattes tanto studio tantaque animi cootentione propugnaverunt. Idcirco alii Thomistæ aliud quærunt suæ opinionis defensorium.

XVII. Non omnis oppositio contradictoria infert distinctionem formalem.

Replicant tandem omnem contradictiooem noo inferre distinctionem formalem, & actualem inter prædicata & extrema de quibus enuntiantur; idque probant diversis exemplis: nam inquiunt inter definitionẽ & definitum objectivè spectata, non est ulla distinctio actualis à partè rei, & tamen de illis verificantur contradictoria; definitio enim prædicatur de definito; non ita definitum de definitione, saltem prædicatione formali. Insoper, defioitio est medium ad demonstrandam proprietatem de definito, ut in Logica diximus, definitum autem non est medium ad demonstrandum aliquid de se-ipso: Similiter differentia divisiva generis & constitutiva speciei est omnino indistincta; attamen ut dividit genus non constituit speciem. Deniqoe intellectus divinus, ut cognoscitivus essentiæ, non est cognoscitivus creaturarum, & ut cognoscit creaturas scientiâ simplicis intelligentiæ, qnatenùs sunt tantùm possibles, non eas cognoscit scientiâ visionis, & quatenùs existunt; qoæ omnia sunt contradictoria; & tamen inter intellectum sic diversimodè cognoscentem nulla intercedit actualis distioctio: Ergo nec inter essentiam, relationes, & attributa intercedet, licet inter ea cootradictio quædam appateat.

Verùm hæc aut similia exempla non solvunt, nec ullatenus vim nostræ rationis infirmant; siqoidem allata exempla sunt tantùm cootradictiones specie tenus; & proveniunt oon ex re ipsa, sed ex imperfectione intellectûs rem ipsam inadæquatè & imperfectè coocipientis; intellectus enim, qui perfectè & intuitivè res concipit, noo tribuit aliud definitioni quàm definito; nec magis concipit uoum tanquam medium ad demonstrandam proptietatem quàm alterum.

Sed tantùm ea quæ est inter terminos adæquatè cooceptos.

Idem dicendum de *Differentia*: munos enim illius adæquatum non solùm est genus dividere, sed & speciem constituere; ac proinde qui hoc munus differentiæ distinguit, eam ioadæquatè concipit. Hæc multò magis vera sont de *Intellectu divino*, qui cùm pro objecto adæquato respiciat Divinam Essentiam, in qua omnia alia cognoscibilia repræsentantur, & elucent; unicos est ei modus omnia cognoscendi: ac proinde qui hunc divinum intellectum intuitivè & adæquatè conspiceret, non variam in eo res possibiles aut actuales cognoscendi rationem deprehenderet.

Secus autem est de Esseotia Divina & relationibus ac attributis divinis; siquidem etiam intellectus qui ea intuitivè & adæquatè concipit, animadvertit diversas earum esse rationes formales; aliàs nec Deus, nec Beati possent distinguere unam processionem ab alia; nec scire cur Paternitas non sit formaliter communicata Filio, sicut ei communicatur formaliter essentia, cui Paternitas realiter identificatur; quod asserere omnino absurdum esset. Omnes quæ adversus hanc conclusionem proferri solent objectiones, dissolvet

CONCLUSIO TERTIA.

ATTRIBUTA *formaliter ex natura rei ab Essentia Divina distinguuntur.* Hæc est Doctoris *in* 1. *dist.* 8. *quæst.* 4. *& quæst.* 1. *quodlib.* & sufficienter patet illius veritas ex dictis, nihilominus insuper probatur

XVIII. Attributa divina distinguuntur formaliter ab essentia.

Primò quidem authoritate S. Augustini lib. 3. contta Maximinum cap. 10. ubi eum argueus quòd negaret Trinitatem Personarum ne officere videretur divinæ simplicitati, & tamen concederet Deum esse bonum, justum, potentem, sapientem, &c. sic eum urget, *Si ergo in una Persona Patris & illa invenis quæ plura videntur, & partes non inveneris; quantò magis Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & propter Deitatem individuam unus Deus est, & propter uniuscujusque proprietatem tres Personæ sunt, & propter singulorum perfectionem partes unius Dei non sunt.*

Ex quibus sic argumentor. S. Augustinus colligit Trinitatem Personarum non officere Divinæ Essentiæ simplicitati; ex eô quòd in ea sint plora attributa, quæ tamen eidem simplicitati non officiunt: sed oullum esset S. Augustini atgumentum si revera actu & à parte rei attributa non essent ab invicem & ab essentia formaliter distincta: Ergo ea ita distingui supponebat S. Aogustinus; ipsius namque illatio omnino ridicula esset & absurda, si solùm virtualiter & ratione ea distincta esse seotiret: Idem enim esset, ac si diceret; pluralitas attributorum virtualiter solùm & ratione ab essentia distioctorum non officit ejus simplicitati: Ergo nec pluralitas Personarum vera & realis ipsi non officiet. Quæ consequentia omnino esset ridenda & explodenda: Ergo revera S. Augustinos supponebat attributa divina in Deo plura esse & formaliter actu ab essentia diversa.

Secundò: S. Damascenus *Librô* 1. *de Fide Orthodoxa cap.* 41. *&* 49. obi probat nomen Deo proprium esse *qui est*, quia (esse) dicit quoddam infinitum substantiæ pelagus, sobdit: *Si dixeris justum, si bonum, si quid tale; non naturam Dei dices, sed quæ circa naturam*: Ergo censet attributa distingui à natura divina, non quidem realiter: Etgo formaliter.

Probatur similiter ratione: Deus ex natura rei, est Deus Deitate, noo autem Sapientiâ, bonitate, aut justitiâ; nec pariter Deitate est formaliter Sapiens, bonus & justus: Ergo Deitas seu Divina Essentia formaliter à sapientia & cæteris attributis distinguitur.

Consequentia patet. Impossibile enim est duo contradictoria verificari de eodem sub eadem ratione & respectu ejusdem: Sed de Deo verificatur qood sit Deus Deitate, & quod non sit Deus Sapientiâ, &c. Ergo Sapieotia & Deitas, ratione quarum illa duo contradictoria de Deo verificantur; non sunt omnino idem à parte rei.

Confirmatur: Major est ideotitas essentiæ cum essontia, & sapieotiæ cum sapientia, quàm sapientiæ cum essentia & vice versa; nam de essentia noo possunt formari duo conceptus diversi, sicut revera formantur de essentia & sapientia:

sapientia : sed essentia est sibi ipsi eadem formaliter : Ergo sapientia non est eadem formaliter cum Essentia Divina.

Objiciunt 1. *Thomistæ*, Si pluralitas formalitatum esset in Deo à parte rei, sequeretur Deum non esse simplicem : at falsum consequens, ergo & antecedens. Probatur *Major*. Stante operationem intellectûs in Deo sint distinctæ formalitates, necessum est in Deo sit aliquid & aliquid : sed ubi est aliquid & aliquid non est simplicitas, illa enim vel in unum coalescunt, vel non : si non, ibi non est simplicitas, sed multiplicitas, cum multa distincta involvantur absque unione : si sic, Ergo est compositio, plura namque non possunt in unum coalescere absque unione & compositione, quæ opponuntur simplicitati : Unde sanctus Bernardus *Lib. 5. de Consid. cap. 6. Deus*, inquit, *non habet quòd ad numerum dividat, non quæ colligat ad unum : Unum quippe est, sed non Unitum. Non partibus constat ut corpus, non affectibus distat ut animus, non formis subsistat ut omne quod factum est.* Et infra, *Non est compositus Deus, merum simplex est : & ut liquidò noveris quid simplex dicam, idem quod unum. Tam simplex Deus quàm unus : est autem unus, & quomodo aliud nihil : si dici possit unissimus est* ? Ergo omnem prorsus pluralitatem, sive realem, sive formalem excludit.

XIX. *Nego sequelam majoris*, & ad ejus probationem dico, attributa quidem esse aliquid præter Essentiam Divinam, quatenus *Aliquid* opponitur nihilo & enti rationis ; non verò prout designat rem undequaque completam. Nec exinde sequitur quod aliquam in Deo compositionem efforment: Compositio namque fit ex partibus, aut ex iis quorum unum habet rationem actûs, & aliud rationem potentiæ : Attributa autem, nec sunt partes, nec potentia ; sed sunt actus & actus purissimi, qui cum Essentia Divina per identitatem in unum coalescunt. Si enim relationes divinæ & Personæ, licet realiter invicem distinctæ, non per compositionem, sed per identitatem in unum coëant, sintque unicus Deus, nec illarum numerus, & distinctio ullatenus officiat divinæ simplicitati : Id multò magis de divinis attributis affirmabis, utpote quæ non realiter, sed solùm formaliter tum inter se, tum ab essentia distinguantur. Hac eadem responsione fit satis authoritati sancti Bernardi, etenim si distinctio realis, quæ intercedit inter divinas relationes, non obest quominus Deus dicatur simplicissimus & unissimus ; nec pariter attributorum formalis distinctio summæ Dei simplicitati quidquam detrahet.

Hæc tamen distinctio divinæ Simplicitati non officit.

Hæc omnia egregiè & luculenter expendit sanctus Augustinus *Lib. 11. de Civitate Dei cap. 10.* ubi agens de simplicitate Dei hæc habet ; *Et hac Trinitas unus est Deus, nec ideo simplex, quia Trinitas : neque enim propter hoc naturam istam boni simplicem dicimus, quia Pater in ea solus, aut solus Filius, aut solus Spiritus sanctus : non enim sola est ista nominis Trinitas, sine substantia Personarum ; sicut Sabelliani heretici putarunt. Pater qui genuit simplex est, & Filius qui genitus est pariter simplex est, & hoc est, illud de quo genitus. Sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est, excepto quod relativè quaque Persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius, & Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater : In quo ergo ad seipsum dicitur non ad alterum, hoc est, quod habet ; sicut ad seipsum dicitur Vivens, habendo utique vitam & eadem vita ipse est. Propter hoc itaque natura dicitur simplex, cui non sit aliquid habere quod vel possit amittere, vel aliud sit habens aliud quod habet : Sicut vas aliquem liquorem, aut corpus colorem, aut aër lucem sive fervorem, aut anima sapientiam, nihil enim horum est quod habet, neque enim vas liquor est, &c.*

Uti clarè expendit S. Augustinus

Urgent Thomistæ, Hôc ipsô quô Essentia Divina asseritur ut formaliter ab attributis distincta ; eò ipsô etiam asseritur ut actuabilis & perfectibilis ab illis : Ergo ad illa comparatur ut potentia ad actum ; & ut perfectibile ad perfectivum ; ac proinde si ab illis formaliter distinguatur, veram cum illis compositionem efformabit, sicut gradus generis & differentiæ formaliter invicem distincti, veram compositionem efficiunt.

XX. *Distinguo* antecedens. Essentia Divina est actuabilis & perfectibilis ab attributis per modum potentiæ determinandæ, actuandæ, & distinguendæ, sicut materia per formam, aut genus per differentiam, *nego* : sicut actus actualissimus perficiendus per alterum actum sibi identificatum realiter, *concedo* : Essentia enim Divina est actus purissimus omnem rationem potentiæ, determinationis aut constitutionis excludens. Ac proinde sicut non dicitur in potentia respectu relationum divinarum, quæ sibi identificantur ; ita nec respectu attributorum, quæ cum illa idem sunt realiter, sed formaliter distincta.

Essentia Divina per attributa perficitur, non per modum Potentiæ; sed per modum Actus.

Subsumunt : Atqui attributa verè habent rationem formæ respectu Essentiæ Divinæ : Ergo nulla solutio. Probant antecedens, Quidquid denominat formaliter, est forma : sed attributa denominant Essentiam Divinam formaliter ; Deus enim formaliter est justus, sapiens, &c. Ergo justitia, sapientia & cætera attributa, si distinguantur actu ab Essentia Divina, sunt illius formæ.

Nego subsumptum, & majorem illius probationis distinguo cum Doctore *In* 1. *d.* 8. *q.* 4. *num.* 22. Quidquid denominat formaliter per modum *Informantis*, est forma, concedo : quidquid denominat per modum *Constituentis* aut *Perficientis*, est forma propriè dicta, nego, Corpus enim Verbi gratiâ dicitur *Animatum* denominativè, propriè & formaliter : quia anima est ejus forma ; homo autem, inquit Doctor, dicitur *Animatus*, non denominativè propriè, sed essentialiter, quia anima est de ejus essentia physica : Ergo non omne quod denominat formaliter, est propriè forma ; anima enim denominat totum compositum animatum, & tamen non dicitur forma informans compositum, sed materiam. Unde concludit Doctor quod si aliqua sunt magis idem alteri quàm anima, v. g. est idem toti animato, illa identitas sufficit, ut illud à re sibi identificata denominetur : at attributa intimè identificantur Essentiæ Divinæ : Ergo hæc ab illis propter illam identificationem poterit denominari.

Non quidem informantis, sed perficientis

Non omne quod denominat Formaliter est, propriè forma.

Instant. Simplicitas & Unitas divina, sunt perfectiones simpliciter simplices ; ac proinde in

Deo admitti debent secundùm maximum gradum simplicitatis & unitatis excogitabilem; sed gradus ille maximus is est, qui omnem compositionem, multiplicitatem, & diversitatem nedum realem, sed etiam formalem excludit. Res enim quæ nullam in se patitur distinctionem, etiam formalem, multò simplicior est & magis una, quàm quæ pluralitatem formalitatum involvit; summa namque Simplicitas excludit omnem compositionem; summa Unitas, omnem pluralitatem; & summa Identitas, omnem prorsus distinctionem: Ergo unitas & simplicitas divina, cùm sit maxima, omnem prorsus formalitatum distinctionem debet excludere.

Distinguo majorem. Debent admitti secundùm maximum gradum simplicitatis & unitatis B compossibilem cum Essentia Divina, concedo: secus, nego; non enim maximus gradus simplicitatis & unitatis à nobis excogitandæ, compossibilis est cum Essentia Divina: siquidem ubi unica est Persona & unicum principium illius constitutivum, ibi est major simplicitas & unitas, quàm ubi sunt tres Personæ, & tria principia illorum constitutiva; attamen hæc unitas & simplicitas non est compossibilis cum Deitate; in ea namque sunt tres Personæ, & tria principia seu relationes earum constitutivæ. Idem dicendum de simplicitate excludente omnem formalitatem; hæc enim non est compossibilis cum Essentia Divina, propter evidentes contradictiones exinde sequendas ut supra diximus.

XXI. Simplicitas divina non debet esse omnium maxima.

Deinde arguo ad hominem: Simplicitas quæ excludit omnem distinctionem tam fundamentalem, quam rationis, major est ea, quæ talem distinctionem secum patitur: sed Thomistæ, cum simplicitate divina, admittunt in Deo distinctionem fundamentalem, & rationis: Ergo non tribuunt Deo omnem prorsus simplicitatem à nobis excogitandam, proindeque nos impugnantes, in se militant.

Objiciunt 2. Quæ distinguuntur in inferioribus, adunantur in superioribus, & fiunt una & eadem res simplex, ut patet exmeplo virtutis dissicativæ & liquefactivæ, quæ cùm distinguantur formaliter in sublunaribus, quia una non est altera, tamen in Sole non ita discrepant; siquidem Sol per unam omnino simplicem virtutem lutum indurat, & ceram liquefacit: Ergo à pari omnes perfectiones quæ in creaturis sive realiter sive formaliter distinguuntur, in Deo formaliter adunantur. *Probatur consequentia*; Non magis adunantur virtutes qualitatum inferiorum in luce Solis, quàm perfectiones in Deo, sed illæ adunantur formaliter; Ergo & hæ taliter debent adunari.

Nego consequentiam similiter & *Paritatem*; aliter enim attributa Deo conveniunt, quàm E virtus indurativa, & liquefactiva Soli; illa namque Deo conveniunt formaliter, hæc verò tantùm eminenter, & virtualiter Soli congruit; quia Sol non est formaliter liquidus nec siccus, sed emittit radios qui causant siccitatem & liquefactionem. Deus autem est formaliter *Sapiens*; & primum suppositum divinum est formaliter *Pater*, secundum formaliter *Filius*, tertium formaliter *Spiritus sanctus*, per relationes Personales, quæ formaliter constituunt in esse talis Personæ.

XXII. Quæ dividuntur in inferioribus non semper adunantur in superioribus.

XXIII. Unde non eôdem modô attributa & relatio- A nes debet adunari in Deo, quomodo virtutes liquefactivæ & exsiccativæ in Sole adunantur.

Ratio autem cur *Virtutes* inferiorum magis adunantur in superioribus quam eorum *Formalitates*; est quia virtus quò major est, magis adunatur; quia eò plura potest exequi: Eadem enim Omnipotentia divina cum sit infinita, essentias varias producit; ac proinde non mirum, si virtus limitata, & divisa in inferioribus, in superioribus adunetur, quia major & perfectior est in superioribus quã in inferioribus. Secus autem est de formalitate seu perfectione formali, hæc enim cum perficiat tantùm in determinata quadam ratione v. g. *Sapientia* in ratione cognitionis certæ; non sequitur eam plura & varia præstare posse in superioribus quàm in inferioribus; non enim *Sapientia* potest Deo tribuere perfectionem *Iustitiæ*, quia sapientia & justitia sunt diversæ formalitates diversimodè afficientes & perficiẽtes. Unde sequitur eam quidẽ esse magis perfectam in Deo, non autem magis adunatam.

Quare virtutes inferiorum in superioribus adunentur, non autem formalitates.

Objiciunt 4. rationem quâ utebatur S. Bernardus contra Gilbertum *Serm. 8. in Cant.* Si *Sapientia* v. g. ex natura rei, & ante omnem mentis operam à divina essentia distingueretur, vel esset quid illa superius, vel æquale, vel inferius. *Non primum*, quia nihil superius Essentiâ Divina esse nec concipi potest: *Non* etiam *secundum*; quia daretur aliquid à parte rei quod C non esset Deus, & tamen tantæ esset perfectionis ac Essentia Divina: *Nec* etiam *tertium*, quia quod est inferius Essentiâ Divina, creatum est, & sic Deus esset sapiens per aliquod creatum, quod falsum est: Ergo sapientia nullatenus ab Essentia Divina distinguitur.

Distinguo consequentiam: Id sequeretur, si divina sapientia ab essentia distingueretur tanquam res à re, *concedo*: tanquam formalitas ab entitate, *nego*: S. Bernardus autem putabat Gilbertum distinguere attributa divina, sicut distinguebat divinas relationes ab Essentia Divina, tanquam rem à re; ita quod nulla inter eas esset identitas realis: Unde illius ratio valebat quidem & urgebat Gilbertum; sed nul- D latenus in nos militat, quippe qui astruamus summam identitatem inter essentiam, & attributa, & solùm formalitatum distinctionem admittamus.

Attributa divina non distinguuntur ab essentia tanquam res à re, sed tanquam formalitas ab entitate.

Objiciunt 5. Si Essentia Divina distingueretur à parte rei à suis attributis, & illa inter se pariter discreparent; neutrum eorum esset infinitum; imò nec Deus adæquatè sumptus infinitus esset. *Essentia quidem non esset infinita*, quia in suo conceptu non includeret omnem perfectionem simpliciter; non enim illam perfectionem includeret, à qua diceretur à parte rei distingui: *Nec pariter attributa forent infinita*, quia unum non includeret perfectionem illius à quo formaliter discreparet. Non etiam Deus adæquatè sumptus, quia ex pluribus non infinitis, sed limitatis, non fit unum infinitum: Ergo vel attributa non distinguuntur formaliter, vel Deus non est infinitus.

Nego consequentiam, quodlibet enim eorum infinitum est in suo genere. *Essentia* quidem in ratione essentiæ, secundùm quam includit formaliter omnem perfectionem essentialem, similiter *Sapientia* est infinita in ratione sapientiæ, & sic de cæteris: omnia autem simul sumpta constituunt rem simplicissimam realiter, quæ est infinita simpliciter.

Nec minùs propterea sunt infinita.

XXIV. *Quare Ens infinitum coalescere possit ex pluribus perfectionibus infinitis, non autem ex finitis.*

Licet enim Ens Infinitum coalescere non possit ex pluribus perfectionibus finitis potest tamen ex pluribus infinitis formaliter secundùm diversam rationem. Cujus ratio est, (ut subtiliter observat noster Smisingus *tract. 2. d. 1. n. 66.*) quòd perfectio finita semper aliquam meliorem perfectionem excludit à re cujus est perfectio, ut differentia corporis perfectionem spiritus, differentia inanimati animam: at perfectio infinita non excludit à re cujus est, sed postulat in illa per identitatem, omnem perfectionem, quæ est melior quàm alia, secum incompossibilis. Quô fit ut illa perfectio ex natura sua concurrat ad constituendum unum ens simpliciter infinitum, quod in se realiter & per summam identitatem involvit omnem perfectionem simpliciter; & ratione cujus summæ identitatis quælibet divina perfectio realiter aliam complectitur.

Instabis, Divina Essentia ut formaliter distinguitur à sapientia v. g. non includit illam formaliter: Ergo non est infinitè perfecta. Probatur *consequentia*. Illud non est infinitè perfectum formaliter, quod non includit formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem: sed Essentia Divina ut præscindens à sapientia, non includeret formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem; siquidem sapientiam non involveret: Ergo non esset infinitè perfecta.

XXV. *Essentia Divina est infinita radicaliter & formaliter.*

Respondeo cum Doctore, *Quæst. 1. prologi.* Quòd cùm Essentia Divina dici possit infinitè perfecta formaliter, duobus modis; *Primò* quidem per *Infinitatem radicalem*, quâ ab ea quasi emanant & effluunt omnes divinæ perfectiones, & quæ est earum radix & oceanus; *Secundò* per *Infinitatem formalem*, quæ est modus Essentiam Divinam circumstans & eam formaliter afficiens, sicut & omnes alias ejus perfectiones: Inde fit quòd præcisa à suis attributis semper remaneat infinitè perfecta; nimirum per infinitatem radicalem, quæ sibi identificat omnem omnino perfectionem; & etiam per infinitatem formalem, quia dum essentia præscindit ab attributis, non propterea censetur à suis modis præscindere; ac propterea dum præscindit à sapientia, tamen potest adhuc concipi cum infinitate formali.

XXVI. *Distinctio formalis non efficit quod res non sit talis, sed quod non concipiatur taliter.*

Respondeo secundò; ex distinctione formali non sequi aliquid non esse tale, sed tantùm non esse conceptibile ut tale. Unde verum quidem est quod dum Essentia Divina præscindit à sapientia, non concipitur quidem ut sapiens, sed non sequitur eam non esse sapientem, ex conceptibilitate enim rei sine sua perfectione non sequitur eam esse sine sua perfectione sibi identificata.

Urgebis. Dum Divina Essentia præscindit à sapientia attributo, vel Deus concipitur ut sapiens, vel ut insipiens, vel ut non sapiens: *Non primum*, alioquin duæ essent sapientiæ in Deo; putà una essentialis, alia attributalis quod est absurdum; pari enim ratione possent esse infinitæ: *Non etiam secundum*; quia blasphemum est dicere Deum esse insipientem: *Non denique tertium*, quia negaretur sapientia de Deo, quod pariter blasphemum esset: Ergo necessum est, quod Divina Essentia non possit concipi sine sapientia; nec proinde formaliter ab ea distingui.

XXVII. *Respondeo*: Quòd dum Divina Essentia concipitur ut præscindens à sapientia, Deus non concipitur nec ut sapiens, nec ut insipiens, nec ut non sapiens; sed tantùm ut est essentia divina: sicut à pari, *Homo* secundùm suam essentiam consideratus, nec concipitur *Ut risibilis*, nec ut *Non risibilis*, sed tantùm ut est *Animal rationale*. Unde tritum illud Philosophicum effatum; *Abstrahentium non est mendacium*, quia nempe in iis quæ abstrahunt ab aliis, unum non negatur, nec affirmatur de alio, sed tantùm concipitur sine alio: concipi autem sine alio, non est idem ac unum esse sine alio; quia non esse idem cum alio, negat identitatem realem cum ipso; esse verò conceptibile sine alio, negat tantùm identitatem formalem cum ipso. *Qualiter concipiatur Divina Essentia ut præscindens ab attributis.*

Objiciunt 6. Omnis distinctio, aut relatio est, aut relationem quamdam importat inter ea quæ distinguuntur, quia termini distincti, sunt aliquatenus oppositi, oppositio autem est relatio, & consequenter inter terminos distinctos à parte rei, est relatio à parte rei: sed nullus Theologus relationem aliquam in Deo agnovit præter relationes Personales: Ergo nec ullam distinctionem. Insuper sancti Patres distinguentes in divinis Essentialia à Notionalibus, dicunt illa esse absoluta & ad se; hæc autem relativa & ad aliud: Ergo in essentialibus nihil relativum agnoscunt.

Respondeo 1. negari posse majorem: *Tum quia* omnis relatio realis exigit extrema realiter invicem distincta; distinctio autem formalis non est inter extrema realiter distincta, ac proinde non est relatio. *Tum quia* omnis relatio distinctionis præsupponit extrema distincta; realiter quidem, si distinctio sit realis; formaliter verò, si distinctio sit formalis: Ergo formaliter loquendo distinctio non dicit relationem, sed præsupponitur relationi. *Tum denique*, *quia* distinctio omnis magis dicit negationem identitatis quàm relationem; negatio enim identitatis sequitur ipsamet extrema distincta ex natura sua, etiamsi nulla relatio sequeretur ad eorum distinctionem, & sufficienter, cum tali negatione identitatis extrema concipiuntur esse distincta; ac proinde nulla apparet necessitas admittendæ relationis distinctivæ. XXVIII. *Omnis distinctio non est relatio.*

Respondeo 2. distinguendo minorem, nullus Theologus agnovit aliquam relationem præter Personales, realem, concedo: formalem nego: datò enim quòd omnis distinctio sit relatio, ut etiam docere videtur Doctor *in 1. distinct. 31. quæst. unica & quæst. 6. quodlib.* evidens est quòd illi qui in Deo distinctionem sive rationis, sive virtualem, sive formalem, agnoscunt, etiam in eo aliam relationem à Personalibus affirmant. Ad SS. Patres dico illos intelligendos vel de essentialibus entitativè, & fundamentaliter sumptis, idest quatenus fundant illas rationes distinctionis; vel de absoluto ut opponitur relationi, non quidem formali, qualis est inter essentiam, & attributa, sed reali: qualis est inter divinas Personas. XXIX. *Aliæ sunt in Deo relationes præter personales.*

Objiciunt 7. Quæ distinguuntur formaliter, non prædicantur de se invicem in abstracto; non enim legitima esset hæc prædicatio, Rationalitas est animalitas; licet hæc solùm formaliter in homine distinguantur: sed attributa de se invicem prædicantur in abstracto: vera enim est hæc prædicatio, justitia Dei est sapientia ejus; Ergo non distinguuntur formaliter.

XXX. *Distinguo majorem* cum Doctore in 1. *dist.* 8. *quæst.* 4. *num.* 25. Distincta formaliter non prædicantur de se invicem in abstracto; in creatis, concedo; in Deo, *nego.* Ratio autem disparitatis inter utrumque, est quod abstracta creata sint finita sicut ea à quibus abstrahunt: divina autem abstracta v. g. *Iustitia*, infinita sunt, sicut & essentia divina à qua præscindunt & formaliter distinguuntur; quando autem abstracta sunt & concipiuntur finita, intellectus non agnoscit in eis aliquod vinculum unionis, ratione cujus unum prædicari possit de alio à se distincto formaliter. Secus verò est de abstractis divinis, quia cum infinita sint formaliter, infinitas ipsa, cum qua concipiuntur, est vinculum illa uniens & identificans, quia infinitas ex ratione sua postulat sibi identificare quamlibet perfectionem sibi compossibilem: Unde quando intellectus concipit abstracta divina ut infinita, habet sufficientem rationem concipiendi ea ut identificata, ac proinde ut de se invicem prædicabilia.

Quare distincta formaliter de se invicem prædicentur in Deo; non verò in creatis.

Vel clariùs & breviùs. *Distinguo minorem.* Attributa divina in abstracto prædicantur de se invicem formaliter, nego; non enim verum est quod sapientia, v. g. sit formaliter justitia, quippe cum formaliter invicem discrepent: identicè, concedo; quia invicem identificantur ratione essentiæ divinæ & suæ infinitatis.

Vrgebis: Attributa divina strictiùs & magis intimè prædicātur de se invicem in abstracto, quàm rationalitas & animalitas: sed hæc de se invicem prædicantur identicè; siquidem in homine invicem idem sunt: Ergo illa debent prædicari formaliter, ac proinde esse idem formaliter.

XXXI. *Distinguo majorem.* Prædicantur strictiùs, id est strictius habent vinculum quô identificentur, & de se invicem prædicentur, concedo: id est aliô modô quàm identicè, hoc est formaliter de se invicem enuntiantur, nego: Fateor equidem attributa divina, strictiori vinculo invicem uniri, quàm rationalitas & animalitas, hæc enim solùm invicem identificantur ratione *tertii* nempe *hominis*, quem constituunt; illa verò nedum invicem identificantur ratione divinæ essentiæ quam perficiunt, & cum qua idem sunt realiter; sed etiam ratione suæ formalis infinitatis, quæ illa invicem identificaret, etiam si per impossibile invicem in essentia divina non identificarentur. Secus verò de rationalitate & animalitate, si enim non identificarentur in homine, nihil in se haberent quô fierent idem. Unde horum prædicatio potest dici identica latior; illorum verò prædicatio identica strictissima.

Quare Attributa divina aliter de se invicem prædicantur identicè, quàm *rationalitas* & *animalitas*.

XXXII. Objiciunt tandem authoritatem S. Augustini dicentis 7. *de Trinit. cap.* 2. *Non eò Pater quò Deus; nec eò Verbum quô sapientia, eò tamen magnus quò sapiens.* Ex quo sic argumentantur: Eam identitatem concedit S. Augustinus inter essentiam & magnitudinem, ac cætera attributa, quam negat inter relationes personales, & essentiam divinam: sed inter has negat tantùm identitatem formalem, quam enim aliam negaret? Ergo inter illas affirmat esse identitatem formalem; ac proinde censet attributa non distingui formaliter ab essentia.

Difficilis S. Augustini sententia objicitur.

Respondeo; quod etsi hæc verba non simul in unam sententiam coalescant apud Augustinum: sed ex ejus verbis divisis colligantur; tamen datô quòd ejus sit præfata mens & sententia, dico cum Doctore in 1. *dist.* 8. *quæst.* 4. *num.* 23. Augustinum solùm velle quod *non eò Pater quò Deus*, quatenus Pater non potest prædicari de eo omni, de quo dicitur quòd sit Deus; & tamen eò est magnus, sapiens, justus, &c. quò Deus, quia de quacumque essentia divina prædicatur, etiam & divina attributa de eò prædicantur; dicitur enim v. g. quòd Filius sit Deus, & sapiens, & justus, non autem quod sit Pater: & ratio hujus diversitatis non provenit ex eò quòd attributa magis identificentur essentiæ quàm relationes; sed quia cum relationes Personales sint invicem oppositæ, & realiter distinctæ, quælibet non potest tribus Personis communicari, sicut attributa & essentia eis communicantur.

Et solvitur à Doctore Subtili.

XXXIII. *Dico* 2. cum eodem *ibidem*, hæc idcircò fortè ab Augustino affirmari, non ut significaret aliam esse distinctionem inter *Deitatem* & *Paternitatem*, aut *Filiationem*, quàm inter *Deitatem*, & *Sapientiam*, est enim utrobique identitas realis, & distinctio formalis: sed quòd sit major ratio identitatis inter Deitatem, & Attributa, quàm inter Relationes cum Deitate & Attributis comparatas.

Cur Attributa potiori jure identificantur cum essentia divina quàm Relationes personales.

Quia cùm Essentia & Attributa sint formaliter infinita, & infinitas ex sua ratione formali postulet sibi identificare quodcumque cum ea compossibile, sequitur attributa duplicem habere rationem identificationis: unam quidem in essentia, in quâ idem cùm relationibus omninò sunt realiter; cùm enim Deus sit ens simplicissimum, illius essentia sibi identificat realiter omnia quæ in eo sunt: alteram autem, ex propria sua infinitate quæ postulat sibi identificare quamcumque perfectionem sibi compossibilem: sapientia v. g. quatenus est infinita perfectio, exigit sibi identificari perfectionem bonitatis, justitiæ, ac cæterorum attributorum cum ea compossibilium: Relationes autem divinæ, cùm non dicant ex se ullam perfectionem, (ut probabitur in *Tractatu de Trinitate*) ac multò minùs perfectionem infinitam, non habent hanc secundam rationem identificationis, quæ ex infinitate repetitur: sed solùm primam, quæ ex simplicitate & summa identitate Dei est repetenda; proindeque major est ratio identificationis attributorum, tùm invicem, tùm cum essentia divina, quàm relationum.

COROLLARIUM.

Ex his omnibus constat quantùm à scopo aberrent aliqui recentiores Thomistæ, qui attributa divina esse de essentia Dei, & se se invicem formaliter includere contendunt; quam sententiam ut tueantur, suam distinctionem rationis & fundamentalem, ac virtualem coguntur explodere; non enim explicare possunt quomodo unum sit de ratione formali & essentia alterius, à quô fundamentaliter & virtualiter distinguitur; sequeretur enim ex eorum sententia essentias rerum à rebus ipsis distingui fundamentaliter, & virtualiter; sicque essentias sine rebus ipsis, vicissim res ipsas sine suis essentiis ritè posse concipi, quod admittere peritum Philosophum & Theologum omnino dedecet.

Attributa non sunt de conceptu formali essentiæ divinæ.

Insuper. Si attributa essent de conceptu for-

mali essentiæ, etiam & relationes essentiæ divinæ formaliter competerent; sed falsum consequens: Ergo & antecedens. *Major* patet à paritate rationis. *Minor* probatur; *Esse Patrem*, non est de essentia & conceptu formali Dei: Ergo nec *Paternitas* est de conceptu formali essentiæ. Consequentia est evidens; quidquid enim est de conceptu formali Dei, est de conceptu formali essentiæ, & vice versa. *Antecedens* probatur. Si de conceptu formali Dei, esset quod sit *Pater*, sequeretur Filium esse Patrem, cum quidquid est de ratione intrinseca alicujus communis, est etiam de essentia cujuscumque suppositi & singularis contenti sub illo communi: Sic v. g. quia *vivens* dicitur de animali, & *animal* de homine tanquam de subjecto & inferiore; similiter *vivens* dicetur de homine: Ergo à simili si de ratione formali & essentiali Deitatis sit esse Patrem, similiter erit de ratione essentiali Filii sub ea contenti. Igitur si *Pater* prædicatur quidditative & essentialiter de Deo, similiter prædicabitur de Filio, de quo Deus essentialiter prædicatur.

Denique, si Paternitas essentialiter Deitati competat, & Deitas includatur formaliter in conceptu Filiationis, etiam Paternitas in formali conceptu Filiationis includetur. Patet *consequentia*, quia Deitas includitur in conceptu Filiationis: Ergo etiam in eo includitur quidquid est formaliter Deitas: sed Paternitas, ut volunt, est formaliter Deitas, ac proinde est etiam formaliter Filiatio, quæ consequentiæ cum sint falsæ, etiam falsum & absurdum est illud, unde eliciuntur & inferuntur.



DISPUTATIO TERTIA.

De Perfectionibus modificantibus Divinam Essentiam, seu de Attributis Negativis.

I. *Divinas perfectiones detegere & explicare, summa difficultas.*

Cum inaccessibilem Essentiæ Divinæ Solem, quantùm cœlitùs datum est, pro imbecillitate nostræ mentis acie hactenus fuerimus contemplati; nunc ad divinas illius perfectiones magis affines conspiciendas, veluti tot ab ea promicantes radios, obtutus nostros admovere licet. Verùm, quoniam Spiritus sanctus Eccli. 3. præmonet: *Altiora te ne quæsieris & fortiora te ne scrutatus fueris*, Etenim, inquit Salomon Prov. 25. *Sicut qui mel multum comedit non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis opprimetur à gloria.* Idcirco in primis audiendus est inclamans Apostolus Roman. 12. *Dico autem per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos; non plus sapere quàm oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem.*

Hinc appositè præcavet S. Hilarius libro 10. de Trinit. *Ut igitur*, inquit, *Sol ita videndus est, ut possit videri, tantusque excipiendus lumine est, quantum admittitur; ne si plus velimus expetere, minùs quoque quàm possumus consequamur: Ita & ratio cœlestis in tantum intelligenda est, in quantum se permittit intelligi: in tantum expetenda est, in quantùm apprehendendam se dedit; ne si contenti indulgentia moderatione non simus, amittamus indulta.*

Quò & illud Senecæ Philosophi spectat. lib. 7. natural. quæst. cap. 30. *Egregiè*, inquit, *Aristoteles ait numquam nos verecundiores esse debere, quàm cum de Diis agitur. Si intramus templa compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiæ fingimur; quantò hoc magis facere debemus cùm de Deorum natura disputamus, ne quid temerè, ne quid impudenter, aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur?*

II. *Longè aliter Fideles quàm Hæretici de Deo sapiunt.*

His egregiis sententiis commonemur, ne ultra captum ingenii nostri viresque nitamur in divinis præcellentiis curiosiùs investigandis, & referandis; ac meminerimus celebris illius documenti, quod Magnus Gregorius *lib. 14. moral. cap. 12.* his verbis expressit, *Habent hoc hæretici proprium, ut de inani scientia sua arrogantia inflentur, & rectè credentium simplicitatem sæpe derideant.... At contra sancta Ecclesia, in omne quod veraciter sapit, sensum suum humiliter deprimit; ne in requisitione occultorum tumeat, & perscrutari aliqua quæ ultra vires sunt illius præsumat, utiliùs enim studet nescire, quæ perscrutari non valet, quàm audacter definire quæ nescit.*

His itaque saluberrimis commonitionibus eruditi, id unicum nobis in votis erit, non tam nostra, quàm quæ à Majoribus de perfectionibus divinis tradita sunt, hac in Disputatione reserare. Quod ut fiat planiùs & commodiori methodo, quamlibet è divinis perfectionibus sub specialibus Articulis proponemus explicandam.

ARTICULUS PRIMUS.

De Simplicitate Divina.

Ex omnibus divinis præcellentiis, quæ negantibus vocabulis exprimuntur, prima se nobis Dei *Simplicitas* offert; quæ appellatione quidem videtur una esse affirmantium proprietatum; revera tamen non immeritò inter negantes adscribitur. Nihil siquidem aliud est esse simplicem, quàm carere compositione, nec ullas habere partes quæ invicem nexæ unum aliquid efficiant. III. *Simplicitas divina est perfectio negativa.*

Inde lis oritur inter nonnullos Theologos, num divina simplicitas formaliter sit negatio, ut quidam affirmant cum Aureolo nostro in 1. d. 8. q. 3. art. 2. an verò sit formaliter positiva perfectio secum negationem omnis compositionis importans, uti rectiùs censuisse videtur Doctor Subtilis in 1. d. 8. q. 1. ad. 1. Itaque *primò* resolvendum est an revera Deus sit omnino simplex; *Secundò*, quid sit formaliter ejus divina Simplicitas. *Tertiò*, an illa summa Simplicitas omnem omnino compositionem tam realem quàm rationis, tam actualem quàm possibilem à Deo arceat. *Articuli distributio.*

Quæstio Prima.

An Deus sit omnino simplex, & in quo formaliter consistat ejus divina Simplicitas?

IV. *Quomodo differant Unitas, Simplicitas & Identitas.*

NOTANDUM 1. id esse discriminis inter simplicitatem, unitatem, & identitatem, quòd *Identitas* opponatur distinctioni, *Vnitas* multitudini & *Simplicitas* compositioni: Illa enim *Eadem* omnino dicuntur, quæ nec re nec ratione diversa sunt; v. g. *Homo* & *Animal rationale*: hæ namque diversæ voces eandem rem omnino exprimunt: Illa verò dicuntur *Vnum*, quæ licet in se diversa sint & distincta realiter aut formaliter, tamen ita invicem adunantur, ut in unum coëant, sic *Anima rationalis & caro, unus est homo.* Illud autem dicitur *Simplex*, quod omnem prorsus compositionem abjicit, nec in se admittit aliquid per modum actus & potentiæ quæ ad veram compositionem formandam desiderantur: Itaque *Simplicitas* quasi media videtur inter unitatem & identitatem; siquidem strictior est Unitate, quæ partes componentes admittit, & latior Identitate, quæ omnem distinctionem abjicit. *Simplex* ergo illud dicitur, quod etsi distincta includat, omnem tamen compositionem ex actu & potentia excludit, ut compertum fit in Mysterio adorandæ Trinitatis, in quo realis divinarum Personarum invicem distinctio simplicitatem divinam non solvit, multò minùs ei officit distinctio formalis relationum Personalium ab Essentia Divina.

V. *Duplex est Simplicitas: Realis & Formalis.*

Notandum 2. totuplicem distingui posse simplicitatem, quotuplex est ipsius inimica compositio: unde cum duplex universim sit compositionis genus; alia namque est *Compositio realis*; quæ fit quatuor modis, nimirum *Vel* ex materia & forma: *Vel* ex partibus integrantibus aut quidditativis; *Vel* ex natura & subistantia, ex hypothesi quòd hæc addat aliquid positivum naturæ substantiali; *Vel* ex subjecto & accidente. Alia autem est *Compositio formalis* ex natura rei, quam alii Compositionem *Virtualem* & *rationis* appellant; quæque fit pariter quatuor modis, putà *Vel* ex essentia & existentia, *Vel* ex genere & differentia, *Vel* ex essentia & proprietatibus, *Vel* denique ex essentia & modis illius intrinsecis: Hinc fit ut pariter generatim duplex dicatur Simplicitas; alia quidem realis, quæ omnem excludit compositionem, sive ex materia & forma, sive ex partibus integrantibus aut quidditativis, sive ex natura & subsistentia, sive ex subjecto & accidente; alia autem simplicitas formalis aut rationis, quæ omnem compositionis formalis modum excludit.

Totuplex enim est compositio, quarum quælibet fit quatuor modis.

VI. *Simplicitas formalis alia Simpliciter Simplex, alia secundùm quid.*

Notandum 3. Simplicitatem formalem iterum duplicem distingui: alia enim dicitur *Simplicitas secundum quid*, seu simplex; cujus conceptus objectivus ita est unus, ut tamen sit resolubilis in varios conceptus distinctos & seorsim cogitabiles, qualis est v. g. conceptus hominis, qui licet metaphysicè sit unicus, tamen resolvi potest in conceptum animalis & rationalis quibus homo constituitur. Alia verò dicitur *Simplicitas absoluta*, seu simpliciter simplex, cujus entitas in varios conce-

A ptus resolvi non potest, qualis est conceptus *Entis* v. g. qui cum nihil prius supponat, sed sit omnium conceptuum generalior & prior, in nullum etiam resolvitur. Quænam autem ex his simplicitatibus Deo competat, hîc resolvendum est.

Conclusio Prima.

VII. *Deum esse simplicem probatur.*

DEVS *est omnino simplex.* Ita definivit Concilium Lateranense cap. *Firmiter* in quo decernitur *Substantiam divinam esse indivisibilem, utpote omnino simplicem.* Idipsum probant omnes sancti Patres, & Doctores Theologi, idque variis rationibus, quarum

1. Ex illius summa perfectione.

PRIMA deducitur ex summa Dei per-B fectione, sicque formari potest. Deus est ens perfectissimum: Ergo est simplex. Antecedens patet; siquidem nomine Dei intelligitur ens quô nullum cogitari fingìque potest melius, ac perfectius. Consequentia probatur. Enti perfectissimo tribuenda est omnis omnino perfectio nullam imperfectionem redolens: Unde S. Ambrosius l. 1. de Fide c. 7. *Quidquid religiosius sentiri potest, quidquid præstantius ad decorem, quidquid sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas convenire*: Sed *natura simplex*, ait S. Bernardus lib. 5. de Consideratione cap. 7. *multiplici antefertur*: Ergo ut ibidem concludit, *Non est compositus Deus, merum Simplex* C *est. Et ut liquidò noveris quid simplex dicam, idem quod unum. Tam simplex Deus, quàm unus est; est autem unus, & quomodo aliud nihil: si dici possit, unissimus est.*

2. Ex ratione primæ causæ.

SECUNDA PROBATIO deducitur ex ratione primæ Causæ. Prima Causa nullam sui causam habere potest, sed compositum omne causam desiderat, quæ distinctas partes uniat & conjungat; etenim quæ inter se diversa sunt, in unum coalescere non possunt, nisi per aliquam Causam adunantem: Ergo cum Deus sit prima causa, non potest habere causam partium adunativam; nec proinde potest esse compositus, & consequenter est omnino simplex. D Major constat, *Nam*, inquit Author libri de cognitione veræ vitæ cap. 7. apud Augustinum tomo 9. *Omne quod partibus conjungitur vel in partes resolvitur, ab aliquo utique conjunctionem vel resolutionem patitur.* Minorem probat S. Cyrillus Alexandrinus in librô thesauri cap. 13. *Cum ergo, inquit, nihil ante principium cogitari queat, nulla ex parte continget illi ut sit compositum; quandoquidem composita quidam simplicium concursus efficit.* Idem confirmat Justinus Martyr, aut quisquis est Author Quæstionum & Responsionum ad Orthodoxos quæst. 129. ubi compositum omne ab alio factum esse dicit, *Nam*, inquit, *qui neminem habet qui se fecit & composuit, neque* E *factus est, neque compositus. Propterea in Deo quidem dicimus æternam esse coëxistentiam, non autem compositionem.* Eandem rationem Poëticè illustravit Prudentius *Lib. 2. contra Symmachum*, ubi Deum ita loquentem inducit.

Sum substantia simplex,
Nec pars esse queo; Solis divisio rebus,
Compositis, factisque subest: me nemo creavit,
Vt scindi valeam, cunctorum Conditor unus.

TERTIA RATIO infertur ex Dei summa Identate. In omni composito sunt partes quæ non sunt ipsum compositū: sed in Deo nihil est quod non sit Deus: Ergo Deus non est compo-

ſitus. Major patet: oulla enim partium hominis eſt homo. Minorem probat S. Auguſtinus *Lib. 11. de Civit. Dei cap. 10.* ubi ait Deum *ideo ſimplicem dici, quia quod habet, hoc eſt sexceptò quod relativè qnaque Perſona ad alteram dicitur, nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipſe eſt Filins: & Filius habet Patrem, nec tamen ipſe eſt Pater. In quo ergo ad ſeipſum dicitur, non ad alterum, hoc eſt quod habet: ſicut ad ſeipſum dicitur Vivens habendo utique vitam, & eadem vita ipſo: eſt propter hoc itaque natura dicitur ſimplex cui non ſit aliquid habere, quod vel poſſit amittere, vel aliud ſit habens illud quod habet.*

Idipſum probat S. Bernardus ſermone 80. in Cantica; *Sola*, inquit, *ſumma & increata natura hanc ſibi vendicat meram ſingularemque ſuæ eſſentia Simplicitatem, ut non aliud & aliud, non alibi quoque, & alibi: ſed ne modò quidem & modò inveniatur in ea; nempe in ſemet manens qnod habet eſt, & quod eſt ſemper, & uno modo eſt in ea & multa in unum & diverſa in idem rediguntur, nt nec numeroſitate rerum ſinmat pluralitatem, nec alterationem de varietate ſentiat.*

Meritò concludendum ergo cum noſtro *Cornelio Muſſio* lib. de divina hiſtoria, Deum eſſe omnino ſimplicem, in quo omnia ſunt unum; ubi nulla partium multitudo, nulla potentiarum diſtinctio, nulla actionum diverſitas. Quod unitas in numeris, quod punctum in lineis, quod nunc in tempore, quod lux in Sole, quod ſemen in ſubſtantiis, principium in elementis, anima in corpore, mens in anima; ſinge tibi omnes unitates, imaginare omnes ſimplicitates, adhuc longè ſimplicior eſt divina ſimplicitas, longè indiviſibilior divina unitas.

Seu ut loquitur S. Dionyſius libro de Divinis Nominibus cap. 13. *Omni uno & multitudine, omni parte & toto, omni termino, & determinationis privatione, omni fine, ac infinitate antiquius*, ac proinde cum Deus omne unum totumque ſuperet; ommbus unitatib s ſimplicior eſt.

4. Ex ejus Æternitate.

QUARTA RATIO deduci poteſt ex Æternitate. Quod eſt æternum non eſt compoſitum: ſed Deus eſt æternus: Ergo nequit eſſe compoſitus, ac proinde eſt omnino ſimplex. Minor patet. Major probatur. Omne compoſitum præſupponit partes ex quibus conſtituitur, prioritate ſaltem naturæ: Partes enim concurrunt ad conſtitutionem totius, ſuntque veluti ipſius cauſæ; cauſa autem omnis ſuum effectum ſaltem inſtanti naturæ præcedit; & conſequenter partes conſtituentes compoſitum debent eſſe priores compoſito, & prôinde quod eſt eompoſitum non poteſt eſſe æternum; quia in æternitate nihil eſt prius aut poſterius.

Hanc ipſam divinæ Simplicitatis cauſam profert ſanctus Ambroſius libro de Symbolo cap. 1. *Deus*, inquit, *compoſitus eſſe non poteſt, cum aliqua eo anteriora præextitiſſe putari nefas ſit.* Eandem infert Richardus Victorinus lib. 2. de Trinitate cap. 17. his verbis, *Quod ex pluribus compoſitum eſt, naturaliter diviſibile eſt: & quod naturaliter eſt diviſibile, naturaliter eſt commutabile; & ubi eſt commutabilitas, non poteſt eſſe æternitas; & ſic nec vera fælicitas: Sed in bono quod univerſaliter perfectum eſt, nihil bonorum deeſſe poteſt.* Ac proinde cum Deus ſit æternus & immutabilis, conſequens eſt ut ſit pariter incompoſitus & omnino Simplex.

5. Ex Dei ſumma Actualitate.

QUINTAM RATIONEM deducit Doctor in 1. *d. 8. q. 1. n. 5.* ex ſumma Dei Actualitate & Neceſſitate eſſendi. Si Deus eſſer compoſitus, componeretur vel ex partibus quæ eſſent entia neceſſaria, vel quæ non eſſent: ſed neutrum poteſt dici: Non quidem ſecundùm, quia quod compooitur ex entibus non neceſſariis; nequit eſſe ens neceſſarium. Non etiam primum, tum quia, eò ipsô quò illæ partes componentes eſſent entia neceſſaria, deberent eſſe in ultima ſua actualitate; ens enim neceſſarium omnem potentialitatem excludit, & eſt actu totum id quod eſſe poteſt, & conſequenter non poſſet una pars neceſſaria actuari per alteram; nec ptoinde partes illæ poſſent uniri iovicem ut componerent aliquod tertium; pars enim quæ determinatur & actuatur ab altera, ut cum ea faciat compoſitum, noo eſt ex ſe in ſua ultima actualitate, ſed eſt in potentia ad alteram, & ad eam ordinatur ut illius compars: Tùm quia ſi illæ partes ex quibus Deus componeretur eſſent entia neceſſaria, ſequeretur Deum eſſe bis ens neceſſariò exiſtens, ratione, videlicet utriuſque partis ipſum componentis; quod eſt abſurdum: Tùm denique quia ſequeretur quòd Deus eſſet ens neceſſarium ratione alicujus partis, quâ tamen ſublatâ non minùs eſſet ens neceſſarium ob alteram partem, quod omnino implicat, & conſequenter cum Deus ſit ens neceſſariò exiſteus, nequit eſſe compoſitus.

6. Ex divina Infinitate.

SEXTAM tandem rationem inſert Doctor ex divina infinitate. Si Deus eſſet compoſitus, maximè vel ex partibus finitæ perfectionis, vel infinitæ: Noo ex partibus finitis, quia plura finitæ perfectionis non poſſunt efficere aliquid infinitè perfectum: Noo etiam ex pluribus infinitæ perfectionis, repugnat enim plura infinita invicem uniri ad componendum & conſtituendum aliquod totum: Tum quia ſi illæ partes infinitæ facerent compoſitionem, ſequererur quòd totum compoſitum ex ipſis eſſet intenſivè perfectius: Compoſitum enim perfectius eſt qualibet ſua parte ſeorſim ſumpta, alioquin fruſtrà fieret compoſitio, quandoquidem una pars abſque conſortio alterius tam perfecta foret intenſivè quàm ipſum totum: ſed abſurdum eſt quod unum infinitum intenſivè ſit perfectius altero etiam intenſivè infinito: alias alterum oon eſſet intenſivè infinitum, cùm ab alio excederetur; oec omnem omnino perfectionem involveret. Ergo implicat totum aliquod fieri ex partibus infinitis intenſivè; ac proinde ſubtiliter Doctor inſert ex Infinitate Dei, ipſum non eſſe compoſitum: ſed omnino ſimplicem. Concludendum eſt itaque cum Boëtio libro de Trinitate.

Simplex eſſe, ſimplex poſſe,
Simplex velle, ſimplex noſſe,
Cuncta ſunt ſimplicia.

Dices 1. Illud eſt Deo tribuendum, quod eſt præſtantius: ſed compoſitio præſtantior eſt Simplicitate: Ergo compoſitio, non verò ſimplicitas Deo eſt tribuenda. Major patet; Cùm enim Deus ſit ens quô melius eſſe fingique oon poteſt aliud perfectius, conſequens eſt ut ipſi tribuamus omnem omnino perfectionem quæ nullam imperfectionem redolet. Minor etiam conſtat. Compoſita namque antecellunt ſimplicibus, & mixta elementis, & totum ſuis partibus præſtat; bonum enim additum booo

litatis, alia inæqualitatis: prior non solvit simplicitatem, sed posterior.

est sapientiæ & bonitatis quàm in alterutro A eorum: & ista pluralitas repugnat simplicitati, quia unitas addit supra unitatem: alia autem est pluralitas, in qua tantùm in est perfectionis in pluribus, quantùm in uno, & hæc reperitur in divinis; quia tantùm est perfectionis & virtutis in una Persona, quantùm in pluribus; itaque cum ista pluralitas non solvat unitatem, nec ullam ponat compositionem, ideo nec simplicitatem destruit.

CONCLUSIO SECUNDA.

XIII. DIVINA *Simplicitas non est simplex negatio compositionis; sed formaliter est quid positivum talem negationem connotans*: Hæc est B Doctoris in 1. *d.* 8. *q.* 5. *ad* 5 & probatur: Simplicitas est perfectio simpliciter simplex: Ergo non est pura negatio. Consequentia patet; Nulla enim negatio dici potest simpliciter perfectio, cum præcisè sulùm oeget imperfectionem, non autem aliquam perfectionem astruat. Antecedens probatur. Primò quidem authoritate SS. Patrum qui affirmant Divinam simplicitatem esse perfectionem longè præstantiorem, quàm sit multiplicitas vel compositio. *Sic* S. Augustinus lib. de quantitate animæ cap. 55. *Omnino preponendum est quod omnino dividi non potest & omni compositione caret.* S. Anselmus de Incarnatione Verbi cap. 6. *Omne simplex*, inquit, *quâ simplex, est perfectius composito.* Et S. Bernardus lib. 5. de Considerationecap. 7. *Natura simplex multiplici anteferitur.* Ergo ex mente SS. Patrum divina Simplicitas est formalis Dei perfectio, ac proinde est quid positivum, negatio namque formaliter considerata cùm non significet aliquod ens, etiam nullam perfectionem importat. *Deinde*, idem ferendum est judicium de divina Simplicitate, quatenus negat compositionem, sicut & de infinitate, immensitate, & cæteris perfectionibus modificantibus divinam Essentiam, quæ negant limitationem & determinationem: sed hæ non sunt puræ negationes, ut infra patebit: Ergo nec ista. *Denique*, omnis negatio quæ repugnantiam importat, fundatur in aliquo positivo, quod repugnantiæ hujus principium est: sed divina Simplicitas secum importat repugnantiam formalem compositionis & divisionis: Ergo connotat aliquam in Deo formalem perfectionem positivam quæ hujus repugnantiæ principium sit.

Divina Simplicitas non est solum negatio.

XIV. Quia est perfectio simpliciter simplex.

Dices. Simplicitas non addit rei simplici novam aliquam entitatem: Ergo non est aliqua positiva perfectio. Consequentia patet: Omnis namque positiva perfectio, entitas est. Probatur antecedens: Si simplicitas adderet novam E entitatem rei simplici, cum ea faceret compositionem; sed hoc repugnat; alioqoin res esset simplex, & non simplex: Ergo non est aliqua perfectio.

Non tamen ullam facit compositionem cum essentia.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico: Modum intrinsecum non facere compositionem cum entitate cujus est modus, tùm quia ab ea adæquatè non distinguitur, sicut distingui debet pars à parte, & forma à subjecto quod componit; tum quia eam non afficit ut actus potentiam, quæ tamen ad perfectam compositionem desiderantur; sed tantùm ut modus perficiens seu connotans perfectionem talis entitatis: Ergo licet divina Simplicitas sit aliqua positiva perfectio, non inde sequi-

tur eam in Deo compositionem efficere.

XV. *Dices* 2. Compositio non addit aliquam entitatem aut modum positivum composito: Ergo nec simplicitas rei simplici.

Compositio est aliquid præter partes.

Nego antecedens: Compositio enim est modus entitatis, quæ composita dicitur; connotat enim rem quæ sibi vendicat actum & potentiam, seu partes invicem aduoatas: Unde in composito hæc distinguntur: Entitas constituta, partes constituentes, & ordo entitatis compositæ ad partes, & partium ad totum; qoi quidem ordo, modus intrinsecus est tam in toto, quàm in partibus consequens naturam seu quidditatem entitatis totalis & partium ejus. Itaque compositio formaliter sumpta, dicit aliquid præter partes & totum: Idem ergo ferendum judicium de simplicitate respectu rei simplicis.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Deus omnem compositionem realem excludat.

IN anteriori quæstione prænotatum est, compositionem realem fieri quatuor modis, nimirum vel ex materia & forma, vel ex partibus C aut integrantibus aut quidditativis & quantitativis; vel ex natura & subsistentia, vel denique ex subjecto & accidente: In hac autem resolvendum est an Deus hunc quadruplicem compositionis modum respuat, ut firmiùs evidentiùsque ipsius divina simplicitas stabiliatur & innotescat: sed prius

Variæ fuerunt Gentilium circa Divinitatem figmenta.

Notandum est, varia fuisse veterum gentilium de Divinitate figmenta, quidam enim arbitrabantur Deos adesse corporaliter in statuis & in Imaginibus ipsis consecratis, ut refert & exprobrat Tertullianus, lib. de Idololatriâ cap. 14. *Scimus*, inquit, *licet nomina inania atque conficta sint, cùm tamen in superstitionem* D *deducuntur, rapere ad se Dæmonia & omnem spiritum immundum, per consecrationis obligamentum.* Quamquam non omnium error iste fuit; sed rudium duntaxat & imperitorum. Sapientiores enim facilè viderunt nullam in corporeis statuis Divinitatem inesse, sed iis velut instrumento utebantur ad exhibendam sibi Deorum præsentiam & cultum Numinis sui certo ritu ac lege constituendum. Nihilominus ipsi sapientiores graviorem impegerunt in errorem; nam ut asserit sanctus Augustinus lib. 7. de Civitate Dei cap. 6. Varro Philosophorum doctissimus ait, *Deum se arbitrari esse animam mundi, & hunc mundum esse Deum*: Ita quòd sicut homo, licet corpore & anima constans, tamen ab anima dicitur sapiens; sic mundum Deum dici ab animo, cum sit ex animo & corpore.

Nec non & Hæreticorum.

Notandum 2. plures Hæreticos ita pravè censuisse de Deo, ut aliqui cum Manichæis assererent Deum esse accidens. Volebant enim, inquit S. Augustinus hæresi 46. Deum esse lucem illam corpoream animantium mortalium oculis adjacentem. Aliqui cum Hermogene materiam primam Deo æqualem affirmabant, ac proinde illam Deum esse censebant, siquidem nihil Deo æquale, nisi Deus, ut peritè concludit Tertullianus lib. contra eundem Hermogenem cap. 4. & 5. Ipsi adstu-

Q

pulatus est quidam David de Dinando, qui ut refert S. Thomas 1. *p. q.* 3. *a.* 8. Materiam primam Deum esse contendebat, aliqui autem Deum esse corporeum affirmaverunt, qui idcirco Antropomorphitæ Græcâ voce composita ab ἄνθρωπος quod est homo & μορφὴ quod formam significat, Deumque instar hominis figurantes ipsum corpore & animo, membrisque corporeis & partibus constare putabant.

Cujus erroris Magister asseritur à Theodoreto de Hæresibus cap. 13. & S. Augustino item de lib. 4. Hær. cap. 50. quidam Audius vel Audeus è Mesopotamia oriundus, vir utique religiosus & pius, qui Ecclesiastica libertate nedum Presbyteros, sed & Episcopos deviantes increpabat, quâ de causa ab eis calumniis appetitus est & ut hæreticus diffamatus, quamquam ut asserit S. Epiphanius Hæresi 70. *in nulla re à recta fide discessit, sed ipse cum suis sinceram in omnibus religionem tenuit*, seu ut loquitur in indiculo libri tertii; *Audianorum propriè Schisma ac defectio, non hæresis est, Horum bene instituta vivendi ratio est; sed neque, quod ad fidem attinet, ab Ecclesia Catholica dissentiunt.* Ac proinde falsò nituntur testimonio qui ex authoritate Epiphanii Audium verè Hæreticum fuisse affirmant; siquidem ab Ecclesia Catholica & fide, nec ipse nec ejus Sectatores dissentiebant; præter quàm in una & levissima, quòd illa Scripturæ verba quæ hominem ad imaginem Dei esse factum significant, duriùs ac præfractiùs interpretaretur; cum divinam illam imaginem in humano corpore reponendam assereret, ut incorporeæ ac spiritualis substantiæ imago esset aspectabilis & incorporea. Ex quo fortè hæresis Antropomorphitarum quæ circa Theodosii primi tempora exorta est in Ægypto, ut testes sunt Socrates lib. 6. cap. 6. & Sosomenus lib. 8. cap. 55. ansam arripuit Deum corporeum affirmandi. Siquidem hanc rationem imaginis corporeæ, in sui erroris patrocinium assumebant. Unde factum arbitror ut hujus sectæ author visus fuerit Audius. Hinc Antropomorphitæ promiscuè dicti sunt à SS. Patribus Audiani, sive Odiani, quos eluxato vocabulo S. Augustinus Vadianos appellat. His prælibatis sit.

Audius ab hæreseos labe defenditur.

Conclusio Prima.

Deus non est compositus ex materia & forma.

DEus *omnem compositionem ex Materia & Forma prorsus abjicit.* Hæc est de fide, & patet ex omnibus Scripturæ textibus, quibus Deus Spiritus dicitur, quosque supra retulimus agendo de natura & spiritualitate Dei. Probaturque *primò*, ab excellentia Divinitatis. Deus est ens quod in cogitationem nostram potest cadere præstantissimum; sed ejusmodi est mens quædam soluta & libera, secreta ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens, sicut Deum definivit Cicero apud S. Augustinum lib. 22. de Civitate cap. 20. Nam corpus & corporeum omne deterius est spiritu & mente ignobilius; restat igitur, inquit Maximus Tyrus dissert. 5. *ut tanquam edita in arce, Deum in principe mente Oratione nostra collocemus.*

Probatur 1. ab excellentiâ Dei.

2. Ab ejus immortalitate.

SECUNDÒ ab ejus Immortalitate & incorruptione, nam ut loquitur sanctus Gregorius Nazianzenus in 4. & 13. Oratione, *Si Deus esset corporeus, quid causa esse dicemus, quin ex iis elementis constet & in ea omnino dissolvatur? nam compositio principium est pugnæ, pugna autem dissidii; dissidium solutionis; solutio verò prorsus aliena est à Deo primaque natura. Quocirca nullum inest dissidium, ne sit aliqua solutio: neque pugna, ne dissidium oriatur; neque compositio, ne pugna existat: ac proinde nec corpus quidem est, ne sit compositio.*

Ipsi concinit Arnobius lib. 3. adversus gentes; *Nostra de hoc sententia talis est*, inquit, *naturam omnem divinam, quæ neque esse ceperit aliquando; nec vitalem ad terminum sit aliquando ventura; lineamentis carere corporeis, neque ullas formarum effigies possidere, quibus extima circumscriptio membrorum solet coagmenta finire. Quidquid enim tale est, mortale esse arbitramur, & labile; nec obtinere perpetuam posse credimus ævitatem, quod extremis coercitum finibus necessaria circumcludit extremitas.*

TERTIÒ, ab ejus Immensitate: omnibus enim, etiam Gentilibus compertum fuit Deum esse ubique: Unde Virgilius 4. Georg.

3. Ab ejus Immensitate.

> *Deum namque ire per omnes*
> *Terrasque tractusque Maris Cælumque profundum.*

Sed si esset corporeus, non posset omnibus mundi partibus adesse, quod mirum in modum urget sanctus Gregorius Nazianzenus laudatus. *Quomodo*, inquit, *illud tueri poterimus quod ait Scriptura, Deum omnia pervadere atque implere: juxta illud, Nonne Cælum & Terram ego impleo? & Spiritus Domini replevit orbem terrarum, si Deus partim circumscribat, partim circumscribatur? Aut enim per vacuum hoc universum grassabitur; & res omnes nobis peribunt ut sic Deus contumelia afficiatur, nimirum & qui corpus sit & iis quæ procreavit, careat: aut corpus in corporibus erit; id quod fieri non potest: aut implicabitur; aut opponetur: aut quemadmodum liquida invicem miscentur, ita ille alia secabit, ab aliis secabitur; quod ipsis etiam Epicuri atomis magis est absurdum & anile.*

CONFIRMANTUR hæ duæ probationes: Si Deus esset corporeus, haberet corpus, vel inanimatum vel animatum: sed neutrum dici potest: Non quidem primum; aliàs corpus Dei deterius esset corpore bruti, quod quidem animari, vegetari, & sentire constat; hoc autem de Deo entium præstantissimo asserere stolidum esset, & insanum: Non etiam secundum, quia corpus animatum, est organicum; corpus autem organicum naturaliter lædi, laborare, fatigari, imo & interire potest, quæ sanè Deum omnino dedecent. *Deinde*: Si Deus habeat corpus organicum, etiam *sequitur*, inquit Arnobius laudatus, *ut aures habeat curvis perterebratas anfractibus: oculorum orbiculos mobiles, superciliorum marginibus obumbratos, suspensum imbricem narium munctionibus mucculentis & spiritali commeabilem tractui: subactionibus ciborum dentes trini generis; atque in officia trina compositos: Manus ministras operum, articulis, digitis, & cubitorum mobilitate tractabiles: Corporibus sustinendis pedes, explicandis gressibus, & suggerendis anticipationibus itionum*, quæ omnia Deum dedecent.

XVI.

4. Ratione Doctoris subtilis, scilicet ab independentiâ Dei.

QUARTAM RATIONEM subministrat Doctor. 1. dist. 8. quæst. 1. num. 2. ab *Independentia & Primitate Dei.* Si Deus esset corporeus, constaret Materia & Forma; sed iis constare nequit: Ergo non est corporeus. Probat Minorem. Omne compositum ex materia & forma exigit causam efficientem, quæ formam cum materia uniat: sed Deus, cùm sit prima omnium causa, non potest habere aliquam causam efficientem: Ergo, &c. Probat majorem, Materia est in potentia passiva ad formam, quia ex se non petit unam formam potius quàm aliam: Ergo ut sit sub hac forma, debet aliqua assignari causa, quæ & formam producat, & ipsam cum materia uniat. *Deinde* illa materia qua constaret Deus, posset esse sine forma ipsius, aut non posset: Si non posset, Ergo non distinguitur realiter ab illa forma, & sic constaret Deus materia distincta realiter à forma, & non constaret, quod implicatet. Aut posset esse: & sic Deus non esset ens necessariom, quia posset non esse; Compositum enim quod potest carere forma, potest dissolvi & interire. *Præterea* sequitur manifestè, quod ut poneretur sub forma præsupponere deberet causam efficientem, quæ materiam sub forma constitueret, & eam posset à forma separare: Ergo si Deus sit corporeus, necessariò agnoscere debet causam aliquam efficientem, sieque non esset Deus; quippe cum non esset prima Causa.

Objiciunt primò Antropomorphitæ; Homo factus est ad imaginem Dei: Ergo cùm sit corporeus, signum est Deum pariter esse corporeum.

XVII.

Imaginis divinæ ratio non in corpore, sed in anima est constituenda.

Nego consequentiam: Nam ut ait incertus Author libri de Essentia apud Augustinum tomo 4. *Ad imaginem quippe suam Deus fecit hominem, non in corpore, sed in anima: non in exteriori homine, sed in ratione; Anima quippe hominis ad imaginem Dei facta est.* Vel ut inquit S. Ambrosius librô de dignitate hominis cap. 2. *Imago diligentiùs ex interioris hominis nobilitate consideranda est. Primò siqnidem ut sicut est unus Deus semper ubique totus, & omnia vivificans, movens, & gubernans, sicut Apostolus confirmat,* quod in eo vivimus, movemur & sumus: *sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens, & gubernans. Neque enim in majoribus sui corporis membris major, & in minoribus minor, sed in minimis tota est & in maximis tota. Et hac imago omnipotentis Dei, quam anima in se habet, quasi quamdam Trinitatis gerit similitudinem: Primò quia sicut Deus est, & vivit, & sapit; ita & anima secundùm suum modum, est, & vivit, & sapit....*

Est quoque alia similitudo Trinitatis in ea, qua ad imaginem sui Conditoris perfecta quidem & summæ Trinitatis, quæ est in Patre, Filio, & Spiritu sancto condita est: & licet unius sit illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est intellectum, voluntatem, & memoriam: quod quidem aliis verbis designatur in Evangelio, cum dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; id est, *ex toto intellectu tuo, & ex tota voluntate tua, & ex tota memoria tua; nam sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus, ita per intellectum generatur voluntas & ex ambobus processit memoria.*

XVIII.

Adducitur Tertullianus pro contrariâ sententiâ.

Objiciunt 2. Tertullianus fidei mysteriorum explorator oculatissimus & Catholicæ veritatis Christianorumque dogmatum acerrimus propugnator, censuit Deum reverà esse corporeum: Ergo ita esse potest affirmari. Probatur antecedens, ex pluribus illius textibus; etenim libro *de carne Christi cap.* 11. ait, *Omne quod est, corpus est sui generis; nihil est incorporale nisi quod non est:* Et lib. 2. cont. Marcionem c. 16. *Discerne*, inquit, *substantias, & sues eis distribue sensus tam diversos quàm substantia exigunt, licet vocabulis communicare videantur. Nam & dexteram, & oculos, & pedes Dei legimus, nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur. Quanta erit diversitas divini corporis, & humani, sub eisdem nominibus membrorum; tanta erit & animi divini, & humani differentia, sub eisdem licet vocabulis sensuum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantia humana, quàm incorruptorios in Deo efficit incorruptibitas substantia Divina.* Et libro contra Prax. cap. 7. *Hic*, inquit, *certè est, qui in effigie Dei constitutus non rapinam existimavit esse se æqualem Deo. In qua effigie Dei? Utique in alia, non tamen in nulla. Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie; sed & invisibilia illa quæcumque sunt, habent apud Deum, & suum Corpus & suam formam, per qua soli Deo visibilia sunt, quantò magis quod ex ipsius substantia missum est sine substantia non erit?*

Sed explicatur.

Respondeo ipsum posse excusari uti de facto sanctus Augustinus lib. 10. in Genes. cap. 25. eum excusauit his verbis, *Denique*, inquit, *Tertullianus quia corpus esse animam credidit, non ob aliud, nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, & ideo timuit ne nihil esset, si corpus non esset. Nec de Deo valuit aliter sapere, qui sanè quanquam acutus est, interdum contra opinionem suam visâ veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quàm id quod ait quedam loco, omne corporale passibile est. Debuit ergo mutare sententiam quâ paulo superiùs dixerat etiam Deum corpus esse; neque enim arbitror eum ita desipuisse, ut etiam Dei naturam passibilem crederet: ut iam Christus non in carne tantùm, neque in carne & anima, sed in ipso Verbo per quod facta sunt omnia, passibilis & commutabilis esse credatur; quod absit à corde Christiano.*

Similia habet lib. de Hær. ad Quodvult Deum hæresi 86. *Ipsum*, inquit, *etiam Deum corporeum esse dicis, licet non effigiatum; nec tamen hinc Hæreticus creditur factus, posset enim quoque modo putari ipsam naturam substantiamque divinam Corpus vocare: non tale Corpus, cujus partes alia majores alia minores valeant, vel debeant cogitari, qualia sunt omnia quæ propriè dicimus corpora, quamvis de anima tale aliquid sentiat, sed potius ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil.*

Certè idem Tertullianus hanc suam esse sententiam satis indicat libro adversus Hermogenem, dum ait, *Concedant interim esse aliquid incorporale de substantiis dumtaxat, cùm ipsa substantia corpus sit rei cujusque:* Et lib. de Anima cap. 7. num. 96. *Nihil enim si non corpus:* Item libro de carne Christi: *Cum autem sit, habeat necesse est aliquid per quod est. Si habeat aliquid per quod est, hoc erit Corpus ejus. Omne quod est; Corpus est sui generis; nihil est incorporale nisi quod non est.* Denique lib. 2. adversus Marc. *Nam & dexteram*, inquit, *& oculos, & aures*

Dei legimus; nec ideo tamen hamanis comparabuntur, quia de appellatione fociantur: Hoc est, ut commentantur ejus Interpretes, qoò res oobiliores sunt, eò corpus, idest substantiam solidiorem, & nobiliorem possident. Cum igitur Deus sit primum, & summum ens, maximè corpus est, id est, solidissimum esse; nec inane aut vacuum, sed à nihilo infinitè distans obtinet. Tertullianus enim *corpus* accipit pro *solido*, eo modo quo Mathematici corpus, solidum appellant. Itaque non vult Deum esse corporeum ea ratione quâ corpus opponitur spiritui; sed tantùm quatenus corpus idem sonat ac ens solidum oppositum inani, vacuo, & nihilo.

Fateor tamen duriora illius esse verba, præsertim in præfato textu *Libri secundi contra Marcioaem*, & argumentô esse possunt, illum hac in propositioue astruendâ, non minùs à veritate Catholica deviasse, quàm in oonnullis aliis erroneis propositionibus, quas suis in scriptis etiam contra Ecclesiæ Catholicæ decreta & sanctiones editis, astruxit.

XIX. *Objiciant* 3. Melito Sardicensis Episcopus, quem Policrates ad Victorem Romanum Pontificem scribens, celebrat his verbis: *Quid porro Beatam Papyrium & Melitoaem Eunuchum recenseam? qui Spiritus sancti instinctu totas afflatus, vita sua tempus piè sanctèque exegit, qai Sardis conditas est?* Quem etiam Eusebius lib. 4. cap. 25. & Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis mirificè commendant. Is, inquam, Melito asseruit imaginem Dei in corpore esse reponendam, librumque edidit de Deo corporeo, ot affirmat Theodoretus quæst. 20. in Genesim. Ergo cum hæc sententia tanti viri patrocinio fulciatur, non videtur improbanda.

Adducitur Melitonis sententia.

Respondeo primò, Melitonem reverà nusquam in eum errorem impegisse, ut colligitur, nedum ex præfatis encomiis qoibus celebratur, quibusque indignus omnino censeretur si ita desipuisset, ut Deum corporeum affirmaret: Tum quia *Theodoretat* ipse, de Audianorum & Aotropomorphitatum errore sermouem faciens, nullam de Melitone mentionem iustituit: Tum denique, quia ut *Sixtas Seaensis* lib. 5. Bibliothecæ annotatione 18. observat, Theodoreti verba uou rectè à Pico emendatéque translata sunt; hæc enim ad litteram habet Theodoretus laudatus. *Est autem (at antea dixi) priùs discutiendam, ubi consistat illud (ad imaginem) in corpore an in anima. Et in primis videamas quibus atantur; qui prias asserunt; qaorum sunt que Meliton scripta reliquit de eo quod est* Deum corporatum esse: Theodoretus igitur uon dicit Melitonem id docuisse, sed alios, quorum seutentiam ipse scriptam reliquit & impugnavit.

Excusatur utique præfatus Melito.

Respondeo secandò, quod etsi reverà Melito censuerit Deum esse corpus; non tamen ideo culpandus esset, siquidem *Corpat* usurpare potuit eô modô qoô illud Tertullianus usurpavit, nimirum pro ente solidissimo. Quò etiam spectat illod Sœbadii Aginensis, qui Filium Dei ut assereret esse substantiam, non autem substantiâ carere, sicut Sabellius affimabat, hæc habet. *Imago*, inquit, *vera & figura expressa substausia ejus, hoc est Dei sermo, non soans vocis, sed res substantiva, ac per substantiam corpalentiva. Nou enim sine sabstantia constitit, quod de tanta substantia fecit. Nihil ergo vacuam de pleno, nihil inane de solido. Qaia Dei sermo spiritu Dei instractus est: & at evidentiùs dicam, sermonis corpat est Christus. Corpus enim spiritas, sed corpas sui generis. Nam & invisibilis, & incomprehensibilis spiritus. Nunquid tamen inane & vacua ret, Deas? Deus enim spiritus est?*

Objiciunt quartò. Deus constat corpore & anima: Ergo & materia & forma. Probatur antecedens. Hebræorum 10. *Iastus meat ex fide vivit: quod si substraxerit se, non placebit anima mea:* sed anima est forma & compars corporis: Ergo Deus habet corpus.

Respondeo, Animam ibi sumi pro voluntate, ita quòd justus averrens se à justitiâ, velut à rectâ divinæ voluntatis regulâ, ipsi summè displiceat.

Conclusio Secunda.

DEus *non habet partes Iategrantes, nec Quantitativas.* Probatur a Doctore ratione Aristotelis. Deus habet virtutem infinitam; sed virtus infinita non potest subsistere cum partibus integrantibus & quantitativis: Ergo, &c. Major constat. Siquidem nomine *Dei* significatur prima Causa quæ est infinitè potens. Probatur Minor. Virtus infinita Dei, quâ major excogitari nequit, si esset in partibus exteusis, aut esset extensè, aut inextensè in illis: Non *Extensè*; quia sic aut magnitudo in qua esset, deberet esse infinita, aut finita: Si finita: Ergo posset dari major virtus quàm ipsa, quia posset dari major maguitudo quàm quæcumque finita, & sic illa non esset divina: Si infinita, præterquam quod non admittatur communiter infiuitum actuale in quantitate; adhuc quælibet pars ipsius esset finita; & sic Deus constaret aliqua parte finita quod implicat. Et præterea quamvis deficeret aliqua pars ipsius, seqoeretur quod adhuc Deus esset potentiæ infiuitæ, & sic quælibet pars ipsius non esset necessaria ad ipsius constitutionem. XX.

Deus non constat partibus, nec quantitate.

Si autem Deus esset in partibus extensis inextensè: Ergo potentia ipsius esset realiter distincta à magnitudine illa io qua esset, sive finita, sive infinita dicatur: sed si esset realiter distincta, tum deberet informare ipsam ut forma substantialis informat subjectum suum, & sic Deus constaret materiâ primâ: Nam subjectum illud exteosum quod informaretur per ipsam, aut esset compositum, & sic constaret materia, aut esset materia prima, & sic Deus constaret materiâ primâ, quod impugnatum est.

Probatur secundò clariùs. Quia si Deus constaret partibus integrantibos, aut quælibet ex illis esset finita, aut infinita: Si finita, ergo imperfecta, & præterea Deus non haberet aliam infinitatem quàm extensionis. Si finita, Ergo darentur plures Dii realiter distincti, ut supra deduxi in probatione primæ conclusionis.

Probatur denique: Quia illæ partes quibus constaret, aut essent realiter separabiles, aut non essent. Si essent: Ergo quælibet ex illis posset non esse; & sic Deus ipse posset non esse, quô nihil absurdius. Si noo possent: Ergo nou essent realiter distinctæ. His adde rationes omoes quibus supra probavimus Deum esse omnino simplicem & incorporeum.

XXI. *Objicies* 1. In Scriptoris sacris membra corporea, putà manus, oculi, pedes, aures, Deo

Partes corporeæ qua-

litet Deo in Scriptura tribuantur. tribuuntur : Ergo habet partes corporeas & integrantes.

Nego consequentiam. Illa enim tantùm metaphoricè & per quandam similitudinem cum rebus corporeis Deo appropriantur; ut res divinæ agrestibus & rudioribus hominibus faciliùs aperiantur & explicentur, hac partium corporearum adumbratione. Seu ut loquitur *Novatianus* lib. de Trinitate cap. 7. *Efficacias divinas per membra monstrari*, ait; *non habitus Dei, nec corporalia lineamenta poni. Nam & cùm Oculi describuntur, quòd omnia videat exprimitur. Et quando Auris, quod omnia audiat, proponitur: Et cum Digitus, significantia quedam voluntatis exprimitur: & cum Nares, per hoc, quasi odorum perceptio ostenditur: & cum Manus, quòd creatura sit omnis auctor probatur. Et quando Brachium, quòd nulla natura contra robur ipsius repugnare possit edicitur. Et quando Pedes, quod impleat omnia: ne sit quidquam, ubi non sit Deus explicatur. Neque enim sunt ei aut membra aut membrorum officia necessaria, ad cujus solum etiam tacitum arbitrium, serviunt, & adsunt omnia. Quocirca mera hæc abusio nominum est* (ait Philo) *imbecillitati nostræ consulens.*

Seu ut loquitur S. Augustinus Epist. 555. *Dico quòd Deus totus oculus est, totus manus & totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt, totus manus est, quia omnia operatur, totus pes est, quia ubique est.*

XXII. *Objiciunt* 2. Quantitas & Situs sunt accidentia partium corporearum : sed Deo in Scripturis attribuuntur: Quantitas quidem ut Iob. 10. *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? Longior terrâ mensura ejus, & latior mari.* Situs etiam ipsi tribuitur, ut Isaïæ 83. *Stat Dominus ad judicandum*; Sedere, Isaïæ 6. *Vidi Dominum sedentem, &c.* Ergo Deus est corporeus.

Quare Deus dicatur extensus.

Respondeo cum S. Thoma, ea non attribui Deo propriè, sed tantùm secundùm aliquam similitudinem. Sic per quantitatem corpoream designatur quantitas virtualis ipsius; per profunditatem, virtùs ad cognoscendum abdita & occulta : per altitudinem præstantia fortitudinis super omnia; per longitudinem duratio sui esse; per latitudinem affectus amoris & dilectionis ad omnia.

Vel dico cum S. Dionysio lib. de Divinis nominibus cap. 9. *Latitudo quidem divina dicenda est, immensa Dei ad omnia processio : longitudo autem usque ad omnia pertingens, profundum verò obscuritas & ignorantia, quæ à rebus omnibus comprehendi non potest.* Idem dicendum de Situ, Deus enim dicitur stare, propter suam immutabilitatem & fortitudinem; sedere, propter authoritatem, &c.

Conclusio Tertia.

XXIII. **D**Eus *nulla excipit Accidentia.* Hæc est de fide, patetque Scripturæ sacræ textibus, quibus Deus immutabilis celebratur; & eam variè probant sancti Patres.

Deus non est accidentium particeps.

Primò quidem, quia accidens omne differt à re cujus est accidens, in Deo autem nihil est, quod non sit ipsemet Deus : Unde S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 6. *Deum esse dicit multorum nominum & omnipotentem essentiam; non enim ideo quod vocatur* Bonus, *&* Iustus, *&* Omnipotens, *&* Sabaoth,

Probatur 1. Ratione distinctionis accidentium à subjecto.

A *varius est & diversus; sed unus cùm sit idemque, innumeras divinitatis efficientias profundit.* Cui concinit S. Augustinus l. 5. de Trint. cap. 11. *Quare hæc Trinitas*, inquit, *unus Deus, sicut dicitur Magnus, Bonus, Æternus, Omnipotens, idem ipse; sic sua Deitas dici potest, ipse sua Magnitudo, ipse sua Bonitas, ipse sua Æternitas, ipse sua Omnipotentia; quia ipse sibi est Vnitas, Deitas, Magnitudo, Bonitas, Omnipotentia.* Ex quo sanctus Fulgentius responsione 2. ad Ferrandum, hoc esse catholicæ veritatis asserit, ut cùm in Deo divinitatem, magnitudinem, bonitatem, virtutem, & quælibet alia in his, quæ ad se propriè dicuntur,

B nominamus; non istis diversis nominibus quædam diversa, sicut in homine qui subjacet qualitati : sed unum illud, quod est essentia vel natura, certissimè noverimus. Inde est enim quod ipse B. Augustinus dicit in l. 5. de Trinit. *Intelligendum Deum, sine qualitate Bonum, sine quantitate Magnum; quia incommutabilitas simplicis atque omnipotentis essentiæ, nullis potest accidentibus subjacere; ubi eadem est Divinitas, quæ Æternitas & Majestas; eadem Magnitudo, Virtus & Bonitas.*

Probant secundò, Quia accidens est ens participatum, seu ens diminutum, ac proinde imperfectum : sed nihil imperfectum in Deo reperiri potest : Ergo nec accidens. Hoc argumentum urget Origenes lib. 6. contra Celsum: *Deus*, inquit, *substantia non est particeps, participatur enim potius quàm participat: & participatur ab iis qui habent spiritum Dei. Ac Salvator noster, non ille quidem justitiæ particeps est; sed cùm sit justitia, participatur à justis.* Et sanctus Athanasius lib. contra Græcos, *Potentia*, inquit, *est Patris, & Sapientia, & Ratio; non sic ut participatione ista sit, aut hæc ipsi aliunde accidant: quemadmodum iis evenit, qui ipsius participes sunt, & per ipsum imbuuntur sapientiâ, ac potentes, & rationales in ipso fiunt. Sed est ipsa per se sapientia, ipsa ratio, ipsa potentia, propria Patris ipsa lux, &c.* In idem collineat S. Cyrillus l. 5. in Joan. *Dei Verbum*, inquit, *substantivè lux est, non participatione per gratiam. Neque accidentem habens in seipsa dignitatem, sed neque adscititiam, ut gratiam, &c.*

2. Ratione imperfectionis.

C

D

Probant tertiò ex Immutabilitate. Quâ ratione sanctus Ambrosius lib. de Fide cap. 5. colligit Filium Dei non esse creaturam, quia non est mutabilis nec accidentis capax : *Omnis*, inquit, *creatura mutabilis : sed non mutabilis Dei Filius : non ergo creatura Dei Filius. Omnis creatura accidentia & boni & mali recipit sua capacitate naturæ, eademque decessione sentit : Dei autem Filio nihil potest ex ejus divinitate, vel decedere, vel accedere : non ergo creatura Dei Filius.* Eodem argumento utitur sanctus Athanasius in Epist. ad Africanos, *Cum vestra sententia*, inquit, *Filius similis Patri sit; ista verò qualitatis sint propria, nimirum compositum esse Deum ex qualitate & substantia dicitis. Et quis vos feret ista jactantes? Non enim compositus est Deus, qui omnia ad hoc, ut essent, composuit : neque ejusmodi, qualia sunt quæ ab ipso verbô sunt facta. Absit hoc: simplex est enim substantia, in qua non inest qualitas, nequent dixit Iacobus, mutatio ulla vel vicissitudinis obumbratio.*

3. Ratione immutabilitatis.

E

Quartò eandem veritatem probat Doctor in

4. Ratione à Doct. adducta. 1. *d*. 8. *q*. 1. *num*. 4. Si Deus esset capax accidentium, maxime vel accidentium materialium, vel spiritualium. Neutrum dici potest: Non primum; cum enim Deus sit spiritualis, nec ullas partes entitativas & quantitativas habeat, etiam nec accidentia materialia potest excipere. Non etiam secundum; quia si capax esset alicujus accidentis spiritualis, maximè volitionis & intellectionis; sed hæc in Deo non possunt esse accidentia, tùm quia quidquid in Deo est, summè idem est; tùm quia Deus est omnino immotabilis: Mutaretur autem si novum actum volendi & intelligendi à se distinctum produceret & exciperet: Ergo, &c.

XXIV. Objicitur Athenagoras. *Dices* 1. Athenagoras Christianus Philosophus & rerum divinarum peritissimus, in oratione pro Christianis ad Marcum Aurelium Imperatorem, affirmat bonitatem Dei esse accidens & veluti qualitatem ipsum afficere: *Sic*, inquit, *& alias quidem virtutes esse cognoscimus, quæ circa materiam, & per eam versantur; unam quidem Deo contrariam: Non quod ulla vis repugnare Deo possit; ut amicitia lis, secundùm Empedoclem, & nox diei, uti sensibus nostris apparet. Si enim Deo aliquid obsisteret, mox esse desineret, vi, & potentiâ Dei dissipatum: Sed quoniam Dei bonitati, quæ secundùm accidens inest ipsi, & simul existit tanquam color in corpore, sine quo non est (non ut pars sit ipsius; sed ut res consequens necessariò existens in ipso, eique conjuncta, ac veluti concorporata; ut igni color fulvus,ætheri cæruleus.) Contrarius est ille, qui circa materiam versatur spiritus.* Eandem in sententiam ire videtur *Lactantius*, affirmans Deo inesse affectum iræ, quem in sua potestate haberet, ac proinde quem pro libito suscipere, & excutere posset.

Et solvitur. *Respondeo*. Ipsorum equidem hanc videri fuisse sententiam: sed quid mirum si homines ex Philosophorum paganorum, Aristotelis nempe & Platonis scholis emergentes, aliquid eorum erroris, etiam effecti Christiani, adhuc retinuerint; cum & ipse Deus dicente sancto Jobo, *in Angelis suis reperiat pravitatem?* Nemo namque diffitetur primævos nascentis Ecclesiæ Doctores, & Patronos, variis adhuc & defectibus laborasse; maximè iis in dogmatibus, quæ Deitatis naturam, & affectiones concernebant. Difficile namque nonnullis visum est, conceptam in Philosophicis Academiis de Divinitate sententiam abjicere, quàm nec per evidentes Scripturæ textus; nec per Conciliorum oracula, neque per sanctorum Patrum doctrinam proscriptam fuisse adhuc cernerent. Itaque nulla vis in eorum sententiis, quæ Catholicis dogmatibus adversantur, est facienda.

XXV. Objicitur pseudo-synodus Constantinopolitana. *Dices* 2. Idem ferendum est judicium de divinis operationibus, ac de humanis: sed hæ distinguuntur realiter à substantia & essentia hominis: Ergo pari modo illæ ab essentia, & natura Deitatis discrepant. *Minor* constat, ex Philosophia nedum, sed & ipsâmet experientiâ, quâ patet nos intellectionem & volitionem pro libito suscipere & abjicere. *Major* probatur authoritate Concilii celebrati in Templo sanctæ Sophiæ circa annum 1341. Summum Pontificatum agente Benedicto XII. ut videre est apud Reinaldum libro Annalium Ecclesiasticorum, Tomo 16. ad annum 1341. num. 119. & apud Petavium libro 2. de Deo c. 7. Quod quidem Concilium Græci *Synodum Oecumenicam nonam appellant*, in quâ Synodo damnatus est Barlaamus cum suis Fautoribus, quod ἐνέργειαν hoc est *vim, & efficaciam*, sive operationem ab οὐσία idest *natura* ejus, ac *substantia* separare vellet.

Quamquam enim Nicephorus Gregoras, qui & ipse cùm Barlaamo aliisque plurimis Episcopis ea in Synodo damnatus fuit, affirmet *lib*. 11. suæ historiæ, nihil ea in Synodo actum fuisse, quod Theologiam & fidei dogmata concerneret: Nihilominus in hujus Concilii Synopsi, quæ cum cæteris hac in causa celebratis Conciliis Græco idiomate Parisiis Typis mandata est, hæc habentur. *Hæc sancta & œcumenica Synodus nona habita est imperante beatæ memoriæ ac celebri Imperatore D. Andronico Paleologo, & Ioanne filio ejus, contra Barlaam, & Acindynum.* Hi enim asserebant, *aliàs quidem, nullam in divinâ naturâ distinctionem esse inter substantiam, & operationem; sed idem esse ac nihil differre. Aliàs verò interesse dicebant; sed substantiam quidem increatam esse, Ejus autem substantiales operationes & naturales, diversas esse concedentes, non tamen increatas, sed creatas. Item lumen illud quod in Thaborio monte resplenduit, visionem simpliciter & creaturam fuisse orientem, ac desinentem: non Divinæ naturæ naturalem splendorem & divinitatem; & quod lumen inaccessum sit, & esse Dicatur.*

Contra illos igitur talia dicentes, congregata est sancta ista Synodus, quæ eos insipienter loqui convicit & mentiri per omnem sermonis speciem; ac reliquos Hæreticos impietate superare. Subditur, *Interfuerunt huic Synodo* ISIDORUS *Constantinopolitanus*, LAZAROS *Hierosolymitanus Patriarcha; Alexandrinus verò & Antiochenus per Vicarios & Legatos*. GREGORIUS *item* PALAMAS, *&* PHILOTEUS COCCINUS, *aliique Monachi complures virtute insignes, ac selecti: qui & in illos anathema dixerunt.* Quæ si vera sunt, falsum apparet quod scribit Nicephorus Gregoras, *Barlaamum ea in Synodo vetitum attingere, quæ dogmata spectabant, ne vel sacra Theologiæ mysteria prophanis inculcarentur auribus vulgi: vel Barlaamo inepta lingua, & animi rationem reddente, Palamas quoque blasphema & absurda agere videretur.*

Quibus verbis ipse Nicephorus, nec Palamæ, nec Barlaamo studuisse videtur, quamquam Palamæ dogmata respueret, & cum Barlaamo sentiret. Veritus est nempe Ioannem Cantacusenum offendere, qui paulò post Synodum, Imperium administravit cum Ioanne Paleologo Andronici filio adhuc juvene, & qui Palamam impensè fovebat, ut constat ex ejus historia, quam latinè redditam publicavit Jac. Pontanus.

Sed solvitur & expenditur. *Respondeo* 1. hanc Synodum nullius esse momenti; nec ullam Catholicis fidem facere; siquidem Pseudo-Synodus fuit, cui non Patriarcha aliquis, sed Imperator Andronicus ad ferendam de fidei controversiis sententiam præfuit. Quâ in re infelicem Græcorum Ecclesiæ sub Imperatoribus Schismaticis servitutem lugeas, qui Romano Pontificatu contempto, Pontificalem dignitatem cum Imperiali impiè usurpantes, utraque deturbati & spoliati, sub Mahumetanorum dira captivitate lugent.

Respondeo 2. non in Hæreticos (ut verba

ferunt) sed in varios Catholicos sententiam latam esse. Barlaamus namq; vir erat Catholicus, & religiosus, qui à summo Pontifice ad Græcos legatus missus est; ut eos cum Romana Ecclesia sociaret & in mutuam confœderationem sublato Schismate revocaret. Cum igitur pervenisset ad montem Atho, reperit ibidem plurimos Monachorum greges ludibriis hostis humani generis, & illusionibus expositos: dum enim preces funderent capite ad umbilicum appresso & suppresso spiritu, mirabilem se lucem intueri, & ineffabili voluptate affici jactitabant, asserebantque lumen illud esse divinitatis irradiationem, & participationem.

Eos autem cùm dæmonum præstigiis delusos Barlaamus agnouisset, detulit ad Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum, qui (ut refert Cantacusenus) Monachos per litteras ad judicium evocat. Ii autem cùm causam dicturi præsentes affuissent, Barlaamo objiciunt Palamam qui tunc equidem erat Monachus, sed deinde Thessalonicensis Episcopus creatus est, ut nimirum præfatorum Monachorum partes ageret; tueretur que, Lumen illud, quod inter orandum conspiciebant, ipsum esse quo Deus induitur dicente Propheta, *Amictus lumine sicut vestimento*; adeoque Deum ipsum, aut saltem Deitatis splendorem. Exardescentibus autem Palamæ, & Græcorum Monachorum in Barlaamum odiis, & contentionibus, & jam ad tertium annum velitatione protracta, res deducitur ad Synodum, Constantinopoli in templo sanctæ Sophiæ celebratam, cui præfuerunt & adfuerunt ii quos habes expressos in præfata Synopsi ejusdem Concilii.

XXVI. Causa præsan dissidii detegitur. *Nec* audiendus est Cantacusenus qui Græcorum partes agens; ait *lib. 2. cap. 39.* Barlaamum fuisse deceptum; imò ex malitia hunc orandi modum tetrumque de præfato divino lumine errorem prædictis Monachis imposuisse: Namque præterquam quod id ipsum constat ex prædicta Synopsi; etiam colligere licet ex *Leone Allatio*, viro utique Græco & Græcarum rerum peritissimo, qui in *Libro 2. de Ecclesia Orientalis & Occidentalis consensu cap. 17.* refert hunc orandi modum inventum fuisse, Diabolo suggerente, à quodam Simone Xerocelci Monasterii Abbate, qui in opere, quod *De sobrietate & attentione scripsit*, hunc orandi modum præscribit his verbis.

XXVII. Execrandus orandi modus à Dæmone instillatus. *Attende ut facias tibi quod dico, clausis foribus sedeas in uno aliquo angulo seorsim mentemque tuam abstrahas ab omni vanitate, re fragili & caduca. Deinde mentum tuum pectori innixum inhæreat, moveasque sensibilem oculum cum tota mente tua in medio ventris, in umbilicum scilicet; quin etiam constringe attractionem spiritus narium, ut non facile spires: & inquire intus in visceribus, ut reperias locum cordis, ubi animi facultates morari solent. Et primum quidem invenies tenebras & crassitudinem minimè cedentem. Vbi verò perstiteris, ac dies noctesque in hoc opere consumpseris, ô rem admirandam! percipies lætitiam, quæ nullo puncto temporis intermitti potest: quamprimùm enim mens locum cordis repererit, statim aspicit qua numquam sciebat; siquidem viso aëre qui inter spatium cordis extat, seipsam totam lucidam & discernendam præbet.* Sic misello Abbati ejusque Sectatoribus Dæmon illudebat; quapropter mirum non est si præfata Synodus virorum ita insanè desipientium consiliis celebrata, gravissimum hunc in errorem impegerit, ut lumen oculis corporeis aspectabile Deum crederet, & divinas operationes à Deitate distinctas affirmaret.

Meritò itaque contra hanc erroneam sententiam Barlaamus insurrexit, vir utique Catholicus, & ad Gyracensem Episcopatum evectus, qui plures egregios, & doctissimos Tractatus edidit, tum de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio; tum de Summi Pontificis universali primatu, quos habes ad calcem tomi tertii Bibliothecæ Patrum editionis Parisinæ; in quibus omnia solvit Græcorum argumenta urgentesque proponit rationes, quibus eos in Ecclesiæ Latinæ unionem & confœderationem, revocaret. Quibus etiam patet ipsi impositam fuisse à Cantacuseno calumniam, dum illum assensisse Pseudo-Synodo tradit l. 2. cap. 40.

QUÆSTIO TERTIA.

An Deus omnem compositionem Metaphysicam excludat?

CUM in præcedentibus jam notaverimus compositionem Metaphysicam fieri quatuor modis; jamque satis superque constet ex dictis de distinctione formali attributorum, divinas perfectiones sive attributales sive modificantes nullam reipsa in Deo compositionem efficere, solùm superest hîc resolvendum an aliqua in Deo deprehendi possit compositio ex genere & differentia, & ex Essentia Divina & divinis suppositis: quæ ut pateant evidentiùs,

I. Gradus generis & differentiæ bifariam concipi potest. *Notandum* 1. Gradus generis & differentiæ posse bifariam concipi. *Primò* quidem quatenus reipsa formaliter invicem distinguuntur ex natura rei, ut probant omnes Scotistæ cum Doctore *In 2. dist. 3. quæst.* 1. & alibi. Quâ ratione gradus genericus dicitur, qui cum sit diversis speciebus communis & ad eas indifferens, censetur esse velut in potentia determinabilis ad illas per aliquem alium gradum qui dicitur differentia, eo quòd per eam res constituatur & ab alia quavis distinguatur. Sic verbi gratiâ principium & vis sentiendi dicitur conceptus genericus communis homini & bruto, & ad utrumque determinandus, per alios conceptus nomine *Rationalis* & *Irrationalis* expressos. *Secundò*, quatenus hic uterque gradus concipi possit quasi sola ratione diversus, ita quòd à parte rei nulla quidem in re sit talium conceptuum distinctio, sed tantùm distinctionis occasio & fundamentum cur noster intellectus ex nativa sua fœcunditate hanc distinctionem efficiat & illos gradus veluti distinctos percipiat, quamquam reverà à parte rei non distinguantur.

II. Ulterius hic uterque gradus vel Categoricè vel transcendentaliter. *Notandum* 2. hunc utrumque gradum sumi posse vel *Categoricè* vel *Transcendentaliter*. Priori modo, gradus genericus est ille, qui in linea prædicamentali substantiæ vel accidentium præscindit à subjectis sibi speciebus ad easque determinatur per veras ac perfectas differentias divisivas ac contractivas generis,

liter sumi potest.

& constitutivas ac distinctivas speciei: Posteriori autem modo gradus genericus ille dici debet qui ab omni ente prædicamentali præscindens, percipitur ad modum alicujus conceptus communis, Deo & Creaturis univocè conveniens, & ad utrumque determinatus sive per veras differentias essentiales, sive per modos intrinsecos gerentes vices differentiarum. *Priori modô* hic uterque gradus desumi debet ab aliqua realitate distinctè cognita per operationes vel proprietates rei. V.g. gradus genericus in homine desumitur à virtute sentiendi quæ per sensationes apparet communes homini & bruto: Gradus autem differentialis desumitur à virtute discursiva, quæ soli homini inter animantes est propria: ideo autem hic uterque gradus debet cognosci distinctè quia inservit ad formandam rei distinctionem, quæ essentiam explicare debet distinctè per genus & differentiam categoricam. Secus est autem de genere & differentia transcendentibus, quæ rei naturam non distinctè & per notas realitates; sed confusè & per conceptus transcendentes aperiunt. An autem alterutrô ex his modis, gradus differentialis & genericus Deo conveniant: hîc est resolvendum.

Conclusio Prima.

III.

Deus non constat genere & differentia categoricis.

Conclusionem probant SS.PP.

DEus *revera non componitur ex gradibus Generis & Differentiæ Categoricis: Non est autem improbabile eum constare genere & differentia Transcendentali.* Hæc Conclusio duas habet partes, quarum primam apertè tuetur Doctor in 1. dist. 8. q. 3. n. 16. &c.

Probatur 1. authoritatibus SS. Patrum, qui censent Deum nullatenus includi in prædicamentis. Ita præ cæteris sanctus Anselmus in Monologio cap. 26. ubi ait, *Substantiam divinam nullo communi substantiarum tractatu includi, à cujus essentiali communione omnis natura excluditur.*

Idem affirmat sanctus Bernardus, vel quisquis est author libri de vita solitaria, ubi circa finem de Deo sermonem instituens ait, *Ipsa est summa substantia non subjecta prædicamentis vocum, sed rerum omnium subsistens causale principium.* Similiter sanctus Augustinus libro de Cognitione veræ vitæ cap. 3. ait: Decem prædicamentis cunctam humanam conditionem includi & ab his omnibus proprietatem summæ Essentiæ evidenti ratione penitus excludi; Unde meritò concludit Evagrius apud Socratem lib. 3. cap. 7. *Quod omnis propositio vel genus continet quod prædicatur, vel speciem, vel differentiam, vel proprium, vel accidens, vel quod ex iis componitur*; Nihil autem in sancta Trinitate ejusmodi potest accipi.

IV.

Et Doctor Subtilis.

Probatur hæc eadem veritas ratione Doctoris locô laudatô. Gradus genericus categoricus petitur à realitate determinabili & contrahibili, differentialis verò à realitate determinativa & contractiva: sed hæ distinctæ realitates in Deo reperiri nequeunt: Ergo nec gradus genericus & differentialis categoricus in eo est inveniendus. *Major* patet intuitu ipsius lineæ prædicamentalis, tum substantiæ, tum accidentium, in qua linea certum est gradum genericum esse realitatem illam quæ communis videtur diversis speciebus, ad quas determinatur per gradus ipsis proprios & speciales, sic substantia ad corpus per materialitatem & ad spiritum per immaterialitatem determinatur & contrahitur.

Minor probatur: Omnis realitas & formalitas in Deo distinguenda, est formaliter aut saltem realiter infinita, sed formalitas vel realitas infinita non est determinabilis & contrahibilis per formalitatem aut realitatem. Probatur. Quidquid contrahitur & determinatur per aliud, etiam & per illud actuatur & perficitur; sed formalitas vel realitas infinita non potest per aliquod actuari nec perfici: Ergo nec determinari & contrahi, nec proinde habere potest rationem generis. *Major* patet: Materia enim quæ per formam determinatur, etiam per eam actuatur & perficitur. Idem dicendum de genere quod per differentiam contrahitur & perficitur ac nobilitatur. *Minor* etiam constat: Infinitum enim illud dicitur, quod habet in se & ex se omnes perfectiones sibi compossibiles: etenim si aliqua ei desit perfectio, iam infiniti rationem non obtinet: sed conceptus genericus ex se & in se non inducit conceptum differentiæ per quam contrahitur, alioquin differentia, v.g. *Rationalis* superflueret ad hominis constitutionem, cùm homo per gradum animalis etiam esset rationalis; aut sequeretur eum esse bis rationalem; semelquidem per *animal* quod rationale etiam ex se contineret, & iterum per gradum ipsius *rationalis* qui adderetur ei per modum differentiæ; Ac proinde cùm omnis realitas vel formalitas quæ in Deo est, sit infinita, ab ea non potest desumi distinctus conceptus genericus qui verè sit categoricus, sicque Deus constitui nequit ex gradu generico & differentiali categorico, nec consequenter componi ex genere & differentia prædicamentali.

Confirmatur. Impossibile est quod essentia simpliciter infinita in genere entis constet genere & differentia categoricis: sed Essentia divina est simpliciter infinita in genere entis: Ergo non potest constare genere & differentia categoricis. Minor constat. Major probatur. Quod est infinitum in aliquo ordine non potest constare partibus finitis in eodem ordine: sed genus & differentia categorica sunt quid finitum & limitatum in ratione entis: Ergo essentia infinita non potest constare genere & differentia. Major est evidens, quia ex rationibus finitis nihil nisi finitum fieri potest. Minor probatur; Genus & differentia sunt partes Metaphysicæ ab invicem distinctæ & sese invicem à suo conceptu excludentes: Genus enim non includit differentiam in suo conceptu, sed excludit: at repugnat duas partes, quarum una aliam non includit esse infinitas; infinitum enim identificat quodcumque sibi compossibile; infinitum enim ens sibi identificat omnem perfectionem entis; & infinita linea, si quæ esset, identificaret sibi quamlibet longitudinem: Ergo pariter infinita realitas debet identificare omnem realitatem sibi compossibilem: Ergo cùm genus non possit sibi identificare differentiam sibi compossibilem in eadem specie, imo ipsam excludat a suo conceptu, sequitur neutrum posse esse infinitum.

Alias rationes hanc ipsam veritatem probantes

bantes missas facio, ut pote quas expendimus in nostra Logica Disputatione de Substantia prædicamentali Quæst. 1. Concl. 2.

V.

Objiciuntur SS. PP.

Dices. SS. Patres indicant quædam prædicamenta in Deo reperiri & de ipso verè affirmari. Sic S. Augustinus 5. de Trinit. cap. 7. 8. 10. & 11. docet Deo propriè convenire prædicamentum Substantiæ, Relationis & Actionis; Qualitatis verò, Quantitatis, Situs, & Habitus solùm impropriè. Similiter S. Damascenus in Elementario cap. 7. ait, *Summi primique generis substantiæ species esse, primum id quod corpore vacat, & corpus inanimum*; hoc est, substantiæ prædicamentalis genus distribuitur in substantiam spiritualem & corpoream: Subdit autem. *Complectitur Essentia corpore vacans Deum, Angelum, Animam, Dæmonem.* Denique Boëtius lib. 1. de Trinit. dicit solùm duo prædicamenta, nempe Substantiæ & Relationis manere in divinis: Ergo censent isti Patres in Deo verè reperiri genus categoricum, tum Substantiæ, tum Relationis.

Sed explicantur à Doctore Subtili.

Nego consequentiam: Solùm enim volunt SS. Patres conceptum confusum substantiæ & relationis magis Deo accommodari & attribui posse quàm cæteros alios conceptus prædicamentales qui Deum omnino dedecent; ita quod à ratione substantiæ & relationis increatæ & creatæ, aliquis præscindi possit conceptus, saltem confusus, qui non propriè, sed per metaphoram Deo genericè tribuatur.

Ita Doctor Subtilis explicat sanctum Damascenum & Boëtium, idque colligit ex verbis Damasceni dicentis cap. 8. Elementarii, *Substantia quæ continet supersubstantialiter increatam Deitatem, cognoscibiliter autem & contentivè omnem creaturam, generalissimum est genus.* Hoc est, *inquit Doctor*, substantia prædicamentalis continet sub se formaliter Deitatem, sicut continet creaturam, nec de utraque simili modo genericè prædicatur; sed supersubstantialiter. Idest quatenus conceptus substantiæ Deo accommodatus excludit omnem imperfectionem & limitationem quæ reperitur in conceptu generico prædicamentali. Idem colligitur ex Boëtio ipso 1. lib. de Trinit. cap. 6. ubi cum recensuisset decem prædicamenta in quæ ens generatim distribuitur, subdit. *At hæc cùm quis in divinam verterit prædicationem, cuncta mutantur quæ prædicari possunt: aliquid verò omnino non potest prædicari. Nam substantia in illo non est verè substantia; sed ultra substantiam. Item qualitas & cætera quæ evenire queunt; quorum ut amplior fiat intellectus, exempla subdenda sunt. Nam cum dicimus, DEVS, substantiam quidem significare videmur; sed eam quæ sit ultra substantiam. Cùm verò JUSTUS, qualitatem quidem; sed non accidentem, sed eam quæ sit substantia; sed ultra substantiam.* Unde concludit Doctor omnia prædicata communia Deo & Creaturis esse prædicata transcendentia & præscindentia ab omnibus prædicatis Categoricis quæ finita sunt & limitata.

VI.

Constat tamen Deus genere & differentiâ transcendentalibus.

2. *Pars* probata manet ex nostra Metaphysica *q.* 3. *sect.* 2. ubi aperuimus non esse improbabile rationem Entis, quàm Doctor Subtilis contendit univocam esse ad Deum & Creaturas, habere pariter rationem generis transcendentalis, quippe cùm Deus conveniat cum Creatura in ente, ab ea verò differat essentialiter per infinitatem.

Dices. SS. Patres censent omnem rationem generis & differentiæ à Deo arcendam esse: Ergo neque etiam rationem generis & differentiæ transcendentalis admittere potest. Patet antecedens: Nam S. Clemens Alexand. lib. 5. Stromat. ait, *Deum neque genus esse, neque differentiam, neque speciem, neque individuum, neque numerum*, &c. Et S. Cyrillus Alexand. lib. 55. Thesauri cap. 5. ait, *Deum non habere differentiam substantialem eo quòd simplicissimus sit, differentia autem in compositis solùm inveniatur*: Ergo, &c.

VII.

SS. Patres censent à Deo arcendum genus categoricum non transcendentale.

Respondeo: præfatos Patres & quoslibet alios idem insinuantes, intelligendos esse de genere & differentia prædicamentali, quæ cum limitationem & compositionem ex realitatibus importent, procul sunt à Deo removenda: non autem de genere & differentia transcendentali, quæ nullam realitatem, sed solùm conceptuum diversitatem important, quod luculenter animadvertit *Rusticus Diaconus* in Dialogo contra Acephalos; ubi hæretico ei objicienti, *Vnum summumque genus habere Divinitatem, atque Humanitatem*; SUBSTANTIAM *enim generalissimum genus esse Divinitatis & humanitatis, quæ est per semetipsum subsistens*: ita respondet, PER SE SUBSISTENS, *cum de Deo dicitur, significat quod nullius alterius ad hoc ut sit, indiget; cum verò de creaturis, nequaquam; à Creatore enim esse sumpserunt.... Igitur etsi unum nomen est substantiæ, non tamen una res: non est igitur commune genus substantiæ Deitati & carni: sed nomen commune tantummodo; hoc verò genus non est.*

Instabis. Ratio generis categorici in Deo reperiri nequit: Ergo nec transcendentalis. Antecedens patet ex dictis. Consequentia probatur. Ideo genus Categoricum reperiri nequit in Deo, quia, cùm quidquid in Deo est, sit infinitum; nihil in eo potest habere rationem partis: Omne enim totum, est majus sua parte: Infinito autem nihil est majus: sed genus quodcumque, sive categoricum, sive transcendentale necessariò habet rationem partis; siquidem cum differentia concurrit ad constituendam essentiam. Ergo quâ ratione genus categoricum à Deo arcendum est, eâdem & transcendentale est removendum.

VIII.

Quod nam sit discrimen inter utrumque

Nego consequentiam, & ad majorem illius probationis dico, non repugnare infinitum habere rationem partis, non per modum realitatis, sed per modum formalitatis quæ non dicat adæquatè totam essentiam rei formaliter; nam certum est in ipso Deo rationem substantiæ infinitæ formaliter distingui à ratione substantiæ spiritualis infinitæ. Adde quòd licet Attributa divina sint infinita, videntur tamen habere rationem partis respectu ipsius Essentiæ Divinæ: siquidem ex ipsis & essentia divina Deus totus constituitur & velut integratur.

Ad id autem quod dicitur, infinito nihil esse majus. Respondeo infinito nihil est majus, realiter, transeat; formaliter, nego: Potest enim fieri quod aliquid sit majus uno infinito formaliter: Si nempe cùm ex se sit iam formalitas infinitè perfecta, aliam sibi adjunctam & realiter identificatam habeat formalitatem etiam infinitè perfectam: Sic Essentia divina, v. g.

quæ ex se est infinitè perfecta præscindendo ab attributis, dici potest perfectior quando concipitur cum ipsis attributis etiam infinitè perfectis: Ergo licet nihil in Deo possit habere rationem partis per modum realitatis ex quô desumatur ratio generis Categorici, non tamen repugnat in eo aliquid habere rationem partis per modum formalitatis, ex quà desumatur ratio generis Transcendentalis.

Conclusio Secunda.

IX. *Non componitur Deus ex personalitatibus.*

PERSONALITATES *Divinæ licet formaliter ab Essentia distinctæ, nullam tamen cum ipsa veram compositionem efficiunt.* Hæc Conclusio satis superque probata manet ex iis quæ diximus de attributis divinis, quæ licet ab Essentia divina formaliter discrepent, tamen cum ea nullam compositionem efficere demonstravimus. Nihilominus eam ulterius probo.

Probatur 1. Ex summa identitate Dei.

Primò quidem ex summa Dei identitate. Omnis vera compositio fieri debet ex duabus realitatibus: sed Personalitas & Essentia divina non sunt duæ realitates: Ergo nullam compositionem efficiunt. Major patet ex 2. Notabili. Minor probatur ex S. Bernardo libro 5. de Consideratione ad Eugenium cap. 8. *Personarum*, ait, *proprietates non aliud quàm Personas, ipsasque non aliud quàm unum Deum, unam divinam Substantiam, unam divinam Naturam, unam divinam & summam majestatem Fides Catholica confitetur.* Idem loquitur Eulogius Alexandrinus, apud Photium pag. 457. *Asserunt*, inquit, *aliqui Hypostasim complexionem esse substantiæ & proprietatum, quod apertè compositionem introducere videtur. Et ubi est illa in Trinitate simplex Divinitas & compositionis expers?* Nimirum si Personalitas ab Essentia distinguatur, ut realitas à realitate. Hanc ipsam summam identitatem Essentiæ divinæ cum Personis, disertis verbis indicat sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 10. Thes. *Cum non composita sed simplex natura Deitatis sit*, inquit, *nunquam in duas Personas, Patris, Filii cogitatione distingueretur, nisi quædam inveniretur differentia; non secundùm Essentiam, sed secundùm Relationem, & quasi extrinsecùs, idest extra essentiam intellecta: per quam utrinsque Persona in propria hypostasi constituitur, & in unitatem Deitatis propter identitatem naturalem constringitur, ut nulla confusio fiat & quasi mixtio Patris, & Filii:* Quibus apertè indicat nullam inter Divinas Personas intercedere compositionem, nec earumdem cum Essentiâ Divinâ propter scilicet summam illarum essentialem identitatem.

Ex summâ Dei Actualitate.

Probatur 3. Conclusio ex summa ACTUALITATE Dei: Omnis vera Compositio fieri debet ex duabus realitatibus aut formalitatibus quarum una habeat rationem actûs, alia verò rationem potentiæ determinabilis; sed cùm Deus sit ens actû, nullam potentialitatem involvit, nec ullam potest habere rationem potentiæ: Ergo nec compositionem admittere. Hæc satis superque patet ex his quæ diximus, tum in demonstranda Dei Existentia, ratione petitâ ab ente necessariò & actu: tum in probanda distinctione formali attributorum ab Essentiâ Divinâ.

Dices. Ubi est unio, ibi est compositio: sed inter Personalitates divinas & essentiam est A unio: Ergo & compositio. Minorem probant SS. Patres, qui & naturam divinam cum Personis & Personas invicem uniri affirmant. Sic S. Athanasius lib. contra Sabellianos. *Trinitas*, inquit, *verè existens conjuncta est interrumpente nullo.* Et S. Gregorius Naz. oratione 23. *Unitatem*, inquit, *in Trinitate, & Trinitatem adorari in unitate, cujus admirabilis & divisio sit & unio.* Item *S. Augustinus* sermone 189. de tempore, proprietatibus dividi; sed naturâ sociari tres Personas asserit.

Respondeo 1. negari posse majorem, unio namque non semper infert compositionem; B siquidem entia completa, putà lapides, invicem uniuntur in domo unitate aggregationis, non tamen idcirco componuntur; compositio enim est eorum unio quorum unum habet rationem actus, & aliud rationem potentiæ.

Respondeo 2. negando minorem, & ad SS. Patres dico, eos his aut similibus loquendi modis non intendere aliquam perfectam intercedere unionem, tum inter Personas ipsas, tum cum Essentiâ Divinâ; sed solùm perfectam unitatem essentialem, & eos insinuare Divinitatem communicari tribus Personis sine ulla sui divisione, & diversitate, ne videlicet Deorum pluralitatem inducere viderentur; Unde Arianis crebrò exprobrabant; quòd ipsius Dei- C tatis divisione pluralitatem Deorum inducerent; *Si variaret*, inquit S. Gregorius Nyssenus, *diversaque esset, ut errore decepti suspicantur, in sancta Trinitate, natura, consequens esset ut in multitudine Deorum numerus dilataretur; quod cum substantia diversitate subjecta ipsa dividerentur.*

Quod egregiè prosequitur *Cardinalis Bessario* lib. de Process. Spiritus sancti; *Substantia*, inquit, *& hypostasis in unaquaque divina Persona res una sunt; atque ita una, ut sola ratione invicem discernantur. Nam si reipsa invicem Persona sive hypostasis, & substantia differret, essent quemadmodum Persona tres reipsa, sic & tres* D *substantiæ:* Id est essentiæ; hoc autem contrarium est fidei.

Instabis. Ubi est determinabile & determinativum, ibi est potentia & actus, ac proinde compositio: sed essentia est determinabilis & personalitas determinativa ipsius, ut cum ea personam constituat: Ergo inter personam & essentiam est compositio.

Distinguo majorem: Ubi est determinabile & determinativum, ad modum vel materiæ & formæ, vel generis & differentiæ, ibi est compositio, concedo: Ubi est determinabile non per modum potentiæ indifferentis ad hunc vel illum actum, sicut materia est indifferens ad E hanc vel illam formam, & genus ad hanc, vel illam differentiam; sed per modum actûs constituentis, & concurrentis cum altero actu ad rem constituendam quæ sit actus purus, nego: Essentia autem divina non est determinabilis per personalitatem priori, sed posteriori modo; hæc enim cùm sit actus purus, concurrit ad constituendam Personam divinam.

Urgebis. Ex unione actûs cum actu, non fit ens per se, sed per accidens: Ergo, vel Persona divina, quæ constituitur per essentiam, & Personalitatem, non fit ex actu & actu, & sic verè componitur; vel non est ens per se, sed per accidens, quod asserere impium esset.

Distinguo antecedens. Ex unione actûs cum actu non fit ens per se, in creatis, concedo; quia nisi unita creata invicem coalescant per modum actûs & potentiæ ad tertium constituendum, nihil habent in se quô possint invicem identificari: secùs est autem in divinis, quia cùm infinitas divina identificet realiter ea omnia quæ in Deo sunt, præter Relationes Personales, quæ idcirco non dicuntur infinitæ; hinc fit quod per unionem actûs cum actu in Deo non fiat ens per accidens, sed per se, propter summam utriusque identificationem.

QUÆSTIO QUARTA.

An summa Simplicitas soli Deo conveniat?

CUM hoc præcipuum discrimen statuatur inter attributa & modos Essentiæ divinæ, quod illa Deo simul & creaturis tribuantur; hi verò soli divinæ Essentiæ congruant, ut exacta habeatur divinæ Simplicitatis notitia, evidenterque pateat an inter modos annumeranda sit; operæ pretium est hîc resolvere num soli Deo conveniat. Quod ut fiat apertiùs,

I. *Notandum* 1. duplicem generatim distingui posse Simplicitatem, aliam quidem entis, aliam virtutis: Prior negat omnem compositionem, posterior dissimulationem excludit: illa denotat imperfectionem in creaturis; res enim creata simplex cùm non habet adjunctas sibi aliarum rerum perfectiones, inde fit ut eò minus sit perfecta, quò magis simplex: hæc verò summam perfectionem importat: Unde maximè eam commendat Christus his verbis, Matthæi 10. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Hac enim simplicitate perficitur & integratur spiritualis homo, qui ut sit perfectus, debet esse simplex quidem in mente, simplex in corde, simplex in ore, simplex in opere. In mente, per veritatis notitiam, & assertionem; in corde per charitatis fervorem; in ore per sermonis sinceritatem, & ingenuitatem; in opere per justitiam, & sanctitatem, ut hominis Christiani nitor eluceat, dicente Christo Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit, & sicut lucerna illuminabit te.*

Duplex est Simplicitas, alia entis, alia virtutis.

II. *Notandum* 2. Composita distingui posse triplicis generis: quædam enim componuntur ex his, quædam cum his, alia post hæc. Illa dicuntur componi *ex his*, quæ constant partibus invicem unitis; sic species componitur ex genere & differentia, corpus physicum ex materia & forma, & humanum ex capite, brachiis, pectore, &c. Illa verò dicuntur componi *cum his*, quæ licet in se non videantur composita, nec constent partibus, tamen ex se ordinantur ad compositionem alterius: sic genus & differentia ordinantur ad constituendam speciem, materia & forma ad componendum corpus, &c. *Denique* illa dicuntur componi *post hæc*, quæ scilicet constituuntur ex forma superveniente post unionem materiæ cum forma; sic post unionem animæ cum corpore, forma universalis hominis, nimirum humanitas, advenit ut hominem ex integro constituat. Prima compositio vocatur *Passiva*, quia per eam res constituitur. Secunda *Activa*, A quia rem constituit. Tertia *Denominativa*, quia rem non informat, sed denominat.

Composita sunt triplicis generis alia *ex his*; alia *cum his*; alia denique *post hæc*.

Compositio horum vocatur *Passiva*, *Activa*, *Denominativa*.

III. *Notandum* 3. præter duplicem generalem compositionis differentiam, Physicæ nimirum & Metaphysicæ, quarum quælibet fit quatuor modis, ut supra notavimus: Duplex iterum compositionis genus à Doctore Subtili in 1. *d.* 8. *q.* 2. *n.* 2. assignari. Aliud quidem ex *actualitate & possibilitate*, quô fit ut cùm nulla creatura necessariò existat, nulla etiam est quæ non sit potens non existere, ac proinde quæ non dicat potentiam ad actum: quidquid enim ex nihilo formatum est, potest iterum in nihilum abire ut rursus producatur si Deus ita voluerit. Cùm enim creatura existens media sit inter Deum summum ens & possibilia B quæ sunt vicina nihilo, etiam participat simul de actualitate Dei, & de possibilitate rerum capacium existentiæ, seu possibilium. Alterum autem compositionis genus est ex *Entitate positiva* & ex *privatione* alicujus gradus & perfectionis entis: Cùm enim creatura in se non contineat quaslibet entis perfectiones, consequens est ut illa componi videatur, tum ex perfectionibus quas habet, tum ex negatione perfectionum quas non complectitur. His prælibatis, sit

Duplex iterum à Doctore admittitur compositionis genus, præter illam generalem Physicam & Metaphysicam.

CONCLUSIO UNICA.

IV. C SOLUS *Deus est omnino Simplex.* Hæc est omnium Theologorum, & eam sic probat Doctor: Omnis creatura aut est substantia, aut accidens: Si *Accidens*, necessariò exigit in substantia recipi tamquam in subjecto, & sic potest componere cum subjecto unum compositum per accidens: Si est *Substantia*, aut est substantia constituta ex partibus realiter distinctis; v. g. materia & forma; aut non est sic constituta. Si *primum*, illa erit propriissimè composita, & consequenter non erit simplex: Si *secundum*, aut erit completa substantialiter, aut incompleta: *Si incompleta*, poterit D cum altera sua comparte facere unam per se substantiam, sic materia prima cum forma substantiali efficit corpus organicum. Si *completa*, poterit in se recipere accidens, & sic componere cum accidente compositum per accidens conflatum ex illa substantia & accidente.

Solus Deus est omnino Simplex.

Quod autem possit quælibet substantia creata recipere accidens aliquod, patet, quia si aliqua non posset, maximè substantia perfectissimè spiritualis, nempe Angeli: sed Angeli possunt recipere intellectiones & volitiones quibus intelligunt & volunt; neque enim illi actus sunt identificati realiter ipsis; Tum E quia aliàs essent formaliter & necessariò beati ex natura sua; beatitudo enim illorum consistit in intellectione, aut volitione, aut utraque: Tum quia necessariò intelligerent unica intellectione omne intelligibile, & sic intellectio eorum, & consequenter eorum Essentia, esset infinita: Tum denique quia non dependerent in intelligendo ab ullo objecto, nisi ab eo à quô dependent in essendo; nempe à Deo, & consequenter nihil intelligerent in proprio genere præter Deum; quidquid enim intelligitur in proprio genere, intelligitur cum dependentia ab objecto illo, quod sic intelligitur.

V. Quælibet etiam creatura duos alios habet compositionis modos; siquidem quosdam habet entis gradus, aliis autem plurimis caret. Quamquam enim homo *Microcosmos* & totus mundanæ compositionis compendium sit, quia habet *esse* cum lapidibus, *vivere* cum Plantis, *sentire* cum Animalibus, *intelligere* cum Angelis: & propterea à Christo appelletur *omnis Creatura*, ita hæc verba explicante S. Gregorio, *Prædicate Evangelium omni Creaturæ*, id est, *homini*. Tamen certum est ipsum hominem innumeris defectibus laborare, & pluribus carere perfectionibus, quas in cæteris creaturis relucere conspicimus. Unde non immeritò ejus inanitatem & vacuitatem aperiens Regius Vates ait Psalmo 143. *Homo vanitati similis factus est*. Et Psalmo 38. *Universa vanitas omnis homo vivens*.

Duplex animadvertitur in qualibet creatura compositionis modus.

A

B

Constat pariter omnem Creaturam actum & potentiam simul involvere; nulla namque est, quæ ita tenacem ac immutabilem habeat existentiam, ut quôlibet temporis momentô in nihilum abire non possit. Unde meritò concludendum cum S. Job. *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles; & in Angelis suis reperit pravitatem: quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum consumentur velut à tinea?*

Dices. Quæ nec composita sunt nec divisibilia, nec resolvi possunt in varias partes, sunt simplicia; sed talia sunt plura entia: Punctum enim est indivisibile sicut & unum: materia & forma non sunt compositæ; supremæ genera in alia resolvi nequeunt: Ergo præter Deum pluta sunt simplicia.

C

VI. *Distinguo majorem*: Simplicia sunt, aliqua simplicitate, *concedo*: omnimodâ *nego*. Ad minorem dico, ea quæ proferuntur non esse quidem composita *ex his*, sed composita seu componibilia *cum his*; nam ex unitatibus numerus, ex punctis linea, ex generibus & differentiis species; & ex materiâ & formâ, corpora Physica constituuntur. Er consequenter hæc omnimoda simplicitate simplicia dici nequeunt, cum ex se ad compositionem ordinentur; Deus autem hunc utrumque compositionis modum respuit.

Indivisibilia sunt simplicia tantum secundùm quid.

Quia sunt componibilia cum his.

D

Instabis. Deus etiam componi potest *cum his*: Ergo non est omnimodè simplex. Probatur antecedens. Deus uniri potest, & de facto Verbum unitum est humanitati ut cum ea faciat hominem-Deum: sed hæc unio est vera compositio. *Probatur*. Talis est unio Verbi cum natura humana, qualis est unio animæ cum corpore; sed hæc est perfecta compositio. Ergo & illa. Major constat ex illo effato S. Athanasii in Symbolo, *Sicut anima rationalis & caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus*.

E

VII. *Nego majorem*, & ad minorem illius probationis dico: Unionem Verbi cum humanitate potius esse terminationem dependentiæ & communicationis hypostaticæ, quàm compositionem; Omnis namque perfecta compositio fit vel ex partibus quæ sese mutuò perficiunt, vel ex iis quæ invicem uniuntur per modum actus & potentiæ; Verbum autem divinum habere nequit rationem actus & partis, hæc enim imperfectionem redolent, quæ longè est à Deo removenda; & consequenter ipsius unio cum natura humana nequit esse vera compositio.

Vnio Verbi divini potius est dicenda terminatio, quam compositio.

Ad authoritatem S. Athanasii dico paritatem assumptam in eo solùm consistere, quod quemadmodum anima rationalis per unionem cum carne non inquinatur, nec transmutatur, ita nec Verbum aliquid detrimenti patitur per sui unionem cum humanitate; Unde præmiserat S. Athanasius, *Vnus omnino non confusione substantiæ, sed unitate Personæ*.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Infinitate Dei.

IAM dictum est in tertio notabili Quæstionis quartæ de Essentia divina, duplicem a Doctore Subtili in 4. d. 3. q. 5. n. 32. in Deo distingui posse Infinitatem, nimirum *fundamentalem* & *formalem*. Diximus pariter priorem esse formale constitutivum & distinctivum Essentiæ Divinæ; posteriorem autem esse modum ipsius Essentiæ, quæ tam in se quam in omnibus suis perfectionibus non est limitata, nec ad certos perfectionis gradus arctata, sed omnimodè infinita & interminata. De priori satis superque dictum est agendo de Essentia Divina: de posteriori autem nonnulla hoc in Articulo sunt discutienda.

QUÆSTIO PRIMA.

An & quomodo probari possit Deum esse Infinitum?

NOTANDUM 1. Cum nostro Bassoli in 1. d. 2. q. 2. a. 1. Infinitum dici, id quod termino caret: quod fit duobus modis, *privativè* nimirum & *negativè*. Priori modo *Infinitum* illud dicitur, quod ex se terminum non habet, sed habere potest. Sic materia prima à Platonicis dicitur infinita, quia ex se non habet ullam formam à quâ terminetur & actuetur; sed est in potentia ad quaslibet omnino formas excipiendas, à quibus informetur & determinetur. Posteriori modo, *Infinitum* dicitur, quod nec est finitum ex se, nec finibile per alterum; sed in se complectitur formaliter aut eminenter omnem omnino excogitabilem perfectionem. Prius infinitum dicitur imperfectissimum, quia nihilo vicinum, estque pura potentia Physica; Posterius autem perfectissimum est, quia actus est purissimus omnem imperfectionem & potentiam excludens. Prius dicitur à Philolao Pythagorico, *malignitas, tenebræ, &c.* Posterius vero ab eodem appellatur *benignitas Deique splendor*. Orpheus autem *prius infinitum* vocat *confusionem & chaos*; *posterius* autem *distinctionem & ornatum*. I.

Infinitum sumitur privativè & negativè.

Notandum 2. Infinitum *negativè* dictum, rursus esse duplex, aliud nimirum *secundum quid*, aliud verò *simpliciter & absolutè*. *Prius* est quod in certo quodam entium genere infinitum dici potest. Sic v. g. *Continuum* dici potest infinitum in quantitate, quia non tot assignati possunt illius partes quin plures supersint numerandæ & assignandæ: sic pariter, si Sol haberet lumen infinitum, & ignis calorem infinitum, ille diceretur infinitus secundùm lumen, hic autem secundùm calorem; *Posterius* verò quod in omni genere perfectionis infinitum est, quia II.

Infinitum negativè duplex iterum esse dicitur.

totam entis amplitudinem formaliter vel eminenter in se continet; adeò ut nulla species nullaque perfectio in entium universitate concipi possit, quæ in illo non reluceat.

III. *Duplicem affert Aristoteles infiniti definitionem quæ convenit Dei infinitati.*

Notandum 3. duplicem in Aristotele *lib.* 3. *Physicorum cap.* 6. reperiri Infiniti definitionem, *Primam* quidam ab Antiquis traditam, qui infinitum id esse volebant, *Cujus extra nihil est*; id est, quod in se vniuersa ita complectitur, ut nulla sit perfectio, nec rerum entitas, quam in se nobili modo non contineat: *Posteriorem* verò tradit ipsemet Aristoteles, priori velut oppositam, infinitum dicens esse, *Illud cujus semper aliquid est extra*; quod scilicet exhauriri dividendo nunquam potest. Hæc utraque definitio infinitati Dei congruit: est enim sic infinitus, ut comprehendi nequeat; ac proinde semper restet aliquid illius, quod nondum capitur, ac cognoscitur: ita pariter omnia in se continet, ut nihil extra se relinquat; nam ut loquitur Justinus Martyr Quæstione ad Orthodoxos, *Summè perfectum est, id quod nulla in re accessionem, vel incrementum potest accipere.* An autem hanc infinitatem Deo convenire ratione efficaci demonstrari & authoritate suaderi queat, hic est resolvendum.

Conclusio Prima.

IV. *Deus infinitus demonstratur ratione quadruplici*

RATIONE *naturali demonstrari potest Deum esse Infinitum.* Hanc conclusionem cum Suis probat Doctor in 1. d. 2. quæst. 2. num. 2. quatuor rationibus, petitis 1. ex ipsius virtute effectiva, 2. ex virtute intellectiva, 3. ex illius appetibilitate, 4. ex eminenti illius dignitate.

Prima ex Virtute productiva.

Primam sic formo; Illud ens quod ex se posset producere infinitas species distinctas, si illæ essent possibiles, habet necessariò virtutem infinitam, ac proinde essentiam infinitam: sed Deus posset producere infinitas species diversas, si illæ essent possibiles: Ergo habet virtutem, ideoque essentiam infinitam. Major patet, Primò quidem quoad illationẽ infinitæ essentiæ ex infinitate virtutis: cùm enim virtus operativa fundetur in essentia & ab ea emanet, unde vulgatum axioma *Operari sequitur esse*; evidens est quòd quò major est virtus, eò perfectior sit essentia; & consequenter quòd virtus infinita perfectionem & essentiam infinitam arguat.

Patet etiam eadem major quantùm ad illationem infinitæ virtutis ex infinitis effectibus specie distinctis, quos illa posset producere, si tales effectus essent possibiles; Cùm enim quælibet species producibilis, habeat distinctam perfectionem ab alia specie, evidens est quod si species producibiles essent infinitæ, infinitæ pariter essent perfectiones producibiles; & consequenter cum causa eò sit perfectior quò potest plures perfectiones producere; rectè sequitur eam causam esse infinitè perfectam, quæ potest infinitas perfectiones producere.

Minor etiam est evidens, quia cùm Deus sit prima Causa, ac proinde habens in se causalitatem omnium causarum inferiorum, & potens producere quidquid est producibile, sequitur quod si infinitæ rerum species essent possibiles, etiam eas posset producere; non enim magis determinaretur illius virtus ad unum numerum, quàm ad alterum, ac proinde posset se se extendere ad infinitum. Si enim limitaretur, id esset vel à se, vel ab alio; non ab alio, alioquin non esset prima, & suprema: non etiam à se, quia sicut esset omnino independens in esse, ita pariter illius virtus omnino esset illimitata, ac proinde infinita.

Replicabis 1. Specierum multiplicationem in infinitum videri impossibilem, siquidem in quolibet genere datur aliqua ita perfecta, ut ea perfectior non possit assignari: Ergo ex illis infinitis speciebus impossibilibus non rectè colligitur virtus infinita in Deo.

V. *Species possunt multiplicari in infinitum.*

Respondeo 1. Negari posse antecedens; licet Doctor id videatur probabiliter affirmare; nulla enim apparet ratio limitandi creaturarum species ad determinatum aliquem numerum certamque perfectionem, ultra quam major & major non possit produci. Quis enim diffitebitur, posse plures alias & semper perfectiores florum, plantarum, vel aliarum creaturarum species de novo produci? Quis negabit aliud cœlum addi posse supra Empyreum, sicut Empyreum additum fuit supra Firmamentum, & ita deinceps usque in infinitum?

VI. *Obiectum divinæ potentiæ est non solùm ens possibile absolutè, sed etiam sub conditione.*

Respondeo 2. Negando consequentiam, quia objectum Potentiæ divinæ, non tantùm est effectus possibilis absolutè; sed etiam possibilis sub quacunque conditione. Hinc verum sit dicere quod si *Chimera* esset verum ens, Deus illam posset producere; & sic de aliis rebus conditionatis quæ produci nequeunt; non quidem defectu virtutis in causa productiva, sed ex repugnantia & defectu possibilitatis in effectu producendo. Itaque sive species in infinitum diversæ, sint absolutè possibiles, sive tantùm hypotheticè, rectè semper infertur ex earum præsupposita possibilitate hypothetica, vel absoluta, quòd virtus quæ eas posset producere, verè esset infinita.

Replicabis 2. Ex infinitis effectibus solò numerò distinctis non licet inferre infinitatem causæ: Ergo nec ex infinitis speciebus. Consequentia patet à paritate rationis. Antecedens probat Doctor ibidem *num.* 26. Non major requiritur virtus ad producendos duos effectus successivè, quàm ad ad unum producendum in uno instanti: sed ad producendum unum ignem v. g. in uno instanti, non requiritur virtus infinita: Ergo nec ad producendos duos ignes successivè talis virtus exigeretur. Consequentia patet, ignis enim infernalis qui conservabitur in æternum, produceret infinitos calores successivè in infinitis corporibus, si successiva infinita ei applicarentur, nec tamen ignis ille erit infinitæ virtutis; similiter Sol & cœlum si perseverent in æternum, causabunt infinitos effectus illuminationis & influentiæ, nec tamen exinde sequetur illa habere virtutem infinitam.

VII. *Major requiritur virtus in producendis rebus specie, quã solò numerò diversis.*

Nego consequentiam, & ratio disparitatis est, quòd ad producendos effectus solò numerò diversos, non alia requiritur in agente virtus & perfectio, sed solùm ejusdem virtutis applicatio in succedentibus illis productionibus: Secus est verò de infinitarum specierum productione, quia cùm species quælibet perfectionem habeat ab alia diversam, etiam diversam perfectionem præsupponit in causa à qua producitur; siquidem tota perfectio effectus pendet à perfectione causæ, quia *Nemo dat quod non habet*, & consequenter causa non posset

dare aliquam virtutem effectui, nisi priùs eam haberet: Ergo rectè sequitur quòd si effectus producibiles habeant infinitas perfectiones, diversas etiam & infinitas perfectiones eorum causa productiva continere debet.

VIII. Secunda Ratio ex *Virtute Intelligendi.* 2. RATIO Doctoris petitur ex infinita Dei cognitione, quæ sic formari potest. Qui necessariò intelligit infinita intelligibilia simul, habet infinitam perfectionem & virtutem intellectivam: sed Deus ea intelligit simul: Ergo, &c. Major constat, eò namque præstantior est vis intelligendi & cognoscendi, quò plura simul percipere & cognoscere potest, & consequenter virtus quæ potest infinita simul cognoscere, necessariò debet esse infinita.

Minor probatur: Illa namque censentur esse infinita, ubi non tot plures possunt cognosci à creaturis, quin multò plura adhuc sint cognoscenda, nec intellectus creatus cognoscendo unum post aliud unquam pervenire potest ad finem omnium: sed tales sunt omnes creaturæ possibiles quas ipse Deus distinctè ab æterno simul cognoscit, nec aliquis negare potest Angelorum & animarum rationalium cogitationes & volitiones v. g. fore plures & plures in infinitum per æternitatem à parte post, nullumque assignari posse terminum & numerum quem illæ non excedant: Ergo Dei intellectus qui ab æterno simul omnes illas cognoscit, debet esse infinitus. Idem dicendum de voluntate & amore Dei, quò distinctè vult & amat simul omnes & singulos actus bonos, sine fine exercendos plures & plures per æternitatem ab Angelis & hominibus beatis.

IX. Tertia ex illius appetibilitate. 3. RATIO Doctoris petitur à ratione causæ finalis & appetibilitatis. Appetitus noster, seu nostra voluntas habet inclinationem naturalem ad amandum bonum infinitum, & in ipsum aspirat tanquam in ultimum finem: Ergo tale bonum existit; si enim ipsum existere repugnaret, voluntas naturali desiderio in id assequendum non propenderet; naturalis enim appetitus non debet esse frustraneus: Ergo cum tale bonum infinitum non repugnet, necessariò debet existere; alioquin non esset bonum infinitum, quia non esset omni bono præstantius; bonum enim existens, præstantius est bono non existente: sed illa ratio summi boni in nullo potest reperiri quàm in prima causa: Ergo prima causa sive Deus debet esse infinitæ bonitatis & perfectionis. *Confirmatur*, Finis est præstantior his quæ sunt ad finem: sed omnia quæ sunt in universo tam existentia quàm possibilia, ordinantur ad Deum tanquam in ultimum finem: Ergo cùm hæc omnia ordinabilia sint numerô infinita, ipse ultimus finis etiam debet esse infinitus.

X. Quarta ex summa Dei perfectione. 4. RATIO Doctoris petitur à dignitate & summa perfectione Dei. Deus est ens quô melius cogitari fingique non potest præstantius: Ergo est infinitus. Probatur consequentia. Quolibet finito cogitari potest perfectius: Ergo nullum finitum potest esse id quô meliùs cogitari nequit. Deinde, Deus est ens summæ & excellentissimæ perfectionis: Ergo est infinitus. Probatur antecedens. Illud ens solùm est summæ perfectionis, quod habet omnem perfectionem enti non repugnantem; sed infinita perfectio enti non repugnat: Ergo, &c. Probatur minor: Tum quia si repugnaret infinitas

A enti, illa repugnantia appareret ex terminis; quod manifestè falsum est, cùm non possit afferri gravis aliqua ratio, quæ ipsam repugnantiam suadeat: Tum quia si repugnaret enti infinitas; maximè vel quia finitas intrinsecè conveniret enti ut sic; vel quia esset ipsius proprietas cum ipso convertibilis: non enim apparet quâ alia ratione ipsi infinitas repugnaret: neutrum autem ex iis dici potest. Non *primum*, quia possumus concipere ens ut sic absque finitate, quod fieri non posset si finitas esset de ratione formali ipsius: Non etiam *secundum*, quia non potest ex ratione entis neque ex ullo alio capite concludi B quod finitas sit proprietas convertibilis cum ente.

Confirmatur: Deus est ens à se, quia est primum omnium entium & præstantissimum: Ergo est illimitatum & infinitum. Probatur consequentia. Ens à se est perfectissimum quantùm esse & concipi potest: sed ens perfectissimum quô non possit esse neque concipi perfectius, debet esse simpliciter infinitum in perfectione; perfectius enim est esse infinitum simpliciter in perfectione, quàm esse finitum: Ergo cùm Deus præstantissimum sit omnium entium, contineatque formaliter vel eminenter omnes perfectiones rerum finitarum, conse- C quens est, ut sit infinitus.

Adde quòd si limitaretur & finiretur, maximè vel à se vel ab alio: non ab alio, quippe cum causam non habeat; non etiam à se, quia quidquid finitur à se, vel finitur ratione materiæ, vel formæ quibus constat: Deus autem cùm non habeat nec materiam nec formam, etiam nec à se limitari potest & finiri.

Dices. INFINITUM illud est quod superat & transcendit maximum finitum; si enim illud non excedat, manebit intra multitudinem eorum quæ finita sunt: sed impossibile est ut detur maximum finitum: Ergo etiam impossibile ut D detur infinitum. Probatur minor. Si daretur maximum finitum, sequeretur quod illud per additionem unius gradus vel partis finitæ fieret infinitum, & consequenter quod ex duobus finitis infinitum orietur, sic v. g. ex maxima finita quantitate fieret quantitas infinita per additionem unius tantùm palmi vel digiti: Sed implicat ex duobus finitis fieri posse infinitum: Ergo dari nequit maximum finitum. IX. Non potest dari maximum finitum.

Nego majorem, & ad illius probationem dico; ad hoc ut aliquid sit *Infinitum*, non aliud requiri quàm ut excedat in perfectione omne E prorsus finitum, quantumcunque illud sit perfectum; nec requiritur ut detur maximum finitum quod ab infinito excedatur & superetur. Sic v. g. Mathematici cum *Euclide* lib. 5. Element. dicunt *Circulum* esse perfectiorem omnibus figuris rectilineis, quamvis inter illas nulla sit perfectissima; possunt enim in infinitum multiplicari; & *Homo* dicitur perfectissimum omnium animalium, quamvis de facto nullum detur brutum ita perfectum quô perfectiùs dari non potest. Alias objectiones hanc adversus conclusionem fieri solitas, jam solvimus in probanda Dei existentia. XII. Nec minùs propterea infinitum admittitur.

Dices 2. Si probari posset naturaliter Dei infinitas; etiam & probari posset illius Omnipotentia: Sed ex Doctore *in* 1. *dist*. 2. *quæst*. 2. *num*. 27. *& dist*. 42. *& quodlib*. 7. non potest

demonstrari divina ompotentia: Ergo nec infinitas. Major constat: Siquidem *omnipotentia* nihil aliud est quàm *potentia infinita*: Minorem probat Doctor locis assignatis, ubi demonstrat Dei omnipotentiam sola fide esse creditam, nec ulla naturali ratione posse probari.

XII. *Respondeo* 1. *negari posse majorem*. Licet enim omnipotentia idem in rei veritate significet ac potentia infinita; discrepant tamen quantùm ad præcisum & formalem suum conceptum: siqoidem *Omnipotentia* concipitur per ordinem ad omne factibile simpliciter; *Potentia* verò *infinita* cooeipitur per ordioem ad id quod est factibile sioe imperfectione: Cùm enim dubitari posset, an omnia facere perfectionem importet: Philosophi namque noonulli cum Aristotele censuerunt efficientiam quorundam effectuum imperfectionem arguere; hinc meritò ab ipsis dubitatum est Deum esse omnipotentem & omnium effectorem, ne scilicet aliqua imperfectione inficeretur: Cùm autem conceptus potentiæ iofinitæ nullam imperfectionem arguat; imò importet summam perfectionem, hinc nollus dubitat illum esse Deo entium perfectissimo tribuendum.

Discrimen inter omnipotentiam & potentiam infinitam.

Respondeo 2. distinguendo minorem: Omnipotentia Divina non potest demoostrari, quatenus est productiva omnium effectoom naturaliter producibilium, oego: Neque de hoe ullus unquam Philosophus dubitavit: quateoos est productiva rerum ex nihilo & collativa dooorum supernaturalium, putà gratiæ, charitatis, beatitudinis, &c. coocedo: Natura namque nullum medium suppeditat, ad hos effectos probandos.

CONCLOSIO SECUNOA.

XIII. DEi Infinitas etiam *authoritate sacra firmatur*; Etenim ex Scripturis Deus dicitur Job. 30. *excelsior Cœlis, profundior abyssis, &c.* Jeremiæ 32. *Incomprehensibilis cogitatu*. Psalmo 146. *Magnus Dominus & magna virtus ejus, & magnitudinis ejus non est finis*: Et Psal. 95. *Annuntiate in Gentibus gloriam ejus, & omnibus populis mirabilia ejus, quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis*, quæ verba sic expendit S. Augustinus. *Et si tota die diceret Magnus, Magnus, quid Magnum diceret? quoniam Magnus Dominus & laudabilis nimis: Quid enim dictura est lingua parva ad laudandum Magnum? Dicendo* NIMIS, *emisit vocem, & dedis cogitationi quod sapiat, tanquam dicens, quod sonare non possum, tu cogita; & cum cogitaveris, parum erit. Quod cogitatio nullius explicat, lingua alicujus explicat, Magnus enim Dominus & laudabilis nimis.*

Dei infinitas ex sacra Scriptura probatur.

Addunt aliqoi illud Baruch 30. *Magnus est & finem non habet, excelsus & immensus.* Verùm illud de Deo dictum non est, sed de loco possessionis Dei, id est de muodo, cujus magnitudinem exagerat Propheta ot Judæis aperiat quantùm Deo debeant, qoòd præ cæteris gentibus, quibus sunt paociores (ut ibidem notat) fuerint selecti ot essent *populus ejus & oves pascuæ ejus.* Nec tantùm ibi, sed etiam alibi sæpius Infiniti oomen osurpatur metaphoricè. Sic Numerorum 31. *Magna divitiarum copia & jumentorum multitudo* dicitur infinita. Et 3. Regum cap. 3. *Infinitus populus*: Et cap. 10. *Aurum infinitum nimis.*

Repones: Si hæc posteriora verba metaphoricè & amplificatoriè usurpentur, ita quod *Infinitum* idem sit ac *valdè Magnum*, quidni & priora?

Respondeo non esse paritatem, quia Scriptura sacra ubiqoe infinitatem Dei constantissimè prædicat, nec quidquam subjicit unde metaphora deprehendatur; nec olla apparet ratio suadens à genuino Scripturæ seosu esse recedendum.

Adde quod Concilium Lateranense sub Innocentio 3. cap. *Firmiter*, statuit certa fide credendum quod Deus sit immensus & incomprehensibilis; & consequenter sit infinitus. Idipsum firmant SS. Patres, *Magnus est Deus*, inquit S. Dionysius lib. de Divin. Nominib. cap. 9. *& supra omnem magnitudinem & omnem transiliens infinitatem*: Et S. Aogustinos Serm. 1. de verbis Apostoli. *Inæstimabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, ultra omnia, extra omnia, præter omnia*: Et lib. de Speculo cap. 33. *Supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil, ultra quem nihil, infra quem nihil. Deus sub quo totum, cum quo totum, in quo totum. Deus à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.* Et S. Greg. Nazian. Orat. 38. Deum appellat immensum & interminatum essentiæ pelagus. Idem affirmant passim cæteri SS. Patres, qui Deum esse infioitum, & nullis coërceri limitibus prædicant.

Nec-non SS. Patrum authoritate.

QUÆSTIO SECUNDA.

An & quomodo Deus ratione sua Infinitatis omnes omnino perfectiones contineat.

I. NOTANOUM 1. Perfectiones quæ io Creaturis relucent, esse duplicis generis: quædam enim dicuotur simpliciter simplices; aliæ secuodùm quid. Perfectio *simpliciter simplex*, ea dicitur, quæ nullam involvit imperfectiooem, oec excludit aliam æqualem; cujusmodi sunt perfectiones puræ seu absolutæ, ut aliqui loqountur: putà existentia, spiritualitas, &c. quæ à S. Anselmo cap. 14. Monologii, dicitur perfectio quæ est melior ipsa quàm non ipsa, in tota latitudine entis, ut jam notavimus in prima Quæstione præcedentis Disputationis. Perfectio *secundùm quid* ea dicitur, quæ io suo conceptu ita adjunctam habet imperfectionem, ot ab ea separari nequeat; unde absolotè non est melios omni enti illam habere quàm non habere. Sic esse Corpus, etsi respectu lapidis, v.g. melius sit qoàm carere corpore; non tamen melius perfectiusque respectu omnium entium: Siquidem melius est & perfectius esse incorporeum & substantiam spiritualem, ut patet in Angelo & Anima, quàm constare corpore ut cæteræ Creaturæ.

Perfectiones Creaturarum sunt duplicis generis.

II. *Notandum* 2. Perfectiooem aliqoam io alio posse contineri tripliciter: Primò quidem *formaliter*, sicut rationalitas io homine; Secundò *eminenter*, sicut omoes Creaturæ corporeæ in ipso homine, qui parvus mundus seu mondi compendium appellatur: Tertiò *virtualiter*, sicut calor in Sole & planta in semine. Insuper aliquid potest esse in alio eminenter duobus modis: vel formaliter, sicut vegetativum & sensitivum sunt io anima ratiooali, quæ non solùm animæ vegetantis & sentientis emi-

Triplex est continentiæ genus.

Continentiæ *immen*[illegible] duplex modus.

nenter perfectiones continet, sed etiam earum vices obit. 2. Eminenter virtualiter, sicut lux Astrorum in Sole, qui nedum cæteris lucidior, sed etiam luminis parens est & origo. Denique aliquid in alio continetur eminenter formaliter duobus modis, videlicet *perfectè*, quando inferius continetur in superiori à primo gradu usque ad ultimam differentiam, sicut substantia corporea continetur in quolibet individuo naturæ humanæ, quod omnes substantiæ corporeæ gradus & differentias formaliter & nobiliori modo, quàm cætera entia corporea involvit: Vel *imperfectè*, quando scilicet in eo continetur, solùm quantùm ad rationes generales, non autem quantùm ad rationes individuales & athomas. Sic homo quilibet complectitur in se perfectiones omnium prorsus creaturarum, tam spiritualium quàm corporearum.

Continentia Eminentialis formalis duplex iterum modus.

III. *Notandum* 3. aliquid posse dici infinitè perfectum duobus modis, nimirum vel in omni, vel tantùm in certo quodam genere entis. *Priori* modo dicitur infinitum simpliciter & absolutè, quia totam entis & perfectionis amplitudinem & universitatem in se complectitur sine ullo termino, ullaque imperfectione. *Posteriori* verò dicitur infinitum secundum quid, & in determinato genere & speciali perfectionis ordine: Sic v.g. si daretur linea infinita, esset tantùm infinita secundùm rationem quantitatis & longitudinis; ita quòd omnem prorsus longitudinem ex se complecteretur, & excederet.

Aliquid dicitur Infinitè perfectum dupliciter.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. DEus *continet omnes omnino perfectiones*: Hæc est omnium SS. Patrum, & *Probatur*, primò quidem Scripturæ textibus. Ad Romanos 11. *Ex ipso, per ipsum & in ipso sunt omnia*: Et Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt*: Ergo cum non sit ulla perfectio in effectu quæ non fuerit priùs in causa efficiente, consequens est Deum in se continere omnes perfectiones, quas suis creaturis largitur, ut ipsemet indicat Isaiæ 66. *Numquid ego qui alios parere facio, ipse sterilis ero?* Et Psal. 93. *Qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat?* Unde Proverbiorum 8. sibi vendicat omnem perfectionem quæ in hominibus magis elucet, *Mea*, inquit, *prudentia, meum est consilium, mea est fortitudo, meæ sunt divitiæ, & gloria, & opes, & justitia*; Idem affirmant SS. Patres. *Deus* inquit S. Dionysius de divinis Nominibus cap. 5. *omnia est, ut omnium Author*; Et infra, *Universa ipsi entia secundùm unam omnibus eminentem copulationem sunt attribuenda*: Et ibidem, *Cuncta continet secundùm plusquam simplicitatem suam*: Et cap 13. tres ejusdem infinitæ perfectionis rationes suppeditat.

Deus est omnimodè perfectus. Constat ex pluribus SS. Scripturæ textibus.

Item ex SS. Patrum authoritate.

PRIMAM quidem, *quod per se perfectus sit & à se uno modo aquabiliterque definiatur, ac totus per omnia sit perfectissimus*; Hoc est, per se absolutus & perfectus est, nec ab alio suam perfectionem mutuatur; ac proinde omnem omnino perfectionem complectitur, cum nihil sit unde limitari queat ejus divina perfectio.

SECUNDAM autem, quòd perfectionem omnem excedat & à nullo capiatur aut comprehendatur: seu ut loquitur, *Quod perfectionem*

A *superet, ut qui omnibus antecellat ac omnem quidem infinitatem determinet, & ultra omnem terminum explicatus sit: nec ab ullo capiatur aut comprehendatur, sed ad omnia & ultra omnia pertineat, perpetuis progressionibus interminatisque actionibus.*

TERTIAM denique ex eo quòd *principium sit & causa rerum omnium, semperque suis numeris sit absolutus; quòdque minui non possit, ut qui omnia in se anticipata habeat & redundet una & eadem perpetua, atque cumulata quæ minui non potest erogatione, quâ perfecta omnia & perficit & perfectione sua explet.*

Hæc eadem veritas etiam Philosophos Ethnicos non latuit: siquidem Trismegistus B *Deum rerum omnium universitatem* appellavit, & similiter Græci τὸ πᾶν id est *Universum* nominarunt, teste Eugubino *lib. 3. perennis Philosop. cap. 8.* ut significarent in illo omnia eminentissimo & perfectissimo modò contineri. Unde in Oraculo illo, *Magnus Pan mortuus est*, cujos meminit Plutarchus in libro de Oraculorum defectu, Christus vocatur *Magnus Pan*; quia est omnium Dominus, & universa in se continet. Imò & Lucretius, qui ersi vitâ Epicureus, hanc bonorum & perfectionum universitatem in Deo agnovit dicens;

Nec-non & Philosophorum.

Ipsa suis potens opibus, nihil indiga nostri.

Quod fortè mutuatus fuerat à Regio Vate C *Dixi Domino Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges.*

V. *Probatur* eadem veritas ratione. Quod est infinitum in aliquo genere, omnes omnino perfectiones illius generis continet, v.g. si daretur lumen infinitum, omnem prorsus lucem in se complecteretur, alioquin non esset infinitum lumen; cùm per additionem alterius luminis posset augeri: sed Deus est infinitus in genere entis, ut probatum est: Ergo omnes omnino entis perfectiones in se complectitur. Deinde, Quæ divisa sunt in inferioribus, in superioribus eminentiori modo uniuntur. Sic anima vegetativa, & sensitiva præstantiori modò sunt in homine quàm in brutis & planD tis; lux clariùs emicat in Sole luminis parente & origine, quàm in Astris & cæteris corporibus lucidis quæ ab ipso lumen mutuantur: Ergo cùm Deus sit supremum omnium entium, in ipso cæterorum perfectiones debent adunari. Denique Creaturæ dicuntur entia per participationem, quia in tantùm perfectæ sunt, in quantùm à Deo perfectionem accipiunt: sed non possent accipere à Deo perfectionem, nisi illam ipsa præcontineret, nemo namque dat quod non habet: Ergo Deus in se continet omnes omnino perfectiones quorumlibet entium.

Item ratione validissima.

CONCLUSIO SECUNDA.

E VI. DEus *in se continet formaliter & eminenter perfectiones omnes simpliciter simplices.*

Probatur, Cùm Deus sit id quò nihil majus aut melius excogitari potest; ei tribuendum est quidquid est perfectius & melius: sed perfectio simpliciter simplex est melior ipsa quàm non ipsa: Ergo illa est formaliter Deo tribuenda. Deinde Ens infinitè perfectum, debet in se continere nobiliori modo omnes perfectiones quæ nullam in suo conceptu imperfectionem redolent: sed tales sunt perfectiones simpliciter simplices; Ergo sunt Deo formaliter tribuendæ.

Omnes perfectiones simpliciter, simplices sunt in Deo formaliter & eminenter.

Denique

Denique illa Deo conveniunt formaliter, quæ de ipso formaliter prædicaotur: sed perfectiones simpliciter simplices formaliter de Deo prædicantur: Ergo ipsi conveniunt formaliter.

Quod autem eas etiam contineat *Eminenter*, inde patet, quod ipsas complectatur nobiliori ac præstantiori modo quàm in creaturis reperiantur; siquidem in ipsis sunt accidentia, in Deo verò substantiæ sunt: Deus enim, ut probatum est, nullum excipit accidens; & cùm sibi identificet realiter quidquid in se continet, non potest habere diversas illas & oppositas rationes substantiæ & accidentis. *Deinde* perfectiones illæ in creaturis finitæ sunt & limitatæ; in Deo verò infinitæ sunt & limitationis expertes; quidquid enim in Deo est, formaliter infinitum est.

XX. *Cur Deus ab Antiquis sit appellatus Sphæra.*

Unde ut notat *Nicolaus Chusa* lib. 1. de docta ignorantia; Deus meritò ab Antiquis dictus est Sphæra, *Cujus centrum ubique & circumferentia nullibi*, ad declarandam divinæ magnitudinis infinitatem. Si enim daretur Sphæra infinita, nedum secundùm se totam; sed etiam secundùm singulas ejus partes, esset infinita: omnes quippe lineæ à circumferentia ad centrum ductæ, in infinitum protenderentur, omnes superficies in infinitum vergerent, ipsa denique altitudo & profunditas nullum haberent terminum; sicque secundùm omnes suæ magnitudinis dimensiones undequaque esset infinita. Ita à pari Deus revera dicendus est infinitus, quia quidquid in eo concipitur, infinitam habet perfectionem; infinita enim est ejus sapientia, illimitata bonitas, incircunscripta veritas, æterna duratio, immensa præsentia, interminabilis potentia, incomprehensibilis Essentia; quæ omnia sanctus Bernardus lib. 5. de Consid. cap. 13. luculenter explicat. *Æternitas*, inquit, *hæc tam longa, ut non habeat terminum; Charitas, quæ omnem affectionem in infinitum excedit; Scientia quæ omnem sapientiam includit imò superat; Essentia quæ omne ens anticipat.* Quibus denotat nullam excogitabilem in Deo perfectionem quæ non sit infinita; ac proinde quæ longè præstantiori modô in Deo, quàm in creaturis reperiatur.

Conclusio Tertia.

XXI. *Deus non continet formaliter in se perfectiones Secundùm quid.*

Perfectiones secundùm quid, *non sunt in Deo formaliter, sed tantùm eminenter aut virtualiter.*

Probatur prima pars. Deus cum sit ens perfectissimum omnem imperfectionem à se removet, sed perfectiones secundùm quid in suo conceptu imperfectionem involvunt, ut patet ex eorum definitione; Ergo illas Deus non continet formaliter. *Deinde*: Quæ sunt in Deo formaliter, etiam formaliter de ipso prædicantur: sed perfectiones secundùm quid, de Deo formaliter prædicari nequeunt, aliàs verum esset dicere quòd Deus ita propriè diceretur leo aut lapis, aut corpus, sicut dicitur sapiens, justus, &c. sicque mirandum esset monstrum ex omnibus creaturis compositum & omnium imperfectionum centrum & receptaculum. *Denique*: Ens infinitum omnem à se limitationem excludit: sed Deus est ens undequaque infinitum; perfectiones autem secundùm quid, limitatæ sunt & finitæ: Ergo illas Deus à se removet, nec formaliter complectitur.

Sed tantùm Eminenter aut Virtualiter.

Probatur secunda pars. Deus est causa omnium prorsus entium, & proinde perfectionum omnium quæ in creaturis reperiuntur: sed omnis causa virtualiter præcontinet suum effectum, effectus namque est participatio entitatis & perfectionis ipsius causæ: Ergo, &c.

Quod autem ipsas etiam contineat eminenter; inde patet, quod continentia eminentialis ea dicatur, quâ vel aliquid eminentioris naturæ potest alterum producere, qualiter omnis causa æquivoca magis principalis vel totalis suum effectum continet; vel quâ aliquid ratione suæ perfectioris entitatis id totum exequitur sine ulla imperfectione quod aliud non nisi cum imperfectione præstat. Sic anima rationalis continet animam bruti, & animam plantæ; & intellectus phantasiam, & hæc sensus internos: sed hôc utrôque modô Deus omnes creaturarum perfectiones continet. Illarum enim nedum est author & origo, sed & ratione suæ infinitæ entitatis omne prorsus ens involvit; non quidem formaliter, sed eminenter & virtualiter, idque longè perfectiori & eminentiori modô quàm animalia & plantæ contineantur in virtute Solis & cæterorum astrorum. Sol namque & cætera astra non concurrunt nisi medio lumine & influxu ad formandas dispositiones corporis animandi, vitam autem ipsam ex se præcisè non tribuunt; Deus autem nedum corpus effingit, sed & animam procreat, & vitam tribuit. Hinc meritô monet sanctus Dionysius, *Lib. de Divinis nominibus cap.* 13. omnia de Deo affirmari quodammodo & negari; eumque meritò appellari *omnium positionem*, & *omnium ablationem*, quia eminenter ponit omnia tanquam ea continens; & formaliter omnia aufert, quia à se excludit omnem rationem formalem creatam & imperfectam.

Quæres an Deus sit aliquid majus aut perfectius cum Creaturis, quàm si Solus esset?

Deus cum Creaturis non efficit aliquid intensivè perfectius.

Respondet Doctor Subtilis, *Quæst.* 5. *quodlibetica num.* 8. Deum cum Creaturis non esse aliquid majus & perfectius *Intensivè* quàm sit ipse Solus. *Patet* hujusce responsi veritas ex illis omnibus Scripturæ textibus, quibus agendo de esse Divino, probavimus Creaturas cum Deo comparatas, esse quasi nihil; *Omnes enim gentes*, inquit Isaïas, *quasi non sint, sic esse coram eo, & quasi nihilum & inane reputari.* Quod priùs docuerat David dicendo Psalmo 38. *Substantia mea tanquam nihilum ante te*: sed ex accessione nihili non crescit esse, sed potius decrescit: Ergo ex additione creaturarum non augetur nec crescit divina perfectio.

Deinde; Infinitum ex additione alicujus finiti non potest fieri majus: sed Deus est simpliciter infinitus, creaturæ verò finitæ sunt & limitatæ: Ergo illæ simul cum Deo non efficiunt aliquid majus, & perfectius quàm sit Deus ipse. Minor constat. *Major* probatur: Infinitum illud est quod in se continet quidquid perfectionis habere potest ex sua ratione formali; ac proinde non potest ulteriorem ejusdem

rationis perfectionem excipere. Sic v. g. tempus additum æternitati non auget nec extendit durationem ipsius, quia omnes illæ durationes inferiores, eminentissimô modô in æternitate continentur.

Denique: Deus est omne bonum, ipsômet Moyse dicente Exod. 33. *Veni ostendam tibi omne bonum*: Ergo ex se omnem prorsus bonitatem & perfectionem ita involvit, ut nihil possit illi adjici quod ille non præcontineat: Unde sicut si Angelus bis poneretur, simul adunatum ex ipso bis posito non esset aliquid melius quàm erat solus: Ergo meritò concludit S. Augustinus tract. 11. in Joan. *Si fueris sine Deo, minor eris; si fueris cum Deo, major Deus non erit: non ex te ille major, sed tu sine illo minor.*

Sed tantùm extensivè.

Respondeo 2. Deum cum Creaturis efficere aliquid perfectius *Extensivè* quàm sit solus Deus. *Probatur.* Ubi sunt perfectiones realiter distinctæ nec inter se identificantur, ibi una alteri superaddita facit majus extensivè, quia bonum additum bono sibi non identificato realiter, efficit plura bona: sed perfectiones rerum creatarum ut sunt in Deo realiter, distinguntur ab iisdem ut sunt in ipsis Creaturis: Ergo Deus & Creaturæ simul sumptæ sunt aliquid perfectius extensivè quàm sit ipse solus Deus.

Confirmatur. Idcirco tres adorandæ Trinitatis Personæ non efficiunt aliquod majus & præstantius bonum quàm sit solus Pater, ut affirmat S. Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 10. dicendo; *In illa summa Trinitate tantùm est una quantùm tres simul; nec plus aliquid sunt duæ quàm una*: quia nimirum invicem identificantur in Essentia divina: Ergo à contrario, quia perfectiones Creaturarum quæ sunt in Deo sive formaliter, sive eminenter, non identificantur omnimodè cum iis quæ sunt in Creaturis; imò realiter ab iisdem distinguntur, consequens est ut Creaturæ simul cum Deo efficiant aliquid extensivè perfectius quàm sit ipse solus Deus.

Quæres 2. *an* INFINITAS *sit specialis aliqua Divinitatis perfectio?*

Infinitas est specialis Dei perfectio.

AFFIRMO: Siquidem illa specialis est Dei perfectio, quæ ab eo removet specialem Creaturarum imperfectionem: sed infinitas ab eo removet rationem limitationis & finitatis quæ imperfectionem redolent: Ergo est specialis aliqua perfectio. *Deinde*; Alius est conceptus infinitatis, alius verò cæterorum modorum Essentiæ divinæ; dum enim Deus concipitur ut infinitè perfectus, præcisè non attenditur ejus æternitas, aut invisibilitas, &c. Ergo cum habeat conceptum distinctum, etiam & distinctam perfectionem importat. *Denique*: Illa censetur specialis perfectio, quæ cæterarum videtur fons & origo; quæque ratio est cur aliæ perfectiones Deo convenire demonstrentur: sed talis est infinitas; idcirco namque Deus censetur æternus, v. g. immensus, &c. quia nempe infinitus est in duratione & Præsentia: Ergo, &c.

Hic ab Authoribus agitari solet utrum solus Deus ita sit infinitus ut nec ulla Creatura infinita possit esse tam intensivè quàm extensivè: Verùm quoniam hoc in Physica nostra abundè jam demonstratum est, nihil præter Deum infiniti rationem habere posse, ab his resolutionibus hîc supersedendum duxi.

ARTICULUS TERTIUS.

De Immensitate Dei.

I. Infinitas Immensitati est affinis.

TANTA *est* divinæ *Infinitatis* cum *Immensitate* affinitas & necessitudo, ut alterutrius nomen ad incomprehensibilem Dei perfectionem significandam sancti Patres interdum usurpaverint: Vocabulum enim (*Immensum*) ex primaria usurpatione, idem quod *non habens mensuram* designat; adeoque coincidit cum infinito. Nihilhominus, jam apud Theologos usus invaluit, ut Immensitatis vocabulum usurparetur ad designandam infinitæ Dei substantiæ veluti diffusionem, per quam Deus excedit undequaque limites hujus universi, & ex se vim habet sese præsentem sistendi quibuscumque Creaturis, etiam in infinitum producendis absque ulla sui mutatione locali; & quâ fit ut de facto veluti diffusus & ubique intimè, ac penetrativè præsens sit omnibus & singulis mundi partibus.

In divinam Immensitatem variè ab Antiquis est erratum.

In hanc autem divinam Immensitatem variè à variis erratum est; nedum enim cæcus fuit quorundam Impiorum error dicentium, Job. cap. 22. *Deus circa cæli cardines ambulat, nec nostra considerat*: Sed etiam veterum Philosophorum ea fuit sententia, Deum esse in primo Cœlo, & in parte Orientali, ut primus omnium Motor ea in parte resideret, unde motus cœlestis erat incipiendus.

Nec ea solùm fuit vulgi Philosophorum falsa opinio; imò in eamdem impegerunt etiam Philosophiæ Principes; nam ut observat Justinus Martyr in Parænetico, *Aristoteles tanquam ea quæ sunt in cœlo accuratiùs quàm Plato vidisset, non ut iste, Deum in ignea esse substantia dixit, sed in quinto quodam elemento æthereo versari illum asseruit.* Unde non mirum si Poëtæ qui summum Numen in plures partes impiè distribuerunt, ita singulis Diis sedes proprias assignaverint, ut *Iupiter* syderibus dumtaxat, *Iuno* aëri, *Vulcanus* igni, *Neptunus* aquis, *Ceres* terræ, *Pluto* inferis præesset & imperaret.

II. Etiam à Iudæis.

Sed vix satis mirari possum Judæos Prophetarum oraculis illustratos, tamen ita desipuisse, ut censuerint Deum in templo Hierosolymitano ita præsentem, ut referente sancto Hieronymo in illud Isaïæ 66. *Cœlum sedes mea, &c.* ipsum à cæteris mundi partibus substantialiter absentem esse crederent. At omnium turpiùs errasse videtur Augustinus Steuchus Eugubinus, qui licet vir Catholicus & Theologiæ minimè rudis; nec non in Romanæ gremio Ecclesiæ, hoc est in arce Fidei ac Religionis, enutritus; tamen explicando hunc versiculum Psalm. 138. *Intellexisti cogitationes meas, de longè*, id est, inquit, *è Cœlo, quò non est à terris remotior locus; id quoque mirabilissimum est maximumque divinæ scientiæ testimonium. Nam id quoque*

Nec non ab Eugubino.

prorsus est incredibile maximéque stupendum, ut cùm Deus cujus statio longiùs distat à terris, quàm ortus ab occasu, ibi tamen consistens, ut omnium gentiū vetustissimorumque hominum, ut ait Aristoteles, est consensus, videat quidquid geritur cælo & terris. Idem explicans hunc versum, *Si ascendero in cœlum tu illic es*, ait, *Vt igitur Sol est in cœlo corpore ac situ & statione sua, terras autem luminibus lustrat, omnia prospiciens; talem necesse est nos cogitare Deum; qui quidem essentiâ & præsentiâ sit in cœlo: Spiritus autem ejus, & cognitio & scientia usquequaque pertineat.*

Contra autem hunc grauissimum errorem *Veritas Christiana distinctè pronunciat* (inquit Cornelius Mutius lib. de diuina Historia) *Deus ubique est, aut omninò non est. Si ei Immensitatem negaveris, auferes Divinitatem.* Ut autem hæc veritas pateat evidentiùs, sequentibus, in Quæstionibus est libranda.

QUÆSTIO PRIMA.

An & quomodo probari possit Deum esse Immensum & ubique.

IV. Grave discrimen inter Præsentiam, Ubiquitatem, & Immensitatem.

NOTANDUM 1. hoc esse discrimen inter Præsentiam, Ubiquitatem, & Immensitatem Dei, quòd *Immensitas* sit infinita divinæ entitatis virtus & capacitas, quâ Deus ex natura sua vim habet se se intimè præsentem sistendi omnibus creaturis, etiam si numerô & specie infinitæ existerent: *Vbiquitas* autem est ipsemet actualis Dei in omnes creaturas existentes illapsus, & veluti substantialis ipsius in singulas mundi partes diffusio; *Præsentia* verò, nedum est intimus ipse substantialis Dei illapsus, sed & specialis ejus assistentia & operatio alicubi. Sic 2. Machabæorum cap. 15. *Iudas & ejus milites prostraverunt non minùs triginta quinque millia, præsentiâ Dei magnificè delectati.*

V. Sicut sunt quatuor gradus aut ordines Entium, ita quadruplex est Dei residentia, seu præsentia in alio.

Notandum 2. quod cum quatuor distingui possint Entium gradus & ordines; nimirum Naturæ, Gratiæ, Gloriæ, & Divinitatis; etiam quadruplex distingui potest Dei Residentia & in alio existentia seu præsentia; Prima est *Entitativa*, fitque per suæ Divinæ entitatis in singulas mundi partes exuberantem effusionem, ipsomet dicente Ieremiæ 23. *Cœlum & terram ego impleo.* Secunda *Sanctificans*, quæ fit per charitatis & gratiæ diffusionem, quâ Deus speciali modô, animabus justis inexistit, dicente Christo Joannis 14. *Si quis diligit me ...... Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Tertia *Beatificans*, quæ fit per divinæ fœlicitatis, & voluptatis in omnes Beatos effluxum; de qua David Psalmo 5. *In æternum exultabunt & habitabis in eis.* Quarta denique est *Divina*, & fit per specialem divinarum Personarum inexistentiam. Quæ iterum duplex potest distingui: nimirum Personalis, quâ Verbum divinum specialiter præsens est humanitati quam assumpsit per unionem hypostaticam, in Christo namque ait sanctus Paulus ad Colossenses 2. *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Alia verò Essentialis, quâ divinæ Personæ sibi mutuò inexistunt, dicente Christo Joannis 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.*

1. Entitativa. 2. Sanctificans. 3. Beatificans. 4. Divina. Divina iterum est duplex. 1. Personalis. 2. Essentialis.

VI. *Notandum* 3. Præsentiam, & Residentiam naturalem iterum distingui posse triplicem, juxta tres modos quibus solitò Deus dicitur rebus omnibus existentibus inesse, nimirum per Essentiam, Potentiam, & Præsentiam. Quos existendi modos ita S. Thomas interpretatur, *Prima parte quæst.* 8. *art.* 3. ut Deus dicatur esse in rebus per *Essentiam*, quia omnibus immediatè dat esse: per *Potentiam* autem, quia omnia ejus potestati, & imperio subjacent; per *Præsentiam* denique, quia omnia sunt in prospectu ejus nuda, & aperta, nihilque ipsum latet. Quod explicat exemplô Regis, qui est præsens per potentiam in toto suo regno, omnes enim regni incolæ ejus imperio subduntur: est autem per præsentiam in cubiculo regio, quia omnia quæ in eo geruntur patent ejus oculis: est verò per essentiam & substantiam in throno suo, in eo namque tota ejus substantia residet.

Juxta triplicem modum Dei inexistentiæ, triplex distinguitur Præsentia Entitativa.

Verùm hanc explicationem non immeritò respuunt Durandus, & Aureolus; etenim si Deum esse in rebus per Præsentiam idem esset ac habere res in suo prospectu; sequeretur Deum esse in rebus non solùm quando sunt, sed etiam antequam existant, siquidem intellectus divinus deprehendit & *vocat quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Adde quòd cognitum, est in cognoscente, non autem cognoscens in cognito. Idem dicendum de Potentia; hæc enim nedum ad res præsentes, sed etiam ad futuras se se extendit. Respuitur pariter hæc explicatio quantùm ad modum existendi per Essentiam, quia rem alteri esse præsentem substantialiter, non solùm est ipsi communicare esse, alioqui Sol esset in omnibus sublunatibus ad quorum productionem concurrit: sed ultra requiritur substantiæ indistantia.

Rejicitur explicatio D. Thomæ circa tres inexistendi modos.

VII. Itaque Deum esse præsentem rebus per Essentiam nihil aliud est, quàm cum rebus omnibus substantialiter inexistere: per Potentiam autem idem ac res omnes producere & continuo influxu eas conservare: per Præsentiam denique, idem est ac res omnes existentes in suo prospectu habere & intimè per suam cognitionem penetrare. An autem hoc triplici modo Deus rebus omnibus verè inexistat, hac in Quæstione resolvendum est.

Quid sit Deum esse præsentem per Essentiam, per Potentiam, per Præsentiam.

CONCLUSIO PRIMA.

DEUS *revera est Immensus & Vbique præsens per Essentiam, Potentiam, & Cognitionem.*

VIII. PROBATUR 1. pars ex Scriptura. Psalm. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum, ades, &c.* quæ verba Anastasius Constantin. lib. 2. de incircumscriptione Dei rectè affirmat de substantia Dei esse intelligenda; *Numen etenim*, inquit, *illud omnia permeat ac pertendit, universa adimplens magnitudine sua natura.* Quod ipsemet Deus confirmat Ieremiæ 23. *Nunquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus.* Sic Ieremiæ 66. *Hæc dicit Dominus. Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum, quæ est ista domus quam ædificabitis mihi, & quis est iste locus quietis meæ?* Cui & illud consonat à Salomone dictum lib. 3. Regum cap. 8. *Si cœli cœlorum te capere non possunt; quantò magis domus hæc quam ædificavi?* Idem insinuat Sophar Naamathites apud

Deus est verè Immensus. Probatur ex Scriptura.

Iobum cap. 11. *Excelsior Cælo est; & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terrà mensura ejus, & latior mari.*

IX. Idem ioculcant sancti Patres præsertim Augustinus, *Deus ubique totus est*, inqoit libro 7. de Civit. cap. 30. *nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, ex nulla parte mutabilis: implent Cælum & terram præsente potentiâ, non absente, nec indigente natura.* Et 5. de Trinit. cap. 1. *Vbique est sine ullo situ præsens, sine habitu omnia continens, sine loco ubique totus, sine tempore sempiternus.* Et lib. de Præsentia Dei ad Dardanum, *Cum Deus sit natura incorporea & incommutabiliter viva, æterna stabilitate in se ipso maneat, adest rebus omnibus & singulis totus.* Unde meritò concludit ibidem, *Fatendum est ergo ubique esse Deum per Divinitatis præsentiam; sed non ubique per inhabitationis gratiam.* Eandem sententiam variis firmant argumentis, cæteri SS. Patres, quorum

Probant SS. PP. idque varie,

Aliqui ex Immensitate divinarum Personarum, Divinitatem probant. Sic S. Basilius in Evangelii Joannis initiom; Patrem & Filium verè Deum esse colligit: *Neque Pater in loco*, inquit, *neque Filius in circumsepta aliqua vel definita regione continetur: sed immensus est Pater, immensus item Filius: Totum illud quodcumque mente intellexeris, & quòcumque spiritu pervaseris, id ipsum reperias Deo plenum, ubique simul extensam Filii hypostasim reperies.* Eodem argumento S. Athanasius Epistola ad Serapionem probat Spiritum sanctum esse Deum: *Quod si Filius*, inquit, *eò quòd non est in distinctis locis; sed dum in Patre est ubique est, & est extra omnia, non est creatura; consequenter nec Spiritus sanctus erit creatura, cùm non sit in distinctis locis, sed impleat omnia, manens extra omnia; sic enim scriptum est: Spiritus Domini replevit orbem terrarum.*

Aliqui ex Immensitate colligont Deum esse Spiritum: Sic S. Hilarius lib. 2. de Trinit. *Quia Deus*, ioquit, *invisibilis, incomprehensibilis, immensus est; ait Dominus venisse tempus, ut non in monte, vel in Templo Deus sit adorandus; quia Deus spiritus est; & spiritus nec circumscribitur, nec tenetur: quia per natura sua virtutem ubique est, neque usquam abest in omnibus omnis exuberans.*

Nonnulli ex substantiali Dei præsentia ubique, demonstrant Verbi divini in carne hominis existentiam & ooionem nihil habere pudendum nec iocredibile: Sic sanctus Gregorios Nysseous in libro Catechetico cap. 25. cum dixisset, *Quis ita puerili est ingenio, ut ad universitatem aspiciens, in universitate non credas esse Deum; in eam subeuntem, & continentem, & ei insidentem? ab eo enim quod est pendent omnia, neque fieri potest, ut sit aliquid quod in eo quod est, esse non habeat.* Concludit, *Quare si in eo sunt omnia, & illud est in omnibus, cur eos pudet mysterii illius, quod in incarnatione positum est, quodque Deum docet inter homines esse versatum, qui ne nunc quidem extra hominem esse creditur? Quamvis enim non idem modus est præsentiæ, quò Deus in nobis est, cum illo; tamen hoc ipsum in nobis esse & nunc, & tunc ex æquo confitentur omnes.*

Cæteri denique colligunt Deum inesse omnibus creaturis, qoia omniom est Opifex: Sic sanctus Fulgentius lib. contra sermonem Fastidiosi cap. 4. *A Deo nostro*, inquit, *id est ab ipsa Trinitate sancta, nihil potest localiter separari, quia idem Deus summus, verus, & bonus, sicut omnia fecit, sic omnia continet & replet immensus:* Et cap. 6. *Trinitas autem unus Deus sicut est æternus, & nulla illi coæterna sunt tempora; sic est immensus, quem nulla potest concludere creatura: & quia immensus, ubique totus; quia nec continetur loco, nec distenditur, aut contrahitur spatio.* Io idem sanctus Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 4. & 7. *Deus*, inquit, *complens omnia nusquam ipse confusus, penetrans omnia nusquam ipse penetrandus; ubique totus, eodemque tempore, vel in Cælo, vel in terris, vel in novissimo mari præsens.* His cooeinit Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 6. *In loco*, ioquit, *minimè definitus, sed locorum opifex in omnibus existens, & à nullo circumscriptus Thronus ipsi cælum est; sed exuperat, & transcendit qui sedet; & terra scabellum pedum, sed pervenit ad subterranea usque virtus illius. Vnde est ubique præsens.*

Secunda & Tertia pars nullam in sui probatione difficultatem patiuntur, nam ut loquitur saoctus Paulus ad Hebræos 4. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus;* Unde Sapiens Ecclesiasticus cap. 23. irridens & arguens impium dicentem, *Quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circunspicit me: Quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Subdit, *Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius.... & non cognovit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem; circunspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Idem patet, & etiam de præsentia potestatis; siquidē creaturæ nil quidquam, nisi Deo coagente moliri possunt, Deus enim operatur omnia in omnibus, seu, ut loquitur Isaias, *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine*: Unde meritò concludit sanctus Paulos actorum 7. *Deum non longè esse ab unoquoque nostrum; in ipso enim*, inquit, *vivimus, movemur, & sumus;* Id est, ut explicat sanctus Chrysostomus, *Adeo propè est ut sine ipso vivi nequeat.... Quemadmodum ignorari non potest aër ubique diffusus, qui non longè ab unoquoque nostrum est, vel potius in nobis inest; ita neque opifex omnium.* Quam similitodinem adhibet etiam Anastasius Sinaita in secundo contemplationum in Hexameron, *Quomodo aër*, inquit, *implet omnia & nullus est locus eò vacuus &c. Ita etiam universorum Deus implet omnia & nullus est locus eò vacuus.*

Conclusio Secunda.

X. Dei *Immensitas etiam ratione naturali probari potest.* Hæc est contra Smisingum nostrum, qui *Tractatu* 2. *Disp.* 5. *num.* 56. affirmat Dei Immensitatem potius esse fide creditam, quàm ratiooe demonstratam.

Dei immensitas probatur etiam ratione natura.

Probatur conclusio. Essentia divina non minùs debet esse infinita, & illimitata in sua virtute, & capacitate existendi substantialiter ubique, quàm in se & in cæteris suis perfectionibus; proprietas eoim commensuratur naturæ: sed in cæteris ita est infinita, ot nullos omoioo limites babeat: Ergo nec habere debet in capacitate existendi ubique. Minor patet. Major probatur: tum quia nulla ap-

paret ratio cur una essentiæ divinæ proprietas sit potius infinita quàm alia : tum quia si essentia divina limitaretur in sua præsentia, non esset infinita : *Per hoc enim*, inquit Anastasius Patriarcha Antiochenus lib. de incircunscripta Dei essentia, *quod ab alio terminatur, declarat substantiam ejus qui ambitur, esse circunscriptam :* sed certum est substantiam diuinam esse infinitam & incircunscriptam ; idque ratione naturali, ut supra demonstravimus agendo de Infinitate divina : Ergo pariter ratione naturali constat eam esse immensam.

Deinde, omnibus liquet omnem perfectionem nullam imperfectionem redolentem, Deo esse tribuendam, idque in maximo & supremo gradu: sed rem esse alteri præsentem, est perfectio, & eò Deus censetur perfectior, quò ampliorem locum occupat vel per extensionem quantitatis, vel per diffusionem, & applicationem virtutis & operationis : Ergo maxima præsentia est Deo tribuenda. Sed ubiquitas est maxima omnium præsentiarum : Ergo est Deo tribuenda. *Denique*, si Deus non esset immensus, sed tantùm in determinato locô, posset moveri de loco in locum, & sic esset mutabilis : sed ratione naturali constat Deum non esse mutabilem : Ergo constat eum esse immensum.

Impugnatur præfecta ratio.

Replicat 1. Smisingus ex infinitate non posse concludi immensitatem, nisi quia proprietas commensurari debet essentiæ, & quò perfectior est essentia, eò pariter præstantior debet esse proprietas : sed hoc principium, inquit, falsum est ; licet enim homo brutis præcellat essentiâ ; bruta tamen hominibus antecellunt proprietatibus ; siquidem proprietates seu facultates sensitivæ longè præstantiores sunt in aliquibus brutis quàm in hominibus, nam

Nos Aper auditu, Linx visu, Simia gustu:
Vultur odoratu, precellit Aranea tactu.

Sed etiam propugnatur.

Contra. Eô modô se habet infinitas ad essentiam & proprietates divinas, quomodo finitas ad essentiam & proprietates creatas : sed hæc ita limitat creaturarum proprietates, ut nulla sit nec esse possit infinita : Ergo pari modo infinitas efficit, ut nulla Dei perfectio possit esse finita ; sed ejus præsentia finita esset, si non esset immensa, ut constat: Ergo, &c. *Deinde* si divina præsentia non esset immensa, essentia divina non foret infinita simpliciter, sed tantùm secundùm quid ; illud enim infinitum est tantùm secundùm quid, quod non est infinitum secundùm omnem suum modum omnemque perfectionem sibi identificatam realiter : sed essentia non esset infinita secundùm perfectionem præsentialitatis & capacitatis existendi in aliis : Ergo esset tantùm infinita secundùm quid. *Nec* ipsius rationes quidquam officiunt; cùm enim facultates sensitivæ, essentiæ humanæ non identificentur, sed ab ea distinguantur realiter ; cumque dependeant ab organorum dispositione, mirum non est si essentiæ humanæ perfectioni non commensurentur.

Adde quòd, licet fortè in creatis non valeret illatio perfectioris proprietatis à perfectiori essentia, quia cùm creata suscipiant magis & minus, unum eorum potest habere majorem perfectionem, aliud verò minorem, etiamsi realiter identificentur : etenim ad aliam diversitatem perfectionis sufficit distinctio formalis : Intellectus enim in sententia Doctoris, imperfectior est voluntate, licet cum ea realiter identificetur in anima. Secus tamen est in divinis, ubi omnia infinita sunt, infinitum autem majus aut minus non suscipit; ac proinde ex infinita perfectione unius rectè colligitur infinita perfectio alterius.

Replicat ad secundam rationem, majorem præsentiam non arguere præstantiorem perfectionem in re, etenim anima rationalis & Angeli minorem locum occupant, proindeque minorem habent præsentiam, quàm res corporeæ, nec propterea sunt rebus corporeis imperfectiores.

Contra. Major præsentia arguit majorem quantitatem, vel molis, vel virtutis : licet autem major quantitas molis non semper inferat majorem perfectionem, homo enim præstantior est monte, etiam si eo minor sit ; tamen quantitas virtutis perfectiorem essentiam indigitat : Ergo cum Angeli & anima rationalis habeant majorem quantitatem & præsentiam virtutis, rectè etiam colligitur eos esse præstantiores, & ex eorum præstantiori natura & virtute, etiam majorem præsentiam rectè colligi.

Subsumes. Rectè equidem colligitur ex majori quantitate virtutis major præsentia & diffusio potentiæ & activitatis ; non autem naturæ & substantiæ : ac proinde ex eo inferetur equidem Deum, ut potè infinitum, habere virtutem, non autem substantiam ubique diffusam.

Contra. Ex eo sequitur quod præstantior natura debet habere præstantiorem ac nobiliorem modum præsentiæ sibi non repugnantem : sed modus essendi ubique præsens per diffusionem substantiæ & virtutis, præstantior est quàm sola præsentia virtutis, nec hic uterque modus Deo repugnat, imò ipsum maximè nobilitat : Ergo hic uterque modus essendi ubique per essentiam & potentiam, Deo est tribuendus.

Confirmantur præfatæ rationes. Aut Deus nullibi est, aut tantùm alicubi, aut ubique : sed non potest dici quod sit nullibi, nec alicubi tantùm : Ergo necessariò est ubique. Major patet. Minor probatur quantùm ad *primam partem*, tum ex vulgari illo philosophorum effato, *quòd nullibi est, non est*; tum quia esse alteri præsens, est perfectio & consequenter non est Deo deneganda.

Probatur etiam eadem Minor QUOAD SECUNDAM PARTEM. Quod est alicubi tantùm, vel ibi est per naturam & necessariò, vel per voluntatem & liberè : sed neutrô modô Deus dici potest esse in aliquo loco determinato ; non quidem liberè, alioquin se se movere posset à loco in locum, & sic esset mutabilis. Non etiam necessariò, & naturaliter, aliqua enim substantia triplici tantùm de causa potest esse necessariò & naturaliter in loco determinato, nimirum, vel ut ibi conservetur, & quiescat, vel ut in eo perficiatur, vel ut operetur, & aliquos producat effectus, quos alibi non posset producere : sed neutrô ex his modis Deus potest esse in aliquo loco determinato. Non quidem ut conservetur, quia cùm sit prima causa, omninò independens est : Non etiam ut perficiatur, cùm sit ipse omnium perfectionum fons & origo: Non denique ut operetur, quia ut probabitur in Quæstione sequenti, ex hypothesi quod non esset in aliquo loco, nihil-

ominus in eo posset operari: Ergo cum Deus non sit nullibi, nec alicubi tantùm, necessum est ut sit ubique.

Dices 1. Ex S. Augustino lib. 83. quæstionum quæst. 20. *in Deo sunt potius omnia quàm ipse alicubi:* Ergo si Deus est in omnibus, omnia sunt in omnibus; & sic idem erit in semetipso: sed hoc est absurdum: Ergo Deus non est immensus.

XI.

Aliter omnia sunt in Deo & aliter Deus est in omnibus

Respondeo quod aliter omnia sunt in Deo, aliter verò Deus est in omnibus rebus existentibus; omnia enim sunt in Deo sicut effectus in causa, sicut cognitum in cognoscente, & sicut ens participatum in ente omnium præstantissimo, & primo: Deus verò est in rebus non sicut in loco, sed per realem substantiæ suæ præsentiam, & indistantiam; & ita non sequitur idem esse in se-ipso quia res non eodem modô sunt in Deo, quomodo Deus ipse in rebus est. Unde subdit ibidem Augustinus, *Nec tamen ita sunt in illo ut ipse sit locus. Locus enim in spatio, est quod longitudine, latitudine, & altitudine corporis occupatur, nec Deus tale aliquid est. Et omnia igitur in ipso sunt & locus non est.*

Dices 2. Si Deus esset in omnibus rebus, mutaretur: sed consequens est contra illud Malachiæ, *Ego Deus & non mutor*: Ergo non est in omnibus rebus. Probatur sequela majoris, Multæ res de novo producuntur, & intereunt: Ergo si Deus ipsis inexistat, novam præsentiam acquirit, & amittit.

XII.

Ad mutationem rerum in quibus Deus existit, non mutatur.

Distinguo antecedens: Mutaretur penitùs extrinsecè & solùm terminativè, concedo: intrinsecè, & formaliter, nego: cùm enim realem respectum non habeat ad locum, nec ad res quibus est præsens, sicut habent creaturæ tam corporeæ quàm spirituales; idcirco ad loci vel rerum mutationem, realiter non mutatur, sed tantùm mutantur res, quæ vel incipiunt, vel desinunt esse Deo præsentes, nulla tamen in Deo mutatione facta; eô modô quô dicitur Creator absque ulla sui mutatione reali.

Dices 3. Si Deus esset ubique, sequeretur Deum esse nedum in locis fœtidis, sed etiam in Dæmonibus, & damnatis: sed consequens videtur absurdum: Ergo & antecedens.

Distinguo sequelam Majoris: Esset in locis fœdis ita ut in eis inquinaretur, & esset in Dæmonibus per suæ gratiæ aut beatitudinis collationem, nego: esset per substantiæ suæ indistantiam, concedo: *Sicut enim anima rationalis*, inquit S. Augustinus libro de agone Christiano, cap. 18. *non inquinatur in corpore etiam leproso, quia substantia spiritualis est; multò minus Deus cum longiùs sit ab omni materia sejunctus, nullas ex præsentia sua in rebus corporeis faeces contrahere potest.* Vel ut respondit S. Macarius homil. 7. sciscitantibus an Deus esset in Satana, *Quando quidem Sol*, inquit, *etsi creatura sit, lutulenta loca sua luce perfundit, Neque quidquam læditur; multò magis divinum numen ita cum Satana versari, ut neque commaculetur, neque labis aliquid inde concipiat.*

Dices 4. Qui dicitur accedere vel recedere, aut descendere & ambulare, de longè stare & cognoscere, ille non censendus est esse ubique: sed hæc omnia Scriptura sacra de Deo prædicat. Psalmo 9. *Vt quid Domine recessisti longè?* Proverbiorum 15. *Longè est Deus ab impiis.* Genesis 3. dicuntur primi Parentes audivis-

A se *vocem Dei deambulantis in Paradiso, &c.*

XIII.

Qualiter Deus dicatur *accedere Recedere*, &c.

Respondeo: hæc omnia per metaphoram esse intelligenda, & Scripturam sacram facilioris eruditionis causâ nobis Deum his adumbrationibus exhibere, ut nempe nos doceat, vel quantùm Deus peccatum detestatur; vel quòd non præcipiti, sed temperatô judiciô, causâque cognitâ & exploratâ profert sententiam: Unde Augustinus Sermone 70. de tempore, *Vide*, inquit, *ascensionem, & descensionem localem ne sentias. Indignum est hoc de incorporea & ubique tota sentire Substantia: sed descendere dicitur Deus, quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur.*

B In eandem sententiam ivit *Philo Iudæus* lib. de confusione linguarum, ubi explicans verba illa quibus Deus dicitur descendisse *ut videret turrim, quam ædificabant filii Adam*, affirmat hæc scribi humano more non ex rei veritate; *Quis enim*, inquit, *ignorat eum qui descendit oportere locum alium relinquere, alium occupare? Porro Deus implet omnia, circundans non circundatus: cui accidit, ut ubique sit, ac nullibi.* Unde concludit, *Nominum igitur, quæ progressionem ac motum significant, nullum Deo convenit velut supra, infra, ad dextram, ad sinistram, ante, retro: nam in nullo eorum, quæ dicta sunt cogitatur, ut qui nunquam mutatus locum vertit.*

C *Dices* 5. Deus specialiter dicitur esse in cœlo, per exclusionem suæ præsentiæ alibi. Sic Psalmo 113. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum:* Ergo non est ubique.

XIV.

Quare Cœlum dicatur locus Dei.

Respondeo: hæc esse intelligenda non absolutè, sed comparatè, vel, inquit S. Athanasius libro contra Sabellianos; ut ex majestate domicilii infinita ejus dignitas rudioribus hominibus faciliùs explicetur. Vel ut Idololatris insinuaretur cœlum non esse Deum, *Nam cœlum, domus ac solium appellatur Dei*, inquit Justinus Martyr in responsione ad quæst. 5. Græcorum, *Non quod opus illo habeat Deus ad*

D *habitandum, vel sedendùm, ut qui minimè circunscriptus sit ac nulla re indigeat: sed ne ad illius amplitudinem substantiæ & incorruptam essentiam respicientes, Deum ipsum, aut honore parem esse Deo suspicemur.* Vel ut ait Theodoretus in Psalmum 122. *Deus in Cœlis habitare dicitur, non veluti loco circumscriptus; sed veluti lætans cœlestibus virtibus, quæ Cœlos incolunt:* Vel quia, inquit Alcuinus lib. 2. de Trinit. cap. 5. *major cognitio est in Cœlis illius summæ majestatis, & essentiæ in Angelis, vel in sanctis animabus Sanctorum, quàm in terra habitantibus Sanctis:* Vel denique, inquit S. Damascenus lib. 5. cap.

E 16. Deus in Cœlis habitare dicitur, *quòd ille locus magis particeps sit operationis ipsius, & gratiæ.... In eo enim sunt facientes ipsius voluntatem.*

XV.

SS. Patres videntur affirmare Deum in Cœlo solùm esse præsentem substantialiter.

Dices 6. Plures ex sanctis Patribus censent Deum in Cœlo solùm esse præsentem substantiâ, alibi autem solùm cognitione & potentiâ; Sic S. Clemens Alex. lib. 2. Stromatum: Deus, inquit, APPROPINQUANS EGO SUM, *ait Dominus; procul quidem substantiâ: quomodo enim quod est genitum appropinquaret ingenito? Proximè autem est potestate, quâ universa suo sinu complectitur.* Et lib. 5. refutans Stoïcos, qui Deum esse Corpus ac Spiritum affirmabant: *Illi*, inquit, *Deum omnem permeare*

substantiam asserunt; nos autem eum solùm dicimus effectorem. Item Justinus Martyr in Responsione ad quæstionem undecimam Orthodoxorum, ait: *Res aliæ, quæ continere aliquid dicuntur, hâc essentiâ contineri: solùm verò Deum voluntate sua continere hanc rerum universitatem.* Ipsis concinit Lactantius lib. *de Opificio Dei cap.* 16. ubi videtur Deum Cœlo circumscribere: *Videtur enim mens*, inquit, *quæ dominatum corporis tenet, in summo capite constituta, tanquam in Cœlo Deus.* Ergo censent Deum non esse ubique.

Et explicantur.

Respondeo, non eam præcisè fuisse præfatorum Patrum sententiam: non quidem *Clementis Alexandrini*, quippe cum *lib. 7. Stromatum* de bono ac sancto viro sermonem faciens, *Ejusmodi*, inquit, *est cui persuasum est Deum ubique adesse; non autem certis, ac definitis locis esse conclusum.* Neque pariter ea fuit S. *Iustini* mens, tum quia non est ipse author præfati libri Quæstionum & Responsionum ad Orthodoxos, sed Anonymus aliquis: tùm quia supra patuit eum constantissimè Deum ubique præsentem profiteri. *Lactantius* pariter potest etiam commodè explicari ut velit solùm evertere stolidum figmentum Stoicorum, qui asserebant mundum esse corpus Dei, eumque diffusum per elementa cæterasque universi partes, velut in tot membra quæ moveret & animaret: quod ut refellat, dicit Deum esse in Cœlo sicut anima hominis est in cerebro. Non quòd censeat animam in solo cerebro residere substantialiter; sed tantùm quòd ibi nobiliores operationes impleat: quâ ratione etiam Deus specialiter in Cœlo residere supra diximus.

Dices ultimò: Si divina immensitas aliqua ratione naturali probari posset, peritiores Philosophos oon latuisset: sed ipsos omnino latuit, ut supra dictum est: Ergo non est naturaliter nota.

Respondeo distinguendo minorem, Philosophos peritiores lumine naturali abutentes divina immensitas latuit, concedo: Latuit eos qui ratione naturali ritè utebantur, ut pro viribus divinas perfectiones detegerent, nego: *Pythagoras enim Philosophus*, inquit Salvianus initiô libri primi de Providentiâ, *quem quasi magistrum suum Philosophia ipsa suscepit, de natura ac beneficiis Dei disserens, sic loquutus est: Deus est animus per omnes mundi partes commeans, atque diffusus, ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam capiunt.* Ad idem spectat quod dicit Trismegistus, dicendo *Deum esse Sphæram intelligibilem, cujus centrum est ubique, circumferentia nullibi.* Imò ipsemet Aristoteles lib. 1. de Anima cap. 5. indicat Deum esse ubique præsentem, laudat enim dictum Heracliti, qui cum se in casam furnariam Hyemis tempore reclusisset, cerneretque adventantes amicos id ægrè ferre, nec idcirco velle propiùs ad eum accedere, hortatus est eos audacter ingredi, *Quoniam*, inquit, *& hic præsens Deus adest.* Trita sunt & illa Poëtæ Virgilii Georgicorum 4.

XVI.

Divina Immensitas etiam Ethnicis nota.

Deum namque ire per omnes
Terrarum tractusque maris cœlumque profundum.

Nec-non & illud Arati,

Iupiter est quodcumque vides: Iovis omnia plena,

Vel ut ad pietatem & veritatem Catholicam accomodatiùs S. Prosper cecinit in libro de Providentiâ:

Sed nusquam non esse Dei est: quia totus ubique,
Et penetrat mundi membra omnia liber, & ambit.

QUÆSTIO SECUNNA.

An rectè inferatur Dei præsentia secundum essentiam in omnibus rebus ex illius in ipsis operatione?

CELEBRIS est & famosa inter Doctorem Subtilem, & Angelicum, eorumque Sequaces controversia circa præsentis quæstionis resolutionem. Etenim S. Thomas 1. *parte q.* 8. *art.* 1. affirmat ex operatione Dei in omnibus rebus, rectè & necessariò inferri ipsius in eis substantialem præsentiam: Doctor verò Subtilis in 1. *dist.* 37. *quæst. unica*, negat hanc esse legitimam illationem; contenditque quod si per impossibile Deus, v. g. solùm esset præsens in Cœlo per essentiam, nihilominus posset in aliis universi partibus operari, sicque ex illius operatione alicubi, non sequitur formali consequentia, illum esse ibidem substantialiter & essentialiter præsentem: Quæ lis ut dirimatur evidentiùs,

Status Quæstionis.

Notandum 1. Agentia secundùm varium modum operandi considerata, posse distingui duplicis generis. Quædam enim eadem potentia, & actione indistincta agunt in subjectum proximum, & remotum; sed perfectiùs in proximum quàm in remotum. Sic v. g. Sol illuminat eâdem lucis diffusione, & per eandem virtutem illuminativam corpora cœlestia, & sublunaria: sed hæc minùs quàm illa. Aliqua verò sunt, quæ nedum operantur circa proximum & remotum subjectum diversa actione; sed etiam distinctâ potentiâ, quarum una alteri ita subordinatur, ut posterior non agat in distans, quin prior antea egerit in medium proximum; Sic v. g. Sol per virtutem illuminativam, aërem priùs luce perfundit: deinde per vim suam substantialem concurrit ad productionem viventium, præsertim quorumdam imperfectorum, nec-non ad formationem mineralium.

I.

Agentia sunt duplicis generis; alia enim in subjectũ proximum, alia in remotum operantur.

Notandum 2. Agens per respectum ad passum in quod immediatè operatur, & quod attingit, posse iterum distingui duplex; aliud enim est immediatum immediatione virtutis, aliud immediatione suppositi. Primum est, quod habet virtutem agendi ex natura sua sibi propriam, & non ab alio emendicatam. Sic Sol vim illuminativam à se obtinet, cætera verò corpora cœlestia illam ab eo mutuantur. Inde fit quòd quantò agens est superius, tantò est immediatius immediatione virtutis; & idcirco Deus est immediatissimum agens, quia virtutem agendi habet ex se & omninò independentem, nec ab ullo emendicatam. Agens autem immediatum immediatione suppositi, illud dicitur inter quod & effectum productum, nullum mediat suppositum aliud coagens; ex quo fit, ut inter agentia creata, quantò agens inferius est, tantò est immediatius.

Idque immediatione Virtutis aut Suppositi.

Notandum 3. Duo diversa operationum genera io Deo distingui, quarum aliquæ sunt *Immanentes*, sic nominatæ, eò quòd terminus per eas productus non emanat extra sinum divinitatis quales sunt æterni Verbi generatio, Spiritus sancti spiratio, divinæ intellectiones, vo-

II.

In Deo duo sunt diversa operationum genera.

litiones, &c. Aliæ *Transeuntes*, sic dictæ, eò quòd per illas Deus aliquid extra se producat; quales sunt mundi creatio, conservatio, &c. Non de prioribus, sed de posterioribus hîc est sermo, nimirum an ex eis colligi possit formali consequentia Deum esse alicubi præsentem, quia ibi operatur.

Conclusio Unica.

III.

Deus posset operari ubi non esset præsens substantialiter.

SI per impossibile Deus tantùm esset essentialiter, & substantialiter in Cœlo, nihilominus operari posset immediatione virtutis in ceteris universi partibus: Hæc est Doctoris locô laudatô: Probatur 1. Creatura agere potest & aliquid producere ubi non est immediatè, nec substantialiter præsens. Ergo multò magis Deus operari posset, ubi substantialiter non esset: Consequentia patet, major enim est virtus Dei quàm creaturæ. Antecedens probatur variis exemplis, etenim *Sol*, etsi tantùm in quartò Cœlo substantialiter resideat, nihilominus per universas mundi partes virtutem suam diffundit. Similiter *Magnes* movet & attrahit ferrum distans, *Succinum* allicit paleas, *Basiliscus* suo visu homines distantes enecat, *Torpedo* mortificat manum piscatoris tangentis rete in quo recluditur, & alia his similia, quibus in nostra Physica, *Disputatione de causa Efficiente*, probavimus causam creatam agere posse in distans, non agendo in medium eadem actione; fecimusque satis omnibus hanc adversus veritatem objiciendis. Ergo cum ex operatione agentis creati in aliquod passum, non sequatur necessariò intima ipsius præsentia secundùm substantiam; multò minùs inferri debet consequentiâ formali Dei substantialis præsentia ex ipsius operatione alicubi.

1. Quia hoc ipsum variæ causæ secundæ præstant.

Confirmatur ex Doctore *ibidem numero* 2. Idcirco causa secunda non potest agere in distans, quin agat in medium, vel quia sunt in ea duæ potentiæ & operationes, quarum una terminari debet ad medium, priùs quàm altera sese ad distans extendat; vel quia eadem potentia non potest effectum perfectum producere in distanti, quin minùs perfectum prius produxerit in medio proximiori, ut dictum est in 1. *Notabili*: At in Deo nec sunt illæ plures potentiæ subordinatæ, quarum una agat in remotum, alia verò in proximum; nec ipsi opus est ad producendum effectum perfectissimum, ut priùs per modum dispositionis, minùs perfectum producat. Ergo si non esset ubique, agere & producere posset in distans, etiam nullatenus agendo in medium.

Replicant Adversarii non esse assignatam causam adæquatam in Majori: Non enim ideo solum causa agere nequit in distans quin agat in medium, quia in ea est subordinatio potentiæ & operationis; sed etiam propter alias rationes, in objectionibus assignandas. Verùm eas omnes solvemus in responsis.

IV.

2. Quia Deus cuncta omnipotenti sua voluntate producit.

Secondò: Omnipotentia Dei est ipsius voluntas, ad cujus velle sequitur rei productio; *Omnia enim quæcumque voluit fecit Dominus in Cœlo & in terra*, ait Psalmista: seu ut loquitur S. Paulus, *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*: sed voluntas velle potest aliquid fieri in locô distanti, absque eò quòd velit ipsum fieri in locô viciniori: Ergo Deus agere posset ubi non esset; sicque ex ejus operatione non potest formaliter inferri ipsius substantialis præsentia. *Major* patet ex præfatis Scripturæ locis, & evidentiùs constabit agendo de omnipotentiâ Dei. *Minor* etiam evidens est, si enim per meam volitionem possem rem aliquam producere, certum est quod possem velle illam fieri in locô distanti, etsi nihil produceretur in medio.

V.

3. Quia nulli rei præsens erat dum mundum produxit.

Tertiò: Ante mundi productionem, Deus non erat præsens ulli rei; sed priùs oportuit rem aliquam ab eo produci quàm ipsi fieret præsens: Ergo præsentia substantialis ad aliquam rem non est conditio necessariò prærequisita ad ipsius rei productionem; neque ex ea rectè infertur Deum ipsi esse substantialiter præsentem. *Confirmatur*. Priùs naturâ creatura terminat actum divinæ potentiæ quàm Deus sit ei presens; præsentia enim cùm sit relatio, supponit terminum & fundamentum: Ergo productio rei non supponit præsentiam substantiæ producentis, neque hæc legitimè ex illa infertur.

VI.

4. Quia infinita agendi virtute pollet.

Quartò. Quantò agens majorem habet activitatem, tantò magis agit in distans; quò enim ignis major est, eò longiùs calorem diffundit: sed Deus est agens potentissimum & infinitæ virtutis: Ergo si per impossibile ab aliqua re distaret, non minùs in eam posset agere; alioquin ejus virtus ad locum esset determinata & limitata; adeoque non esset infinita nec divina.

Replicant: Majorem quidem esse veram, non absolutè, sed ea conditione ut agens priùs suam virtutem diffundat in proximum, quàm in remotum: sic, inquiunt, ignis suum calorem non diffundit in subjectum distans, nisi beneficiô aëris intermedii.

VII.

Creaturæ agunt in distans non agendo in medium.

Contra: Illa mediatio non provenit ex ratione intrinseca agentis, & quatenus agens est; sed ex alterutra illarum conditionum, quas in *secundo Notabili* assignavimus; quæ conditiones cum in Deo locum non habeant, etiam non officiunt, quin possit agere in distans independenter à medio.

Adde quòd cum Sol, v.g. concurrit ad formationem mineralium, & viventium, quæ non format in aëre intermedio, evidens est illum habere aliquam actionem in remotum, quam non habet in proximum subjectum. Ergo liquet immediationem subjecti & agentis non esse necessariò desiderandam ad rei productionem.

Ut patet maximè exemplo Angelorum.

Confirmantur hæ omnes præfatæ rationes exemplo *Angeli*. Unus Angelus potest alteri imprimere aliquem effectum spiritualem etiam si disteot ab invicem: sed hæc impressio fit independenter à medio, utpote incapaci talis effectus spiritualis, quia corporale est, ut docet S. Thomas, *prima parte q. 107. art. 1. ad 3.* ubi affirmat Angelos sibi invicem loqui, non solùm volendo quod unius alteri pateat conceptus suus, sed etiam, inquit, *excitando alterum ad attendendum per aliquam ei impressam virtutem intelligibilem, quâ intellectus ejus moveatur, sicut sensus movetur à sensibili.* Insuper *art. 2. ad 11.* docet Angelos influere scientiam in animas separatas, influendo nimirum in illas species intelligibiles *independenter*, inquit, *à medio differente:* Ergo Angelus saltem, etiam ex mente Adversariorum, agere potest in distans non agendo in medium, nec opus est

ut

ut duo spiritus sibi invicem loquantur, ita debere esse omnino immediatos, ut nec atomus aëris intersit sicut ait Suares in Metaphysica Disputatione 18. nom 46. & consequenter Deus illud multo magis præstare posset si ab aliqua re foret absens.

VIII.

Deum non posse agere in distans suadetur ex Scriptura.

Objicies 1. Scriptura sacra colligit divinam præsentiam ex operatione Dei alicubi: Ergo meritò illa ex hac infertur. Probatur antecedens, primò quidem ex verbis Psalmistæ, qui cum dixisset Psalmo 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* statim infert, *Si ascendero in Cœlum, tu illic es, si descendero in infernum ades*; quibus verbis Dei ubiquitatem declarat ejusque rationem aperiens, subdit: *Etenim illuc manus tua deducet me & tenebit me dextera tua*: Per *manum* autem & *dexteram Dei*, ejus operatio frequenter in Scriptura significatur: Ergo Scriptura Dei præsentiam in omnibus rebus ex ejus operatione colligit.

Confirmatur ex *Actuum* 17. *cap.* ubi S. Paulus cum Atheniensibus disputans, concludit, *Deum non longè esse ab unoquoque nostrum, quia*, inquit, *in ipso vivimus, movemur, & sumus*: Vel ut Pagninus & alii vertunt, *per ipsum enim vivimus*, Unde glossa; *quia id operatur in nobis quod vivimus*: Ergo oportet Spiritum sanctum per os Davidis & Pauli (inquit *Molina* hîc, Disputatione 2.) ineptam reddidisse rationem, inefficaxque argumentum confecisse ad probandam præsentiam Dei in rebus: Adeoque, inquit, confitendum est ex immediata operatione Dei in aliquo loco satis superque concludi præsentiam Dei in rebus, & contrariam sententiam non ita.

Sed idipsum ex eadem dissuadetur.

Respondeo 1. negando antecedens, & ad primam illius probationem dico, Psalmistam solùm ibi intendere, quòd Deus sit ubique per scientiam & providentiam; adeo ut nemo sit qui subterfugere queat divinam ipsius ordinationem & dispositionem. *Ad confirmationem* dico, sanctum Paulum solùm velle quòd quandoquidem in Deo vivamus, moveamur & simus, consequens est eum non esse ita longè à cognitione nostra, ut non possimus facilè ad ipsius notitiam pertingere. Non autem vult Apostolus præsentiam substantialem Dei rectè colligi ex ejus operatione.

IX.

Solùm enim Dei præsentia ex ejus operatione colligitur per locum extrinsecum non verò per intrinsecum.

Respondeo 2. quod etsi Scriptura sacra & sancti Patres substantialem Dei præsentiam ex ipsius in rebus operatione interdum inferant; hæc illatio non fit per locum intrinsecum, sed per extrinsecum; quatenus scilicet vel non est major ratio quod operetur ubique, quàm quòd sit ubique præsens: vel quatenus supposito quòd constet aliunde eum esse præsentem ubicumque operatur, consequens est quod sit ubique, si ubique operetur. Sicque argumentum illud, est ex concomitantibus, quale foret istud, *Deus est infinitè potens, ergo infinitè sciens*: Non quòd scientia infinita directè sequatur ex infinita potentia: sed quod scientia & potentia divina, cum sint essentiæ divinæ perfectiones, ipsique identificatæ, & proinde infinitæ, rectè sequitur, quòd si potentia divina est infinita, etiam scientia divina est infinita; nimirum ratione tertii, id est ratione essentiæ divinæ in qua utraque convenit.

X.

Scriptura sacra aliquando arguit ab inefficaci argumento.

Adde quòd Scriptura sacra non semper efficax proferat argumentum; sed etiam interdum probabile ad veritatem insinuandam; arguit enim aliquando ex humana authoritate, quæ tantùm est medium probabile. Sic sanctus Paulus eodem *capite* probat Deum non esse similem ligno & lapidibus, testimonio Poëtæ dicentis quòd *simus genus Dei*: quasi diceret: Ex vestris Authoribus, humana natura, quæ est imago & genus Dei, multò præstantior est ligno & lapidibus, quibus simulacra vestra constant: Ergo multo magis Deus longè hæc excedit. Similiter ad *Titum primò*, probat vitia Cretensium propriô testimoniô ipsorum scriptoris, dicentis, *Cretenses sunt semper mendaces.*

XI.

Ridetur Molinæ in Subtilem Doctorem censura.

His patet quàm inepta prorsus, & ridenda Molinæ censura, quâ Doctoris Subtilis sententiam fulminat, quamquam enim ex authoritate Scripturæ inferretur colligendam esse substantialem Dei præsentiam ex ipsius operatione, nihil tamen hæc illatio Doctoris sententiam urgeret; Siquidem Doctor contendit Dei præsentiam non posse colligi ex operatione, quia nulla ratio naturalis id potest evincere; licet fortè aliqua authoritas idipsum suaderet.

Objicies 2. Activum & passivum se habent ut actus & potentia: sed actus & potentia necessariò requirunt præsentiam & unionem, ut causent aliquid: Ergo etiam agens & passum requirunt intimam & substantialem præsentiam.

XII.

Qualiter *Actus* & *Potentia* sibi debeant esse præsentes.

Distinguo majorem: Se habent ut actus producendus & potentia productiva, concedo: ut actus informativus & potentia informanda, nego. Minorem Similiter distinguo, Actus producendus & potentia productiva requirunt intimam unionem & præsentiam, nego; Virtus enim creandi, v. g. habet pro actu sibi correspondente rem tantùm in esse possibili; proindeque non potest ipsi esse realiter præsens: Actus informativus & potentia informanda exigunt sui ipsius præsentiam, quia ex eorum mutua unione fieri debet aliquid unum; sicut corpus Physicum, v. g. fit ex unione materiæ & formæ, concedo. Sicque hæc objectio præsentem difficultatem non attingit.

XIII.

Esse *ut sic* supponitur ad operari *ut sic*; non tamen *esse hic* supponi debet ad operari hic.

Objicies 3. Sicut esse *ut sic* habet se ad operari *ut sic*, ita *esse hic* habet se ad operari *hic*: Ergo sicut implicat operari *ut sic*, nisi priùs supponatur *esse ut sic*; ita operari *hic* implicat nisi supponatur *esse hic*.

Nego Majorem, quia esse *ut sic* se habet ad operari *ut sic*, tanquam actus primus ad secundum; implicat autem ut sit actus secundus, quin præsupponatur primus: Esse autem *hic* non se habet ad operari *hic* tanquam actus primus ad secundum, quia esse *hic* tantùm significat relationem præsentiæ rei in loco, quæ relatio ex se non est activa neque conditio necessariò prærequisita ad operationem, siquidem res potest suam virtutem exerere & aliquid producere ubi non est.

Objicies 4. Actio est quidam motus: sed repugnat motum esse in extremo nisi priùs fuerit in medio, ut patet in motu locali: Ergo repugnat actionem aliquam fieri in distans, quin prius fiat in medium.

XIV.

Sicut motus fieri potest in in-

Negari potest Major: Omnis enim actio non est motus; motus enim supponit subjectum mobile, actio autem creativa, v. g. nul-

Respondeo nonnullos è SS. Patribus equidem colligere Dei præsentiam in rebus ex ejus operatione; sed per locum extrinsecum & consequentiam materialem; non verò per locum intrinsecum & per consequentiam formalem. Quasi dicerent, Deus est ubique, & ideo ubique operatur; ut iam dictum est.

Quæstio Tertia.

An Deus ratione suæ Immensitatis realiter sit extra mundum & in spatiis imaginariis.

DUo proponuntur in præsenti Quæstione resolvenda. *Primum* quidem an revera Deus intra hujus universi ambitum ita contineatur, ut extra mundum non existat: *Secundum*, an ex hypothesi quod extra mundum existere dicatur, num idcirco spatio, quod ultra cœlos fingimus & imaginamur, verè præsens dici queat. Hac autem in solvenda Quæstione triplex est Authorum sententia. *Quidam* enim affirmant Deum revera præsentem esse spatiis imaginariis. *Aliqui* in oppositum euntes contendunt eum intra universi ambitum ita contineri, ut extra mundum diffusus & præsens dici non debeat. *Alii* denique mediam viam euntes affirmant equidem Deum non esse verè præsentem spatiis imaginariis, posse tamen dici extra cœlos effundi, nec intra mundi limites arctari: quæ lis ut dirimatur evidentiùs,

Triplex sententia.

I. *Notandum* 1. nedum inter Theologos, sed etiam inter veteres Philosophos maximam fuisse de Dei extra Cœlos effusione, & præsentia altercationem, nam ut refert Eusebius, *lib.15. de præparatione Evangelica*, Pythagorei & Stoïci affirmabant supra Cœlum esse inane quoddam spatium quod infinitum esse voluerunt: Aristoteles verò primô librô de Cœlo cap. 3. *neque corpus extra Cœlum posse esse dicit, neque locum, neque vacuum, neque tempus*: Plato verò in Phædro Stesichorum narrantem inducit, supra Cœlum quandam esse regionem amœnissimam, cujus pulchritudo verbis explicari nequeat: quam Sententiam Cleomedes impugnavit; licet idem asserat extra mundum esse vacuum aliquod spatium nullo repletum corpore, sed inanè prorsus & rebus carens, idque probat pluribus argumentis, quorum disquisitio magis Philosophos quàm Theologos spectat.

Varia de spatio inani & imaginario Veterum sententia.

II. *Notandum* 2. per *spatia imaginaria*, nihil aliud intelligi, quàm intervalla quædam vacua, & inania, quæ extra Cœlos concipimus per modum loci nullo corpore repleti; eô ferè modô, quô fingimus ante mundi fabricam, fuisse vastitatem quandam inanem & vacuam in eodem spatio quod nunc mundus occupat. An autem Deus revera sit in illis fictitiis spatiis per veram, & realem præsentiam, hîc est resolvendum.

Quid sit spatium imaginarii.

III. *Notandum* 3. Deum posse concipi extra mundum existere duobus modis: nimirum vel *negativè*, vel *positivè*. Priori modo significatur Deum non limitari, nec coarctari intra universi ambitum, eò quòd ipsius infinita substantia nullis limitibus aut terminis circunscribatur; posteriori verò designatur quod Deus sit positivè & eodem modo diffusus per imaginaria, & fictitia spatia extra Cœlos, quô per universum mundum diffunditur, & præsens est.

Deus concipitur existere extra mundum negativè aut positivè.

A

Conclusio Prima.

IV. DEus *reverâ non est præsens spatiis imaginariis*. Ita Doctor Subtilis *in 1. dist.37. quæst. unicâ*, & cum eo communiter cæteri Doctores Scholastici tam veteres quàm moderni.

Deus non est in spatiis imaginariis.

Probatur: Deus non potest dici præsens nihilo: sed spatia imaginaria nihil sunt: Ergo Deus non potest illis esse præsens. Minor patet; nam ut loquitur Aristoteles 4. Physicorum cap. 2. *Semper hoc quod alicubi est, & ipsum esse aliquid, & aliud aliquid extra ipsum*: Hoc est locus in quo aliquid est, debet esse verè realis & distinctus ab ea re, quam continet: Unde infert cap. 5. *Mundum alicubi non esse, quod enim alicubi est, & ipsum aliquid est, & aliud quid in quo continetur oportet esse*: At extra universum, & totum nihil est.

B

1. Quia illa nihil sunt.

Probatur itaque Minor: Illa spatia extra mundum, vel realia sunt, vel omninò fictitia: sed nullatenus dici possunt realia: vel enim essent independentia, & improducta à Deo, vel ab eo producta ab æterno, & ante mundi creationem; sed utrumque asserere hæreticum est: Primùm enim damnat Symbolum Nycenum affirmans Deum esse Creatorem, & *factorem omnium visibilium, & invisibilium*: Secundum autem repugnat Concilio Lateranensi affirmanti cap. *firmiter* Deum omnia condidisse in tempore, sicque nihil esse ab æterno creatum: Ergo restat inferendum interminata illa spatia quæ extra mundum concipiuntur, esse omnino fictitia, nec Deum magis illis inexistere quàm in chimæra & hircocervo: sed nullus dixerit Deum esse verè & realiter præsentem chimæris: Ergo nec spatiis imaginariis.

C

Confirmatur authoritate sanctorum Patrum, qui docent unanimi calculô, Deum ante mundi fabricam non fuisse alicubi; sed in seipso: Sic Tertullianus libro contra Praxeam cap. 5. *Ante omnia*, inquit, *Deus erat solus, & ipse sibi & mundus & locus, & omnia*. Item S. Augustinus *lib. de Fide* contra Manichæos miratur eorum dementiam quod inquirant ubi Deus erat antequam Cœlum & Terra fierent. *Respondet* enim illum in seipso fuisse: sed apertiùs in Psal. 122. *Antequam, inquit, faceret Deus Cœlum & Terram ubi habitabat? In se habitabat, Deus apud se habitabat. & apud se est Deus*: Idem Epist. 57. *Quomodo*, inquit, *ubique, si in seipso? Vbique scilicet, quia nusquam est absens; in seipso autem, quia non continetur ab eis quibus est præsens, tamquam sine eis esse non possit*. Ipsis concinit sanctus Bernardus lib. 5. de Consideratione cap. 6. *Non est*, inquit, *quod quæras ultra ubi erat Deus: præter ipsum nihil erat, ergo in seipso erat*. Quibus verbis etiam rationem assertionis profert, Deum scilicet nullibi extitisse ante mundum conditum, quia videlicet nihil erat. Quibus omnibus quadrant antiqui sequentes Uersiculi quos refert Dionysius Carthusianus in primum dist. 37. quæst. 1.

2. Quia SS. Patres hoc affirmant.

D

E

Dic ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset?
Tunc ubi nunc, in se; quoniam sibi sufficit ipse.

Hæc autem existentia Dei in seipso intelligenda est, non *positivè*, quasi seipsum conti-

neret per modum spatii; sed *negativè*, ita quod non sit aliquis locus cui Deus inexistat extra mundum; eo sensu quô sancti Patres dicunt Deum esse sui causam, non quòd seipsum produxerit, sed quòd nullum sui productorem agnoscat.

Dices 1. Spatia illa imaginaria sunt aliqua capacitas ad excipiendam quamcumque Creaturam, quam Deus producere potest extra mundum: sed talis capacitas revera existit, alioquin Deus non posset aliquam Creaturam producere extra mundum: Ergo etiam Deus illi inexistit.

V. *Spatia imaginaria non sunt quædã capacitas realis, sed fictitia.*

Distinguo majorem: Sunt capacitas realis & realiter existens, nego: fictitia & imaginaria, concedo: si enim illa capacitas esset realis, vel esset aliquid positivum, vel negativum: Si sit aliquid *negativum*, certè nihil est nec verè existit, negationes enim, & privationes nonræ, verè sunt non ens, & dicere illas actu existere, idem est ac affirmare non ens esse & non existens existere. Si *positivum*, esset aliqua Creatura realiter existens, aut possibilis; si primum, jam spatia illa non essent imaginaria, nec extra universum, siquidem universi nomine, omnium Creaturarum congeries significatur: si secundùm, certum est illa spatia nihil esse actu, nec quatenus possibilia aliud significare, quàm non repugnantiam ut Deus producat aliquid per modum loci extra mundum; hæc autem possibilitas, & non repugnantia, nihil importat reale de facto, sicque Deus non potest ipsi realiter esse præsens.

Dices 2. Præsentia actualis extra mundum, est possibilis Deo: Ergo illam habet actu. Probatur antecedens. Si esset impossibilis, maximè vel quia simpliciter repugnat, vel quia Deum dedecet: *Non primum*, quia hæc impossibilitas oriretur ex eo quòd præsentia actualis dicat ordinem essentialiter ad spatium actuale, sed hoc est falsum; tum quia potest dari præsentia actualis in vacuo terminato v. g. in aula si vacua esset aëre, & aliquid in ejus medio poneretur: *Non etiam secundum*, sicut enim præsentia actualis in mundo Deum non dedecet, ita nec dedecet præsentia actualis extra mundum si sit possibilis.

VI. *Qualiter Deus possit esse extra mundum.*

Nego antecedens. Ad cujus probationem dico repugnare Deo præsentiam extra mundum, præcisè quia extra mundum nihil est cui Deus possit esse præsens; implicat enim dari præsentiam actualem unius rei ad alteram, sive præsentia sit quid absolutum, sive quid respectivum, si non sit altera res, cui alia possit esse præsens. *Ad confirmationem* dico non posse dari præsentiam in vacuo terminato, quæ terminetur ad ipsum vacuum; quamvis fortè dati possit præsentia alicujus rei per respectum ad circumferentiam & partes ipsius aulæ in qua esset vacuum; ita quod verum esset dicere, talis res est in hac aula, non autem alibi.

Dices 3. Id habet Deus ratione suæ immensitatis, & quantitatis virtutis ac molis, quod haberet corpus infinitum, si daretur, ratione suæ quantitatis molis: sed si daretur corpus infinitum, tanta esset ejus quantitas molis, ut de facto, nedum per universum mundum diffunderetur; sed etiam per imaginaria spatia sese extenderet, si enim intra universi cancellos arctaretur, non esset infinitæ extensionis: Ergo etiam tanta est quantitas virtutis in Deo, ut de

A facto per omnia imaginaria spatia substantialiter diffundatur.

VII. *Corpus infinitum non esset extra mundum positivè, sed negativè.*

Distinguo majorem. Id habet Deus ratione quantitatis molis, quod haberet corpus infinitum ratione quantitatis molis, eodem modo se habentis, in ordine ad locum, nego: diversimodè se habentis, concedo majorem: corpus enim infinitum, ita per universum diffunderetur, ut quælibet alia corpora per suam impenetrabilitatem excluderet; Deus autem, etsi omnes universi partes penetret, nullam tamen à loco removet nec excludit. *Minorem* similiter distinguo: Corpus infinitum extra universum B diffunderetur, positivè quasi haberet præsentiam realem & veram ad spatia imaginaria, nego: negativè, ita quod ratione suæ infinitatis non ita contineretur intra mundum, quin ad alterum mundum, si crearetur, non posset etiam sese extendere, concedo. Idem de Deo dicendum, & proinde neganda est consequentia.

Dices 4. Ex nostra sententia plura sequuntur absurda & Deo repugnantia: Ergo non est admittenda. Primò namque sequitur Deum posse mutari: potest enim extra hunc mundum producere aliquod corpus & ipsi fieri præsens, sed si non esset actu in spatio imaginario in quo tale corpus produceretur, Deus novam acquireret præsentiam, inciperetque esse præsens ubi antea non erat: Ergo revera C mutaretur.

Secundò: Sequeretur quòd Deus posset esse veluti à se divisus; etenim si in spatiis imaginariis produceret duo corpora inter se distantia: tunc vel Deus secundùm substantiam esset in medio illorum corporum, vel non; si primum, habetur intentum, quia tale medium in quo esset, non est reale, sed imaginarium: si secundum, divina substantia esset à se divisa & veluti discontinua, siquidem esset in duobus illis corporibus, non autem esset in medio.

Tertiò: Sequeretur Deum posse moveri per D accidens; moveri enim per accidens nihil aliud est, quàm moveri ad motum alterius, sicut nauta movetur ad motum navis: sed Deus posset moveri ad motum alterius: Ergo posset moveri per accidens. *Minor* probatur. Si Deus produceret aliquod corpus in spatiis imaginariis, tale corpus posset moveri in ordine ad mundum, & mundus moveri posset ad ipsum corpus: Ergo cum Deus utrique esset præsens, etiam cum alterutro moveretur per accidens, sicut anima per accidens movetur ad motum corporis & corpus Christi movetur ad motum specierum.

VIII. *Etsi Deus realiter extra mundũ non existat, tamen non mutaretur si aliquam Creaturam in eo produceret.*

Respondeo ad primum negando sequelam: Si- E cut enim Deus non dicitur mutatus quando produxit mundum, & novam habuit ad illum præsentiam; sic nec mutaretur si de novo produceret aliquod corpus in spatiis imaginariis, ipsique fieret præsens; tota enim hæc mutatio in ipsum effectum, non autem in Deum esset refundenda, in se enim permanens, inquit Sapiens cap. 7. *omnia innovat.*

Nec esset à se divisus.

Ad secundum nego sequelam: Si enim Deus duo corpora produceret in spatio imaginario à se invicem distantia, non esset actu sed tantùm virtute in spatio quod fingetur intercedere inter duo illa corpora: nec propterea diceretur ejus substantia distincta, nec discontinuata; tum quia nullum revera esset medium

reale inter utramqne suam præsentiam, sed tantùm fictitium; tum quia cum Deus sit præsens rebus, noo ipsis advenit; sed ipsas è nihilo educendo facit sibi præsentes veluti trahendo illas intra vastitatem & sinuin immensitatis soæ, sibique hoc modo quasi conjungendo, & præsentes efficiendo; non secus ac mare omnes fluvios ad se attrahit soumque in sinum recipit: Aut veluti spongia in vastissimo Oceano, ut præclarè notavit S. Aogust. 7. Coofessiooum, cap. 5 *Concipiebam te Domine*, ioquit, *ex omni parte ambientem me & penetrantem; sed usquequaqne infinitum; tanquam si mare esses nbique & undiqne per immensum infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen; plena esset undiqne spongia ex omni sua parte eximmanente mari: sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam.*

Nec movetur per accidens.

Ad tertium nego pariter seqoelam: Etenim ot aliquid dicatur moveri per aecidens ad motum alterius, doo requiruntur; primum quidem ut circumscriptivè, vel saltem defioitivè ita sit io eorpore quod movetur, ot oon sit in alio à quo movetur: Secundò ut ad motum unius variet distaotiam quam priùs habebat ad alterum: Hæc autem utraque conditio Deo deesset, utrique enim corpori esset præsens, nec fieret minus distans dum unum corpos ad aliud approximaret.

Dices ultimò. Deus potest constituere aliqood corpus qoantum sopra ultimum & supremum Cœlum, ita quòd pedes habeat soper sphæram illius ultimi Cœli positos, cæteras verò corporis partes extra expansas & erectas, vel assidentes; uti de facto inouere videtur Apostolus evectom fuisse Christi Domini corpus, dicit enim ad Ephesios cap. 4. *Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes Cælos:* sed hoc in casu eorpus illud haberet plores sui partes in spatiis imaginariis: siquidem supra ultimam & supremam sphæram noo datur aliud spatium reale; sed tantùm fictirium. Ergo corpus illud, & moltò magis Deus, potest esse in spario imaginario.

Distinguo Minorem: Corpus illud haberet plures partes in spatio imaginario præsentes per veram, & realem præsentiam, nego: per negarivam, & fictitiam, concedo: Com enim ut supponitur, spatium illud nihil sit, etiam nullum corpus nollumque ens reale potest ipsi fieri verè, & realiter præsens.

Conclusio Secunda.

IX.

Qualiter Deus dicatur esse extra Cœlos.

DEus *reverà est extra mundum, non quidem positivè sed negativè.*

Probatur prima pars nedum ex Scriptura sacra. Job. 22. *Nonne cogitas quòd Deus excelsior cœlo sit, & supra stellarum verticem sublimetur?* E Et 3. Regum cap. 8. *Quem cœli cœlorum capere non possunt.* Idem colligit Caietanus ex illis Christi verbis Joannis 12. *Ego lux veni in mundum:* hoc est intra universitatem creatorarum, extra qoàm prius erat secuodùm Divinitatem: Simili ratione alii probant ex illo ad Hæbreos 11. *Cum iterum introduxisset promogenitum in orbem terrarum*, quasi diceret, illom aotea extra terrarum orbem fuisse.

Probant etiam sancti Patres, nam S. Dionysius cap. 9. de Divinis Nominibus, *Deus*, inquit, *extrinsecùs super omnem magnitudinem* A *funditur & superexpanditur.* S. Gregorios Nazianzenus Apologia prima, *Deus in universo est, & supra universum:* Hilarius 1. de Trinit. *Deus mundo inest interior, excedit exterior.* Augustinus sermone primo de verbis Apostoli, *Quis est omnipotent Deus? quid nisi inæstimabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, ultra omnia, extra omnia, præter omnia?* Et S. Damianus Opusculo 6. de divina Omnipotentia: *Ipse*, inqoit, *manet intra omnia, ipse super omnia, ipse infra omnia. Superior est per potentiam, & inferior est per sustentationem, & exterior per magnitudinem, & interior per subtilitatem.*

Athenagoras Oratione pro Christianis: *Deus est ingenitus & omnia quæ ipsius sunt: mundum* B *verò ita excedit ut impleat undequaque quidquid supra ipsum est, nec locum ullum, sed vacuum relinquat.* S. Greg. lib. 2. Mor. cap. 12. *Ipse manet intra omnia & extra omnia; ipse supra omnia & infra omnia: superior per potentiam, inferior per sustentationem: exterior per magnitudinem; interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens: extra circundans, interius penetrans; nec alia parte superior, alia inferior, aut alia parte exterior, alia interior: sed unus & idem, totus ubique præsidendo sustinens & sustinendo præsidens; circundando penetrans, penetrando circundans.* S. Isidorus lib. 1. de summo booo cap. 2. *Immensitas divinæ ma-* C *gnitudinis ita est ut intelligamus eum intra omnia, sed non inclusum: extra omnia, sed non exclusum, & ideo interiorem ut omnia contineat: ideo exteriorem ut incircumscripta magnitudinis suæ majestate omnia concludat. Per id ergo quod est exterior, ostenditur esse creator; per id quod interior, gubernare omnia demonstratur.*

Hoc argumentum mirum in modum urget Guillelmus Parisiensis libro de Universo sectione 2. parte 2. cap. 68. ubi cum reprehendisset illos qoi arbitrantur Deum mondi terminis circumclusum, & terminatum, subdit: *Sapientes autem, & præcipuè Doctores gentis Christianorum, potiùs dicunt dicendum esse, mundum* D *esse in Creatore, quàm Creatorem in mundo, & Creatorem continere mundum, quàm Creatorem contineri à mundo. In hoc verò quod dicunt Creatorem nihil sui habere extra mundum, non verum dicere videntur, cum extra unamquamque partem mundi se totum habeat. Non enim est in cœlo partem aliquam designare, extra quam se totum Creator non habeat. Quemadmodum enim in una parte cœli est, sic & in qualibet alia, &c.*

Secunda pars sufficienter patet ex præcedenti conclusione: cùm enim Deus non sit positivè præsens spatiis imaginariis, consequens est ipsum tantùm esse negativè extra cœlos.

Quæret an Immensitas soli Deo conveniat? X.

Immensitas soli Deo convenit.

AFfirmant omnes Doctores, siquidem nulla potest esse Creatura, quæ ex natura sua postulet vimque habeat sese præsentem sistendi ubique; quamquam enim aliqua Creatura per omnipotentiam divinam fieri posset præsens per replicationem præsentiæ infinitis locis, si darentur; illa tamen idcirco non censeretur esse immensa, quia non exigeret hanc ubiquitatem ex natora sua, & per ingenitam suam virtutem, qualiter illam ubiquitatem ex immensa & illimitata sua natura Deus exigit.

Quæres 2. An Immensitas sit specialis aliqua Dei perfectio?

AFFIRMO contra Smisingum *Tractatu 2. disp. 2. num. 4.* ubi existimat Dei immensitarem ab ejus infinitate, & immutabilitate oriri, & non discrepare: cujus contrarium sic probo. Illa perfectio est ab aliis distincta, quæ diversum ab iis habet effectum; sed constituere Deum præsentem quoad suam substantiam, est effectus formaliter distinctus à cæteris Dei perfectionibus: Ergo provenit ab aliqua perfectione speciali. *Major* constat; *Minor* probatur. Si substantialis Dei præsentia in rebus, ab aliqua alia perfectione provenit, maximè ab infinitate, ut ipsemet Smisingus fatetur; sed non provenit ab infinitate. *Probo.* Vel enim proveniret ab infinitate attributorum, vel ab infinitate essentiæ. *Non primum*; licet enim Deus concipiatur infinitè sapiens v. g. bonos, justus, &c. non propterea concipitur ubique præsens. *Non etiam secundum*: TUM QUIA infinitas Essentiæ divinæ nihil aliud significat nec importat, quàm prædicata Essentiæ divinæ competentia eamque constituentia, non habere aliquem terminum, & limitationem in perfectione essentiali, hoc autem non efficit Deum formaliter ubique præsentem.

XII. *Præsentia divina in omnibus locis non provenit ab infinitate.* TUM QUIA si hæc præsentia proveniret ab infinitate essentiæ, maximè quia, inquit Smisingus, Deum esse præsentem rebus, nihil aliud est, quàm ipsum esse indistantem ab eis, eiusque præsentia nihil aliud importat quàm simplicem à rebus indistantiam; & consequenter nihil dicit positivum, estque tantùm negatio, quæ proinde specialem perfectionem non infert; sed hoc est falsum. TUM QUIA præsentia nostra est aliquid positivum, siquidem est relatio extrinsecùs adveniens: Ergo etiam Deus est præsens per aliquid positivum, non quidem superadditum, sed sibi intrinsecum. TUM QUIA specialis negatio fundata in repugnantia ad oppositum, sequitur necessariò ex aliquo speciali positivo: non enim negatio opposita sapientiæ, v. g. competit Essentiæ divinæ formaliter quia Essentia divina est; sed ratione sapientiæ oppositæ isti negationi; quàm sapientiam si non haberet Essentia divina, certè haberet illius negationem: sed distantia opposita indistanti non est prædicatum immediatè oppositum per se formaliter ulli prædicato Essentiæ divinæ: Ergo indistantia & ubiquitas præcisè non convenit Deo ratione Essentiæ divinæ immediatè, sed mediante speciali aliqua divina perfectione, quæ exprimitur nomine immensitatis: Ergo debet esse specialis perfectio.

Quæres 3. An præsentia Dei in rebus sit divisibilis?

XIII. *Præsentia Virtualis Dei est indivisibilis.* RESPONDEO 1. Præsentiam VIRTUALEM seu vim quam habet Deus esse ubique ratione infinitæ & immensæ suæ substantiæ, esse indivisibilem; cum enim Essentia divina sit omnino simplex & spiritualis, nullasque partes habear; non potest esse in loco divisibiliter eò scilicet modò, quò corpora habent aliquas suas

A partes sorsum, alias deorsum, alias à dextris, alias à sinistris: Unde Isidorus Hispalensis lib. 1. de summo bono cap. 2. *Nec particulatim*, inquit, *Deus implet omnia: nec ullatenus putandum est in omnibus esse Deum, ut unaquaque res per magnitudinem positionis suæ capiat eum; id est maxima majus, minima minus; dum sit potius ipse totus in omnibus, sive omnia in ipso.*

Ipsi concinit S. Damascenus lib. 1. cap. 14. *Sciendum est*, inquit, *Divinum Numen, nullas haberes partes, & totum ex toto esse ubique non partem in parte, ita ut corporum more dividatur: sed totum in omnibus, & super omne totum:* Unde S. Ambrosius, lib. *de dignitate hominis cap. 2.* B imaginem Dei quâ prædita est anima rationalis constituit in eo, *Quod sicuti Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificant, movens, & gubernans, sicut Apostolus confirmat, QUOD IN EO VIVIMUS, MOVEMUR ET SOMOS, sic anima in suo corpore ubique tota viget vivificant illud, movens, & gubernans, Nec enim in majoribus corporis suis membris major, & in minoribus minor; sed in minimis tota, & in maximis tota.*

Respondeo 2. Præsentiam ACTUALEM Dei esse totuplicem, quot sunt res quibus Deus inexistit: hæc enim inexistentia non est aliquid reale positivum in Deo; sed est, vel negatio distantiæ, vel respectus rationis fundatus in eo C quòd res intra sinum Divinitatis existant, & ab ea omninò sint indistantes. Unde cum respectus multiplicentur juxta terminorum multitudinem, variæque sint res creatæ, à quibus divina substantia indistans est, & ad quos concipitur habere respectum rationis resultantem ex fictione intellectus humani; consequens est tot esse divinas præsentias actuales, quot concipi possunt, & fingi tales respectus, & indistantiæ: hæ autem tot fingi possunt, quot de facto sunt Creaturæ quibus Deus inexistit: Ergo actualis divina præsentia multiplex est & divisibilis. *Non ita Præsentia Actualis.*

Ex iis omnibus patet, qualiter ratione Immensitatis Deus dicatur esse *ubique*, & *illocabilis*, & *incircunscriptus*. Dicitur enim esse, *Ubique*, D quia substantialiter præsens est omni loco, omni spatio, & omni omnino rei existenti, itaut nulla omninò res sit tam vilis & parva, intra quam Deus secundùm essentiam non sit præsens. Dicitur *Illocabilis*, quia nullo loco, vel spatio concludi potest; quantumvis enim maximum spatium cogitetur, illud omnino excedit. Denique dicitur *Incircumscriptus* quia nulla loci circumferentia contineri potest. Hinc sanctus Athanasius in rescripto ad Libetium, dicit *Deum esse incomprehensibilem loco:* & sanctus Damascenus lib. 1. de Fide cap. 16. affirmat *Deum esse incircumscriptum, & non esse in loco, sed ipsum sibi esse locum*, quia nimi- E rum nullo loco circumscribitur nec clauditur.

ARTICULUS QUARTUS.

De Æternitate Dei.

I. *Summa Æternitatis cum Immensitate societas.* DIURNAM Immensitatem ordine recto sequitur ejus individua comes, & socia Æternitas, paribus namque modulis ambæ illæ

Dei perfectiones procedunt; ut canit S. Prosper in sententiis.

Vique avi spatia, ac numeros praecedit & exit:
Sic nullo immensus cohibetur fine locorum.

Quemadmodum enim per Immensitatem Deus omnia spatia penetrat, & excedit; ita per æternitatem omnibus præsens est temporibus, & quamlibet durationem excogitabilem amplectitur. Quàm autem humanum captum longè fugiat æternitatis notitia, exinde colligere lubet, quòd Augustinus Doctorum Aquila, momentaneam licet temporis durationem tanquam obscurissimum ænigma semper habuerit; nam ut loquitur lib. 11. Confessionum cap. 14. *Quid sit tempus*, inquit, *si nemo exme quærat, scio: si quærenti explicare velim, nescio*; quantò magis ergo in investiganda & reseranda divina æternitate tenuis noster hebescit animus? Nihilominus prævia ac præfulgente sanctorum Patrum Doctrina, affulgenteque Scoti nostri Doctoris Subtilitate; quidquid de hac æternitate divina scire concessum est, sequentibus in Quæstionibus aperiemus.

Quæstio Prima.

Quid, & qualis sit Æternitas.

II. NOTANDUM 1. variam, ac multiplicem fuisse apud veteres tam sacros quàm profanos Æternitatis usurpationem.

Multiplex æternitatis usurpatio.

PRIMÒ namque *Æternum* idem quod *Antiquum* significat Genesis 49. ubi Jacob venturum Messiam prædicens, eum appellat *desiderium collium æternorum*, id est veterum sanctorum; quâ ratione etiam David Psalmô 72. *Montes æternos* appellat sanctos Angelos aut veteres Patriarchas, dicendo: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*, quam utique usurpationem æternitatis ipsemet confirmat Psalmo 76. ubi pridem elapsos annos, *Æternos* nominat dicens, *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.*

SECUNDÒ, interdum usurpatur æternitas pro *Seculo*, seu periodo cujuslibet rei, ac longæva ipsius duratione. Sic Exodi 3. dicitur; *Dominus regnabit in æternum, & ultra*, ubi alia versio *Regnabit in sæculum, & ultra*: quâ etiam ratione Deus promisit Abrahæ posteritatem longævam, & stabilem dominationem, Genesis 17. dicens: *Dabo tibi, & semini tuo omnem terram Chanaam in possessionem æternam.*

TERTIÒ, *Æternum* dicitur, quod habet quidem initium suæ durationis, sed fine carebit. Sic Matthæi 25. reprobi *Ibunt in supplicium æternum*, justi verò *in vitam æternam.*

QUARTÒ, æternitas usurpari potest pro ea re quæ nec initium, nec finem haberet suæ durationis; dependeret tamen à principio producente, qua ratione Philosophi aliqui censuerunt mundum esse productum ab æterno & in æternum duraturum.

QUINTÒ denique, propriè usurpatur *æternitas* pro duratione illius qui nec finem, nec initium, nec ullam causam sui productivam agnoscit, qualiter æternitas soli Deo propria dicitur.

III. *Notandum* 2. hoc esse discrimen inter varios sequentes durationis modos, nimirum tempus, A ævviternitatem, sempiternitatem, & æternitatem, quòd *Tempus* sit duratio rei successivæ secundùm prius, & posterius, quæ habet initium, & finem: ÆVITERNITAS autem, est duratio rei permanentis & incorruptibilis ab intrinseco, quæ initium quidem habet, sed non est habitura finem, qualis est duratio Angelorum, & animæ rationalis: *Sempiternitas* verò dici potest eorum quæ carerent initio & fine secundû durationem, haberent tamen dependentiam à principio extrinseco producente, qualis esset duratio mundi aut alicujus specialis creaturæ si ab æterno fuisset producta: seu ut loquitur Richardus Victorinus lib. 2. de Trinit. cap. 4. B *Sempiternum esse videtur, inquit, quod caret initio, & fine: æternum autem quod caret utroque, & omni mutabilitate; & quamvis forsitan neutrum sine altero invenitur; rectè tamen inter nominum significationem distinguitur:* Unde infert: *Quid itaque aliud est ÆTERNITAS, quàm diuturnitas sine initio & fine, & carens omni mutabilitate.*

Quatuor durationis modi & eorum discrimen.

IV. *Notandum* 3. durationem solitò dici mensuram rei perseverantis in suo esse, quæ descriptio ut innotescat, distinguendum est triplex genus mensuræ. 1. est mensura *Perfectionis* juxta illud Aristotelis 1. Metaphysicorum cap. 3. *In unoquoque genere est unum quod est mensura cæterorum sub eodem genere.* Secundò, mensura C *Notificationis*, sic ulna notificat quantitatem panni. Tertiò, est mensura *Durationis*, sic tempus dicitur mensura motus, æviternitas mensura Angelorum, & æternitas ab aliquibus mensura Dei appellatur. His prælibatis tria proponuntur in præsenti Quæstione resolvenda. Primum quidem quænam sit æternitatis genuina definitio, aut descriptio: secundum an æternitas verè dici possit duratio: Tertium an habeat rationem mensuræ respectu Dei, aut respectu creaturarum.

Triplex mensuræ genus. 1. Perfectionis. 2. Notificationis. 3. Durationis.

Conclusio Prima.

V. ÆTERNITAS rectè describitur à Boëtio, lib. 5. de Consolatione Prosâ sextâ, D *Interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*, cui consonat illa, quam priùs tradiderat Anselmus cap. 24. Monologii dicens, *Quid aliud est æternitas quæ soli illi Deo convenit, quàm interminabilis vitæ, simul, & perfectæ tota existens?*

Æternitatis descriptio traditur.

Præfatæ autem Boëtianæ descriptionis singula verba ponderanda sunt; quodlibet enim eorum varium ac multiplicem sensum refert. Primò namque dicitur *Possessio* ad designandam ejus firmitatem, certitudinem, & indeficientiam: illud enim possidere dicimur, quod firmiter & inamissibiliter habemus, nec ab eo ullatenus dimoveri possumus. Secundò *Possessio* E *vitæ*, vita enim cùm sit præstantissimus Divinitatis gradus, non immeritò usurpatur pro cæteris Divinitatis prædicatis tàm essentialibus, quàm attributivis; ut observat Doctor quodlibeto 6. *Quâ de causâ (inquit) Christus volens indicare, se totam Divinitatem à Patre accepisse per æternam generationem, solius vitæ meminit*, dicendo Joannis 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.*

Et expenditur.

Vita præstantissimus divinitatis gradus

Tertiò, *Interminabilis*, idest, carens omni principio & fine, non solùm actu; sed etiam de potentia absoluta. Quartò *Tota simul*, ut

distinguatur à tempore, cujus partes nusquam simul sunt; sed per successionem acquiruntur, ita ut ad unius præsentiam, cæteræ evanescant. Duplex etiam per has particulas temporis imperfectio ab æternitate excluditur: imperfectio scilicet divisionis quæ excluditur per particulam *tota*, & imperfectio successionis, quæ per particulam *simul* tollitur; Quintò denique, dicitur *perfecta possessio*, tum ut excludatur *nunc* temporis, quod licet totum simul sit, ac partes non habeat, tamen absolutè non est quid perfectum, nec in eo res aliqua perfectè tenetur, ac possidetur: tum ut illa possessio denotetur esse independens, inamissibilis, & absolutè necessaria. Vel (ut observat Doctor locô laudatô) dicitur *interminabilis*, quia excludit desitionem; *tota simul*, quia excludit successionem; & *perfecta possessio*, quia excludit dependentiam, & participationem.

VI. *Alia æternitatis explicatio à S. Bonaventura.*

Vel ut observat Seraphicus Bonaventura, lib. 1. Compendii Theologici cap. 18. *In hac definitione tres ponuntur conditiones quæ sunt inseparabiles ab æternitate increata, quæ Deus est, scilicet interminabilitas ibi*, INTERMINABILIS VITÆ POSSESSIO. *Item invariabilitas, ibi*, TOTA SIMUL: *nihil enim variabile est in Deo, sed totum simul. Item simplicitas, ibi*, PERFECTA: *Illud enim summè perfectum est cui non est possibilis aliqua additio. Per primum, separatur Deus ab omni corruptibili. Per secundum, ab omni variabili. Per tertium, ab omni composito.*

VII. *Nec non & ab Alensi.*

Vel denique, ut explicat Alensis quæst. 12. art. 2. membro 2. *In præfata definitione tanguntur tres conditiones quæ sunt inseparabiles ab æternitate increata; quæ sunt* INTERMINABILITAS, INVARIABILITAS, SIMPLICITAS. *Est enim quoddam, quod est terminabile, & ex parte ante, & ex parte post: ut generabilia, & corruptibilia: ad quorum differentiam dicitur æternitas* INTERMINABILIS VITÆ POSSESSIO. *Item sunt interminabilia sicut perpetua; & tamen sunt mutabilia seu variabilia: ad quorum differentiam additur*, TOTA SIMUL; *Nihil enim variabile est totum simul; imo quædam habet actu, quædam nondum habet. Item quoddam est esse interminabile, & invariabile; sed tamen compositum est ex se: sicut Angelicum esse, quod habet compositionem (sicut dicit Boëtius) ex eò quòd est, & quô est: ad cujus differentiam additur*, PERFECTA: *Illud enim summè perfectum est cui non est possibilis aliqua additio: & ubi non est aliqua pars possibilis respectu totius, & simplicitate ista solus Deus perfectus est, quia quidquid est in eo, est ipse.*

Per primum ergo separatur esse æternitatis ab omni corruptibili: per secundum ab omni variabili: per tertium ab omni composito sive sit compositum ex Materia & Forma, sive ex eò quòd est, & quô est, sive ex differentiis.

VIII. *Simplicitas non propriè spectat ad rationem durationis.*

Observandum nihilominus cum *Smisinguo*, *quæst. 1. de Æternitate num. 3.* SIMPLICITATEM impropriè assumi ad describendam æternitatem, quia, inquit, ad durationem rei, per accidens, aut materialiter videtur se habere quod sit simplex; loquendo de simplicitate, quæ excludit compositionem ex subjecto & forma: nam sicut aliqua entia magis simplicia, non magis participant de æternitate; sed potius de tempore, ut *Accidentia*, quæ successivè acquiruntur; quatenus sic producuntur, mensurantur tempore; eorum enim productio

A successiva est: *Substantiæ* verò, quæ sunt compositæ mensurantur *Ævo*, quod magis convenit cum æternitate.

Nisi fortè SIMPLICITATEM usurpent quatenus nimirum negat compositionem ex actu existentiæ, & potentia objectiva, quæ simplicitas coincidit cum negatione dependentiæ, vel eam proximè consequitur, eô enim quô aliquid est omninò independens, non habet ullam potentiam objectivam; sed est ens necessarium & simpliciter actu, ac proinde æternum & invariabile.

B

CONCLUSIO SECUNDA.

IX. *Æternitas est verè duratio, quod probatur triplici ratione.*

ÆTERNITAS *verè & essentialiter dicitur duratio.* Hæc est communis inter Theologos contra Aureolum in 1. *dist.* 9. *quæst.* 2. *art.* 2. ubi affirmat *æternitatem* non esse propriè durationem Divinitatis; sed esse ipsammet divinam naturam, quatenus vim habet coëxistendi infinito tempor' imaginario: sicut *Immensitas* dicitur divina vis quâ Deus potest se se præsentem sistere in omni loco imaginabili.

1. Quia per hoc cum tempore & Ævo convenit.

Probatur primò Conclusio, Eô modô se habet æternitas respectu Dei quô Ævum & tempus respectu creaturarum, nam *æternitas, ævum*, & *tempus*, sunt tres species sub eodem genere positæ: sed ævum & tempus sunt sub genere durationis; *tempus* enim dicitur duratio rerum successivarum & mutabilium, *ævum*, duratio rerum incorruptibilium, & permanentium: Ergo C à pari, etiam *æternitas* dicenda est duratio entis immutabilis & necessarii.

2. Quia veram habet rationem durationis.

Secundò, duratio nihil aliud est quàm *permanentia rei in suo esse, cum negatione desitionis ejusdem*; sed revera Deus permanet in suo esse & habet negationem desitionis, ac mutabilitatis ratione suæ æternitatis; æternitas enim, ut dictum est, *est interminabilis vita tota simul ac perfecta possessio*; Ergo est etiam vera Dei duratio.

3. Quia duratio non importat necessariò successionem.

Tertiò. Si quid obsit, quominus æternitas D vera sit duratio, maximè quia, inquit Aureolus, omnis duratio ex se formaliter importat successionem sive extensionem ad prius & posterius: sed hoc apertè falsum est; imo potiùs formalis successio derogat durationi; dicitur enim aliquid *durare*, quandiu permanet in esse, dum autem permanentiam deperdit, etiam & durationem amittit: Ergo quantò minùs amittit suum esse; tantò perfectiùs durare censetur: sed in successione amittitur esse; non enim eôdem modô aliquid perseverat, nec tenaciter & perseveranter est in actu; sed continuò transit de potentia ad actum: Ergo successio non est formaliter de conceptu durationis quatenus E præcisè duratio est; sed duratio secundùm se præscindit à successione, & tantum importat rem actu existentem, & perseverantem: Ergo cum æternitas significet perseverantiam Dei in sua actuali existentia absque fine, principio, & ulla mutatione, ac dependentia, verè dicenda est duratio.

Dices 1. ex Aureolo: Omnis duratio est divisibilis secundùm prius & posterius, sed divinæ existentiæ non competit ejusmodi divisibilitas: Ergo nec duratio. Minor patet, ex divina immutabilitate: Major probatur. Omnis duratio alteri comparata, vel est major, vel minor, vel æqualis; cum enim quæritur *quandiu aliquid duraverit*, respondetur *tandiu*, quia vel fuit

fuit ante, vel post alterum, vel simul cum altero, sed hoc est existere, vel secundùm prius, & posterius, vel secundùm coexistentiam divisibilem: Ergo duratio est divisibilis.

X. *Nego majorem*, & ad ejus probationem dico, quòd quando duæ durationes comparantur ad invicem secundùm magnitudinem, & divisibilitatem, illa comparatio non fit secundùm absolutam existentiam rerum durantium; sed secundùm coexistentiam, in qua successio potest inveniri; licet existentia earum non sit successiva. Itaque cum *æternitas* dicitur *major* seu *diuturnior ævo*, vel *tempore*; cumque Deus dicitur extitisse priùs creaturâ, nihil aliud intelligitur quàm ævum, & tempus, & creaturam non coextitisse Deo, & æternitati, non autem in Deo, nec in æternitate significatur aliqua successio, ut fusiùs probabimus quæstione sequenti.

Qualiter una duratio sit major aut minor altera.

Dices 2. Omnis duratio intelligitur per modum cujusdam extensionis, & moræ, quam habet res durans: sed illa extensio, & mora concipi non potest secundùm existentiam permanentem, & simultaneam: Ergo debet esse successiva, & divisibilis. *Major* patet propriâ nostrâ experientiâ; nullus enim aliter concipere potest durationem. *Minor* probatur. Partes extensionis non possunt facere majorem, vel minorem quantitatem in duratione, nisi secundùm earum successionem: *lignum* enim *tripedale*, v. g. non censetur magis durare *ligno bipedali* quia majorem habet extensionem perseverantem: Ergo ut duratio rerum sit major vel minor, debet esse successiva.

Distinguo majorem: Ita intelligitur secundùm imperfectum nostrum modum concipiendi, concedo: secundùm rei veritatem, nego: sicut enim spiritualia non possunt apprehendi positivè, nisi per modum rerum corporearum, quæ nostris sensibus obversantur: ita nec æterna pro hoc statu concipimus, nisi per modum rerum temporalium, quæ habent divisibilitatem in sua existentia; licet æterna, & æviterna talem divisibilitatem non habeant, sed indivisibiliter, & simultaneè existant.

Non solùm secundùm conceptum nostrum, sed etiam secundùm rei veritatem.

Dices 3. Eô modô se habet divina æternitas ad durationem, sicut se habet divina immensitas ad locum: at immensitas non ponit in Deo aliquam extensionem, & magnitudinem permanentem, sed tantùm dicit vim, quâ Deus omnem locum attingere, & penetrare potest: Ergo etiam æternitas non ponit in Deo aliquam durationem aut moram divini esse formaliter, sed tantùm significat vim, quâ Deus attingit omnem durationem imaginabilem absque ulla successione.

XI. *Respondeo* distinguendo majorem. Eôdem modô se habet æternitas ad tempus, & durationem, quomodo se habet immensitas ad locum, & *ubi*; quantùm ad hoc, quòd quemadmodum immensitas, non infert in Deo aliquam divisibilitatem intrinsecam actualem, sed tantùm virtualem, & extrinsecam, ut explicuimus, ita æternitas se habet ad tempus, concedo: aliter, nego: æternitas enim licet non dicat extensionem, & successionem formalem, & intrinsecam; tamen importat, & supponit virtualem, significatque illam Dei perfectionem, ratione cujus divisibiliter coexistere potest omni rei successivæ & divisibli.

Quomodo æternitas cum tempore, & immensitas cum loco comparentur.

Conclusio Tertia.

XII. Divina *Æternitas non habet rationem mensuræ, nec respectu Dei, nec respectu creaturarum.* Hæc est contra modernos Thomistas.

Probatur prima pars. Si esset mensura respectu Dei, vel esset mensura passiva seu potius mensurabilitas divinæ Essentiæ, aut ejusdem mensura activa: sed neutrum dici potest. *Non quidem primum*, mensura enim passiva dicitur tantùm respectu activæ: sed nulla est mensura activa extra Deum, quæ possit ejus essentiam mensurare secundùm durationem. Si quæ enim esset talis mensura, maximè duratio creata; sed hæc talis esse nequit; quia duratio creata mensuraret divinam Essentiam, vel per simplicem applicationem, sicut ulna mensurat unicam panni ulnam; vel per repetitionem, sicut dies pluries repetiti mensurant unum annum, ulna pluries applicata mensurat pannum integrum: sed neutro modo duratio creata mensurare potest durationem Essentiæ divinæ: Non quidem per simplicem applicationem, quia duratio creata finita est, increata verò est infinita, & consequenter cum non sint æquales, una non potest aliam mensurare per simplicem applicationem. Non etiam per repetitionem, quæ enim ita mensurantur, habent principium & finem, sed divina Essentia, nec principium nec finem habet suæ existentiæ, & durationis: Ergo nec mensurari potest duratione creata & finita.

Æternitas non est mensura respectu Dei.

1. Quia nequit esse mensura Passiva.

Non etiam habet rationem *mensuræ activæ*, quia vel mensuraret præcisè divinum esse, vel tantùm durationem illius: *Non primum*, quia mensura debet esse homogenea, seu similis mensurato, ut docet Aristoteles 10. *Metaphysicorum cap.* 3. pondus enim metimur pondere, non verò extensione; & durationem duratione mensuramus, non autem pondere, aut longitudine; æternitas autem non est similis rationis cum esse divino ut sic: Magnitudo enim illius divini esse consideratur secundùm virtualem intensionem, nimirum quatenus virtualiter complectitur infinitos numero gradus perfectionis: duratio autem attenditur secundùm extensionem virtualem, quatenus nimirum coexistere potest infinito tempori si daretur. *Adde quòd* duratio creata non mensurat esse creatum ut sic; plura namque diutius durant quàm alia, licet esse minùs perfectum habeant.

Neque Activa.

Non etiam æternitas dici potest mensurare durationem divini esse, quia mensura distingui debet à mensurato. Est enim, inquit Aristoteles, *laudato cap.* 2. id *quô quantum cognoscimus*; seu mensura ducit nos in cognitionem quantitatis alterius: sed æternitas est ipsamet duratio divini esse: Ergo non potest hanc durationem metiri; aliàs diceretur mensura sui ipsius, & in sui ipsius notitiam duceret.

Concludendum ergo cum S. Thoma *in* 1. *dist.* 19. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad quartum*; quòd *divina magnitudo nullomodo est mensurabilis, vel mensurata, nec ab alio, nec à se. Primò quia mensuratio ponit terminationem, divina autem magnitudo non habet terminum, intra, nec extra; & ideo infinita dicitur: non quidem per extensionem privativè, sed per negationem termini.* Ubi duas alias subdit rationes: *Primò*, quia si aliquid esset mensura Dei, esset aliquid in Deo quod non esset ipse Deus; commensuratio enim, inquit, non est unius quantitatis ad se, sed duarum,

Secundò, sicut omne movens reducitur ad aliquod mouens non motum, ita omnis mensura reducitur ad aliquam mensuram immensurabilem: Ergo quemadmodum Deus est movens non motus, ita dici debet mensura immensurabilis. Quibus patet nuperos Thomistas longè à sui Doctoris sententia deviare.

XIII. *Nec etiam est mensura respectu Creaturarum.* PROBATUR SECUNDA PARS. Nimirum quod *Æternitas non possit esse mensura durationis rerum creatarum.* Vel enim illam durationem mensuraret per adæquationem, seu simplicem applicationem, vel per repetitionem: sed neutrum dici potest. Non quidem primum, cum duratio creata non sit æqualis æternitati; illa enim est finita, & limitata; hæc infinita, illimitata & independens; inter finitum autem & infinitum nulla est æqualitas. Non etiam secundùm, mensura enim per repetitionem, est minor mensurato, sic dies minor est anno, & ulna brevior panno plurium ulnarum: sed æternitas non est minor duratione creata; imò infinitè major: Ergo neutro modo potest illius esse mensura.

Confirmatur. Si æternitas dici posset mensura rerum creatarum successivarum, vel eas mensuraret secundùm unam partem motus & temporis priùs quàm alteram, vel simul & indivisibiliter omnes temporis & motus partes attingeret: sed neutrum dici potest: Ergo non potest esse mensura rerum creatarum saltem temporalium, & successivarum. Consequentia patet, minor etiam est evidens. Primum enim est contra rationem æternitatis, quæ cum sit tota simul & perfecta possessio non potest habere ullam successionem, nec in se, nec in mensuratione. Secundum autem est contra naturam temporis, cujus partes sunt in continuo fluxu nec possunt simul existere, nec proinde alteri permanenti & indivisibili simul & permanenter coexistere, ut ab eo mensurentur.

Dices: Mensura est id quo cognoscimus quanta sit rei duratio, aut quantæ sint rei durantis partes: sed per æternitatem cognoscimus quanta sit quàmque extensa Dei duratio: Ergo æternitas veram habet rationem mensuræ respectu Dei.

XIV. *Definitio mensuræ expenditur.* *Distinguo* majorem. Per mensuram cognoscimus rei quantitatem definitè & distinctè, concedo: indefinitè, & confusè, nego: Mensura enim, ut jam diximus ex Aristotele, ducere debet in cognitionem distinctam, & determinatam quantititatis alterius, ad hoc enim assumitur. Similiter *Distinguo minorem:* Per æternitatem cognoscimus Dei durationem distinctè & definitè, ita quòd evidenter dicere possimus, tanta est, & non major, nec minor Dei duratio, sicut dicitur de qualibet re creata quòd tot dies, vel menses, vel annos, vel sæcula habeat, nego: Cognoscimus indistinctè, confusè, & indefinitè, ita quòd dicere possimus, Dei duratio non habet principium, nec est habitura finem, concedo: Hoc autem non sufficit ad rationem perfectæ mensuræ, quæ mensurati extensionem distinctè notificare debet.

QUÆSTIO SECUNDA.

An & quomodo Æternitas Deo conveniat?

I. *Quæstionis partitio.* TRIA sunt hac in Quæstione resolvenda. Primum quidem, an summa æternitas Deo conveniat; secundum, an soli; tertium, an per modum perfectionis specialis, & à cæteris divinis ejus præcellentiis distinctæ ei sit tribuenda.

II. *Erronea Philosophorum de Dei duratione sententia.* *Notandum* 1. non eandem fuisse apud Gentiles Philosophos de Deitatis duratione sententiam. Quidam enim Deos in tempore genitos fabulati sunt, nam ut refert Hesiodus in Theognia, Jovem Deorum hominumque parentem, Saturno genitum, Saturnum cœli Filium, cœlum terra editum fuisse finxerunt. Quos meritò deridet & objurgat Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 8. *Hac erit novitas*, inquit, *quæ etiam Ethnicis Deos peperit, novo semper, ac novo titulo consecrationis cujusque. Quis Deus novus nisi falsus? Ne Saturnum quidem tanta hodie antiquitas Deum probabit, quia & illum novitas aliquando produxerit cùm primùm consecravit. At viva, & germana Divinitas nec de novitate, nec de vetustate, sed de sua veritate censetur..... Deus si est vetus, non erit: si est novus, non fuit. Novitas initium testificatur, vetustas finem comminatur: Deus autem, tam alienus ab initio & fine est, quàm à tempore arbitro & metatore initii, & finis.*

III. *Æternitas duplex; nempe propria & impropria.* Æternos igitur Deos ea solùm ex parte Aliqui rebantur, quod nusquam essent interituri. Sapientiores verò censuerunt Deos verè æternos esse, ut colligere licet ex Platone in Timæo, ubi arguit eos, qui *errore ducti partes illas temporis*, ERAT, *&* ERIT, *in æternam substantiam imprudentes transferunt:* Idem habet Neumenius Pytagoreus apud Eusebium lib. 11. de præparatione Evangelica. *Deus*, inquit, *ens æternum est, ac stabile, semper in eodem statu perseverans.*

Notandum 2. duplicem distingui posse æternitatem: aliam quidem anteriorem, & posteriorem simul, aliam verò solùm posteriorem: prior initium, & finem; posterior solùm finem durationis negat. Illa simpliciter dicitur *æternitas*, hæc verò *immortalitas* aut incorruptibilitas. Nam ut notat Isidorus Pelusiota Epist. 144. *Quid sit æternitas propriè dicta.* ÆTERNITAS *velut sempiterna vitalitas est; ideo de sola ea natura quæ initii est expers, & eodem modo semper se habet, usurpari consuevit. Etenim* IMMORTALE, *de eo quod cùm ortum habuerit, minimè tamen moritur, hoc est de Angelo & anima, pronuntiari potest: atque item* INCORRUPTIBILE *de iis quæ facta sunt, sed corruptione sunt omni potiora: At* ÆTERNUM, *propriè divinæ Essentiæ convenit.*

IV. *Tria in æternitate consideranda.* *Notandum* 3. ex Doctore *quæst. 6. quodlibetica*, tria in æternitate esse distinguenda: PRIMUM quod sit vitæ perfecta possessio: SECUNDUM quod hæc possessio triplicem adjunctam habeat negationem in verbis præfatæ æternitatis descriptionis expressam. Dicitur enim *interminabilis*, quia negat desitionem: *tota simul*, quia excludit successionem: & *perfecta possessio*, quia omnem dependentiam & participationem respuit.

TERTIUM, quòd præter hanc triplicem negationem, duplicem involvat relationem, unam quidem *negativam*, negatione terminationis, negatione successionis, & negatione dependentiæ; aliam autem *positivam*, quæ est respectus virtualis, & aptitudinalis quem habet Deus ut coexistere possit cuilibet durationi creatæ. Quæ duplex relatio, rationis est, non autem realis: prima quidem, utpote quæ consistit in negatione; secunda verò, quia est respectus ad extra, qui

in Deo realis esse non potest, alioquin diceretur mutabilis. An autem præter hæc tria, æternitas formaliter importet aliquid positivum, non resolvit Doctor, sed quæstionem hanc utrimque librat. A

CONCLUSIO PRIMA.

V. *Æternitas Deo convenit ut patet ex Scriptura.*

SUMMA *perfectaque Æternitas Deo convenit.* Hæc est de fide ut constat tum ex pluribus Scripturæ textibus, quibus Deus fine ullo principio, & fine, Æternusque celebratur. Ita præsertim Hebræorum t. illud Psalmistæ oraculum 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*, de Christo vaticinatum allegat, tanquam proprium veræ divinitatis notam; tum ex Concilio Lateranensi; tum denique ex Symbolo Athanasii ubi *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus affirmatur.* B

VI. *Ex ipso naturali lumine.*

Patet etiam hæc veritas ipsô singulis inditô à natura lumine; *Deum enim*, inquit Boëtius lib. 5. de Consolatione Prosa 6. *Æternum esse cunctorum ratione degentium, commune judicium est.* Id ipsum affirmat Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 3. *Quantum*, inquit, *humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod & omnium conscientia agnoscit; Deum summum esse in Æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine: hunc enim statum Æternitati censendum, quæ summum, magnum Deum efficiat.* Etenim, cum Deus sit id, quô ne fingi quidem majus aliquid possit, aut perfectius, talis nequaquam esset si non æternus esset. C

Et ratione multiplici.

Id ipsum ratio multiplex convincit. Primò namque; si Deus non sit Æternus, consequens est ipsum ab alio originem accepisse, sicque non esse primam omnium causam summè independentem; nec proinde Deum. Præterea si Deus ab æterno non fuit, vel aliud ante ipsum extitit, vel nihil. Si aliquid aliud fuit, hoc est Deo melius, ac præstantius, quod Deitati repugnat: Si nihil omnino fuit, consequens est, nec aliquid etiam futurum esse. *Quia*, inquit Richardus Victorinus lib. de Trinit. cap. 8. *qui sibi vel aliis initium existendi daret, vel potuisset dare, tunc omninò non fuit, quodquàm falsum sit ipsa evidentia ostendit, & rerum existentium experientia convincit.* D

Denique ipsa divina æternitas convincitur ex divinæ Essentiæ plenitudine, seu ratione existendi per essentiam; nihil enim potest esse à semetipso, & totam essendi plenitudinem in se continere, nisi sit ab æterno, ut egregiè demonstrat Anselmus in Prosologio cap. 22. ubi Deum alloquens sic ait: *Tu verò es quod es, quia quidquid aliquando aut modo est, hoc totus, & semper es. Et quia propriè & simpliciter es, non habet fuisse aut futurum esse, sed tantùm præsens esse, nec potes cogitari aliquando non esse.* Nam ut addit Hugo Victorinus, *Cui igitur idem est esse, & id quod est, necessariò semper est, quia à semetipso separari nihil potest, si igitur quidquid à semetipso est, huic idem est esse, & id quod est, qui aliunde esse non accepit, sequitur necessariò ut semper sit, utque aliunde auferri non possit quod aliunde datum non sit.* E

VII. *Tres ad veram æternitatem requiruntur conditiones.*

Confirmatur: Illi summa perfectaque Æternitas convenit, cui propriæ sunt tres ad veram Æternitatem conditiones desiderandæ, nimirum vitæ interminabilitas, simultas, & perfecta possessio; sed illæ summè Deo competunt. Prima quidem; quia, inquit Novatianus lib. de Trinit. cap. 4. *Deus immortalis, & incorruptibilis est, nec detrimenta sentiens omnino, nec finem; nam & quia incorruptibilis, ideo & immortalis; & quia immortalis, utique & incorruptibilis, utroque invicem sibi, & in se connexione mutua perplexa, & ad statum Æternitatis vicaria concatenatione producta: & immortalitate de incorruptione descendente, & incorruptione de immortalitate veniente.* *1. Est Immortalitas.*

Secunda pariter, nam inquit Plutarchus in libro de Esse. Solus Deus *est qui verè est, & est in nullo tempore, sed in æternitate immobili & indeclinabili; cujus nihil est prius, nihil posterius, neque futurum, neque præteritum: ac solum est per se revera eus quod neque fuit, neque futurum est, neque cœpit, neque desiturum est.* Vel ut loquitur Nazianzenos Oratione 3. & 80. Deus, inquit, *& erat semper, & est, & erit, vel ut rectius loquar* SEMPER EST, *nam* ERAT, *&* ERIT *nostri temporis fluxaque natura segmenta sunt: ille autem semper est, atque hoc modo seipsum nominat cum in monte Moysi oraculum edit*, EGO SUM QUI SUM. *2. Firma perpetuitas, futuri & præteritum excludens.*

Unde eleganter concludit Petrus Damianus opusculo 36. cap. 8. *Omnipotenti Deo non est heri vel cras, sed hodie sempiternum, cui nihil defluit, nihil accedit; cui nihil est varium, nihil à se diversum. Illud hodie, Æternitas est incommutabilis, indefectiva, inaccessibilis....., in illo scilicet hodie dies ille adhuc immobilis est, in quo mundus iste sumpsit originem, in illo jam & ille nihilominus est, quô judicandus est per æterni judicii æquitatem.*

Tertia denique æternitatis conditio Deo congruit, etenim, ait Gregorius Nissenus lib. 1. contra Eunomium; *Nullius egens illa, & æterna, & omnia quæ sunt complexa natura, neque in loco est, neque in tempore, sed ante hæc, & super hæc, inexplicabili quadam ratione ipsa in se sola fide conspicitur, neque sæculis circumscripta, neque cum temporibus decurrens, sed in seipsa consistens, & in seipsa fundata, & stabilita.* Paulo infra. *Illi autem sublimi & beatæ virtuti cui omnia secundùm præsens semper adsunt, etiam id quod futurum est, ob infinitam illam comprehendendi vim inesse consideratur:* Ergo cum tres ad perfectam æternitatem desiderandæ conditiones Deo congruant, haud dubium est enm vere esse æternum. *3. Plenissima bonorum omnium possessio.*

CONCLUSIO SECUNDA.

VIII. *Æternitas soli Deo congruit.*

ÆTERNITAS *propriè dicta soli Deo convenit.* Hæc sufficienter constat ex præcedenti conclusione, tres enim præfatæ conditiones ad perfectam æternitatem desiderandæ nulli præter Deum competere possunt. Nihilominus eam ulterius variè probant sancti Patres. Siquidem sanctus Gregorius Magnus ab immutabilitate, solum Deum æternum esse affirmat, lib. 12. Moralium cap. 17. *Quid enim mutabilitas, inquit, nisi mors quadam est? quæ dum rem quamlibet in aliud immutat, quasi occidit quod fuerat, ut incipiat esse quod non erat: & de Auctore omnium scriptum est* QUI SOLUS *1. Quia solus immutabilis.*

HABET IMMORTALITATEM, *quia videlicet in semetipso solus immutabilis est.* Cui concinit S. Augustinus Tractatu 23. in Joannem, *Quid est*, inquit, *quod ait Apostolus de Deo*, qui solus habet immortalitatem; *nisi quia hoc apertè dicit, solus habet incommutabilitatem, quia solus habet veram Æternitatem?*

2. Quia solus est ens necesse esse.

Sanctus autem Hilarius *lib. 3.* Æternitatem soli Deo propriam ostendit ex summa ejus necessitate essendi, *Non opinor*, inquit, *demutabilis Deus est, neque in æternitatem cadit aut vitium, aut emendatio, aut profectus, aut damnum; sed quod est, semper est, hoc enim Deo est peculiare; quod semper est, habere aliquando in natura non poterit, ut non sit*: S. verò Prosper in sententiis n. 183. *Vera Æternitas Dei est*, inquit, *qui solus habet immortalitatem: quoniam ex nulla specie, motuvè mutatur; nec temporalis est voluntatis.*

Dices: Angeli, & anima rationalis dicuntur in æternum vivere: Ergo æternitas soli Deo non est propria.

IX.

Angelus & Animæ rationales tantùm impropriè sunt immortales.

Distinguo consequentiam: Æternitas aliqualis, & participata, seu à parte post, concedo: simplex, & absoluta, quæ nullum habeat durationis initium nec habitura sit finem, qualis soli Deo competit, nego. Adde quòd nihil perfectè dicatur æternum nisi quod omninò immortale est, & immutabile.

Unde Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 12. *Immortalitatem Deus habere dicitur solus, quia est immutabilis solus, in omni enim mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio; quia facit aliquid in ea non esse, quod erat. Proinde & ipsa anima humana, quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercumque secundùm modum suum nunquam desinit vivere, habet tamen pro ipso suo modo quandam mortem suam; quia si justè vivebat, & peccat, moritur justitiæ; si peccatrix erat, & justificatur, moritur peccato: ut alias ejus mutationes taceam, de quibus longum est disputare, & creaturarum natura cælestium mori potuit. Nam & Angeli peccaverunt, & dæmones facti sunt, quorum est diabolus princeps, & qui non peccaverunt, peccare potuerunt.*

X.

Discrimen inter immortale & æternum.

Unde lib. 83. q. 19. colligit hoc esse discrimen inter *immortale & æternum; quod omne* ÆTERNUM *immortale est, non omne* IMMORTALE, *satis subtiliter æternum dicitur; quia etsi semper aliquid vivat; tamen si mutabilitatem patiatur, non propriè æternum appellatur; quia non semper ejusdemmodi est; quamvis immortale, quia semper vivit, rectè dici possit.* Concludendum est ergo, Æternitatem propriam soli Deo congruere, & subtiliter, ac eruditè à Tertulliano appellari *censum Dei*, lib. contra Hermogenem cap. 4. *Quis enim alius Dei census*, inquit, *quàm Æternitas? quis alius Æternitatis status quàm semper fuisse, & futurum esse ex prerogativa nullius initii, & nullius finis?*

XI.

Objicitur S. Basilius contra æternitatem solius Dei.

Vrgebis. S. Basilius Homilia 1. in Hexameron affirmat ante mundum conditum, fuisse æternum statum creaturarum, & lucem intelligibilem, *Erat*, inquit, *ante mundi constitutionem quidam antiquior status supermundanis virtutibus congruens ante tempora, æternus, perpetuus, in quo creator, & opifex creaturas absolvit: Lucem intelligibilem eorum beatitudini accommodam, qui amant Dominum, naturas ratione præditas, & invisibiles, & omnem intelligibilium ordinationem, quæcumque mentis no-* A *stra captum superans; quorum ne appellationes quidem investigare possumus. Hæc enim invisibilis mundi substantiam complent*: Ergo nedum à parte posteriori, sed etiam anteriori aliquid est æternum præter Deum.

Respondeo S. Basilium per *antiquiorem statum* nihil aliud intelligere quàm ideas rerum omnium quas ab æterno Deus habuit *mundum mente gerens similique ab imagine in tempore formans*, inquit Boëtius; cui quadrat illud S. Ioannis 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Per lucem autem intelligibilem & æternam S. Basilius exprimit Verbum æternum quod dicitur divinitatis splendor: *Vapor est enim virtutis Dei, &* B *emanatio quædam claritatis Dei sincera*, &c. *Candor est enim lucis æternæ*, ait Sapiens cap. 7. unde S. Ambrosius lib. 1. in Hexameron. cap. 5. *Si quæris splendorem Dei, Filius est imago Dei invisibilis. Qualis ergo Deus est, talis imago, invisibilis Deus, etiam imago invisibilis. Est etiam splendor gloriæ paternæ, atque ejus imago substantiæ.* Et solvitur.

Instabis. Atqui creaturæ nedum secundùm esse ideale, sed etiam secundùm esse reale verè sunt ab æterno: Ergo nulla solutio. Probatur antecedens, Creaturæ possibiles non sunt purum nihil, neque entia rationis: Ergo sunt aliquid reale. Patet antecedens, Creaturæ possibiles aliquid habent quod non habet chimæ- C ra; huic enim repugnat existere aliquando, illis verò non: sed chimæra est ens rationis, & non purum nihil: Ergo creaturæ possibiles non sunt purum nihil, nec ens rationis, & proinde sunt quid reale ab æterno.

XII.

Res possibiles habent esse tribus modis.

Respondeo 1. Res possibiles dici habere esse tribus modis. *Primò* in intellectu divino qui eas cognoscit. *Secundò* in omnipotentia divina, quæ eas potest producere: *Tertiò* in seipsis. *Primum* dicitur esse *objectivum* seu cognitum; intellectus enim divinus utpote infinitus ab æterno distinctè cognovit omnes creaturas possibiles, secundùm propriam cujusque entitatem quam habitura est in tempore si produ- D catur. *Secundum* dicitur esse *virtuale*, quod habent in omnipotentia divina quæ potest eas producere. *Tertium* dicitur esse *entitativum*, quod concipi possunt habere in se ipsis. Certum est duo priora esse realia ab æterno; realiter enim Deus creaturas cognoscit, & virtutem habet producendi.

Tertium autem non est reale magis quàm chimæra, ut affirmat Doctor. in 1. *dist. 36. q. un. num.* 14. dicens, *Prima igitur omninò ratio, & non reducibilis ad aliam, quare homini non repugnat esse, est quia formaliter est homo, & hoc sive in re realiter, sive in intellectu conceptibiliter; & prima ratio quare chimæra repugnat esse, est* E *chimæra in quantum chimæra. Aliter igitur inest illa negatio nihileitatis homini in æternitate, & chimæra; & tamen non propter hoc est unum magis nihil altero.*

XIII.

Negatio inesse potest duobus modis.

Hujus responsi præmiserat rationem *num.* 13. dicens, Negationem alicujus inesse alteri, *vel* propter solum defectum causæ producentis illud; *vel* propter repugnantiam quàm habet ad illud suscipiendum. Priori modo albedo negatur de pariete non albo, posteriori negatur de Angelo, & in hoc casu paries non albus non est minus nihil albedinis quàm Angelus. Et ratio (inquit) *quare non magis est hæc negatio quàm ista, est quia qualibet negatio negat*

totam affirmationem sibi oppositam ex quacumque ratione sit talis; tam enim verum est dicere paries niger non est albus, quàm Angelus non est albus: idem dicendum à simili de creaturis possibilibus, & de chimæra; quia ens reale de utroque ab æterno verè negatur.

XIV. Qualiter rerum essentiæ sint æternæ? *Respondeo* 2. essentias rerum creatarum posse dici suo modo æternas, & propositiones essentiales, quatenus objectivè considerantur esse æternæ veritatis; Hæc tamen Æternitas non est alicujus entis positivi, & veri extra Deum; sed tantùm cujusdam negationis seu non repugnantiæ ut tales essentiæ aliquando existant, & sint vera entia: Ideo hæc Æternitas non est vera & perfecta, qualis ea est quæ soli Deo tribuitur.

Conclusio Tertia.

XV. Æternitas non est perfectio distincta ab immutabilitate. PRobabilius *est Æternitatem non esse specialem Dei perfectionem ab immutabilitate distinctam.* Hæc est Doctoris, *q. 6. quolib.* qui licet hanc Quæstionem utrimque libret, concludatque his verbis, *De ista æternitate an insit ex natura rei, teneatur altera via duarum dictarum illa quæ videtur inquirenti probabilior.*

Qua in re Scotus est problematicus. Nihilominus in nostram partem magis inclinat, latiùsque confirmat, & ejus fundamenta intacta relinquens, oppositæ sententiæ rationes omnino dissolvit, & postquam expendit definitionem æternitatis modô expressô in tertio Notabili concludit: *Si ergo hæc est propriissima descriptio Æternitatis quam invenimus, & hoc unum tantùm ex natura rei scilicet vita, tria autem quæ complent rationem ejus non sunt ibi ex natura rei ut videtur, quia per se important, vel negationem alicujus imperfectionis extrinsecæ; vel relationem aliquam aptitudinalem, vel potentialem ad aliquid intrinsecum: & nec sic, nec sic, est aliquid eorum ibi ex natura rei; & per consequens, nec æternitas ut æternitas erit ibi ex natura rei.*

XVI. Pars affirmans probatur. 1. authoritate. Probatur itaque Conclusio: *Primò* quidem ex sanctis Patribus, qui ut supra diximus, divinam Æternitatem ex immutabilitate, nedum colligunt; sed etiam cum ea confundunt; nam ut loquitur Tertullianus adversus Hermogenem cap. 37. *Leges Æternitatis sunt ut demutationem pati non possit:* Et S. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 18. cum dixisset, *In quantum mutabiles sumus in tantum ab æternitate distamus:* subdit, *Vera autem immortalitas, vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas, ipsa est Æternitas*; Unde Richardus Victorinus lib. 2. de Trinit. cap. 4. *Quid aliud est,* inquit, *Æternitas quàm diuturnitas sine initio, & fine, & carens omni mutabilitate?*

XVII. 2. ratione duplici. 1. Quia immutabilitas involvit conceptum Æternitatis. Probatur secundo ratione: Tum quia, inquit Smisingus *Disput. de Æternitate n.* 14. concepta immutabilitate divinæ existentiæ summè necessariæ, & quæ ex se negat omnem potentiam ad esse, & non esse, significatque ens simplicissimum, & actualissimum, sufficienter habetur conceptus vitæ interminabilis totius simul, ac perfectè existentis, quæ est ipsa descriptio æternitatis; implicat enim ens simplicissimum, actualissimum, & summè necessarium habere initium, finem, & successionem suæ vitæ; proindeque Deus quatenus est immutabilis, habet vitam interminabilem & totam simul, sicque æternitas ab immutabilitate positivè non distinguitur.

Tum quia non magis distinguitur duratio Dei ab ejus existentia, quàm creata ab existentia creaturæ; sed duratio creata nihil positivum reale addit existentiæ creatæ per quod ab ea distinguatur: Ergo nec etiam divina ab existentia Dei. Major patet; Si enim duratio creata nihil positivum reale addat existentiæ creatæ, multo minus duratiô illius entis simplicissimi & increati addet aliquid positivum reale existentiæ increatæ; perfectiones enim divinæ, magis quàm creatæ, invicem identificantur. Probatur itaque minor: Si duratio creata existentiæ creatæ adderet aliquid positivum reale, maximè vel novam rem, vel novam formalitatem, post primum instans quô res creata cœpit existere: sed neutrum dici potest, quia illa res cùm propriam haberet existentiam, etiam propriam durationem sibi vindicare deberet, & sic esset duratio durationis, ac proinde processus in infinitum. Idem dicendum de formalitate; sicut enim quælibet formalitas proprium habet esse formale ex natura rei distinctum ab esse formali alterius, etiam & propriam habet durationem, quæ sit nova formalitas, & proinde quæ etiam propriam durationem habeat, & sic in infinitum. 2. Quia duratio Dei nihil addit existentiæ divinæ, sicut nec duratio creata existentiæ creatæ.

Dices 1. Sicut Infinitas se habet ad essentiam divinam, ita Æternitas ad existentiam: sed Infinitas est perfectio positiva essentiæ divinæ: Ergo & Æternitas erit perfectio positiva existentiæ.

XVIII. Non est comparanda Æternitas cum Existentia, sicut comparatur Infinitas cum Essentia divina. *Negat majorem* Doctor laudatus: Infinitas enim, inquit, est quidem modus intrinsecus essentiæ divinæ, eam positivè perficiens & afficiens, qualis non est æternitas respectu existentiæ; *Si enim per impossibile*, inquit, *essentia divina raptim transiret*, hoc est per momentum tantùm subsisteret, *adhuc haberet tam essentia quàm existentia modum intrinsecum, scilicet infinitatem intensivam; sed non haberet illa existentia æternitatem per quam intelligimus infinitatem durativam: quæ ultra infinitatem intensivam non addit nisi negationem deficiendi, vel relationem potentialitatis, scilicet coëxistendi cuicumque possibili, quæ relatio non est nisi rationis.* Quod sic probat, *quia si Angelus annihilaretur cras, non haberet alium modum intrinsecum in natura sua, quàm si maneat in æternum, sicut manebit, & secundùm aliquos sine successione*: Unde concludit, *Verum est igitur quod existentia habet modum sibi intrinsecum sicut essentia, sed illud non est nisi infinitas intensiva; æternitas autem ut æternitas, sive interminabilis duratio, ut interminabilis duratio, non est infinitas.* Adde quòd cùm existentia divina sit de conceptu formali, & intrinseco essentiæ divinæ, non alium habet modum intrinsecum quàm ipsamet essentia.

Dices 2. Divina æternitas probatur per immutabilitatem: Ergo non est eadem formaliter cum immutabilitate, nihil enim per seipsum probatur.

XIX. Æternitas probatur per immutabilitatem tantùm expositoriè. *Distinguo.* Probatur probatione expositoria quæ scilicet fit per majorem rei explicationem seu per connotationem diversam ad aliquid extrinsecum, concedo: Probatione formali, quâ ignotum aliquid per aliud notius demonstratur & cognoscitur, nego: Itaque divina Immutabilitas quatenus in universum

negat omnem omninò variationem in esse divino, specialiter dicitur æternitas per specialem connotationem successionis, dependentiæ, principii & finis, quæ omnia in particulari negat de esse divino.

Dices 3. Omnis duratio est modus aliquis positivus rei durantis, sed æternitas est duratio divinæ existentiæ: Ergo & ejus modus positivus, non autem simplex aliqua negatio.

Duratio non est modus positivus rei durantis.

Nego majorem; Duratio namque, ut constat ex probatione conclusionis, nullam vel realitatem, vel formalitatem addit existentiæ rei durantis, sed solùm connotat perseverantiam illius existentiæ, ut etiam abundè probavimus in nostra physica agendo de duratione.

Quæstio Tertia.

Quomodo Deus ratione Æternitatis Creaturæ coexistat, & Creatura Deo?

I.

Quæstionis distributio.

Tria proponuntur in hac quæstione discutienda. *Primum* an revera Deus Creaturæ, & æternitas tempori coexistere dicatur. *Secundum*, an hæc coexistentia sit divisibilis sicut tempus, vel omnino indivisibilis sicut æternitas. *Tertium*, an tempus, & res temporales ita coexistant æternitati, ut ei semper, & ab æterno sint præsentes, ita quòd comparatæ ad æternitatem nihil habeant futurum, nec præteritum, sed solùm præsens: quod ut enucleatiùs discutiatur, & resolvatur;

II.

Triplex præcipuè inter æternitatem & tempus discrimen.

Notandum 1. varium esse, sed maximè triplex, discrimen inter æternitatem & tempus. *Primò* namque, æternitas est duratio increata, omninò independens; Tempus verò est duratio creata, & dependens, utpote cum sit duratio motus qui dependet à movente. *Secundò*, æternitas est duratio interminabilis & infinita tam à priori quàm à posteriori; tempus verò, est duratio finita & limitata, saltem à parte anteriori, quia habet sui initium; licet fortè non sit habiturum finem ex hypothesi quòd cœlorum circulationes in æternum sint duraturæ. *Tertiò* æternitas, sicut & ævum, est formaliter indivisibilis & tota simul; duratio verò temporis est essentialiter fluens & successiva, ita quòd ipsius partes nullatenus realiter simul existere possint; præteritum enim non est ampliùs, futurum autem nondum existit.

III.

Tribus modis dici potest aliquid divisibile.

Notandum 2. aliquid posse dici divisibile maximè tribus modis. Primò *formaliter*, cujus partes actu existentes ab invicem actu separari possunt: sic quantitas bipedalis est divisibilis in duos pedes. Secundò *virtualiter*, cujus partes non sunt actu divisæ nec existentes, sed virtute tantùm, & potentia, sic continuum dicitur divisibile in infinitum, non quòd actu habeat infinitas partes, sed quòd habere possit, si nempe semper, & semper divideretur. Tertiò *eminentialiter*, quando nimirum aliquid indivisibile habet ex sua perfectione, & præstantia, sed nobiliori modò, id omne perfectionis, quod res divisibiles, aut divisæ complectuntur.

IV.

Creaturæ Deo præsentes tribus modis.

Notandum 3. creaturas posse dici Deo præsentes tribus modis; nimirum, vel *objectivè*, & idealiter, quatenus nempe semper & ab æterno ab illo cognoscuntur. Secundò *virtualiter*, eò quòd virtutem habeat illas producendi, conservandi, & reproducendi quando esse desierunt. Tertiò *realiter*, quando nimirum Deo existenti coexistunt per suam actualem & realem existentiam.

Conclusio Prima.

V.

Deus Creaturæ revera coexistit.

Deus *revera coexistit creaturæ & Æternitas tempori*. Hæc est expressa Doctoris Subtilis sententia; nam *quæst. 6. quodlib. art. 6.* affirmat æternitatem esse divinam illam perfectionem, quâ Deus cuilibet temporis differentiæ coexistere potest: & in 1. *dist. 9. quæst. unica num. 6.* docens qualiter de Verbo divino possit dici quòd sit *genitum* & quòd *generatur*; apiensque qualiter verba diversorum temporum Deo tribuantur, ait: *Respondeo, magis propriè possunt dici consignificare nunc æternitatis quàm differentias temporis: non tamen illud* NUNC *absolutè, quia non esset variatio tunc diversorum modorum significandi temporis; sed in quantùm coexistit partibus temporis, ut cum dicitur,* Deus genuit, *tunc significatur nunc æternitatis, ut sit sensus: Deus habet actum generationis in nunc æternitatis; in quantum illud* NUNC *coexistebat præterito.* Deus generat, *hoc est, habet actum in nunc æternitatis, in quantùm nunc æternitatis coexistit præsenti: & ex hoc patet, quòd cùm illud nunc verè coexistat cuilibet differentiæ temporis, verè dicimus de Deo differentias omnium temporum.*

Ut disertè affirmat Doctor Subtilis.

Similiter *dist. 40. quæst. unica* resolvens qualiter dici possit quod prædestinatus potest damnari, ait, *Prædestinationem* esse actum semper præsentem *& ita liberè Deum posse in nunc æternitatis velle quod vult, sicut si ad nihil esset voluntas sua determinata:* hinc concludit, *prædestinatio hujus non transit in præteritum; licet enim ipsa coextiterit præteritis quæ transierunt, non tamen ipsa præteriit si alia præterierunt quæ coextiterunt sibi, &c.*

Et probatur ex Scriptura sacra.

Probatur hæc veritas, primò quidem ex Scriptura sacra, quę plerumque affirmat Deum esse cum tempore & regnare per sæcula sæculorum. Idipsum constat ex Patribus. S. enim Anselmus cum docuisset, *Cap. 19. Monologii* Deum propriè non esse in tempore nec in loco, quatenus hoc significat contineri & definiri tempore vel loco; addit nihilominus Deum esse in tempore & loco quatenus est utrique præsens: hæc autem præsentia nihil aliud est quàm coexistentia. Unde cap. 22. ait: *Summam essentiam totam inevitabilis necessitas exigit nulli loco aut tempori deesse, necesse est eam simul totam in omnibus locis ac temporibus præsentem esse.* Cui concinit Richardus Victorinus lib. 2. de Trinit. cap. 23. *Sicut*, inquit, *Deus in omni loco est præsentialiter, in nullo localiter; sic in omni tempore est æternaliter, in nullo temporaliter; sicut enim per loca non distinguitur qui summè simplex & incompositus; sic nec per tempora variatur, qui æternus & incommutabilis est.*

Et SS. Patribus.

Nec-non & Ratione.

Patet etiam ipsamet veritas ratione; coexistere enim alteri, nihil aliud est, quàm esse alteri præsens secundùm existentiam & simul cum ipso durationem habere: sed verum est quòd tempus cum æternitate & Deus cum Creatura durationem habeant & existentiam:

A Ergo etiam coëxiſtentiam.

Dicet. Deus & ipſins æternitas præſcindunt ab omni tempore : illudque ſuperexcedunt: Ergo non ipſi coëxiſtuut. Pater antecedens authoritate ſancti Auguſtini lib. de vera Relig. cap. 49. *Æterna vita*, inquir, *vitam temporalem vivacitate ipſa ſuperat ; nec qnid ſit æternitas neque intelligendo conſpicio: mentis quippe aſpectn omnem mutabilitatem ab æternitate ſejungo, & in ipſa æternitate nulla ſpatia temporis cerno*; Et 5. de Trinit. cap. 1. *Intelligamus Deum ſine ſitu præſidentem, ſine tempore ſempiternum*. Anſel. in Proſol. cap. 19. *Non fuiſti heri aut cras eris : ſed heri, & hodie & cras es, ſed ſimpliciter et extra omne tempns.*

VI.

Nihilominus severa Deus tempus omne prætergrediтur.

Diſtinguo antecedens: Deus nt exiſtit, abſolutè præſcindit à tempore & illud omnino prætergreditur, concedo: ut coëxiſtit & ipſi præſens eſt, nego. Certùm quidem eſt Deum, ratione æternæ ſuæ durationis, cujuſlibet creaturæ & temporis dorationem prætergredi, eum per totam æternitatem exiterit nondum exiſtente creatura nec tempore : Quatenus tamen ipſius duratio & æternitas concipitur, ut *nunc* eſt, non præſcindit à creatura nec à tempore exiſtente, ſed utrique coëxiſtit. De priori loquuntur SS. Patres, non veró de poſteriori.

Dices 2. Coëxiſtentia eſt relatio realis ex parte utriuſque termini, quia eſt relatio æquiparentiæ : ſed nec Deo nec ipſius æternitati competere poteſt relatio realis in ordine ad creaturam & tempus, alioquin eſſet mutabilis : Ergo nec coëxiſtentia.

VII.

Coexiſtentia non eſt relatio formaliter, ſed concomitanter.

Diſtinguo Majorem: Coëxiſtentia eſt relatio in conceptu ſuo formali, nego: In conceptu concomitante tranſeat. Coëxiſtentia enim nt ſic, non dicit formaliter reſpectum realem, vel rationis præcisè. Sed ſolum negationem diſtantiæ inter duas res; licet concomitaorer importet reſpectum tealem vel tationis, proot res coëxiſtentes illius reſpectus ſuſcipiendi ſunt capaces. Unde coëxiſtentia in creatnra eſt relatio realis, eaqne tranſcendentalis, quia inſeparabilis eſt à ſuo fundamento, quod eſt ipſamet exiſtentia creaturæ: ſicut enim abſolutè repugnat eſſe creaturam ſine dependentia à Creatore, ita repugnat eſſe ſine coëxiſtentia cum Creatore ; ſed ex parte Dei bæc relatio tantùm eſt reſpectus rationis; cùm Deo nihil reale accedat per exiſtentiam creaturæ.

Dices 3. Præſens non poteſt coexiſtere præterito & futuro, ſicut punctum non coexiſtit toti lineæ, quia indiviſibile non coextenditur diviſibili : ſed æternitas ſemper eſt præſens : Ergo non coexiſtit tempori præterito neque futuro.

VIII.

Quomodo indiviſibile poſſit coexiſtere diviſibili.

Diſtinguo majorem : Quod eſt præſens & omnino indiviſibile tam virtualiter quàm formaliter, ut punctum reſpectu lineæ, non poteſt coexiſtere diviſibili, concedo: quod eſt præſens ac indiviſibile formaliter, ſed diviſibile virtualiter non poteſt coexiſtere diviſibili, nego: Angelus enim licet formaliter ex ſe ſit indiviſibilis, præſentiam tamen localem diviſibilem habere poteſt; ſicut & anima rationalis, quæ licet in ſubſtantia ſua ſit indiviſibilis, tamen diviſibile corpus actuat & informat: Unde licet Æternitas formaliter & abſolutè ſit indiviſibilis; nihilominus cùm ſit diviſibilis virtualiter, coexiſtere poterit variis partibus temporis ut fuſiùs aperiet

CONCLUSIO SECUNDA.

IX.

Coexiſtentia Dei ad tempus eſt diviſibilis.

COEXISTENTIA *Dei & Æternitatis cum tempore, eſt ſucceſſiva & diviſibilis ſicut ipſum tempus.* Patet hæc Concluſio & firmatur illis omnibus Scripturæ locis, quibus divinæ exiſtentiæ tribuuntur temporis differentiæ ſecundum prius & poſterius. Sic Proverbiorum 8. *Ante omnes colles ego parturiebar.* Pſal. 73. *Deus Rex noſter ante ſæcula*. Exodi 15. *Dominus regnabit in æternum, & ultra.* Ideſt ultra omne tempus determinatum, nt explicat S. Anſelmus in *Proſologio cap.* 20. Patetqoe hæc expo-B ſitio, nam ultra æternitatem propriè ſumptam, nulla duratio fingi poteſt, in qua Deos regnare intelligatur. Item ad Epheſios 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, &c.* quibus Deo tribuitur tempus præteritum imaginarium, quod mundi conſtitutionem præceſſiſſe fingitur.

Probatur 1. ex Scriptura.

2. Ratione.

Id ipſum ratio evidentet firmat; nam coexiſtentia cùm ſit duorum ſimultanea exiſtentia, non poteſt manere, quin utriuſque exiſtentia ſubſiſtat : at exiſtentia temporis, æternitati coexiſtentis, non ſubſiſtit, ſed eſt in perpetuo fluxu, ita quod una parte abeunte, ſuccedat altera: Ergo fieri nequit nt coexiſtentia æternitatis ad illam eſſe deſinat, alteraque cum C ſuccedente temporis parte de novo ſuccedat; adeoqne tot eſſe debent bujus coexiſtentiæ partes ſibi invicem ſuccedentes, quot ſunt in tempore partes fluentes.

X.

3. Authoritate S. Auguſtini.

Hæc omnia egregiè confirmat & explicat S. Auguſtinus Tractatu 99. in Ioannem; ubi expendens illud Joannis cap. 16. *Quæcumque audiet loquetur*, ſubdit: *In eo quod ſempiternum eſt ſine initio & ſine fine, cujuſlibet temporis verbum ponatur, ſive præteriti, ſive præſentis, ſive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis non recipiat* FUIT, *&* ERIT, *ſed tantùm* EST, *ipſa enim veraciter eſt, quæ mutari non poteſt; tamen propter mutabilitatem temporum in quibus verſatur noſtra* D *mortalitas, non mendaciter dicimus &* FUIT, *&* ERIT, *&* EST. FUIT *in præteritis ſæculis,* EST *in præſenti,* ERIT *in futuris.* FUIT *quia nunquam defuit,* ERIT *quia nunquam deerit,* EST *quia ſemper eſt: neque enim velut qui iam non ſit, cum præteritis occidit; aut cum præſentibus, velut qui non maneat, labitur; aut cum futuris, velut qui non fuerat orietur. Proinde cùm ſecundùm volumina temporum locutio humana varietur: qui per nulla deeſſe potuit aut poteſt, aut poterit tempora, verè de illo dicuntur cujuſlibet temporis verba.*

Qui tria egregia docet.

Ex quibus verbis, ut doctè advertit Smiſingus noſter *quæſt.* 3. *de Æternitate num.* 85. tria E colligere licet. Primum quidem divinam æternitatem verè coexiſtere differentiis temporum, quippe cum, inquit Auguſtinus, *non deſit illis*, hoc eſt, non ſit indiſtans ab illis. Secundum quod ipſa æternitas variis illis temporum differentiis ſucceſſivè coexiſtat, cum de ipſa pronuncientur fuiſſe, eſſe, & futurum eſſe. Tertium, quòd hæc ſucceſſio non ſpectet naturam, nec proinde divinam exiſtentiam, quæ omnino immutabilis, & invariabilis eſt, totaqoe ſimul ſubſiſtit: ſed tantùm coexiſtentiam, quæ licet ex parte creaturæ ſit conſequenter relatio realis; ex parte Dei ſolùm eſt reſpectus rationis

quem noster intellectus fingit, ut divinam illam præsentiam & simultaneam existentiam cum creatura faciliùs percipiat & explicet.

Dices 1. Ibi non est successio, ubi non est præteritum, vel futurum, sed solum præsens: atqui in Deo ita est. Probatur ex S. Augustino 5. de Trinitate. *Apud Deum*, inquit, *preterita & futura stant.* Et iterum. *Ita*, inquit, *quæ dicuntur preterita ibi non preterierunt, nec illa quæ dicuntur futura, quod desint ut veniant expectantur; sed omnia præsentia cogitantur*: Idem habent omnes cæteri Patres: Ergo coexistentia non est divisibilis.

XI. *Nego minorem*; Licet enim existentia Dei nullam successionem, & divisionem patiatur, cùm sit ipsamet Dei natura tota simul, & omninò indivisibilis: nihilominus coexistentia ipsius ad creaturas fluentes & successivas, divisibilis est, & fluens.

Licet existentia Dei sit indivisa, tamen ejus coexistentia est divisibilis.

Ad sanctum Augustinum dico; illum, sicut & cæteros Patres, idem affirmantes, esse intelligendos de præsentia Dei objectiva, quâ fit, ut ipsemet Augustinus explicans illud Psalmi 49. *Pulchritudo agri mecum est*, ubi ait, *Cum illo sunt omnia cognitione quadam ineffabilis sapientiæ Dei in Verbo constituta*: Unde inquirit, *quare apud ipsum omnia?* Deinde respondet, *quia & antequam essent omnia aut crearentur, ei nota erant omnia*: Ipsi concinit S. Gregorius lib. 4. moralium cap. 27. dicens, *Futurum esse Æternitas non habet, cui nimirum nec preterita transeunt, nec quæ futura sunt veniunt, quia cuncta per præsens videt.* Quasi diceret: Deus ab æterno per infinitam suam intelligendi virtutem; quia habet sibi præsentia futuraque, & præterita, ea ita apertè intuetur ac si de facto in rerum natura existerent.

Dices 2. Æternitas est tota simul & perfecta vitæ possessio seu existentia: Ergo successionem non patitur.

XII. *Distinguo consequens*: Successionem non patitur in suo formali conceptu æternitatis, & quatenus est duratio essentiæ divinæ, concedo: quatenus dicit respectum coexistentiæ sui ad creaturas est tota simul, nego. Cum enim coexistentia subsistere nequeat sine mutua existentia extremorum, sibi invicem coexistentium; necessum est quod si unum fluat, etiam fluat aliud, ac proinde coexistentia æternitatis cum tempore necessario successiva est.

Ratione rei successivæ cui coexistit.

Dices 3. Quidquid in Deo est, est actus purus, immutabilis & æternus; ac proinde excludit potentiam ad privationem formæ habitæ, & ad acquisitionem novæ; & consequenter successionem non importat: sed coexistentia Dei ad creaturas & æternitatis ad tempus in Deo est: Ergo coexistentia Dei & æternitatis ad tempus nequit esse successiva.

XIII. *Distinguo majorem*: Quidquid in Deo est, intrinsecè & realiter per modum prædicati essentialis aut attributalis, est actus purus, concedo: quidquid in eo solùm est extrinsecè, & per solam denominationem externam & respectum rationis, est actus purus invariabilis, & æternus, nego: Certum est enim appellationes *Domini, Creatoris*, &c. quæ Deo tribuuntur, quæque solum respectum rationis important, non concipi per modum actus puri, & æterni, quippe cum solùm in tempore, & ex tempore Deo tribuantur: Coexistentia autem non est

Deus & quæ in eo sunt intrinsecè, sunt actus puri, non verò extrinsecè.

A aliquid Deo intrinsecum, sed concipitur per modum respectus rationis qui fingitur in Deo ex ipsius præsentia, & existentia simultanea ad creaturam.

Conclusio Tertia.

XIV. Res *temporales non coexistunt Deo ab æterno, nec ipsius Æternitati*: Tum quia *coexistere* supponit *existere* ex parte utriusque termini: sed creaturæ non semper existunt in Æternitate; certum est enim eas nec fuisse verè, & realiter ab æterno, nec posse dici existere in Æternitate; aliàs, præteritum, & futurum

Res temporaneæ non sunt Deo coexistentes ab æterno.

B ipsi non convenient: Ergo non coexistunt æternitati: *Tum quia* coexistentia entis creati cum alio, est relatio realis: Ergo non potest competere rei creatæ antequam ipsa existat secundùm se; quia relatio realis, fundamentum reale exigit, & consequenter relatio realis coexistentiæ, requirit realem existentiam rei quæ alteri coexistit: sed creatura non habet realem existentiam antequam ipsa de facto producatur, & in se verè, & propriè existat.

Tum denique quia, cùm finitum non possit adæquari infinito, tempus quod finitum est, tam à parte ante, quàm à parte post, non potest adæquari æternitati quæ utroque modo infinita est, omnemque durationis terminum ex-
C cludit: Ergo nec adæquatè coexistere potest æternitati, siquidem hæc adæquatio æqualem durationem importat.

Dices 1. Æternitas est duratio indivisibilis ac tota simul: Ergo quod illi coexistit aliquando, toti coexistit, & per consequens semper & ab æterno coexistit; nihil enim aliud est coexistere toti æternitati quàm existere ab æterno.

XV. *Nego consequentiam*: Magnum enim discrimen est inter *coexistere toti æternitati*, & ei *coexistere totaliter*; Primum enim solùm dicit præsentiam, & permanentiam indivisibilem ex parte æternitatis, quæ permanentia verè æternitati congruit; Secundum verò dicit etiam
D indivisibilem permanentiam ex parte temporis, & interminabilem illius durationem, secundùm quam adæquatè coexistere diceretur æternitati interminabili; hæc autem interminabilitas, & indivisibilitas tempori nullatenus competere possunt; adeoque tempus coexistere nequit æternitati totaliter, licet ipsi toti coexistat. Sicut pes v.g. licet coexistat toti animæ rationali quæ est tota in toto, & tota in qualibet parte totius: nihilominus non ipsi coexistit totaliter, quia ipsi non coexistit ubi est caput, & ubi sunt cæteræ corporis partes.

Discrimen inter coexistere toti æternitati & totaliter.

Dices 2. ex S. Anselmo lib. de Concordia præscientiæ divinæ, & liberô arbitrio cap. 1.
E *Sicut idem* NUNC TEMPORIS *claudit omnem locum quantumvis loca inter se distent, nam omnia sunt præsentia huic indivisibili* NUNC; *ita æterno præsenti clauditur omne tempus, sic quod licet tempora inter se distent, sint tamen simul præsentia æternitati*: Ergo censet S. Anselmus res temporales verè æternitati semper coexistere. Quod confirmari potest, quia sicut omnis locus est præsens toti immensitati, ita omne tempus toti æternitati.

XVI. *Nego consequentiam*: Non enim censet S. Anselmus tempora esse præsentia æternitati per veram sui cum ea permanentiam, & realem coexistentiam: Hæc enim permanentia est contra

Tempus non est rea-

liter præsens & coexistens æternitati.

contra naturam temporis quod ex se successivom est: sed solùm intendit quòd omnia tempora seu res temporales, Deo sint objectivè præsentes ab æterno, ipsius enim est nosse tempora vel momenta qoæ posuit io sua potestate.

Vel ejus mens est, quòd omnes tempotis partes præsentes sint huic nunc ætetoitatis; non quòd illæ de facto subsistant vel extiterint ab æterno; sed quòd illud nune æternitatis invariatum coextiterit tempori præterito, præseoti coexistat, & coexistet futuro.

Ad Confirmatiouem dico, exemplum nihil urgere, sicnt enim immensitati divinæ omnia loca non sunt verè præsentia ab æterno, sed tantùm in tempore, & quando existunt; ita nec res temporales Deo sunt ab æterno præsentes realiter, sed tantùm quando de facto existunt.

ARTICULUS QUINTUS.

De Immutabilitate Dei.

DIVINAM Immutabilitatem inter Dei præcellentias, quas hactenus explanavimus, noo abs re quinto loco proponimus investigaodam; hæc enim illarum videtur esse caput & corona. Ideo namque Deus Infinitus, Simplex, Immensus & Æternus celebratur; quia nullo

I. perfectionom, formarum, locorum, & temporom accessu, vel reeessu mutari dicitur; *Non enim*, inquit sanctus Bonaventura in primom dist. 8. art. 2. quæst. 1. *Deus mutatur loco, quia ubique est: non tempore, quia Æternitas simul est: non Formâ, quia nnus actus est. Vnde mutationem secundùm formam tollit Simplicitas; secundùm tempus tollit Æternitas: secundùm locum tollit Immensitas, & ideo in Deo est summa stabilitas.* Cùm itaque satis superque iam eniteat nullam vel temporis vicissitudinem, vel locorum transmigrationem, vel formarum, & perfectiouum mutationem in Deo esse reperiendam, hoe in Articulo solùm investiganda sunt alia mutationum capita, num videlicet alicui Deus subjacere sit dicendus.

Quare quinto loco de Dei Immutabilitate agatur.

QUÆSTIO PRIMA.

An Deus sit omnino Immutabilis.

ETSI divina Immutabilitas perfectionem intrinsecam & positivam importet & significet; nihilominus negativo nomine exprimitur, nimirum ut ex negatione mutationis, nobis faciliùs cognitæ & perviæ, illa deprehendatur & innotescat.

II. *Notandum* itaque primò; totuplicem distingui posse Immutabilitatem qootuplex est ipsius adversaria mutatio: Hæc autem generatim duplex distioguitur, Intrinseca oimirum, & Extrinseca: quatum quælibet in tria rursus capita dividi potest. PRIMA *namque*, inquit sanctus Bonaventura locô laudatô quæst. 2. *dicitur tripliciter. Vno modo ab ente in ens, & hac est mutatio secundùm accidens, & dicitur* VARIATIO. *Alio modo ab ente simpliciter in ens potentiâ, sive secundùm quid, & hac est mutatio secundùm formam, & dicitur* CORRUPTIO. *Alio modo est mutatio ab ente, in simpliciter non ens, & hac est secundùm totam rei substantiam, & dicitur* VERSIO. *Secundùm hoc intelligendum quòd immutabilitas dicitur tripliciter: Vno modo invariabilitas, alio modo incorruptibilitas, & tertio modo invertibilitas.* SECUNDA pariter fieri potest tribus modis, aliquid enim mutari dicitur extrinsecè, vel per novam terminationem operationis; sic visus dicitur mutari ad mutationem novi objecti visibilis; Vel per terminationem relationis, sic paries albus mutari dicitur dum alter paries itidem albus extruitur, qui ipsius relationem similitudinis terminet: Vel denique per sustentationem & hypostaticam unionem; qualiter homo mutari dieeretur, si ipsius hypostasis alterius hominis individualem naturam afficeret.

Mutatio duplex: Extrinseca & Intrinseca.

Utraque adhuc triplex.

III. *Notandum* 2. per solam mutationem intrinsecam rem propriè mutari, dum videlicet quidpiam intrinsecum acquirit vel deperdit; neque enim paries, v. g. mutari dicitur quando de non viso fit visus, sed potiùs dicitur denominatus visus à visione sibi extrinseca: aut cum dicitor dexter vel sinister à dextera vel sinistra animalis; quidquid enim mutator, eô ipsô formaliter quô mutatur, aliter se habet intrinsecè quàm antea: aliter autem se habere, idem est, ac diversimodè esse; ac proinde idem quòd aliod in se babere vel non habere quod priùs possidebatur, vel non habebatur.

Per solam mutationem intrinsecam res propriè mutari dicuur.

IV. *Notandum* 3. tria potissimum genera mutationum intrinsecarum posse naturæ spirituali accidere: *Prima* est secundùm entitatem, quateous res potest transire à non esse ad esse, vel ab esse, ad non esse. *Secunda mutabilitas* fit per advenientem, vel recedentem formam substantialem, aut accidentalem, cujus accessu vel recessu res mutari dicatur. *Tertia mutabilitas* fit secundùm operationem intellectus, & voluntatis, quæ dicuntur mutari, vel per vicissitudinem, & successionem, quando nempe una succedit alteri: Vel per contrarietatem, & oppositionem, cum aliquis, v. g. eognoscit modò esse falsum illud ipsum quod antea verum esse judicabat; aut modò vult illud ipsum, & eum iisdem circunstantiis quod antea nolebat. Hanc autem triplicem intrinsecam mutationem esse à Deo arceodam, tres sequentes Conclusiones aperient.

Quot modis res spirituales mutationi subjaceant?

CONCLUSIO PRIMA.

V. DEUS *omnino Immutabilis est secundùm entitatem:* Hæc sufficienter patet ex dictis, de Æternitate, & necessitate essendi: *Probaturque* his omnibus Scripturæ locis quibus Deus Ens necessarium, immortale, & indefectibile celebratur: Sic Exodi 3. dicitur, *Ego sum qui sum*, necessariò scilicet, absolutè, & indefectibiliter. Ex Psalmo 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Hoc est interpretante S. Chrysostomo, *Tu verò immobilem habes naturam & mutatione præstantiorem.* Et primæ Timothæi 6. *Qui solus habet immortalitatem:* Quem locum sic expendit S. Augustinus lib. 23. in Joannem, *Quid est ergo quod ait Apostolus de Deo*, qui solus habet immortalitatem, *nisi quia hoc apertè dixit, solus habet incommutabilitatem, quia solus habet veram æternitatem?*

Deus est Immutabilis secundùm Entitatem.

Hanc ipsam veritatem disertô testimoniô commendat S. Jacobus primo Capite, qui cùm

Probatur 1. Ex Scriptura sacra.

Deum *Patrem luminum* appellasset, subdit: *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio*; Hoc est, Sol ille divinitatis nulla vicissitudinis & obscuritatis umbra præstringitur. *Ipsa enim mutabilitas*, inquit S. Gregorius librô 12. cap. 17. S. Jacobi verba illa explicans, *umbra est quæ quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret: Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercidit.*

2. Ex SS. Patribus.

Eadem veritas Gentiles idololatras non latuit, nam ut refert Pierius *lib.* 39. apud Arcadas, Iovis, & aliorum Deorum simulacra, quadrata fieri solebant; nempe sicut loquitur Pausanias, ut eorum inde stabilitas significaretur, etenim ut Veteres Poëtæ canunt.

Iupiter ipse manens stabilis dat cuncta moveri.

VI.

3. Ex Philosophis Ethnicis maximè Platonicis.

Ipsam pariter veritatem agnoverunt & propugnaverunt Ethnici Philosophi: *Platonici* namque inter gradus spiritualium substantiarum, nempe animam humanam, Angelum, & Deum hoc discrimen statuebant, quod Anima sit *multitudo mobilis*; Angelus *multitudo immobilis*, Deus *unitas immobilis*. Animam autem & Angelum *multitudinem* appellabant, propter diversas, & varias eorum facultates; Angelum autem ideo immobilem asserebant, quòd paucioribus quàm homo mutationibus esset subditus: Deum verò unitatem immobilem prædicabant, quòd ipse immobilis unica virtute ac potentia cuncta moveat.

Ratio efficax qua Proclus probat Dei Immutabilitatem.

Hæc efficaci ratione probat Proclus in Commentario ad Rempublicam Platonis. Si Deus mutaretur quoad entitatem, maximè vel à se, vel ab alio: neutrum dici potest: Non quidem ab alio, *Omne enim*, inquit, *quod mutatur, eô quod mutat imbecillius est; quoniam hoc agit, illud patitur: atqui divinum omne potentissimum est, imbecillitas verò cùm sit affectio propria materiæ procul est à Diis*: Ergo Deus mutari nequit ab alio. Sed nec etiam à seipso mutari potest. *Quidquid enim*, inquit, *à seipso mutatur, vel in melius, vel in deterius mutatur. Porro in deterius nihil se unquam sponte sua mutaverit. Nam omne quod tale aliquid patitur, ex boni inscitia pati illud videtur. At quod in melius fit, quando mutatur, id ante mutationem proprii boni indigens, ejusmodi mutationem eligit. Quare ex ambobus illis aut minime voluntariam actionem in Deum conferemus, aut bonorum indigentiam. Verùm & cognitio penes Deos est præstantissima, & vita sufficiens: igitur neque bonô egent ullô, neque præter voluntatem aliquid patiuntur.*

Quæ omnia breviùs hoc ratiocinio urget & complectitur Richardus à S. Victore libro 2. de Trinit. cap. 3. dicens: Omnis mutatio aut est in statum meliorem, aut deteriorem, aut parem: sed nullô istorum modorum mutatur divina natura: Non in meliorem, quia verissimè, & perfectissimè est: Non in deteriorem, quia à semetipsa est: Non in æqualem, quia perfecta est: Ergo nullo modo convenit Deo mutabilitas.

Dices: Deus dicitur *Sapientia æterna*: sed ex libro Sapientiæ cap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior est* sapientia: Ergo Deus est mobilis & mutabilis. Distinguit minorem S. Bonaventura locô laudatô ad primum. Divina Sapientia est mobilior activè & effectivè; quia hæc motum, & vim agendi ac movendi cunctis creaturis tribuit, concedit: Passivè, & successivè, quasi hæc motum in se reciperet, negat: Ideoque divina illa Sapientia dicitur mobilis quasi movens, & motrix, non quasi mota, & agitata.

Dices 2. Ille verè dici potest mutari secundùm entitatem, qui in aliam transit naturam, & propriam suam exuens, aliam induit: atqui ita est de Deo, nam Verbum divinum, quod revera Deus est, *Caro factum est*, inquit Joannes Evangelista primo Capite, & ut ait S. Paulus, *Cùm in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*: Ergo Deus verè mutatur entitativè.

VII.

Quomodo Verbum caro factū fuit sine sui mutatione.

Nego minorem. Verbum enim divinum caro factum est non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, inquit S. Athanasius in Symbolo: similiter humana suscipiens, Divina non amisit, ait S. Augustinus, nec factus homo Deus esse destitit. Unde Tertullianus adversus Praxeam. *Videmus duplicem statum non confusum, sed conjunctum in una persona, Deum, & hominem Iesum. Et adeo salva est utriusque proprietas substantiæ, ut & Spiritus res suas egerit in illo; id est virtutes, & opera, & signa; & caro passiones suas functa sit.*

Ut Tertullianus eleganter expendit.

Hinc subtiliter advertit S. Augustinus lib. 83. Quæstionum q. 73. Apostolum dicere Verbum divinum HABITU INVENTUM UT HOMINEM, quia inquit, *non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est cum indutus est hominem, quem sibi uniens quodammodo atque conformans immortalitati, æternitatique sociaret...... Quo nomine* HABITUS *oportet intelligi non mutatum esse Verbum susceptione hominis; sicut nec verba veste mutantur; quamquam illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copulaverit. Sed quantùm verba humana rebus ineffabilibus coaptari possunt, ne mutatus intelligatur Deus humanæ fragilitatis assumptione, electum est ut Græcè σχῆμα & Latinè diceretur* HABITUS *ista susceptio.* Quod autem per hanc assumptionem humanitatis Verbum divinum nihil suæ majestatis & divinitatis passum fuerit, docent omnia Oecumenica Concilia, præsertim Ephesinum: nec-non & sancti Patres, præcipuè Cyrillus Alexandrinus libro de recta fide, & Epistola ad Nestorium.

Nec-non & S. Augustinus.

VIII.

Selectæ SS. Patrum de Dei Immutabilitate sententiæ.

Concludendum ergo est cum sancto Augustino Epist. 102. *Illud*, inquit, *maximè cavendum est, ne cuiquam Dei natura commutabilis & convertibilis esse dicatur.* Et Chrysost. Homil. 10. in cap. 1. Joann. *Longè ab immortali illa natura est transmutatio.* Et Origene 1. Periarchon cap. 2. inter medium & finem. *In omnibus inconvertibilis est, & incommutabilis: & substantiale in eo omne bonum est, quod utique mutari atque converti nunquam potest.* Et Chrysologo serm. 23. *Qui sibi nunquam, tibi toties immutatur, propter te varias monstratur in formas, qui manet unicæ suæ majestatis in forma. Quid plura? Dat se tibi Deus ut ferre potes, quia ut est, tu non potes sustinere.*

CONCLUSIO SECUNDA.

IX. Deus non est mutabilis *ad formam*.

DEvs *non est mutabilis ad formam.* Hanc Conclusionem egregiè probat Hugo Victorinus lib. 7. eruditionis Theologicæ cap. 20. *Quidquid enim*, inquit, *mutatur secundùm formam, id fit vel secundùm augmentum, vel secundùm diminutionem, vel secundùm alterationem: sed neutrô horum modorum Deus est mutabilis. Non quidem secundùm* AUGMENTUM; *quidquid enim*, inquit, *per incrementum crescit, amplius aliquid semetipso accipit: quidquid autem præter id quod in semetipso habet, aliquid accipit, aliunde accipiat necesse est, quia nulla res sibi ipsi, quod non habet, dare potest. Creator autem rerum à quoquam aliquid, quod non habet, accipere nequit; cùm omne quod est, ab ipso procedat: Non potest igitur crescere qui semetipso amplius nihil potest recipere.*

Neque secundùm *Augmētum*.

Neque secundùm *Diminutionem*.

Neque etiam secundùm DIMINUTIONEM: *Quidquid enim*, inquit, *semetipso minus fieri potest, verè unum non est; quia id quod in separatione se dividit, in conjunctione idem non fuit. Deus igitur cui totum unum est esse quod est, nullo modo semetipso minor fieri potest.* Neque tandem secundùm ALTERATIONEM: *Alteratio namque spirituum*, inquit, *fit per cognitionem & affectum: Secundùm affectum quidem, mutantur spiritus ut nunc tristes nunc hilares: Secundùm cognitionem verò, ut nunc minùs nunc amplius sapientes:* Deus autem utrôque modô immutabilis est, ut sequenti Conclusione patebit: Ergo est omninò immutabilis secundùm formam.

Neque secundùm *Alterationem*.

X. Tria ad veram mutationem sunt necessaria.

Probatur 2. Tria ad veram mutationem desiderantur: *Primò* quidem potentialitas seu privatio, & carentia alicujus formæ, quæ sit veluti terminus à quô: *Secundò* requiritur subjectum mutabile, & susceptivum diversarum formarum: *Tertiò* necessarius est terminus ad quem, seu forma de novo producenda, quæ tale subjectum afficiat: sed neutrum horum in Deo reperiri potest. Non quidem potentialitas, quia Deus est actus purus, ideoque caret privatione formæ, quæ se tenet ex parte termini à quô: Non etiam secundùm, quia est simplicissimus, subindeque omnem compositionem ex forma, & proinde omnem motum ad formam respuit. Non etiam tertium, cum enim sit infinitus, omnes omnino perfectiones desiderandas in se continet, nec ullam recipere potest, quam antea non habuerit.

Hæc omnia paucioribus verbis exponit, & confirmat S. Hilarius in Psalmum secundum; *Deus*, inquit, *beatus atque perfectus, profectu non eget, cui nihil deest: de mutatione non novus est, qui origine caret. Ipse est, qui quod est, non aliunde est: In sese est, secum est, ad se est, suus sibi est, & ipse sibi omnia est, carens omni demutatione novitatis.* Cui concinit S. Augustinus Tractatu 4. in 1. Epist. Ioannis, *Non solùm Deus vocatur;* EST, inquit, *sed verè est: incommutabile est: semper manet; mutari nescit, nulla ex parte corrumpitur; nec proficit, quia perfectum est; nec deficit quia æternum est.*

XI. Qualiter passiones Deo tribuantur.

Dices 1. Ille verè censendus est mutari quantum ad formam, qui variis affectuum & passionum, iræ, vindictæ, zeli, cæterisque motibus agitatur; atqui ita de Deo est, siquidem Scriptura sacra hos affectus non rarò illi tribuit: Sic Psalmo 37. *Domine ne in furore tuo*

A *arguas me, neque in ira tua corripias me.*

Respondet Origenes homil. 23. in Numeros: *Hæc omnia tropico & humano more accipienda sunt à Scriptura dici: Aliena porro est divina Natura ab omni passionis & permutationis affectu, in illo semper beatitudinis apice immobilis & inconcussa perdurans.* Itaque in forma distinguo minorem: Deo tribuuntur præfati iræ & cæterarum passionum motus, quantùm ad effectum, quia nempe tranquilla & immutata ejus voluntas illos producit effectus, qui in nobis ex commotionibus illarum passionum oriuntur, concedo: quantùm ad affectum, quasi in se hos passionum motus sentiat, nego.

B Hæc luculentet expendit S. Augustinus cap. 29. Meditationum, ubi Deum sic alloquitur: *Amas nec æstuas: zelas, & securus es: penitet te, & non doles: irasceris, & tranquillus es: opera mutas sed non consilium. Recipis quod non invenis, & nunquam amisisti: nunquam inops, & gaudes lucris; nunquam avarus, & usuras exigis, supererogatur tibi ut debeas, & quis habet quidquam non tuum? Reddis debita nulli debens; donas debita nihil perdens.*

XII. Objiciuntur Lactantius.

Instabis. Nedum secundùm effectum, & metaphoram, sed etiam revera secundùm affectum, & motum voluntatis, ira & indignatio cæterique præfati motus Deo tribuuntur: Ergo nulla solutio. Probatur antecedens ex

C Lactantio cap. 12. libri de ira Dei, quem S. Hieronymus pulcherrimum appellat, ubi cùm dixisset timore Dei hominum societatem, & vitam sustineri, muniri, & gubernari, subdit, *His autem timor auferetur, si fuerit homini persuasum quòd ira sit expers Deus, quem moveri, & indignari non modò cùm injusta fiunt, communis utilitas, sed etiam ratio ipsa, & veritas persuadet.* Quod autem non tropologicè, sed litteraliter sit intelligendus, ipsemet indicat *cap.* 16. ubi suam opinionem exponens, ait, *Inania & falsa reperiuntur argumenta, vel eorum, qui cum irasci Deum nolunt, gratificari volunt; quia ne hoc quidem fieri sine ira potest: vel eorum qui nullum animi motum esse in Deo putant. Et quia sunt aliqui affectus, qui non cadunt in Deum, ut*

D *libido, timor, avaritia, invidia; omni prorsus affectu eum vacare dixerunt. His enim vacat, quia vitiorum affectus sunt. Eos autem qui sunt virtutis, idest ira in malos, charitas in bonos, miseratio in afflictos, quoniam divina potestate sunt digna, proprios & justos, & veros habet:* Quibus apertè docet aliquos affectus esse in Deo tantùm metaphoricè, alios autem verè & propriè.

Et Tertullianus.

Eandem in sententiam ivisse videtur Tertullianus *lib.* 1. *contra Marcionem cap.* 26. ubi in eum invehens quòd Deum iræ expertem diceret, sic scribit: *Stupidissimus ergo qui non offendi-*

E *tur facto quod non amat fieri, quando offensa comes sit frustrata voluntatis. At si offenditur, debet irasci: si irascitur, debet ulcisci; nam & vltio effectus est iræ, & ira debitum offensæ, & offensa, ut dixi, comes frustratæ voluntatis.*

Sed expugnantur à cæteris Patribus.

Respondeo; quidquid censuerint Tertullianus & Lactantius, non solùm iram, sed & cæteros animi motus, nedum quatènus perturbationes sunt, sed etiam ut sunt pacati, ac tranquilli affectus, Deum omnino dedecere, eò quòd nihil novum, nihilque non æternum Deus admittat: Unde meritò Arnobius *lib.* 7. *contra Gentes* eos irridet, quòd Christianis Deos

Maximè Arnobio.

itatos esse prædicarent; *Universi enim*, inquit, *animorum affectus ignotè Diis sunt: Consentaneum est credere nunquam Deos irasci. Quinimo nullum affectum magis esse ab iis longè, quàm qui feris & belluis proximus turbat tempestatibus patientes, & ad periculum interitionis inducit. Quidquid enim vexatur rei alicujus motu, passibile esse constat, & fragile: quod passioni fragilitatique subjectum est, id necesse est esse mortale: ira autem vexat, & patientes se solvit: Ergo esse mortale dicendum est quod passionibus subjectum est ira.*

Et S. Hilario.

Unde sancti Patres hanc Dei iram metaphoricè usurpatam variè interpretantur. Sanctus quidem Hilarius in Psalmum 2. Nihil iram Dei esse aliud dicit nisi ultionem pœnamque peccati ab alio constitutam. *Pœna*, inquit, *patientis, ira esse creditur decernentis. Atque ita irascitur Deus, cùm per pœna dolorem, iram decreti in se sentiant esse puniti.* Saoctus verò Augustinus in eundem Psalmum *Ira Dei*, inquit, *est motus qui fit in anima quæ legem Dei novit, cùm eandem legem videt à peccatore præteriri; per hunc enim motum justarum animarum multa vindicatur. Quanquam possit ira Dei rectè intelligi etiam ipsa mentis obscuratio, quæ consequitur eos qui legem Dei transgrediuntur.*

Ac Augustino.

Dices 2. Deus in tempore recipit novas appellationes, *Domini, Creatoris, & Redemptoris*, &c. quas nuo habuit ab æternu: Ergo & formas aliquas excipit à quibus appellationes illæ uriantur, proindeque mutatur quantùm ad formam.

XIII.

Deus non est mutatus per nova nomina Domini & Creatoris.

Respondeo 1. hoc argumentum aliquando insolubile visum fuisse sancto Augustinu, ut ipsemet fatetur *Lib. 12. de Civitate Dei cap.* 15. ubi ait *Quomodo* CREATUR *semper fuit Dominus, si Creatura serviens non semper fuit: aut quomodo creata est, & non potius Creatori coæterna est, si semper fuit? Vereor ne faciliùs judicer affirmare quod nescio, quàm docere quod scio. Redeo igitur ad id quod Creator noster scire nos voluit: illa verò quæ vel sapientioribus in hac vita scire permisit, vel omnino perfectis in alia vita scienda servavit, ultra vires meas esse profiteor.*

Nihiluminus *Lib. 5. de Trinit. cap.* 16. eandem agitans quæstionem, disertè prubat Deum per præfatas appellationes nuo esse mutabilem. Cùm enim distinxisset duo relationum genera, quarum aliquæ cum mutatinoe rerum, de quibus dicuntur, accidunt; *Sicut amicus*, inquit, *relativè dicitur, neque enim esse incipit, nisi cum amare cœperit; fit ergo aliqua mutatio voluntatis ut amicus dicatur.* Aliæ vero sunt relationes quæ mutatiooem non important: *Nummus enim*, inquit, *cum dicitur pretium, relativè dicitur, nec tamen mutatus est cùm esse cœpit pretium, neque cùm dicitur pignus, & si quæ sunt similia.* Uode cuncludit primò, *Si ergo nummus potest nulla sui mutatione toties dici relativè, ut neque cùm incipit dici, neque cùm desinit, aliquid in ejus natura, vel forma, quâ nummus est. mutationis fiat; quantò faciliùs de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita dicatur relative aliquid ad Creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligatur; sed illi Creaturæ ad quam dicitur.* Concludit 2. *Quod ergo temporaliter dici incipit Deus quod antea non dicebatur, manifestum est relativè dici: Non tamen secundùm accidens Dei quod ei aliquid acciderit: sed planè secundùm accidens ejus ad quod dici aliquid Deus incipit relativè.* Unde in furma

Distinguo antecedens. Deus has appellationes recipit ratione alicujus formæ intrinsecæ sibi in tempore advenientis, nego antecedens: Ratione mutationis quæ accidit Creaturæ ab ipso procedenti, & dependenti, concedo: Et nego consequentiam.

CUNCLUSIO TERTIA.

DEus *est omnino immutabilis, etiam secundùm operationes Voluntatis & Intellectus.*

XVI.

Deus per operatione voluntatis & intellectus non mutatur.

PRUBATUR PRIMÙ ex Scriptura sacra. Num. 23. *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut Filius hominis ut mutetur: dixit ergo, & non faciet? Locutus est & non implebit?* 1. Regum 15. *Triumphator in Israel non parcet & pœnitudine non flectetur, neque enim homo est ut agat pœnitentiam.* Id est ut eum pœniteat sui decreti, illudque mutet & retractet. Et Jacobi 1. *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* Quod potissimè dictum est de libera Dei voluntate nos generandi *verbo veritatis, ut simus* INITIUM *aliquod Creaturæ ejus*; quemadmodum ex textu ipso manifestum est.

Et probatur 1. ex Scriptura sacra.

Idipsum non obscurè colligitur ex Psalmo 32. *Consilium Domini in æternum manet: cogitationes cordis ejus à generatione in generationem*, id est, maoent semper eædem & invariabiles ab æterno in æternum. Et Pruverb. 19. v. 21. *Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit.* Et Ephes. 1. v. 11. Paulus affirmat Deum UPERARI OMNIA *secundùm consilium voluntatis suæ.* Cunsilium inquam, oon temporaoeum, sed æternum, juxta illud quod paulò antè dixerat, vers. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti.*

2. Ex SS. Patribus.

PROBATUR 2. ex sanctis Patribus, qui eandem Dei intellectus, & vuluntatis immutabilitatem propugnant. Ita sanctus Fulgentius lib. 1. ad Munimum cap. 12. Gregurius Magnus lib. 16. Moralium cap. 17. Bernardus sermone 81. in Cantica; sed præsertim Augustinus, qui divinæ cognitiunis immutabilitatem sic expendit, lib. 11. de Civitate Dei cap. 21. *Ille*, inquit, *non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt: ita ut illa quidem quæ temporaliter fiunt, & futura nondum sint, & præsentia jam sint, & præterita jam non sint. Ipse verò hæc omnia stabili ac sempiterna præsentia comprehendit, &c. nec aliter nunc, nec aliter antea, & aliter postea. Quoniam non sicut nostra, ita & ejus quoque scientia, trium temporum, præsentis videlicet præteriti, vel futuri varietate mutatur, apud quem non est transmutatio, nec momenti obumbratio. Neque enim ejus intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cujus incorporeo intuitu simul adsunt cuncta quæ novit.*

Idipsum de divina vuluntate prubat lib. 12. de Civit. cap. 17. *In Deo*, inquit, *non alteram, præcedentem altera subsequent mutavit aut sustulit voluntatem: sed una eademque sempiter-*

na, & immutabili voluntate, res quas condidit, & ut prius non essent egit quandiu non fuerunt: & ut posterius essent quando esse cœperunt. Et tract. 23. in Joann. post medium sic ait: *Transi omnem mutabilem spiritum. Transi spiritum qui modò scit, modò nescit, modò meminit, modò obliviscitur, vult quod nolebat, non vult quod volebat: sive patiatur jam illas mutabilitates sive pati possit. Transi hæc omnia, non invenis in Deo aliquid mutabilitatis: non aliquid quod aliter nunc est, aliter paulò ante fuerit.*

XV. 3. Ratione Theologica ab Æternitate.

Probatur 3. hæc eadem conclusio ratione deducta ab æternitate Dei, quam sic expendit S. Augustinus lib. 12. Confess. 15. *Num dicetis falsa esse quæ mihi veritas voce forti in aurem interiorem dicit de vera æternitate Creatoris, quod nequaquam ejus substantia per tempora varietur: nec ejus voluntas extra ejus substantiam sit? Vnde non eum modò velle hoc, modò velle illud, sed semel, & simul, & semper velle omnia quæ vult: Non iterum, & iterum: neque nunc ista, nunc illa: nec velle postea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat. Quia talis voluntas mutabilis est: & omne mutabile æternum non est: Deus autem noster æternus est.*

Idem de cognitione prosequitur; *Quod mihi, inquit, dicitur in aurem interiorem, expectatio rerum venturarum fit contuitus cùm venerint: idemque contuitus fit memoria cùm præterierint: omnis porro intentio quæ ita variatur mutabilis est; & omne mutabile æternum non est. Deus autem noster æternitas est. Hæc colligo atque conjungo, & invenio Deum meum Deum æternum, non aliqua tali nova voluntate condidisse Creaturam, nec scientiam ejus transitorium aliquid pati.*

Hanc veritatem egregiè probat Hugo Victorinus.

Hanc ipsam veritatem egregiè probat Hugo Victorinus, *Lib.* 7. *Eruditionis Theologicæ cap.* 20. in hunc modum; Primò quidem quantum ad immutabilitatem voluntatis divinæ, Duo sunt, *inquit*, præcipua quæ affectum operantis mutare solent, id est, sive quia aliquid pœnitendum fecerit in præterito, sive aliquid inordinatum proponat de futuro. Sed quod Deus de facto non pœniteat satis evidenter ostendit immutabilis iste cursus rerum omnium, qui sic lege perpetua primæ institutionis modum non deserit. Quòd verò nihil inordinatum proponat, rationabilis probat eventus, qui in tanto corpore nusquam sibi contradicit. Semper ergo immutabilis est voluntas Dei qui nec consilium mutat de præterito nec propositum de futuro.

1. Quidde immutabilitate Voluntatis Divinæ.

Idem probat de immutabilitate cognitionis. Tribus enim modis, *inquit*, mutabilitati subjacet humana cognitio. Per augmentum, per diminutionem, per vicissitudinem. Per AVGMENTVM, ut quando discimus quod nescimus. Per DIMINVTIONEM, quando quod scimus, obliviscimur. VICISSITVDO autem quadripartita est: in essentia; in forma, in loco, in tempore. In essentia VICISSITVDINEM patitur humana cognitio, quando nunc hoc, nunc illud cogitamus, quia simul omnia nostra sensu comprehendere non possumus. In FORMA, quando idipsum nunc tale, nunc verò tale attendimus; quia utrumque simul non valemus. IN LOCO, quando nunc huc, nunc illuc cogitationem ducimus: quia simul ubique esse cogitatione non valemus. IN TEMPORE, quando nunc præ-

2. De immutabilitate divini Intellectus.

A terita, nunc præsentia, nunc futura consideramus. Tunc etiam tempore cognitio variatur, quando nunc habitam cognitionem intermittimus, nunc intermissam iterum resumimus; quia eam sine intermissione tenere non possumus.

Sed has omnes mutabilitates divina cognitio non recipit. Non *Augetur*; quia plena est. Neque enim nescire potest omnia, qui creat, qui gubernat, qui penetrat, qui portat omnia. Et qui omnibus præsens est Deitate, absens esse non potest visione. *Minui non potest*, qui aliundè non est quidquid est; sed idem ipsum quidquid est, ab ipso est, ab uno, & unum totum quod est. Quid de *Vicissitudine* dicam? Quomodo vicissitudinem recipere possit Sapientia, quæ omnia simul & semel, & sub uno visionis radio comprehendit? *Simul*, quia omnem essentiam, omnem formam, omnia loca, omnia tempora. *Semel*, quia visionem nec intermissam recipit, nec habitam intermittit: sed quod semel est, semper est; & quod semper est totum est. Omnia videt, & de omnibus omnia videt, & semper videt, & ubique videt. Nihil enim novum, nihil alienum advenit, nihil suum. Quando futurum est prævidet, quando præsens est videt, quando præteritum est retinet. Nec aliud quàm quod in ipso est prævidet, videt & retinet: sed quod advenit in tempore, fuit in visione, & quod præterit in tempore, permanet & in visione.

Quemadmodum si totum corpus tuum esset oculus, nec aliud tibi esset esse, & aliud videre, quocumque se res verteret, præsens tibi non esse non posset; & sub uno visionis ictu immobilis permanens comprehenderes quidquid quoquo versum in conspectu haberes: Res transiret & staret visio, & quocumque sua se mobilitate verteret, stanti non nisi præsens esset. Nunc autem quia ex parte vides, mutabiliter videns: & cùm res videnti transit, aut videri definit, aut secum mutabiliter visionem trahit. Quod si totus oculus esses, sic mutabiliter non videres. Quidquid igitur ex parte est, immutabile est, & quidquid ex parte non est, mutabile non est. Deus autem cui idem est esse, vivere, & intelligere, cùm per essentiam ex parte non sit, nec per sapientiam ex parte esse poterit: sed sicut immutabilis est essentia, ita quoque immutabilis est sapientia. Hæc Hugo.

His addi potest, quòd si aliqua in Deo esset intellectionis, & volitionis mutatio, esset pariter in eo ignoratio & inconstantia. Ignoratio quidem, nam si Deus aliquid de novo aut alio modo cognosceret, haud dubiè illud antea ignorasset aut non perfectissimè novisset: Pariter, si desineret aliquid omninò, vel alio modo cognoscere, jam in illo esset, vel antea fuisset illius rei ignorantia aut imperfecta ejus notitia. Esset pariter in eo levitas, & inconstantia, si aliter se haberet ejus voluntas quam antea, circa objectum ita perfectè ab æterno cognitum, ut illius majorem, & perfectiorem cognitionem habere non potuerit: ille enim inconstans in voluntate censetur, qui aliter se habet, quàm antea in volendo aut non volendo; vel nolendo, aut non nolendo, nulla præsupposita nova ratione cur aliter ita velit aut nolit. Ignoratio autem, & inconstantia Deum omnium entium perfectissimum summè dedecent. Ergo etiam ipsi repugnat, volitionis, & intellectionis mutatio.

Dicet 1. Ille verè mutatur secundùm intellectionem, & volitionem, qui nunc aliter cognoscit, & vult objectum quàm antea: sed Deus aliter cognoscit nunc Verbi incarnationē, v. g. quàm ab initio mundi; illam enim tunc ut futuram, nunc verò ut præteritam respicit. Similiter Petrum amat dum est in statu gratiæ, illum verò odio habet quando est in statu peccati mortalis: Ergo est successio, & variatio temporanea inter actus cognitionis, & voluntatis divinæ. Patet minor quantùm ad actum voluntatis; alias enim si in Deo non esset amoris & odii variatio & successio, sequeretur quod Deus eundem simul amaret, & odisset; verumque esset dicere quòd modò odisset Beatos, qui aliquando mortaliter peccaverunt, & vice-versa nunc eximiè plurimos Damnatos diligeret, qui aliquando innocentes, & in præcellenti statu gratiæ extiterunt.

XV.

Quomodo idem actus in Deo possit esse nunc amor nunc odiū.

Distinguo majorem: Si hæc volitionis & intellectionis varietas proveniat à diversitate actuum, concedo: Si solùm ab ejusdem infiniti, & indistincti actus diversa terminatione, & habitudine ad objectum, juxta variam & diversam temporis dispositionem, & objecti habitudinem, nego: Tota enim hæc mutatio in creaturam est refundenda, non verò in ipsum Deum qui ab æterno omnia voluit, & intellexit unico actu simplicissimo, & invariato. Unde semper cognovit incarnationem futuram, dum revera futura erat, & præteritam dum impleta fuit. Idem dicendum de Dei voluntate: Amor enim & odium divinum pro diversitate motivorum variis temporibus existentium non sunt actus contrarii, sed unicus omninò & indivisibilis actus secundùm entitatem, qui juxta variam sui habitudinem & terminationem ad objectum gratum, dicitur amor, ad ingratum verò, odium appellatur: Dilexit enim Judam consideratum pro eo tempore quô erat justus; odit verò spectatum pro eo tempore quô peccator erat.

Nec propterea sequitur quòd nunc Deus oderit Beatos ut Beatos, vel amet Damnatos ut Damnatos, & ut malos: sed tantùm quod actus qui dicebatur odium, & quô Deus ab æterno odit eos qui aliquando fuerunt peccatores, pro eo statu quô erant peccatores, & in quantum peccatores, perseveret huc usque, & in æternum. Licet non dicatur odium, sed amor, quia iam illi mutati sunt de peccatoribus in Sanctos, & Beatos, & idcirco dicuntur à Deo amari ut tales amore pariter æterno; quatenus pro alia temporis differentia amabiles sunt & in statu gratiæ. Idem vice versa dicendum est de Damnatis, qui aliquando fuerunt innocentes.

Hæc luculenter expendit S. Augustinus lib. 5. de Trinitate circa finem: *Quod ergo*, inquit, *temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relativè dici, non tamen secundùm accidens Dei, quod ei aliquid acciderit; sed planè secundùm accidens ejus, ad quod dici aliquid Deus incipit relativè: Et quod amicus Dei justus esse incipit, ipse mutatur. Deus autem absit ut temporaliter aliquando diligat, quasi nova dilectione quæ in illo antè non erat, apud quem non præterita transierunt, & futura iam facta sunt. Itaque omnes Sanctos suos ante mundi constitutionem dilexit sicut prædestinavit. Sed cùm convertuntur & inveniunt illum, tunc incipere ab eo diligi dicuntur, ut eô modô dicatur, quô potest humano affectu capi quod dicitur. Sic etiam cùm iratus malis dicitur, & placidus bonis; illi mutantur non ipse. Sicut lux infirmis oculis aspera, firmis lenis est; ipsorum scilicet mutatione, non sua.*

Dices 2. Deus creat, servat, & regit mundum in tempore, quod ab æterno non præstitit: Ergo aliquas habet operationes in tempore quas ab æterno non habuit, proindeque mutatur.

XVI.

Deus nova producit, at non nova actione intrinseca, sed tantùm extrinseca.

Distinguo antecedens. Hæc præstat volitione, aut actu reali quem ab æterno non habuerit, nego; nova terminatione extrinseca ipsius ejusdem actus divinæ voluntatis ad ipsum mundum productum, conservatum, & gubernatum, concedo: Itaque, inquit Doctor *in secundum dist.* 1. *quæst.* 2. *num.* 7. volitio quâ Deus mundum condit, sustentat, & gubernat, est quidem ab æterno: non tamen pro æterno, sed pro determina temporis differentia. Idest, Deus vult quidem ab æterno mundum producere, & regere; non quod mundus produci debeat ab æterno, sed tantùm in temporum exordio & successione.

Instabis. Volitio Dei efficax suum sortitur effectum: Ergo si volitio Dei sit efficax ab æterno, effectus volitus pariter erit ab æterno.

Distinguit eôdem modô: Si sit efficax, seu efficiens ab æterno, & pro æterno; hoc est, si Deus velit effectum produci ab æterno, talis effectus erit æternus, cōcedit: si sit efficax ab æterno, sed pro tempore, non pro æterno, effectus erit æternus, negat. *Agens enim liberum* (inquit) *potest eadem volitione antiqua effectum novum producere, pro tunc, pro quando vult effectum novum esse: Non enim sequitur, sempiternaliter vult, & non potest de novo velle: Ergo vult pro sempiterno. Sicut non est necessarium in me quod si nunc volo aliquid, quod pro nunc velim illud: sed possum velle illud esse pro cras; & sine omni mutatione à parte voluntatis meæ, possum illud causare cras pro quo volo illud.*

Vrgebis. Implicat esse actionem actualem, & non esse terminum actionis, qui est effectus: Ergo implicat esse creationem actualem, v. g. ab æterno & non esse rem creatam ab æterno.

Distinguo antec. Implicat esse actionem actualem, & actualiter connotantem terminum præsentem, dum non est talis terminus, concedo: implicat esse actionem actualem connotantem terminum non præsentem, sed futurum, nego: Volitio autem illa connotat effectum, non quidem præsentem, sed futurum: & idcirco ex hoc solùm sequitur illum effectum esse quidem actualiter futurum, non verò actualiter existentem & præsentem.

Vrgebis iterum: Ex Arist. 2. de generatione 56. *Idem manens idem, semper natum est facere idem*: Ergo si creatio sit æterna, suum habebit effectum ab æterno: vel si solùm habeat in tempore, non erit eadem quæ fuerat ab æterno.

Respondet Doctor *citatus num.* 9. hoc Aristotelicum effatum esse solùm intelligendum de agente naturali; non verò de agente modo supernaturali, qualis est Deus dum creat.

Vrgebis denique. Intelligi nequit quomodo Deus operari possit in tempore per æternam volitionem, sine nova & actuali applicatione

potentiæ executivæ, id est omnipotentiæ divinæ, quæ applicatio fieri debet per aliquem actum novum ipsius voluntatis. Sicut enim nihil liberè operamur per potentiam executivam, vi solius decreti præteriti, & voluntatis præcedentis, sed ultro requiritur actus novus voluntatis applicantis potentiam ad operandum hîc & nunc: ita pariter in Deo videtur requiri talis novus actus qui voluntatem æternam ad hoc aut illud producendum determinet & applicet: Ergo in Deo esse debet actuum variatio.

Nego antecedens: Deus enim non eget novo actu voluntatis ut applicet potentiam executivam ad operandum, hîc & nunc; sed sufficit decretum æternum quô semper voluit, hîc & nunc, hoc, aut illud producere: cùm enim decretum illud divinum invariatum perseveret usque ad hoc aut illud instans, sufficiens est ut applicet omnipotentiam divinam ad hoc aut illud producendum. Unde decretum illud divinum semper durans, æquivalet duobus actibus nostræ voluntatis; quorum unô decernimus & statuimus operari, & aliquid producere in futurum; alterô autem volumus hîc & nunc efficienter operari, applicamusque actualiter potentias executivas ad operationem.

Nec refert quod illud decretum fuerit efficax ab æterno, non enim propterea debuit applicare actu omnipotentiam ad operandum ab æterno; quia non fuit decretum de operatione facienda ab æterno, sed eo tempore, vel instanti quô Deus liberè statuit operari, & decrevit aliquid producere.

XVIII. *Dices* 3. Qui retractat sententiam, quemque sui facti pœnitet, ille verè mutabilis est quantum ad operationes: sed ita est de Deo; nam Genes. 6. *Delebo*, inquit, *hominem quem creavi .... pœnitet enim me fecisse eos.* Item primò Regum cap. 15. *Pœnitet me quòd constituerim Saül Regem.* Et Hieremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod loquutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Unde vulgatum illud sancti Ambrosii in Lucam, *Novit Deus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum:* Ergo, &c.

Qualiter Deo pœnitentia tribuatur in Scriptura.

Respondeo, hanc Dei pœnitentiam usurpari tantùm metaphoricè; ita quòd significet mutationem in effectu producto, non verò in affectu producentis: Quod egregiè explicat sanctus Augustinus lib. 2. ad Simplicianum quæst. 2. ubi cum probasset Deum *præscientem omnia non posse pœnitere*, explicat qualiter à Scriptura pœnitere dicatur per comparationem ad homines pœnitentes, removendo tamen ab eo ea quæ in hominum pœnitentia imperfectionem sonant, quales sunt retractatio sententiæ, & affectus, cum animi mœrore. *In hominibus*, inquit, *opus pœnitendi est cum procul dubio reperitur voluntas mutandi. Sed in homine cum dolore animi est: reprehendit enim in se quod temerè fecit. Auferamus ergo ista quæ de humana infirmitate, atque ignorantia veniunt; & remaneat solùm velle ut non ita sit aliquid quemadmodum erat: sic potest aliquantulum intimari menti nostræ, quâ regulâ intelligatur quod pœnitet Deum. Cum enim pœnitere dicitur, vult non esse aliquid sicut fecerat ut esset. Sed tamen, & cum ita esset, ita debebat; & cum ita esse jam finit, jam non debet ita esse, perpetuô quodam, & tranquillô æquitatis judiciô quô Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit.*

Ex sancto Augustino.

Id ipsum inculcat, sed breviùs lib. 83. quæstionum q. 52. *Quoniam*, inquit, *mutare cœptum aliquod & in aliud transferre non facile solemus, nisi pœnitendo; quamquam divina providentia serena mente intuentibus appareat cuncta certissimo ordine administrare; accommodatissimè tamen ad humilem humanam intelligentiam ea quæ incipiunt esse, neque perseverant quantùm perseveratura sperata sunt, quasi per pœnitentiam Dei dicuntur ablata.* Itaque Deus revera non retractat internum suum decretum, quod quidem actus omninò invariabilis est secundùm entitatem: sed tantummodo retractat ea quæ fecerat, quæque retractanda præviderat, & decreverat ab æterno, secundùm talem temporis, & status differentiam.

Dices 4. Deus est liber intrinsecè: Ergo & intrinsecè mutabilis. Antecedens constat. Probatur consequentia. Quicumque liber est, potest velle, & nolle; similiter potest velle, & non velle: sed hæc potentia seu indifferentia mutabilitatem importat: Ergo necessum est aut Deum non esse liberum, aut eum esse mutabilem.

Quomodo divina libertas cum immutabilitate concordet.

Respondeo, hanc divinæ libertatis cum immutabilitate concordiam humano quidem ingenio, etiam sapientissimo cuique semper visam fuisse inscrutabilem: nihilominus quoniam pro modulo nostro utramque conciliare tentabimus agendo de libertate voluntatis divinæ; hîc tantùm breviter distinguo antecedens cum Doctore in primum dist. 39. Deus est liber intrinsecè: ad oppositos actus; nego; ad opposita objecta, ad quæ terminatur, & variam habet habitudinem, & extrinsecam denominationem, concedo.

Ex Doctore Subtili.

Voluntas enim divina, inquit Doctor, *non est indifferens ad diversos actus nolendi, & volendi, quia hoc in voluntate mea non erat sine imperfectione voluntatis; voluntas enim nostra erat libera ad oppositos actus, ad hoc ut esset libera ad opposita objecta, & hoc propter limitationem utriusque actus respectu sui objecti: Ergo posita illimitatione ejusdem voluntatis ad diversa objecta, non oportet propter libertatem ad opposita objecta ponere libertatem ad oppositos actus. Ipsa etiam voluntas divina libera est ad oppositos effectus, sed hæc non est prima libertas, sicut nec in nobis. Remanet ergo libertas illa quæ est per se perfectionis, & sine imperfectione, scilicet ad objecta opposita; ita quod sicut voluntas nostra potest diversis volitionibus tendere in diversa volibilia, ita illa voluntas potest unica volitione simplici illimitata tendere in quæcumque volibilia; ita quòd si voluntas illa, vel volitio illa esset tantùm unius volibilis, & non posset esse oppositi, quòd tamen est de se volibile, hoc esset imperfectionis in voluntate sicut prius deductum est de voluntate nostra.*

Quibus Doctor Subtilis tria docet. *Primò* quidem, divinam voluntatem non esse liberam ad oppositos actus, eô quod hoc imperfectionem in nobis esse designat, utpote qui mutamur ab actu ad actum, propter scilicet limitationem nostræ facultatis, quæ unico ac simplici actu non potest omnia objecta percipere. *Secundò* docet, libertatem divinam consistere in libera tendentia, seu termina-

Divina voluntas non est indifferens ad oppositos actus; sed ad diversa objecta, ad quæ simul terminari potest absque sui mutatione.

tione ipsius volitionis necessariæ ad varia objecta creata. *Tertiò*, quòd cùm actus divinæ volitionis sit infinitus & illimitatus, nec mensuretur & specificetur ab aliquo objecto determinato; potest terminari ad varia objecta; ad necessarium quidem necessariò, ad contingens autem contingenter; proindeque tota hæc mutatio penes solam variam terminationem ejusdem actus, non autem penes actum ipsum est concipienda.

Instabis: Atqui non solùm penes diversam illam terminationem extrinsecam, sed etiam secundùm actus intrinsecos, divina voluntas est libera: Ergo & intrinsecè mutabilis. Probatur antecedens. Qui potest velle, vel non velle aliquid, est intrinsecè liber: sed Deus potuit velle, & decernere ab æterno mundum condendum, vel non velle: Ergo fuit intrinsecè liber, & potens ad illud decretum formandum, vel non formandum.

Quomodo Deus potuerit velle vel non velle creationem mundi.

Nego antecedens; & ad ejus probationem, distinguo: Liber fuit & potens ad formandum illud decretum, vel non formandum, entitativè, & quatenus est actus intrinsecus divinæ voluntatis, nego: Terminativè & quatenus est tendentia in objectum quod est contingens, quodque potest existere, vel non existere, concedo. Itaque *Actus* divinæ voluntatis, quatenus est in ipsa divina voluntate, necessarius est, & invariabilis, sicut & ipsamet divina voluntas & essentia, cui realiter identificatur: *Tendentia* autem ipsius ad objectum extrinsecum, est contingens, nec absolutè sumpta connectitur ipsi actui voluntatis divinæ; voluntas enim divina potuit illam habere tendentiam, ad hunc mundum condendum, vel non habere. Imò etiam potuit habere oppositam, si voluisset, quia scilicet tendere, vel non tendere ad hanc mundi fabricam, per se non convenit absoluta necessitate ipsi divinæ voluntati: sed ex libera electione ad hanc aut illam tendentiam vel non tendentiam se determinavit ut voluit; proindeque tota illa mutatio extrinseca est, & penes diversam tendentiam, & habitudinem; non autem intrinseca, & juxta diversos actus.

Vrgebis: Deus intrinsecè fuit indifferens & liber ad formandum decretum de mundo condendo, vel non formandum: Ergo non solùm penes tendentiam ad objectum extrinsecum, sed etiam penes decretum ipsum fuit liber, & consequenter mutabilis intrinsecè.

Distinguo antecedens. Fuit liber ad formandum decretum; id est ad producendum actum volitionis intrinsecæ de mundo creando, vel ad non producendum talem actum entitativè, nego: Ad habendum respectum, & tendentiam seu denominationem extrinsecam, quam infinitus ille divinæ voluntatis actus sortitur ex mundi futuritione, vel non futuritione, concedo.

Instabis denique: Deus ab æterno liber erat ad ponendum illud decretum de mundo condendo, vel non ponendum: ubi autem formatum est tale decretum, & ubi mundus jam conditus est, non est amplius liber & indifferens ad hoc decretum, sed absolutè est determinatus: Ergo saltem hac ratione est mutatus.

Respondeo; quod quemadmodum positio, vel non positio hujus decreti censetur extrinseca, & per respectum ad mundum contingenter producendum; ita hæc Dei determinatio, & mutatio extrinseca est, non verò intrinseca; ac proinde hac ratione Deus non debet censeri intrinsecè mutabilis.

Quæstio Secunda.

An Deus sit Immutabilis extrinsece & terminativè.

I. IAM diximus in primo notabili præcedentis quæstionis rem aliquam extrinsecè mutari posse tribus modis, nimirum per terminationem vel conversionis, vel operationis, vel relationis: nunc resolvendum est an Deus altrutrô aut utrôque ex his modis sit mutabilis vel immutabilis.

Sicut triplex est conversio ita triplex est conversionis terminus.

Notandum 1. quòd cùm maximè triplex sit rerum conversio; scilicet vel *per totalem desitionem*, qualis est annihilatio: vel *per transmutationem*, quæ fit per corruptionem unius formæ & generationem alterius eodem remanente subjecto, videlicet materiâ; vel denique *per transsubstantiationem*, quando res secundùm totalem suam substantiam, materiam videlicet aut formam, transit in substantiam alterius: Sic etiam triplex potest esse conversionis terminus; annihilationis quidem terminus est non ens: transmutationis est pars aut forma acquisita; v. g. forma ignis, est terminus transmutationis ligni in ignem: terminus autem transsubstantiationis, est tota entitas rei in quam alia dicitur transsubstantiari: sic adorandum Christi corpus dici potest terminus conversionis quæ fit totius substantiæ panis & vini in ipsum per consecrationem Eucharisticam.

Deus non potest esse terminus annihilationis neque transformationis.

Certum est autem Deum non posse habere rationem termini per *Annihilationem*, neque per Transformationem cùm nec possit desinere, quia est ens absolutè necessarium; nec aliquam formam suscipere, quia est omnino simplex. Sed dubium est an aliquid possit in ipsum converti per modum transsubstantiationis quæ nullam efficit mutationem substantialem in suo termino; adorandum enim Christi corpus non mutatur realiter & substantialiter per conversionem panis & vini in ipsum; licet mutetur secundùm locum, quia incipit esse ubi priùs non erat præsens.

II. *Notandum* 2. Creaturas dici posse terminum intellectus & voluntatis divinæ dupliciter, nimirum vel secundùm esse ideale, quatenus sunt & repræsentantur in Essentia divina ab æterno; vel secundùm esse reale, & prout à parte rei, & in se ipsis existunt in tempore. Priori modô dicuntur terminus æternus & intrinsecus; posteriori autem terminus extrinsecus & temporaneus appellantur. Prior terminatio est invariabilis & æterna; posterior est contingens & temporalis. Certum est divinam intellectionem & volitionem immutabiles esse & invariatas penes priorem terminum: difficultas itaque solum est an aliquid mutationis ipsius accedat ex earum terminatione ad Creaturas in se ipsis existentes.

Creaturæ possunt esse terminus divinæ volitionis & cognitionis, vel secundùm esse Ideale, vel secundùm esse Reale.

III. *Notandum* 3. duplicis generis & ordinis relationes in Deo distingui posse. Alias quidem *Notionales* & Personarum divinarum constitutivas, quales sunt Paternitas, Filiatio, Spiratio

Duplex relationum genus in Deo.

& Spiratio passiva: Alias autem *Temporaneas* & per ordinem ad creaturas, quales concipiuntur esse relationes Creatoris, Domini, Redemptoris, &c. Priores omnino sunt invariabiles & immutabiles, sicut & ipsamet Essentia divina, cui ab æterno competunt. An autem posteriores aliquam in Deo per suum accessum aut recessum mutationem temporalem inferant, hac in quæstione erit resolvendum.

CONCLUSIO PRIMA.

IV.

Deus nec est convertibilis in aliud, nec aliud in ipsum.

DEUS *non est mutabilis per conversionem sui in aliud: nec alterius in ipsum.* Hæc videtur esse certissima; eamque sæpius inculcant sancti Patres, præsertim sanctus Augustinus lib. 3. contra Maximinum c. 12. *Per hoc*, inquit, *solus Deus habet immortalitatem, quia nec potuit, nec potest aliqua conversione* MUTARI. Et lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 10. *Aliquid substantiæ aut naturæ divinæ commutationem, aut conversionem aliquomodo pati posse, si quis opinetur, mira dementia impietatisque damnabitur.* Similiter Origenes 1. Periarchon cap. 2. *Sapientia Dei*, inquit, *quæ est unigenitus Filius ejus, quoniam in omnibus inconvertibilis & incommutabilis est, & substantiale in eo omne bonum est, quod utique mutari atque converti nunquam potest.* Unde Cyrillus Alexand. lib. de Fide ad Theodosium paulò post initium, oppositum errorem vocat *deliramentum*, & *ruditatem*.

Ut probant S. August.

Origenes.

S. Cyrillus.

Eandem sententiam tuentur & probant melioris notæ Theologi: & quidem D. Thomas, qui 3. *p. quæst.* 2. *art.* 1. loquens de divina Essentia, ait: *Nec ipsa potest converti in aliud, cùm sit incorruptibilis; nec aliud in ipsam cùm sit ingenerabilis.*

Et Doctores Angelicus ac Subtilis.

Id ipsum probat Doctor Subt. quæst. 10. quodlibetica exponens locum Boëtii disputantis contra Eutichetem: *Divinitas*, inquit Doctor, *non minùs excedit activam potentiam quamcumque causativam in ratione termini, quàm unum ens naturale excedit quamcumque potentiam naturalem comparatum ad aliud ens naturale. Patet hæc propositio, quia cum Divinitas sit infinita & incausabilis, nullomodo potest esse terminus potentiæ causativæ. Quodcumque autem creatum potest esse terminus potentiæ causativæ: & hoc non tantùm absolutè, sed comparatum ad quodcumque aliud ens creatum tanquam succedens illi. Tunc fiat argumentum Boëtii per locum à majori. Si per totam potentiam creatam non potest æs immediatè mutari in lapidem: Ergo multò magis vel aquè non potest per quamcumque potentiam activam naturæ creatæ converti in Divinitatem.*

V.

Quare natura divina non sit convertibilis in aliud.

Quibus Doctor contendit Naturam divinam nulli subesse posse conversioni, quia est improducibilis, tam secundùm esse simpliciter, quàm secundùm quid, cùm sit ens per essentiam, & necessariò existens. Omnis enim actio conversiva, est productiva termini ad quem secundùm *esse simpliciter*, vel *secundùm quid*: sed Deus nec est producibilis secundùm ESSE SIMPLICITER, nec SECUNDÙM QUID: Ergo nec convertibilis. Major patet. Sicut enim ad veram conversionem necessarium est, ut terminus *à quo*, qui convertitur in aliud, desinat esse secundùm eam rationem, quâ dicitur converti; ita necesse est ut terminus *ad quem* incipiat esse sub ea ratione, secundùm quam aliud dicitur in ipsum converti: v. g. ut lignum convertatur in ignem, debet desinere esse lignum secundùm propriam rationem ligni, & ignis debet fieri secundùm propriam rationem ignis: conversio enim propriè dicta, est actio quâ unum vertitur in aliud, atque ad aliud esse transit; non potest autem unum transire in aliud, & illud fieri ex alio, nisi ipsum desinat esse id quod est, & nisi aliud fiat id quod non erat. *Minor* similiter constat, alioquin Deus non esset ens per essentiam, & necessariò existens, si secundùm entitatem vel aliquid entitatis produci posset.

VI.

Triplex distingui potest conversio.

Dices 1. Potest fieri conversio absque omni productione, & mutatione intrinseca rei in quam alia convertitur: Ergo Deus absque ulla sui imperfectione potest esse terminus conversionis. Probatur antecedens ex Doctore *Loco laudato num.* 9. ubi distinguit triplicem conversionem quâ aliquid convertitur in præexistens: *Prima* quidem fit sine mutatione reali in esse substantiali & intrinseco, sed tantùm in esse accidentali & extrinseco; sicut v. g. corpus Christi dicitur terminus conversionis substantiæ panis & vini, quia succedit, & habet novum ubi; licet non eôdem modô, quod priùs illa substantia habebat, & licet non producatur secundùm esse *hoc*; tamen producitur secundùm esse *hic*, seu in hoc loco: *Secunda* quâ aliquid, quod priùs erat, sed postea non est, convertitur in aliud; sic lignum convertitur in ignem. *Tertia* denique, quâ aliquid convertitur in aliud, tam secundùm esse simpliciter, quàm secundùm quid, absque omni novitate, & mutatione tam intrinseca quàm extrinseca in termino ad quem fit conversio. Quod autem hæc conversio fieri possit, patet: si enim substantia posset esse terminus conversionis sine sua mutatione intrinseca, sed tantùm per mutationem accidentis; etiam poterit esse terminus talis conversionis, licet nulla interveniat accidentis mutatio; non enim ab esse accidentali, substantia accipit quod possit esse terminus conversionis; quia accidens est posterius substantia: prius autem non accipit rationem & virtutem suam à posteriori.

Confirmatur exemplo *actionis conservativæ*, quæ terminatur ad idem omninò esse formatum per primam productionem absque ulla nova vel productione, vel mutatione reali, tam substantiali quàm accidentali in re conservata.

VII.

Conversio non fit sine desitione termini à quo & productione termini ad quem.

Nego anteced. Nulla enim, ut dictum est, fieri potest vera conversio sine desitione, vel totali, vel partiali termini *à quo*, & productione termini *ad quem*, vel secundùm esse totale, vel secundùm esse partiale, substantiale, aut accidentale illius. *Ad Doctorem* dico, eum ibi non loqui resolutivè, sed dubitativè & per modum disputationis; non enim absolutè censet posse fieri veram conversionem absque ulla novitate substantiali, vel accidentali, in termino ad quem ipsius conversionis: ibidem enim *num.* 7. requirit ut terminus ille conservetur dependenter à desitione termini à quo: Deus autem cum non possit produci, sic nec conservari potest, sive dependenter, sive independenter, ab alicujus entis desitione. Adde quod idem Doctor in 4. dist. 11. q. 3. n. 22. expressè affirmat transubstantiationem necessariò aliquid efficere novum in termino, nempe in corpore Christi, videlicet novum ubi quod priùs adorandum illud corpus non habebat; nihil enim, inquit, est

terminus actionis propriè, scilicet de genere actionis, quin per illam actionē accipiat esse, & hoc saltem secundùm illud, secundùm quod est formalis terminus actionis illius. Unde etiam Filius Dei, qui est terminus activæ generationis Patris, per illam generationem accipit esse, & Personam esse, & Deum esse. Alioquin si nullum esse accipit per illam, non videtur esse intelligibile, quomodo sit ibi aliquid terminans generationem quæ est actio de genere actionis.

Ad confirmationem dico non esse paritatem, conservatio enim non est per se aliqua nova actio, sed prioris productionis continuatio: Unde non debet habere novum terminum à termino producto distinctum: conversio autem est actio realis, & ideo non potest fieri, nec intelligi absque alio novo termino itidem reali.

VIII. *Dices* 2. Verbum divinum terminat actionem unitivam humanitatis cum ipso, absque aliqua sui mutatione & imperfectione: Ergo à pari, poterit terminare actionem conversivam alicujus creaturæ, in ipsum.

Verbum divinum relationem terminat, non veram actionem qualis est conversio.

Nego consequentiam. Terminatio enim illa unionis naturæ humanæ cum Verbo non fit per modum termini veræ & realis actionis: sed per modum termini relationis; seu quatenus terminat respectum realem quem humanitas habet ad ipsum, nullo in ipso resultante respectu ad creaturam, nisi rationis.

Instabis: Idcirco non posset Deus esse terminus conversionis alicujus in ipsum, maximè quia non potest terminare aliquam actionem realem productivam: sed hoc est falsum; nam Persona procedens in divinis, est terminus actionis productivæ: Ergo terminare actionem productivam non repugnat divino Enti; nec proinde ipsi repugnabit esse terminum actionis conversivæ.

Distinguo minorem. Est terminus actionis productivæ per veram causalitatem, quæ est emanatio unius ab alio cum dependentia, nego: quæ est communicatio ejusdem naturæ & earumdem perfectionum, ab alio distincto quidem realiter, sed per relationem quæ ipsimet naturæ communicatæ identificatur realiter; quæque cōmunicatio fit sine ulla dependentia à producente, & sine ulla mutatione in termino *à quo*, concedo: Conversio autem necessariò importat dependentiam à convertente, & desitionem in termino *à quo*; quia converti in aliud nihil aliud est, quàm verti ac mutari in ipsum, quod ad ejus desitionem & mutationem esse incipit: hæc autem Deo competere nequeunt ut jam dictum est, & proinde Deus nec converti potest in aliud, nec aliquid in ipsum.

IX. *Dices* 3. Ex Tertulliano lib. *de Carne Christi cap.* 3. Deus absque ulla sui imperfectione mutari potest in quodlibet: Ergo est convertibilis in aliud. Patet antecedens: cùm enim Tertullianus objecisset sibi ex parte Marcionis negantis Verbum divinum verè induisse naturam humanam in Incarnatione. *Nego*, inquit, *Deum in hominem verè conversum, ita ut nasceretur & carne corporaretur: quia, sine fine est qui etiam inconvertibilis sit necesse est: converti enim in aliud finis est pristini. Non competit ergo conversio, cui non competit finis. Plane natura convertibilium ea lege est, ne permaneant in eo quod convertitur in eis; & ita non permanendo pereant, dum perdunt convertendo quod fuerunt.* Respondet, *Nihil Deo par est; natura ejus ab omnium rerum conditione distat; si ergo quæ à Deo distant, & à quibus Deus distat, cum convertuntur amittunt quod fuerunt, ubi erit diversitas Divinitatis à cæteris rebus, nisi ut contrarium contineat;* id est, ut Deus & in omnia converti potest & qualis est perseverare? *alioquin par erit eorum quæ conversa amittunt quod fuerunt; quorum utique Deus in omnibus par non est, si non in exitu conversionis:* Ergo censet Tertullianus Deum licet immutatum, posse mutari in omnia.

Adducitur Tertullianus.

Distinguo: Censet Deum posse mutari in omnia per terminationem dependentiæ & per unionem hypostaticam, concedo: per veram actionem conversivam de qua loquimur, nego: subdit enim Angelos humanam effigiem assumpsisse, ut inde Deum eandem assumere posse demonstret adversus Marcionem, qui Filium Dei veram carnem induisse negabat: unde concludit. *Quod ergo Angelis inferioribus Deo licuit, uti conversi in corpulentiam humanam Angeli nihilominus permanerent; hoc tu potentiori Deo aufers, quasi non valuerit Christus verè hominem indutus, Deus perseverare.*

Et explicatur.

CONCLUSIO SACUNDA.

X. DEUS *non est mutabilis per accessum aut recessum alicujus relationis.* Ita Doctor in 1. d. 80. q. 2. eamque probat ex perfecta Dei simplicitate & summa ejus essendi necessitate. Ex perfecta quidem simplicitate, quia enim, inquit, Deus perfectè simplex est, nihil est in eo quod non sit ipsum secundum Augustinum lib. de Civit. Dei *cap.* 10. *Deus simplex est, quia hoc est quod habet*, id est, in Deo nulla est realis distinctio, nimirum inter essentialia & absoluta, quia divina Essentia per suam infinitatem sibi realiter identificat quidquid in ipsa est: hoc autem esset falsum si realis aliqua relatio à Deo recederet: Ergo, &c. Etiam ex perfecta necessitate essendi idipsum evincitur, ex eo namque quod Deus sit ens summè necessarium, habet ex se, actu ab æterno, & independenter à quolibet, quidquid habere potest: unde nihil est ipsi realiter identificatum, quod non sit independens ab existentia cujuslibet creaturæ; ita quod quamvis si per impossibile nulla creatura possibilis esset, non minùs Deus eam omnem perfectionem in se contineret, quàm de facto amplectitur: sed hoc esset falsum, si aliqua foret relatio realis in ipso terminata ad creaturam; quia impossibile est quod talis existat relatio, si creatura non foret possibilis aut actu existans.

Deus non est mutabilis relativè.

XII. *Dices* 1. Deo ex tempore plures adveniunt relationes putà *Creatoris, Domini, Redemptoris, &c.* quæ revera sunt reales, quippe cùm sequantur fundamenta realia actu existentia, & ab invicem distincta.

Denominatio Creatoris, Domini, Redemptoris, &c. nullam mutationem in Deo infert.

Respondeo, huic objectioni jam factum fuisse satis in præcedenti quæstione, ubi diximus has relationes nullam in Deo realem mutationem importare, sed solùm in creatura, ut disertè probat, & explicat S. Aug. verbis à nobis relatis.

Dices 2. Si Deo repugnaret mutabilitas ad relationem, maximè quia hæc officeret ejus reali immutabilitati: sed non ita: Ergo sic potest esse mutabilis. *Probatur* minor, tum ex Boëtio *Lib. de Trinit.* ubi disertè probat relationem nullam realem mutationem efficere, tum ex sancto Anselmo *Capite* 24. *Monologii*, ubi cum distinxisset duo genera accidentium, quorum *aliqua* mutationem efficiunt in his rebus, quas afficiunt, quales sunt

quantitas & qualitas; *alia* quæ similem variationem non important, quales sunt relationes. Concludit. *Palam itaque fit quia eorum quæ accidentia dicuntur, quædam aliquatenus attrahunt commutabilitatem, quædam verò nullatenus subtrahunt immutabilitatem. Sicut igitur summa Natura accidentibus mutationem efficientibus nunquam in sua simplicitate locum tribuit: sic secundum ea, quæ nullatenus summæ immutabilitati repugnant, aliquando dici aliquid non respuit, & tamen aliquid ejus essentiæ, unde ipsa variabilis intelligi possit, non accidit.*

Confirmatur. Essentia divina quæ in priori signo rationis præintelligitur relationibus originis, per eas non mutatur in posteriori signo, sed tantùm determinatur ad divinas Personas constituendas: Ergo à simili non mutaretur per adventum alicujus relationis realis ad creaturam.

XII. *Nego* minorem: Res enim quælibet verè, & realiter censetur mutari, quoties aliquam entitatem realem sive relativam, sive absolutam suscipit aut deperdit, quia per illius accessum vel recessum revera habet, aut non habet, quod prius habuerat aut non habuerat. Ad Boëtium, & Anselmum dico eos, sic esse intelligendos quod relationes non efficiant mutationem aliquam sensibilem & physicam, qualem efficiunt quantitas & qualitas; sed tantùm insensibilem & metaphysicam, scilicet propter tenuissimam earum entitatem.

Relationes non efficiūt mutationé sensibilem & physicam; sed insensibilem & metaphysicam.

Ad confirmationem verò, nego paritatem, ideo namque relationes originis nullam in Essentia divina mutationem efficiunt, quia non sunt formæ realiter ab illa distinctæ, neque hæc sine illis existere potest, licet possit concipi: secus autem est de relationibus quas Deus de novo ad Creaturas haberet; illæ namque realiter ab ejus essentia distinguerentur, cum ipsi de novo acciderent, & hæc sine illis ab æterno extitisset.

Conclusio Tertia.

Deus *est Immutabilis terminativè secundùm operationes intellectus & voluntatis.* Patet veritas hujusce conclusionis ex his quæ diximus in probatione ultimæ conclusionis præcedentis Quæstionis; ubi intellectus & voluntatis Dei immutabilitatem satis superque probavimus, fusiùsque hæc eadem veritas patebit in tractatu de intellectu & voluntate divina.

Quæres an solus Deus sit Immutabilis?

XIII. Affirmo: Tum quia solus est actus purus omnino simplex & infinitus, quæ sunt tres præcipuæ rationes ipsius divinæ immutabilitatis: creatura verò è contra, triplicem oppositam habet mutationis rationem: Primò namque fit ex non ente, & ad nihilum tendit: Secundò, quia composita est ex materia & forma, subjecto & accidente, essentia & existentia, quæ ab invicem separari possunt. Tertiò denique: cum finita sit & imperfecta, ipsi semper aliquid perfectionis adjici vel detrahi potest. In hujus rei probationem; hominem ipsum sufficit intueri, qui numquam in eodem statu permanet: *Quotidie enim*, ait Zeno Veronensis serm. de patientia, *mobilitatibus gaudet, varietatibus studet: miserum se putat, si*

Solus Deus est immutabilis.

A *ipse sit sibi idem.* Unde Georgius Venetus lib. 1. harmoniæ, hominem *sphæricum & volubilem* lepidè appellat. Cui pariter quadrat illud Horatii Epist. 1.

Quod petiit spernit; repetit quod nuper omisit;
Æstuat, & vitæ disconvenit ordine toto;
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Articulus Sextus.

De Ineffabilitate Dei.

I. Deum *Ineffabilem & Innominabilem dici,* liquidò constat, nedum ex definitione Fidei in Concilio Lateranensi cap. *Firmiter,* B ubi Deus dicitur, *Æternus, immensus, omnipotens, immutabilis, incomprehensibilis & ineffabilis:* Sed etiam ex communi sanctorum Patrum doctrina, qui Deum ineffabilem pronuntiant: Unde sanctus Augustinus in Psalmum 85. *Deus ineffabilis est*, inquit, *& faciliùs dicimus quid non sit, quàm quid sit. Terram cogitas, non est hoc Deus: mare cogitas, non est hoc Deus.... Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid quæris ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?*

Deum ineffabilem esse clarum est ex Concilio Lateranensi.

Et ex sanctis Patribus.

Unde Justinus Martyr in Apologia posteC riori, *Nemo*, inquit, *ineffabili Deo nomen potest imponere: quod si quis ullum inesse audebit dicere, is intemperanter insanus est.* Id ipsum non obscurè Deus ipsemet insinuavit dum Moïsi interroganti, *Quis esset!* Genesis 32. Respondit; *Cur quæris nomen meum quod est mirabile?* subdiditque: *Ego sum qui sum.* Tanquam diceret, ait Philo Judæus, *Natura mea est esse, non dici.* Inde Proverb. 30. Sapiens interrogat, *Quod est nomen ejus, vel quod nomen Filii ejus si nosti?* Quasi diceret, Dei nomen aut nullum esse, aut nobis prorsus ignotum. An autem hæc divina ineffabilitas Deum omninò innominabilem efficiat, ita quòd à Creaturis D nullo proprio nomine possit insigniri & exprimi, hoc in articulo declarandum est; subjiciendaque & aperienda sunt nomina, quæ solitò Deo tribuuntur.

Quæstio Prima.

An & quomodo Deus sit Ineffabilis.

II. Certum *est & citra* controversiam Deum non esse ineffabilem respectu sui ipsius, quasi seipsum perfectè aliquo conceptu & verbo mentis non posset exprimere, nec-non E & aliquod usurpare nomen sive à se, sive ab aliis prolatum, ad se perfectè cognoscendum & significandum; eô videlicet modô, quô nostris vocibus & orationibus utitur, ut illa percipiat de quibus ei loquimur & ipsum oramus. Cùm enim seipsum perfectè & comprehensivè cognoscat, etiam seipsum nominare posse non videtur incongruum.

Deus non est ineffabilis sibi ipsi.

Certum pariter Deum non esse ita ineffabilem respectu nostri, quasi nullus de ipso haberi possit sermo, nullumque ipsi nomen imponi à Creaturis; hoc enim ipsamet experientiâ convincitur esse falsum. Quippe cùm plura sint nomina quibus Deum significamus, & desi-

Nec nobis absolutè.

gnamus. Restat ergo inquirendum & resolvendum, an aliqua sint nomina quæ divinam essentiam distinctè, essentialiter, & comprehensivè creaturis notificare possint. Quod ut resolvatur evidentius;

III. Nomen proprium duplex.

Notandum 1. ex Doctore Subtili in 1. *dist.* 22. *q.* 2. *n.* 7. Nomen proprium alicui rei tribui posse dupliciter. Primò quatenus significat aliquid revera ipsi soli competere, sic *Omnipotens, Immensus, Æternus* dici possunt propria Dei nomina. Secundò, prout designant nedum peculiarem rei proprietatem, & perfectionem; sed & ipsius essentiam, & naturam; sic vocabulum *homo* proprium est naturæ humanæ quam designat & exprimit, quæ posterior proprii nominis acceptio, congruentior est.

IV. Aliquid nominari potest quatuor modis.

Notandum 2. ex eodem, aliquid posse nominari variis, sed præsertim quatuor modis. Primò quidem, quando proprium nomen ipsius profertur ab aliquo, qui nec significatum percipit, nec aliquid significare per hujus nominis prolationem intendit. Sic v. g. Psitacus proferre potest nomen aliquod Deo impositum, quô significaretur divina ipsius natura homini, vel Viatori, vel Beato, qui hoc nomen prolatum audiret, quamvis proferens, illam significationem non perciperet. Secundò, dum equidem profertur nomen ad significandum aliquem conceptum, quem tamen ipse proferens non perciperet; licet audiens illius nominis significationem intelligeret, v. g. si quis proferret verbum Hebræum, cujus significationem ipse nesciret, coram viro perito linguæ Hebraicæ, qui hanc significationem perciperet. Tertiò, dum aliquis verbum aut nomen pronuntiat ut suos aperiat conceptus alteri, nominis aut verbi significationem intelligenti, ut fit in solitis hominum colloquiis. Quartò denique, dum quis format nomen, ut proprios suos conceptus sibi ipsi exprimat: sic plerumque verbum nostrũ mentis exprimimus verbo oris.

V. Discrimen inter cognitionem *Distinctā, Quidditativam*, & *Comprehensivam*.

Notandum 3. hoc esse discrimen inter cognitionem *distinctam*, *quidditativam*, & *comprehensivam*; quod *Distincta*, sit notitia rei secundùm aliquid sibi proprium, sive interim illud sit prædicatum essentiale, vel tantùm ipsius proprietas & peculiaris perfectio. *Quidditativa* autem, est cognitio rei per sua prædicata essentialia, nimirum genus & differentiam. *Comprehensiva* verò, est apprehensio ipsius rei, nedum secundùm proprietates & prædicata essentialia, sed etiam secundùm omnes modos & gradus perfectionis illius, & juxta omnes habitudines & respectus quos habere potest ad quemlibet terminum.

Videndum est ergo an aliqua Deo nomina tribui possint, quæ hanc triplicem ipsius notitiam efficiant & significent.

Conclusio Prima.

Deus *non est absoluè Ineffabilis: sed designari potest aliquo nomine, distinctam ipsius notitiam significante.* Hæc Conclusio duas habet partes, quarum

Probatur prima ipsâmet experientiâ, quâ constat quædam nomina Deo tribui, quæ exprimunt & designant supremum illud ens cæterorum principium & finem, qualia sunt *Deus, Creator, prima Causa; &c.* Patet etiam ex Scriptura sacra, quæ plura Deo nomina tri-

A buit ut ipsius supremam majestatem, virtutem infinitam cæterasque illius divinas præcellentias explicet: Unde meritò observat S. Dionysius lib. de divinis nom. cap. 5. Deum esse simul *anonimum* & *polyonimum*, hoc est vacantem nomine & plurium nominum: Vacantem quidem nomine, quia omne nomen superat; plurium autem nominum, ut infinita ejus natura quæ unico vocabulo designari potest, pluribus nominibus, veluti tot radiis, illustretur & eniteat. VI. Deus est *Anonymus*, & *Polionimus*.

Unde *Theologi*, inquit ibidem Dionysius, *omnium causam & auctorem multis nominibus ex effectis omnibus laudant, ut bonum, ut pulchrum, ut sapientem, ut diligendum, ut Deum* B *Deorum, ut Dominum Dominorum, ut Sanctum Sanctorum, ut æternum, ut eum qui est; ut sæculorum auctorem, ut vitæ largitorem, ut sapientiam, ut mentem, ut Verbum, ut cognitorem, ut qui eminenter habet thesauros universæ scientiæ, ut vim, ut potentem, ut Regem regnantium, ut antiquum dierum, ut qui in senectutem compelli non potest & immutabilem, ut salutem, ut justitiam, sanctificationem, redemptionem, ut eum qui omnibus magnitudine antecellit, & ut in aura tenui.*

Cum igitur apertè constet tam ex sacris litteris, quàm ex omnium Sapientum vocibus, plura Deo nomina tribui, quibus à nobis perci- C piatur; certum est illum non esse simpliciter & absolutè ineffabilem. Quod eleganter declarat S. Augustinus lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 6. *Ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia & hoc cum dicitur, aliquid dicitur, & fit nescio quæ pugna verborum: quoniam si illud est ineffabile quod dici non potest, non est ineffabile quod vel ineffabile dici potest.* Quasi diceret, Hoc ipso quod Deus dicitur ineffabilis, non est absolutè ineffabilis, quia vocabulum *ineffabile*, ipsius est appellatio propriumque nomen.

Probatur etiam secunda pars. Res distinctè per nomen cognoscitur, dum concipitur & significatur ab aliis distincta; cognoscitur D que secundum aliquod attributum sibi soli peculiare: sed plura sunt nomina quæ nos in distinctam Dei notitiam inducunt ipsamque distinguunt à quolibet alio ente, qualia sunt *prima causa, finis ultimus, ens omnimodè infinitum, &c.* Ergo Deus potest cognosci cognitione distincta per aliqua nomina sibi propria. VII. Deus potest distinctè cognosci per aliquod nomen.

Dices. SS. Patres Deum absolutè innominabilem pronuntiant: Sic S. Dionysius lib. laudatô, ait, *Dei neque sensum, neque imaginationem, neque opinionem, neque nomen, neque orationem, neque tactum, neque scientiam.* Et S. Gregorius Nazianz. orat. 49. Certè hoc est *Deus*, inquit, *quod cum dicitur non potest dici; cum æstimatur non potest æstimari; cum definitur; ipsa defi-* E *nitione crescit, &c.* Unde Orat. 34. commendat illam Platonis sententiam dicentis, *Deum intelligere difficile esse, loqui autem impossibile:* Ergo Deus est ineffabilis. Objiciuntur sancti Patres.

Nego antecedens: & dico SS. Patres non intendere Deum esse omnimodè ineffabilem, alioquin sibi-ipsis nec-non & Scripturæ sacræ apertè contradicerent; sed quod nomina quæ Deo tribuimus, longè sint inferiora ipsius divinæ majestati, nec ipsum ita distinctè exprimant, ut sine ullo cum creaturis commercio intelligi possit. Nomina enim quæ Deo tribuuntur, distinctè ipsius divinam essentiam non declarant, quia illam ut in se est, nec penetramus, VIII. Et solvuntur.

nec percipimus; sed solùm illam circumloquimur, vel attribuendo ipsi, idque in supremo gradu, perfectiones omnes quas in creaturis relucere deprehendimus; vel ab eo removemus omnes creaturarum imperfectiones: omnia namque Dei nomina ipsi tribuuntur, vel per affirmationem perfectionis, vel per negationem imperfectionis, vel per habitudinem & respectum ad creaturas; Proindeque habent semper aliquod cum creaturis commercium, nec Deum ut in se est, perfectè ab omnibus distinctum enunciant.

Conclusio Secunda.

IX. Viator potest designare nomen aliquod quo exprimatur essentia Dei, & quod significet conceptum quidditativum quem Deus habet de seipso, aut Beati de illo. Hæc Conclusio est Doctoris in 1. dist. 22. q. 1. & 2. eamque sic probat. Si quid obstet quominus fieri possit hæc nominis designatio, & significatio, maximè quia ad impositionem nominis requiritur ut nomen non significet rem perfectiùs quàm eam concipiat ille qui nomen imposuit: Sed hoc est falsum; Ergo & illud unde sequitur. Probat minorem: Si non possemus designare nomina ad significandas res perfectiori modo quàm eas concipimus, sequeretur nullum nomen à nobis excogitatum ad significandum substantiam, ipsius substantiæ quidditatem & essentiam verè significare, sed solùm designare proprietates, & effectus sensibiles illius notificantes, à quibus tale nomen designatum est: sed consequens est falsum: igitur & antecedens.

Potest à viatore designari nomen quod significet conceptum quem Deus habet de seipso aut Beati de illo.

Major patet; Constat enim nos in hoc mortali statu nullum substantiæ conceptum distinctum quidditativum habere posse in particulari, v. g. de homine, aut equo; sed tantùm confusum, quo concipimus hominem aut equum per modum alicujus rerum per se substantium & dicentium ordinem ad tales vel tales operationes, aut accidentia. *Minor* etiam constat; alias inutiles & nugatoriæ essent orationes, quibus substantiæ proprietas, vel effectus ipsi attribuuntur, & de ipsa prædicantur.

X. Si enim *substantiæ* nomen non significet conceptum illius quidditativum; sed tantùm confusim & indiscriminatim exprimat ea omnia quæ ipsam substantiam spectant; sive illa sint, proprietas, effectus, operatio, aut quiddita; apertè sequitur quod idem prædicatur de seipso, dum illa proprietas aut effectus de substantia affirmantur. V. g. cùm dico substantia est prædita quantitate & albedine, sensus esset; Id quod est præditum quantitate & albedine, est præditum quantitate & albedine, quæ repetitio & prædicatio omnino nugatoria est.

Potest designari nomen ad significandum rem perfectiùs quàm eam novimus.

Confirmat Doctor primò: Cum Adam imposuisset nomen *homo*, v. g. ad exprimendam naturam humanam, prout ipse quidditativè & perfectè eam cognoscebat dum illud nomen imponeret (ex hypothesi, ut suppono quòd noverit omnium rerum essentias): certum est illud nomen *homo*, esse significativum naturæ humanæ quidditativè, & perfectè: si autem aliquis Adami filius coram ipso proferens hoc vocabulum *homo*, intendisset designare & significare quidditatem hominis, quam tamen ipse distinctè non cognovisset, apertè constat quod Adamus audiendo hoc vocabulum, statim habuisset conceptum quidditativum naturæ humanæ, licet ille qui protulit, talem conceptum non haberet: Ergo similiter Adami filius potuisset designare nomen *homo*, ad significandam naturam humanam ipsi Adamo, non autem ejus filio notam.

Confirmat secundò. Licèt plerumque imponantur nomina propter aliquas proprietates vel effectus, qui moveant ad talem impositionem, sicut v. g. *læsio pedis* conveniens lapidi, est ratio cur illa substantia vocetur *lapis*: & prima hominis formatio ex *humo*, fortè fuit occasio cur vocabulum *homo*, usurpatum fuerit, ad significandam naturam humanam. Tamen certum est istas proprietates, vel effectus non significari præcisè per voces illas; sed rem ipsam secundùm se & quidditativè consideratam. Tum quia auditis istis vocibus non intelliguntur tales proprietates aut effectus; sed concipitur rei entitas aut natura; neque enim quoties audimus proferri vocabulum *lapis*, cogitamus de læsione lapidis; sed rem ipsam, & substantiam designamus: Tum quia diversa nomina in diversis linguis significant eandem prorsus rem intelligentibus illas linguas. Gallus enim linguæ Latinæ peritus, ubi lapidem audit, idem concipit quod exprimitur nomine Gallico *la pierre*: Hæc tamen diversa nomina potuerunt institui ob diversas rationes motivas desumptas ex diversis proprietatibus rei: Ergo certum est nomina non semper imponi ad significandam rem secundùm quòd concipitur ab imponente nomen. Patet consequentia: Si enim sic imponerentur, sequeretur quòd cùm ille qui primus designavit nomen lapidis ad significandam substantiam læsivam pedis, etiam & quicumque audiret hoc nomen, nihil aliud conciperet, quàm virtutem illam pedis læsivam, quod tamen apertè falsum est.

XI. *Probat 2. Vasquesius Disp. 57. cap. 2. num. 9.* Mensura significationis nominis non est sumenda ex eo qui nomen imposuit, neque præcisè ex eo qui imposito nomine utitur; sed ex illo qui audit & intelligit conceptum loquentis: Sed quando viatores proferunt nomen *Deus*, v. g. Beati intelligunt quidditativè, & essentialiter id quod viatores hoc nomine exprimunt, & significant: Ergo illud nomen prolatum & impositum à viatoribus, distinctè significare potest quidditatem naturæ divinæ. Probat majorem; quia nomina sunt symbola & signa inter eum qui loquitur, seu nomen usurpat, & eum qui audit: Imo potius dicuntur significare rem audienti nomen, quàm ipsum proferenti; quia ipsum tantùm ducunt in rei intelligentiam; significare autem est efficere ut res intelligatur: sed contingere potest, ut qui nomen audit, meliùs rem concipiat, quàm eam intelligat is qui nomen usurpat & profert, aut imponit.

Significatio nominis sumenda est ex côceptu audientis.

Minorem confirmat his exemplis. Primò potest aliquis concipere distinctiùs rem per vocem jam impositam, quàm eam concipiat qui ea voce utitur. Si quis enim Romæ nunquam versatus, cum Romano loquatur de situ, majestate, divitiis, & præstantia illius urbis, quæ per relationem aut lectionem tantùm didicit; certum est Romanum audito Romæ vocabulo, hæc omnia meliùs percipere quàm percipiat is qui tale nomen profert: Ergo potest aliquis multò clariùs, & distinctiùs rem alteri significare voce jam ad significandum imposita,

quàm ipſemet eam intelligat. Secundò poteſt etiam quis nomen primò imponere clariùs rem ſignificans audientibus, quàm ipſemet imponens concipiat, ut ſi Rex v. g. mittens exercitum ad Indos, imperet Duci, ut quam primam urbem, vel inſulam ceperit, eam nomine Ludovici nuncupet; tunc nomen illud clarius Duci & militibus incoliſque deſignabit illam urbem aut inſulam quàm Regi, qui talem orbem aut inſulam nuſquam luſtravit; ſed illiùs tantùm habet conceptum analogicum per comparationem ad alias civitates, vel urbes quas ipſe vidit.

Dices 1. *cum Cajetano*: Voces ſignificant res mediis conceptibus formalibus quos habet vocis impoſitor & ea utens ad rem exprimendam: Ergo diſtincta ſignificatio vocis & nominis oritur ex diſtincta cognitione imponentis nomen, aut jam impoſito utentis: & conſequenter, non poteſt imponere nomen ad rem diſtinctiùs ſignificandam quàm ipſemet eam concipiat.

Reſpondeo 1. Antecedens abſolutè eſſe falſum, ſiquidem pſitacus proferendo nomen aliquod, deducit in cogitationem rei per nomen expreſſæ; cujus tamen nullum conceptum formalem habet. Nego pariter ſequelam; cum enim nominis impoſitio fiat per actum voluntatis, non aliter requiritur cognitio rei ſignificandæ per nomen, quàm quia voluntas cum ſit potentia cœca, nec poſſit ferri in incognitum, nec rem cognoſcere niſi prævia intellectus cognitione; etiam non poſſit inſtituere nomen aliquod ad rem ſignificandam, niſi prius rem illam cognoſcat, ſaltem conceptu generali & confuſo, nec requiritur ut ipſam noverit conceptu perfectè diſtincto & quidditativo.

Inſtabis: Non poteſt nomen habere ullam ſignificationem diſtinctam niſi ab imponente; ſed imponens non poteſt dare quod non habet: non habet autem cognitionem diſtinctam & quidditativam rei nominandæ ut ſupponitur: Ergo non poteſt tribuere vim nomini ut diſtinctius rem ſignificet quam ipſe noverit.

Diſtinguo ant. Nomen non habet ſignificationem niſi ab imponente, id eſt non ordinatur ad hanc rem ſignificandam ſub tali conceptu, niſi quia taliter imponens ordinavit, concedo: non ſignificat perfectius, & diſtinctius rem ipſam cuicumque percipienti nomen & ſcienti ejus attributionem ad hanc rem ſignificandam quàm ipſe imponens conceperit, & ordinaverit; *nego*. Cùm enim vocis ordinatio fiat per actum voluntatis ad quem prævia intellectus cognitio deſideratur, non requiritur ut tanta ſit rei cognitio in intellectu, quanta eſt intentio imponentis nomen ut rem ſignificet.

Urgebis: Si nullomodo impoſitor cognoſceret rem nominandam, non poſſet ejus voluntas ordinare nomen ad eam ſignificandam: Ergo ſi non cognoſcat diſtinctè, non poterit tribuere nomini ullam vim ad eam ſignificandam diſtinctè.

XII. *Nego conſequentiam*: Licet enim deſideretur aliqua intellectus cognitio ad actionem voluntatis, tamen non ſequitur quod perfectior cognitio, perfectiorem voluntatis actum præveniat & generet; quia poſita eadem cognitione in diverſis temporibus, poteſt eadem voluntas nunc perfectiùs, nunc minùs perfectè rem aliquam amare, ut patet experientiâ. Imò eodem inſtanti, quô amavit objectum ſecundùm duos gradus amoris, poterit illud amare ut quatuor: Ergo à ſimili, licet quædam cognitio requiratur, ut nomen imponatur ad rem ſignificandam, tamen non ſequitur, quòd diſtincta rei cognitio deſideretur, ut imponatur nomen ad rem diſtinctè ſignificandam.

Perfectior cognitio non ſemper perfectiorē actum voluntatis generat.

Inſtabis denique: Faciliùs eſt rem concipere quàm eam verbis explicare, ut patet tum experientiâ, tum illis ſanctorum Patrum authoritatibus, quibus ſupra diximus Deum faciliùs concipi quàm exprimi: Ergo qui imperfectè rem novit, non poteſt per verba à ſe impoſita illam ſignificare perfectè, alioquin, faciliùs eſſet rem explicare, & ſignificare quàm eam cognoſcere.

Diſtinguo antecedens: Faciliùs eſt rem concipere quàm verbis exprimere, quando aliquis voces habet jam impoſitas ad rem ſignificandam ut illam concipit, & alter novit etiam vocis ſignificationem habetque eoſdem conceptus de re ſignificata per verba quos habet loquens, *nego* antecedens: Quando loquens, vel non habet verba propria & jam uſitata quibus ſuum de re conceptum exprimat; vel audiens non novit verba eſſe impoſita ad hanc ſignificationem, aut non habet eoſdem de re conceptus ad quos ſignificandos verba ordinantur, & inſtituuntur, tunc difficiliùs eſt rem exprimere quàm concipere, *concedo*: Similiter diſtinguo conſequens, non poteſt hoc aliis ſignificare perfectè, qui rem illam perfectè noverunt, nego: qui non conciperent, concedo: neque id ipſum aſſerimus.

XIII. *Ut autem* ſolvantur faciliùs omnes aliæ hanc adverſus veritatem objiciendæ rationes, advertendum eſt quatuor eſſe deſideranda ut quis perfectam, & diſtinctam vocis & nominis ſignificationem poſſit habere. *Primò* quidem neceſſum eſt ut audiens ſciat vocem eſſe impoſitam ad hanc rem determinatè ſignificandam. *Secundò* oportet ut habeat conceptum, & cognitionem rei ſignificandæ priuſquam illam per tale nomen percipiat: cùm enim vox, non poſſit ex ſe præciſè cauſare cognitionem rei, ſed tantum quatenus excitat ſpecies ipſius in mente audientis vocem, inde fit quod non poſſit ſignificare niſi præſupponat rei ſignificandæ conceptum, & ſpeciem intelligibilem in mente audientis: *Tertiò*, noſſe debet loquentem uti vocibus ad rem ita ſignificandam, ad quam ſignificationem ordinatæ ſunt. *Quartò* denique tam loquens quàm audiens debent in promptu habere tum verba, tum meminiſſe ſignificationis verborum quibus utuntur ad rem exprimendam. Quibus quatuor præſuppoſitis conditionibus, certum eſt non eſſe difficilius rem exprimere quàm concipere.

Quatuor deſiderantur ad perfectam nominis notitiam.

CONCLUSIO TERTIA.

XIV. POTEST *à Creaturis deſignari aliquod nomen quô Deus ſeipſum comprehenſivè cognoſcat.* Ita cenſent S. Bonaventura & Baſſolius *q.* 1. *art.* 2. quamvis affirment tale nomen non poſſe à Creatura, ſed ſolùm à Deo imponi; eo quòd (inquiunt) nominis ſignificatio non poſſit eſſe perfectior quàm ſit imponentis cognitio: quod fundamentum falſum eſſe conſtat ex præcedenti concluſione; ideoque nihil obſtat ex eorùm Doctrina, quin poſſit creatus in-

Poteſt etiam à viatore deſignari nomen Deum comprehenſivè ſignificans.

tellectus etiam in via Deo imponere nomen, qoô ipse seipsum comprehensivè cogooscat.

Patet iosuper conclusionis veritas ex eo quòd talis sit nominis sigoificatio qualis, est conceptus quem habet audiens de re per nomen significata: sed Deus habet cognitionem comprehensivam de se quatenus coocipit nos ipsum exprimere per nomen, vel *Dei* vel *infiniti entis*, *&c.* Ergo nomina Deum significantia designari possuot à Creatura quibus ille seipsum comprehensivè cogooscat.

Dices 1. Nihil possumus per voces vel nomina Deo sigoificare: Ergo oec imponere aliquod nomen, quô Deus seipsum comprehensivè cogooscat. *Probatur* anteceden: Usus vocum ideo tantùm introductus est, ot res concepta quæ in mente latehat, voce ipsa in locum ipsius conceptus suhrogatâ, exprimatur, & innotescat audieoti; sed cùm Deus intueatur corda hominum & cogitationes scrutetur, nihil ei possumus vocihus exprimere aut indicare manifestando conceptus nostros quos antea ipse noo noverit. Ergo nec aliquid vocibus significare.

Nego majorem: ad cujus ptohationem dico, nooquam vi impositionis rem meliùs intelligi, quàm imponenti nota sit per se, vel per eos qoihus orirur ad nomen imponendum tanquam causis aliqoo modo concurrentibus ad impositiooē. Dixi *vi impositionis*, quia oon oego aliunde posse meliùs intelligi, nempe vi perfectioris intellectûs aut alia de causa. Quô pactô Angeli multò meliùs intelligunt spiritualia auditis vocihus quas de illis formamus, quàm ooverint institutores hujusmodi nominum. Dixi etiam, *quàm imponenti nota per se, vel per eos quibus utitur ad nomen imponendum*; quia sufficit ut illi noverint; imo eriam sufficit nosse in actu primo, idest posse naturaliter nosse remotis impedimentis, vel appositis & juvantihus causis connaturalihus. Nomina enim imponuntur ah hominihus propter homanam societatem, & commercium, ut significeot res eô modô, quô suh cooceptus cadere soléot, secundùm naturalem iotelligendi facultatem per se coosideratam & communiter in usu positam.

Dices 2. Ut imponatur aliquod oomeo, quod Deum comprehensivè significaret, deheret cootinere & exprimere terminationes iofinitas quas Deus habet ad res possihiles, & sine quihus oon potest comprehensivè cognosci; Hæc autem infinita terminationum significatio, oolli nomini competere potest; sed infinitis nominibus opus est ad iofioitas res exprimendas. Ergo, &c.

XV. *Respondeo*; Ad comprehensivam significationem ooo esse necessum qood illud nomen distinctè explicet omnes omnino significati rationes & habitudines; sed sufficit quòd eas implicitè, & confusè exprimat. Quemadmodum enim nomen *homo*, quidditativè naturam humanam significat, nec tamen explicat distinctè omnia ejus prædicata essentialia, sic potest nomen aliquod significare rem comprehensivè, licet oon explicet distinctè omnem rationem cognoscibilem in re sigoificata; sed taotùm confusè; modo tamen utens tali nomioe ad cognitionem compreheosivam; habeat aliunde sufficiens principium ad talem illius rei comprehensivam cognitionem; istudqoe nomen tantùm sit occasio percipiendi rem comprehensivè, quàm alionde iam ita sufficienter cogooscebar. Unde existimo nomina *Deus, qui est, ens infinitum*, & quodcumque aliud Deo propriom, secundùm se significare comprehensivè naturam divinam; quia licet distinctè omnem Dei rationem non explicent, significant tamen illam natutam, cui omnes illæ rationes conveniunt.

Quod non debet explicare omnia distinctè.

Quæstio Secunda.

Quæ & quomodo nomina Deo conveniant.

XVI. NOTANOOM 1. Nomina quæ Deo trihuuotur, alia esse NEGATIVA, ot *Infinitus, Immensus, &c.* quihus creatorarum imperfectiooes ab ipso temoventur; alia verò AFFIRMATIVA, ot *Bonus, Sapiens, Æternus*; & alia quihus perfectiones, quas in creaturis relucere deprehendimus, Deo tribuimus in perfectissimo & supereminenti gradu. Insuper nomioa affirmantia, vel sunt ABSOLUTA; Deumqoe absolutè & secundùm se significaot absque ullo prorsus respectu, qualia sunt, *Bonus, Sapiens, &c.* Alia verò sunt RELATIVA, idque vel ad intra, ut *Pater, Filius, Spiratus, Genitor, & Genitus*; vel ad extra ut *Creator, Dominus, Redemptor*. De relativis ad intra agitur in Tractatu de Trioitate: de cæteris verò ounc videndum est qoaliter Deo conveniant, an propriè & formaliter, ao eminenter solum & metaphoricè.

Nomina quæ Deo tribuuntur, alia sunt *negantia*, alia *affirmantia*; quæ iterum sunt vel *resoluta*, vel *relativa* ad intra vel ad extra.

XVII. *Notandum* 2. apod Hebræos varia foisse nomina quihus Deus cogoomioari solebat, sed præsertim decem, quæ refert & explicat S. Hieronymus Epist. 136. Primum est *El*, quod Deum fortem significat. Secundum *Elohe*, qood Deum providentem, gubernantem, & videntem denotat. Tertium est *Elohim*, quod præcedentis plorale est. Quartum *Sabaoth*, quod semper cum alio Dei nomine conjunctum est, ut *Adonai Sabaoth*, idest Dominus virtutum vel exercituum. Quiotum *Elion*, idest excelsu. Sextum *Elie escer eie*, idest sum qui sum, vel qui est. Septimum *Adonai*, quod Dominum significat. Octavum *Ia*, quod sonat in fine alleluia: eteoim *allelnia* componitur ex *allelu*, idest laudate, & *Ia* hoc est Deum. Nonum *Sadai*, quod munificum, liheralem, & omnipotentem significat. Decimum est oomen *Tetragrammaton*, Hehraïcé *Semhammepheras*, idest *nomen expositum*, quòd scilicet, ut notat noster Galatinus, lih. 2. de Arcanis sacræ Religioois cap. 90. nosquam sicut scrihehatur legi poterat, nisi à Sacerdote, dum populo in sanctuario benedicebat, & qooties extra sanctuarium pronuntiandum occurrehat, ejus loco proferebant *Ædonai*.

Decem nomina Dei secundùm Hebræos.

Unde etiam Volgatus Interpres vertens illud Exodi 6. *Nomen meum Adonai non indicavi eis*: Scripsit *Adonaï* loco *Tetragrammaton*, quod erat in originali, morem scilicet veterum secutus. Significat autem hoc oomem *Tetragrammaton* vel generantem, ut aliqui interpretantur; vel qui dat omnibus esse; vel qui est unos & omnia; vel qui eminenter omnia contioet, ut ibidem refert Galatinos. Dicitur pariter hoc nomen propriè unicum Dei, &

ipsi solùm ab æterno conveniens, ejusque divinam substantiam exprimeos: cætera namque nomina, inquiunt Hebræi Doctores, solùm derivata sunt & Deo attributa; post mundi creationem ex variis Dei effectibus & donis.

XVIII. *Notandum* 3. sacrum Dei Nomen apud omnes ferè nationes esse Tetragrammaton, ut potè quod quatuor litteris ubique scribatur. Ægyptii enim Deum vocant *Theu*; Persæ *Syre*, Magi *Orsi*, Græci θεὸν, Armeni *Vort*, Arabes & Turcæ *Alla*, Germani & Angli *Goth*, Galli *Dieu*, Hispani *Dios*, Hebræi *Geova*.

Dei nomen ex quatuor litteris coalescit.

Conclosio Prima.

XIX. NOMINA *negativa non conveniunt Deo formaliter secundùm propriam & formalem illorum significationem.* Patet hujus Conclusionis veritas: Tum quia nomina oegativa formaliter negationem importanr & significant: sed Deus non potest esse nec dici formaliter negatio. Ergo, &c. Tum quia negatio in formali suo conceptu est *non ens*, siquidem est negatio entis: sed Deus entium omnium maximum non potest dici formaliter *non ens*: Ergo nec formaliter nomine oegationis appellari: Tum denique quia Nomina negativa dicunt formalem carentiam imperfectionis creaturarum; at Deus non est formaliter solùm hæc carentia: Ergo neque hæc nomina formaliter ipsi conveniunt; sed tantùm quatenus sigoificaot & connotant aliquam perfectionem positivam; quæ sit ratio cur hæc negatio imperfectionis creaturarum Deo tribuatur sicut Immensitas, v.g. connotat illimitatam essentiæ divinæ diffusionem, ratione cujus Deus dicitur aliquô locô non circunscribi, nec includi.

Nomina negativa non conveniunt Deo secundùm formalem eorum significationem.

Nec refert quod SS. Patres affirment Deum faciliùs cognosci per negationem imperfectionis, quàm per affirmationem perfectionis. Exinde enim non sequitur illam negationem formaliter ipsi convenire: sed solùm quòd faciliùs percipiamus illum carere creaturarum imperfectionibus, quàm detegere possimus, quænam sint veræ, & quales, ac qoantæ sint illius perfectiones.

Conclusio Secunda.

XX. NOMINA *affirmantia divinas perfectiones, formaliter Deo conveniunt.*

Nomina affirmantia formaliter Deo conveniunt.

Probatur; Eô modô Nomina convenire Deo censentur, quomodo ipsi competunt ea quæ per nomina significantur: sed divinæ perfectiones per affirmantia nomina significatæ, ipsi conveniunt formaliter: Ergo & nomina illa significantia. Mioor patet ex iis quæ diximus in præcedenti Disputatiooe probando attributa divioa esse formaliter in Deo, non autem solùm eminenter: Adde quod si hæc nomina Deo formaliter non convenirent, sequeretur Deum non rectiùs appellari Sapientem, Bonum, Justum, &c. quam vocetur Leonem, Petram, &c. quæ ipsi solùm eminenter & effectivè aptantur: sed hoc per se falsum apparet: Ergo & illud unde sequitur.

Dices: Nullum nomen Deo tribuitur nisi per ordinem ad creaturas quas coodidit, regit & gubernat: sed hæc omnia non conveniunt ipsi formaliter, sed tantùm effectivè. Ergo, &c. *Probatur minor*: tum ex S. Gregorio Nysseno 12. cootra Eunomium; *Deus, inquit, per seipsum* A *est quidquid esse creditur: Nominatur autem ab iis qui invocant, non hoc ipsum quod est, est enim natura ejus, qui est, inexplicabilis: sed ex iis quæ circa vitam nostram operari creditur, varia cognomina sortitur.* Cui coocinit Synesius oratione de regoo: *Nullum*, inquit, *usquam nomen inventum est quod Dei naturam attingeret: sed cum ab ea exprimenda homines aberrarent, per ea quæ ab illo manant, ipsum assequi conantur. Sive* PATREM, *sive* CONDITOREM, *sive quid aliud nomines, sive* PRINCIPIUM, *sive* CAUSAM: *Hæc omnia quædam illius sunt, ad ea quæ ab ipso oriuntur habitudines.*

B *Respondeo* negando majorem: plura namque Deo nomina tribuuntur absque ullo ad creatutas respectu, licet pleraque ipsi conveniant per habitudinem ad ipsas creaturas quas vel producit, vel regit, vel moderatur; ratione quorum nominum faciliùs cogooscitur & deprehenditur suprema ejus majestas, quàm per cætera quæ ipsum in se stantem, & secundùm se perfectum significant. Hinc præfati Patres non immeritò affirmant nullum propriè nomen hactenus excogitatum fuisse, nec excogitari posse quod nos in naturæ divinæ cognitionem deducat: sed tantùm excogitata fuisse aliqua nomina, quæ Deum juxta variam sui ad creaturas habitudinem designa- C rent.

Conclusio Tertia.

NOMINA *relativa Dei ad extra, ipsi non conveniunt formaliter.* XXI.

Probatur: Illud non convenit Deo formaliter, quod ipsi tribuitur per modum denominationis extrinsecæ: sed talia sunt nomina Creatoris & Redemptoris, &c. Deus enim nihil intrinsecum recipit per creaturæ productionem aut sanctificationem temporalem, aliàs revera mutaretur: Ergo illa nomina ipsi non conveniunt formaliter, & intrinsecè; sed tantùm denominativè & extrinsecè, ut iam sufficienter probavimus agendo de Immutabilitate D Dei.

Non idem de Relativis ad extra.

Quæres quid propriè significet nomen DEUS?

RESPONDEO: Variam esse hujus Nominis interpretationem, & significationem apud Authores. Primò namque Græci contenduot nomen θεὸς à quô Latinè *Deus*, non esse nomen appellativum: sed epitheticum, derivatum ab efficientia & operatione.

Quid significet nomen DEUS?

Primò namque volunt illud oriri à verbo θεάω quod est intueri & cootemplari; unde Gregorius Nysseous librô ad Ablabium dicit E voeabulum θεὸς operationem *inspectricem, & contemplatricem exprimere, quâ intuetur inspicitque omnia, cogitationes videns, & ea quæ aspici nequeunt, considerandi facultatem penetrans*: Plato verò in Cratillo deducit hoc nomen à verbo θεῖν quod est currere, *Videntur enim mihi*, inquit, *primi hominum in Græcia solos illos putasse Deos, quos hodie complures agnoscunt Barbarorum, Solem, Lunam, Terram, Astra, Cœlum: Cum igitur omnia illa cernerent perpetuo cursu progredientia, ab hac naturali proprietate currendi, Deos illos nominaverunt, Postea verò cùm cæteros intellexissent, omnes eôdem appellarunt vocabulô.*

S. Joanoes

S. Joannes Damascenos lib. 1. de Fide cap. 12. deducit hanc appellationem à Verbo *αἴθειν* id est ab utendo, *Deus enim noster ignis consument est omnem malitiam*: Nihilominus Theodorus Abocarra *Opusculo* 27. egregiè probat quod etsi nomen *Dei* ab operatione dictum sit, non tamen operationem significat, sed naturam operantem. *Natura igitur est Deus*, inquit *& nomen* DEVS, *natura significanda vim habet: Nam ut vox* HOMO, *à quadam operatione derivata, non tamen operationem significat, sed naturam & substantiam: item Anima & Angelus, atque omnia ferè nomina substantiarum, ab operatione, vel affectione dicuntur, non tamen operationem vel affectionem significant: Sic in Dei vocabulo intellige, nec aberra consectando notationes nominum & leges Grammatica, neglectâ regulâ veritatis.*

Id ipsum firmat Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 3. DEVS, inquit, *substantiæ ipsius nomen, id est, Divinitatis*: DOMINVS *verò, non substantia sed potestatis.* Hinc meritò sanctus Augustinus *Librò* 1. *de Doctrina Christiana cap.* 6. affirmat qood *omnes Latina linguæ scios, cùm aures eorum sonus iste* (Deus) *tetigerit, movet cogitandam excellentissimam quandam immortalemque Naturam.*

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Invisibilitate, & Visibilitate Dei, tam respectu Viatorum, quàm Beatorum.

I.

Deum esse invisibilem simul & visibilem passim testatur Scriptura.

DEUM *esse Invisibilem simul & Visibilem* sacra pterumque testantur eloquia. Ipsum quidem invisibilem apertè S. Paulus pronunciat, *Regi*, inquit 1. ad Timotheum cap. 1. *saculorum immortali & invisibili*: Et ad Colossenses primo capite, Christum *Imaginem Dei invisibilis* appellat: Unde 1. ad Timotheum 6. cùm ipsum *Regem regum, & Dominum dominantium qui solus habet immortalitatem* dixisset, subdit, *Lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Ipsi concinit S. Joanoes tum 1. capite Evangeliorum, tum 4. Epistolarum dicens, *Deum nemo vidit unquam.*

Ipsom nihilomious visibilem esse ipsimet sacti Doctores, &. divinæ veritatis Interpretes affirmant: Paulus quidem 1. Corinth. 13. *Videmus enim nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco, ex parte tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Joannes pariter nedum in Evangelio sæpe refert Christum dixisse Deum à Creaturis videri. Sic cap. 14. *Qui videt me videt & Patrem. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei: Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*; Sed & primæ Epist. cap. 3. *Scimus*, inquit, *quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

II.

Articuli distributio in quatuor sectiones.

Ut autem apparentem hanc divinarum Scripturarum cootradictionem solvamus; opus est hoc in articulo resolvere qualiter Deus visibilis simul & invisibilis censeatur, tam respectu Viatorum, quàm Beatorum: quod ut fiat accuratè & recto ordine, præsentem Articulum absolvemus quatoor Sectionibus, in quarum prima divinæ & beatæ visionis possibilitatem & existentiam probabimus: Secunda illios principia: Tertia

A ejus objectum: Quarta denique ipsius intuitivæ Dei visionis proprietates aperiet & explanabit.

Sectio Prima.

De possibilitate & existentia intuitivæ visionis Dei.

III.

Sectionis primæ partitio.

QUINQUE potissimum hac in Sectione occurunt examinanda. *Primum* quidem an Deus naturæ viribus conspici possit ab oculo creato tam spirituali quàm corporeo: *Secundum* an hæc visio saltem divinitùs & auxilio supernaturali concedi queat: *Tertium* an hujus divi- B næ visionis possibilitas demonstrari possit: *Quartum* an alicui homini mortali fuerit aliquando concessa: *Quintum* denique, otrum animæ Sanctorum ipsa divina visione fruantur ante finale judicium; quæ difficultates sequeotibus in totidem Quæstiooibus enucleabuntur.

Quæstio Prima.

An Deus sit Invisibilis, vel visibilis naturaliter creaturæ jam existenti aut alicui creabili.

IV.

Duplex potentia visiva: corporea, & spiritualis.

C TRITUM est apud Philosophos duplicem esse potentiam visivam: *corpoream* unam, *spiritualem* alteram: quarum prior simpliciter dicitur *oculus*; posterior *intellectus* & *oculus mentis* appellatur. Utraque duplicem habet ordinem ad objectum visibile, illudque respicit vel ut causam, vel ut terminum visionis: etenim objectum visibile concurrit efficienter cum potentia vidente, sive per se immediatè, sive mediante à se emissa specie visibili, ad formandum actum visionis; cujus pariter est termious, cùm omnis visio ad objectum visibile terminetur.

V.

Virtus causativa differt à virtute communicativa

Certum est pariter visibilitatem objecti esse pe- D culiarem ipsius perfectionem quatenus est causa visionis; virtus enim causandi est speciale atttributum ipsius causæ, & ab ejus essentia distinctum; maximè quando ordinatur ad effectum transeuntem, & merè accidentalem, ut fit in præsenti: per quod distinguitur virtus causativa à communicativa, vel diffusiva proprietatum intrinsecarum; hæc enim est ipsamet natura & essentia rei à qua proprietates illæ oriuntur, & naturaliter effluunt. Licet autem invisibilitas videatur sola privatio visibilitatis, & careotia habitudinis objecti in ratione causæ ad formandam visionem; nihilominus, est quid positivum & intrinsecum, quia talis ca- E rentia virtutis ad causandam visionem, fundatur in speciali perfectione entis, quod invisibile dicitur; talis enim absentia virtutis provenit ex eo quòd ens habeat sive in essentia sua, sive in attributis suis certam limitationem, vel illimitationem, ratione cujus nulla sit proportio inter ipsum objectum visibile & potentiam videntem: limitatio autem vel illimitatio entis consistit in modo intrinseco ipsius, ut dictum est agendo *de infinitate*. Quod etiam virtus terminandi visionem maximè intellectivam, sit etiam quid intrinsecum in objecto intelligibili, constat ex Metaphysica, in qua probatum est entis cognoscibilitatem, seu veritatem

esse specialem ipsius perfectionẽ. His præmissis, A

Tria proponnntur in præsenti quæstione resolvenda. *Primum*, an Deus sit visibilis naturaliter ab oculo corporeo. *Secundum*, an solis naturæ viribus clarè & intuitivè attingi possit ab intellectu. *Tertium*, an saltem per omnipotentiam divinam possit aliqua creatura, tam perfecta produci, ut sola sua activitate naturali possit Deum intuitivè conspicere, ita quòd intuitiva & beatifica Dei visio dicatur ipsi connaturalis, quæ ut resolvantur evidentiùs,

VI.

Naturale quot modis usurpetur.

Notandum 1. Ex Doctore in 4. *d.* 43. *q.* 4. *n.* 2. naturale sumi posse tribus modis; videlicet prout opponitur voluntario, supernaturali, & violento. *Primô modô*, omnis potentia non libe- B ra seu agens ex necessitate naturali, qualescumque effectus producat, dicitur naturalis. *Secundô modô*, omnis potentia etiam libera, agens secundùm vires sibi à natura inditas, dicitur naturalis. *Tertiò*, omnis potentia agens etiam supra vires ad aliquem effectum producendum illius perfectivum, naturalis dici potest. His quartum addo; videlicet id dici posse naturale quod opponitur acquisito: sic potentia videndi est naturalis, cytharisandi verò non ita.

VII.

Objectum visionis duplex: proportionatũ seu connaturale, & extensivum seu præternaturale.

Notandum 2. Objectum visibile penes habitudinem quam habet ad potentiam videntem, duplex à Philosophis solitò distingui, nimirum vel proportionatum & connaturale, ad quod C potentia connaturaliter ferri potest & absque ulla divinitùs indita activitate & elevatione: Aliud extensivum, & præternaturale, quod equidem potentia solis viribus à natura sibi inditis attingere nequit; potest tamen si superiùs juvetur & per inditam divinitùs activitatem elevetur. De priori loquimur in præsenti quæstione, de posteriori verò fiet sermo in sequenti.

VIII.

Errores circa præsentem veritatem.

Notandum 3. varios fuisse circa præsentem veritatem hæreticorum errores: Testatur enim S. Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 8. & Gregorius Nazianzenus lib. de Fide, Arianos quosdam sensisse Filium Dei oculis corporeis esse visibilem. Verùm quoniam ipsum verè Deum D non affirmabant, immò contendebant eum esse præstantissimam aliquam creaturam, & omnium primam, quam in proprii corporis forma veteris testamenti Patribus apparuisse asserebant, ut constat ex disputatione Athanasii in Concilio Niceno; ideo hic error, ut rectè advertit Smisingus, ad præsentem locum non spectat.

Novatiani.

Fuerunt nihilominus alii hæretici Ario antiquiores, qui Deum affirmabant oculis corporeis esse visibilem, ut refert S. Irenæus lib. 4. cap. 37. in quem etiam errorem impegit Novatianus lib. de Trinit. qui inter Tertulliani opera refertur. Censuerunt & alii hæretici

Aëtii, Eunomii & anomæorũ.

Deum naturaliter esse visibilem oculo mentis, quod Aëtius postea, Eunomius, & utriusque discipuli Anomæi docuerunt. De Aëtio certè sic scribit Epiphanius: *Hic enim cum suis in eam vanitatis amentiam incidit, ut supra mortales omnes Deum se non sola fide, sed naturâ secundum scientiam nosse jactaret: quemadmodum alicubi supra memini, dicere illos; non simpliciter fidei aliquâ notitiâ Deum sibi esse perspectum: sed perinde ac quispiam cognoscis quidquid oculis cernitur, aut manibus attrectatur. Velut si in manus assumat aliquis lapidem aut lignum, aut materia alterius instrumentum. Ita audacissimus iste dicebat, Tam Deum novi, quàm me ipsum: immo non tam novi me ipsum quàm Deum.* Quorum omnium error ut revincatur & Catholica veritas appareat, sit

CONCLUSIO PRIMA.

IX.

Deus est invisibilis naturaliter ab oculo corporeo.

DEus *videri nequit naturaliter ab oculo corporeo.* Hæc videtur esse de fide; quippe cum apertè inferatur ex iis omnibus Scripturæ locis supra scriptis, quibus Deus invisibilis affirmatur, quod ad minus de invisibilitate per naturalem virtutem oculi corporei necessum est intelligi. Similiter S. Paulus Rom. 1. ait *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspici*: quibus denotat invisibilem Dei naturam per hunc sensibilem & visibilem mundum cognosci; qui certè discursus esset frustraneus si ipsa Dei natura per se visibilis esset, & se se spectandam oculis corporeis exhiberet. Adde quòd ipsemet Apostolus 1. ad Corint. 2. disertè affirmat æternam Beatitudinem quæ est ipsamet Dei possessio, visio & amor, tam eximium esse bonum, & ita cujuslibet naturalis facultatis cognoscitivæ vires excedere, ut meritò dixerit quòd *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se.*

Hanc conclusionem præter laudatos Scripturæ sacræ contextus,

Firmat ratio à spiritualitate Dei deducta.

Hæc ipsamet veritas firmatur ratione Theologica à *Spiritualitate & Immaterialitate Dei* deducenda. Non potest facultas corporea natu- C ræ viribus spiritualem substantiam percipere, sed Deus est substantia maximè spiritualis: Ergo conspici nequit naturæ viribus ab oculo corporeo. Majorem probat Titus Bostrensis librô primô contra Manichæos: *Corpus enim*, inquit, *corpus videt; simile in simile intendit aciem; neque possunt oculi naturæ inferioris quod natura præstantius & excellentius est videre, nedum quod naturæ contrarii est. Si autem quod est naturæ excellentioris, quippe cùm non sit contrarium præterquam incorporeum; ab inferiori utpote corporeo, omnino non potest videre; sane contrarium à contrario, si modo est, videri non potest.* Quibus de- D monstrat Manichæorum errorem, & eos arguit quod affirment materiã primam Deum vidisse.

Quâ Titus Bostrensis demonstrat contra Manichæos materiam primam Deum non vidisse.

Confirmatur à S. Fulgentio.

Confirmatur hæc ipsa ratio à sancto Fulgentio in responsione ad quæstionem tertiam Ferrandi, ubi probat Deum videri non posse ab oculis corporeis propter sui spiritualitatem, & indistantiam ab omnibus locis. *Hoc habent quippe oculi corporis*, inquit, *ut non solum corporea videant, sed nec videre possint, nisi inter ipsos, & ea quæ vident, spatii cujusquam media intervalla fuerint. Inde est quòd cùm alia plurima videant, se ipsos videre non possunt, nec vident in se eum videant extra se; nam & ipsa acies visionis obtunditur, si aliquid videndum ipsis oculis adjungitur. Quisquis ergo putat Deum posse oculis corporalibus* E *cerni, prius est ut eum dicat ab ipsis oculis corporali spatio separari. Quisquis autem vult agnoscere quibus oculis Deus videatur, ipsum Deum cogitet quia sapientia est, veritas est, charitas est: quocirca quibus oculis videtur sapientia, veritas & charitas, ipsis oculis videtur illa sapiens veraque Divinitas.* Non itaque corporis, sed oculis animæ Deus suam visionem promittit, quam capacem sapientiæ veritatis charitatisque constituit.

Quæ hanc adversus conclusionem authoritates, & rationes solent objici proponentur, & solventur in sequenti quæstione ubi Deum etiam supernaturaliter oculis corporis invisibilem esse probabimus.

CONCLUSIO PRIMA.

X. Et ab intellectu creato.

DEus *est etiam invisibilis naturaliter ab intellectu creato*. Hæc est de Fide, determinata in Concilio Viennensi contra Beguinas & Begardos qui damnantur à *Clemente V.* eò quòd assererent, ut refertur in *Clementina ad nostrum*, &c. quòd homo potest ita finalem Beatitudinem secundùm omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata: & quod quælibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum & eò beatè fruendum: onde concludit Doctor Subtilis *in 4. dist. 49. quæst. 11. num. 2.* hanc hæresim pejorem esse hæresi Pelagii, qui posuit quòd homo sine gratia possit justificari.

B Colligitur hujus conclusionis veritas ex Scriptura sacra, quæ constituet Beatitudinem, quam certum est in possessione Dei per amorem & Visionem Dei consistere, nonnisi per gratiam & auxilium supernaturale posse obtineri. Sic Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*. Et Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, & quoties æterna vita repromittitur, speciale Dei donum esse affirmatur, & nonnisi per virtutes supernaturales posse haberi. Sic Romanorum 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam æternam*.

C Adde quòd Angelis ipsis Beatitudinis consecutio supernaturalis sit, nec illam obtinuerunt nisi per opera supernaturalia & habitus infusos, ut affirmant Theologi cum S. Augustino lib. 12. de Civitate cap. 9. dicente: *Confitendum est cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verùm etiam de sanctis Angelis posse dici, quòd Charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum qui datus est eis*: Ergo multò minùs illam divinam visionem exercere poterunt homines propriis suæ naturæ viribus. Hoc ipsum insinuatur in illa mirabili visione Isaïæ Prophetæ cap. 6. ubi ait inter alia: *Vidi Dominum sedentem in solio excelso*, quasi transcendentem vires cujuslibet intellectus creati, additque, *Seraphim, qui stabant circa illud, duabus alis velare facies suas*, ut significaret maximam improportionem quæ est inter intellectum Angelicum & immensum splendorem divinæ lucis. Hinc S. Dionys. c. 5. de divinis nom. affirmat beatas mentes divinitùs elevati ad visionem beatificam, atque eas constanter & inmobiliter ad illucentem sibi radium attolli, & congruo permissarum sibi illuminationum amore, velut in altum pennis sublevari.

XI. Rationes quibus moderni Thomistæ præsentem conclusio demonstrant non rectè concludũt.

Hanc veritatem triplici ratione naturali demonstrare nituntur moderni Thomistæ ex Angelico Doctore 3. contra Gentes cap. 52. sed E frustrà; illæ namque non rectè concludunt nec quidquam urgent.

Non prima, quia petit principium.

Primam sic formant; Quod est proprium alicui naturæ superiori, non potest competere naturæ inferiori, nisi per actionem superioris cui est proprium: sicut calefacere non convenit aquæ nisi ex actione ignis cui connaturale est esse calidum & aquam calefacere: sed videre Deum ut in se est, est proprium divinæ naturæ, quia operari secundum propriam formam, est proprium cujuslibet operantis: Ergo, inquiont, non potest aliqua creatura pertingere ad visionem Dei ut in se est, nisi ex actione Dei ipsam

A elevantis ad hanc sublimem operationem.

Contra. Hæc ratio petit principium, supponitque quod est in controversia, nam probandum erat divinæ Essentiæ visionem ita soli Deo esse propriam & connaturalem, ut nulli alteri intellectuali creaturæ naturaliter possit competere, hoc enim negabant Eunomiani & Aetiani nec non & Beguardi, ut supra dictum est. Nec refert quòd Deus seipsum per propriam formam seu intellectionem cognoscat: hoc enim non officit quin possit naturaliter ab alio intellectu percipi; licet enim Angelus seipsum per propriam intellectionem percipiat, non minùs ab alio potest intelligi, & cognosci.

Probant secundò. Si aliquis intellectus creatus naturaliter videret Deum, haberet connaturaliter Essentiam divinam per modum formæ & speciei intelligibilis sibi unitam: sed hoc repugnat: Ergo, &c. Major est certa, quia, inquiunt, ad visionem Dei, impossibilis est, vel saltem inutilis quæcumque alia species distincta ab Essentia divina. Probant minorem. Primò quia forma alicui naturæ connaturalis & propria non potest alteri communicari naturaliter, sed supernaturaliter duntaxat; ut patet exemplo subsistentiæ increatæ, quæ cum sit connaturalis Deo, non potest ulli creaturæ naturaliter, sed tantùm supernaturaliter communicari: sed Essentia divina, inquiunt, ut habet rationem speciei intelligibilis, est propria forma intellectûs divini, sicut subsistentia est proprius terminus Essentiæ divinæ: Ergo non potest ulli creaturæ naturaliter communicari. Secundò, si natura creata posset naturaliter unire Essentiæ divinæ ut speciei intelligibili, haberet vim naturalem ad illam unionem, & consequenter haberet aliquam effectionem in Essentiam divinam; nam ille qui potest unire extrema, debet habere dominium & efficaciam in illa: Consequens est absurdum, Ergo & antecedens. Non secunda.

D *Contra Primò*, falsum est quòd impossibile sit divinam Essentiam per sui speciem & imaginem informare intellectum creatum: infra namque probabimus hanc speciem Essentiæ divinæ repræsentativam & intellectus divini informativam & perfectivam, nedum esse possibilem, sed & posse esse utilem: *Secundò* falsum pariter quòd objectum visionis, necessariò debeat informare intellectum videntis; sufficit enim quòd visionem terminet & ad ejus productionem objectivè concurrat per sui motionem & excitationem. Adde quòd quamvis in aliis visionibus hæc informatio desideraretur, non esset necessaria in visione Dei; talis enim informatio fieri non posset per inhærentiam divinæ Essentiæ: sed solùm per assistentiam & intimam illius præsentiam, ratione videlicet suæ immensitatis, quâ Deus præsens est omni nedum intellectui, sed etiam omnibus entibus. Hæc autem præsentia nihil deservit ad intuitivam cognitionem; aliàs Deus videretur ab omni intellectu. Quia falso nititur fundamento.

Nec urgent Minoris probationes. Non quidem prima, quia falsum est formam connaturalem naturæ non posse alteri communicari: calor enim connaturalis est igni, attamen communicatur aquæ & cæteris subjectis quæ ab igne calefiunt. Non etiam secunda: licet enim intellectus creatus videret Deum naturaliter, non propterea aliquam haberet efficaciam in

Naturam divinam; quippe cum Natura divina non aliter concurrat ad hanc visionem quàm per modum objecti moventis & determinantis ipsam, qui concursus Deum non decet.

Non denique tertia.

Probant tertiò, ab improportione quæ est inter Essentiam divinam & intellectum creatum. Cuilibet, inquiunt, naturæ intellectuali proprium est ut intelligatur secundùm modum suæ substantiæ: sed essentia Dei non potest quidditativè cognosci ad modum alicujus substantiæ creatæ: Ergo à nulla substantia intellectuali creata naturaliter videri potest. *Minor* constat, inquiunt, quia essentia Dei cùm sit actus purus & infinitus ac per se subsistens, quamcumque substantiam intellectualem creatam in infinitum excedit.

Major probatur. Primò quidem *à priori*. Cognitio, inquiunt, fit secundùm quod cognitum est in cognoscente: sed cognitum est in cognoscente secundùm modum cognoscentis, quidquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur: Ergo cujuslibet cognoscentis cognitio est juxta modum suæ naturæ. Secundò probant *à posteriori*, per inductionem; Quatuor, inquiunt, sunt genera cognoscitivorum & totidem objectorum cognoscibilium: Primus ordo est facultatum sensitivarum, quæ ad objecta sensibilia sese extendunt: Secundus est animæ rationalis, quæ cùm sit intellectiva simul & forma corporis, ideo cognoscit objecta modo suo essendi proportionata, nimirum spiritualia & corporea dependenter à phantasmatibus: Tertius ordo est substantiæ immunis à corpore, scilicet Angelicæ: Angeli enim habent pro objecto connaturali propriam suam substantiam ad cujus modum omnia cognoscunt. Ultimum tandem ordinem constituit Deus, qui cum sit actus purissimus & suum esse, non habet aliam speciem per quam intelligat, nec aliud objectum motivum & terminativum, quàm propriam essentiam: Ergo cùm non sit in eodem gradu immaterialitatis cum aliquo intellectu creato, à nullo potest connaturaliter videri.

Quia non magis urget quàm præcedentes.

Verùm hæc ratio non magis urget quàm præcedentes: etenim volunt objectum cognitum intelligi per modum substantiæ cognoscentis; vel quia debet esse ejusdem naturæ saltem per repræsentationem, vel quia percipi debet modô finitô, si potentia sit finita: sed primum est falsum, aliàs sequeretur, etiam Beatos non posse videre Deum ut Deus est, sed tantùm ut esset assimilatus ipsis Beatis, ac proinde se haberet per modum creaturæ: Secundùm autem non officit cognitioni naturali; quòd enim Deus cognoscatur actu finito, nihil detrahit ejus visioni, alioquin Beati non possent illum perfectè videre, quippe cum visionem tantùm finitam exercere possint.

Nec etiam Majoris probationes quidquam evincunt. Non quidem prima, cognitum enim non aliter debet esse in cognoscente quàm per sui speciem expressam vel impressam; ac proinde licet objectum sit diversæ & perfectioris naturæ, non minus potest esse in cognoscente quod sit naturæ minùs perfectæ. Non etiam secunda; quia si Deus non possit attingi naturaliter ab intellectu creato, eo quòd ipsum excedat in perfectiori modo essendi, propterea quod Deus sit actus purus & infinitè immaterialis, qualis non est substantia creata, proindeque nulla sit proportio inter intellectum & Deum; sequitur neque etiam Beatos posse Deum videre, quia quantumvis per lumen gloriæ eleventur, nusquam evadunt actus puri & infinitè immateriales, & proinde semper restat summa disproportio in ratione essendi inter ipsos & Deum, proindeque si ratione hujus improportionis non possit intellectu creatus naturæ viribus Deum videre, neque etiam elevatus beneficio supernaturalis luminis ipsum percipere poterit.

Quod si replices hanc disproportionem repetendam esse ex eo quod Deus sit ordinis supernaturalis, creatura verò ordinis naturalis; & ideo non posse creaturam naturæ viribus Deum percipere, quia potentia inferioris ordinis non potest videre naturaliter illud quod est ordinis superioris, nisi ad illum superiorem ordinem elevetur, ut fieri solet in Beatis beneficio luminis gloriæ;

Contra: Cum dicitur Deum esse supernaturalis ordinis, vel intelligitur quod sit talis naturæ ut videri non possit naturaliter, & sic petitur principium, & supponitur quod erat probandum: vel quod sit infinitus, increatus, purus actus & summè immaterialis, & sic nusquam à creatura quantumvis elevata posset videri, cum nulla sit creatura, quæ ad hunc ordinem entis infiniti, increati, & puri actus elevari queat. Itaque omissis illis rationibus;

XII.

Ratio Doctoris adducitur.

PROBATUR CONCLUSIO RATIONE QUAM SUBMINISTRAT DOCTOR SUBTILIS in 4. *d.* 49. *quæst.* 11. *num.* 9. & in *quodlibetis quæst.* 14. *num.* 10. *art.* 21. Non potest intellectus creatus naturaliter videre objectum aliquod nisi naturaliter habeat omnia necessaria ad hanc visionem eliciendam: sed intellectus creatus non habet naturaliter quidquid necessarium est ad visionem Dei intuitivam: Ergo nec potest Deum videre naturaliter. Major constat: nulla enim potentia potest exercere suum actum, nisi habeat omnia desideranda ad hujus actus productionem.

Minor etiam probatur. Cognitio intuitiva objecti requirit objectum præsens & movens potentiam per suam præsentiam ad visionem eliciendam: sed Deus non est naturaliter præsens sub propria ratione cognoscibilis intellectui, nec ipsum naturaliter movet ad sui cognitionem propriam & immediatam: Ergo intellectus creatus non habet naturaliter quidquid desideratur ad intuitivam Dei visionem. Minor patet. Cùm enim Deus sit objectum voluntarium, in tantùm movet potentiam ad sui visionem, in quantùm vult ab ea videri liberè, non enim videtur necessariò, sicut quælibet alia objecta quæ nostris sensibus vel intellectui obversantur, sed tantùm liberrimè se exhibet conspiciendum Creaturis prout vult & quibus vult. Licet enim omnibus Creaturis intellectualibus sit intimè præsens, etiam Damnatis & Dæmonibus, non tamen ab eis videtur, nimirum quia se manifestare eis non vult. Quod confirmat Doctor his verbis sancti Ambrosii in hæc verba S. Lucæ, APPARUIT AUTEM ILLI ANGELUS DOMINI: *Non similiter*, ait, *sensibilia videntur; & is in cujus voluntate situm est videri, natura verò est non videri: si non vult non videtur, si vult videtur.*

Et confirmatur.

Confirmatur. Si Deus ad sui visionem naturaliter moveret intellectum creatum per aliquid aliud quàm per liberam suam manifestationem, illud aliud movens, vel formaliter contineret divinam naturam, vel eminenter, vel intentionaliter, seu tanquam species intelligibilis perfectè repræsentans Deum: sed non potest movere per aliud quod contineat divinam Naturam formaliter aut eminenter, quia nihil est quod participet eminenter aut formaliter divinum Esse, alioquin daretur aliquid quod esset aut perfectius, aut æquè perfectum ac Deus, quod implicat. Neque etiam per aliud quòd contineat divinum Esse intentionaliter & per modum speciei intentionalis repræsentantis divinam Naturam, quia licet hæc species sit possibilis, non tamen potest produci ab ulla creatura, sed tantùm à solo Deo; species enim cum sit expressio & similitudo propria objecti, non potest ab alio, quàm ab ipsomet objecto formari, nisi fortè fiat à Deo omnipotente per creationem: Ergo multò magis species Essentiæ divinæ repræsentativa formari debet ab ipso Deo: sed Deus ad extra nihil producit naturaliter, sed liberè, *Operatur* enim *omnia secundum consilium voluntatis suæ*: Ergo sive per se, sive per speciem manifestetur, non naturaliter, sed liberrimè se videndum exhibet, proindeque nullus est creatus intellectus qui ipsum naturali virtute conspicere possit.

XIII.

Thomistarum replica.

Replicant aliqui, ex hoc Doctoris Subtilis discursu probari quod visio Dei sit solùm supernaturalis, non in entitate sed in modo, quatenus nimirum à nulla causa naturali produci potest, eô scilicet modô, quô anima rationalis potest dici supernaturalis.

Exploditur.

Contra. Ad hoc ut forma aliqua sit supernaturalis in substantia, non solùm requiritur quod sit à solo Deo producibilis, sed ultra desideratur quod producatur in natura substantiali jam plenè constituta in suo esse substantiæ, adeoque sit accidens, cùm nulla substantia possit esse supernaturalis in entitate, ut infra probabimus. Unde supernaturalitas illius visionis, non solùm in modo, sed in entitate est, quippe cùm hæc visio producatur mediante libera Dei manifestatione, nec viribus naturæ formari queat.

Dices primò: Potentia quælibet naturaliter tendere potest in id omne quod comprehenditur sub objecto suo adæquato: sed Deus continetur sub objecto adæquato intellectus creati: Ergo intellectus creatus potest naturaliter Deum cognoscere. Major constat: Quia enim sensibile, est objectum adæquatum sensus, ideo sensus versari potest circa quodlibet sensibile particulare: Minor etiam constat: Ens enim ut sic, quod est commune Deo & Creaturis univocè, est objectum adæquatum ipsius intellectus, qui fertur circa quodlibet intelligibile.

Distinguo minorem cum Doctore *præfata quæstione quodlibetica*. Deus continetur intra objectum adæquatum naturaliter motivum intellectus & ab ipso naturæ viribus attingibile per cognitionem intuitivam, nego: Continetur intra objectum adæquatum motivum ad cognitionem abstractivam & confusam, concedo minorem, & nego consequentiam; Ex hoc enim tantùm sequitur quod Deus quatenus est nobilissima species entis, possit cognosci naturaliter cognitione quidem abstractiva & confusa, non autem intuitiva & evidenti.

Dices secundò. Ex Doctore Subtili quæst. 1. prologi. num. 20. Deus clarè visus, est finis naturalis hominis ac intellectûs creati. Sed finis naturalis potest naturæ principiis modisque attingi: quomodo enim finis naturalis esset, si ad ipsum consequendum media naturalia deficerent? Ergo Deus potest videri naturaliter ab intellectu creato.

XIV.

Quomodo Deus clarè visus, sit finis naturalis hominis.

Respondeo Doctorem velle quidem, Deum clarè visum, esse finem naturalem hominis passivè, ita quod natura humana per se & absque aliqua elevatione possit recipere visionem beatificam, concedo: Activè, ita quod possit ipsam visionem naturæ viribus producere, nego: Neque enim hæc fuit mens Doctoris, ut fusiùs infra patebit, ubi aperiemus qualiter homo naturalem inclinationem habere possit ad Deum clarè videndum, licèt non habeat media naturalia quibus hanc visionem ex se formare queat.

Conclusio Tertia.

XV.

Nulla est creabilis substantia naturaliter quæ Deum videat.

NON *est creabilis aliqua substantia cui sit connaturalis visio beatifica.* Hæc est communis inter Theologos contra *Durandum, Molinam* & nonnullos alios Recentiores, quorum sententiam Vasquez *ineptam* vocat; Nazarius *temerariam*; Bannes *insignem ignorantiam*.

1. Quia nullum dari potest objectum quod formaliter, vel eminenter, vel saltem intentionaliter divinam naturam contineat.

PROBATUR 1. Non potest visio intuitiva Dei esse alicui intellectui creato connaturalis, nisi detur objectum aliquod, quod formaliter, vel eminenter, vel intentionaliter contineat divinā Naturam, ita ut ad ejus visionem movere possit ejusmodi intellectum: sed nullum est possibile tale objectum, quod alterutrô ex iis modis divinam Essentiam contineat, ut probatum est in confirmatione præcedentis quæstionis: Ergo nec possibilis est aliquis intellectus, cui talis visio sit connaturalis. Probatur *Major*: Quia non potest moveri intellectus ad hanc visionem naturaliter, nisi vel ab Essentia divina, vel ab objecto aliquo, ipsam alterutro ex assignatis modis continente: sed non potest moveri ab ipsamet Essentia divina, quia, ut diximus, ipsa ad extra non movet per se immediatè, neque naturaliter aliquid operatur, sed merè liberè: Ergo si quis intellectus moveatur ad ejus visionem, oportet ut hæc motio fiat ab aliquo alio objecto quod Essentiam divinam contineat; quod cùm dari non possit, etiam nec dari posse talem connaturalitatem visionis fatendum est.

2. Quia non est possibilis substantia supernaturalis.

PROBATUR 2. Si dari possit aliquis intellectus creabilis cui connaturalis foret visio beatifica, maximè quia dari potest aliqua substantia supernaturalis, cui esset naturale lumen gloriæ, & ab ea veluti proprietas emanaret: sed talis substantia non est possibilis: Ergo nec connaturalitas istius visionis. Major admittitur ab Adversariis. *Minor* probatur. Idcirco substantia diceretur supernaturalis, *vel quia* exigeret ex se connaturaliter aliquod accidens in entitate sua supernaturale v. g. lumen gloriæ: *vel quia* excederet in perfectione omnes aliàs substantias finitas; *vel quia* transcenderet vires physicas, & intentionales cujuslibet substantiæ creatæ, ita quòd à nulla alia posset produci, nec cognosci intuitivè naturaliter: *vel*

denique quia non haberet in se principia substantiæ naturalis; non eoim alionde videtur repeti posse hæc supernatutalitas: sed ex neutro capite substantia illa dici potest superoaturalis: Ergo talis non est creabilis. Patet Minor quoad primam partem, nam eo ipso qoo substantia aliqua ex nativis suis principiis exigeset aliqood accidens supernaturale; evidens & manifesta fieret contradictio, nimirum quod accidens illud, superoaturale esset, simul & non esset tale: esset qnidem supernaturale ut supponitut: noo esset autem, quia exigeretur eonnaturaliter ab illa substantia creata; quod autem sic exigitur, non est supra natusam illins, oec consequenter censetus esse supernaturale. Non enim aliunde anima rationalis, licet à solo Deo producibilis, censetos esse naturalis, nisi quia exigitur à corpore tanquam forma ipsius connaturalis.

Patet etiam eadem minor quoad secundem pattem; tum quia ex communiori sententia, non potest dari aliqua substantia finita tantæ perfectiouis, qnâ perfectior adbuc produci non possit, in infinitum: Ergo non potest dari aliqua substantia quæ dicatur supernaturalis, eô quòd alias in perfectione excedat. *Deinde*, etsi talis substantia daretur, illa tameo ex natura sua non exigeret ollam formam supernaturalem, & sie exinde oon censeretur esse supernaturalis, eo scilicet sensu, quô de substantia sopernaturali impræsentiarum agitur.

Patet etiam quoad tertiam partem: Licet enim aliqoa substantia produci & cognosci non posset naturaliter ab ulla alia ereata, non tamen exinde sequeretur eam esse supetnaturalem: Tum quia ipsi naturaliter non competerens accidentia supernaturalia, potà lumen gloriæ & visio beatifica, alioquin jam supernaturalia non essent: Tum quia lices anima sationalis à nulla substantia ereata, sed à solo Deo produci qoeat, non tamen inde dicitur supernaturalis: Tum denique, quia nulla potest eogitari substantia quæ attingi & cognosci non possit, vel ab Aogelis jam creatis cognitione saltem abstractiva, vel ah aliis substantiis creandis ejusdem perfectionis eum ipsa, ac proinde ooo est dabilis aliqna, quæ omnioo excedat vires intentiouales substantiæ creatæ.

Patet denique quantùm ad quartam partem: Substantiæ enim creatæ quæ de facto naturales suot, idcirco tales dicuntur, vel quia habent in se naturam, & principium motus & quietis; vel quia non possunt ita perfectè concipi quin adhuc perfectiores producendæ concipi qneant: sed omnis substantia creabilis haberet in se principium motus & quietis, posset enim moveri ad intellectionem & amorem, & ab utraque operatione eessare: neque tantæ esses perfectionis quin perfectiorem adhuc Deus posset producere, & intellectus humanus concipere: Ergo, &c.

3. Quia visio beatifica non esset supernaturalis nisi secundùm quid.

PROBATUR 3. Si possibilis esset aliqua substantia intellectualis cui visio beatifica eonnaturalis esses, & à qua lumen gloriæ tanqoam proprietas emanaret, sequeretur illam visionem beatificam non esse simpliciter & absolute supernaturalem, sed tantùm secundùm quid: at hoc dici nequit: Ergo, &c. *Probatur* sequéla majoris. Illud enim dicitur supernaturale simpliciter & absolutè, quod transceodis

A vires, & existentiam totius naturæ creatæ & creabilis, potestque à solo Deo produci, oec ab ullo ente naturali exigitur eoooaturaliter tanquam forma ipsius; non enim alius datur eonceptus supernaturalitatis; & si alios fingatur, jam non erit eadem controversia: sed si esses possibilis aliqoa creatura, cui visio beatifica connaturalis esset, illa non excederet vires totios naturæ creabilis: Ergo non esset simpliciter, sed tantùm secundùm qnid supernaturalis, videlicet sespectn creaturarum jam existentium. Missas facio alias rationes proferri solitas ab Authoribus, ntpote quæ minùs efficaces videantur.

B *Dices* 1. Si sepugnaret dari substantiam aliquam supernaturalem, maximè vel qnia est ens creatum, vel qnia est substantia: sed ex neutro capite repugnat. Non ex primo; etenim lumen gloriæ, visio beatifica, & virtutes infusæ, sunt entia creata & tamen supernaturalia. Non etiam ex secundo; si enim aeeidens quod est minoris perfectionis quàm substantia, possit elevari ad gradum supernaturalitatis, quidni & substantia lungè præstaotior poterit etiam supernatnralis fieri? Adde quòd Essentia divina sit substantia in entitate sopernaturalis; proindeqoe non repugnat aliquam substantiam fieri supernaturalem.

Repugnat talis substantia præcisè quia substantia creata est.

Respondeo, repugnare substaotiam aliqnam C creatam fieri supernaturalem præcisè quia substantia creata sis; ratione enim utriusque non est immediatè & per se unibilis fini supernaturali, id est absque motione & auxilio agentis extrinseci & alterius ordinis, alioqnin esset purus actus, qood creaturæ repugnat. Hæc autem ratio non militat in accidens, nec in Naturam divinam. Non qnidem in aceidens, quod cum sit ipsamet attingentia objecti sopernaturalis, ex sui cum illo nnione immediata, non sequitus ipsum esse purum actum: immò est actus potentiæ substantialis ipsam elevantis & unientis cùm fine snpernaturali. Unde non est par ratio de accidente & de D substantia snpernaturali creata. Sed neque etiam cum Natora divina, quæ cùm sit purus actus, seipsam immediatè & absque beneficio agentis alterius ordinis attingit.

Instabis: Unicuique actui respondet potentia sui ordiois: Ergo cùm dentur actus sopernaturales, oimitum habitus Theologici, lumen gloriæ, visio beatifica; etiam & dari debet aliqna potentia supernaturalis qnæ ipsis correspondeat, hæc autem non potest esse alia quàm substantia: Ergo dari debet substaotia superoaturalis.

Distinguo majorem. Omni actui correspon-E dere debet potentia activa ejusdem ordinis, *nego*; Siquidem in naturalibus, quæ produenntur per solam creationem, ut Angeli, animæ rationales, & materia prima, oon habent potentiam creatricem ordinis naturalis. Debes corsespondere potentia subjectiva actoi informanti, *concedo*: Sic autem visioni beatificæ, lumini gloriæ, cæterisque donis supernaturalibus corsespondet poteotia passiva & subjectiva, nempe substantia intellectualis. Adde quòd, ex supernaturalitate formæ, non possit probari supernaturalitas subjecti, quia ut dicemus in sequenti quæstione, supernaturalitas actûs petitur à principio psoducente, non à subjecto secipiente.

Urgebis. Dari poteſt modus ſubſtantialis ſupernaturalis: Ergo etiam dari poteſt ipſamet ſubſtantia ſupernaturalis. Patet conſequentia; nullum quippe diſcrimen nullaque diſparitatis ratio videtur proferri poſſe. Probatur antecedens: Unio namque Verbi divini cum humanitate eſt modus ſubſtantialis ſupernaturalis. *Confirmatur* eodem exemplo, ratione enim illius unionis & modi ſubſtantialis, natura humana connaturalem habet unionem immediatam cum fine ſupernaturali, Chriſtus enim etiam ut homo, non eſt Filius Dei adoptivus, ſed naturalis, eique debetur connaturaliter viſio beatifica: Ergo intelligi poteſt poſſibilis aliqua ſubſtantia ſupernaturalis quæ immediatam unionem habeat cum fine ſupernaturali.

XVI.

Unio hypoſtatica eſt id quô natura creata unitur naturæ ſupernaturali, non autem id quod, qualis eſſet illa ſubſtantia.

Nego conſequentiam: Ratio enim diſparitatis eſt quòd unio hypoſtatica ſuppoſiti divini cum natura humana ſit ſolùm, *id quô* formaliter natura creata unitur naturæ ſupernaturali, & hoc formale unitivum ſeu medium quô fit unio, non ſolùm poteſt eſſe ſupernaturale in genere ſubſtantiæ: ſed etiam in genere accidentis: Subſtantia autem ſupernaturalis non eſſet *id quô*, ſed *id quod* immediatè uniretur fini ſupernaturali; alioquin eſſet actus purus & ſua beatitudo quod repugnat. Quæ repugnantia non reperitur in modo aut accidente ſupernaturali, cùm non ſit id quod unitur, ſed id quô fit unio, ſitque ens incompletum, & ordinatum ad aliquid, proindeque non poſſit eſſe actus purus, nec ſuum eſſe, nec ſua beatitudo; quæ cùm ſoli Deo propria ſint, nulli creaturæ communicari poſſunt, adeoque nulla creatura ſubſtantialis completa poteſt eſſe ſupernaturalis.

Chriſtus ut homo non habet unionem connaturalem cum ultimo fine.

Ad confirmationem dico, falſum eſſe Chriſtum ut hominem habere unionem connaturalem intrinſecam cum fine ſupernaturali, & eſſe Filium Dei naturalem; id enim non habet ex ipſa naturæ humanæ intrinſeca ratione; ſed ab unione hypoſtatica & ratione ſuppoſiti Verbi. Unde nulla eſt paritas.

Dices 2. Deus creare poteſt intellectum tantæ virtutis & perfectionis, ut adæquet activitatem intellectus beatifici lumine gloriæ inſtructi: Ergo & qui naturaliter Deum videat. Conſequentia patet; alioquin non adæquaret activitatem intellectus beatifici. Probatur antecedens: Intellectus beatificus etiam lumine gloriæ informatus, eſt creatæ ac finitæ virtutis & perfectionis; ſed dato quocumque intellectu finito Deus perfectiorem producere poteſt: Ergo etiam producere poterit intellectum qui virtute ſua naturali adæquet, imò & excedat intellectum beatificum etiam lumine gloriæ inſtructum.

XVII.

Res inferioris ordinis non poteſt adæquare rem ſuperioris perfectione ſua naturali, etiam divinitùs.

Nego antecedens: licet enim intellectus beatificus lumine gloriæ inſtructus ſit finitæ activitatis & perfectionis, non tamen exinde ſequitur Deum poſſe creare aliquem intellectum qui virtute ſua naturali adæquet illius perfectionem & activitatem, eò quòd ſint diverſi ordinis; ille quidem ordinis ſuperioris & ſupernaturalis: hic autem ordinis naturalis & inferioris; Deus autem efficere nequit ut res inferioris ordinis quantalibet perfectione ſit prædita, rem ſuperioris ordinis adæquare poſſit: quantumcumque enim creatura materialis, & corporea perficiatur, nunquam tamen poterit pertingere ad perfectionem animæ rationalis nec Angeli.

Subſumes. Intellectus ille producendus non eſſet inferioris ordinis reſpectu intellectua lumine gloriæ inſtructi: Ergo nulla ſolutio. *Probatur antecedens.* Duobus modis concipi poteſt talem intellectum eſſe inferioris ordinis; nempe vel quia eſſet ſpeciei imperfectioris, ſicut homo dicitur imperfectior Angelo: vel quia eſſet improportionatus viſioni Dei, ita ut Deus videndus cenſeatur penitus extra objectum ipſius intellectus, ſicut brutum eſt omnino improportionatum intellectioni, & objectum quod eſt tantùm intelligibile, & nullomodo ſenſibile, eſt extra rationem objecti potentiæ cognoſcitivæ brutorum; ſed utrumque eſt falſum: Ergo & illud unde ſequitur.

Probatur antecedens. Primò quidem: Intellectus poteſt produci ita perfectus, ut ſua naturâ habeat majorem facultatem intelligendi, quàm ſit virtus intellectus qui de facto inſtructus eſt lumine gloriæ: Datâ enim quâcumque naturâ ſeu ſubſtantiâ intellectuali finitâ, Deus poteſt creare aliam, & aliam perfectiorem in infinitum, cùm in eo nulla ſit contradictio, & Deus ſit omnipotens infinitéque participabilis ſubſtantialiter magis ac magis à naturis intellectualibus, quemadmodum & ab aliis ſubſtantiis in infinitum multiplicabilibus: Ergo dato quocumque intellectu finito, poteſt dari perfectior ſubſtantialiter; quô enim eſt perfectior natura intellectualis, eò perfectior eſt intellectus; quippe qui, vel eſt ipſamet ſubſtantia & eſſentia talis naturæ, vel proprietas ab ea manans naturaliter eique commenſurata, adeoque perfectior in perfectiori natura. Si autem poteſt dari perfectior intellectus & perfectior in infinitum, poteſt attingere, imò & ſuperare diſtantiam, quæ eſt inter ipſum & alium intellectum inſtructum lumine gloriæ, quia diſtantia illa eſt finita, adeoque paulatim minuetur, ac tandem exhaurietur, imò & ſuperabitur per intellectum perfectiorem in infinitum.

Patet eadem minor quoad ſecundam partem: Potentia enim intellectiva, eſt de ſe univerſalis, & ſeſe extendens ad omnia intelligibilia juxta activitatem, & virtutem ſibi propriam: in quo differt à potentia ſenſitiva, quæ limitata eſt ad objectum ſenſibile; adeoque quantumcumque creſcat potentia ſenſitiva brutorum, non poteſt attingere objectum intelligibile, quod eſt extra ſphæram objecti potentiæ ſenſitivæ: ſed Deus, *ut clarè videndus*, non eſt omninò extra ſphæram intellectus jam creati, ſiquidem de facto videtur à Beatis: Ergo ſi creſcat in infinitum virtus inchoata, quam de facto habet intellectus creatus ad videndum Deum, poterit eò uſque augeri, ut æquivaleat virtuti intellectus inſtructi lumine gloriæ.

Repugnat intellectum produci alium alio perfectiorem in infinitum.

Nego antecedens, & ſimiliter minorem probationis illius, tum quia falſum eſt intellectum poſſe produci perfectiorem in infinitum, alioquin daretur creatura quæ ex natura & in entitate ſua eſſet infinitæ perfectionis, adeoque eſſet Deus, quod implicat, ut fuſiùs diximus agendo de infinitate divina: Tum quia quantumvis virtus naturalis intellectus creſceret in infinitum, ſemper foret imperfectior, & inferioris ordinis reſpectu intellectus inſtructi lumine gloriæ; adeoque nuſquam adæquaret illius perfectionem in virtute intelligendi: quia augmentum illud ſemper eſſet naturale, & ſic

Et licet non repugnaret, ſemper intellectu beato foret imperfectior.

Et debilior ad objecta supernaturalia, non tamen ad naturalia percipienda.

semper foret inferius quocumque lumine finito supernaturali; quare licet perfectior intellectus creatus valeret naturaliter ad perfectiùs intelligenda objecta naturalia; non tamen ad videnda objecta supernaturalia, neque attingeret unquam perfectionem intellectus elevari, & constitui in ordine superiori per lumen gloriæ: Sicut bruta, licet crearentur alia aliis perfectiora in infinitum, nusquam attingerent perfectionem humanæ naturæ quæ est ordinis superioris & perfectioris.

Quæstio Secunda.

An Deus saltem supernaturaliter visibilis sit oculo mentis & corporis?

I.

Varii errores circa præsentem quæstioné.

Circa duplicem hujus quæstionis resolutionem, varii fuerunt nedum hæreticorum errores, sed & diversæ sanctorum Doctorum opiniones, & sententiæ, & quidem circa primam, nonnulli existimaverunt Beatos non videre ipsam Dei essentiam, sed solùm præstantissimam quandam lucem, & claritatem à Deo emanantem, in qua seipsum videndum præbet: sicut Sol per radios in aqua vel aëre receptos, ut refert S. Gregorius 18. Moralium cap. 18. his verbis: *Sciendum est*, inquit, *quod fuerunt nonnulli qui Deum dixerunt etiam in illa regione Beatitudinis, in claritate quidem sua conspici; sed in natura minimè videri, quos nimirum nimia inquisitionis falsitas fefellit; neque enim illi simplici & incommutabili essentiæ, aliud est claritas, & aliud natura; sed ipsa ejus natura, sua claritas; ipsa claritas natura est, ipse enim pollicetur, dicens*, Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo me ipsum illi,

Hanc pariter sententiam docuerunt *Armeni*, teste Armacano, *lib. 14. de quæstionibus Armenorum*, & *Almaricus* in Concilio Lateranensi sub *Innocentio III.* damnatus. Hic pariter error tribuitur *Abailardo*, & discipulo ejus *Arnaldo*, cujus sectatores *Arnaldistæ* sunt appellati, ut refert noster Alphonsus à Castro titulo *Beatitudo*. Attamen S. Bernardus *Epist.* 188. & 189. ubi refert errores Abailardi & Arnaldi, istius erroris non meminit; sicut & in *Epistola* 190. quam Alphonsus ipse citat. Eandem in sententiam ivisse videntur nonnulli sancti Patres, quos profert Vasques prima parte *disp.* 37. *cap.* 2. & sequentibus. Verùm longè ab hoc errore ipsos fuisse apertè constabit ex dicendis.

Circa posteriorem verò quæstionis resolutionem *Antropomorphitarum* error fuit, Deum esse corporeum, proindeque corporeis oculis aspectabilem, naturæ viribus. An autem virtute supernaturali corporeis oculis post resurrectionem Deus sit intuendus; anve corpus aliquod creari possit tantæ activitatis, ut divinam visionem possit exercere, nedum hac in sententia fluctuavit S. Augustinus, sed etiam illam acriter propugnant quidam Doctores moderni. Quid autem veriùs dicendum sit, ut appareat;

II.

Triplex est potentia activa, sicut & passiva.

Notandum 1. triplicem distingui potentiam activam, & passivam à Philosophis. *Activa* namque est, vel *naturalis*, quæ potest aliquid agere secundùm vires à natura inditas, qualis A est potentia loquendi, & ridendi in homine: Vel *supernaturalis*, quâ facultas elevatur ad eliciendam actionem vires naturales transcendentem, nihilominus perfectivam potentiæ, quæ ipsam elicit, qualis est visio Beatifica elicita ab intellectu instructo lumine gloriæ: Vel *obedientialis*, quâ potest agere, modo sibi, nec proportionato, nec perfectivo suæ naturæ, sed tantùm quatenus subjacet supremo dominio sui Creatoris, qualis fuit potentia loquendi in Asina Balaam.

Potentia pariter passiva per ordinem ad formam quam recipere potest, est etiam triplex: nimirum, vel *Naturalis*, quando habet inclinationem naturalem ad formam recipiendam, B ut lapis ad recipiendum motum deorsum: Vel *Violenta*, quando recipit formam contra inclinationem naturalem, ut lapis sursum projectus: Vel *Indifferens*, quando ex se non determinatur ad alterutram formam, ut Angelus ad recipiendum motum sursum aut deorsum. Revocandum pariter ex his quæ diximus art. 3. q. 2. de Theologia in communi, supernaturalem formam dici tantùm per ordinem ad agens ipsius productivum, non verò per ordinem ad subjectum ipsius receptivum.

III.

Quid sit potentia obedientialis.

Notandum 2. potentiam obedientialem esse capacitatem Creaturæ quâ cum extraordinario Dei concursu aliquem effectum producere, C aut formam aliquam excipere potest ultra vires suas naturales, & præscriptam naturalem sphæram activitatis. Advertendum pariter hanc potentiam tam subjectivè quàm activè non esse respectu cujuslibet actus eliciendi & formæ recipiendæ: Angelus enim, inquit Doctor, in 4. *dist.* 12. *quæst.* 2. *num.* 8. non potest esse albus, quia nullo modo susceptivus est formæ hujus, nec lapis etiam potest videre, quia non habet oculum nec ullam facultatem ad visionem eliciendam.

IV.

Triplex modus concipiendi Deum esse visibilem oculo corporis.

Notandum 3. tripliciter intelligi aut fingi posse Deum esse visibilem supernaturaliter D oculo corporeo. *Primò* quidem objectivè; ita quod visio nedum in seipsa sit formaliter corporea, sed etiam objectivè, quasi tendat in Deum ut objectum corporeum, exprimẽdo ejus lucem & imaginem, eô modô, quô colores & lineamenta objectorum visibilium exprimit; cum hac tamen differentia quod Deus censeatur objectum excedens sphæram naturalem potentiæ visivæ; ideoque ipsa egeat concursu supernaturali ut possit illud attingere. *Secundò*, intelligi potest Deum esse visibilem visione quidem corporea formaliter in seipsa, sed exprimente objectum spirituale, ut spirituale est in seipso, eô modô (quantum est ex parte objecti,) quô exprimitur visione spirituali & intellectuali. Qui modus videndi, licet E naturaliter sit impossibilis oculo corporeo, non videtur tamen excedere ejus potentiam obedientialem, quâ potest elevari ad videndum visione corporeâ & divisibili in se aliquid indivisibile, putâ punctum luminis aut corpus positum in indivisibili, ut Corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento, ex quô quis suspicari potest etiam oculum elevari posse ad videndam spiritualem substantiam. *Tertiò* denique fingi potest oculum corporeum elicere posse visionem quæ spiritualis sit, eò quòd non repugnet potentiam materialem elevari ad producendum aliquid spirituale & ad agendum in spiritum sicut

sicut Thomistæ censent sacramenta concurrete physicè ad producendam gratiam, & ignem inferni ac purgatorii physicé torquere animas. Quibus præsuppositis, sit

A

Conclusio Prima.

V. Deum non esse visibilem etiam supernaturaliter oculo corporeo, Sancti Patres affirmant.

Deus *non est etiam supernaturaliter visibilis oculô corporeô.* Hæc Conclusio communis est inter Theologos, quorum plerique affirmant illam esse de fide: Illamque SS. Patres suis sententiis firmant. Cyrillus enim Hierosolymitanus Catechesi 9. *Carnis quidem oculis*, inquit, *contemplari Deum, impossibile est; quod enim corporis est expers, in carnis oculos cadere nequit:* Et S. Hieronymus cap. 24. in Isaïam, *Deus*, inquit, *nequaquam sermonibus explicatur nec oculo contemplabilis est, sed ab his videtur de quibus scriptum est*, Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Unde Rabbi Moses tract. de fundamentis Legis cap. 4. *Valde stupere se* dicit *quomodo quispiam Christianus cuilibet pulchro, cuilibet sublimi corpori; Corpori tamen contemplabilem Deum fore sentiat.*

VI. Ratio probat, quia est extra sphæram activitatis oculi.

Probatur hæc veritas ratione. Repugnat potentiam vitalem ferri extra latitudinem sui objecti adæquati & specificativi; aliàs ferri posset extra propriam speciem & quidditatem; quod implicat: sed Deus cum sit substantia spiritualis & immaterialis, est extra latitudinem objecti adæquati & specificativi oculi corporei, nec-non & cujuslibet alterius potentiæ sensitivæ, quarum objectum adæquatum est ens materiale & corporeum: Ergo Deus ab oculo corporeo attingi nequit.

Qui videre nequit spiritum, sicut nec sonum nec odorē; multo minùs Deum.

Confirmatur. Deus in ratione objecti visibilis & spiritualis magis distat ab omnibus objectis sensibilibus, quàm unum objectum sensibile ab alio objecto sensibili, v. g. quàm sonus à colore: sed implicat sonum vel odorem per se videri ab oculo corporeo, quia sonus & odor sunt extra sphæram operationis oculi, qui versatur tantùm circa visibilia: Ergo multo magis implicat Deum percipi ab oculo corporeo aut alio sensu. Deinde si oculus corporeus hominis posset supernaturaliter videre Deum, etiam oculus bruti ad intuitivam Dei visionem elevari posset: Bruta enim aliqua, ut lynx & aquila, perfectiorem oculum habent: sed hoc est absurdum; etenim si bruta supernaturaliter Deum possent videre, possent & supernaturaliter illum amare & eo frui: Amor enim & fruitio visionem Dei sequuntur; quæ absurdissima sunt.

Alioquin etiam bruta Deum videre possent.

Denique si oculus possit elevari ad Deum videndum, poterit & auditus elevari ad ipsum audiendum. Sicut enim Deus visibilem se præstat Angelis & Beatis mentibus, ita & audiendum sese exhibet dum ipsis spiritualiter loquitur: sed nemo dixerit Deum auditu percipi posse: Ergo neque visu corporeo.

E

VII. Tres modi quibus Deus fingi potest ab oculo corporeo visibilis.

Probatur 2. Si Deus sit visibilis ab oculo corporeo, maximè alterutrô ex tribus modis assignatis in 3. Notabili: sed nullô ex his modis visibilis esse potest: Ergo nullatenus ab oculo corporeo etiam supernaturaliter videri potest. *Non quidem primô modô:* Quidquid enim tali modo videtur sicuti est, corporeum est; quia est lucidum, coloratum, extensum, & divisibile: sed cùm Deus sit omnino spiritualis, nec lucidus, nec coloratus, nec divisibilis est: Ergo nec corporaliter visibilis.

VIII. Licet oculus posset videre indivisibile, non posset tamen cernere spiritum.

Non etiam secundô; quia licet absolutè corpus in unico indivisibili positum, posset oculô corporeô videri: secus tamen est de spiritu, qui cùm sit extra sphæram activitatis ipsius oculi corporei, multò magis quàm sonus, vel odor sit extra latitudinem objecti visus; inde fit quòd non minùs implicet oculum corporeum Deum videre sicuti est, quàm ipsum videre odorem aut sonum. *Deinde*, Visio materialis & corporea, est quædam imago & expressio objecti: sed impossibile est Deum exprimi quidditativè ullà imagine: Ergo & videri visione corporea. *Minor* patet: Sicut enim impossibile est depingi Deum & repræsentari sicut est in se, aliquâ externâ imagine & coloribus ac lineamentis figurati; ita pariter impossibile est ipsum repræsentari per speciem materialem expressam, & imaginem internam formatam ab oculo corporeo.

B

Non denique tertiô: Nulla enim potentia corporea physicè potest agere in spiritum, ut disertè probat Doctor in 4. Unde meritò concludit, nec Dæmones torqueri igne corporeo, per physicam ipsius ignis actionem, nec Sacramenta physicè concurrere, sed tantùm moraliter ad productionem gratiæ. Si enim semel admittatur causam aliquam corpoream agere posse in spiritum, nulla apparebit implicantia cur oculus corporeus non possit etiam divinitùs elevari ad videndum Deum.

C

IX. Qui admittunt actionem corporis in spiritum, vix negare possunt oculū corporeum posse Deum videre.

Nec video cur Thomistæ, qui actionem physicam ignis in Spiritus, & Sacramentorum causalitatem physicam in productione gratiæ admittunt, negare possint oculum corporeum elevari posse ad percipiendum objectum spirituale.

Replicant equidem aliqui; hoc esse discrimen, quòd potentiæ vitales, qualis est oculus, non possint ferri extra latitudinem objecti sui quatenus vitales sunt, licet assumi possint quatenus sunt creaturæ, ad producendum instrumentaliter quemcumque effectum, qui non postulat produci à potentia vitali.

D

Verùm hoc nullo modo satisfacit, nec sufficientem statuit disparitatem. Primò quia potentia vitalis tam subjacet imperio divino ut vitalis est, respectu effectus vitalis producendi, quàm respectu effectûs non vitalis; nec videtur cur magis possit elevari ad effectum non vitalem, quàm ad vitalem producendum: objectum enim unius non est magis illimitatum in suo ordine quàm objectum alterius. *Deinde*, Idcirco non posset potentia vitalis elevari ad quemlibet effectum vitalem producendum, maximè vel quia illa effectûs productio, supponere debet in ipsa potentia elevata aliquam vim inchoatam, quæ per elevationem, & concursum supernaturalem completi debeat; vel nihil tale prærequirit, sed tota hæc activitas pendet à sola Dei voluntate ut ipsam elevet ad quemcumque effectum voluerit. Si primum, potentia vitalis majorem habet virtutem inchoatam respectu alicujus effectus vitalis producendi, quàm non vitalis habeat respectu effectûs non vitalis, ac proinde illa magis posset elevari ad effectum vitalem, quàm hæc ad non vitalem. Si secundùm: Ergo Deus tam poterit elevare potentiam vitalem ad quemlibet actum vitalem producendum, quàm potentiam non vitalem ad quemlibet effectum non vitalem formandum: adeoque tam poterit elevare oculum corporeum, qui est potentia vitalis, ad actum vitalem visionis beatificæ, quàm ignem infernalem ad physicè tor-

Non enim magis potest elevari potentia non vitalis quàm vitalis.

quendos Dæmones & Damnatos, & Sacramenta ad producendam gratiam physicè.

X. *Objiciuntur varii Scripturæ textus.*

Objicies 1. varios Scripturæ sacræ contextus quibus Deus oculô corporeô aliquando visus affirmatur: Primò quidem Genesis 32. Iacob ait, *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Secundò, Iob 14. *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum.* Tertiò item S. Iob ait cap. 42. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Quartò, Isaïas 6. dicit, *Vidi Dominum sedentem super solium:* Idipsum cæteri Prophetæ plerumque affirmant: Ergo revera Deus visibilis est naturaliter aut saltem supernaturaliter ab oculo corporeo.

Sed omnes explicantur ac solvuntur.

Nego conseq. & ad præfatos Scripturæ contextus, *Respondeo ad primum*, præfata verba idem significare ac *congressus sum & luctatus cum Deo*; phrasi scilicet Hebraïca, simili illi quâ Gallicè pugnatores ad singulare certamen se se provocantes dicere solent, *Nous nous verrons teste à teste.* Vel absolutè dicendum est ipsum vidisse Dominum, idest Angelum qui in corpore assumpto Dei vices agebat, ut indicat Oseas Propheta *cap.* 12. ubi de Iacob sermonem faciens, inquit, *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus est: flevit, & rogavit eum.*

Ad secundum dico, Sanctum Iob loqui de visione Christi Domini secundùm humanitatem, in qua judicaturus, cunctis se visibilem præbebit post resurrectionem: unde post præfata verba subjungit *Salvatorem meum*, quæ verba licet in Hebræo, & in vulgata Sixti V. non inveniantur; optimè tamen concordant cum præcedentibus, *Credo quòd Redemptor meus vivit.*

Ad tertium dico ipsum S. Iobum sic esse intelligendum quasi diceret; Priùs multa audiveram de tua providentia, nunc autem manifesta ipsius indicia in me ipso deprehendo. Vel intelligitur Deum videre oculo mentis, de quo S. Paulus ad Ephesios 1. *Det vobis Spiritum sapientiæ in agnitione ejus illuminatos oculos cordis vestri*, quibus oculis mentis etiam certum est tam Isaïam, quàm cæteros Prophetas Deum vidisse; hoc est evidentiùs cognovisse. Adeoque ex his contextibus nihil adversus Conclusionem evincitur.

XI. *Objicitur S. Augustinus.*

Objic. 2. S. Augustinus Christianæ veritatis indagator oculatissimus probabiliùs censet Deum posse videri ab oculo corporeo, licet enim Epist. 6. disertè affirmasset Deum nullo sensu esse perceptibilem maximè oculis, idque probasset his verbis S. Ioannis, *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, in tantùm ergo videbimus in quantum similes ei erimus, quia & nunc in tantùm non videmus, in quantum dissimiles sumus. Inde igitur videbimus unde similes erimus*; concludit, *Quis autem dementissimus dixerit corpore nos vel esse, vel futuros esse similes Deo?* Subdit pariter in hujus veritatis confirmationem, *Cur solis oculis corporis Christi hoc donum attribuunt esse contendunt, non etiam cæteris sensibus? Sonus ergo erit Deus ut possit etiam auribus percipi; & halitus erit ut sentiri possit olfactu; & liquor aliquis erit ut possit & bibi; & moles erit ut possit & tangi? Non (inquiunt) quid ergo? an illud potest Deus & hoc non potest? Si non posse dixerint, cur derogant omnipotentiæ Dei? Si posse & nolle responderint, cur solis oculis favent, invident autem cæteris sensibus corporis Christi?*

Nihilominus idem tractans Epist. 111. ad For-
A tunatianum Episcopum Siccensem: & Epist. 112. ad Paulinam, nihil certi hac de re videtur astruere, sed totus dubius hærens, in fine posterioris Epistolæ promittit hac de re se fusiorem tractatum habiturum, *De corpore verò spirituali*, inquit, *si Dominus juverit, opere alio experiemur quid disputare valeamus.* Lib. autem 2. retract. cap. 41. ait se *Quæstionem hanc sanè difficillimam in 20. & 21. lib. de Civit. Dei satis explicasse.*

Qui hac in re maximè dubius hæsit.

Attamen hoc in libro cap. 29. propensior videtur, ut Deum oculis corporeis visum iri putet à Beatis; *Quomodo nunc vitam aliorum non à corpore quidem separatam: sed per corpus iisdem illis oculis cernimus. Deinde vitam*, inquit, *suam quâ nunc vivit in corpore, & hæc terrena membra vegetat, facitque viventia; interiore sensu quisque, non*
B *per corporeos oculos novit: aliorum verò vitas, cùm sint invisibiles, per corpus videt; nam unde viventia discernimus à non viventibus corpora, nisi corpora simul vitasque videamus, quas nisi per corpus videre non possumus? Vitas autem sine corporibus corporis oculis non videmus.*

Mox autem ita rem decidit: *Quamobrem fieri potest, valdeque credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora Cœli novi, & terræ novæ, ut Deum ubique præsentem & universa etiam corporalia gubernantem, per corpora quæ gestabimus, & quæ conspiciemus, quaquaversum oculos duxerimus*
C *clarissima perspicuitate videamus, &c. sicut homines inter quos viventes motusque vitales exerentes vivimus; mox ut aspicimus non credimus vivere; sed videmus; cum eorum vitam sine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora, remota omni ambiguitate conspicimus. Ita quacumque spiritalia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem etiam per corpora contuebimur.*

Prima responsio ex S. Thoma.

Respondent aliqui; præfatis verbis Augustinum non asserere oculos glorificatos visuros Deum immediatè, ut est in seipso: sed tantùm visuros mirabiles quosdam effectus corporeos, & Dei præsentiam, providentiamque non minus at-
D testantes & manifestantes, quàm motus vitales quos cernimus in eis quos videmus, patefaciunt eos vivere; quorum tamen substantiam & vitam essentialem in seipsa corporeis oculis non intuemur: sed per mentem deprehendimus. Seu ut loquitur S. Thomas, S. Augustinum explicans, *Sicut nunc oculi nostri vident alicujus vitam; vita autem non videtur oculo corporali, sicut per se visibile, sed sicut sensibile per accidens, quod quidem à visu non cognoscitur: sed statim cum sensu ab alia aliqua virtute cognoscitiva, nempe ab intellectu. Quod autem statim visis corporibus divina præsentia ex eis cognoscatur per intellectum, ex duobus contingit, scilicet ex perspicuitate intellectus, & ex refulgentia divinæ claritatis in corporibus in-*
E *novatis*, Idest ex mirabili & ineffabili eorum pulchritudine, quæ divinam majestatem redolebit & indicabit.

Non cohæret menti S. Augustini.

Verùm hæc responsio non satis cohæret cum mente S. Augustini, qui disertis verbis ait, *Fieri posse valdeque credibile esse*, Deum visis oculô corporeô corporibus videri: etenim si per hanc visionem ipsum mente percipiendum intelligeret, certè non diceret credibile esse Deum visis corporibus mente percipi: sed potiùs certissimum, & omnino credendum esse. Adde quòd ipsemet dubiam suam hac de re sententiam satis explicet, per verba quæ prioribus attexit; *Aut ergo*, inquit, *per illos oculos, sic videbitur*

Cujus dubia mens amplius demonstratur.

Deus, ut aliqui habeant in tanta excellentia menti simile, quô & incorporea natura cernatur; quod ullis exemplis, sive Scripturarum testimoniis divinarum, vel difficile est, vel impossibile ostendere. Aut quod est ad intelligendum facilius, ita Deus erit nobis notus atque conspicuus, ut videatur spiritu à singulis nobis in singulis nobis: videatur ab altero in altero, videatur in seipso. Quibus apparet per priorem sententiam, ipsum probabiliter existimare Deum videri posse oculo corporeo.

Conceditur hac in re S. August. ibidem dubium hæsisse.

Itaque *Respondeo* 1. Sanctum Augustinum hanc sententiam non absolutè, sed tantùm cum dubitatione & mente ancipiti ibidem proponere: *Secundò*, id in quô dubius hæsit S. Augustinus, constanter ab aliis sanctis Patribus affirmatum est, nimirum ab Athanasio, Chrysostomo, Gregorio Nazianzeno, & Hieronymo, quorum omnium sententiam in hujus veritatis confirmationem refert ipsemet Augustinus prædictâ Epistolâ 111. ubi ita concludit: *Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse Intellectores meorum. Denique in iis omnibus quæ de opusculis Sanctorum atque Doctorum commemoravi, Ambrosii, Hieronymi, Athanasii, Gregorii, & si qua aliorum talia legere potui, quæ commemorare longum putavi, Deum non esse corpus, nec formæ humanæ habere membra, nec eum esse per locorum spatia divisibilem & esse naturâ incommutabiliter invisibilem, nec per eandem naturam atque substantiam, sed assumpta visibili specie, sicut voluit apparuisse iis quibus apparuit, quando per corporis oculos in Scripturis sanctis visus esse narratur, in adjutorio Domini inconcussè credo.* Quibus fatetur suam mentem non esse alienam à cæteris Ecclesiæ Patribus; adeoque, cum illi sancti Patres censeant Deum non esse oculo corporeo visibilem, Augustinum ita pariter censuisse fatendum est.

Sed alibi ipsamquam propugnamus sententiam asseruit.

Unde meritò *Epistola 6.* ait, *Profectò lux illa Deus ipse est, quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ulla: sed lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum. Erit ergo tunc mens idonea quæ illam lucem videat quod nunc nondum est: hoc autem oculus videre corporis, neque nunc potest, neque tunc poterit:* Et Epistol. 112. cap. 23. cum hanc ipsam sententiam pluribus confirmasset, tandem concludit, *Non tantùm quod beatus Ambrosius, verùm etiam quod S. Hieronymus: dicam non solùm Patris divinitatem, sed nec Filii quidem, nec Spiritus sancti, quia una in Trinitate natura est, possunt oculis carnis aspicere, sed oculis mentis, de quibus ipse Salvator ait,* Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. *Namque sicut alibi idem Hieronymus breviter ac veraciter definivit,* res incorporalis corporalibus oculis non videtur. Ex iis itaque constat, quòd etsi sanctus Augustinus alicubi hac in re dubius visus fuerit, tamen alibi sententiam, quam propugnamus, asseruit.

Conclusio Secunda.

V.

Deus est visibilis ab intellectu elevato.

DEus *potest clarè videri ab intellectu creato & confortato per lumen gloriæ.* Hæc est de Fide, & probatur primò plurimis sacræ Scripturæ textibus. Isaiæ 33. *Regem in decore suo videbunt oculi ejus, aspicient terram de longè.* Idest ut explicat Gregorius, *in ipso fulgore Divinitatis;* sive ut ait Glossa interlinearis, *in ipsa Deitate.* Psalmo 83. *Ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion.* Quod de beata visione interpretatur S. August. Lyran. & alii. Primæ Joann. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est:* Idest immediatè in seipso, ut explicat Evaristus Papa, Epistola ad Episcopos Africæ & Concilium Francofordiense Epist. ad Episcopos Hispaniæ. Primæ ad Corinthios 13. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.*

Hanc conclusionem disertè affirmant.

Scriptura sacra.

Ubi Apostolus, Interpretibus Irenæo lib. 5. cap. 7. & Augustino lib. 1. de Trinit. cap. 13. cognitionem per species creatas, quam nos habemus de Deo, vocat *specularem & ænigmaticam;* quia mediata est & obscura; speculum enim significat creaturas, quibus priùs cognitis, Deus cognoscitur tamquam in caligine, *Invisibilia namque Dei à creatura mundi intellecta conspiciuntur;* Cognitionem verò alterius vitæ, dicit esse facie ad faciem ut per τὸ *facie* excludat omne medium ex parte cognoscentis; & τὸ *ad faciem* excludat medium, ex parte cogniti; adeoque per hanc utramque particulam, simul exprimitur intuitio immediata Dei, omnino similis intuitioni corporeæ terminatæ immediatè ad objectum præsens. Unde addit; *Nunc cognosco ex parte*, idest inadæquatè, *tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum:* Id est, inquit Anselmus, *Purè ipsum cognoscam sicut ipse me novit;* Non quod Apostolus astruat æqualitatem inter cognitionem Beatorum & comprehensionem Dei, quâ seipsum & Beatos ipsos novit; sed ut utriusque cognitionis claritatem, & evidentiam designet: Unde non dicit *quantùm*, sed *sicut cognitus sum.* His consonant illa Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Et 18. *Angeli eorum in Cœlis, semper vident faciem Patris mei.*

Concilia.

Hæc eadem veritas definita est in Concilio Viennensi Clementinâ *ad nostrum de Hæreticis*, & in Florentino in litteris unionis, ubi dicitur *Animas plenè purgatas intueri Deum clarè, Trinum & Unum sicuti est;* Et in Tridentino sessione 25. *de invocatione Sanctorum*, ubi decernitur eos impiè sentire, qui negant Sanctos æterna beatitudine fruentes, non esse invocandos. Hanc ipsam veritatem SS. Patres affirmant, ut videre est apud Vasquesium Disp. 37. cap. 5. An autem aliqua ratione naturali demonstrari possit, aperiemus in sequenti quæstione. Et Patres.

VI.

Objiciuntur sacri contextus.

Objicies 1. varios Scripturæ sacræ contextus, quibus apparet intellectum creatum nec posse, nec elevari de facto ad intuitivam & claram Dei visionem. Nam. 1. ad Timotheum 6. Deus *lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Item Deus absolutè dicitur *invisibilis* ad Colossenses 1. & ad Hebræos 11. Adde quòd interdum divinam visionem soli Filio Dei propriam, Scriptura sacra pronuntiet. Sic Joann. 1. *Deum nemo vidit umquam, Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit nobis.* Ubi Irenæus, Athanasius & Evaristus Papa legunt, *nisi Unigenitus.* Quod firmatur ex illo Joann. 6. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem.* Ergo cum Dei visio, Filio ipsius sit propria, nulli creaturæ videtur concedenda.

Et enodantur.

Respondeo, his aut similibus Scripturæ sacræ textibus, intellectum creatum non omnino

arceri à visione Dei; sed tantùm intendit Scriptura designare & affirmare Deum esse invisibilem intuitivè oculis corporeis, ut explicat sanctus Augustinus *Epist.* 111. *&* 112. Vel eum non posse videri solis naturæ viribus, ut exponit sanctus Ambrosius *in* 1. *caput Lucæ*; Vel non posse hoc in mortali statu visione supernaturali & beatifica conspici, ut interpretatur S. Gregorius *lib.* 18. *moral. cap.* 36. Vel ipsum non à creatura; sed à se suoque Filio comprehendi & naturaliter cognosci, ut ipsemet sanctus Gregorius indicat ibidem *capite ultimo.* Quarum omnium expositionum quænam Scripturæ sacræ textui quadret & conveniat, judicandum erit ex fine & scopo ipsius Scripturæ, & ex illius loci verbis antecedentibus vel subsequentibus erit colligendum.

VII. *Inter objectum & potentiam sufficit proportio habitudinis.*

Objicies 2. Inter objectum & potentiam debet esse proportio: sed inter Deum & intellectum creatum nulla est, Deus enim est infinitus, & creatus intellectus finitus est: Ergo, &c.

Distinguo Majorem. Debet esse proportio; in ratione entis & perfectionis, nego: in ratione objecti & habitudinis, concedo: Nam auris v. g. licet in ratione perfectionis proportionem habeat cum colore, quia tamen in ratione objecti cognoscibilis nullam habet, idcirco non potest illum percipere: Deus autem *clarè visus*, licet in ratione perfectionis proportionem cum creato intellectu non habeat, habet tamen proportionem objecti cognoscibilis ad potentiam cognoscentem, quatenus participat rationem communem objecti adæquati intellectus, quod est ens cognoscibile.

Nec refert, quod inter Deum cognoscendum & intellectum cognoscitivum, non sit proportio in entitate & perfectione. Hæc enim ad perfectam cognitionem non requiritur, alioquin nec Deus, utpote infinitus, posset ullum objectum finitum cognoscere defectu talis proportionis entitativæ: nec à nobis ipse cognosci posset, ne quidem cognitione abstractiva, defectu talis proportionis.

VIII. *Objectum supernaturale continetur intra objectum potentiæ naturalis ut est in potentia obedientiali.*

Dices 3. Objectum omnino supernaturale ut sic, non est intra latitudinem objecti adæquati intellectûs potentiæ creatæ: sed Deus *clarè visus* est objectum supernaturale: Ergo non est intra latitudinem objecti intellectus creati. Probatur *Major.* Illud non est objectum potentiæ creatæ, à quo hæc non potest specificari: sed non potest specificari ab objecto supernaturali; quod enim secundùm se naturale est, non potest specificari ab ente supernaturali: Ergo objectum supernaturale non est intra objectum adæquatum potentiæ creatæ.

Distinguo *Majorem.* Quatenus potentia naturalis est reduplicativè & secundùm se, concedo: Quatenus est in potentia obedientiali, & virtus ejus inchoata elevatur divinitùs, non potest ab ente supernaturali specificari, nego: Ut sic enim est supernaturalis, saltem connotativè; ratione scilicet principii elevantis, nimirum luminis gloriæ, & objecti ad quod elevatur; Dei videlicet clarè videndi. Unde licet objectum supernaturale non contineatur intra latitudinem objecti intellectus creati, quatenus potentia naturalis est; continetur tamen intra objectum ejus quatenus est in potentia obedientiali.

IX. *Dices* 4. Deus non potest videri in se nisi ejus infinitudo videatur, quia est illi essentialis, & nisi comprehendatur cùm sit simplicissimus: sed infinitudo non potest videri ab intellectu finito, nec ejus divina Natura comprehendi: Ergo, &c.

Ad visionem non requiritur ut totum & totaliter cognoscat objectum.

Nego Majorem. Neque enim necessum est, ut qui Deum vident, videant totam ejus infinitudinem adæquatè, neque oportet ut totaliter ipsum cognoscant aut comprehendant, ita quòd non possit perfectiori modô à quovis alio intellectu cognosci. Sicut enim oculus cognoscit albedinem intuitivè, licet non percipiat ejus dependentiam à Deo, & à subjecto, ita potest intellectus creatus videre Deum esse infinitum & incomprehensibilem, licet non videat qualis, quantaque sit ejus incomprehensibilitas & infinitudo.

Dices 5. Visio quidditativa Dei non potest non esse infinita: sed infinitam visionem nullis viribus potest intellectus noster elicere: Ergo nec Deum quidditative cognoscere. *Major* probatur: Cognitio crescit juxta incrementum perfectionis objecti: Ergo cognitio objecti infiniti necessariò debet esse infinita.

Respondeo negando Majorem: Ad cujus probationem distinguo consequens, si talis cognitio infinitô & adæquatô modô objectum infinitum attingat, concedo: Si modô inadæquatô & finitô, nego: Licet enim cognitio nostra de existentia Dei, terminetur ad objectum infinitum, tamen infinita non est, quia infinitô modô circa illud non versatur.

Dices 6. Plus distat Deus ab intellectu creato, quàm Angelus à visu corporeo: sed ob hanc distantiam, oculus corporeus elevari non potest ad attingendum Angelum: Ergo à fortiori intellectus creatus elevari non poterit ad videndum Deum prout est in seipso.

Respondeo plus quidem distare quoad entitatem, non autem quoad proportionem habitudinis potentiæ ad objectum; Deus enim continetur intra latitudinem objecti adæquati intellectus creati, qui versatur circa ens intelligibile, ac proinde circa Deum; qui est primum omnium entium; Angelus verò nullo modo continetur intra objectum visus corporei.

X. *Licet intellectus creatus non possit cognoscere omnes creaturas possibiles, non minùs Deum attingere potest.*

Dices 7. Intellectus creatus non potest elevari ad cognitionem omnium creaturarum possibilium: Ergo nec ad claram Dei visionem. *Antecedens* admittitur ab omnibus pene Theologis; *Consequentia* probatur. Difficilius est cognoscere ens simpliciter infinitum, qualis est Deus, quàm ens infinitum tantùm secundùm quid & penes numerum: sed Deus est ens infinitum simpliciter & secundùm substantiam, creaturæ verò possibiles sunt tantùm infinitæ ratione quantitatis numericæ: Ergo, &c.

Nego consequentiam; nec non & majoris illius probationem. Licet enim Essentia divina sit in se perfectior in ratione entis & in ratione objecti, quàm collectio creaturarum possibilium; tamen ex duplici capite repugnat quòd intellectus creatus qui potest videre Deum, possit cognoscere collectionem omnium creaturarum possibilium: Tum quia si hanc collectionem cognosceret, sequeretur ipsum divinam omnipotentiam comprehendere; tunc enim comprehenditur aliqua potentia, quando cognoscitur illud omne ad quod potest se extendere: difficiliùs autem est comprehendere divinam omnipotentiam, quàm so-

illum essentiam videre visione finita & limitata. Tum quia cognitio omnium creaturarum possibilium requirit infinitas species intentionales, quibus intellectus finitus nec uti nec actuari potest; ad visionem autem divinæ Essentiæ sufficit quòd ipsa communicetur intellectui per modum speciei intelligibilis se se exhibendo eemendam modô finitô, limitatô & per lumen gloriæ attemperatô.

Dices 8. Sanctus Chrysostomus affirmat Deum secundùm se esse omnino invisibilem, etenim homilia 14. in Joannem dicit neque Prophetas, neque Archangelos Deum unquam vidisse, eumque videre esse omnino impossibile, *Ipsum*, inquit, *quod est Deus, non solùm Propheta, sed nec Angeli viderunt, neque Archangeli; quod enim creabilis est natura, qualiter videre poterit quod increabile est?* Unde eâdem homiliâ asserit *Angelos vidisse quidem Deum in natura assumpta, nam antea non videbant:* Hinc homil. 3. de incomprehensibili Dei naturâ, explicans textum Isaiæ 6. ubi Seraphim diuinam Majestatem aspicientes dicuntur velasse faciem suam, *Quoniam*, inquit, *non ipsam meram videbant lucem, nec ipsam sinceram substantiam, sed quæ videbant condescensus erat & indulgentia*, quasi diceret, Seraphinos ex divina indulgentia vidisse quoddam ineffabile lumen Deum repræsentans, ut ipsemet explicat, tum in præfata homilia, tum in aliis quas scripsit contra Anomæos.

Respondeo S. Chrysostomum præfatis verbis & similibus non excludere intuitivam Dei cognitionem, sed comprehensivam. Quòd enim simpliciter admittat claram Dei visionem post hanc vitam, constat ex Epistola 5. ad Theodorum lapsum, & homil. 3. in Epistolam ad Philippenses, & 69. ad populum Antiochenum, ubi asserit *Beatos Regem ipsum*, scilicet Deum, *contueri, non per Introitum, non per Ænigma, non per speculum, sed facie ad faciem, non per fidem, sed per speciem.*

Instabis: Illa cognitione dicit Deum esse invisibilem, quâ visibilem ipsum pronunciabant Eunomiani, & Anomæi: sed illi non affirmabant Deum esse visibilem cognitione comprehensiva, sed tantùm intuitiva: Ergo S. Chrysostomus, non solùm comprehensivam, sed etiam intuitivam cognitionem excludit.

Nego Minorem. Constat enim ex Theodoreto lib. 4. *Fabularum hæreticarum* titulô *de Eunomio*, ipsum sibi arrogasse comprehensivam Dei cognitionem, *Ausus est dicere Eunomius*, inquit Theodoretus, *se nihil de rebus divinis ignorare, sed ipsam Dei substantiam exactè scire, eandemque habere de Deo cognitionem, quam ipse Deus de seipso habet*, &c. Idem testatur Socrates lib. 1. Historiarum, cap. 7. ubi inducens Eunomium & Anomæos loquentes, *Sic*, inquit, *Deus de sua ipsius essentia nihil plus intelligit quàm nos; neque ipsi est magis cognita, & perfecta quàm nobis.* Item Hieronymus super cap. 11. Matth. ad illa verba, *Nemo novit Filium nisi Pater: Erubescat*, inquit; *Eunomius tantam sibi notitiam Patris & Filii, quantam alteruter inter se habent, jactitans se habere:* Constat ergo ipsos hæreticos comprehensivam Dei cognitionem sibi arrogasse; ac proinde sanctum Chrysostomum solam Dei comprehensivam cognitionem impossibilem affirmare, non verò intuitivam.

QUÆSTIO TERTIA.

An possibilitas Divinæ visionis intuitivæ ratione naturali probari possit.

I. *Duplex est hominis appetitus: Innatus & Elicitus.*

CERTUM est jamque sufficienter fidei lumine constat, divinam visionem intuitivam esse nedum possibilem, sed & de facto à Beatis obtineri, ut pluribus Scripturæ sacræ oraculis, Conciliorum decretis, & sanctorum Patrum authoritatibus in præcedenti quæstione probatum est. Superest examinandum, an etiam aliqua ratione naturali ita evidenti & efficaci demonstrari queat hujus divinæ visionis possibilitas, ut nullus nisi protervus, ipsam esse possibilem possit negare: quod ut fiat evidentiùs,

Notandum 1. cum Doctore *in* 4. *dist.* 49. *q.* 10. *n.* 2. duplicem in homine distingui posse appetitum, Innatum unum, Elicitum alterum: Prior est naturæ propensio in id quod sui perfectivum & sibi conveniēs est. Posterior, est actus voluntatis aut appetitus animalis, quô desiderat vel inclinatur ad aliquod bonum verum, vel præsumptum. Hi autem duo appetitus invicem distinguuntur, *Potest enim*, inquit Doctor in 4. dist. 49. quæst. 10. num. 2. *aliquis appetitu naturali refugere mortem, quia nolumus expoliari secundùm Apostolum; & actu liberè elicito eligere mortem, sicut martyres.* Dixi priorem esse inclinationem ad bonum, ut sibi conveniens; tam videlicet agenti, quàm patienti, aut recipienti; minùs enim ipsum appetitum extendunt qui affirmant illum esse potentiam agendi, aut patiendi universaliter, idest respectu cujuscumque quod potest efficere, & à quo potest pati: exinde enim sequeretur, intellectum creatum appetere posse errorem, & Angelum sui annihilationem, & accidens separationem à subjecto, & alia hujusmodi quæ pati possunt, quod tamen absurdum est.

II. *Elicitus iterum duplex, Efficax & Inefficax.*

Notandum 2. cum eodem Doctore *ibid. num.* 18. appetitum Elicitum iterum esse duplicem, Unum *efficacem & absolutum*, qui scilicet importat applicationem mediorum ad assecutionem boni concupiti: Alium *inefficacem*, seu *conditionatum*, qui præfatam mediorum applicationem non exigit. Prior, est actus positivus voluntatis quò absolutè tendit in finem & vult illum consequi, significaturque per verbum *volo*: Posterior, est simplex complacentia, seu infirma quædam volitio, quâ voluntas desideraret quidem finem assequi, sed non vult applicare media ad illum assequendum, idcirco potius dicitur *velleitas* significata per verbum *vellem*, quàm absoluta volitio. Prior, inquit Doctor n. 13. versatur tantùm circa possibile; Posterior etiam circa impossibile tendere potest.

Notandum 3. intuitivam Dei visionem, non posse probari naturaliter impossibilem. Tum quia non potest probari falsum evidenti ratione: Tum quia argumenta, quæ contra hanc possibilitatem formari possunt, solubilia sunt; & urgentiora, quæ proferri possunt, fuerunt supra à nobis proposita & soluta. An autem illius possibilitas nullo prævio lumine fidei possit naturaliter probari, an verò supposita revelatione sint aliquæ naturales rationes hanc possibilitatem suadentes, hîc erit resolvendum.

Conclusio Prima.

III.

Visio beatifica cognosci nequit evidenter.

POssibilitas *divinæ visionis intuitivæ demonstrari non potest lumine naturali, nec evidenter cognosci absque ulla revelatione.*

Probatur 1. Si aliqua demonstratione illa intuitiva Dei visio naturaliter posset innotescere, maximè, vel à priori vel à posteriori; scilicet vel per effectum contentum in causa, vel per causam connexam cum effectu: sed neutrum dici potest. *Non quidem à posteriori*, cùm illa beata visio nullum effectum naturalem producat ex cujus intuitu ipsa possit detegi. *Non etiam à priori*; omnis enim demonstratio à priori, fieri debet per causam proximè continentem effectum: sed beatitudo non est effectus qui necessariam habeat connexionem cum aliqua causa naturali evidenter cognita, & deductiva in cognitionem ipsius beatitudinis: Ergo non est à priori nec à posteriori demonstrabilis.

Deinde: Quod est ordinis supernaturalis, non habet necessariam connexionem vel cum effectibus, vel cum causis ordinis naturæ: sed illa divina visio est ordinis supernaturalis, ut fide constat: Ergo non habet connexionem necessariam cum aliqua causa, vel aliquo effectu naturali, per quem possit demonstrari.

Denique: Quæ demonstrantur lumine naturali, innotescunt vel per ingenita principia, vel per effectus sensibiles: sed nulla sunt ingenita principia nullique sensibiles effectus, quibus supernaturalis visio beatifica possit evidenter cognosci: Ergo non potest demonstrari. *Minor* in qua solùm est difficultas, patet, supernaturalia enim, qualis est visio intuitiva, in tantùm supernaturalia dicuntur, in quantum universum excedunt naturæ ordinem; non transcenderent autem totum naturæ ordinem si connexionem necessariam haberent cum effectibus aut principiis naturalibus: Ergo, &c.

Neque demonstrari.

Probatur 2. Demonstrari non potest possibilitas finis, nisi cognoscatur possibilitas mediorum necessariò conducentium ad finem consequendum: Cum enim finis non possit acquiri nisi per media ad ipsum ordinata, non potest etiam cognosci possibilis nisi cognoscantur media quibus acquisibilis est: sed possibilitas mediorum ad intuitivam Dei visionem conducentium, nimirum gratia, fides, spes, charitas, solo lumine naturali cognosci nequit, cum enim hæc media sint supernaturalia, captum luminis naturalis transcendunt, ut fusiùs probavimus agendo *de necessitate Theologiæ*: Ergo nec visionis beatificæ possibilitas potest naturaliter innotescere.

Probatur denique: Si possibilitas beatitudinis supernaturalis esset evidenter cognoscibilis ex solis naturæ principiis, ipsam haud dubiè aliquis ex tot præstantissimis veteribus Philosophis novisset: sed ex S. Augustino *lib. 13. de Trinit. cap. 8. & 9.* Philosophi beatitudinem supernaturalem prorsus ignorârunt, ibi enim de hac beatitudine sermonem faciens; *Si fides adsit....*, inquit, *nulla quæstio est; humanis quippe argumentationibus hæc invenire conantes vix pauci magno præditi ingenio, abundantes otio doctrinisque subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatem pervenire potuerunt. Cui tamen animæ beatam*

A *vitam non invenerunt stabilem, idest veram*: Ergo signum est eam solo lumine naturæ non esse cognoscibilem.

Conclusio Secunda.

IV.

Nec id evincunt Thomistarum rationes.

RAtiones *naturales, quibus Thomistæ suadere nituntur divinæ visionis intuitivæ possibilitatem, nullatenus sunt efficaces.*

Probatur, Thomistæ aliqui duplici, ut dictum est, ratione nituntur probare possibilitatem illius divinæ visionis: sed neutra ab illis assignata ratio hanc possibilitatem astruit: Non quidem prima, quam sic formant. Omni homini naturalis inest appetitus ad beatitudinem, ut inter alios frequenter docet Augustinus *lib. 13. de Trinit. cap. 8. Omnes*, inquit, *beatos esse velle veritas clamat, natura compellit, cui summè bonus & immutabiliter Beatus hoc indidit.* Et lib. 1. Confess. 1. *Fecisti nos Domine ad te & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*: sed beatitudo nostra est clara Dei visio: Ergo ipsam claram Dei visionem naturaliter homines appetunt: Atqui natura nihil frustrà & inutiliter indidit, multò verò minùs desiderium naturale accendit respectu finis inassequibilis: Ergo cùm omnes homines appetitum habeant ad beatitudinem, quæ est intuitiva Dei visio, constat naturaliter ipsam esse possibilem.

B

C

Nego hanc ultimam consequentiam, & ad argumentum unde illa eruitur; Respondeo cum Doctore *in 4. dist. 49. quæst. 8. num. 2.* Illud in pluribus peccare: Primò quidem supponit desiderium solùm esse respectu rei possibilis, quod tamen falsum est; certum est enim res impossibiles desiderari posse saltem desideriô inefficaci & per modum simplicis complacentiæ; multi enim oblectantur in desiderio honorum, divitiarum, & similium, quæ sciunt se non posse assequi; sic etiam Lucifer dicitur desiderasse fieri se similem Altissimo quod tamen impossibile judicabat: Ergo cum tam impossibilia quàm possibilia possint appeti, ex appetitu rei alicujus non rectè infertur illius possibilitas.

D

Secundò: Licet hominibus ingenitum sit desiderium beatitudinis, exinde non sequitur quod illud desideriũ feratur naturaliter in intuitivam Dei visionem. Cum enim duplex sit distinguenda hominis beatitudo, altera Naturalis, consistens in perfecta Dei cognitione ex creaturis, & in amore subsequenti talem cognitionem; altera Supernaturalis consistens in visione Dei immediata & intuitiva: Desiderium hominis connaturale fertur determinatè & distinctè ad solam beatitudinem naturalem; Ad visionem verò Dei immediatam non fertur homo tali desideriô, nisi quatenus ipsa innotescit per lumen supernaturale fidei.

E

Unde S. Augustinus cum dixisset lib. 4. contra Julianum: *Omnes homines naturali instinctu immortales & beati esse non vellemus, nisi esse possemus*; ibidem declarat se sermonem facere de homine elevato ad beatitudinem supernaturalem, non verò ad beatitudinem naturali ut apparet inter alia ex his hujus verbis; *Si ergo*, inquit, *ad consequendam veram beatitudinem quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera, promittit; nihil prosunt homini virtutes, nullomodo veræ possunt esse virtutes.* Quibus vera beatitudo veraque virtus opponitur illis

beatitudini aliisque virtutibus quæ dicuntur tantùm beatitudo & virtutes secundùm quid per comparationem ad veram beatitudinem quæ est intuitiva Dei visio, & ad veras virtutes quæ ad ejus consecutionem conducunt.

Non etiam magis urget posterior eorum ratio, quàm sic formant: Cuilibet substantiæ intellectuali inest naturaliter, & necessariò appetitus videndi causam viso effectu, neque potest intellectus humanus quiescere perfectè videndo mirabiles effectus Dei in hoc universo, quin desideret videre Deum illorum Effectorem: Ergo cùm solis naturæ viribus homines videant effectus Dei, cognoscantque illum esse ipsorum causam, ut docet Apostolus *Romanorum* 1. ita possunt iisdem viribus elicere desiderium videndi Deum tam mirabilium rerum Effectorem.

Verùm hæc ratio facilè solvitur hac distinctione: Appetitus humanus non potest quiescere viso effectu mirabili quousque assequatur visionem illius causæ, si putat illam esse possibilem respectu sui, concedo: si putet illam esse impossibilem, aut dubitet de ejus impossibilitate, nego; quiescit enim cum eò pervenit, quò se posse tantùm pervenire judicat; homini autem non constat naturaliter ulla certitudine visionem Dei intuitivam esse possibilem: Ergo non potest naturaliter torqueri propter defectum visionis Dei, quam non novit naturaliter esse sibi possibilem.

CONCLUSIO TERTIA.

V. SUPPOSITO *quòd quis per revelationem divinam vel humanam noverit possibilitatem aut futuritionem divinæ visionis intuitivæ, illam suadere poterit rationibus Doctoris Subtilis* in 4. dist. 49. quæst. 8. quarum prima sic formatur. Evidens est lumine naturali intellectum creatum posse cognoscere, quidquid continetur intra ejus objectum adæquatum: sed Deus *clarè visus* continetur sub objecto adæquato intellectus creati: Ergo lumine naturali constat Deum posse ab intellectu creato videri ut in se est. *Major* constat; non enim intellectus, deterioris est conditionis, quàm sensus: Ergo quemadmodum visus v. g. quia versatur circa objectum visibile in communi, versari potest etiam circa quodlibet visibile in particulari, sic pariter intellectus attingens objectum intelligibile in communi, poterit etiam attingere quodlibet objectum intelligibile particulare sub illo communi comprehensum.

Suaderi tamen potest præsupposita revelatione.

Minorem probat Doctor. Intelligibile in communi est ens ut sic, quatenus præscindit ab ente materiali & spirituali, substantiali & accidentali, naturali & supernaturali; nam illud dicitur intelligibile commune & universale, quò latius & universalius aliud dari nequit; posset autem dari aliquod objectum universalius intelligibile si non esset ens ut sic præscindens, ut constat. Quod autem Deus *clarè visus* contineatur sub hoc objecto adæquato visibili, probat Doctor: Tum quia Deus *clarè visus* est perfectè intelligibilis: Ergo maximè spectat ad objectum intelligibile in communi; tum quia potentia intelligens non censetur perfectissimô modô objectum intelligere, nisi perfectiori intelligentiâ attingat præstantissimum intelligibile: Ergo cùm Deus sit præstantissimum objectum intelligibile, cùmque præstantissima intelligentia & cognitio fiat per intuitivam visionem; sequitur Deum clarè visum esse objectum perfectissimum intelligibile sub objecto adæquato intellectus creati comprehensum; adeoque intellectum creatum ad Deum videndum naturaliter ordinari, tanquam ad objectum particulare sub objecto suo adæquato, & consequenter ipsius intuitivam visionem esse possibilem.

1. Quia Deus est cognoscibilis cognitione perfectissima, qualis est visio intuitiva.

Dices verum non videri quod asseritur, intellectum humanum non posse quietari nisi in visione intuitiva objecti perfectissimè intelligibilis; posset enim, inquies, ejus desiderium expleri, & quietari in cognitione abstractiva & præcisiva ipsius. Deinde si requireretur ad ejus desiderii satietatem perfectissima cognitio objecti summè intelligibilis, sequeretur non posse satiari intellectum creatum, nisi comprehensione summi intelligibilis. Hæc enim sola est cognitio perfectissima & adæquata.

Respondeo verum esse intellectum humanum non quietari in cognitione summi intelligibilis, nisi illud attingat perfectissimo genere cognitionis, non implicantis contradictionem, qualis est cognitio intuitiva, non autem abstractiva: Tum quia non constat apud omnes dari hanc cognitionem abstractivam & præcisivam: Tum quia cùm hæc sit obscura & inevidens, certum est in ipsa non quietari intellectum, sed ultro tendere ad intuitivam objecti cognitionem, quæ longè priori perfectior est. Quamvis autem comprehensiva cognitio summi intelligibilis, sit etiam longè perfectior simplici intuitivâ, tamen quia contradictionem implicat intellectum finitum adæquare posse, & comprehendere finita sua cognitione objectum infinitum: idcirco, ad hanc comprehensivam cognitionem non tendit intellectus creatus, sed in intuitiva quiescit.

Posterior ratio Doctoris sic formatur. Lumine naturali evidens est perfectionem convenientem potentiæ inferiori posse competere superiori, si ambæ illæ facultates ad idem genus operationis pertineant: sed visio intuitiva objecti, competit sensui, videlicet oculo corporis, qui inferior est intellectu: Ergo pariter visio intuitiva objecti præstantissimi, qualis est Deus, competere debet intellectui. 2. Quia visio intuitiva competit sensui: Ergo & intellectui.

VI. *Confirmatur.* Sicut enim visus non perfectè quietatur nisi in attingentia objecti visibilis pulcherrimi, sic nec quietari poterit intellectus creatus nisi attingat intuitivè objectum præstantissimum intelligibile, qualis est Deus.

Replica Vasquesii proponitur

Replicat Vasquez, *quæst.* 1. *disp.* 20. *cap.* 2. *num.* 5. Majorem propositionem assumptam à Doctore Subtili, nimirum quòd perfectio conveniens superiori, conveniat & inferiori, esse tantùm veram, quando objectum quod cognoscitur, est proportionatum naturaliter potentiæ naturali; etenim si sit supernaturalis ordinis, sufficiet quod apprehendatur per alienas species, cognoscaturque cognitione abstractiva.

Respondeo: Rationem Doctoris revera supponere, quòd ens increatum sit objectum proportionatum potentiæ naturali, saltem inchoatæ, quatenus nimirum continetur sub objecto universalissimo intelligibili; proindeque meritò concludere, ex priori scilicet ratiocinio,

Et excluditur.

quòd intellectus quietari non possit in cognitione objecti præstantissimi comprehensi sub objecto communi, nisi illud intuitivè videat.

Replicant alii Thomistæ negando majorem. multæ enim, inquiunt, perfectiones competunt inferiori alicujus generis, quæ superiori competere nequeunt: nam cælo convenit incorruptibilitas, quæ tamen homini, qui cælo est superior non competit: Scientiæ naturali convenit evidentia; fidei tamen quæ superior est, non convenit. Et ratio, inquiunt, est in promptu, licet enim talis perfectio superiori non conveniat, potest tamen illi convenire alia major perfectio, per quam alia ejusdem generis inferiora excedat, & sic contingit in proposito; nam posse Deum abstractivè attingere, sicut & omnia objecta sensuum, longè majus est & quid præstantius, quàm ad objecta sensibilia intuitivè attingenda tantùm alligari: Primum autem convenit intellectui: Secundum sensibus.

VI. *Respondeo* hanc utramque instantiam esse falsam, nec esse ad propositum. Primam quidem; hîc enim agimus de perfectionibus competentibus potentiis operativis, non autem de perfectionibus convenientibus rebus non operativis. Deinde, falsum est cælos esse simpliciter incorruptibiles, sed tantùm dicuntur incorruptibiles, quia minor corruptibilitas ipsis quàm corporibus mixtis competit. Denique, corpora mixta, quale est corpus humanum, dici possunt minùs perfecta in ratione corporis, quantumvis ad animam & vitam ordinentur, quàm sint cæli, qui cùm sint corpora simplicia, longè præstantiora dici possunt quibuscumque corporibus mixtis.

Thomistarum replicæ excluduntur.

Posterior pariter instantia falsa est: Tum quia scientia nostra naturalis, non est simpliciter & absolutè clara & evidens; per illam enim non relucet, nec apprehenditur essentia & quidditas objecti cujuslibet per se & ut in se est, sed tantùm per effectus, & species emendicatas; unde semper aliquid obscuritatis habet & inevidentiæ: Tum quia fides non censetur esse perfectior in ratione cognitionis, quàm sit scientia præstantissima, hæc enim ratione suæ claritatis & commensurationis perfectæ cum objecto suo, dici potest præstantior fide: licet sit minùs certa.

Nec refert quòd fides sit supernaturalis, & à solo Deo producibilis: non enim quælibet forma supernaturalis absolutè præstantior est forma quacumque naturali; forma enim substantialis quælibet præstat accidentibus supernaturalibus, & vita equi ab alio equo cum concursu Dei generali producta, perfectior est in ratione entis, accidente à solo Deo producibili, adeoque præfata instantia non solvit vim rationis Doctoris.

VII. *Replicat* Suarez tractatu 1. *lib.* 2. *cap.* 7. Illationem hanc Doctoris Subtilis nullam esse, quâ nimirum concludit, Intellectus creatus est capax cognitionis intuitivæ: Ergo & capax est cognitionis intuitivæ Dei. Hæc, inquit, consequentia est nulla, tum quia objectum cùm sit præstantissimum & elevatissimum, potest excedere vires intellectus creati; Tum quia visus corporeus licet possit intueri visibile, non sequitur quòd possit videre quodcumque visibile; & oculus enim humanus attingit

Nec-non & Suaris.

A lucem Lunæ, non autem Solis, nisi cæcutiendo; & fortè tam excellens lux produci potest, ut nullus oculus possit naturaliter illam intueri. Tum quia ex visione corporali, non valet consequentia ad visionem intellectus circa quodcumque intelligibile; alioquin inferendum esset, quòd sicut visus corporalis potest naturaliter in quodcumque visibile; ita intellectus creatus videre potest naturaliter quodcumque objectum intelligibile; & consequenter poterit naturæ viribus videre Deum; quæ consequentia omnino falsa est.

Contra: Doctor Subtilis non intendit probare quòd intellectus creatus viribus naturalibus possit objectum increatum videre: sed B tantùm quòd hæc visio sit absolutè possibilis quoquo modo fiat, sive naturæ viribus, sive per inditas divinitùs vires: Unde non valent instantiæ, quia sicut oculus versari potest circa quodlibet objectum visibile, ita quòd nullum etiam præstantissimum dari possit, quod attingere non valeat vel propriis viribus vel quatenus elevari potest; ita à simili rectè concluditur, nullum esse præstantissimum intelligibile & per intellectum visibile, quod ab ipso intellectu, vel naturaliter, vel divinitùs non possit percipi; non enim de modo videndi Deum disputat Doctor, sed de ejus possibilitate, quoquo modo tandem hæc fieri possit.

C *Replicant* denique nonnulli Thomistæ cum eodem Suare ibid. quòd intellectus non concurrat virtute naturali, sed obedientiali ad visionem intuitivam; non potest autem probari naturaliter, quòd sint actus supernaturales, & quòd ad illos elevari possit intellectus creatus, quia illi actus, & hæc elevatio, excedunt ordinem naturæ, & proinde non possunt naturaliter detegi.

Respondeo, quòd licet ratio naturalis non percipiat quid sit intuitiva Dei visio, nec cognoscat quòd aliqui sint actus in entitate supernaturales; tamen percipere potest quòd visio objecti præstantissimè intelligibilis, sit possibilis intellectui creato; qualicumque modo fieri possit hæc visio, sive naturæ viribus, sive per virtu- D tem divinitùs inditam; quod solùm intendit probare Doctor, proindeque ipsius rationes sufficienter visionis beatificæ possibilitatem demonstrant Philosopho, qui hanc divinam visionem audivit esse vel possibilem, vel futuram, vel jam existentem.

Quæres 1. *an visio intuitiva Dei possit appeti naturaliter, tam appetitu Innato quam Elicito?*

RESPONDEO *affirmativè* cum Doctore Subtili in 4. *dist.* 49. *quæst.* 10. *num.* 11. & E primò quidem illam appeti posse appetitu innato sic probo. Appetitus innatus nihil aliud est, quàm naturæ perfectibilitas seu inclinatio in id quod sui perfectivum est: sed nobis inest hæc inclinatio ad visionem beatificam naturæ humanæ perfectivam. Probo. Omnes homines naturalem habent propensionem ad beatitudinem ut supra diximus ex mente S. Aug. Ergo & ad beatitudinem supernaturalem. Si quid obesset quominus inclinatio ad visionem beatificam, diceretur naturalis, maximè quia Beatitudo illa est supernaturalis, sed hæc ratio non officit.

Appetitur visio beatifica appetitu innato.

Probo primò à simili ex Divo Augustino A *lib. 1. de prædest. Sanctorum cap. 4. Posse*, inquit, *habere fidem, sicut posse habere charitatem, natura est hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, est gratia fidelium.* Ex quo sic argumentor: Quod est naturæ hominum, est naturale: sed potentia ad habendam fidem, quæ supernaturalis est, est naturæ hominũ: Ergo illa potentia est naturalis; adeoque supernaturalitas non officit quominus inclinatio aliqua dicatur naturalis ad id quod supernaturale est; & consequenter, licet visio beatifica sit supernaturalis, non minùs inclinatio ad eam dici potest naturalis. *Secundò*: Hæc divina visio est maxima intellectûs perfectio; adeoque in- B tellectus est per ipsam perfectibilis: sed hæc perfectibilitas est appetitus naturalis, non minùs quam perfectibilitas materiæ respectu formæ substantialis, & oculi corporei respectu visionis objecti colorati: est pariter appetitus ille innatus, quia hæc inclinatio non præsupponit cognitionem, nec est aliquid distinctum ab intellectu; nec qui talem inclinationem habet, experitur se illam habere: Ergo intellectus habet appetitum innatum ad visionem intuitivam Dei.

Denique, inquit Doctor quæst. tr. num. 8. *quod ordinatur ad multas formas ordinatas, maximè ordinatur ad perfectissimam: sed voluntas ordinatur ad multas volitiones, & intellectus ad multas intellectiones: Ergo maximè ad* C *beatitudinem, cùm sit perfectissima.* Quod argumentum licet maximè urgeat pro appetitu elicito; nihilominus, etiam naturalem comprobat, cùm natura ex se ordinetur ad id quod sui maximè perfectivum est, qualis est visio beatifica.

Unde meritò concludit Doctor quæst. tn. num. 13. *Quòd in Damnatis est appetitus naturalis respectu beatitudinis, quia appetitus naturalis non addit aliquam perfectionem super naturam absolutam; sed solùm inclinationem ipsius naturæ ad suam perfectionem: & ideo manente naturâ manet ille appetitus.* Addit. *Et si dicas quòd tunc ille appetitus erit frustrà: etiam dicas quòd Damnati frustrà sunt homines vel Angeli,* D *cùm appetitus naturalis non addat absolutum aliquid super naturam eorum.*

Respondeo 2. Cum eodem ibid. n. 12. homines etiam habere appetitum naturalem elicitum ad visionem beatificam. Constat enim quòd quilibet desiderare possit ipsam divinam beatitudinem absque ullo auxilio supernaturali, dum ipsi proponitur, sive per fidem, sive per opinionem, sive per scientiam quòd hæc visio sit aut possibilis, aut futura, aut existens; certum est enim plures hæreticos illam beatitudinem appetere, licet nullum habeant principium supernaturale concurrens cum eorum voluntate E ad formandum tale desiderium. Adde quòd visio beatifica cognosci possit conceptu abstractivo naturali: Ergo & potest naturaliter appeti per actum qui sit naturalis, licet tendat in objectum supernaturale.

Dices: Quod non est, non potest recipi: Ergo quod non potest naturaliter esse, non potest naturaliter recipi: sed visio intuitiva Dei non potest esse naturaliter, cùm sit in substantia supernaturalis: Ergo non potest naturaliter recipi, & consequenter non datur ad ipsam inclinatio aut appetitus naturalis.

Nego primam consequentiam. Implicat enim quod recipiatur illud quod omninò non est, alioquin esset & non esset; esset quia recipitur; non esset autem, ut supponitur: Non implicat autem, illud quod non est naturale, posse naturaliter recipi, videlicet secundùm inclinationem & capacitatem rei naturalis, quæ nimirum sese extendit ad id omne quod sui perfectivum est, qualitercumque illud assequi possit, sive naturæ viribus, sive divino suffragante auxilio.

Instabis: Forma ideo dicitur supernaturalis, quia naturæ capacitatem transcendit: sed visio intuitiva non transcenderet animæ capacitatem, si anima haberet capacitatem naturalem ad recipiendam ipsam: Ergo vel illa non est supernaturalis, vel anima non habet ipsam inclinationem & capacitatem naturalem ad ipsam.

Distinguo Majorem. Quia transcendit capacitatem naturalem activam & productivam, concedo: receptivam & passivam, nego. Fateor equidem formam aliquam supernaturalem omninò transcendere vires cujuslibet causæ naturalis, nec ab ulla posse produci: non autem transcendit capacitatem naturalem, receptivam & passivam, quæ scilicet sese extendit ad omnem omninò formam sui perfectivam. Nec minùs propterea forma hæc dicetur supernaturalis, tum quia non exigitur connaturaliter ab ulla creatura, tum quia produci non potest ab alio, quàm à Deo.

Urgebis: Omni potentiæ passivæ ac receptivæ correspondere debet aliqua potentia productiva naturalis; frustrà enim esset potentia receptiva naturalis, quæ non posset reduci naturaliter ad actum; Non posset autem ad actum reduci, nisi daretur potentia activa ipsi naturaliter correspondens: sed non datur ulla potentia naturalis, quæ sit productiva visionis intuitivæ Dei: Ergo nec capacitas, & potentia passiva naturalis ad ipsam. *Nego Majorem* cum sua probatione, non enim frustrà est aliqua potentia, quæ reducitur ad actum, qualitercumque fiat hæc reductio, sive naturaliter, sive supernaturaliter.

Dices 2. Appetitus innatus, est à Deo ut authore naturæ, & infundente formam naturalem: sed appetitus visionis intuitivæ Dei, non potest esse ab authore naturæ: Ergo nec dari potest appetitus innatus ad illam. *Major* patet. *Minor* probatur: Primò, Appetitus à Deo ut Authore naturæ inditus, solùm tendit in Deum ut est finis naturalis: Sed Deus ut clarè visus, non est finis naturalis, sed supernaturalis: Ergo appetitus visionis intuitivæ Dei non potest esse à Deo ut authore naturæ. Secundò, Author naturæ non dat appetitum quem non possit explere: sed Deus ut author naturæ non potest explere appetitum visionis beatificæ; quia non potest illum appetitum explere, nisi dando media ad talis visionis consecutionem: sed Deus ut author naturæ, non tribuit media necessaria ad visionem beatificam; cùm enim illa sint entitativè supernaturalia, nimirum gratia, fides, spes, charitas, & lumen gloriæ, non procedunt à Deo, nisi ut authore gratiæ & gloriæ.

Nego Minorem: similiter & utramque illius probationem; Author enim naturæ generalem ipsi appetitum indidit, tum ad omnimodam sui possessionem, tum ad id omne quod illius naturæ perfectivum est; sive interim illa Dei pos-

ſeſſio, & naturæ perfectio acquiratur ſolis naturæ viribus, aut divinitùs indito auxilio: quod maximè firmatur tritâ illâ S. Auguſtini ſententiâ, *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Adde quod hîc ſermo ſit tantùm de appetitu inefficaci, non autem de efficaci, applicante ſcilicet media ad finis conſecutionem; ideoque, non urgent præfatæ minoris probationes, quæ ſolùm de appetitu efficaci ſunt intelligendæ; nos autem de inefficaci loquimur.

Quæstio Quarta.

An Deus viſus fuerit intuitivè ab aliquo hac in mortali vita degente.

Non repugnat hominem mortalē Deum videre.

SUPPONO 1. citra controverſiam eſſe, Deum ab homine mortali poſſe clarè & intuitivè conſpici, per extraordinariam ejus potentiam, & ſupernaturale privilegium; id enim omnes Catholici Doctores fatentur Chriſto Domino ab inſtanti ſuæ conceptionis fuiſſe liberaliter à Deo Patre conceſſum; quidni ergo pariter eandem alteri gratiam Deus, ſi ita vellet, concedere poſſet? Adde quod, inquit Doctor in 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 12. *num.* 3. ſi quæ foret repugnantia cur hoc privilegium homini mortali concedi poſſet, maximè, vel ex parte agentis & Dei concedentis; vel ex parte patientis & hominis recipientis: At ex neutra parte repugnat. Non quidem ex parte agentis, cum enim Deus intuitivam ſui viſionem Beatis concedat in altera vita, quidni concedere poſſit homini vitam mortalem agenti? Non etiam repugnat ex parte hominis recipientis; ſi enim ita repugnaret, maximè vel ex ejus natura, vel illius ſtatu, & conditione mortalitatis: ſed ex neutro capite repugnat. Non quidem ex hominis *natura*, alioquin nuſquam homo poſſet beatitudinem naturæ ſuæ repugnantem ſuſcipere: Non etiam ex parte *ſtatus*; Tum quia mortalitas non pugnat formaliter, ſed tantum effectivè cum ſtatu beatitudinis, ratione videlicet ſuorum effectuum, adeoque divinitùs utraque poteſt in eodem homine ſimul reperiri. Tum quia de facto Chriſtus Dominus fuit ſimul mortalis & beatus, viator, & comprehenſor. Itaque præſens quæſtio non movetur de poſſibili; ſed tantùm an de facto intuitiva Dei viſio alicui homini mortali conceſſa fuerit.

De quibus moveatur quæſtio.

Suppono 2. circa præſentis dubii reſolutionem, celebrem eſſe controverſiam nedum inter Doctores Scholaſticos; ſed etiam inter ſanctos Patres, quorum aliqui negant, alii verò affirmant intuitivam Dei viſionem conceſſam fuiſſe aliquibus puris hominibus mortalem hanc vitam agentibus, maximè verò Moïſi, SS. Paulo, Adamo, S. Benedicto, Auguſtino, & Franciſco: Idque colligunt, de Moïſe quidem & S. Paulo ex variis Scripturæ locis infra citandis: De Adamo verò illud inferunt, ex illo Geneſis 2. *Miſit Dominus Deus ſoporem in Adam*, in quo ſomno *Adamum interfuiſſe Angelorum curiæ* affirmat S. Auguſtinus in eundem locum, & S. Bernardus ſerm. 2. de Septuageſima ait, *Illum introiſſe in Sanctuarium Dei & intuitum fuiſſe incommutabilem veritatem*, & *abyſſum divinæ Sapientiæ*. De B. Auguſtino id colligunt ex eo quod ſcribit lib. 9. Confeſſionum cap. 10. quod cum ad oſtia Tiberina cum matre ſua conſtitiſſet, ſe unà cum ea divinam habuiſſe viſionem, *Quæ ſi continuetur*, inquit, *& ſubſtrahantur alia viſiones, ut talis ſit ſempiterna vita quale fuit hoc momentum intelligentiæ cui ſuſpiramus, non ne hoc eſt, intra in gaudium Domini tui?* De B. Benedicto, id inferunt ex S. Gregorio lib. 2. Dialogorum cap. 35. referente viſionem quâ S. Benedictus totum mundum ſub uno veluti ſolis radio collectum inſpexit, quod ut creditu facilè ſuadeat S. Gregorius, ait, *Videnti enim Creatorem anguſta eſt omnis creatura.* Quaſi diceret, creaturam omnem finitam eſſe, & ideo facilè potuiſſe inſpici à vidente Creatorem. Tandem de S. Franciſco id noſter Fœlix infert ex S. Bonaventura in prologo itinerarii mentis in Deum, & ex S. Bernardino tom. 1. ſerm. 61. art. 2. c. 3. quæ omnia an vera ſint certiſque roborata teſtimoniis, infra patebit.

De Moïſe. S. Paulo. Adamo. S. Auguſt. S. Benedict. Et S. Franciſco.

Quid de Beata Virgine ſentiendum.

Suppono 3. quòd ſi conſtet alicui homini conceſſum fuiſſe privilegium hac in mortali vita Deum videndi, id ipſum jure potiori Beatiſſimæ Virgini tribuendum eſſe, *Nam*, inquit ſanctus Thomas 3. p. q. 27. art. 1. *rationabiliter creditur quòd illa quæ genuit unigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ acceperit*, ſeu ut ait S. Bonaventura in 3. d. 3. p. 1. a. 3. q. 5. *Quod aliis legitur fuiſſe collatum, non eſt credendum Virgini fuiſſe negatum.* Imò S. Antoninus p. 4. tit. 15. cap. 17. disertè affirmat, *In ipſo conceptu vel partu Virgini datum eſſe ad horam, ut videret myſterium hujuſmodi ut in patria; ſicut Paulus vidit Deum in raptu.* Et Rupertus in illud Canticorum, *Oculi tui columbarum* dicit *Beatam Virginem raptam eſſe in tertium Cœlum & vidiſſe arcana myſteria, quæ non licet homini loqui, perfectiùs & excellentiùs quàm Paulum.* Hinc nulla de Beata Virgine in præſenti futura eſt diſceptatio; quamquam enim nulli mortalium unquam collata fuerit intuitiva Dei viſio, ipſam tamen Beatæ Virgini propter ſtrictiſſimam cum Filio ſuo Deo & homine connexionem & affinitatem, conceſſam fuiſſe, piè credendum arbitror. Itaque ſolùm de cæteris hominibus ſit

Conclusio Prima.

Nullum mortalē vidiſſe Deum intuitivè, probatur.

NULLUS *homo purus hac in mortali vita Deum unquam vidit intuitivè.* Hæc eſt communior & certior.

1. Ex Scriptura ſacra.

Probatur 1. iis omnibus Scripturæ locis, quibus Deus mortalibus inviſibilis prædicatur. Sic Joannis primo. *Nemo Deum vidit unquam.* Et cap. 7. *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo, hic vidit Patrem:* 1. ad Timotheum 7. *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Ex quibus ſit argumentor. Sacra Scriptura non eſt alium in ſenſum detorquenda, quàm quem verba ipſa præ ſe ferunt, niſi aliqua ſalvanda occurrat contradictio vel alia neceſſitas appareat: ſed neutrum hîc occurrit, non enim contradictio eſt quòd Deus non videatur ab homine mortali: nullaque apparet ratio cur id affirmari debeat contra expreſſam Scripturæ ſententiam: & conſequenter cùm Deus prædicetur inviſibilis homini mortali, non videtur credibile, ipſum alicui viſionem intuivam ſui conceſſiſſe.

2. Ex SS. Patribus.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus quorum plurimi, præſertim Irenæus *libro* 4. *capite* 37. Origenes *Homilia* 1. *in Iſaiam* Nazianzenus

oratione 34. Cyrillus *Libro* 1. *in Ioannem cap.* 22. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem *cap.* 22. Ambrosius *in primum caput Lucæ*, & plures Alii disertè affirmant intuitivam Dei visionem Moïsi non fuisse concessam. Idem de S. Paulo sentiunt. Chrysostomus *Homilia* 5. *de incomprehensibili Dei natura*, Nazianzenus, Tertullianus; & generatim omnes laudati Patres, qui dum negant Moïsi concessam fuisse intuitivam Dei visionem, generaliter affirmant nullum unquam purum hominem hac in mortali vita Deum vidisse.

Probari potest etiam duplici ratione quam habet Doctor in 4. *distinctione* 49. *quæst.* 12. *numero* 4. & 5. ubi probat beatitudinem non posse consistere cum statu moralitatis: quod probat *Primò*, quia appetitus sensitivus in homine mortali natus est secum trahere intellectivum appetivum ad quodcumque delectabile deordinatum & contrarium rectæ rationi: Beatitudo autem non compatitur hanc deordinationem, cùm ipsa sit perfectissima ordinatio: & consequenter visio beatifica subsistere non potest cum statu mortali. *Secundò* Probat ex repugnantia, *Quia*, inquit, *licet corpus non sit beatificabile beatitudine propriè dicta secundum Augustinum* Epistola 56. ad Dioscorum, *quæ scilicet beatitudo consistit in actu intellectus & voluntatis, tamen est secundum quid beatificabile sive illa beatitudo corporis sit immediatè à Deo, sive ex redundantia beatitudinis animæ ..... Cum ergo beatitudo corporis non possit stare cum vita mortali; repugnat effectum perfectæ beatitudinis esse in vita mortali.* Unde concludit, *Quòd sine miraculo non potest esse beatitudo in vita mortali; & non solùm in hoc est miraculum quòd detur beatitudo, quæ est supernaturalis, sed etiam quia res naturalis impeditur ab effectu suo naturaliter consequente.* Hinc numeto 7. ait, *de Christo dicendum quod semper fuit miraculum usque ad mortem in ipso quod fuerint beatitudo & mortalitas propter repugnantiam effectuum*: Ergo nec censet beatitudinem illam, nec proinde visionem intuitivam fuisse concessam *alicui homini viatori*. Fateor tamen has rationes non urgere. Ideo

4. Quia nullus eorum quibus hæc visio dicitur concessa, reverà illã habuerit.

Probo 3. sigillatim de singulis in 3. notabili expressis, aperiendo scilicet neminem eorum Deum intuitivè vidisse. Et primò quidem de *Moïse*; nam Exodi 33. cum Moïses Dominum exorasset; *Ostende mihi gloriam tuam*, & respondisset Dominus, *Ego ostendam omne bonum tibi*, statim subjungit. *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo & vivet*, id est non videbit me homo in vita mortali. Attamen ut futuræ visionis beatificæ signô aliquô Moïsem consolaretur, subdit, *Dum transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ & protegam dexterâ meâ, donec transeam; tollamque manum meam; & videbit posteriora mea*; id est, videbis tergum assumpti corporis, remota videlicet nube ipsum adumbrante; quæ posteriora corporis cùm haberent lumen magis attemperatum quàm ejus oculi, & facies; idcirco faciliùs poterant inspici, non autem ipsa facies, propter videlicet nimium radiantem ejus splendorem. Unde subjungit Deus, *Faciem meam videre non poteris*. Quibus apertè constat Moïsem Deum non vidisse intuitive: sed tantùm vel Angelum Dei vices gerentem in assumpto corpore, ut affirmat S. Stephanus Actorum 7.

Non quidē Moïses.

ubi enim *Exodi* 3. dicitur Dominum apparuisse Moïsi in flamma ignis de medio rubi; sanctus Stephanus dicit, *Apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flamma rubi*. Vel Verbum divinum vidit, quod in assumpto corpore Prophetis & Patriarchis apparebat, ut affirmat Tertullianus lib. 1. adversus Marcionem, *Ipse*, inquit, *cum Angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, sed nondum nata, quia nondum moritura, sed & jam discentis inter homines conversari*.

Nec refert quod in eodem *cap. Exodi* priùs dictum fuerat, *Loquebatur autem Dominus ad Moïsem facie ad faciem; sicut solet loqui homo ad amicum suum*: Nam per *faciem*, ibi non intelligitur cognitio Dei intuitiva, quam *facialem* appellat sanctus Paulus dicens, *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*; sed solùm designatur quotidiana pene Dei apparitio, quâ nimirum suam voluntatem, suaque in populum Judaicum decreta & judicia Moïsi manifestabat, eo scilicet familiari modo, quo inter homines amicus omnes suos animi conceptus omniaque cordis arcana amico suo exponit & declarat. Adde quòd etsi facie ad faciem Moïses illum intuitivè videret cum quo loquebatur, inde tamen non sequitur illum vidisse divinam Essentiam, Deumque fuisse clarè intuitum; siquidem ut diximus, solùm loquebatur cum Angelo, qui Dei vices agebat ejusque ad Moïsem erat internuntius, ut divinam ipsi voluntatem significaret, sicut disertè rursus exprimit sanctus Stephanus subjungens, *Hic est Moïses qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sina*.

Hoc ipsum egregiè confirmat sanctus Augustinus tract. 3. in Joannem, ubi expendens illa verba, *Deum nemo vidit unquam*, ait, *Quid vidit Moïses? Moïses vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem: omnis illa creatura typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat*. Post pauca; *Loquebatur ergo, fratres charissimi, cum Moïse Angelus portans Typum Domini; & illa omnia quæ ibi per Angelum facta sunt, futuram istam gratiam, & veritatem premittebant*.

Dices: Moïses videtur obtinuisse Dei visionem intuitivam, quam Exodi 33. petierat, nam Numerorum cap. 12. Dominus Aaronem & Mariam alloquens dixit, *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei vel per somnium loquar ad illum: At non talis servus meus Moïses.... ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*. Unde sic argumentari licet, Aliter Moïses Deum vidit, quàm cæteri Prophetæ: sed alii Prophetæ viderunt eum in ænigmate per figuras, & tantùm beneficio Angeli ipsos alloquentis, non verò clarè & intuitivè ejus essentiam conspexerunt: Ergo cùm præstantiori modô Moïses Deum viderit, consequens est ut ipsum viderit intuitivè.

Distinguo Majorem. Moïses aliter Deum vidit quàm cæteri Prophetæ, id est clarè & intuitivè divinam ejus Essentiam conspexit, nego: Id est nobiliori modo, & præstantiori lumine Deus seipsum illi manifestavit, & clariùs videlicet suas ipsi voluntates indicavit, ac majori familiaritate cum ipso conversatus est, concedo.

Nec refert quòd septuaginta Interpretes locum citatum Numerorum ita legant, *Ore ad os loquor ad illum in specie; non per ænigmata, & claritatem Domini vidit.* Nam præterquam quod vulgata versio Latina sola sit authentica, adeoque cui soli fidem debemus; responderi potest, per *speciem*, intelligi speciem & imaginem assumpti corporis; & per *claritatem*, lucem illam sensibilem quam habebat Angelus in assumpto corpore, in quo scilicet Dei vice Moisem alloquebatur.

Non etiam S. Paulus.

Secundò: Idem dicendum de S. Paulo: Nam licet ipsemet affirmet 2. Corint. 12. *se fuisse raptum usque ad tertium Cœlum*, nimirum sedem Beatorum, quæ tertium Cœlum appellatur, respectu Cœli Syderei, & Ætherei seu Aërei; quod idcirco etiam Paradisum nominat, *& audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui*; Attamen ex his verbis nullatenus inferri potest ipsum divinam essentiam fuisse intuitum; etenim audire arcana verba, non est Deum intuitivè conspicere; sed solùm percipere grandia quædam & humanum sensum excedentia; quæ Paulus nedum audivit, sed & fortè vidit in illa extasi quâ se raptum ad tertium Cœlum affirmat. Adde quòd ipsemet S. Paulus testatur 1. ad Timotheum 6. Deum esse mortalibus visibilem, *Quem nullus*, inquit, *hominum vidit unquam:* At certè, non ad veritatem loqueretur si ipsemet Deum fuisset intuitus: Ergo signum est ipsum non vidisse divinam essentiam: quod maximè verum est in illorum sententia, qui putant sancti Pauli extasim & raptum usque ad tertium Cœlum, contigisse tempore illius tridui, quô sub initium suæ conversionis, Damasci erat, neque comedens, neque bibens. Unde cum diu postea scripserit in Epist. ad Timotheum, *Deum nullus hominum vidit*, consequens est, nec ipsum S. Paulum in illa sua extasi Deum vidisse.

Nec S. Benedictus.

Tertiò: Idem constat de S. Benedicto: licet enim S. Gregorius affirmet illum vidisse universam mundi machinam in radio cœlesti, non tamen dicit radium illum fuisse aliquem ipsius Divinitatis splendorem, in quo omnes creaturæ relucent. Nec refert quòd proferat; *Videnti Creatorem angusta est omnis creatura*: solùm enim per id intendit quòd Deus sancto Benedicto concesserit lumen aliquod supernaturale, in quo universum hoc repræsentabatur; quod lumen, cùm Dei fuerit aliqua participatio, idcirco S. Benedictus illud conspiciendo, dicitur Deum inspexisse.

Nec S. Augustinus.

Quartò de S. Augustino; Liquet ex ipsius testimonio nullam fieri beatæ visionis mentionem; solùm enim comparat dulcedinem illius contemplationis, quam habuit cum dulcedine contemplationis beatificæ, cujus illa videbatur esse quædam participatio & communicatio: Unde ait de illa dulcedine, *Nonne hoc est: intra in gaudium Domini tui*; Quasi diceret? Nonne hoc simile est gaudio Domini in quod Beati intrant?

Nec S. Francisci.

Denique de S. Francisco; constat ipsum vidisse quidem Seraphinum Crucifixi effigiem referentem, & ipsum in divini amoris extasim agitantem; non verò Deum ipsum conspexit. Nec aliud voluit S. Bonaventura locô laudatô à Fœlice, ibi enim visionem S. Francisci explicat de suprema ejus contemplatione, *Nam per senas alas Seraphim*, inquit, *rectè intelligi possunt sex* A *illuminationum suspensiones, quibus anima, quasi quibusdam gradibus & itineribus disponitur ut transeat ad pacem per extaticos excessus sapientia Christianæ. Via autem non est nisi per ardentissimum amorem Crucifixi, qui adeo Paulum ad tertium Cœlum raptum transformavit in Christum, ut diceret*, Christo confixus sum cruci: vivo ego jam non ego; vivit autem in me Christus; *qui etiam adeo mentem Francisci absorbuit, quod mens in carne patuit dum sacratissima passionis stigmata in corpore suo ante mortem per biennium deportavit.* Quibus patet ipsum loqui, non de visione Dei intuitiva: sed de supereminenti B contemplatione quam habuit seraphicus Pater Franciscus, dum ad Seraphini intuitum ardentissimo flagravit amore, & in suavissimam Christi Domini patientis contemplationem raptus est.

QUÆSTIO QUINTA.

An viri sancti statim post mortem Deum intuitivè videant: & quæ fuerit hac de re sanctorum Patrum & Millenariorum sententia?

Quæ fuerit sententiæ Millenariorum occasio.

NOTANDUM 1. Semper & ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio famosam fuisse disceptationem inter sanctos Patres circa C præsentis quæstionis resolutionem. Quidam enim ex ipso Apocalipsis 20. *Beatus est Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima; in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis; & cùm consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, &c.* affirmaverunt post universalem resurrectionem, Christum Dominum cum Sanctis regnaturum in sancta Civitate Hierusalem. Unde *Chiliastæ*, seu Millenarii, ab his mille annis imperii, sunt appellati. Hujus opinionis authorem facit

Quis Author.

S. Hieronymus libro de Viris illustribus, virum pietate quidem & doctrinâ celebrem, nomine D Papiam, *Papias*, inquit, *Ioannis Auditor, Hieropolitanus Episcopus dicitur mille annorum Iudaicam edidisse Deuterosin, quem secuti sunt Irenæus* (qui lib. 5. cap. 33. affirmat se hanc sententiam à Papia hausisse.) *& Apollinarius & cæteri, qui post resurrectionem aiunt in carne cum Sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in lib. de spe Fidelium, & Victorinus Pictaviensis & Lactantius hac opinione ducuntur:* Idem habet ad caput 65. Isaïæ: unde lib. 4. in Ieremiam non audet hanc sententiam damnare; *Quam*, inquit, *licet non sequamur, tamen damnare non possumus: quia multi Ecclesiasticorum virorum & Martyres ista dixerunt: & unus*E*quisque in suo sensu abundat, & Domini cuncta judicio reservantur*; Ut autem clariùs innotescat, quæ & qualis fuerit Millenariorum seu Chiliastarum sententia & opinio;

Quæ doctrina & opinio.

Notandum 2. CHILIASTAS seu MILLENARIOS varia censuisse, ut videre est apud Lactantium *Lib. 7. divinarum institutionum.* Ubi suam & aliorum Millenariorum sententiam his verbis aperit, *Veniet*, inquit, *summi ac maximi Dei Filius, ut vivos ac mortuos judicet: & cum deleverit injustitiam judiciumque maximum fecerit, ac justos qui à principio fuerunt, ad vitam restauraverit; mille annis inter homines versabitur, eosque justissimo imperio reget. Tunc*

qui erunt in corporibus vivi, non morientur; sed per eosdem mille annos infinitam multitudinem generabunt, & erit soboles eorum sancta & Deo chara. Qui autem ab inferis suscitabuntur, hi præerunt viventibus velut Iudices; Gentes verò non extinguentur omnino; sed quædam relinquentur in victoriam Dei, ut triumphentur à justis, ac subjugentur perpetuæ servituti. Sub id tempus, etiam Princeps Dæmonum, qui est machinator omnium malorum, vincietur catenis, & erit in custodia mille annis cœlestis Imperii, quo justitia in orbe regnabit, ne quid malum adversus populum Dei moliatur. Post cujus adventum congregabuntur justi ex omni terra, peractoque judicio Civitas sancta constituetur in medio terræ, in qua ipse conditor Deus cum justis dominantibus commoretur. Cumque dixisset illud tempus aureum fore sæculum à Poëtis decantatum, & illud eleganter probasset, subjungit.

Vivent itaque homines tranquillissimam vitam & copiosissimam, & regnabunt cum Deo pariter: & Reges Gentium venient à finibus terræ cum donis ac muneribus ut adorent, & honorificent Regem magnum, cujus nomen erit præclarum ac venerabile universis nationibus, quæ sub Cœlo erunt & Regibus qui dominabuntur in terra. Sed cùm mille anni regni cœperint terminari, solvetur denuò Princeps dæmoniorum, & è custodia missus exibit, atque omnes gentes quæ tunc erunt sub ditione justorum, concitabit ut inferant bellum sanctæ Civitati. Post pauca. *Cum verò completi fuerint mille anni, renovabitur mundus à Deo, & Cœlum complicabitur, & terra mutabitur & transformabit Deus homines in similitudinem Angelorum; & erunt candidi sicut nix, & versabuntur semper in conspectu Omnipotentis, & Domino suo sacrificabũt & servient in æternum. Eodem tempore fiet secunda illa & publica omnium resurrectio in qua excitabuntur injusti ad cruciatus sempiternos. Ii sunt qui manufacta idola coluerunt: qui Dominum mundi ac parentem vel nescierunt, vel abnegaverunt: sed & Dominus illorum cum ministris suis comprehendetur ad pœnamque damnabitur; cum quo pariter omnis turba impiorum pro suis facinoribus, in conspectu Angelorum, atque Iustorum perpetuo igni cremabitur in æternum: Hæc est doctrina sanctorum Prophetarum quam Christiani sequimur: Hæc est Christiana sapientia.* Verùm quàm longè aberraverit à veritate Christiana Lactantius cum cæteris Millenariis, infrà probabitur.

Notandum 3. hanc celebrem Millenariorum disceptationem ab Ecclesiæ Patribus & Doctoribus sæpius agitatam; maximè circa *annum* 1331. Christianum orbem & Pontificiam dignitatem administrante *Ioanne XXII.* iterum vehementiùs & ardentiùs in Pontificia Curia innovatam fuisse, quibusdam doctissimis Theologis asserentibus Sanctorum animas post suam è corporibus solutionem, & in cœlum receptionem, Deum facie ad faciem statim intueri; aliis verò negantibus hanc visionem Deificam beatis mentibus concedendam ante Judicium universale: Cum autem Joannes Pontifex animadverteret non ita diligenter exquisita esse argumenta negantis partis; ut erat ipse sacrarum litterarum studio addictissimus, maxima sollicitudine undique argumenta pro firmanda illa parte negante conquirere cœpit, & varia ex sanctis Patribus testimonia contexere, atque ea tanquam privatus Doctor publicè proferre sæpiusque repetere, ut præsules Doctoresque ea argumenta diligentiùs discuterent. Quod ansam præbuit malevolis Bavarici schismatis sequacibus, undique laniare calumniis, Pontificis fidem & doctrinam, quasi definivisset, & *ex Cathedra* pronunciasset, non videri à Beatis divinam essentiam ante Iudicium.

Qualiter Ioannes XXII. Millenariis faverit.

Unde mox illi Schismatici improbô zelô provocârunt ad Concilium generale, ut Ioannes Pontificia dignitate exauthoraretur, & tamquam hæreticus damnaretur: hæc enim ipsi objiciebant, ut videre est in manu scripto Bibliothecæ Vaticanæ n. 4009. *Dominus Ioannes anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo primo, in Festo omnium Sanctorum, in Sermone quem publicè fecit, qui incipit,* MEMENTOTE OPERUM PATRUM QUÆ FECERUNT IN GENERATIONIBUS SUIS, &c. *Et in alio Sermone quem publicè fecit eodem anno in Dominica tertia de Adventu, qui incipit,* GAUDETE IN DOMINO SEMPER, &c. *Et in alio Sermone quem publicè fecit anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo secundo, in vigilia Epiphaniæ, qui incipit,* SURGE, TOLLE PUERUM ET MATREM EIUS, *dogmatisatus est quòd Sancti in Cœlo non vident, nec videbunt usque ad diem generalis Iudicii, & futuram corporum resurrectionem, faciem Dei sive divinam essentiam: sed tantummodo vident & videbunt usque ad futurum universale Iudicium humanitatem Christi.* Verùm quàm falsò Pontificii hostes hæc à Ioanne dicta fuisse definierint, infra constabit.

CONCLUSIO UNICA.

ANIMÆ *defunctorum in gratia sanctificante ex hac vita migrantium, quæ nihil purgandum habent, statim fruuntur intuitiva Dei visione.* Hæc est definita in Concilio Florentino sess. ultima in decreto unionis, his verbis, *Definimus animas illorum qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; eas etiam animas quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, vel iisdem exules corporibus sunt purgatæ; in Cœlum nullâ morâ recipi & intueri clarè ipsum Deum Trinum & Vnum.* Idem constat ex Concilio Tridentino sess. 5. de peccato originali. Item sess. 25. de invocatione Sanctorum, id pro certo & determinato supponit his verbis, *Illos verò qui negant Sanctos æterna felicitate in Cœlo fruentes invocandos esse, &c. omnino damnandos esse, prout iam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.*

Beatos de facto Deum videre probatur.

1. Ex Conciliis.

Probatur 1. ex variis Scripturæ locis: Primò quidem Lucæ 23. ubi Christus Dominus Latroni secum morienti, & sui regni participationem exoranti ait, *Hodie mecum eris in Paradiso;* quo *Paradisi* nomine, Scriptura novi Testamenti sæpius utitur ad significandam visionem beatificam, vel locum beatis mentibus Deum intuitivè videntibus destinatum. Adde quòd hoc loco, Paradisi nomine, designari non possit *Paradisus Terrestris*, ut quidam etiam è sanctis Patribus fuerunt interpretati, maximè Justinus quæstione 25. Tum quia terrenus ille Paradisus quidquam deliciarum animabus è corpore solutis conferre non valeat, cùm solis corporibus excipiendis & recreandis fuerit consitus & destinatus: Tum quia per illa verba *Mecum eris in Paradiso*, Christus Dominus suum consortium Latroni repromittit;

2. Ex sacra Scriptura.

Quis Paradisus Latroni confitenti repromissus.

at adorandus ille Salvator non habitavit in Paradiso terrestri: Ergo nec Latro fuit in eo commoratus.

Neque etiam nomine Paradisi, *sinus Abrahæ* venit intelligendus, quia vulgaris est, & communis Scripturarum expressio, ut sanctæ Mentes, quæ in sinu Abrahæ recipiebantur, potius dicantur in Infernum descendere, quàm in Paradisum progredi. Unde Christus ipse, in ipsum Abrahæ sinum delapsus, ut Abrahamum ipsum unà cùm cæteris animabus fidelibus liberaret, dicitur descendisse ad Inferos. Denique Paradisi nomine non tantùm significatur *Cœlum Empyreum* visioni beatificæ destinatum; siquidem non nisi post quadraginta dies in Cœlum ipsum Christus erat ascensurus, qui tamen moribundus ipsi Latroni repromitit ingressum Paradisi illo ipsomet die. Restat igitur ut nomine Paradisi visio beatifica Latroni promissa fuerit, & ejus animæ, utpote in gratia sanctificante decedenti, statim post solutionem à corpore fuerit concessa.

Christi descensûs ad Inferos fructus, fuit beata visio Sanctis concessa.

Hanc ipsam veritatem pluribus aliis Scripturæ textibus probavit Durandus Meldensis Episcopus, in libello quem ad Joannem XXII. circa præsentis quæstionis resolutionem ab eodem consultus direxit; idque maximè urget ex eo quod Christus dicatur descendisse ad Inferos. *Christus*, inquit, *non descendit ad Inferos secundùm corpus, quia illud totum triduum usque ad resurrectionem jacuit in sepulchro; nec secundùm Deitatem, quia secundùm illam est ubique; igitur descendit secundùm animam.* Sed anima Christi non penetravit ad Inferos, nisi ut animas sanctorum Patrum & aliorum, quæ erant in Lymbo liberaret, secundùm illud Zachariæ 9. *Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu*: Ergo anima Christi descendit ad Inferos ut animas sanctas ibidem degentes erueret. Sed in Inferno tantùm est duplex pœna, nimirum *sensûs & damni*: In Lymbo autem Sanctorum, non erat pœna sensûs, sed solùm pœna damni, quæ est carentia visionis divinæ, à qua nullus potest liberari & eximi nisi per ipsam divinam visionem; quia privatio non tollitur, nisi per actum oppositum: Ergo si descensus animæ Christi ad Lymbum Inferni fuit propter liberationem animarum sanctarum quæ in eo erant reclusæ, necesse est quòd liberaverit eas à carentia visionis divinæ, quod fieri non potuit nisi per communicatam eis ipsam visionem beatam: Unde meritò infert, *Quòd qui negat animas Sanctorum veteris testamenti, quæ fuerunt in Lymbo, videre Deum visione beata, negat articulum fidei descensûs Christi ad Inferos.*

Confirmat exemplo Lazari, cujus anima in sinum Abrahæ per Angelos deportata summa consolatione fruebatur antequam Christus eam cum cæteris animabus sanctis liberaret, quid igitur contulit ipsi descensus animæ Christi ad Inferos? Vel ipsam divinam visionem, & fruitionem concessit; vel solùm ampliorem lætitiam & consolationem, quàm priùs haberet: Si primùm, habetur intentum; si secundùm, verè Christus illas animas non liberavit, dare enim consolationem magnam vel parvam, non est liberare de vinculis, nec educere de carcere, ut ferebat Zachariæ vaticinium, restat ergo quòd ipsas sanctas animas ad beatam Dei visionem perduxerit.

Idem insuper confirmat pluribus aliis momentis, maximè verò generali Ecclesiæ authoritate & ritu, quæ de Apostolis ait, *Dedit illis gloriam sempiternam*: Hæc autem gloria non est gloria corporis futura per resurrectionem, sed gloria animæ, quæ consistit in clara Dei visione. Idem profert Ecclesia de sanctis Martyribus, de quibus cantat, *Vitam beatam possident.* Alia hujusmodi subjicit Durandus; *Ex quibus patet*, inquit, *quod generalis ritus Ecclesiæ, qui in talibus maximam habet authoritatem, confitetur Deum laudans, quod sancti post mortem & ante resurrectionem glorificantur quantùm ad animam.*

2. Probatur ex ritu Ecclesiæ.

Probatur eadem veritas ex sanctis Patribus; quorum præcipui disertè affirmant animas Sanctas beata visione donari. Sic Gregorius Nyssenus oratione funebri in Pulcheriam, Theodosii Imperatoris ut arbitror, filiolam, *Igitur*, inquit, *si à te puella migravit, attamen ad Dominum recurrit; tibi oculum clausit, verùm sempiterno lumini aperuit: à tua mensa discessit, sed ad Angelicam adjuncta est. Hinc est avulsa planta: Verùm in Paradiso consita est. A Regno in regnum translata est: Purpuræ florem exuit. At cœlestis regni amictum induit; ac subinde doles quòd illa corporis pulchritudo non amplius videatur, non enim veram illius animæ pulchritudinem intueris quæ nunc in festo conventu cœlestium exultat, quàm ille pulcher oculus est qui Deum assumpsit.*

Idem 3. constat ex sanctis Patribus.

Gregorio Nysseno.

Item Gregorius Nazianzenus oratione 10. quam in fratrem Cæsarium scripsit, *Non solùm ejus animam in cœlum penetrasse*, dicit, *& Angelorum choreas ac beatorum virorum splendorem expectare; vel potiùs unà cum eis tripudiare & exultare:* Sed etiam, *magno Regi assistere, & emicante inde lumine compleri:* Quam subinde dicit *mercedem esse laborum ac bonorum operum & sacræ nostræ Mystagogiæ finem.* Quod & clariùs in calce undecimæ orationis indicat; ubi de beatitudine Gorgoniæ Sororis suæ sermonem faciens cujusque capita dinumerans ait, *Ipsam contemplari licet supremæ veritatis puriorem & perfectiorem illuminationem, quæ non amplius vinctam mentem effugiat & per sensus dissipatam: sed totam se toti menti contemplandam & tenendam præbeat, totoque Divinitatis lumine animis nostris affulgeat.*

Gregorio Nazianzeno.

Item Chrysostomus homil. 71. de sancto Philogonio ejus beatitudinem referens ait, *Relictis his festis, ad celebrem Angelorum conventum translatus est: Qua in celebritate & medio conventu versari Regem ipsum, quem vident omnes quantùm capere possunt, tum præsentem, tum splendore Majestatis suæ omnes qui cum eo sunt collustrantem*; quibus asserit Sanctorum animas nedum Dei consortio potiri, sed ipsum quoque intueri, quod perfectæ felicitatis est caput.

Chrysost.

Idem ex Latinis S. Aug. qui licet hac in re dubius videatur, nihilominus lib. 20. de Civit. cap. 9. ait, *Quamvis cum suis corporibus nondum; jam tamen eorum animæ regnant cum illo, dum isti mille anni decurrunt.*

Augustino.

Item c. 24. Meditationum interpellans sanctos, ait, *Per ipsum vos rogo qui vos elegit, qui vos tales effecit, de cujus pulchritudine jam satiamini: de cujus immortalitate jam immortales facti: de cujus beatissima visione semper gaudetis.*

Sanctus Cyprianus disertè significat gloriam cœlestem non differri usque ad extremi

Cypriano.

Judicii exitum; sed statim à morte repræsentari, nam exhortationem martyrii ita claudit: *Quanta est dignitas, & quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras, & angustias gloriosum: claudere in momento oculos quibus homines videbantur & mundus; & aperire eosdem statim, ut Deus videatur & Christus! Tam feliciter migrandi quanta velocitas? Terris repentè subtraheris, ut in regnis cœlestibus reponaris.* Quibus duo beatitudinis capita complectitur, videlicet habitationem cœlestem & intuitivam Dei visionem.

Et Gregorio.

Item S. Gregorius libro 4. Dialogorum cap. 29. respondens quæstioni Petri Discipuli quærentis, si ante resurrectionem corporum in Cœlum recipiuntur animæ, ait, *Justorum animas, ut hac carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus rapi, juxta illud:* Ubicumque fuerit corpus illic congregabuntur & aquilæ; *Quia procul dubio ubi Redemptor est corpore, illic & colliguntur sanctorum animæ.* Et cap. 28. ait. *Esse sanctorum animas in cœlo, sacri eloquii testificatione credidisti, oportet ut per omnia verum esse credas & iniquorum animas in inferno; quia ex retributione æterna justitia, ex qua jam justi gloriantur, necesse est ut per omnia injusti crucientur: nam sicut electos beatitudo glorificat, ita credi necesse est, quod à die exitus sui, ignis reprobos exurit.* Quibus apertè S. Gregorius affirmat beatas animas clara Dei visione frui: Unde

Eadem veritas ratione probatur.

Hæc eadem veritas ratione probatur: Promptior est Deus ad remunerandum bonos, quàm ad puniendum malos: sed mali decedentes in peccato mortali, statim puniuntur ea omni pœna, quâ in æternum cruciabuntur quantùm ad animam: Ergo multò magis boni decedentes cum gratia sanctificante, ea omni beatitudine coronandi sunt, quâ in æternum eos gaudere oportet, maximè quantùm ad animam. Deinde Deus ipse præcipit Levitici 19. *Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane:* Ergo ipse exurgere debet in præcepto quod mandavit, & conferre mercedem quam suis operariis repromisit finito operationis tempore: Hæc autem repromissa merces, est intuitiva Dei visio: Ergo hanc animabus sanctis statim post earum è corpore exitum debet retribuere. Confirmatur ex illo Iacobi primo, *Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ:* Sed tota probatio hominis est in hac mortali vita: Ergo ipsâ expletâ oportet ut viri probati accipiant coronam vitæ, quæ non erit aliud, quàm clara & intuitiva Dei visio.

Objicitur perdifficilis Apocalypsis locus.

Objicies 1. illud Apocalypsis cap. 20. oraculum, quod Millenariis errandi ansam præbuit, & summam Catholicis Interpretibus difficultatem hactenus ingeminavit: Cum enim S. Joannes asseruisset se vidisse *Angelum descendentem de Cœlo habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua,* qui *apprehendit serpentem antiquum, qui est Diabolus & Satanas, & ligavit eum per mille annos: & misit eum in abyssum, & clausit & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solvi modico tempore.* Subdit versu 4. se pariter vidisse *Animas decollatorum propter testimonium Jesu, & propter Verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus*

A *suis, & vixerunt & regnaverunt cum Christo mille annis.* Addit verò versibus 5. & 6. *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus & Sanctus qui habet partem in resurrectione prima: In his secunda mors non habet potestatem: sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.* Quæ Prophetica verba ita Millenarii interpretantur, ut velint hanc prædictionem non ante implendam, quàm Antichristi persecutio sævierit. Ita quòd eô mortuô, Ecclesia Christi summa pace ac fœlicitate donanda sit, ipseque Christus cum cœlesti Ierusalem in terram sit descensurus, & in ea cum justis è B tumulo surgentibus per mille annos sit pacificè regnaturus. Interim ipso currente millenario ligabitur Satanas, ne sua vafritie suarumque tentationum procellis, Ecclesiæ tranquillitatem interturbet. Completis autem illis mille annis, ea demum sequentur, quæ in *primo Notabili* ex Lactantio scripsimus. Ex quibus apertè inferunt Millenarii, Sanctos non esse perpetua beatitudine nec intuitiva Dei visione donandos ante finale judicium.

Triplex error interpretationis Millenariorum.

1. Quia supponit duplicem futuram Sanctorum resurrectionem.

Verùm errore triplici laborat hæc Millenariorum Interpretatio. Primò quidem quia supponit duplicem futuram Sanctorum resurrectionem; unam mille annis ante Judicium uni- C versale, ut cum Christo beatam tranquillamque in terris vitam agant; aliam verò post generale orbis incendium, quâ mortui omnes tam probi quàm reprobi suscitari debent ut supremo Iudici sistantur judicandi. Constans autem est Scripturam unius duntaxat finalis resurrectionis meminisse. Sic Job 19. *In novissimo die de terra surrecturus sum, &c.* Et Paulus 1. ad Corinth. 15. ait *nos resurrecturos in ictu oculi in novissima tuba.* Quod etiam non obscurè indicat Joannes laudato capite Apocalypsis v. 13. ubi ait, *Dedit mare mortuos qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, & judicatum est de singulis secundùm* D *opera eorum.* Falsum est ergo futuram esse veram corporum resurrectionem ante repurgatum orbem per universalem conflagrationem.

2. Quia supponit per resurrectionem carnalibus deliciis animas esse potituras.

Secundò supponit Sanctorum animas post recepta sua in resurrectione corpora carnalibus deliciis esse potituras; quod directê militat in illud Oraculum Christi, Matth. 22. *In resurrectione non nubent neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei.*

3. Quia supponit per primam resurrectionem intelligi corpora è tumulis suscitata.

Tertiò denique hæc sententia falsò supponit, per primam resurrectionem, sanctum Joannem intelligere corpora è tumulis suscitata, cùm tamen ibi loquatur solùm de mystica & allegorica animarum resurrectione, ut apertè liquet ex his verbis, *Vidi,* inquit, *animas decollatorum propter testimonium Iesu, &* E *eorum qui non adoraverunt bestiam & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis.* Vixerunt inquam & regnaverunt, supple *animæ decollatorum;* Ideoque sanctus Joannes ibi non loquitur de corporea, sed spirituali resurrectione, quâ Sanctorum animæ hanc mortalem vitam exuentes, immortalem obtinent.

Longè itaque à genuina S. Joannis intelligentia exorbitat Millenariorum interpretatio. Totus igitur præsentis difficultatis cardo vertitur, ut appareat *Primò,* quæ sit illa Satanæ per mille annos religatio, quæque demum ei concessa in justos sæviendi libertas. *Secundò,* à quonam sit ordienda illorum mille annorum supputatio, in

quibus justi cum Christo regnaturi prænuntiantur, *Tertio* denique, quænam sit resurrectio prima & secunda: quibus ut fiat satis.

Vera & germana explicatio.

Respondeo, omissis variis factorum Interpretum sententiis, illam Satanæ religationem factam fuisse circa Christi Domini mortem, quò scilicet tempore exturbandi & ejiciendi erant Dæmones ex hoc orbe, & in Infernum detrudeodi, Christo dicente Joannis 12. *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps mundi ejicietur foras:* Unde Paulus ad Colossenses 2. Christum Dominum ad mortis supplicium properantem, veluti Dæmonum triumphatorem ostentat, his verbis, *Expolians principatus & potestates traduxit confidenter palàm triumphans illos in semetipso.* Hinc sanctus Ambrosius lib. 10. in Lucam, Christum Dominum, crucem veluti currum triumphalem ascendisse dixit, *Currum suum*, inquit, *triumphator ascendit, & non arborum truncis manubias de mortali hoste quæsitas; sed patibulo triumphali captiva de mundo spolia suspendit.* Nam à Christi Domini morte, evacuata est omnis Dæmonum in homines potestas. Unde sanctus Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 8. *Alligatio Diaboli non solum facta est ex quo cœpit Ecclesia in nationes dilatari; sed etiam etiam nunc fit & fiet usque ad terminum sæculi; quia unicuique fidelium iste fortis tunc alligatur, quando ab illo tanquam vas eripitur.* Cui quadrat illud Diaboli sancto Antonio datum responsum, referente S. Athanasio in vita ipsius sancti Antonii, *Cur mihi maledicunt homines? Sibi ipsis imputent si eadunt: Ego enim nil possum nisi ipsi sponte se mihi subdant.* Additque S. Antonius, *Hamo crucis ut draco aduncatus est à Domino, & capistro ligatus ut jumentum, & quasi mancipium fugitivum, vinctus circulò & armillâ labia perforatus, nullum omnino fidelium devorare permittitur. Nunc miserabilis ut passer ad ludendum irretitus à Christo, calcaneo Christianorum substratus gemit ille qui universa maria à se deleta plaudebat; Ille qui orbem terrarum manu sua teneri pollicebatur:ecce à nobis vincitur. Ecce me adversum se prohibere non potest disputantem.*

Religatio Satanæ facta fuit circa mortem Christi.

Quocirca appositè S. Augustinus diabolum similem facit cani religato, qui latrare potest, sed mordere non potest, nisi volentem & sese ei per consensum & voluntatem conjungentem.

Quamquam autem de unius dumtaxat Satanæ, hoc est, Dæmonum Principis religatione, ibi sermo fiat, nihilominus totus etiam Tartareæ regionis exercitus per crucem victus & illaqueatus est: ut nec Princeps ipse, nec exitiosa ipsius phalanx possint ullatenus contra Ecclesiam Catholicam prævalere; impediendo videlicet publicum Dei cultum & Religionis exercitium: Quid enim ad hanc rem proficeret solum Dæmoniorum Principem in custodia detineri, si cæteris nefariis Spiritibus ad homines vexandos liber aditus pateret, qui nimirum & suum Principem licet illaqueatum consulere, & ad ejus mandatum & consilium sævire possent? *Adde* quòd Satan dicatur ab Angelo religatus teneri; non videretur autem Angelus dennere posse Dæmonem alicui loco affixum, quin ipse pariter Angelus ab eodem loco non recedat: Nimia autem simplicitas esset persuadere sibi, Angelum per annos mille in inferno ita demoraturum, ut ibi victum Dæmonem retineat. Satiùs itaque dicendum est, per hanc Satanæ religationem, evacuatam intelligi Dæmonum omnium potestatem à Christi morte, & Ecclesiæ per orbem disseminatione usque ad ipsius Anti-Christi persecutionem; quò scilicet tempore *solvetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes*, inquit S. Ioannes versu 7.

Hæc tamen omnia ut faciliùs percipiantur, & textui quadrent evidentiùs, observandum est duplicem distingui posse Dæmonis alligationem: alteram quâ homines soluti sunt ab ejus potestate, dum scilicet per Christi mortem fuerunt redempti, uti Christus prænuntiaverat Marci 3. *Nemo potest vasa fortis ingressus in domum, diripere; nisi prius fortem alliget:* Alteram autem, ut Agni Uxor, nimirum Ecclesia Catholica, sui facti matrimonii fœlicitate pacificè fruatur, nec per Dæmonis infestationes & sævitias vexetur. Hæc autem postrema Dæmonis religatio executioni non est mandata, donec Romana Ecclesia de Roma Ethnica triumphavit, idololatriâ inde prorsus exterminatâ, & Christi fide per orbem universum disseminata & propagata. Quamobrem asserendum est, quamvis Christus Dæmonem in morte sua constrinxerit ut ei prædam auferret, homines ab illis vinculis solvendo; nihilominus illum aliquo tempore veluti liberum ac solutum reliquit, ut per nefarios Imperatores in Christianos sæviret, nimirum usque ad Constantini conversionem, qui publicum induxit Christianismi exercitium, extincto Idolorum cultu, & omni persecutione amandata.

Quæ religatio duplex distingui potest.

Quantùm autem ad mille annos, quibus religandus est Dæmon, ne Ecclesiæ Christi Domini sponsæ pacificas delicias suis infestationibus divexet, & quibus pariter justi cum Christo regnaturi sunt, arbitror significari totum illud tempus, quod effluxit à profligata ex orbe Romano idololatria, sedatisque persecutionum fluctibus, ad Anti-Christi suborientem in fideles sævitiam, quâ omnis Ecclesiæ pax omnisque tranquillitas funditùs penè ruet. Cui conjecturæ adstipulari videtur S. August. lib. 20. de Civitate cap. 7. *Mille autem anni*, inquit, *duobus modis possunt, quantum mihi occurrit, intelligi; Aut quia in ultimis annis mille res ista agitur, idest sexto annorum milliario tanquam sexto die, cujus nunc spatia posteriora volvuntur, secuturo deinde Sabbato quod non habet vesperam, requie scilicet Sanctorum quæ non habet finem: ut hujus milliarii tanquam diei novissimam partem, quæ remanebit usque ad terminum sæculi* MILLE *appellaverit, eo loquendi modo quò pars significatur à toto: Aut certè mille annos pro annis omnibus hujus sæculi posuit, ut perfecto numerò notaretur ipsa temporis plenitudo; Millenarius enim numerus denarii numeri quadratum solidum reddit. Decem quippe decies ducta, fiunt centum: quæ jam non figura quadrata, sed plena est. Vt autem in altitudinem surgat & solida fiat, rursus centum decies multiplicantur & mille fiunt.*

Per mille annos significatur totum tempus à morte Christi ad Anti-Christum.

Cui sententiæ favet D. August.

Quibus S. Augustinus nedum indicat per mille annos à sancto Joanne expressos, designari universam temporis intercapedinem à Christi morte ad extremam universalis Judicii diem: sed ultrò etiam illi favet sententiæ, quâ plerique graviores Authores putant illam temporis intercapedinē à Christi passione ad mundi finem duobus annorum millibus contineri.

Nec-non & opinioni de mundi per sex annorum millia duratione.

Quæ

Cujus opinionis conjecturæ & fundamenta proponuntur.

Quæ sane sententia conjecturis & rationibus A pluribus firmari potest. Primò namque tot annorum millibus durare debet mundus, quot diebus creatus est; sed diebus sex est conditus: Ergo sex annorum millibus est duraturus; adeoque cum quatuor iam millia, ante Christum passum, effluxerint; consequens est ut duo tantùm supersint millia ab ejus passione ad mundi finem. Majorem probant, ex eo quòd dies septima, putà Sabbatum, quô Deus quievit ab omni opere quod patrârat, significet diem beatæ quietis Sanctorum in æterno Sabbatismo post generalem resurrectionem, putà septimum millenarium æternitatis: Ergo pari proportione, sex dies præcedentes Sabbatum, B designant sex millia annorum quibus mundi duratio & motus ac labor præcedere debet illud æternæ beatitudinis Sabbatum; quia Psal. 89. *Mille anni ante oculos* Dei *sicut dies hesterna*. Quæ verba sic expendit S. Hieronymus: *Ego puto ex hoc loco, mille annos pro una die solitos appellari; ut scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus, sex millibus tantùm annorum credatur subsistere, & postea venire septenarium & octonarium numerum, in quo verus exerceatur Sabbatismus.*

Mens D. Hieronymi.

Secunda conjectura deducitur ex eo quòd ipse sanctus Ioannes hoc in cap. sexies nominat mille annos, quasi innuens sex annorum millibus mundum duraturum. Nam versu 2. ait; *Ligavit eum per mille annos:* Versu 3. *Donec consummentur mille anni:* Versu 4. *Regnaverunt cum Christo mille annis:* Versu 5. *Donec consummentur mille anni:* Versu 6. *Regnabunt cum illo mille annis:* Versu 7. *Cum consummati fuerint mille anni.* Ut quid enim sexies repetit & inculcat *mille annos*, nisi ut innueret post sex millia annorum fore consummationem mundi rerumque omnium.

3. Tres in mundo fuerunt successivè leges & status, nimirum Lex Naturæ, Lex Moïsis, Lex Christi: sed tempus Legis Naturæ, quod fuit ab Adam usque ad Abraham, qui circuncisionem Legis Mosaicæ tesseram accepit, & instituit, duravit penè per bis mille annos: Rursum tempus Legis Mo- D saïcæ duravit pariter bis mille annis, totenim præcisè sunt ab Abraham usque ad Nativitatem Christi: Ergo pariter tertia Lex & Status mundi, putà Lex Gratiæ & Christi, durabit etiam bis mille annis, ut nimirum impleantur mundi status sex annorum millia.

Nec-non D. Gaudentii Brixiani.

Idem disertè asserit S. Gaudentius Brixianus tractatu 10. *Expectamus*, inquit, *illum verè sanctum septimi millesimi anni diem, qui adveniet post istos sex dies, sex millium videlicet annorum sæculi, quibus completis, requies erit vera sanctitati & fideliter credentibus in resurrectione Christi. Nam nulla erit ibi pugna contra Diabo-* E *lum, qui tunc utique detinebitur suppliciis religatus.* Ita pariter plures è sanctis Patribus docent, quos in longum refert & citat Cornelius laudatus: quibus adstipulantur Thalmudistæ lib. 4. tractatu 4. qui inscribitur *Sanedrim*, idest judicium. *Sex millibus annorum erit mundus*, inquiunt, *& iterum destruetur. Duo millia fuerunt inanitatis, hoc est Legis Naturæ: duo millia Legis Mosaïcæ: duo millia erunt dierum Messiæ.* Itaque per mille annos quibus religandus est Dæmon, quibus pariter regnare debent cum Christo, & vivere beata immortali-

Theologia P. Claudii Frassen. Tom. I.

que vita animæ tàm Martyrum decollatorum pro nomine Christi, quàm Confessorum & justorum qui tempore persecutionis Antichristi non accipient caracterem bestiæ, nec adorabunt imaginem ejus, ritè significatur illud omne tempus à Christi morte ad extremum judicium.

Mors prima Mysticè.

Quantùm autem ad *mortem Primam* & *Secundam* justorum, dico illam usurpari posse dupliciter. *Primò* quidem mysticè, sicut eam explicavit Alcazar, dicens animas Martyrum decollatorum resurgere resurrectione *prima*, non in suis corporibus, sed in infidelibus, qui eorum exemplo & martyrio ad Christi fidem conversi sunt, aut in ea confirmati. Ita quòd, inquit, idem illis accidat quod grano frumenti, cujus ea est mira vis & facultas, ut cùm mortuum sit & humatum, postea tamen gloriosè resurgat, & pro grano uno demortuo, centum orientur, in quorum singulis primum illud granum, quod mortuum fuerat, dicatur reviviscere, juxta illud Christi Domini oraculum Joannis 20. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quibus verbis resurrectionem adumbrari affirmat sanctus Paulus primæ ad Corinthios 15.

Inde itaque simili modo factum est ut *sanguis Martyrum semen fuerit Christianorum*, inquit C Tertullianus, sicque spiritus, religio, & sanctitas Martyrum resurgit in eorum fide qui ad Christum convertuntur, ac consequenter in Romanæ Ecclesiæ gloriam & splendorem; donec videlicet illi beati Martyres secundam in suis corporibus honorificatis resurrectionem obtineant.

Vel litteraliter exponi potest.

Pari modò explicari id quod subjicit S. Joannes, *Cæteri mortuorum non vixerunt*, idest reprobi iam mortui, non fuerunt in orbe celebres & illustres, sed memoria eorum periit cum sonitu.

Vel ad sensum litteralem accommodatiùs, dico sanctum Joannem opponere Pios Impiis, & Electos Reprobis, in eo nimirum quòd Pii & Electi vivant in resurrectione prima, idest quò ad animam sint beati, regnentque cum Christo, donec mille anni consumentur, hoc est ad mundi finem, ut tunc transeant ad resurrectionem secundam, sintque beati & gloriosi in anima & corpore: Impii vero & Reprobi, dum moriuntur, transeant in mortem primam, idest, ruant in pœnam inferni; ut consummatis mille annis in die judicii resurgentes, transeant in mortem secundam, idest, punitionem animæ & corporis. Ex quibus liquet sanctum Joannem nullatenus Millenariorum sententiæ favere.

Urgebis. Sanctus Joannes disertè asserit cap. 6. Apocalypseos, animas Martyrum non esse beata Dei visione dop[illegible]das antequam compleatur Martyrum n[illegible]s qui ab Antichristo debent occid[illegible] censet Justorum animas non videre D[illegible] ante diem Judicii. Probatur *antecedens* ex versu 9. ubi Joannes refert quòd cùm Agnus aperuisset quartum sigillum, *Vidi*, inquit, *subtus altare animas Interfectorum propter verbum Dei & propter testimonium quod habebant. Et clamabant voce magna dicentes: Usquequo Domine sanctus & verus, non judicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? Et data sunt illis singulis singulæ stolla alba, & dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec com-*

pleantur Conservi eorum & Fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi. Scilicet ab Anti-Christo, cujus sævitiæ tempus erit modicum, quô complebitur Martyrum & Electorum numerus, qui cum Christo in æternum regnaturi sunt: Ergo exinde patet illorum Martyrum qui jam occisi sunt, animas nondum beatitudine donari.

Nego antecedens. Constat enim ex ipsomet sancto Joanne capite sequenti, versu 9. Martyrum animas esse ante thronum Dei, & servire ei die ac nocte; adeoque constat pariter illas Dei conspectu & visione frui. *Deinde*, illæmet Martyrum animæ, quarum vota implenda differuntur, nihilominus donantur stolis albis, quæ sunt beatæ Dei visionis ac fruitionis symbola, juxta Christi repromissionem 3. Apocalypseos versu 5. *Qui vicerit sic, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Patet ergo animas donatas stolis albis visione Dei potiri; hæc enim beatitudo vincenti promissa est sub nomine stolæ, seu vestis albæ.

Respondeo 1. sensum præfati textus, non eum esse quem Millenarii usurpant: sanctus enim Joannes ibi loquitur symbolicè & per synecdochen, quâ pars ponitur pro toto; nimirum anima pro homine, putà pro Martyre: Eô simili modô, quô Genesis 46. dicuntur 70. animæ, idest homines, egressæ de fœmore Jacob. Clamant ergo Martyrum animæ, vel per se vel per sua corpora: Clamant, inquam, per sua corpora sub altari, quia nimirum solebant martyres sub altari sepeliri. Primò, ut locô tam sacrô ipsi honorarentur, ut indicat sanctus Ambrosius Epist. 54. in qua Marcellinam Sororem suam admonet, se reliquias sancti Gervasii & Protasii recondidisse sub altari; *Succedant*, inquit, *victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est: sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altare qui illius redempti sunt Passione. Hunc ego locum prædestinaveram mihi: dignum est enim ut ibi requiescat Sacerdos ubi offerre consuevit: sed cedo sacris victimis dexteram portionem: locus iste Martyribus debebatur.* Secundò, quia, inquir sanctus Augustinus sermone 11. *Convenienter & quasi pro quodam consortio, ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur. Non immeritò, inquam, consortio quodam illis occisis tumulus constituitur, ubi occisionis Dominicæ membra ponuntur; ut quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unus & loci Religio copularet.* Tertiò; tandem, Martyrum reliquiæ sub altare conduntur, ut Martyrum preces fidelium precibus jungantur. Quocirca Sacerdos accessurus ad altare orat, dicit[redacted] *Oramus te Domine per merita Sanctorum t*[redacted]*orum reliquiæ hic sunt;* Et in altaris conse[redacted]e dicit Pontifex, *Qui ad Altare Dei sedes acce*[redacted]*stis, intercedite pro nobis.* Quibus constat animas per Interfectorum sub altare clamantes, hìc usurpari pro Martyrum corporibus & sacris reliquiis sub altare conditis & exorantibus vindictam in eorum trucidatores suamque requiem & beatitudinem expostulantibus, perinde ac sanguis Abel vindictam clamabat, Genesis 4.

Quare Martyrum sacræ Reliquiæ sub Altare recondantur.

Vel si dixeris sanctum Joannem intelligendum esse de animabus ipsis: Reponam per altare, sub quô clamant animæ, hic intelligi

A secretum & penetrale cœleste: Putà locum fœlicitatis & gloriæ Martyrum in Cœlo, in quô post mortem translatæ animæ Martyrum quasi requiescent, juge thymiama laudis Deo exhalantes. Itaquod qoemadmodum in Templo Salomonis duplex erat altare; scilicet altare *Holocaustorum*, quod erat in atrio; & altare *Thymiamatis*, quod erat in Sanctuario: ita pariter duo sunt veluti altaria sub quibus Martyrum animæ clamant; nimirum altaria holocaustorum, in quibus eorum corpora quasi victimæ occisæ jacent; & altare thymiamaris, idest, beatæ sedes in qoibus ipsæmet animæ gratum Deo laudis & orationis odorem exhalant.

B Quod patet clariùs *Apocal. cap. 8. versu 3.* ubi Angelus animarum thymiama, idest orationes & laudes, offert Deo in altare thymiamatis. Itaque nihil aliud præfatis verbis indicare vult sanctus Joannes, quàm quod Martyrum animæ suorum corporum glorificationem exorent. Quibus tamen respondetur, ut sustineant modicum tempus, nimirum ad extremam judicii diem, quâ implebitur Martyrum numerus & simol æterna beatitudine quantum ad corpora etiam donabuntur.

Vrgent. Beatitudo est finis omnium desideriorum nostrorum; quique illa fruitur, nihil habet ultra quod desideret, cùm ipsa sit status

C omnium bonorum aggregatione perfectus: sed ex concessis, animæ Justorum adhuc exoptant & exorant suorum corporum suscitationem, & vindictam in hostes: adeoque nondum beatitudine potiuntur.

Respondeo, Beatitudinem usurpari bifariam, *Primo* quidem, generaliter & integrè pro aggregatione undequaque completa omnium bonorum. *Secundò*, essentialiter pro nobilissima operatione præstantioris partis creaturæ rationalis, qoalis est visio beatifica. Priori modo, nihil restar equidem Beato desiderandum: Posteriori verò, potest adhuc exoptare bonum aliquod sibi compossibile. Prior beatitudo so-

D lùm concedetur post finale Judicium, quando nimirum corpus unà cum anima beatitudine donabitor. Posterior verò de facto beatis Animabus conceditur, qoæ licet nihil habeant ultro quod sibi desiderent; habent tamen quod corporibus suis exoptent, nimirum resurrectionem.

Instant. Matth. 20. Pater-familias œconomo præcepit ut redderet operariis suis mercedem *cum serò esset factum*: sed per particulam *serò*, intelligitur judicium finale & ultimus dies: Ergo exinde liquet mercedem non esse conferendam Beatis nisi post finale Judicium.

Respondeo primò, hanc particulam *serò*,

E in illa parabola operantium in vinea, nihil præcisè significare; sed solùm apponi ad ornatum & elegantiam narrationis; plura nam-que hac in parabola verba scribuntur, quæ ad designatum in ea scopum non collineant, ut diximus in præcedenti Quæstione, ideoque nulla vis in illa particula est facienda.

Respondeo secundò: Quod si qnid inferri possit ex hac particula, solùm colligi posse, conferendam esse mercedem justorum eorporibus post eorum resurrectionem, quæ non fiet ante finale Judicium, adeoque ipsis repromissa merces non nisi *serò* conferetur. Secus autem

est de animabus, quæ si nihil luendum habeant, statim ac è suis eotporibus solvuntur, beata Dei visione donantur.

Vrgent, ex eadem parabola ptomittitur & datur denarius illi solùm qui in vioea Domioi laborav it: atqui non anima sola, nee solùm corpus, sed rotos. homo in vioea Christi laboravir: Etgo solùm totus bomo est beata mercede donandus; adeoque anima noo potest sola beatificari. *Confirmant*, illi dehetur præmium per se, cui competir per se mereri tale præmium; aliàs oon esset coodigna & justa retriburio: sed anima per se noo meretur, alioquio anima separata posser mereri; nec etiam corpus mereri potest sine anima: Etgo solùm totus bomo, quatenus anima simul & corporo eonstar, præmium meretur, adeoque solùm totus homo præmio donati potest.

Distingno majorem. Qui laboravir vel denominativè seu appellativè; vel effectivè, hoc est ut ptincipium motûs & labotis, eoocedo: Qui laboravit solùm denominativè & appellativè, nego. Ad *Minorem*: Solùm rotus homo laboravir appellativè & deoominativè; quia scilicet totus homo dieitur laborans & operans, *concedo Minorem*: Labotavit effectivè seu ptincipiativè solùm, *nego Minorem*. Totus homo quidem suscipit denominationem labotaotis; anima tamen & corpus præcisè sunt principia effectiva laboris & meriti; Anima quidem est principiuni *quod*, Corpus veró est principium *quo*: Ideoque cùm anima à corpore soluta, sit capax præmii & mercedis, illaque fuerit causa ptinceps laboris & meriti; etiam mercede & præmio statim post suam à eorpore solutionem donari debet. Itaque rotus homo denominabitur quidem beatus solùm post resurrectionem; ipsius autem anima antea dici potest & effici beata, quia nimirum immortalis est & beatitudinis capax, etiam sejuncta à corpore.

Adde qoòd tetorqueri possit etiam argumentum in Millenarios qui fatebantut reptobotum animas statim post mortem æternis cruciatibus addici: Illi pœna æterna est tribuenda, qui fuit author sceleris & peccati: atqui non corpus solùm, nec anima sola, sed rorus homo fuit criminum & demeriti authot, adeoque noo aoima, sed totus homo cruciandus est: at reptobus non erit totus homo ante resurrectionem: Ergo si vera sit Milleoariorum consequentia de bearis non antè præmiandis quàm animæ unitæ fuerior suis eotporibus in resurrectione; vera pariter erit de reptoborum animabus non ante tesurrectionem cruciandis. Quod tamen ipsi falsum putant.

Objiciunt denique & in patrocinium suæ sententiæ plores è sanctis Patribus advocant. *Primò* quidem S. Irenæum lib. 5. adversus hæteses cap. 5. ubi affirmat justotum animas statim post mortem in Paradisum Terrestrem depottari in quô primus homo fuerat conditus: *Qnapropter*, inquit, *dicnnt Presbyteri qni sunt Apostolorum discipuli, eos, qui translati sunt, illuc translatot esse. Iustis enim hominibus, & spiritum habentibus preparatus est Paradisus; in quem & Panlus Apostolus asportatus audivit sermones inenarrabiles quantùm ad nos in præsenti; & ibi manere eos, qni translati snnt, nsqne ad consummationem, expectantes incorruptelam.* Item S. Chrysostomus hom. 39. in primam ad Corinthios, ait, *Animas sine carne admirandis illis bonis beatitudinis non esse frnituras.* Item Theophylactus disertè asserit, Sanctorum animas in Paradisum Terrestrem recipi in quem patitet exceptus est Latro ad Christum conversus. *Vt enim*, inquit, *qui condemnati sunt, in Palatio minimè versantur; sed in custodiis clausi detinentur ad pœnas constitutas, honorati verò & in Palatium ingrediuntur, & in eo interim degunt; postea cùm tempus adest regiorum donorum distribuendorum, ea illis impertiuntur: Ita Sanctis etsi nondum id quod perfectum est capiunt, interim tamen in splendidis illis & suavè fragrantibus ac regiis, ut uno verbo dicam, Tabernaculis habentur; licet nondum perfectò regia dona perceperint: sic igitur & Latro ille in Paradiso fuit, & nondum perfectionem assecutus est, ut ne sine nobis consummetur.* Item denique S. Bernatdus sermone 3. de Sanctis, ubi dicit tres esse status: Primum in eorpote tanquam in Tabetnaculo, Secundum, extra corpus taoquam in atriis domus Dei; Tertium deoique in domo Dei resumpto corpore; in quam, inquit, Dei domum animæ Sanctorum nec sine nobis, nec sine caroe intrabunt. Missos facio alios sanctos Pattes idem sentientes.

Respondeo. Equidem plures è sanctis Patribus in eam ivisse sententiam eô quòd tes noodum ab Ecclesia agitata fuerat & determinata, uti modo est; quapropter cuique liberum erat ptout volebat sentire: oihilominus constans veritas est longè multò plutes asseruisse justorum animas statim post suam è corpore solutionem in Cœlum recipi & beata Dei visione donari.

Queret 2. Qnid sentiendum sit de Ioanne XXII. Pontifice, an nimirum revera patrocinatus fuerit sententiæ Millenariorum, & aliquid in ejus favorem anthoritate Apostolica definierit?

Joannes XXII. Millenariis non adhæsit.

RESpondeo quod non. Et PROBATUR PRIMÒ. Si quæ sint momenta, quibus conjicere & suadere liceat ipsum fuisse patrocinatum præfatæ sententiæ; maximè *vel quia* libellum edidit Scripturæ sacræ & sanctotum Patrum authoritanbus refertum, quibus probare videbatur animas intuitiva Dei visione noo esse donandas ante Iudicium: *Vel quia* suis io eoncionibus & concertatioulbus plura in hujus sententiæ assertiooem protulit: *Vel denique quia* Philippum Gallotum Regem objurgavit, qoòd fidei ardore succensus, prohiboerat etiam sub mortis interminatione, ne talis sententia ab ullo è suis subditis doceretut & assereretur: sed ex nullo horum capitum colligi potest Joannem huic sententiæ fuisse patrocinatum, aut qoidquam in ejus defensionem Apustolica authoritate definivisse. Ergo, &c.

Ut constat 1. ex ejus Epist. ad Philippum Regem.

Minor in qua tota jacet difficultas, probatur ptimò quidem ex *Epistola ad Philippum Regem* subdata *Avenione* 14. *Kalendas Decembris, Pontificatus anno* 18. in quâ cootestatur se nihil unquam è suo dixisse aut sctipsisse quod ipsi seotentiæ faveret: sed tantùm eas saetæ Scripturæ & sanctorum Patrum authoritates collegisse quæ ipsi pattocinari videbantur; non quòd eam senteotiam ex animo defenderet; sed ut qoæstione utrimque libtata, clariùs & evidentiùs veritas appareret: Unde io præfata

Epistola, his verbis Regem Christianissimum alloquitur. *Quia, amantissime Fili, scimus, quòd in his vel aliis, ut elucidetur veritas, intendis, rogamus benevolentiam Regiam, ut per fidelem, seu fideles nuntios Magistris in Theologia & Baccalaureis Parisiis legentibus & degentibus facias nuntiari, quod talibus minis illatis non obstantibus quilibet dicere & disputare & prædicare valeat, quod sibi juxta doctrinam Evangelicam & Apostolicam disputandum videbitur & etiam prædicandum, donec aliud ordinatum per Sedem fuerit Apostolicam, vel etiam declaratum: sic enim ad veritatem quæstionis prædictæ poterit promptiùs perveniri.*

2. Ex ejus libello hac de re edito. Id ipsum patet ex Epistola ab eo scripta ad Petrum *Rogerium de Malo-Monte* Archiepiscopum Rothomagensem, quâ mandat & præcipit, ut libellum à se compositum, in quo nihil è suo, sed dicta tantummodo Scripturæ sacræ, & sanctorum Patrum quæ neganti sententiæ favere videbantur, collegerat, Gallico Idiomate verti curaret, & legendum traderet *Joannæ Franciæ Reginæ*, nec-non & *Philippo Regi*, quô constaret ipsum nihil authoritate Apostolica definiisse, nec ex propria sententia hæc scripsisse. Quod iterum præstitit 2. Idus Maii anni 1332. quô præfatum suum scriptum ad Fratrem *Gualterum de Divione Minoritam* prædictæ Reginæ Confessarium direxit, quatenus illud legeret, explicaret, & præfatæ Reginæ suggereret illas sanctorum Patrum authoritates, quas pro negante sententia congesserat.

3. Ex repurgata calumnia occasione Gerardi Othonis. *Confirmatur* insuper ex Epistola ejusdem Joannis ad præfatum *Philippum Regem* ut injustam sibi calumniam propulsaret: cujus quidem occasionem præbuerat *Gerardus Otho* nostri Ordinis Minister Generalis: Is nempe cùm à Pontifice delegatus fuisset Nuntius Apostolicus unà cum Fratre *Arnaldo de sancto Michaële* Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiario Apostolico, ad pacificandos *Eduardum Angliæ* & *Davidem Scotiæ Reges*, qui hostiliter se invicem appetebant, cùmque hi Legati Lutetiam Parisiorum pervenissent, Procurator Regis Scotiæ eis significavit incassum ultrò progressuros, propterea quòd Rex Scotiæ extra Regnum aliò perrexerat, nec alicui vices suas aut potestatem commiserat de pace cum Anglo ineunda: quocirca hæc insinuarunt Pontifici, à quo responsum accipiunt, ut ad se revertantur si velint: *Gerardo* verò potestatem facit, ut in Angliam vel in alias quasque partes ad sui Ordinis regimen aut negotia possit abire.

Accidit autem, quòd cùm Parisiis moram faceret ille *Gerardus*, ex suggesto nonnulla protulit in favorem illius sententiæ quæ nomine Joannis Pontificis vulgabatur. Inde percrebuit rumor eum idcirco à Joanne Pontifice Parisios missum ut illam sententiam disseminaret. Quô factum est, ut ab omnibus & Prælatis & Theologiæ Magistris adversus eum & Pontificem, quasi in hæresis assertorem conclamaretur: & tandem delatâ ad Philippum Regem hac de re querimoniâ, ab eo prohibitum est edicto publico, nequis eam sententiam disseminaret, & tueretur. Deinde Rex *Philippus* simul cum *Roberto Rege Siculo* monuit humaniter Pontificem, ut deinceps missam faceret prædictam opinionem, à doctis quibusque reprobatam: insinuavitque à pluribus submurmuratum, quòd Gerardum ad hanc spargendam tuendamque opinionem Parisios misisset, quam calumniam ut abstergeret Pontifex, Regiis Litteris quoad hanc partem ita respondet. *Adhuc in iisdem Litteris Regiis vidimus contineri, quòd à pluribus dicebatur, quòd nos miseramus dilectum filium Gerardum Othonis Generalem Ministrum Fratrum Minorum Parisios ad docendum & prædicandum quòd animæ separatæ à corpore, & à peccatis purgatæ divinam Essentiam usque post resurrectionem corporum non videbunt. Ad quod dicimus & asserimus coram Deo, quod nunquam hoc cor nostrum intravit nec exivit ab ore.*

Sed hæc veritas maximè constat & firmatur ex Benedicto XI. Ioannis Successore, qui ut sui prædecessoris labefactatam famam repurgaret & restitueret, hoc publicum Diploma edidit: quod quia efficacissimum est præsentis veritatis stabiliendæ argumentum, illud placuit ex integro scribere, *Benedict. &c. Ad perpetuam rei memoriam. Sicut habet humanæ naturæ corruptio quod dictum unius facilè sequitur multitudo, quodque minores dicta Majorum in deteriorem partem frequenter interpretari nitantur; sic habet rectæ rationis ordo, cui testimonium sanctorum Patrum assistit, quod facilitati & interpretationi hujusmodi semper veritas prævalet rei gestæ. Sanè cùm jam dudum per nonnullos revocatur in dubium, an animæ à corporibus separatæ ac à peccatis & pœnis peccatorum purgatæ ante resumptionem corporum videant divinam Essentiam, illa videlicet visione quam vocat Apostolus* FACIALEM; *& super hoc tam in sermonibus quàm in aliis collationibus & collocutionibus per fœlicis recordationis Ioannem Papam XXII. Prædecessorem nostrum, & plures alios in ejus præsentia multa dicta, recitata, scripta & prædicata fuissent; volens idem Prædecessor verbis & linguis malignantium obviare, anno à Nativitate Domini 1334. indictione secunda, die tertia mensis Ianuarii, S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, multisque Prælatis & in sacra Theologia Magistris, aliisque personis & Tabellionibus publicis in Consistorio Apostolico coram eo personaliter constitutis, dixit, asseruit, & protestatus extitit sub hac forma.* 4. Ex Benedicti Diplomate publico.

Ne quis sinistrè interpretari possit nos sensisse aliquid aut sentire quod sacræ Scripturæ obviet aut Fidei Orthodoxæ, dicimus & protestamur expressè, &c. Quod quidquid in quæstione seu materia visionis animarum, videlicet an animæ à peccatis & pœnis peccatorum purgatæ videant divinam Essentiam, illa visione quam Apostolus vocat facialem, seu quæcumque alia de ista materia in sermonibus & collationibus nostris diximus, allegavimus, seu proposuimus; non intendentes aliquid determinare vel decidere, seu credere quod esset quovis modo Scripturæ sacræ obvium, vel contrarium Fidei Orthodoxæ, sed illud solùm tenere & credere, quod & Scripturæ sacræ potest & poterat, & Catholicæ Fidei convenire: Et si forsan in prædictis sermonibus, vel collationibus aliqua diximus, quæ vel Scripturæ sacræ seu Fidei Orthodoxæ quovis modo essent, vel viderentur obvia, ipsa præter intentionem à nobis fuisse prolata dicimus & asserimus, eaque 5. Ex ipsius Ioannis fidei professione & protestatione.

revocamus expressè, non intendentes illis adhærere, nec ea in præsenti defendere, nec etiam in futuro.

Exponit deinde Benedictus qualiter præfatus Ioannes ultimam infirmitatem agens mortique proximus, coram pluribus Cardinalibus & nonnullis Prælatis & Tabellionibus publicis præsentibus, & ad id specialiter evocatis, quandam Litteram sub ejus nomine legi fecit, ac se credidisse, & credere declaravit; & confessionem, revocationem, & submissionem fecit, dequibus in ipsa Littera agebatur sub his verbis.

6. Quia & moribundus se nusquã ex animo illa dixisse & scripsisse affirmat.

Ne superius, quæ de animabus purgatis separatis à corporibus an ante resumptionem corporum divinam Essentiam, illa visione videlicet quam vocat Apostolus FACIALEM *videant; tam per nos quàm per non nullos alios in præsentia nostra recitando & allegando sacram Scripturam ac originalia & dicta Sanctorum, vel alias ratiocinando sæpius dicta sunt, aliter quàm per nos dicta & intellecta fuerant, & intelligantur ac dicantur, auribus fidelium valeant inculcare; Ecce quod nostram intentionem, quam cum sancta Ecclesia Catholica, certa hæc habemus & habuimus, serie præsentium ut sequitur, declaramus. Fatemur siquidem & credimus, quod animæ purgatæ separatæ à corporibus sunt in Cœlo, Cœlorum Regno, & Paradiso, & cum Christo in consortio Angelorum congregatæ, & vident Deum, ac divinam Essentiam facie ad faciem clarè, in quantum status & conditio compatitur animæ separatæ. Si verò alia vel aliter circa materiam hujusmodi per nos dicta, prædicata, seu scripta fuerunt, quoquomodo illa diximus, prædicavimus, seu scripsimus recitando dicta sacræ Scripturæ & Sanctorum, &* CONFERENDO *& non* DETERMINANDO, *nec etiam tenendo, & sic & non aliter, illa volumus esse dicta, prædicata seu scripta, &c.*

Editam fuisse à Joanne hanc de visione beatifica animarum Fidei professionem, etiam consentiunt ipsius Adversarii, ut videre est apud Renaldum tom. 15. ad annum Christi 1334. num. 38.

Quòd autem Joannes non ex animo, sed solùm inquirendæ & manifestandæ veritatis causâ scripserit & plura dixerit in favorem negantis partis; ultrò confirmatur ex eodem Benedicto XI. qui in libello quem de beata visione contra Joannis sententiam edidit, hæc inter alia habet. *Quamvis autem supradictus Prædecessor meus pro illa parte supradictarum quæstionum, quam non teneo nec tenui, solùm induxerit rationes & authoritates in sermonibus & in scriptis, & non pro parte quam teneo: Tamen frequenter tam in Sermonibus quàm in Consistorio dixit publicè coram magna multitudine populi,* QUOD ILLA QUÆ DICEBAT CIRCA ISTA, NON DICEBAT NISI CONFERENDO: *Et quia pro parte illa ad quæ inducebat rationes, & authoritates, in Sermonibus parum aut nihil per alios inductum fuerat; ideo ut veritas clariùs appareret ex tali collatione pro illa parte quæ indefensa usque tunc videbatur, dictas probationes inducebat. Quod declaravit circa finem vitæ suæ, & etiam super hoc mandavit fieri Litteras suâ bullâ bullatas, declarando quod ipse fideliter crediderat & credebat, quòd Sanctorum animæ à peccatis & pœnis peccatorum purgatæ ante generalem resurrectionem & judicium Dei essentiam facialiter videbant, secundùm quod ipsarum status patiebatur. Quod dico, ne quis existimet eum asseruisse & tenuisse contrarium illius quod nunc postquam fui, licet indignus, assumptus ad Apostolatum, per me exstitit de Concilio Cardinalium determinatum.*

Objiciunt hæretici Petrum Alliacensem tunc Navarrici Collegii Magistrum, demum Cameracensem Episcopum, deinde Cardinalem, qui scribens adversus *Ioannem Montesonum* Dominicanum, qui à sententia sacræ Facultatis Parisiensis in eum edita ad Summum Pontificem appellaverat; sic in tractatu nomine Facultatis adversus illum edito art. 1. concl. 6. ait, *Item prædicta facultas hoc licitè potuit contra Summum Pontificem, igitur à fortiori contra suum subditum & inferiorem* (illius nempe errores doctrinaliter reprobare.) *Assumptum patuit Ioannis XXII. tempore, quia sicut refert Magister* Nicolaus de Lyra *in tractatu suo de visione beatifica, fere quadraginta dictæ facultatis Magistri concorditer determinârunt contrarium illius, quod Papa publicè asserebat; & simile fecit dictus Magister, & similiter contra eum publicè scripsit Magister Guillelmus Okam, ut patet in ejus Dialogo: quæ omnia quoad hæc fuerunt reputata licitè facta, sicut apparuit tempore Benedicti Duodecimi illius Successoris.* Hæc ex manuscripto Collegii Navarrici codice.

Confirmant ex eo quod tunc Philippus Valesius Galliæ Rex, cùm Parisiensium Theologorum definitione munitum se sentiret, Joanni XXII. minaces scripsit Litteras in quibus habentur verba hæc, *Qu'il se revoquast, ou qu'il le feroit ardre*, id est, *Vt errorem suum revocaret, alioqui ipsum igne exurendum curaret*; ut Petrus Alliacensis jam Cameracensis Episcopus notavit in certa quadam oratione, quæ in Bibliotheca sancti Victoris asservatur manuscripta, & sic incipit: *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum.* Unde subdit: *Pontifex Regi paruit, errorem revocavit suum, & Ecclesiæ matri suæ ac Dominæ subjecit.*

Respondeo equidem *Aventinum, Plessæum-Mornæum*, & alios similes id asserere: sed quàm perperam quàmque mendaciter hoc ipsum commenti fuerint, apertè constat ex illa summa Philippi Christianissimi Principis in Ioannem XXII. observantia, nec-non & præclaro sacræ *Facultatis Parisiensis* de ipsius Ioannis innocentia testimonio, ut constat ex deliberatione ejusdem facultatis facta secunda die Ianuarii, anno Domini 1333. cujus tenor sequitur. 7. Ex sententia sacræ Facultatis Parisiensis.

« Serenissimo Principi ac Domino Domino Philippo Regi Francorum illustri sui devoti Capellani ejusdem miseratione. Petrus Patriarcha Hierosol. Petrus Archiepiscopus Rothomagensis Guil. Bernardi Cancellarius Parisiensis, Ioann. de Blangiaco Archidiaconus Vulcassini in Ecclesia Rothomagensi, Nicolaus de Lyra Ordinis Minorum, Ioannes de Menthono Ord. S. Benedicti, Matth. de Archis, Petrus de Palma Prior Provincialis Fr. Ord. Prædicatorum in Francia, Ioannes de Caricampo Ord. Cister, Petrus de Casa Prior Generalis Fr. Beatæ Mariæ de Carmelo. Simon de Meneriis, Guillelmus de Castro Reginaldi Ord. Prædicatorum, Germanus Celati, Galinus de Giaco Ord. Præd. Guillelmus de Brena Minor, Guillelmus Calcot Ord. Præd. Olivarius Saladini, Gerardus de Pergamo Ord.

Eremitarum S. Augustini, Petrus de Verberia Ordinis Vallis scholarium, Nicolaus de Alexandria Ord. Erem. S. Augustini, Petrus Herse Ordinis Carmelitarum, Nicolaus Boneti Ordin. Fr. Minorum, & Durandus de Aureliaco Ord. Prædic. sacræ Theologiæ Magistri, cum sui humillima recommendatione, per temporalis Regni regimen sic transire, ut perveniat ad perpetui Regni culmen.

Placuit Regiæ vestræ majestati nos Dominica 4. Adventus Domini in vestro Manerio in nemore de Vicennis ad sui præsentiam convocare, nosque requirere, quòd vellemus corporale juramentum præstare, quòd super petendis à nobis de statu animarum Sanctorum à corporibus exutarum, veritatem quàm sentiebamus, fideliter & absque palliationis cujuscumque velamine diceremus, assistentibus Regiæ vestræ Celsitudini excellentibus Principibus Dominis Philippo Dei gratia Rege Navarræ, Joanne primogenito vestro Normaniæ, Lodovico Borbonesii Ducibus, Carolo Germano vestro Duce Alenconi, Guidone Blesensium Comitibus, ac reverendis Patribus Guillelmo Occitano Archiepiscopo, Guillelmo Parisiensi, Andrea Attrebatensi, Guillelmo Convenarum, Petro Ruthenensi, Rogerio Lemovicensi, Bernardo Anniciensi, Joanne Nivernensi Episcopis, Guillelmo electo Ebroicensi; Petro Cluniacensi, Guidone sancti Dionisii, Petro sancti Germani de Pratis, Hugone Corbiensi Abbatibus, & aliorum tam Clericorum quàm Baronum & Militum, Consiliariorum vestrorum Religiosorum & Sæcularium multitudine copiosa.

Præfatô autem juramentô per nos præstitô, duæ nobis fuerunt propositæ quæstiones; Prima, *Utrum animæ Sanctorum in Cælo existentes videant divinam Essentiam facie ad faciem, ante resumptionem corporum, & ante Iudicium generale.* Secunda, *Utrum visio, quam de Essentia divina nunc habent, evacuabitur in die extremi Iudicii alia succedente.*

Et quia Princeps serenissime! Vos ut Dominum nostrum charissimum Fundatorem, & Guardatorem Parisiensis studii, & nostræ ibidem Theologiæ facultatis, Regemque præcellentem revereri tenemur, & vestris jussionibus obedire; attendentes specialiter id quod ab ore vestro ibidem audivimus, quod nihil in hac materia quærebatis, quod tangere posset sanctissimum Patrem, ac Dominum nostrum Joannem divina Dei providentia sacro sanctæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ summum Pontificem, cujus sumus devoti servi, & filii; quinimò sicut filius ejus devotissimus honorem suum in his, & aliis zelabatis. Advertentesque quòd multorum fide dignorum relatione audivimus, *Quòd quidquid in hac materia sua Sanctitas dixit, non asserendo seu opinando protulerit; sed solummodo recitando.* Considerantesque quod juxta Principis Apostolorum doctrinam de ea quæ in nobis est fide, & spe parati esse debemus omni poscenti nos reddere rationem, sigillatim quòd sentiebamus super petitis respondemus, & omnes in hanc sententiam convenimus: Quòd à tempore mortis Domini Nostri Jesu Christi, per quam pretium redemptionis humani generis extitit persolutum, omnes animæ sanctorum Patrum, quas idem Salvator noster ad Inferos descendens eduxit de Limbo, cæterorumque fidelium animæ, quæ de corporibus exierunt, nihil habentes purgabile, vel quæ iam in Purgatorio sunt purgatæ, ad visionem nudam, & claram, beatificam, intuitivam, & immediatam divinæ essentiæ, & benedictissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quam Apostolus 1. ad Corinth. 13. cap. nominat *visionem facie ad faciem*, fuerunt assumptæ, ipsaque Deitate perfectè fruuntur, & iam quòd crediderunt videntes, quòd speraverunt tenentes, non in spe, sed in re sunt beatæ: Quodque dicta visio quam nunc habent, resumptis corporibus minimè evacuabitur, alia succedente; sed ipsamet in eis cum sit earum vita, & natura, perpetuò remanebit.

Et quia Princeps inclite! postmodum in die sancti Joannis Evangelistæ nos fecistis Parisiis congregari, & ibidem fuimus vestro nomine requisiti, ut illud quod dicta die Dominica 4. Adventus in vestra præsentia dixeramus, redigeremus in scriptis, nostris ibidem sigillis appensis; licet supplicavissemus, quod de iis, quæ jam dixeramus dignaretur vestra Celsitudo regia contentari; vel quod sicut quis sigillatim responderet, ita in scriptis redigeretur sigillatim: Tamen nolentes vestris jussionibus contraire, præsentes litteras sub appositione sigillorum nostrorum in præmissorum testimonium Regali Excellentiæ ducimus concedendas. Et nos Guillelmus le Petit, Henricus de Somons Minister Provincialis Ordinis Fratrum Minorum in Francia, Ægidius de Pestico, Joannes de sancto Dionysio Ordinis sancti Benedicti, Guillelmus Herces Pœnitentiarius Parisiensis, & Robertus de Bardis in eadem facultate Theologici Doctores, qui in dicta Conventione facta in nemore Vicenarum præsentes non fuimus ex causis legitimis impediti, postmodum in aliis Congregationibus vestro nomine requisiti præmissis quæstionibus consimiliter, cum præfatis Patribus, & Magistris per omnia respondemus, & idem quod ipsi dixerunt in prædicta materia credimus, & sentimus; in cujus rei testimonium sigilla nostra, unà cum sigillis eorum præsentibus litteris duximus apponenda. Datum Parisiis apud S. Mathurinum in nostra Congregatione Generali Magistrorum in Theologia Regentium, & non Regentium secunda die Januarii anno Domini 1333.

Ex hoc instrumento publico, (cujus originale servatur in Archiviis sacræ facultatis Parisiensis ex quô hæc descripsi) satis superque apparet, quæ fuerit Religio tam Christianissimi Regis quàm sacræ Facultatis in summum Pontificem omnium fidelium Parentem; & qualiter præfatus Joannes XXII. non asserendo nec opinando; sed tantùm recitando scripserit sanctas animas, quibus nihil luendum superest, clara Dei visione ad diem Judicii esse privandas.

Patet etiam quàm perperam noster Nicolaus de Lyra, inter Joannis XXII. damnatores & impugnatores annumeretur; quippe cum prædictæ Facultatis Parisiensis sententiæ subscripserit, & unà cum cæteris Magistris asseruerit prædictum Joannem præfatam sententiam non assertivè, sed recitativè tantùm scripsisse.

Patet denique quàm parum certò Bzovius ad annum 1331. scripserit, Joannem Pontificem, in astruenda illa sententia, opinioni Fratrum Mi-

norum adhæsisse; quòd enim Franciscani priùs eam docuerint, tenuerint aut foverint: velquod in eorum in hac re sententiam Joannes inclinaverit, merum cōmentum est: quippe nullus gravis Historicus Minoritis hujus opinionis originem tribuit: imò plures Scriptores authorem primum hujus controversiæ Scribunt Joannem Pontificem: cui insuper rei argumento est, quòd nullus reperietur Franciscanus, qui in hujus opinionis favorem quidpiam scriptum reliquerit.

Quod verò Guillel. Astiensis Inquisitor Avenione in curia Pontificia, Thomam Valentem Anglum ex ordine Prædicatorum contrariam sententiam coram Pontifice prædicantem, in carcerem conjecerit; Non ideo fecit, quòd ipse cum Joanne senserit, sed quod Prædicator minùs religiosè, & magis audacter quàm oportuit, ipsum Pontificem non obscurè (Bzovio ipso hîc & alibi teste) perstrinxerit, divinam maledictionem imprecatus assertoribus illius sententiæ: præsertim cum eo tempore Joannes nihil tenaciter defenderit nec constanter asseruerit in hac quæstione. Itaque irreverentia Prædicatoris, non veritatis prædicatio in causa fuit cur carceri manciparetur.

Patet etiam quàm impudenter mentiatur Calvinus lib. 4. institutionum cap. 7. paragrapho 28. dum asseruit Joannem XXII. sensisse animas esse mortales usque ad extremum judicii diem, illumque ideo in Hæreticorum Catalogo fuisse repositum. Quô quid impudentius fingi potest? quidve magis à Joannis sententia alienum? Cumulat nihilominus hoc mendacium Calvinus dum Gersonium (quem imperitè Joanni coævum fingit, cùm nondum natus esset) testem appellat negatæ à Joanne animæ immortalitatis. Id enim Gerson nec cogitavit quidem; sed tantùm ex adepta per Latronem beatitudine statim post mortem, arguit falsam esse Joannis doctrinam, quam falsò ei tribuebat, animas videlicet Sanctorum non nisi post judicium Divinitatem intuituras. At de Gersonio pleniùs infra.

Patet denique quantùm hallucinentur inepti quidam Conjectores, qui volunt Joannem divinitùs è vita præreptum, ne in decernenda hac controversia aberraret. Quid enim miraculi mors in homine nonagenario habet, ubi maximè præceditur ab infirmitate quatriduana? Quidve periculi suberat, cùm à Spiritu sancto regendus esset in ferendo decreto fidei circa utrimque agitatam & libratam quæstionem?

Objiciunt 2. Adrianum VI. & Gersonium asserentes revera Joannem XXII. à sacra Facultate Parisiensi, nec-non à Philippo Rege damnatum: Ita namque Gersonius Regem Christianissimum in Sermone de Paschate alloquitur, *Propter quod insuper apparet falsitas doctrinæ Papæ Ioannis XXII. quæ damnata fuit cum sono buccinarum, vel tubarum coram Rege Philippo Avunculo tuo per Theologos Parisienses de visione beatifica: & credidit potius Theologis Parisiensibus quàm Curiæ*: Ergo revera Joannes XXII. à sacra Facultate Parisiensi damnatus est.

Nego consequentiam: Etenim Adrianus non loquitur assertivè, sed ex vulgari, quæ hæreticorum dolo disseminabatur, opinione: ait enim *Fertur de Ioanne XXII. &c.* Quantùm autem ad Gersonium, dico præfatam concionem non

A videri genuinum, sed spurium illius fœtum, ut plura eaque gravissima momenta fidem faciunt. *Primò* quia Gersonius non erat ignarus præfati decreti sacræ Facultatis Joannem XXII. justificantis. *Secundò* quia stylus præfatæ concionis tam demissus ac barbarus est, ut à nullo sapiente Gersonio adscribi possit. Unum autem aut alterum ex pluribus profero: Dum enim quasdam quæstiones Resurrectionē spectantes, vellet constringere, ait: *Curiositas scire desiderans volebat interrogare multas alias quæstiones.* Tum rursus versus finem, *Erat mihi intentio magis intrare materiam*, cæteræ autem Gersonii orationes, maximè quas habuit coram Regibus, sunt nobilioris ingenii & styli magis limati. B *Tertiò* quod Petrus Schotus affirmet nonnulla operibus Gersonii, fraude hostium Ecclesiæ, inserta fuisse; putà de *imaginibus* & *indulgentiis*, ut tanti viri famam maculare possent, & suis erroribus patrocinari; quidni pariter adscripta fuerit ipsi præfata concio, maximè cùm vix Gersonii genium redoleat?

Sectio Secunda.

De Principiis productivis visionis Beatificæ.

C Tria distingui possunt principia divinæ visionis productiva: Primum ex parte objecti, nimirum species impressa: Secundum ex parte auxilii, videlicet lumen gloriæ: Tertium exparte animæ & substantiæ rationalis, nempe potentia intellectiva, de quibus omnibus hac in Sectione agendum erit. I. Triplex Principium visionis Beatificæ.

Quæstio Prima.

An species impressa Dei sit possibilis, &c.

Tritum est apud Philosophos, omnem omnino cognitionem ob objecto & potentia D nasci; potentia namque ad illius formationem per se & immediatè concurrit; objectum autem vel per se, vel per vicariam sui speciem, maximè quando non est præsens & proportionatum potentiæ cognoscenti: Cùm enim *necesse sit*, inquit Philosophus 3. de anima cap. 3. *res ipsas aut earum formas in anima esse*: certumque pariter sit, res ipsas secundùm se non recipi in facultate cognoscente: quis enim dixerit lapidem cognitum esse substantialiter in intellectu? necessum est ut in eo sint per vicarias sui species impressas: An autem talis de Deo species dentur, maximè in visione beatifica ut evidentiùs resolvatur; II. Ab objecto & potentia pariter omnis notitia.

E *Notandum* 1. duplicem solitò distingui speciem objecti repræsentativam: Alia enim dicitur *Impressa*, alia vero *Expressa*. Prior est *virtualis similitudo alicujus objecti*, seu qualitas quædam intentionalis effectivè concurrens cùm intellectu ad producendam cognitionem, complendo nimirum ipsam potentiam, & illam determinando ex parte objecti ad hanc cognitionem producendam. Dicitur *similitudo*, quia repræsentat objectum, illudque potentiæ cognoscenti præsens exhibet: Dicitur *virtualis*, non enim repræsentat objectum formaliter, sed virtualiter, quia vice objecti concurrit ad cognitionem formandam. Cum enim III. Quid & quotuplex species.

cognitio omnis ex potentia & objecto naſcatur, potentia quidem per ſeipſam ſemper concurrit ad formandam cognitionem, objectum verò interdum per vicariam ſui ſpeciem, ut jam dictum eſt. Dicitur *qualitas intentionalis*, quia ordinatur ad cognitionem & intellectum, cujus operatio, interdum intentio appellatur.

Poſterior ſpecies, nimirum expreſſa, eſt terminus internus cognitionis, qui in intellectu, dicitur *Verbum mentis*, in imaginatione *Phantaſma*, eſtque ipſa ab intellectu & objecto concurrente formata ut ipſius objecti imago & expreſſio.

IV. *Species impreſſæ munus triplex.*

Notandum 2. Triplex diſtingui munus ſpeciei impreſſæ: Primum eſt unire objectum potentiæ, & ipſam efficere intentionaliter ſimilem objecto. Secundum eſt determinare potentiam indifferentem ad varias cognitiones, ita ut cognoſcat potiùs unum objectum quàm aliud: Tertium eſt complere potentiam ex parte objecti. Cognitio namque duas habet formalitates, eſt enim actus vitalis, & repræſentatio formalis rei cognitæ: ad utrumque autem efficienter concurrit tam ſpecies quàm potentia; ſed potentia præcipuè videtur concurrere ad cognitionem ut actus vitalis eſt; objectum autem & ipſius vicaria ſpecies, maximè concurrunt ad cognitionem, quatenus eſt imago & ſimilitudo ipſius objecti: Ita quòd ſpecies ideo dicatur effectivè concurrere ad cognitionem, quia totum id præſtat, quod præſtaret objectum ipſum ſi per ſe immediatè ad formandam talem cognitionem concurreret.

V. *Triplex ſimilitudo in intellectu reſpectu objecti.*

Notandum 3. Triplicem diſtingui poſſe ſimilitudinem in potenti intellectiva reſpectu objecti. Prima eſt quædam virtus & efficacia talis intellectus ad eliciendam cognitionem circa tale objectum, exprimendo ſcilicet in ſeipſo illius objecti ſimilitudinem, & imaginem, quâ velut informetur & illuſtretur ipſemet intellectus: Unde tritum illud Philoſophicum, *Intellectus intelligendo fit omnia*: Secunda ex parte ipſius objecti, impreſſa tamen potentiæ & in ipſa recepta; eſtque ipſa ſpecies impreſſa vices agens objecti, illud exhibendo præſens potentiæ & cum ipſa concurrendo ad formandam expreſſam ipſius objecti imaginem: Tertia denique eſt ex parte medii, eſtque res illa, quæ cognita ducit ad cognitionem alterius: ſic imago alicujus cognita, in illius, quem repræſentat, cognitionem deducit.

His prænotatis, celebris eſt inter Theologos controverſia, an ſcilicet Deus per ſeipſum concurrat in ratione objecti, aut per aliquam vicariam ſui ſpeciem, ad cognitionem beatificam: quæ ut reſolvatur, tria hîc ſunt diſcutienda. Primò determinandum eſt an ſit poſſibilis ſpecies impreſſa Dei, quæ illius vice concurrat ad viſionem beatificam. Secundò an illa ſpecies de facto detur in Beatis. Tertiò, quomodo Deus per ſeipſum concurrere dicatur cum intellectu beatifico, ad ſui viſionem formandam.

Conclusio Prima.

VI. *Non repugnat ſpecies impreſſa divinæ Eſſentiæ.*

Species *impreſſa divinæ Eſſentiæ non eſt impoſſibilis*. Hæc eſt contra Thomiſtas. Probatur: Illud non debet cenſeri impoſſibile, quod non implicat contradictionem: ſed ſpeciem impreſſam divinæ Eſſentiæ exiſtere, non implicat contradictionem. *Probo*. Repugnaret & contradictionem involveret talis ſpeciei exiſtentia, maximè *vel* quia eſt Dei ſimilitudo virtualis, *vel* quia potentiam determinat, *vel* quia cum ipſa concurrit effectivè ad formandam viſionem divinæ Eſſentiæ; hæc enim tria ſunt munia ſpeciei impreſſæ, ut dictum eſt in ſecundo Notabili: ſed ex neutro capite repugnat illius exiſtentia. *Non quidem quia eſt Dei ſimilitudo*, quippe cum ipſi Thomiſtæ admittant ſpeciem expreſſam, concedantque intuitivam Dei viſionem eſſe ſimilitudinem expreſſam divinæ Eſſentiæ: Ergo non repugnat ſpecies impreſſa quatenus eſt divinæ Eſſentiæ ſimilitudo. *Non etiam quia eſt potentiæ determinativa*, nam aliquam qualitatem produci ad determinandam potentiam ex ſe indifferentem ut circa objectum aliquod feratur & operetur, nullam ut apparet, contradictionem involvit; quippe cum habitus & ſpecies naturales impreſſæ id continuò præſtent. *Non etiam ex tertio capite*, ſiquidem lumen gloriæ concurrit cum intellectu efficienter ad formandam viſionem beatificam: quidni ergo produci poſſet ſpecies impreſſa quæ cum eodem intellectu concurrat ad Deum videndum?

Idque probatur ex triplici capite.

VII. *Nullum eſt argumentū contra ſpeciem impreſſam quod non militet contra expreſſam.*

Confirmatur: Nullô argumentô probari poteſt impoſſibilitas ſpeciei impreſſæ, quô pariter non probetur ſpeciem expreſſam eſſe impoſſibilem: Sed ſecundùm non admittunt Thomiſtæ: Ergo nec primum debent admittere. Probatur *Major*: Rationes potiſſimæ quæ probare videntur impoſſibilitatem ſpeciei impreſſæ, petuntur, vel ex improportione objecti, vel ex munere ipſius ſpeciei, vel ex aliis rationibus quæ hanc implicantiam ſuadere poſſent: ſed eædem rationes etiam ſuadent implicare ſpeciem expreſſam.

Probo. Prima ratio quam ſanctus Thomas *quæſt*. 12. *art*. 2. profert adverſus poſſibilitatem ſpeciei impreſſæ, eſt, quia res ſuperioris ordinis non poteſt per ſpeciem inferioris ordinis repræſentari; ac proinde ſpecies aliqua creata & finita non poteſt repræſentare Deum. *Verùm* hæc ratio pariter oſtendit Deum non poſſe repræſentari per ſpeciem expreſſam: quia tam repræſentatio formalis, quæ fit per ſpeciem expreſſam eſt creata & finita, quam repreſentatio virtualis quæ fieret per ſpeciem impreſſam: Ergo, &c.

Secunda ratio eſt, cùm Deus ſolus ſit ſuum eſſe, nulla res creata poteſt eſſe ſimilitudo Dei ut eſt in ſe; alioquin hæc ſimilitudo pariter eſſet ſuum eſſe. *Verùm* hoc magis pugnat in ſpeciem expreſſam, quàm in impreſſam; illa quippe nobiliùs & expreſſiùs Deum repræſentat, cùm ſit formalis illius ſimilitudo, quàm hæc, quæ tantùm eſt ſimilitudo virtualis Dei, quatenus nimirum concurrit effectivè cum intellectu ad formandam illam ſpeciem expreſſam.

VIII. *1. Diſcrimen quod afferunt Thomiſtæ.*

Replicant moderni Thomiſtæ: Hoc diſcrimen inter utramque ſpeciem eſſe, quòd impreſſa, ſit perfectio objecti, expreſſa verò ſit perfectio & complementum ſubjecti perfectibilis. Confirmant. Si enim, inquiunt, intellectus eſſet ſua intellectio, non poſſet recipere ſpeciem expreſſam, neque per illam perfici.

Refellitur

Contra. Idcirco ſpecies impreſſa dicitur perfectio objecti, quia extrinſecè illud repræſentat virtualiter, quatenus nimirum locô & vice illius concurrit cum intellectu ad formandam ſpeciem expreſſam; ſed etiam illa ſpecies expreſſa

expressa est similitudo extrinseca objecti, illudque repræsentat formaliter, & concurrit vice illius per modum formæ: Ergo tam est extrinseca perfectio objecti quàm species expressa. Patet minor. Si Deus enim posset esse formalis sui repræsentatio, seu habere rationem formæ, seipsum repræsentans formaliter intellectui creato; certè non desideraretur in ejus visione ulla species expressa, ut patet; & consequenter hæc concurrit vice Dei in ratione objecti ad ipsum formaliter repræsentandum.

Ad confirmationem: Concedo quòd si intellectus creatus esset sua intellectio, non desideraret speciem expressam per quam perficeretur, sicut Deus illam non requirit, quia est sua intellectio: sed cùm sit indifferens ut intelligat, vel per seipsum intrinsecè immediatè; vel per visionem superadditam ab extrinseco, potest perfici per speciem tam impressam quàm expressam

Replicant 2. Disparitatem inter utramque speciem esse, quòd Deus intrinsecè habeat in se rationem speciei impressæ, respectu cujuscumque intellectus creati, quatenus est per se visibilis; non autem habeat ex se rationem speciei expressæ, quia ex se non est visus, sed per actum potentiæ videntis; atque adeo, hæc dari possit extra Deum, non autem illa.

2. Rejicitur. *Contra*: Si propterea repugnat species impressa, quia Deus supplere potest per seipsum illius munus; sequeretur etiam repugnare lumen gloriæ, nec-non & omnes causas creatas, quarum munus Deus supplere potest. Unde si idcirco non sit possibilis species impressa, quia non censetur necessaria ad visionem Dei, etiam sequitur repugnare ipsum lumen gloriæ, cùm Deus illius munus supplere possit: sed consequens non concedunt Thomistæ: Ergo nec admittere debent antecedens.

3. Infirmatur. Aliqui discrimen assignant, quod species impressa, si daretur, repræsentare deberet Deum comprehensivè, quòd expressæ non convenit: sed nulla species creata potest Deum comprehensivè repræsentare; ut patet: Ergo nec talis dari potest. Probant *Majorem*, quia species naturaliter & necessariò ab objecto procedit tanquam naturalis ipsius imago: Ergo repræsentat illud quantùm repræsentabile est, adeoque comprehensivè: species autem expressa cum procedat à potentia limitata, & lumine gloriæ finito, non debet esse comprehensiva & infinita in repræsentando.

Contra: Quando objectum liberè movet, species ab eo procedens non naturaliter, sed liberè emittitur; adeoque procedit magis minùsve perfecta pro illius arbitrio: sed Deus ut est objectum beatificum liberè movet creaturam ad sui visionem: Ergo species ab eo emissa repræsentat in quantum vult repræsentari, & sic non est comprehensiva.

Adde quòd licet ab eo procederet naturaliter, non propterea deberet esse infinita & comprehensiva, quia ipsius limitatio reperiretur ex parte suæ naturæ quæ finita est. Quemadmodum si Deus ageret naturaliter ad extra, effectus ab eo procedentes, non essent necessariò infiniti; eo quòd infinitas essentialis creaturæ repugnet, sed solùm essent perfectissimi in quantum esse possunt. Idem dicendum à simili de specie impressa.

Objiciunt 1. Thomistæ: Ille qui est actus purus & simpliciter infinitus, non potest repræsentari per aliquid creatum & finitum: sed Deus est actus purus, & simpliciter infinitus: Ergo repræsentari nequit per speciem expressam.

Respondeo 1. hoc argumentum æquè pugnare, imò magis contra speciem expressam, quàm contra impressam, eò quòd, ut diximus, species expressa sit vividior & perfectior objecti similitudo.

Secundò distinguo maiorem: Non potest repræsentari substantialiter, ita quòd detur substantia æquè perfecta ipsum repræsentans, concedo: non potest repræsentari intentionaliter, & per modum similitudinis, nego: ad repræsentandum enim intentionaliter aliquod ens quod est actus purus, non est necesse ut repræsentans sit pariter actus purus; notiones enim nostræ verè repræsentant id cujus sunt notiones, licet non sint ejusdem naturæ.

Urgebis: Species objectum repræsentans debet esse magis, aut saltem æquè immaterialis ac ipsum objectum, quod repræsentat: sed nulla species potest esse ejusdem & proinde multò minùs majoris immaterialitatis cum Deo: Ergo nec dari potest species impressa Dei repræsentativa. Ut majorem & minorem probent, distinguunt cum Gonet, quatuor ordines vel gradus immaterialitatis rebus cognoscibilibus convenientes: *Primus* est rerum sensibilium, ut sunt in materia individuali, quarum immaterialitas consistit in quadam actualitate quam habent sufficienti ad immutandum sensum. *Secundus* est quidditatum rerum materialium, quælicet in re habeant esse in materia individuali, per intellectum tamen ab ea abstrahuntur. *Tertius* est rerum spiritualium, quæ habent esse omnino separatum à materia, non tamen à potentialitate quales sunt Angeli. *Quartus* est ejus entis quod non solùm separatum est à materia, sed etiam à potentialitate, cujusmodi est solus Deus qui est actus purus. Quatuor gradus immaterialitatis secundùm Thomistas.

His respondent quatuor alii gradus, vel ordines immaterialitatis specierum. *Primus* est specierũ sensibilium, singularia materialia repræsentantium. *Secundus* specierum à phantasmatibus abstractarum, repræsentantium quidditates, & naturas materiales à singularibus abstractas. *Tertius* specierum intelligibilium, quæ nullo modo sunt à phantasmatibus abstractæ, non tamen sunt actus puri, sed admixtam habent potentialitatem, quales sunt species quibus Angeli cognoscunt. *Quartus* ejus speciei quæ omnino separata est à materia & potentialitate, estque actus purus, qualis est divina Essentia respectu intellectus divini. Cum ergo dicimus, inquiunt, speciem debere convenire cum objecto in gradu immaterialitatis, hoc ita intelligendum est, ut si objectum habeat immaterialitatem primi ordinis, etiam species primi ordinis immaterialitatem debeat habere, & sic de secundo, tertio, & quarto gradu: Unde cùm nulla species creata, vel creabilis possit ad quartum immaterialitatis gradum pervenire alioquin esset actus purus, & suum esse per essentiam sicut Deus, nulla potest dari species creata quæ Deum quidditativè repræsentet.

Confirmant: Quælibet species creata, vel creabilis, magis distat à Deo quàm species sensibilis à quidditate rei materialis, & quàm species à phantasmatibus abstracta à quidditate & substantia Angeli: sed repugnat per speciem

sensibilem cognosci essentiam & quidditatem, rei materialis & per speciem à phantasmaribus abstractam, quiddirativè videri Angelum: Ergo à fortiori repugnar per aliquam speciem ereatam, Deum quidditarivè videri.

Respondeo 1. hoc argumentum in ipsosmet Thomistas retorqoeri posse, non enim magis species impressa debet esse ejusdem immaterialitatis cum Deo, quàm eapressa, quam ramen ipsi adstruunt cum S. Thoma *q. 27. art. 1. & lib. 3.* contra gentes *cap. 44.* ubi docet verbum formari ab omni intellectu creato eô ipsô quô intelligens est; adeoque verbom seu species eapressa formatur à bearis, ur susiùs infra probabimus contra moderoiores Thomistas, qui hujus rationis pondere pressi negant speciem expressam fieri in visione beatifiea; sed hæc utpote creata & finita non est ejusdem immaterialiraris cum Deo: Ergo nec impressa talis debet esse. Adde quòd species quâ Angelus inferior quidditarive superiorem cognoscit, & quâ anima separata Angelorum naruram intelligit, non est ejusdem immaterialiratis cum Angelo superiori, nec cum substantia Angelica, & consequẽter non est necessum ur species sir ejusdem immatetialiratis cum objecto quod repræsentat.

Fateor equidem speciem inrelligibilem objecti materialis esse ipsô immaterialiorem, quia intentionalis est: Ar non ita res se baber in cæteris speciebos, maximè in iis quæ res omnino spitituales repræseotant.

Ad confirmationem dico, quamlibet speciem creatam distare magis à Deo quàm speciem materialem à substantia Angeli, secundùm entitatem, concedo: secundùm repræsentationem, oego: magis enim convenit cum Deo species intentionalis ipsios repræseotativa, quam sensibilis cum natura spirituali.

Objicinnt 2. Species impressa ordinatur essentialiter ad supplendas vices objecti, quaodo illod vel est absens, vel impropottionarum poteotiæ cognoscenti; sed Deus nec est absens, nec improportionatum objectum iorellectui elevato per lumeo gloriæ: Ergo oon est possibilis species illius repræsenrativa.

X.

Species nedum supplet vices objecti absentis improportionati, sed etiam non agentis per se & immediatè.

Nego majorem: Non enim species imptessa tantùm ordinatur ad supplendas vices objecti absentis & improportiooati; sed eriam ad supplendas viees objecti noo agentis per se, nee concurrentis immediatè ad sui visionem; sicut enim Angelus, v. g. licer seipsum per substantiam suam inrelligar, potest ramen intermittere hunc modum se cognoscendi, & suspendere concursum suæ substanriæ ad cognitionem sui, ut seipsum, per speciem impressam, & sibi à Deo inditam cognoscar. Ita Deus suspendere potest coocorsum essentiæ suæ concurrentis per modum objecti ad visionem beatificam, & substiruere sibi speciem impressam quæ vices illius agat.

Objicinnt 3. Nullum objectum quod est pee suam essentiam proximè intelligibile, repræsentari potest per speciem impressam: sed Deus per suam essentiam est proaimè inrelligibilis: Ergo non porest repræsentari per speciem. Probatue *Major*: Quaodo aliqoid essentialiter convenit alicui subjecto, non porest illi tribui per formam superadddirã: Ergo si objectum haberea se proximam inrelligibilitateoi, implicar ur illam recipiat à specie. *Antecedens* probãr variis exemplis, noo enim inquiunr possent accidentia ordinari ad efficiendam substantiam & potenriam capacem operationis, si illa per se, summam in operando facilitarem & virtutem haberet: Item quia lux seipsa visibilis est ratio videndi alia objecta tamen non porest fieri visibilis per aliud. Similiter Deus, quia seipso est infinitos & immensus, non porest esse talis per formam superadditam: Ergo cum æquè sir intelligibilis ac est immẽsus, non poterir esse talis per speciem expressam.

XII.

Objectum proximè intelligibile potest suum concursum suspendere, adeoque speciem substituere.

Confirmatnr: Non potest hæc species concurrere loeo objecti, si Deus etiam posira tali specie non possit non concurrere immediatè per modũ objecti ad visiooem beatificam: sed ita est; sicur enim non porest se spoliare concurso effectivo, sic neqoe objectivo.

Distinguo majorem: Objectum per seipsum essenrialiree inrelligibile non porest fieri inrelligibile per aliud, si non possir suspendere concursum suæ intelligibilitaris immediatè, concedo: si possir, nego: Deus aurem suspendere porest concursum esseotiæ suæ agentis per modum objecti sui.

Ad probationem dico: Intelligibilitatem in actu ptimo convenire qoidem Deo essenrialirer, non verò intelligibilitatem in actu secundo, hæc enim subjacet ejos liberrati; adeoqoe potest illi eonvenire per formam supetadditam. Nec conrrarium evincunr allara exempla. Si enim substantia haberet ex se quod esser operativa sine accidente, & porenria sine habiru, non posset vim operandi recipere ab habitu, & accidentibus, quia suam activiratem non possent suspendere: Idem diceodum de luce. Similiter Deus fieri oon potest immeosus & infioitus per aliquid superaddirum, quia ram in actu ptimo, quàm io actu secundo est immensus & iofinirus.

XIII.

Cur Deus concurrere debeat immediatè effectivè non verò objectivè.

Ad confirmationem dico: Quòd si Deus eoncorreret ad visionem bearificam media specie impressa, non eoncurrerer immediatè objectivè, sed tantùm mediatè; concurreret aurem immediatè solùm effectivè. Ratio disparitatis est: quia nullus est actus crearus ad quem Deus non debear concurrere effectivè per modum causæ universalis, porest aurem aliquis esse actus, ad quem oon eoncurrat immediarè in ratione objecti, ur dictum est; cuio enim Deus intellectum crearum liberè moveat ad sui visionem, porest non movere per se, & speciem impressam sibi substituere.

Objiciunt 4. Visio intuiriva Dei postulat fieri connaturalirer à Deo, tum ut à causa propria & particulari, cùm ut ab objecto ptoaimè motivo: Ergo fieri neqoit per speciem impressam. Probarur *consequentia* inductione aliaeum actionom, quæ ex natura sua ira postolanr à Deo fieri ut à nullo alio fieri possiot, quales sunr creatio, transsubstantiario, &c. qoæ constat fieri oon posse uisi immediatè à Deo.

Nego consequentiam; adcujus probationem dico, negari posse præfatas actiones ira debere à Deo oriri immediatè, ut ab alio proficisci oequeant. Cur enim Deos non posset concedere alicui creaturæ virturem sustentandi quantitatem sine subjecto, maximè in senrentia Thomistarum, qui censent ereaturam elevari posse ad producendum effectum supernaturalem efficaciter, nec-non ad creandum, &c.

Objic. deoique: Si possiblis esser species impressa divinæ narura, Angelus posser acto speciẽ naruraliter videre, & consequenter videre posset

naturæ viribus divinam Essentiam, per talem speciem repræsentatam: sed absurdum consequens: Ergo & antecedens. *Major* patet quantùm ad priorem partem; quia cum talis species sit ens finitum & creatum, poterit cognosci ab intellectu Angelico, qui videre potest quodcumque ens finitum actu existens, & sibi sufficienter præsens. Patet etiam eadem *Major* quantùm ad sequelam; quia oculus corporalis videns speciem visibilem refractam in speculo, videt objectum tali specie repræsentatum, ut censet S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 8. Ergo similiter oculus mentis videns speciem divinæ Naturæ, videbit ipsam divinam Naturam tali specie repræsentatam.

Nego majorem quoad utramque partem. Et quidem quantùm ad *primam*, cùm enim illa species esset ordinis supernaturalis, non posset naturæ viribus percipi ab Angelo, qui naturaliter supernaturalia cognoscere nequit, ut etiam fatentur Thomistæ. Nego pariter quantùm ad *secundam* cum Doctore quæst. 14. quodlibetica num. 26. illa namque species, inquit Doctor, esset medium *quô*, non autem medium *quod* visionis beatificæ: hoc autem discrimen est inter utrumque medium, quod *medium quô* non debeat cognosci, nec formaliter aut eminenter continere repræsentatum: *medium* autem *quod*, debet objectum repræsentatum formaliter vel eminenter continere.

Dixi *eminenter*, vel *formaliter repræsentativè*, licet enim statua Cæsaris v. g. non contineat Cæsarem eminenter, cùm sit imperfectior homine vero; nec etiam formaliter, quia non est verus homo: continet tamen formaliter repræsentativè, nempe secundùm rationem talis figuræ & coloris, ideoque cognosci debet priùs quod sit imago Cæsaris, quàm cognoscatur Cæsarem repræsentare. Non enim sufficit absolutè cognoscere imaginem ad cognoscendum prototypum, sed ultro requiritur quòd hæc imago cognoscatur, sub ratione formali talis imaginis, ut de imagine divinæ Trinitatis impressa homini, scribit sanctus Augustinus lib. 15. cap. 24. *Qui ergo* inquit, *vident suam mentem, quomodo videri potest, & in eo Trinitatem istam, de qua multis modis ut potui disputavi, nec tamen eam credunt vel intelligunt esse imaginem Dei: speculum quidem vident, sed usque adeo non vident per speculum eum qui est per speculum videndus; ut nec ipsum speculum quod vident, sciant esse speculum, id est imaginem.*

Itaque ut species impressa & quævis alia imago deducere possit in cognitionem alterius, tria desiderantur: *Primò* quod hæc objectum repræsentatum contineat vel formaliter, vel eminenter: *Secundò* quod cognoscatur sub ratione imaginis, & talis repræsentationis: *Tertiò* quod hæc cognitio terminetur ad objectum præsens ut sit intuitiva, vel ad absens si sit abstractiva. Cùm ergo species impressa non debeat sic cognosci, nec Deum ita contineat, non sequitur quod ex ejus cognitione, divina Essentia videatur.

Nec refert quòd intellectus, qui habet talem speciem impressam, per eam possit attingere Essentiam divinam; exinde enim non sequitur quòd quivis alius intellectus, qui talem speciem videret, per ipsam etiam percipere posset illam divinam Essentiam: quia, inquit Doctor, cognitio intuitiva terminatur ad objectum ut præsens est in se, vel in alio, in quo formaliter, vel eminenter continetur: quando autem videtur species seu imago objecti, neque objectum continetur formaliter vel eminenter in specie; fieri enim posset ut objectum non esset præsens: Ergo visa specie impressa, non propterea videtur objectum per ipsam repræsentatum: sed ultro requiritur ut ad hanc visionem objectum moveat sub ratione præsentis, saltem mediatè.

CONCLUSIO SECUNDA.

PROBABILIUS *est de facto non dari speciem impressam in intellectu Beatorum, quæ ipsum determinet ad visionem beatificam, aut cum ipso concurrat effectivè ad illam visionem formandam.* Hæc est communis, &

De facto non datur species impressa.

Probatur 1. Quoties objectum est debitè præsens & applicatum potentiæ, sufficienterque proportionatum, nullomodo requiritur species impressa: sed ita est in visione Dei; Essentia enim divina est debitè præsens & proportionata intellectui beatifico: Ergo in eo non requiritur species impressa. *Major* patet: Quoties enim causa principalis agere potest per se ipsam, non est necesse ut virtus ejus instrumentalis operetur: sed quoties objectum est præsens & proportionatum, æquè connaturaliter potest agere ac species: Ergo tunc species nullomodo exigitur; species enim non sunt necessariæ nisi ad supplendam absentiam, & improportionem objectorum; & consequenter frustrà desiderantur, ubi objectum est præsens & proportionatum. *Minor* etiam est certa; Siquidem Essentia divina est intimè præsens intellectui beatifico, qui Deum videt facie ad faciem, & sicuti est: est etiam ipsi proportionata, quippe cum elevetur per lumen gloriæ ad ordinem supernaturalem & quasi divinum.

1. Quia objectum est debitè præsens & proportionatum

Secundò: Ibi non requiritur species impressa, ubi objectum totum id præstat quod ipsa ejus vicaria species præstare posset: sed Essentia divina totum id præstat quod præstaret ejus vicaria species impressa respectu visionis divinæ: Ergo talis species non requiritur: *Minor* constat; Species enim impressa ideo desideratur ut suppleat munus & vices objecti. *Major* probatur. Species ut vicaria est objecti, non habet nisi tria munera: *Primum* quod compleat activitatem potentiæ illamque constituat in actu primo ad operandum: *Secundum*, quod determinet ejus indifferentiam ad actionem: *Tertium*, quod illam assimilet intentionaliter objecto, seu quod sit virtualis imago objecti: sed Deus seipso præsens est, & proportionatus, potestque complere activitatem potentiæ in actu primo, & determinare illius indifferentiam, ac cum illa concurrere ad exprimendam sui imaginem per verbum mentis seu per speciem: Ergo totum id præstare potest quod præstaret species objecti vicaria; proindeque illa non est necessaria.

2. Quia objectum totum id præstat quod species præstaret.

Dices 1. Quando Deus potest absque ulla repugnantia aliquid efficere per causas secundas, id naturaliùs efficit per illas, quàm cum solo suo concursu particulari: sed si daretur species impressa determinativa intellectus ad visionem & cum ea concurrens effectivè ad formandam Dei similitudinem, illa similitudo seu

ſpecies expreſſa fieret per cauſas ſecundas cùm A coocurſu univerſali Dei : Ergo connaturaliori modo viſio fieret per ſpeciem impreſſam quàm à Deo immediatè.

Diſtinguo majotem : Quando talis actio ex ſe non poſtulat à Deo fieri immediatè, concedo : ſecus, nego : Viſio autem beatifica, cùm ſit intuitiva, & maximè evidens, ac præſtantiſſima, poſtulat à Dao fieri modo præſtantiſſimo ; adeoque exigit ab eo fieri immediatè ; quod enim immediatè à Deo producitur, ſive per modum cauſæ efficientis, ſive per modum objecti mutivi, nobilius eſt ac perfectius, quàm id quod ab eo mediante tantùm cauſa ſecunda oritur. B

Inſtabis. Eſſentia divina non ſupplet debitè eoncurſum ſpeciei, ſi viſio fieri poſſit eunoaturaliùs mediante ſpecie quàm ſine ſpecie : ſed ita fieret eonnaturaliùs. *Probo.* Intellectus connatutaliori modô completur & eonſtituitur in actu primo potens ad agendum per aliquid intrinſecum, quàm per aliquid omnino extrinſecum : ſed eſſentia Dei folùm extrinſecè conſtitueret intellectum in actu primo, ſpecies autem id præſtaret inrrinſecè : Ergo connaturaliùs intellectus completur ad viſionem beatificam pec ſpeciem impreſſam, quàm per eſſentiam divinam immediatè concurrentē in ratione objecti.

Nego minorem : & illius probationis majorem diſtingno : Intellectus connaturaliùs conſti- C tuitur in actn ptimo pet aliquid intrinſecum quàm per aliqnid extrioſecum : ſi illud per qnod eonſtitoitur ſe teneat ex parte potentiæ, concedo : Si ſe teneat ex parte objecti, nego : Species autē imptеſſa ſe tenet ex patte objecti, adeoque potentia ſioe illa poteſt connaturaliter operari, quia non eſt neceſſe ut ſit intrinſecè completa ex parte objecti. Advertendum eſt enim actum vitalem debere qnidem procedere à principiis intrinſecis, quatenus eſt præcisè vitalis, non autem quatenus eſt repræſentatio objecti.

Dices 2. Ibi neceſſaria eſt ſpecies imptеſſa, ubi objectum præſtare nequit quod ipſa præſtare poteſt : ſed eſſentia Dei non poteſt id præſtate quod præſtaret ſpecies impreſſa. *Probo.* D Eſſentia Dei non poteſt ſupplere ſpeciem impreſſam, niſi cooſtituat priùs intellectum in actu ptimo potentem ad operandum ; adeoque niſi intellectum informet : ſed oon poteſt intellectum informare : Ergo nec vicem ſpeciei ſupplere. *Deinde,* ſupplere nequit defectum ſpeciei, ſi reddere nequeat intellectum ſimilem objecto : ſed Eſſentia divina noo poteſt reddere intellectum ſimilem ſibi ; fieri enim oequit hæc ſimilitudo niſi per informationem, eſſentia autem non poteſt intellectum informare. *Denique* ſpecies unit intelligibiliter objectum potentiæ cognoſcenti : ſed hæc unio non fit ſine informatione : Ergo cùm eſſentia divina intellectum in- E formare nequeat, etiam nec ſupplete poteſt vices ſpeciei.

Diſtinguo majorem : Eſſentia divina non poteſt ſupplere vices ſpeciei, ut eſt accidens, niſi informet intellectum, eoncedo : Non poteſt ſupplere ſpeciem prout eſt vicaria objecti, nego : Ad hoc enim ſufficit extrinſeca aſſiſteotia divinæ eſſentiæ cum determinata Dei voluntate, quâ Deus vult liberè videri à creatura.

Ad probationem, nego intellectum non poſſe conſtitui potentem in actu primo, niſi per informationem alicujus intrinſeci ; ad id enim ſolùm ſufficit extrinſca divinæ Eſſentiæ aſſiſtentia, ſiquidem, etiam ſine ullo lumine gloriæ ; ſed cùm ſolo uberiori Dei concurſu, fieri poteſt viſio beatifica, ut infra probavimus.

Ad poſteriorem probationem dico ; non aliam abſolutè reqoiri aſſimilationem, & nnionem intellectûs cum objecto, q àm præſentiam & proportiooem objecti ; ſed hæc præſentia & proportio fit independenter à ſpecie impreſſa, & per ſolam divinam aſſiſtentiam extrinſecam : Ergo ad divinam viſionem non abſolutè deſideratur ſpecies imptеſſa.

Conclusio Tertia.

B Concursus *quem Deus præſtat per modum objecti ad viſionem beatificam, non eſt ab Eſſentia Divina præcisè & formaliter ; ſed à voluntate Dei, ſeu Omnipotentia.* Hæc eſt communis & probatur primò : Actiones omnes Dei ad extra ſunt liberæ : Ergo fiunt dependenter à voluntate & omnipotentia. Antecedens patet, eonſequentia probatur : Si eſſentia concurreret, ille concurſus eſſet neceſſarius : ſed Deus ooo neceſſariò eoncurrit ad viſiooem beatificam, ſed taotùm liberè : Ergo talis concurſus non eſt ab eſſentia ac proinde eſt à voluntate. — Concurſus Dei objectivus eſt ab ipſa voluntate Dei. — 1. Quia actiones Dei ad extra ſunt liberæ.

Deinde ; Per illud Eſſentia divina concurrit loco & vice ſpeciei impreſſæ, per quod continet ipſam ſpeciem ; ſed per omnipotentiam conti- C net ipſam ſpeciem impreſſam ; ſi enim illam produceret, non produceret niſi pet omnipotentiam : Ergo noo ſupplet ejns concurſum niſi per omnipotentiam. — 2. Quia Deus per voluntatem continet ipſam ſpeciem.

Denique ; Si Eſſentia divina immediatè concurreret ad viſionem beatificam quatenus entitas eſt, ille concurſus per ſe noo eſſet liber ; ſed tantùm ex eo quod eſſet conjunctus cum generali concurſu omnipotentiæ divinæ elevantis intellectum cteatum & liberè cooſetvantis lumen gloriæ : ſed abſurdum videtur aſſerere concurſum Dei non eſſe per ſe immediatè liberum : Ergo pariter abſurdum eſt eſſentiam divinam concurrere ad viſionem beatificam quatenus eſt entitas, non autem prout eſt voluntas aut om- D nipotentia realiter. — 3. Quia concurſus ille eſſet per ſe neceſſarius.

Dices 1. Eſſentia divina, eſt per ſe ipſam immediatè intelligibilis, etiam quatenus præſcindit ab omnipotentia divina, illamque præcedit in ratione objecti : Ergo immediatè concurrit cum intellectu creato ad ſui cognitionem.

Deinde, Eſſentia divina immediatè terminat viſionem : Ergo etiam immediatè movet intellectum ad viſionem formandam, alioquin eſſet objectum dumtaxat terminativum, non autem motivum : *Denique* ipſa Eſſentia reſpectu divinæ intellectionis, fungitur munere ſpeciei impreſſæ : Ergo etiam reſpectu intellectionis creatæ.

E *Diſtinguo* primam majorem, eſt immediatè intelligibilis proximè & formaliter, nego : Remotè & radicaliter tantùm, concedo : Non enim Eſſentia divina dici poteſt proximè intelligibilis, niſi quatenus ptoportionatur intellectui ; non propottionatur autem, niſi quatenus intellectus elevatur ; nec elevatur, niſi per omnipotentiam : & conſequenter Eſſentia divina non eſt proximè & formaliter intelligibilis niſi per omnipotentiam. — Eſſentia divina præcisè, eſt tantùm intelligibilis remotè.

Ad ſecundum, Dico Eſſentiam divinam eſſe verum objectum motivum ſimul & terminativum, licet non eôdem modô terminet, quô — Non eôdem modô terminat, quô movet.

movet; terminat enim immediatè; movet autem solùm mediante omnipotentia divina.

Visio increata est naturalis.

Ad tertium. Dico non esse parem rationem de visione beatifica increata & creata; quia visio divina non est libera, sed naturalis; proindeque Essentia divina intellectum Dei determinat per se proximè & immediatè ad sui visionem, & idcirco non potest habere rationem, nec vices gerere speciei respectu illius: secus est autem de cognitione creata, quæ cum liberè producatur, etiam requirit ut Deus ad ipsius productionem liberè concurrat, quod fieri nequit nisi per voluntatem seu omnipotentiam divinam.

Dices 2. Essentia ut essentia, est objectum beatificum, non autem essentia ut voluntas, seu ut volens est; igitur movere ad actum beatificum convenit essentiæ divinæ quatenus essentia est, non autem quatenus est omnipotens.

Confirmatur. Si per impossibile Deus non esset omnipotens & volens, nihilominus essentia ejus movere posset intellectum creatum ad sui visionem: Ergo ad ipsam visionem præcisè non movet quatenus est omnipotens: sed quatenus est essentia.

Deus est objectum beatificum immediatũ in ratione terminantis, non in ratione moventis.

Distinguit antecedens Doctor, quæst. 14. quodliberica. Essentia est objectum beatificum immediatum in ratione terminantis, concedit; in ratione moventis, negat: Movet enim, inquit, tantùm remotè & mediante actu voluntatis elevantis talem intellectum ad sui visionem. *Ad confirmationem* dicit quod illa essentia volens & omnipotens, nihil omnino posset causare ad extra, proindeque non posset elevare intellectum ad sui visionem, ideoque nec posset videri.

Si Deus non esset volens, nil causaret ad extra.

Quæres primò: An visio beatifica quæ fieret mediante specie impressa, esset intuitiva?

Visio per speciem impressam esset intuitiva.

AFfirmo; Illa enim visio censetur intuitiva quæ terminatur ad objectum præsens & movens per suam præsentiam, saltem mediatè ad sui intuitum: sed ita esset, si visio beatifica fieret per speciem; Essentia namque divina moveret intellectum beatificum ad sui visionem mediante tali specie impressa, & consequenter illa visio esset intuitiva.

Ad eam enim sufficit ut objectum moveat per suam præsentiam tantùm mediatè.

Dices: Visio non censetur intuitiva, quæ non terminatur ad objectum præsens & movens immediatè: sed si daretur species impressa, essentia divina non moveret nec terminaret immediatè intellectus beatifici operationem: Ergo non esset intuitiva.

Distinguo majorem: Movens immediatè tanquam objectum *quod*, concedo: tanquam objectum *quo*, nego: Itaque Essentia divina moveret intellectum beatificum, illiusque operationem terminaret tanquam objectum *quod*, & adæquatum; species verò moveret tantùm tanquam objectum *quo*, adeoque visio non minùs foret intuitiva.

Quæres secundò: An saltem divina virtute fieri possit visio intuitiva alicujus objecti, minimè influentis nec moventis per se immediatè vel mediatè, & ipso etiam objecto absente.

Visio intuitiva fieri potest divinitus absente objecto.

AFfirmo cum Aureolo nostro *quæstione* 2. *Prologi Art.* 3. Et ratio est, quia visio intuitiva est qualitas absoluta pendens ab objecto in genere causæ efficientis: sed Deus supplere potest efficacitatem causæ efficientis, & effectum conservare independenter ab ejus concursu: Ergo etiam poterit absente objecto conservare visionem illius intuitivam, adeoque esse poterit intuitiva visio objecti etiam absentis.

Dices: Visio intuitiva non solùm pendet ab objecto præsente realiter in genere moventis seu causantis; sed etiam in ratione terminantis: at Deus non potest supplere terminationem, quia reducitur ad genus causæ formalis, ab ea enim actus specificatur tanquam à forma: Ergo non poterit absentiam objecti supplere in visione intuitiva.

Objectum visionis terminat, vel per se vel per aliud sibi simile.

Distinguo majorem: Concurrit in ratione terminantis per se vel per aliud sibi simile, concedo: per se solùm, nego: Quando enim objectum apparet in speculo per emissam à se speciem, licet objectum istud realiter non sit speculo præsens, sed tantùm intentionaliter, & per sui speciem & imaginem, tamen dicitur visionem terminare, non quidem per se, sed per aliud sui similitudinem gerens.

Objicitur Doctor Subtilis.

Dices 2. Hæc responsio directè pugnat in Doctorem Subtilem, etenim pluribus locis videtur apertè docere intuitivam notitiam absolutè causari non posse absque immediato concursu objecti, & sine ulla specie impressa vel C ab objecto emissa, vel à Deo infusa: ita docet in 2. *dist.* 3. *q.* 11. & *dist.* 9. *q.* 2. & *dist.* 4. *q.* 3. & alibi; quibus in locis videtur Doctor ad visionem immediatam objecti concursum requirere.

Respondeo Doctorem hac in re nobis non adversari, quia primò, ut notat Smisingus *Disp.* 6. *q.* 1. *n.* 11. Doctor admittit ubique cognitionem sensuum esse intuitivam, quæ tamen fit per species, ut ipsemet docet *in primum dist.* 3. *q.* 6. & *in* 2. *dist.* 9. *q.* 2. Secundò affirmat intellectum nostrum formare cognitionem intuitivam de objecto repræsentato in phantasmate, ut constat ex 2. *dist.* 3. *q.* 9. Hujusmodi autem cognitio intellectûs fit per speciem pro-D ductam ab intellectu agente & phantasmate: Ergo censet speciem impressam non officere visioni intuitivæ.

Ut autem evidentiùs pateat ejus mens, faciliùsque solvantur omnes ipsius sententiæ quibus plerumque negare videtur, cognitionem posse dici intuitivam, quando fit per speciem; Sciendum est, ipsum duplicem distinguere speciem impressam, Unam quidem, quæ procedat ab objecto movente saltem mediatè, & præsente, quæque habeat tantùm rationem objecti *quo*, seu medii, quò objectum movet ad sui visionem; Aliam autem, quæ nata sit manere, & movere intellectum ad objecti cognitionem E etiam absente ipso objecto, & consequenter quæ habeat rationem objecti *quod*. Censet autem Doctor priorem speciem concurrere posse naturaliter ad visionem intuitivam, quippe cum non excludat sed importet præsentiam objecti, saltem mediatè moventis; An autem alia species possit etiam divinitùs concurrere ad visionem intuitivam, anceps est Doctor. Dicendumque convenientiùs ad ejus mentem, illam speciem absente objecto non posse concurrere ad efficiendam visionem intuitivam, in absentia ejusdem objecti, licet concurrere possit saltem divinitùs ad conservandam visionem intuitivam, quæ producta fuerat in præsentia objecti,

Qui hac in re dubius fuit.

Quæstio Secunda.

An, quid, & quale sit lumen gloriæ?

I. Cur dicatur Lumen gloriæ.

EX dictis constat, ad formandam intuitivam Dei visionem necessariò desiderari divinum aliquod auxilium, quô imbecillis creatæ mentis acies roborata in splendidissimum Divinitatis Solem figi possit: hoc autem supernaturale auxilium solitò *Lumen gloriæ* appellatur; eo quòd in intellectu beatifico receptum, Deum aspectabilem ei exhibeat, ut eum revelata facie speculari possit, *& transformari in eandem imaginem de claritate in claritatem*, ut S. Apostolus loquitur. Meritò autem appellatur *Lumen*, quia simul cum intellectu beatifico concurrit ad formandam visionem intuitivam Dei, quæ cum sit Divinitatis manifestatio ac repræsentatio, rectè lumen appellatur: *Omne enim quod manifestatur lumen est*, inquit Apostolus ad Ephesios 5. An autem lumen hoc necessariò debeat admitti, ita quod eô seclusô nec videatur, nec videri possit divina Essentia, non inter se conveniunt Authores, quid autem veriùs statuendum sit ut appareat.

II. Discrimen inter lumen gloriæ, & speciem impressam.

Notandum 1. Lumen gloriæ in hoc distingui à specie impressa quæ etiam lumen est, quòd lumen gloriæ se teneat ex parte potentiæ quam complet, elevat, corroborat, & disponit ad visionem beatificam antecedenter ad repræsentationem objecti, si sit lumen habituale: Species autem se tenet ex parte objecti quod repræsentat, & cujus est vicaria, ut cum potentia concurrat ad formandam visionem. Hæc autem duo diversa esse constat, fieri enim potest ut objectum aliquando sit sufficienter oculo præsens, sive per se immediatè, sicut lux v. g. quam Doctor Subtilis asserit absque ulla specie impressa posse videri; sive mediante specie impressa, sicut videntur omnia alia objecta, præsertim corporea; nec tamen poterit oculus illud aspicere propter imbecillitatem, & infirmitatem suam, maximè quando objectum ingenti lumine ita perfunditur, ut in illud oculus tendere nequeat nisi priùs auxilio confirmetur, & corroboretur. E contrario autem, potest oculus ita esse optimè dispositus, ut nulla ope indigeat ex parte sui ad conspiciendum objectum, quod tamen videre non potest defectu manifestationis aut speciei impressæ, si nempe objectum fuerit in mediis tenebris, per quas illa species non potest effundi, nec objectum manifestari.

III. Triplex distinguitur lumen gloriæ.

Notandum 2. Triplex distingui posse lumen gloriæ, nimirum *objectivum, habituale & actuale*. Primum est ipsamet Essentia divina concurrens immediatè & effectivè per modum objecti cum intellectu beatifico ad formandam sui visionem. Secundum dicitur qualitas supernaturalis recepta in intellectu beatifico, & illum elevans, corroborans & complens antecedenter ad actum, ipsumque efficiens potentem proximè ut formare possit actualem Dei visionem; eô scilicet modô, quô charitas habitualis consummata voluntatem informat & perficit ad eliciendum amorem beatificum. Tertium dici potest qualitas actualis etiam supernaturalis, quâ intellectus, non quidem antecedenter ad actum perficitur & completur, sed in ipsius-

A met actus productione; sicut gratia actualis dicitur illa quæ de facto & actu concurrit ad actum supernaturalem, ita ut desinente actu ipsa etiam desinat & cesset. In quo differt à gratia habituali, quòd hæc perseveranter animæ insit, ipsamque compleat & statuat in actu primo capacem operationis: Habitus enim supernaturales in hoc à naturalibus maximè discrepant, quòd hi concurrant tantùm ad modum, illi verò ad substantiam actus: naturales tantùm facilitatem tribuant; supernaturales autem, vim & completam activitatem conferant.

In quo discrepent supernaturales habitus à naturalibus.

Tria luminis gloriæ munia assignant aliqui Theologi.

Notandum 3. Triplex munus luminis gloriæ ab aliquibus Theologis distingui: *Primum* est B constituere intellectum beatificum in actu primo ad eliciendam visionem intuitivam Dei, ipsum videlicet elevando, corroborando, & uniendo cum objecto beatifico. *Secundum* est ipsum disponere ad recipiendam visionem divinam, quæ cùm sit forma supernaturalis, inquiunt, recipi non potest in intellectu, nisi supernaturali aliquo auxilio disponatur ad hanc receptionem. *Tertium* aliqui statuunt in dispositione ad visionem beatificam eliciendam: censent enim lumen gloriæ non concurrere efficienter, neque tanquam causam principalem, aut instrumentalem, sed solùm per modum ultimæ dispositionis ad producendam visionem C beatificam: Hæc autem an vera sint, resolvendum est. Tria itaque hîc proponuntur discutienda: *Primum* an lumen gloriæ necessariò sit admittendum? *Secundum*, an illud lumen sit habituale, vel tantùm actuale, aut objectivum? *Tertium*, an concurrat ad visionem beatificam, tanquam causa efficiens, principalis, aut instrumentalis; vel solùm ut dispositio, idque tam ad eliciendam visionem, quàm ad eam recipiendam?

Status quæstionis.

Conclusio Prima.

D LUmen *gloriæ necessariò requiritur, ut intellectus creatus videre possit Deum intuitivè:* Hæc est de fide definita in Concilio Viennensi in Clementina *ad nostrum de hæreticis*; ubi damnantur errores & articuli Beguardorum, inter quos hic erat quintus, Quamlibet naturam intellectualem in se ipsa naturaliter esse beatam, nec indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum Deum. Quem errorem Ecclesia proscribit decernitque animam indigere lumine gloriæ ad videndum Deum & eo beatè perfruendum.

Admittitur necessitas luminis gloriæ.

Probatur primò: ex Scriptura. Psalmo 55. *Vt placeant coram Deo in lumine viventium.* Apocalypsis 21. *Civitas non eget Sole, nam claritas Dei illuminabit illam:* Cap. 22. *Videbunt* E *faciem ejus & non egebunt lumine Solis, quia Dominus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula.* Maximè autem id colligitur ex Psalmo 55. *Apud te est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen*: nam licet primarius sensus sit, in Filio videbimus Patrem, vel in Christo videbimus Deum, ut patet ex Concilio Niceno & Epistola 1. Evaristi Papæ ad Episcopos Africæ; ut etiam interpretatur Origenes lib. 1. de Principiis cap. 8. *in lumine tuo videbimus lumen*, id est, *in Verbo & Sapientia tua videbimus te Patrem.* Quid enim aliud lumen Dei dicendum est, in quo quis videt lumen, nisi Virtus Dei per quam quis illuminatur, vel verita-

Quæ ostenditur. 1. Ex Scriptura.

tem rerum omnium pervidet, vel ipsum Deum cognoscit qui VERITAS appellatur.

A

Nihilominus de *lumine gloriæ* hunc propheticum textum cæteri Patres solitò interpretantur, maximè autem S. Augustinus, vel quisquis est alius author libri Soliloquiorum, ubi cap. 36. ait, *Videbimus in lumine tuo lumen tuum.... quale autem lumen? Lumen immensum, lumen incorporeum, incorruptibile, incomprehensibile, lumen indeficiens, lumen inextinguibile, lumen inaccessibile, lumen increatum, lumen veridicum, lumen divinum, quod illuminat oculos Angelorum, quod lætificat juventutem Sanctorum, quod est lumen luminum & fons vitæ, quod es tu Domine Deus meus: tu es quippe lumen in cujus lumine videbimus lumen, te scilicet in te; in splendore vultus tui quando te videbimus facie ad faciem.*

B

2. Ex SS. Patribus. Dionysio.

Secundò idipsum colligitur ex aliis sanctis Patribus, sanctus enim Dionysius cùm de intuitu Dei loquitur, illum *collustrationem* & *illuminationem* passim appellat, maximè capite primò de divinis Nominibus, ubi ait, *Beatas mentes constanter & immobiliter ad illucentem sibi radium attolli, & congruo permissarum sibi illuminationum amore cum sacra quadam reverentia temperanter & sanctè, quibusdam velut in altum pennis, sublevari.* Item Irænæus lib. 4. cap. 37. *Quemadmodum*, inquit, *videntes lumen intra lumen sunt, & claritatem ejus percipiunt; sic & qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem, vivificat autem eos claritas: percipiunt ergo vitam qui vident Deum.* Similiter S. Greg. exponens illa verba Job. cap. 36. *In naribus suis abscondit lumen & annuntiat amico suo quòd possessio ejus sit*: hæc habet, *Amicus veritatis*, inquit, *est rectè amator actionis: Vnde & ipsa veritas suis Discipulis dicit: Vos* AMICI MEI *estis si feceritis quæ præcipio vobis. De hac igitur luce & æterna patria amico suo Deus annuntiat quòd possessio ejus sit, ut nequaquam infirmitatis suæ fragilitate desperet; sed tantò certiùs sciat, quia illius lucis claritatem possidebit, quanto nunc vitiorum pulsantium tenebras veriùs calcat.*

Irenæo.

Gregorio.

C

3. Ex ratione.

Tertiò denique hæc veritas ratione PROBATUR: Omnis potentia quæ ex se & ex sua natura est insufficiens & improportionata ad aliquem actum eliciendum & objectum conspiciendum, indiget corroborari & elevari ad hanc visionem eliciendam: sed intellectus creatus ex natura sua est insufficiens ad videndum Deum, ut supra probatum est: Ergo indiget aliqua virtute superaddita, quæ lumen gloriæ appellatur. *Deinde*, Ut intellectus connaturaliter uniatur cum Essentia divina aut specie intelligibili, debet esse completus in ratione potentiæ intellectivæ; sed intellectus non est ita completus ex natura sua: Ergo indiget lumine gloriæ per quod compleatur. *Denique triplex* à Theologis distingui solet Dei cognitio; quâ Philosophi, Fideles, & Beati triplici gradu ad Deum ascendunt. *Prima* naturalis est oriunda à rebus quæ sensu percipiuntur: *altera* naturam superat, quâ Deus author gratiæ per revelationem in Christianæ Religionis mysteriis veluti per cancellos se prodit. *Tertia* demum divinior quâ sese Deus ut fons beatitudinis revelata facie beatis mentibus exhibet conspiciendum. Hæc autem triplex cognitio non nisi per inditum lumen haberi potest; nam Deus ut author naturæ, rationis naturalis lumine percipitur; ut author gratiæ in hac mortali vita, fidei radio cognoscitur: Ergo etiam non nisi splendidissima gloriæ luce clarè & intuitivè à Beatis videri debet. *Prima* cognitio assimilatur visioni nocturnæ quæ non nisi per exiguum lumen objectum deprehendit. *Secunda*, Auroræ quæ sensuum quidem tenebras & phantasmatum caliginem excutit, sed nihilominus nondum in apertum diem veritates quas declarat prodit. *Tertia* autem plena meridies est, quam olim optabat sponsa *Canticorum primô*, his verbis, *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Quæ verba sic egregiè interpretatur S. Bernardus Serm. 33. in cantica: *Nam hîc pascis, sed non in saturitate, nec cubare licet, sed stare & vigilare oportet propter timores nocturnos. Heu! nec clara lux, nec plena refectio, nec mansio tuta, & ideo indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie: vultum tuum Domine requiro, vultus tuus meridies est, meridies clara tui & intuitiva visio, aut verè meridies plenitudo ferveris, & lucis, solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum; fœtorum depulsio, aut perenne solstitium, quando jam non inclinabitur dies & lumen meridianum, aut vernalis tempestas, aut æstiva venustas, aut autumnalis ubertas; & ne quis reperiisse videat, aut quies & feriatio hyemalis.*

Triplicem Theologi Dei cognitionem distinguunt.

1. Est naturalis.

2. Supernaturalis & obscura.

3. Supernaturalis & evidens.

D

E

Dices 1. Ideo requireretur lumen gloriæ ut intellectus disponeretur & fieret proportionatus cum Deo videndo: sed intellectus etiam lumine gloriæ instructus non esset proportionatus cum Deo videndo; Deus enim semper restat infinitus & incomprehensibilis: Ergo, &c.

Distinguo minorem: Non esset proportionatus secundùm entitatem, & perfectionem entis, *concedo*: secundùm cognoscibilitatem & rationem objecti, *nego*: Licet enim Deus non habeat proportionem entitativam cum intellectu beatifico, qui semper est finitus, ille autem infinitus; nihilominus habet proportionem in ratione objecti cognoscibilis finitô modô; quia inter Deum visibilem & intellectum creatum videntem non est distantia simpliciter infinita: sed tantùm secundùm diversum ordinem, naturalem & supernaturalem; Unde hæc distantia & improportio superari potest per lumen aliquod creatum ordinis supernaturalis, quod sit quædam participatio divinæ intellectualitatis, quale est lumen gloriæ.

Deus habet proportionem cum intellectu in ratione objecti.

Instabis. Non potest lumen gloriæ confortare & perficere intellectum ad visionem eliciendam, nisi habeat virtutem similem intellectui; sed lumen gloriæ non habet virtutem similem intellectui creato; hic enim vitalis est, illud autem est qualitas vitæ expers: Ergo non potest perficere, & confortare intellectum ad eliciendam visionem beatificam quæ est actio vitalis.

Respondeo 1. *negando majorem*: Species enim & alii habitus licet non sint vitales, & essentialiter distinguantur à potentiis quibus insident, nihilominus eos perficiunt, & juvant ad suas actiones eliciendas. *Secundò distinguo Minorem*. Lumen gloriæ non est virtus vitalis, *ut quod*, quasi ex se esset principium elicitivum actûs vitalis, & formaliter vitam haberet, *concedo*: non est virtus vitalis *ut quo*, seu vis quædam ordinata ad elevandum intellectum ad vitam altiorem & perfectiorem, *nego*: sicut enim licet semen v. g. non sit animatum, nec vivens *ut quod*, quia tamen est vis quædam instrumentaria ordinata à natura ad generatio-

Non est necesse ut Lumen gloriæ sit vitale ad juvandum intellectũ.

Potest tamen dici vitale ut quo, licet non ut quod.

nem viventis, potest dici vivens *ut quo*; sic licet lumen gloriæ non habeat ex se vitam *ut quod*, eam tamen habet *ut quo*, quia animam intellectivam iam de se viventem vita intellectuali naturali consortat ut elevet ad eliciendum actum vitæ perfectioris, nimirum beatificæ.

Determinat ad visionem beatificam ex parte potentiæ, non ex parte objecti.

Dices 2. Idcirco requireretur lumen glotiæ, ut determinaret intellectum ad visionem beatifieam; sed intellectus sufficienter determinatur ad illam visionem per Essentiam divioam ipsi unitam in ratione speciei intelligibilis: Ergo superfluit lumen gloriæ. *Distinguo majorem*: Requiritur lumen glotiæ ut determinet intellectum ad visionem beatificam ex patte potentiæ, *concedo*: ex parte objecti, *nego*. Similiter *distinguo minorem*: Intellectus creatus sufficienter determinatut per manifestationem essentiæ divinæ ad illios visionem determinatione se tenenre ex patte objecti; *concedo*: ex parte potentiæ, *nego*: Cum enim omnis eognitio fiat ex objecto & potentia, requiritur maximè ad eognitionem intuitivam duplex determinatio: una ex parte objecti quæ fiat per emissam ab eo speciem exptessam, vel per immediatam sui ipsius manifestationem & unionem per modum speciei impressæ; alia autem ex patte potentiæ quæ eam compleat & eoofortet ad talem actum eliciendum.

Conclusio Secunda.

Lumen gloriæ est qualitas habitualis à specie & concursu distincta.

PRobabilius *est Lumen gloriæ esse qualitatem habitualem à specie impressa & actuali concursu distinctam*: Hæc est communior Doctorum sententia, & videtor confotmior menti Doctoris Subtilis, maximè in 1. *dist.* 17. *q.* 3. *num.* 36. ubi ad argumentum quod sibi hôe modô proposuerat: *Sine habitu informante potest esse visio: Ergo & fruitio perfectissima*; hanc unicam sobjicit solutionem, adeoque ex propria sua sententia: *Respondeo*, inquit, *Nullus communiter negat in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu; & iste ex parte intellectus potest poni correspondere charitati ex parte voluntatis*, Quasi dicetet, quod quemadmodum charitas habitualis requiritur in patria, ut corroboret & compleat voluntatem ad eliciendum amorem beatificum; ita pariter desideratur lumen aliquod habituale quod intellectum compleat & perficiat ad eliciendam visionem beatificam, hoc autem est Lumen gloriæ, ac proinde ex Doctoris meote Lumen glotiæ est qualitas habitualis.

Doctor Subtilis in hanc sententiam adducitur.

Probatur Conclusio quoad primam partem.

Probatur Conclusio: *& primò quidem quòd illud lumen gloriæ non sit species impressa*. Requiritur necessariò Lumen gloriæ ad videndom Deum: sed ad id species impressa non est necessatia: Ergo Lumeo gloriæ non est species impressa. *Deinde*: Licet daretur species impressa in visione beatifica, non minùs ultrà desideraretur Lumen gloriæ; Ergo hoe à speeie impressa distinguitur. *Probatur antecedens*: Ad eliciendam visionem beatificam necessum est ut intellectus compleatur non solùm ex parte objecti; sed etiam ex parte potentiæ: sed per speciem impressam completur solùm ex parte objecti, cujus illa species est vicaria: Ergo ultra speciem impressam adhuc desideratur Lumen gloriæ. *Probatur major*. Plura requiruntur ad actus supernaturales quàm ad naturales: sed ad actus naturales eliciendos sufficit quòd poteotia visiva, v. g. compleator ex parte objecti moventis & concuttentis pet se immediatè, vel mediante specie ad eliciendam visionem naturalem: Ergo ad visionem supernaturalem requiritur aliquid prætet speciem impressam quod compleat intellectom ex patte sui. *Denique* sine specie imptessa, vel intellectus treatus est completus ex parte sui, vel non. Si sit: Ergo illa species non est Lumen gloriæ quod necessariò requiritur ad complendum intellectum creatum in ordine ad visionem supetnatutalem. Si non sit ex se completus; Etgo ex parte sui requirit aliquid per quod compleatur: Illud autem completivum non potest esse species impressa, quia non se tenet ex parte potentiæ, sed ex parre objecti quod teptæsentat & eujus vices agit: Ergo Lumen glotiæ à specie imptessa distinguitur.

Species non supplet defectum virtutis in potentia.

Confirmatur. Species supplens vicem objecti nullam addit virtutem potentiæ ad illud conspiciendum, sed illam supponit; quantumcumque enim species visibiles objecti præsenris sistantur oculo læso vel debili, non sanatur nec roboratur ejus vittus visiva: Ergo defectus virtutis qui est in neulo creato ad videndum Deum, non potest suppleri pet speciem impressam Essentiæ divinæ, sed ultra requiritur aliquod Lumen inttinsecè potentiam afficiens & perficiens ae corroboraos ad actum eliciendum. Deinde, Eô modô se habet intellectus creatus ad visionem beatificam quatenus est actus supernaturalis, quomodo se babet ad actum fidei etiam ordiois supernaturalis: sed improportio quæ est in intellectu ad eliciendum actum fidei, non suppletur per solam speciem objecti credibilis; quantumcumque enim proponatur objectum credibile, intellectus non elicietactum fidei nisi elevetur & confortetur per reeeptum in se aliquod auxilium supernaturale: Ergo à simili quantumcumque manifestetur objectum beatificum, non poterit videri ab intellectu ereato nisi priùs elevetur per lumen aliquod ipsum perficiens, & eomplens in actu primò ad eliciendam visionem, sicut per lumen fidei elevatut ad ctedeodum.

Intellectus nusquam assentietur objecto fidei quantumcumque proposito, nisi insuper confortetur.

Probatur etiam secunda et tertia pars: Nimirum quòd *Lumen illud potius dici debeat habituale, quàm actuale*. Omnis causa efficiens priusquam effectum suum producat & actu eliciat, debet constitui in actu primo potens ad illam productionem & opetationem; sed intellectus creatus non potest connatutaliter ita constitui nisi per lumen habituale: Etgo lumen gloriæ potiùs est habituale, quàm actuale. Major patet: Nam actus primus præsupponitur ad secundom. Vnde priusquam aliquis actus, vel effectus pnducatur, præsupponi debet virtus illius productiva, Adeoque potentia capax illius operationis & productionis. Minor probatut: Implicat causam aliquam constitui poteutem in actu primo per aliquid se tenens ex parte actus secundi; actus enim ptimus præcedit secundum prioritate saltem natutæ: nullum autem prius constituitur in suo esse per aliquid quod ipsi posterius est; sed lumen gloriæ actuale si aliquod esset, se potiùs teneret ex parte actus seeundi, esset enim ipsemet actualis Dei influxus, cum ipso intellectu creato: Ergo intellectus creatus fieri nequit intriosecè potens in actu primo ad videndum Deum per solum lumen actuale saltem connaturaliter. *Deinde*; Intellectus nequit fieri

fieri connaturaliter potens in actu primo ad visionem beatificam, per id quod magis influit in effectum quàm in potentiam: sed illud lumen actuale, magis influeret in visionē ipsam, quàm in intellectum; esset enim ipsemet actualis Dei influxus per lumen transiens in intellectum, sed in eo non perseverans. *Denique* visio beatifica durat per totam æternitatem: Ergo connaturaliùs elicitur à principiis perseverantibus, quàm a prætereuntibus & alternatim succedentibus: sed lumen actuale, est principium transiens, habituale verò est principium perseverans: Ergo connaturaliùs visio beata fit per lumen habituale, quàm per actuale; adeoque lumen illud gloriæ magis dicendum est habituale, quàm actuale.

Objicitur Doctor pluribus in locis.

Dices 1. Doctor Subtilis huic sententiæ manifestè adversatur pluribi, maximè in 3. dist. 14. quæst. 2. ubi ait, *In quocumque instanti priori naturaliter ipsa visione, nulla est causa naturaliter prior ipsa visione; usque enim ad illud instans naturæ quò intellectus videt, non habet intellectus unde posset in istam visionem: sed tantùm præcedit naturaliter ipse intellectus in se, & objectum quod potest elicere ipsam visionem:* Et dist. 31. q. unica n. 2. ait, *Non est necessarium ponere aliquem habitum in patria creatum in ipsa anima, qui sit principium videndi, vel tenendi objectum, saltem alium, nisi charitatem; quia habitus non ponitur in potentia nisi ad facilitandum, & habilitandum potentiam ad eliciendum actum.* Et in 4. dist. 49. q. 11. n. 10. cùm dixisset ex Scriptura & fide colligi, necessarium esse habitum charitatis in Beato ad eliciendum amorem beatificum, concludit: *Lumen autem gloriæ ad visionem non videtur mihi necesse poni, quia quod dicitur de lumine naturali corporali quod requiritur, non solùm propter objectum, sed propter oculum, videtur mihi esse quædam metaphora. Quantò enim objectum est magis in se lux, tantò miniùs propter ipsum requiritur de lumine, nec requiritur propter receptionem ut dictum est. Unde minùs videtur mihi necesse ponere lumen quàm speciem, quia si species ponitur, hoc est ut memoria sit perfecta ex parte intellectûs: sed an sit ponere talem speciem propter formalem operationem & perfectionem potentiæ, dicetur aliàs:* Ergo Doctor non censet lumen gloriæ esse qualitatem habitualem.

Sed ostenditur nobis non adversari.

Nego antecedens: Præfatis enim & aliis similibus locis, nihil aliud intendit Doctor, quàm quòd illud gloriæ lumen non requiratur solùm ut dispositio ad visionem recipiendam, neque tantùm ad ornatum & decorem ipsius intellectûs, nec ut objectum fiat actu visibile & intelligibile: sed quòd desideretur per modum concausæ perficientis ipsum intellectum, non quidem ad recipiendam: sed ad eliciendam visionem beatificam: quod apertè indicat præfata quæstione 11. cùm enim dixisset num. 10. *Si autem intellectus sit merè passivus habens se solùm in ratione susceptivi ad actum visionis, cùm non requiratur propter receptionem solam aliqua forma ex parte intellectûs, ut supra ostensum est, tunc non requiritur lumen gloriæ*: Subdit n. 12. ipsum lumen requiri ut elevet potentiam in ordine ad operationem, ipsamque compleat & de imperfecta & remota perfectam & proximè potentem efficiat ad eliciendam visionem. Respondens enim ad hoc objectum argumentum, Quòd si intellectus ex se non sit activus & potēs ad eliciendam visionem beatificam, non poterit potens fieri ad eam eliciendam per aliquem habitum. *Dico*, inquit, *quòd modò habet potentiam remotam, tunc autem propinquam. Unde sicut intellectus est hic & ibi eadem natura; ita posse videre, est hic & ibi eadem potentia: sed modò est remota, tunc erit propinqua. Si autem potentia passiva & receptiva, tunc non requiritur lumen gloriæ.*

CONCLUSIO TERTIA.

Intellectus solo Dei concursu extrinseco adjutus potest videre Deum.

INTELLECTUS *creatus elevari potest ad videndum Deum per solum lumen objectivum, seu concursum omnino extrinsecum Dei, & absque ullo lumine intrinseco, vel habituali & permanente, vel actuali & transeunte.* Hæc videtur pariter communior inter Theologos contra nonnullos recentiores Thomistas.

1. Quia habitus non requiritur absolutè ad actum supernaturalem.

Probatur 1. Idcirco non posset ita elevari intellectus creatus, quia ad visionem beatificam essentialiter & necessariò requireretur lumen habituale vel actuale, ita quod nullatenus ipsum lumen Deus supplere posset: sed falsum est consequens. Ergo & antecedens. Major patet. Probatur minor. Idcirco essentialiter ad visionem beatificam desideraretur illud lumen gloriæ, maximè quia illa est ordinis supernaturalis: sed illud lumen ita non exigitur propter supernaturalitatem visionis: Ergo non exigitur essentialiter, &c. *Major* est certa, cùm enim visio sit vitalis & supernaturalis, intellectus sufficienter ad eam concurrit ex se quatenus vitalis est: ideoque solùm requirit lumen & auxilium supernaturale quatenus illa visio supernaturalis est. *Minor* probatur, primò quidem de lumine habituali. Si requireretur essentialiter lumen gloriæ habituale propter supernaturalitatem visionis; requireretur etiam essentialiter habitus fidei ad omnem actum fidei, & habitus charitatis ad omnem actum charitatis; quia ipsi actus etiam sunt supernaturales: Consequens autem falsum est, quia cùm primùm homo convertitur à peccato per actum charitatis, actus ille præcedit habitum, & illum causat: dicere autem, quòd idem ille actus qui causat habitum causetur ab eo ipso habitu, quem causat, est absurdissimum; alioqui posset idem sub eodem conceptu supponere suam existentiam; nam effectus præsupponit suam causam, & causam suæ causæ, igitur supponeret seipsum ut causam suæ causæ.

2. Quia Deus per seipsum facere potest quicquid faciunt causæ secundæ efficientes.

Secundò. Dei omnipotentia non magis per extrinsecam assistentiam potest supplere defectum speciei, quàm defectum luminis: sed potest supplere defectum speciei: Ergo & luminis. *Denique* Deus per se ipsum facere potest quidquid faciunt causæ secundæ concurrentes solùm efficienter non vitaliter; potest enim calefacere sine igne, illuminare sine Sole: sed lumen istud effectivè solùm concurrit & non vitaliter: Ergo Deus per se ipsum supplere potest ejus defectum, præsertim cùm nulla contradictio contrarium suadeat, ut patebit in solutione argumentorum.

Dices 1. Implicat dari actum secundum sine actu primo; priùs enim est posse agere, quàm agere: sed lumen gloriæ est actus primus respectu visionis: Ergo implicat visio Dei sine lumine actuali aut habituali. *Deinde*: Implicat fieri posse visionem sine potentia: sed lumen

ſed ſolùm externam aſſiſtentiam præbentis, multò magis intellectus creatus per uberiorem Dei concurſum, à quo dependet eſſentialiter in operando, poterit fieri capax alicujus actus eliciendi, quem propriis & ſolitis viribus elicere non poſſet.

Objicitur Concilium Viennenſe.

Dices denique: Hæc ſententia directè militat in Concilium Viennenſe, Clementina *ad noſtrum &c.* in qua damnantur errores Begardorum & Beguinarum, dicentium: quòd anima non indiget Lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum; adeoque ex mente Concilii requiritur lumen ad viſionem beatificam: ſed ille concurſus uberior non eſt lumen: Ergo non ſufficit ad eliciendam viſionem beatificam.

Sed ſolvitur.

Nego majorem: Nihil enim aliud definit Concilium, quàm quòd requiratur auxilium aliquod ſupernaturale ad ipſam viſionem eliciendam, ſive interim auxilium illud ſit aliquid intrinſecum vel extrinſecum. Intentum enim Concilii erat, damnare errorem Beguinarum & Begardorum, dicentium animam ſeipſa ſuiſque naturalibus viribus fore beatam; ad quem errorem depulſandum ſufficiebat decernere viſionem beatificam non poſſe elici ſine aliquo ſupernaturali auxilio: ſive interim auxilium illud ſit aliquid extrinſecum vel intrinſecum, creatum vel increatum, partiale vel totale; quod Concilium reliquit indeciſum, tribuendo Scholaſticis, non errandi occaſionem (ut quidam malè opinantur) ſed opinandi & diſputandi libertatem, in illa re & ſententia, quæ authoritatibus & rationibus poterat utrimque agitari & librari.

Inſtabis: Concilium diſertè affirmat ad viſionem beatificam eliciendam deſiderari lumen: ſed concurſus ille uberior non eſt lumen: Ergo cenſet Concilium illum uberiorem concurſum non ſufficere.

Concurſus Dei lumen ritè poteſt appellari.

Reſpondeo equidem Concilium requirere lumen: ſed non decernere utrum lumen illud ſit vel objectivum, vel actuale, vel habituale. Nec eſt quòd vim facias in voce *luminis*, quaſi hæc ſoli auxilio intrinſeco actuali aut habituali propriè conveniat; nam certum eſt quòd hæc vox *lumen* tantùm metaphoricè conveniat auxilio intrinſeco, ſive habituali, ſive actuali, appellatione videlicet deducta à lumine corporali, ſine quo objectum videri nequit. Et quidem hac ratione concurſus Dei uberior, etiam lumen ritè poteſt appellari; Deus enim ipſe lux eſt; & Scriptura ſacra illud auxilium actuale non rarò lumen appellat, ut Pſalmo 12. *Illumina oculos meos* & alibi: Unde Concilium Tridentinum ſeſſione 6. c. 5. auxilium actuale præcedens infuſionem habituum, vocat *illuminationem*: Hinc S. Auguſtinus lib. 12. de Geneſi ad litteram cap. 31. dicit lumen quô illuſtratur anima, ut omnia vel in ſe, vel in illo veraciter intellecta conſpiciat, ipſum Deum eſſe.

Inſtabis denique: Concilium duos damnat errores. Primum, quòd quælibet natura intellectualis in ſe ipſa ſit beata naturaliter: Secundum, quòd anima non indigeat lumine gloriæ ipſam elevante: Ergo cenſet Concilium de facto requiri lumen quod animam elevet: ſed ſic non poteſt elevari per concurſum illum uberiorem: Ergo lumen requiſitum à Concilio, non poteſt intelligi de illo concurſu. *Deinde* Concilium talē videtur requirere elevationem

Tom. I.

A ad actum viſionis beatificæ, qualis requiritur ad actus ſupernaturales fidei, ſpei & charitatis: ſed ad hos actus eliciendos neceſſum eſt ut potentia elevetur per auxilium intrinſecum ſive habituale, ſive actuale: Ergo pariter tale auxilium neceſſarium erit ad viſionem beatificam.

Unicus error damnatur à Concilio.

Reſp. ad primum. Concilium unicum damnare errorem quod anima ſit ex ſe naturaliter beata, & nullo indigeat auxilio ſupernaturali, quæ mens erat Beguinarum & Begardorum; contra quos Concilium decernit animam non poſſe naturaliter eſſe beatam & non niſi aliquo auxiliante lumine potentiam elevante Deum poſſe videri. Non decernit autem an illud lumen adju- B vans ſit aliquid intrinſecum vel extrinſecum; ſed tantùm, quòd per illud potentia elevetur ad ordinem ſupernaturalem, quod æquè fieri poteſt per externum auxilium quàm per internum, quia talis elevatio potentiæ conſiſtit in hoc quòd reddatur potens ad faciendum aliquid excedens vires ejus naturales: id autem præſtare poteſt cum externo uberiori concurſu.

Ad ſecundum nego majorem: Nam Concilium nihil aliud determinat quàm quòd requiratur aliquod principium ſupernaturale ad eliciendam viſionem beatificam, ſicut requiritur habitus fidei, ſpei, & charitatis ad eliciendos actus ſupernaturales: non decernit autem an illud principium ſupernaturale ſit aliquid C intrinſecum, vel extrinſecum. Adde quòd Concilium loquatur de facto & de ſtatu præſenti; nos autem loquimur de ſtatu poſſibili, & de beneplacito Dei: ita quòd Deus per uberiorem concurſum ſupplere poſſet, ſi vellet, efficacitatem luminis; quod de facto admittimus probabilius eſſe lumen habituale, adeoque Concilium nec nobis adverſatur, nec nos illi.

Concluſio Ultima.

LUMEN *gloriæ non habet aliud munus nec alium influxum in viſionem beatificam, quàm concauſæ efficientis & concurrentis effectivè cum intellectu ad formandam illam viſionem*: Hæc eſt D communior contra Thomiſtas affirmantes lumen deſiderari ut diſponat intellectum ad recipiendam viſionem beatificam, & ad efficiendam unionem ipſius intellectus cum objecto beatifico.

Unicum munus luminis gloriæ eſt concurrere effectivè cum intellectu. Quia habitus ſupernaturalis deſideratur tantùm ad producendos actus ſupernaturales.

Probatur Concluſio: Non aliter habitus ſupernaturales deſiderantur, quàm quia potentia ex ſe inſufficiens ad eliciendos actus ſupernaturales, per illos habitus ſit potens ad producendos tales actus, & connaturaliter cum illis concurrit ad eorum productionem: Ergo cùm lumen gloriæ ſit habitus ſupernaturalis, non alium cenſetur habere influxum in intellectum E creatum quàm illum elevare & cum ipſo concurrere ad formandam viſionem beatificam. *Probatur* antecedens: Non enim habitus ſupernaturales fidei, ſpei & charitatis, v. g. habent alium influxum aut in potentiam aut in actum, quàm effectivum; nec alio modo cenſentur diſponere potentiam ad eliciendos & recipiendos actus quàm concurrendo efficienter ad illorum actuum productionem.

Non requiritur diſpoſitio prævia ad viſionem, neque quatenus eſt forma ſupernaturalis.

Deinde: Si alium influxum præter effectivum haberet lumen gloriæ; maximè quia diſponere deberet intellectum ad recipiendam viſionem, ita quòd ſine hac diſpoſitione non poſſet actus viſionis in intellectu recipi; ſed falſum

conſeqnens : Ergo & antecedens. Majorem admittunt Thomiſtæ. *Minor* verò probatur : Si non poſſet intellectus recipere viſionem abſqne aliqua diſpoſitione formali prævia, maximè vel quia ille actus cùm ſit ſupernaturalis in ſubſtantia, non poſſet recipi in intellectu qui eſt potentia naturalis, niſi præviâ hâc diſpoſitione ; vel quia talis viſio eſt actus talis naturæ, ut hanc diſpoſitionem ſupernaturalem ad ſui receptionem exigat : ſed neotrum dici poteſt. *Non primam*, Tum quia habitus fidei, ſpei & charitatis ſunt formæ ſupernaturales in ſubſtanzia, & tamen recipiuntur in potentia naturali abſque ulla prævia diſpoſitione ſupernaturali : Tum quia ſi deſideraretur neceſſariò diſpoſitio ſupernaturalis in potentia naturali ad recipiendam formam ſupernaturalem, fieret proceſſus in infinitum; cùm enim illa forma diſponens etiam eſſet ſupernaturalis, aliam formam præexigeret in potentia naturali ad ſui receptionem & hæc aliam & ſic in infinitum : Ergo ex eo quòd viſio ſit forma ſupernaturalis, non debet intellectus diſponi ad eam recipieodam per aliam formam ſupernaturalem. Non etiam *ſecundum* : Nulla enim aſſignari poteſt ratio particularis in viſione beatifica ob quam ſpecialiter exigeret hnjuſmodi diſpoſitionem, niſi fortè quia eſt perfectior forma quàm ſint aliæ formæ ſupernaturales : ſed ex hoc capite non requiritur talis diſpoſitio ; ſi enim forma ſupernaturalis minùs perfecta poſſit abſque tali diſpoſitione recipi, quidni etiam & magis perfecta ?

Neque quatenus eſt forma cæteris perfectior.

Dices 1. Idcirco requiritur lumen gloriæ in intellectu ad eliciendam viſionem beatam, quia intellectus ex natura ſua eſt improportionatns ad illam productionem : ſed intellectus non eſt minùs improportionatus ad recipiendam viſionem quàm ad eam producendam : Ergo ſi propter illam improportiooem viſio beata ut actio eſt, exigit lumen, etiam illnd exigit ut receptio eſt.

Cur viſio beata exigat lumen gloriæ ut actio eſt, & non ut paſſio.

Nego paritatem : Et ratio diſpatitatis eſt quòd viſio, ut actio eſt, procedere debet à principio effectivo connaturaliter operante, effectns enim procedit à virtute ſuæ canſæ quæ ipſnm virtualiter præcontinet, poteſtque hæc viſio procedere ab hujuſmodi principio abſque eo quòd detur proceſſus in infinitum : viſio autem, ut paſſio eſt, non exigit recipi in priucipio connaturaliter recipiente ; id eſt quod ſit ejuſdem ſtatus cum tali forma recepta; eò quòd aliàs fieti deberet proceſſus in infinitum ut dictum eſt : Unde meritô Doctor in 4. diſt. 49. quæſt. 11. num. 8. cùm dixiſſet animam humanam ex ſe eſſe immediatè ſuſceptivam beatitudinis, nec ad eam ſnſceptionem diſponi per aliquid accidentale; alioqui eſſet tantùm beata ſecundùm quid & ſolùm mediatè, concludit, *Ideo dico qaòd anima humana in puris naturalibus eſt immediatum ſaſceptivam beatitadinis : adeoqae intellectas creatas ex ſolis uatara viribus ſaſceptivus eſt viſionis beatificæ ; uec ad illam ſuſceptionem indiget aliqua forma prævia ſupernaturali, licet indigeat ad illius viſionis productionem.*

Quæstio Tertia.

Au & quomodo intellectus concurrat ad formandam viſionem beatificam ?

Expositis jam duobns principiis extrinſecè advenientibus potentiæ cognoſcitivæ ut ipſam compleant in ordine ad ſuam eliciendam operationem ; Specie nimirum impreſſa ex parte objecti, Lumine verò gloriæ ex parte potentiæ, quæ ipſam ſtatuunt in actu primò, ut ſuam poſſit exerere actionem : jam decernendum eſt qualiter intellectus tali ſpecie impreſſa, aut luoine gloriæ instructus, concurrat ad formandam viſionem beatam : videlicet an phyſicè & activè eam producat, an verò ſolùm illam à lumine gloriæ vel à Deo ſolo productam recipiat : inſuper an eam producat, ut cauſa princeps, an tantùm nt cauſa inſtrumentalis.

Notandum 1. duplicem ſolitò diſtingui intellectum, juxta diverſitatem ipſius muneris, unum quidem Ageutem, alium verò Patieotem. Prior eſt, qui immiſſas à ſenſibus extetnis & phantaſia ſpecies ſenſibiles velut recipit, & ad earum præſentiam ſpecies intelligibiles ſeu imagines ſpitituales repræſentativas rerum, quæ à ſenſibus percipiuntur, cudit & exprimit. Poſterior verò dicitur illemet intellectus, qui ejuſmodi formatam ſpititualem imaginem in ſe recipit, ut per eam formaliter fiat intelligens: Unde intellectio incboativè dicitur conſiſtere in illa intellectûs actione quâ producit ipſam imaginem ; conſummativè autem in ejuſdem imaginis receptiooe. In eo namque formaliter conſiſtit intellectio, quod intellectum aſſimilat rei intellectæ, eumque formaliter intelligentem efficit : ſed id præſtatur incboativè per actionem productivam illius imaginis ſpiritnalis quæ ; *verbum mentis* ſolitò dicitur ; completè verò per ejuſdem verbi & imaginis receptionem ; illa ſiquidem imago cùm ſit rei intellectæ expreſſa ſimilitudo, proculdubio intellectum informando & ei adhærendo, ipſum cum objecto cognito aſſimilat, adeoque completè intelligentem efficit.

Intellectus duplex, ag. & patiens.

Quid uterque.

In quo ſita ſit intellectio.

Notandum 2. quòd cùm duplex ſit locutio, externa una & ſenſibilis, interna altera & ſpiritualis, etiam duplex verbum ſolitò diſtinguitur ; aliud quidem *oris*, quô homines alios alloquentes ſuos ipſis conceptus internos exponunt ; aliud verò *mentis*, eſtque ipſamet locutio interna ſeu conceptûs formazio, quâ nimirum intellectus exprimit ſimilitudiuem & imaginem objecti quod conſpicit. Hoc autem verbum mentis definitur à Doctore in 1. *diſt*. 27. *quæſt*. 3. actus intelligentiæ productus à memoria fœcunda habens eſſe ſolùm dependenter ab actuali cognitione. Dicitur quidem *actus intelligentia*, quia conſtituit animam formaliter intelligentem, ſicut calor conſtituit calidum. Secundò formatur *à memoria fœcauda*, id eſt ab intellectu informato & quaſi gravido ſpecie intelligibili objecti. Cætera adduntur ut ſignificerur completam intellectionem conſiſtere in ipſiuſmet verbi præſentia, quod tamdiu habet eſſe quamdiu ipſa objecti cognitio perſeverat.

Quid verbum oris.

Quid verbũ mentis.

Notandum 3. duplicem ſolitò diſtingui cau-

Cauſa efficiens al[...]

principalis alia instrumentalis.

ſam efficientem ; unam quidem principem, aliam verò inſtrumentalem. Prior eſt quæ in effectum phyſicè influit per virtutem ſibi propriam & intrinſecam: Poſterior verò quæ influit ſolùm per virtutem alterius illam moventis. Probabilius namque eſt cauſam inſtrumentalem non eſſe propriè ex ſe activam, ut cum Doctore *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 14. docuimus in Phyſicis *quæſt.* 5. *de cauſa inſtrumentali*; An autem intellectus creatus habeat rationem cauſæ principis vel ſolùm inſtrumentalis in viſione beatifica, decernendum erit hac in quæſtione: in qua tria proponuntur reſolvenda: Primum an intellectus creatus phyſicè concurrat ad beatificam viſionem. Secundum an concurrat ut cauſa princeps. Tertium, an producat verbum mentis.

Quæſtionis diſtributio.

Conclusio Prima.

Intellectus eſt cauſa activa partialis viſionis beatificæ.

INTELLECTUS *concurrit partialiter cum lumine gloriæ ad Phyſicè, activè, & immediatè producendam viſionem beatificam.*

Probatur: Primò quidem, quia omnis intellectio producitur à mente, ſicut volitio à voluntate: Ergo etiam cognitio & viſio beatifica phyſicè producitur ab intellectu creato, ſicut amor beatificus à creata voluntate. Antecedens patet ex communi ſanctorum Patrum ſententia, quam ſic expendit S. Auguſtinus lib. 9. de Trinitate cap. ultimo: *Ipſa mens*, inquit, *quaſi parens, & notitia ejus quaſi proles ejus; mens enim cum ſe cognoſcit notitiam ſui gignit, & eſt parens notitiæ ſuæ.* Patet etiam conſequentia: Non minùs enim intellectus concurrere debet ad formandam viſionem beatam, quàm voluntas ad eliciendum amorem beatificum: ſed voluntas concurrit activè & phyſicè ad amorem beatificum, & ad alios actus ſupernaturales, alioqui libertas non eſſet & indifferentia in actibus meritoriis, qui verè ſupernaturales ſunt: Ergo etiam intellectus phyſicè concurrit ad formandam viſionem ſupernaturalem. *Inſuper* viſio beata eſt actus vitalis: Ergo connaturaliter produci debet phyſicè à potentia vitali: ſed non ab alia quàm ab intellectu: Ergo intellectus phyſicè concurrit ad formandam viſionem beatam.

Quia viſio eſt actus vitalis.

Denique Nobilior modus operandi tribuendus eſt intellectui creato, qui tribui poteſt abſque ulla contradictione & repugnantia: ſed nobilior eſt operatio, quâ producitur ipſa cognitio, quàm ſit ejus receptio: Ergo productio phyſica viſionis beatæ intellectui creato tribui debet. Major patet, Nobilius eſt enim agere quàm pati, quia actio virtutem majorem & independentiam importat: Paſſio verò dependentiam, & quandam infirmitatem & imbecillitatem adjunctam habet; quidquid enim patitur, à fortiori vincitur & ſuperatur.

Nec obſtat quòd ſit ordinis ſupernaturalis.

Probo minorem: Si quid obeſſet quominùs intellectus diceretur activè concurrere ad formandam viſionem beatam, maximè quia illa eſt ordinis ſupernaturalis: ſed hæc ratio non officit; Tum quia de facto potentia naturalis cooperatur ad actus ſupernaturales; v. g. voluntas ad actum charitatis & contritionis, ut colligitur ex Tridentino Seſſione 6. can. 4. ubi anathematizatur *Qui dixerit liberum hominis arbitrium, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, ſed veluti inanime quodam nihil omnino agere, mereque paſſivè ſe habere:* Ergo cenſet Concilium voluntatem creatam cooperari poſſe actui meritorio qui eſt ordinis ſupernaturalis: quidni ergo & intellectus cooperari poterit viſioni beatificæ, licet ſit ſupernaturalis? Tum quia (inquit Poncius) viſio beata eſſe poſſet ſupernaturalis quamvis ad eam concurreret cauſa naturalis; ſicut enim ſpecies intelligibilis impreſſa, ad quam producendam concurrit phantaſma corporeum, eſt ſpiritualis; & ſicut homo dicitur corporeus, quamvis concurrat ad ipſum conſtituendũ anima ſpiritualis; ſic viſio poſſet eſſe ſupernaturalis, quamvis cauſa aliqua naturalis concurreret ad ipſam, modò etiam alia cauſa ſupernaturalis, quale eſt lumen gloriæ, etiam ſimul concurrat.

Adde quòd illud dicatur ſupernaturale, quod non poteſt produci abſque principio ſupernaturali, ſive concurrat ad ipſum aliud principium quod eſt naturale ſive non: Ergo cùm viſio beata produci nequeat ſine auxilio ſupernaturali, non minùs erit dicenda ſupernaturalis, quamvis ad ejus productionem activè concurrat intellectus, qui eſt potentia quidem ex ſe naturalis, ſed per lumen gloriæ elevata ad ordinem ſupernaturalem.

Dices 1. Intellectus non poteſt activè concurrere ad viſionem beatam, quin pariter activè concurrat ad ejus ſupernaturalitatem: ſed nequit activè concurre ad ejus ſupernaturalitatem; ſed ſolùm ad ejus vitalitatem: Ergo nec ad illius entitatem. Major patet: Minor probatur: Non magis intellectus concurrere poteſt ad ſupernaturalitatem viſionis beatæ: quàm lumen gloriæ ad ejus vitalitatem: ſed lumen gloriæ per ſe non concurrit ad vitalitatem quia eſt principium inanime: Ergo à paritate rationis non poterit etiam intellectus concurrere ad ſupernaturalitatem, & conſequenter non etiam concurret ad entitatem viſionis quæ eſt formaliter ſupernaturalis. Adde quòd vitalitas ipſius viſionis beatæ, eſt etiam formaliter ſupernaturalis, adeoque ſi intellectus non concurrat immediatè & præcisè ad ſupernaturalitatem; etiam non concurret ad vitalitatem, & conſequenter phyſicè non concurret ad viſionem beatam.

Reſpondeo: Quòd cùm formalitates illæ *vitalitatis* & *ſupernaturalitatis* non ſint realiter diſtinctæ ab actu viſionis, ſed reſultent tantùm ex diverſo modo, quô actus ille procedere dicitur à ſuis cauſis; ideo actus viſionis beatæ ſecundùm realem ſuam entitatem, adeoque ſecundùm vitalitatem, & ſupernaturalitatem, realiter procedit tam ab intellectu quàm à lumine gloriæ, licet non dicatur procedere ab utroque ſeorſim præcisè ſecundùm ſuas formalitates. Nam ut actus procedere dicatur à lumine ſecundùm formalitatem vitalitatis, deberet dici vitalis præcisè quatenus eſt à lumine, quod implicat; cùm enim lumen ſit in anima, non poteſt dici principium ipſius vitalitatis per ſe præcisè, ſed ſolùm quatenus concurrit phyſicè ad entitatem viſionis quæ ſupernaturalis ſimul & vitalis eſt: Unde negari debet minor, nimirum quod intellectus concurrat ad viſionem ſolùm quatenus vitalis eſt, non autem quatenus eſt ſupernaturalis. Cùm enim concurrat ad entitatem viſionis; etiam concurrit ad id omne quod realiter identificatum eſt ipſi viſioni; proindeque ad ſupernaturalitatem, quæ idem

Vitalitas & ſupernaturalitas realiter identificantur in actu viſionis.

est realiter cum ipsa visione.

Instabis: Visio beata est adæquatè & formaliter supernaturalis: Ergo procedere debet adæquatè à principio supernaturali: sed intellectus præcisé non est principium supernaturale; agit enim per virtutem sibi innatam, quæ omnino ex se & intrinsecè naturalis est. Ergo illa visio procedere nequit physicé ab intellectu.

Visio tota producitur ab intellectu & lumine gloriæ tanquam à principio adæquato, & quatenus vitalis est, & quatenus supernaturalis.

Nego majorem: Ex hoc enim sequeretur ipsam visionem non etiam produci à lumine, quia cùm sit vitalis, exigeret principium adæquatum vitale, quale non est lumen. Ideoque sufficit ad rationem adæquati principii hujus visionis, quod fiat ab uno principio supernaturali formaliter, quale est lumen, & ab alio supernaturali tantùm extrinsecè & per elevationem, qualis est intellectus beatus; Intellectus enim beatus elevatus per lumen gloriæ, unicum efficit cum ipso principium adæquatum visionis, quæ tota producitur ab utroque conjunctim & quatenus vitalis, & quatenus supernaturalis; quia tam lumen quàm intellectus concurrunt ad entitatem ipsius visionis; quæ realiter vitalis & supernaturalis est.

Objicitur Doctor Subtilis.

Dices 2. Doctor Subtilis pluribi affirmat intellectum se habere merè passivè ad intellectionem, quam censet causari principaliter ab objecto, maximè ad visionem beatificam. Nam in 1. d. 3. q. 8. n. 2. cum probasset *quod pars intellectiva habet principaliorem causalitatem respectu cognitionum modò nobis naturaliter convenientium*; *quia*, inquit, *illa causa est principalior qua agente alia causa coagit, & non è converso: Intellectu autem nostro agente ad intellectionem, objectum in se vel in sua specie coagit, &c.* Concludit: *Tamen aliquod objectum excedens multùm facultatem partis intellectivæ, putà objectum beatificum ut clarè visum posset poni habere totam causalitatem respectu visionis, aut principaliorem quàm pars intellectiva, & hoc propter excellentiam talis objecti & propter defectum partis intellectivæ.* Ergo censet Doctor intellectum beatum non concurrere activè ad visionem beatificam.

Qui nostræ sententiæ favere evidenter demonstratur.

Distinguo. Censet probabiliter, concedo: assertivè, nego, ut constat ex præfatis verbis. Imo magis in nostram quàm in oppositam sententiam propendet: Subdit enim. *sed de hoc in quarto libro*, ubi fusiorem hac de re disceptationem & planiorem sententiam affirmat se propositurum. Constat autem ex 4. d. 4. q. 11. n. 9. quod censeat intellectum esse productivum visionis beatificæ; ibi enim disputans de necessitate luminis gloriæ, ait, *Si tamen aliquid supernaturale ponitur in beato priùs operationibus, hoc non erit propter receptionem, sed propter actionem, ut eliciatur operatio in beato quâ attingit Deum.* Itaque apertè fatetur intellectum esse activum & productivum cum ipso lumine gloriæ, si detur, ut revera dari etiam ex ipsius Doctoris sententia satis superque probavimus in præcedenti quæstione.

Confirmatur ex quodlib. q. 14. ubi cum plures authoritates ex S. Aug. adduxisset, quibus probaret visionem beatam vel ab objecto beatifico, vel ab intellectu produci, pluresque protulisset rationes ad demonstrandum intellectum non solùm esse facultatem passivam & receptivam; sed etiam activam & productivam, tandem concludit: *Concedo igitur authoritates priùs adductas, ad quascumque affirmativas, sive de intellectu, sive de objecto; verum quidem est quod utrumque istorum est aliquomodo activum ad intellectionem; sed activum partiale; ambo autem integrant unum activum totale.*

A

Conclusio Secunda.

Intellectus concurrit principaliter ad visionem.

INtellectus *cum lumine gloriæ concurrit ad visionem beatificam, ut causa principalis.* Hæc est communis inter Scotistas. Probatur primò. Illa causa concurrit ad effectum ut principalis, quæ ipsum producit per virtutem sibi intrinsecam & connaturalem: sed intellectus creatus ita producit visionem beatificam; illam enim producit per innatam virtutem intelligendi elevatam per lumen gloriæ: Ergo est illius causa principalis. In hoc enim causa principalis ab instrumentali discrepat, quod hæc operetur tantùm per virtutem externam & sibi aliunde ascitam: illa verò per internam vim agendi sibi connaturalem. *Deinde*, Intellectus lumine gloriæ instructus, est causa principalis visionis beatæ, si præter ipsum nulla alia possit assignari: sed præter intellectum nulla alia assignari potest causa visionis beatæ. Probo. Illa causa dicenda est principalis visionis, quæ dicitur videre Deum: sed præter intellectum nihil est quod dici possit videre Deum; illud enim aliud si quod esset, maximè vel Deus, vel lumen gloriæ: sed nec Deus, nec lumen gloriæ dici possunt videre Deum visione creata: Ergo nec causa principalis beatitudinis appellari. *Denique* Visio est effectus vitalis: Ergo exigit causam principalem quæ sit vitalis; illa autem neque est Deus, quia cum sit actio interna & immanens, non potest habere solam causam externam, qualis est Deus: neque etiam est lumen gloriæ, quia cum sit inanime non potest dici principium actionis vitalis, maximè immanentis: Ergo restat ut intellectus dicatur causa principalis beatæ visionis.

B

C

D

Dices 1. Quoties aliqua causa est ignobilior effectu quem producit, toties dicenda est causa instrumentalis, non autem principalis: sed intellectus etiam instructus lumine gloriæ est ignobilior visione beata: Ergo est illius causa instrumentalis non principalis. Major constat: Quamvis enim contingere possit, ut aliquando instrumentum sit nobilius effectu quem producit, per virtutem obedientialem, v.g. si Angelus produceret formicam; tamen fatentur omnes, quòd causa ignobilior effectu producto, nusquam ritè potest principalis appellari; quia effectus nobilior nunquam est proportionatus, & connaturalis causæ minùs nobili. *Probatur ergo minor.* Entitas adæquatè vitalis & intrinsecè supernaturalis, nobilior est entitate vitali, & supernaturali, solùm inadæquatè: sed intellectus lumine gloriæ instructus, est tantùm supernaturalis inadæquatè; similiter lumen gloriæ est solùm vitale inadæquatè, idest ratione intellectûs cui conjungitur: igitur visio beata nobilior est intellectu etiam instructo lumine gloriæ; proindeque hic non potest illius esse causa principalis.

E

Intellectus lumine gloriæ instructus perfectior est visione beatifica.

Nego minorem: Cùm enim intellectus sit facultas substantialis solùm formaliter distincta ab anima, sit etiam elevandus ad ordinem supernaturalem beneficio luminis gloriæ, certum est ipsum longè præstantiorem esse visione beatifica, quæ solùm est accidens, adeo-

que minùs perfecta quàm substantia. Nec refert quòd intellectus sit tantùm extrinsecè supernaturalis; quia substantia etiam naturalis nobilior est quolibet accidente supernaturali, secundùm rationem entis; accidens enim quantumcumque supernaturale, est semper à subjecto dependens; adeoque minùs nobile quàm substantia cui inhæret & à qua dependet: Ergo multò magis intellectus ad ordinem supernaturalem elevatus, nobilior erit visione beata; adeoque hac ratione non debet dici causa instrumentalis respectu illius.

Dices 2. Potentia obedientialis activa, semper est instrumentalis cùm producat effectum improportionatum & debitum illi soli causæ per quam elevatur: sed intellectus etiam instructus lumine gloriæ, agit per virtutem obedientialem divinitùs elevatam: Ergo non producit visionem beatificam ut causa principalis, sed ut instrumentalis.

Intellectus habet proportionem inchoatam cum visione beatifica.

Distinguo majorem: Quando illa potentia obedientialis nullam omnino proportionem habet cum effectu producendo, sicut Sacramenta v. g. nullam omnino proportionem habent cum gratia sanctificante ad cujus productionem concurrunt effectivè instrumentaliter in sententia Thomistarum, concedo: quando illa potentia aliquam habet proportionem saltem inchoatam cum effectu producendo, nego: Intellectus autem ex se proportionem habet saltem inchoatam cum visione beatifica, ut jam sæpe diximus, solùmque eget lumine gloriæ, ut hæc inchoata virtus elevetur ad superiorem & supernaturalem ordinem: ac proinde visionem illam beatam producit per virtutem sibi innatam & ut causa principalis: Adde quòd cùm visio illa beata sit actus vitalis, proportionem habet connaturalem cum intellectu.

Dices 3. Ideo intellectus dicitur causa princeps visionis beatæ, quia cùm hæc sit actus vitalis, necessariò produci debet à facultate vitali: sed ex communi Doctorum sententia, maximè Doctoris Subtilis locis assignatis à Smisingo *num.* 279. Deus solus producere potest actum vitalem & immanentem in potentia vitali absque ejus effectivo concursu, quo casu inquit Smising, potentia rectè denominabitur cognoscens vel appetens: Ergo ex vitalitate cognitionis beatæ non rectè infertur intellectum creatum esse illius causam principalem.

Intellectus non minùs est causa princeps actûs vitalis, licet à solo Deo possit produci.

Distinguo majorem: Ratio principalis causalitatis in intellectu colligitur ex vitalitate secundùm legem ordinariam, concedo: secundùm extraordinarium modum operandi, nego: Fateor equidem Deum posse producere in facultate naturali actum vitalem, absque illius facultatis concursu; sed exinde non minùs intellectus censeri debet causa principalis ordinaria illius visionis: Sicut ignis non minùs dicitur causa principalis combustionis, licet ipsam Deus producere posset independenter ab ipsius ignis concursu.

Conclusio Tertia.

Visio beatifica est verbum mentis.

IN *visione beatifica datur species expressa seu verbum mentis*. Hæc est communis inter Theologos contra nonnullos recentiores Thomistas.

Idque probatur.

Probatur: Verbum est similitudo objecti, ab A intellectu producta & expressa: sed in visione beata datur hæc similitudo: Ergo datur etiam verbum. Major patet ex Philosophia. Minor verò probatur: Primò quidem ex Scriptura 1. Joannis 3. *Cum apparuerit similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est*. Secundò ex Augustino lib. 14. de Trinitate cap. 17. ubi sermonem faciens de visione beata, ait: *In hac imagine tunc perfecta erit similitudo quando Dei perfecta erit visio*: Et lib. 15. cap. 16. *Quando*, inquit, *videbimus eum sicuti est, tunc verbum nostrum non erit falsum*: Sentit ergo S. Augustinus produci verbum in visione beata. Tertiò denique ex S. Thoma 1. parte quæst. 27. art. 1. B ubi ait: *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid inter ipsum quod est conceptio rei intellectæ*. Quasi diceret, quod in quacumque natura intelligente tam humana quàm Angelica datur processio verbi; ex quo infert contra Arianos & Sabellianos, contra quos maximè disputat, dari etiam Verbum in Deo, qui cùm sit naturæ intelligentis & in supremo intellectualitatis gradu, etiam intra ipsum dari debet Verbi processio: Cassa autem & nulla foret S. Thomæ ratiocinatio & illatio, si esset aliqua intellectio creata eaque perfectissima, qualis est beata visio, in qua verbum non produceretur: Reponere namque posset Arianus, equidem produci verbum per cognitionem C imperfectam; non autem per cognitionem perfectissimam creaturæ; adeoque ex productione verbi à creaturis non ritè inferri eandem verbi productionem fore in Deo intelligentium omnium perfectissimo. Quòd autem illa sit genuina mens sancti Thomæ, patet insuper tractatu de veritate quæst. 4. art. 2. ubi cum dixisset; *Verbum est aliquid realiter progrediens ab altero*, addit, *quod universaliter verum est de omni quod à nobis intelligitur sive per essentiam videatur, sive per similitudinem*: Ergo censet S. Thomas etiam in visione beata in qua Deus per essentiam videtur, formari verbum.

1. Ex S. Augustino.

2. Ex S. Thoma.

3. Rationibus.

D *Secundò*: Visio beata est actio: sed non datur actio sine termino à se distincto & producto; actio enim est effectio alicujus termini seu via est & tendentia ad terminum: Ergo in visione beata debet dari aliquis terminus productus: ille autem terminus dicitur verbum mentis: Ergo verbum mentis datur in visione beata. Probatur major: Omne reale quod non erat priùs, fieri debet de novo per aliquam actionem, nisi sit ipsamet actio; nihil enim est de novo reale, quin fiat realiter: sed visio Dei est realis quæ non erat priùs in intellectu antequam beatificaretur: Ergo vel fieri debet de novo per actionem realem, vel debet esse ipsamet actio. E

Præsentia immediata objecti non impedit productionem verbi.

Tertiò: Si quid obstaret quominus visio beata esset verbum mentis aut productiva verbi, maximè quia Essentia divina est per se intellectui beato præsens in ratione objecti immediatè intelligibilis; sed hæc præsentia & intelligibilitas immediata objecti non impedit productionem Verbi: Pater enim æternus producit verbum, licet cognitio ejus sit intuitiva, & Essentia divina sit ipsi maximè præsens, summéque & immediatè ab eo intelligibilis: Ergo summa præsentia & intelligibilitas Essentiæ divinæ, non impedit productionem verbi.

Dices 1. Verbum est id quod immediatè intelligitur, & quo mediante objectum percipi-

tur: sed Deus non percipitur in visione beata aliquo mediante: si enim aliquid mediaret inter Deum & intellectum beatum, visio beatifica jam non esset immediata, nec intuitiva: Ergo in visione beatifica non datur verbum.

Verbum non est medium *quod* sed mediū *quò*.

Nego majorem: Nam illud verbum est ratio formalis cognoscendi objectum, non autem est id quod cognoscitur: Unde licet percipiatur verbum, non minùs objectum immediatè cognoscitur, quia non est medium *quod*, sed medium *quò* objectum videtur.

Dices 2. Si per visionem beatam producatur verbum, maximè quia quælibet intellectio est verbi productiva: sed falsum consequens, nam Filius & Spiritus sanctus intelligunt Essentiam divinam, & tamen nullum verbum producunt: Ergo quælibet intellectio non est verbi productiva; proindeque non ritè infertur dari verbum in visione beatifica.

Cur Filius & Spiritus sanctus non producant verbū per suam intellectionem.

Distinguo majorem duobus modis. Primò quidem: Quælibet intellectio est productiva verbi quando verbum seu terminus est distinguibilis realiter à producente, concedo: secus, nego: Unde ad minorem dico, equidem Filium & Spiritum sanctum non producere verbum per suam intellectionem, quia tantùm intelligunt intellectione essentiali, quæ non est distinguibilis ab ullo termino excogitabili, cùm sit absoluta & communis tribus Personis.

Distinguo secundò eandem majorem. Tunc intellectio est productiva verbi quando non est exhausta per verbum jam productum, concedo: quando jam est exhausta per verbum productum, nego: Intellectio autem Filii & Spiritus sancti jam exhausta est per verbum productum à cognitione & intellectione Patris. Hæc patebunt clariùs in Tractatu de Trinitate.

Dices 3. Si daretur verbum seu species expressa Dei, Deus videri posset intuitivè, etiam si non esset præsens: sed falsum consequens: Ergo & antecedens. Probatur major: Qui videret hanc speciem expressam, videret Deum per eam repræsentari sicut est in se formaliter: Ergo qui videret hanc speciem, videret Deum ut in se est: sed videre Deum ut in se est, est videre Deum intuitivè: Ergo qui videret hanc speciem, videret Deum intuitivè etiam si foret absens.

Etiamsi detur verbū, non sequitur tamen quod Deus absens intuitivè videri possit.

Nego majorem: Illa enim species seu verbum mentis, non est species objectiva in qua tanquam in medio priùs cognito Deus videretur intuitivè; implicat enim dari aliquam creaturam quæ contineat eminenter & formaliter omnem cognoscibilitatem, sed esset tantùm medium quò Deus de facto cognoscitur à vidente ipsum: Ergo licet aliquis videret hoc verbum mentis, non propterea diceretur videre Deum intuitivè per hujus verbi conspectum, quia tale verbum non est ratio videndi Deum, nisi illi qui ipsô verbô utitur ad Deum de facto percipiendum & videndum.

Sectio Tertia.

De objecto visionis beatificæ.

Objectum visionis beatificæ aliud primarium, aliud secundarium.

EXpositis jam principiis concurrentibus ad formandam visionem beatificam ex parte potentiæ & objecti, jam de objecto ipso agendum est, in quo plura sese offerunt discutienda, cùm enim duplex solitò distinguatur objectum beatificum, primarium videlicet & secundarium; de utroque hac in Sectione agendum est sequentibus in quæstionibus.

Quæstio Prima.

Quodnam sit objectum primarium beatæ visionis: & quomodo Deus videatur à Beatis?

Quid primarium.

NOtandum 1. objectum *Primarium* beatæ visionis illud appellari, quod primò & per se, & non ratione alterius percipitur à Beatis, illorumque visionem terminat; *Secundarium* autem illud dicitur, quod videtur mediante altero, in quo continetur vel eminenter vel virtualiter.

Quid secundarium.

Discrimen inter utrūque.

Differunt autem hæc duo objecta, quòd Primarium sit simul objectum materiale & formale, id est, id quod videtur, & ratio videndi seu veluti medium quô cætera percipiuntur: objectum verò Secundarium, non sit nisi objectum materiale, quia videtur tantùm mediante primo, quod priùs debet cognosci, quàm secundum videatur.

Multiplex in Deo continentia.

Notandum 2. ea quæ in Deo sunt, Alia in eo contineri formaliter, ut essentia, attributa, & relationes; Alia solùm eminenter & virtualiter, ut creaturæ omnes tam existentes, futuræ, & præteritæ quàm possibiles. *Rursus*, Ea quæ sunt in Deo formaliter, Aliqua sunt necessaria, ut attributa & relationes; Alia verò libera, ut decreta voluntatis divinæ. *Denique* necessaria, Alia sunt absoluta nullumque dicunt ordinem ad creaturas, ut quædam divina attributa, ac omnes modi intrinseci; Alia verò dicunt quendam respectum saltem rationis ad Creaturas, ut Omnipotentia, Scientia, Ideæ, &c.

Proponitur quæstio quæ duplicem in partem à Theologis distribuitur.

Notandum 3. circa objectum primarium & ea quæ formaliter sunt in Deo, duplicem inter Theologos agitari controversiam. Primam quidem, utrum de facto omnes Beati videant ea omnia quæ formaliter sunt in Deo, sive necessaria sint, sive absoluta, sive relativa. Secundam verò, utrum videri possit saltem per extraordinariam Dei potentiam unum attributum aut una Persona divina sine aliis Personis & attributis.

Conclusio Prima.

Beati vident omnia quæ sunt in Deo formaliter Probatur authoritate Concilij Florentini.

BEati *videntes Deum, vident formaliter & distinctè ipsam Dei essentiam, Personarum Trinitatem, Attributa omnia, secundùm proprias eorum rationes.* Hæc videtur esse de Fide definita in Concilio Florentino in Litteris unionis, ubi dicitur, *Deus unus & trinus videtur à Beatis*, & colligitur ex variis Scripturæ locis. Primò quidem Joannis 17. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te verum Deum*, quem textum sic expendit sanctus Augustinus librô primô de Trinitate cap. 8. *Hoc fiet*, inquit, *cùm venerit Dominus & illuminaverit occulta tenebrarum; hoc erit mane nostrum de quo in Psalmo dicitur*, Mane adstabo tibi & videbo, *id est cùm perduxerit justos, in quibus nunc ex fide viventibus regnat, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus ad contemplationem Dei, & Patris.* Secundò Joannis 4. *Qui videt me, videt & Patrem*, quem locum expendens idem Augustinus in Psalm. 48. *Forte*, inquit, *videndo Patrem & non Filium, erimus beati: ipsum audi*

Scripturæ sacræ.

audi Christum: Qui videt me, videt & Patrem. *Cùm enim unus Deus videtur, Trinitas videtur, &c.* Tertiò ex primæ Joannis cap. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus & videbimus eum sicuti est*: sed Deus est in se Unus & Trinus, Justus, Sapiens, &c. Ergo ut talis videtur à Beatis.

SS. Patrum maximè Nazianzeni

Secundò: Id ipsum distinctè affirmant sancti Patres: maximè Nazianzenus oratione 11. ubi sic ait, *Supremæ Trinitatis purior erit illuminatio, non jam vinctam mentem, & per sensus diffusam suffugientis, sed totam se toti menti contemplandam ac tenendam præbentis, totoque Divinitatis lumine nostris animis affulgentis*: Et oratione 15. *Illos*, inquit, *lux omni luce clarior excipiet & sanctæ regiæque Trinitatis puriùs jam & clariùs illuminantis, totamque se cum tota mente miscentis contemplatio.*

Et August.

Item Augustinus lib. de Catechisandis rudibus cap. 25. *Omnes*, inquit, *deliciæ Deus erit, & societas sanctæ Civitatis in illo, & de illo sapienter & beatè viventis: efficiemur enim, sicut ab illo promissum speramus & expectamus, æquales Angelis ejus; & cum eis pariter illa Trinitate perfruemur.*

Postremò ratione Theologica.

Tertiò denique. Id ipsum ratio Theologica suadet. Visio beata est quidditativa & intuitiva: Ergo se extendit ad ea omnia quæ spectant Dei quidditatem & entitatem, ac proinde ad essentiam, attributa, relationes, &c. quæ ipsi essentiæ realiter identificantur.

Deinde visio beata est merces fidei nostræ, *Nam*, inquit Augustinus librô de diligendo Deo cap. 18. *quod hîc crediderunt, ibi videbunt*: juxta illud Psalmi: *Sicut audivimus*, nempe per fidem quia fides ex auditu, sic *vidimus in Civitate Domini virtutum*; adeoque clarè cognoscitur in patria quod hîc in via obscurè per fidem revelatur, sed per fidem nobis obscurè revelantur ea quæ spectant ad divinam Naturam, attributa, & Personas: Ergo illa per speciem & claram visionem manifestantur in patria.

Aliàs visio nec esset connaturalis nec quietativa.

Denique, si videretur essentia sine Personis, visio illa nec esset connaturalis, nec omnimodè completa & quietativa. Non quidem quietativa & completa, quia superesset Beato aliquid optandum & videndum. Non etiam connaturalis, quia visio intuitiva & quietativa exigit naturaliter, ut visâ essentiâ etiam videatur modus, quô illa subsistit, videanturque omnes illius perfectiones: sed talis non foret visio, nisi cum essentia simul perciperentur ea omnia quæ formaliter illa complectitur: Ergo ut completa & omnimodè perfecta sit Beatorum visio, necessum est ut visâ essentiâ, videantur pariter omnia quæ in illa formaliter continentur.

Dices 1. Si Beati viderent ea omnia quæ sunt in Deo formaliter, viderent illa vel confusè, vel distinctè. Neutrum dici potest: Non primum, quia visio confusa pugnat cum visione intuitiva & beatifica. Non etiam secundum, quia si illa videantur distinctè, maximè vel quia sunt distincta, vel quia per actus distinctos videntur. Seu illa distinctio se tenet vel ex parte objecti, vel ex parte actûs: sed quæ sunt in Deo formaliter, non possunt videri distincta, propter summam eorum identitatem & simplicitatem; neque etiam videri possunt per actus distinctos, quia in visione beatifica non est actuum variatio & multiplicatio: Ergo illa quæ in Deo sunt formaliter non videntur neque confusè, neque distinctè, adeoque non videntur.

Visio beata est distincta prout distinctio opponitur obscuritati & confusioni.

Respondeo visionem beatificam esse distinctam, non quòd fiat per actus distinctos vel feratur in distincta objecta: sed quòd confusionem & obscuritatem nullam admixtam habeat, tam respectu actûs, quàm respectu objecti quod evidenter, clarè & distinctè percipitur. Unde in forma: Visio illa est distincta, quatenus distinctio opponitur obscuritati & inevidentiæ, concedo: quatenus opponitur identitati & simplicitati, nego: sicque ruunt Minoris probationes.

Dices 2. Attributa quæ dicunt respectum aliquem ad Creaturas, qualia sunt omnipotentia, scientia, idea, &c. non possunt intuitivè & connotativè videri, nisi pariter omnes Creaturæ possibiles & existentes videantur: sed omnes Creaturæ possibiles & existentes videri nequeunt à Beatis: Tum quia illæ sunt infinitæ, & proinde attingi non possunt ab intellectu creato qui est finitæ virtutis & activitatis: Tum quia si illæ omnes viderentur, comprehenderetur omnipotentia divina, quod implicat, ut infra patebit agendo de *incomprehensibilitate Dei*.

Attributa quæ dicunt respectum ad extra, videntur à beatis secundùm omnem suam entitatem; non verò secundùm omnē suam terminationem ad Creaturas.

Distinguo majorem: Non possunt videri secundùm rationem suam primariam, & quatenus talia sunt attributa Essentiæ divinæ, nego: non possunt videri secundùm rationem secundariam, id est secundùm extensionem ad objecta, ad quæ terminantur vel terminari possunt, concedo. Sic enim visâ omnipotentiâ videri deberent omnia possibilia; non autem necesse est ad visionem beatificam attributorum quòd videantur secundùm rationes secundarias & habitudines quas habent ad Creaturas, alioquin earum visio deberet esse comprehensiva, quod implicat.

Quantùm autem ad ideas in mente divina existentes, dico quòd etsi Beati illas omnes non videant, quia non vident omnes Creaturas ideatas, & possibiles; sufficit quod videant in Deo attributum illud, ratione cujus divina Essentia dicitur exemplar omnium Creaturarum existentium, aut possibilium, sicque vident illas omnes ideas saltem in communi; vident autem aliquas in particulari, plures aut pauciores juxta proportionem luminis gloriæ & diversam manifestationem.

Dices 3. Si Beati videant Personas & attributa divina, vel illa vident tanquam objectum primarium, vel tanquam secundarium: sed neutrum dici potest. Non primum, quia essentia est objectum primarium: non etiam secundum, alioquin non viderentur in seipsis: Ergo nullatenus videntur.

Personæ & attributa sunt objectum Primarium terminativum non motivum.

Respondeo, Personas & attributa videri tanquam objectum primarium, non quidem motivum, sed terminativum; Essentia enim divina primò movet ad sui visionem & eorum quæ in ea sunt formaliter; nihilominus visio nedum ad ipsam, sed ad ea omnia quæ ipsi formaliter insunt terminatur primariò & immediatè, adeoque illa videntur primariò, si non motivè, saltem terminativè.

Dices 4. Decreta Dei libera, sunt in eo formaliter: sed illa non videntur à Beatis: Ergo

quicquid in Deo est formaliter non videtur à Beatis. Major constabit ex dicendis de libertate Dei. Minor verò probatur. Illa decreta videri non possunt quin pariter videantur omnia objecta quæ determinantur futura, aut facta per talia decreta: sed omnia illa non videntur à Beatis: Ergo nec ea omnia decreta quæ sunt in Deo formaliter.

Beati vidét decreta libera in Deo, quidni & eorum objecta?

Nego minorem: Cum enim illa decreta sint actus intrinseci formaliter in Deo existentes, tam rectè videri possunt eodem actu, quô videtur Deus, quàm videntur aliæ divinæ perfectiones ipsi inexistentes. Ad probationem, nego minorem, nihil enim obest quominus Beati videndo decreta libera, etiam videant ea omnia quæ decernuntur, maximè verò ea quæ aliquo modo eos concernunt, ut in sequenti quæstione aperiemus.

CONCLUSIO SECUNDA.

Essentiam divinam videri sine Personis nulla est contradictio.

PER *potentiam Dei extraordinariam potest videri Essentia divina sine attributis & Personis: & unum attributum sine alio: ac una Persona sine altera sibi non correlativa.* Hæc est Doctoris in 1. *distinctione* 1. *quæstione* 2. cum suis omnibus, & aliis melioris notæ Theologis contra Thomistas.

PROBATUR 1. Illud fieri potest per extraordinariam Dei potentiam, quod nullam involvit contradictionem; sed nulla est contradictio quod essentia videatur sine attributis, &c. *Probo.* Si talis visio repugnaret & aliquam contradictionem involveret, maximè vel quia est visio intuitiva, vel quia est quidditativa, vel quia est beatificativa: sed ex neutro capite potest repeti talis contradictio & repugnantia.

Neque quia visio intuitiva est.

Non quidem quia visio intuitiva est. Etenim de ratione visionis intuitivæ non est quod sit adæquata, seu quod per eam objectum percipiatur secundùm omnes formalitates sibi realiter identificatas; oculus namque intuitivè videt albedinem absque eo quod videat in illa rationem qualitatis, inhærentiæ & dependentiæ tum à subjecto, cùm à Deo, quæ tamen ipsi albedini realiter identificantur. Similiter dum conspicimus à longè venientem, & nescimus an homo sit, an brutum; videmus eum sub ratione viventis & animalis, licet non videamus sub ratione animalis rationalis: Ergo objectum videri potest intuitivè sub una formalitate & ratione, absque eo quod videatur sub alia.

Nec valet reponere cum recentioribus Thomistis, id quidem verum esse de cognitione imperfecta, qualis est cognitio sensuum & intellectus conjuncti cum corpore; non autem de visione intuitiva præstantissima, qualis est visio beatifica. Unde triplicem proferunt rationem disparitatis. *Prima*, inquiunt, se tenet ex limitatione potentiæ sensitivæ, quæ versatur tantùm circa determinatam aliquam formalitatem, verbi gratiâ, oculus circa visibilitatem *coloris*, non autem circa alias formalitates quæ non habent rationem lucidi & colorati; nec proinde rationem visibilis: Intellectus verò creatus habet pro objecto adæquato ens sub ratione veri, sub quo continentur omnia prædicata tam constitutiva quàm

Triplex disparitas quàm proferunt Thomistæ.

A modificativa rei quæ cognoscitur. Unde si cognitio sit perfecta & clara, & intuitiva, qualis est visio beatifica, necessariò se extendit ad id omne quod pertinet ad naturam, & quidditatem & modum objecti quod cognoscitur. *Secundam* rationem disparitatis hanc proferunt; quòd visio sensitiva fit per aliquod medium, per quod species emittuntur, videlicet per aërem; cùm autem medium illud interdum sit obscurum, inde fit quod imperfecta sit visio; secus est autem de visione beatifica, quæ non fit per aliquam speciem, vel imaginem, vel medium Creatum, sed per unionem immediatam cum Deo ipso, adeo-

B que non potest obscurari, vel dimidiari hæc visio, ita quòd una formalitas objecti videatur & non alia. *Tertiam* denique rationem disparitatis repetunt ex parte objecti visi: hæc enim, inquiunt, est differentia inter Deum visum & Creaturas, quòd Creaturæ sunt compositæ ex partibus quarum quælibet non est ipsum totum; ideoque fieri potest, quod in illis videatur una pars non visâ alterâ; secus autem est de Deo, qui cum sit simplicissimus & actus purus, nihil in ipso est, quod non sit ipse: & consequenter, repugnat aliquid Dei videri, & non videri totum quod in Deo est.

C *Verùm* hæc replica non infringit vim argumenti: Primò namque certum est visionem intuitivam, ex ratione sua formali non exigere quòd adæquatè terminetur ad omnes objecti formalitates invicem identificatas realiter, cùm una percipi possit ab oculo corporeo non perceptâ alterâ. Secundò: si potest oculus naturaliter videre unam objecti sui formalitatem non visâ alterâ, quidni intellectus, saltem supernaturaliter, etiam poterit videre unam objecti sui formalitatem non visâ alterâ ipsi identificatâ? *Imò* de facto Angelus intuitivè suam videt essentiam naturaliter, &

Infringitur.

D tamen non videt potentiam obedientialem quâ posset uniri hypostaticè alicui personalitati divinæ; nec videt pariter potentiam quam habet ad videndum Deum trinum, aliàs naturaliter cognosceret possibilitatem Incarnationis & mysterium Trinitatis; hæc tamen utraque potentia identificatur realiter ipsius essentiæ: Ergo ex formalitatibus identificatis; una potest videri intuitivè absque eo quòd videantur aliæ, etiam naturaliter, adeoque multò magis per potentiam extraordinariam.

Denique, Beatus qui videt scientiam Dei, ut est repræsentativa aliquorum possibilium, non videt eandem ut repræsentat alia possibilia, & tamen illa scientia secundùm ean-

E dem rationem realem repræsentat omnia possibilia: Ergo tam intellectus quàm oculus corporeus videre potest unam formalitatem non visâ alterâ, proindeque prima ratio disparitatis ab Adversariis illata, est nulla.

Non etiam magis urgent aliæ; quia claritas medii, vel immediata & evidens manifestatio objecti, non impedit quin apprehendi possit una ejus formalitas non perceptâ alterâ, quando diversimodè sunt visibiles, quales sunt essentia, perfectiones, & relationes divinæ, quæ licet veram non efficiant compositionem; quia tamen ab invicem forma-

liter distinguuntur, una videri potest non visâ alterâ: adeoque non repugnat ex parte visionis intuitivæ quin videatur essentia, non visis attributis & personalitatibus.

2. Neque ex eo quod hæc visio sit quidditativa.

Non etiam repugnat ex eo quod hæc visio sit quidditativa: Tum quia non est necesse quòd visio intuitiva sit quidditativa, ut patet in visione oculi corporei: Tum quia visio, etiam quidditativa, potest esse inadæquata; cognitio enim Angeli, quâ suam cognoscit substantiam & entitatem, est quidditativa, & nihilominus est inadæquata; non enim percipit omnes respectus quos habet ad creaturas sive possibiles sive existentes; neque cognoscit potentiam obedientialem quam habet ad visionem mysterii Trinitatis, ut dictum est, licet hæc potentia sit identificata realiter ipsius essentiæ; adeoque cognitio quidditativa & essentialis potest esse inadæquata: Tum denique quia, nec attributa, nec personalitates sunt de formali conceptu Essentiæ divinæ; imò ab ipsa formaliter distinguuntur: Ergo non exiguot videri visione quidditativa, nec visio beata quatenus ad illa terminatur, ritè quidditativa appellatur, sed solùm intuitiva.

3. Neque ex eo quod sit beatificativa.

Denique non repugnat ex eo quòd hæc visio sit beatifica: Tum quia non visis Personis Deus adhuc remanet summum bonum & finis ultimus infinitè perfectus, ac proinde est sufficienter objectum beatificans, adeoque non est necesse ad visionem beatificam, quòd Personæ videantur. Patet antecedens; Deus enim non habet à relationibus quòd sit summum bonum & finis ultimus: sed id habet ex eo quòd sit ens increatum infinitè perfectum & actus purus, quod totum provenit ab essentia absoluta. Et consequenter seclusis Personis, adhuc remanet in Deo tota ratio summi boni & finis ultimi. Tum quia si per impossibile Deus non esset trinus, nec haberet rationes personales, ipsius visio non minùs foret beatifica; esset enim possessio boni infiniti: Ergo relationes personales per se non conferunt ad rationem visionis beatificæ; adeoque visio non minùs foret beatifica si terminaretur ad essentiam, non verò ad personas. Tum denique, quia, ut probabitur in tractatu *de Trinitate*, Pater æternus in illo priori signo, quò intelligitur generare suum Filium, concipitur etiam ut beatus; beatitudo enim ipsi essentialiter convenit: sed pro illo signo nondum intelligitur Filius genitus, cùm accipiat esse divinum per talem cognitionem vel dictionem, nec consequenter Spiritus sanctus, qui à Patre Filioque procedit: Ergo vera est cognitio beatifica in Patre antecedenter ad productionem Filii & Spiritus sancti; & sic ad beatitudinem creatam, quæ est participatio beatitudinis increatæ, non est absolutè necessaria cognitio Personarum.

Pater est Beatus priùs quam generet Filium.

Quia beatitudo est aliquid absolutum.

Nec valet reponere cum Vasquesio *disp.* 48. *num.* 18. & nonnullis Thomistis, quòd Pater æternus in illo signo quo intelligitur generare Filium, non concipiatur beatus: sed tantùm ut Deus: Hoc enim evidenter falsum est, tum quia in illo signo intelliguntur convenire Patri omnia essentialia, & absoluta: sed beatitudo est aliquid essentiale & absolutum: Ergo pro illo signo illa intelligitur convenire Patri, alioquin essentialia & absoluta non haberet à se. Tum etiam quia pro illo signo notionali Pater intelligitur habere totum quòd communicat Filio: sed communicat illi beatitudinem increatam: Ergo intelligitur eam habere. Tum denique, quia beatitudo est possessio Essentiæ divinæ per amorem & cognitionem: sed in illo signo Pater æternus Deitatem ita possidet, adeoque verè dicendus est Beatus. Adde quod si per impossibile esset tantum unica Persona in divinis, ut credunt Judæi & Mahumetani, illa verè censeretur beata: Ergo Trinitas Personarum non requiritur formaliter ad rationem objecti beatifici; sicque visio potest esse beatifica, etsi tres Personæ non videantur.

Nec etiam valet replicare cum aliis Thomistis, in illo signo Patrem æternum non videre suam essentiam nisi visâ Personâ Filii & Spiritus sancti, quia, inquiunt, hæc non est prioritas *in quo* sit cognitio & status beatitudinis, sed solùm prioritas *à quo*, seu originis; adeoque ita concipi potest, sed revera ita non est, cùm nullum sit instans in quo sit Pater, & non sit Filius & Spiritus sanctus.

Respondeo enim; Quod etsi signum illud non sit instans reale, nihilominus est verum instans cognitionis & originis, quod sufficit ut revera concipi possit Pater æternus esse beatus, sicut revera concipitur generans ac producens Filium & Spiritum Sanctum: hoc autem sufficit ad suadendum visionem beatificam concipi posse absque eo quod terminetur ad Personas, adeoque potest esse beatifica licet non sit adæquata.

Probatur 2. & simul evertitur præcipuum Adversariorum fundamentum: Si quid obsit quominùs essentia videri possit sine attributis & personalitatibus, maximè eorum identitas & summa simplicitas: sed hæc non officiunt quin essentia videri possit sine illis. *Probo*, Non obstante tali simplicitate & identitate Essentia divina communicatur, non autem Persona: Item una Persona realiter unitur immediatè & non alia. Pater enim æternus communicat Filio divinam Naturam, non verò Paternitatem; & in Incarnatione, Persona Verbi unitur humanitati, non verò Persona Patris: Ergo multò magis poterit communicari & uniri intentionaliter per cognitionem natura sine Personis, & una Persona sine alia. Patet antecedens: consequentia etiam est evidens, cùm enim visio sit magis extrinseca quàm ipsa communicatio naturæ ad intra, vel quàm unio humanitatis cum Persona, sequitur illam magis posse præscindere, quàm hanc, adeoque faciliùs sine se invicem videri: Ergo sicut non obstante summa identitate naturæ cum Persona, communicatur à Patre Essentia divina & non Paternitas; & Persona Verbi unitur immediatè humanitati, non autem persona Patris: Ita non obstante illa identitate videri poterit essentia sine Personis, & una Persona sine alia.

Evertitur præcipuum Adversariorum fundamentum.

Ad hæc reponunt Thomistæ, disparitatem esse, quòd Persona non sit communicabilis sicut essentia: At verò tam essentia quàm Persona sunt aliquid visibile; atque ita unâ visâ videri debet altera necessariò.

Contra. Non obstante summa identitate essentiæ & Personæ, essentia est communica-

bilis, non autem persona: Ergo etiam non A obstante eadem identitate essentia erit visibilis non visâ personâ; vel illa repugnantia non oritur ex simplicitate & identitate. *Adde quòd* si distinctio virtualis, in sententia Thomistarum, sufficiat ad salvandam contradictionem unius, quidni pariter sufficiet ad salvandam contradictionem alterius? *Deinde*: Licet tam persona quàm essentia sint visibiles; illa visibilitas non impedit quominus sint quid distinctum saltem virtualiter: Ergo nec impediet quominus una percipi possit non perceptâ alterâ. *Denique*, si visâ Essentiâ divinâ visisque attributis necessariò videri deberent omnia visibilia ipsis identificata; sequeretur etiam quòd visô Deô, viderentur necessariò omnes Creaturæ possibiles in particulari. B Consequens non admittunt Adversarii: Ergo nec admittere debent ex summa identitate & visibilitate eorum quæ sunt in Deo, unum videri non posse sine alio. *Probatur major*: Implicat videri formaliter & distinctè scientiam Dei de Petro, v.g. in particulari, quin videatur Petrus in particulari: idem dicendum de cæteris omnibus creaturis possibilibus: sed qui videt Deum, necessariò videt formaliter & distinctè scientiam Dei, quatenus est repræsentativa Petri in particulari, & singulorum possibilium: Ergo si visô unô visibili necesse sit videri à Beatis quodcumque aliud visibile ipsi visibili identificatum, sequitur Beatum videre C necessariò possibilia omnia in particulari. *Major* patet: Implicat enim cognosci distinctè imaginem ut repræsentativam rei alicujus in particulari, quin cognoscatur illa res in particulari: sed scientia de Petro in particulari est imago repræsentativa ipsius in particulari: Ergo implicat cognosci scientiam ut repræsentativam Petri in particulari, quin cognoscatur Petrus in particulari. *Minor* etiam est evidens. Concedunt enim adversarii omnia quæ sunt in Deo formaliter, necessariò & distinctè videri à Beatis: sed scientia quatenus repræsentativa Petri in particulari, est in Deo formaliter: Ergo necessariò videtur in particulari, si D verum sit, quòd unum visibile videri nequeat à Beatis, quin pariter videatur illud omne visibile ipsi realiter identificatum.

Ex opposita sententia sequitur omnia possibilia videri à Beatis.

Dices 1. Christus Dominus Joannis 14. probat quòd visô filiô videtur Pater, quia Pater est in Filio, & Filius in Patre; hoc est propter unitatem naturæ, dicens: *Philippe qui videt me, videt & Patrem*: sed si videri posset una Persona sine alia, non sequeretur ex unitate naturæ, quòd visô Filiô videretur Pater: Unde rectè Nazianzenus oratione 49. *Meritò*, inquit, *qui videt Filium videt & Patrem, quia unitate substantia & majestate Divinitatis unum sunt*: E Et August. 1. de Trinit. cap. 8. *Sive ergo audiamus, Ostende nobis Filium; sive audiamus, Ostende nobis Patrem, tantumdem valet, quia neuter sine altero potest ostendi*: Ergo videri nequit una Persona sine alia.

Videre aliquando usurpatur pro credere.

Respondeo 1. cum S. Chrysostomo *homil.* 73. in Joannem, & Cyrillo *lib.* 9. in eundem *cap.* 37. ac sequentibus, & Tertulliano *lib. contra Praxeam cap.* 24. sensum illius loci hunc esse, Qui videt me per fidem, & verbis meis atque operibus credit, necesse est ut videndo me, id est Divinitatem meam per fidem, videat etiam Patrem, quia Pater in me manens ipse facit opera miraculosa quæ ego facio, & per ea testatur se Patrem esse meum & me ipsius esse Filium unigenitum: quæ expositio colligitur ex sequentibus verbis: *Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem? non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor, Pater enim in me manens ipse facit opera.*

Respondeo 2. Argumentum Christi esse optimum, nimirum quod ex unitate naturæ Patris & Filii, rectè colligatur quod visô Filiô videatur Pater; non quod hæc illatio sit necessaria; sed quia est connaturalis & fit secundùm potentiam ordinariam.

Hæc illatio, qui videt Filium, videt & Patrem, non est necessaria, sed connaturalis.

Dices 2. Visio beatifica est intuitiva, quâ Deus videtur ut in se est: sed Deus ut in se est, habet essentiam, personas, & attributa simul identificata: Ergo si videtur ut Deus in se est, illa omnia videri debent. *Denique*, Implicat videri identificationem essentiæ & attributorum ac personarum, quin videatur essentia, & ea quæ ipsi identificantur: sed implicat videri Deum ut est in se, quin identificatio illa videatur: Ergo implicat videri Deum ut est in se, quin videantur essentia & attributa. *Denique*, Res ut est in se videri non potest, quin videatur existens & subsistens: sed videri non potest subsistens & existens, quin videatur existentia & subsistentia, adeoque personalitates quæ sunt modi subsistendi: Ergo qui videt Deum, necessariò videt personalitates.

Distinguo majorem: Cognitio intuitiva fertur in rem ut in se est, vel adæquatè vel inadæquatè, concedo: adæquatè tantùm, nego. *Ad minorem* dico, quod cùm Deus videtur adæquatè, videntur omnia cum quibus identificatur, concedo: Si non videatur adæquatè; illa omnia videri debent, nego: Itaque fateor modum quô Deus existit adæquatè & in concreto, esse tres Personas; non vero si consideretur inadæquatè, quia ut sic cognosci potest existere in unica persona. Idem dicendum de attributis: Non implicat autem cognitionem intuitivam esse inadæquatam, & ferri in rem consideratam in abstracto, illamque concipere sine subsistentia: Dæmones enim intuitivè cognoscebant Christum, cujus tamen personalitatem ignorabant.

Deus videretur ut in se est, non adæquatè, sed inadæquatè tantùm.

Dæmones intuitivè cognoscebant Christum non tamen ejus subsistentiam.

Instabis. Visio intuitiva, quæ terminatur ad objectum omninò simplex & indivisibile, illud percipit secundùm omne quod est; alioquin aut visio non esset intuitiva, aut objectum non esset indivisibile: sed Dei essentia cum Personis & attributis, est aliquid simpliciter unum & indivisibile: Ergo videri non potest essentia Dei nisi videatur cum attributis & Personis.

Distinguo majorem: Si illud sit indivisibile & simplex tam realiter quàm formaliter, concedo: si sit tantùm indivisibile realiter, non verò formaliter, nego: Deus autem est indivisibilis solùm realiter; essentia namque ejus, attributa & Personæ distinguuntur formaliter, ut probatum est.

Natura divina est indivisibilis realiter, non formaliter.

Dices 3. Essentia divina non potest videri quin videatur ut summum bonum, & ut radix ac fundamentum Omniscientiæ & Omnipotentiæ, cæterorumque attributorum, & ut est radix fœcunditatis ad intra, hoc est productivitatis per intellectum ac voluntatem: sed ut sic nequit videri, quin videantur attributa ac relationes: Ergo, &c. *Probatur major*, quia qui-

cumque conceptus qui haberetur de Essentia A divina absque eo quòd illi modi conciperentur, esset imperfectus, & nullo modo posset competere ipsi ratio summi boni.

Essentia divina non est radix attributorum ut considerantur formaliter; sed tantùm ut realiter.

Distinguo majorem: Si radix & fundamentum attributorum & fœcunditatis consideretur formaliter, nego: Essentia enim ut essentia, considerattur absolutè & sine ullo ordine ad attributa & ea quæ ab ipsa profluunt: Si consideretur realiter, & secundùm omnem habitudinem & virtutem quam habet, concedo majorem, & similiter distincta minore, nego consequentiam. Eodem modo distinguenda est majoris probatio. Itaque Essentia divina considerari potest dupliciter, nimirum vel formaliter secundùm solum conceptum essentiæ, & sic videri posset B sine personis & attributis: vel realiter, & quatenus involvit attributa & personas quæ ab ea profluunt, & ipsi identificantur, & sic videri nequit sine personis & attributis.

Ut autem omnes aliæ formandæ objectiones faciliùs solvantur, advertendum est me dixisse posse quidē videri unam personam sine alia sibi non correlativa; Fateor enim Patrem sub ratione Patris, non posse videri quin videatur Filius; saltem ut est terminus Paternitatis; licet videri posset ut est suppositum divinum. Idem dicendum de cæteris.

Quæstio Secunda.

An & quomodo Beati videant in Deo Creaturas?

Iam satis apertè liquet Beatos non solùm divinam essentiam, sed & omnia quæ in Deo sunt formaliter clarè & intuitivè conspicere. Cùm autem etiam Deus creaturas contineat tam eminenter, propter infinitam rationem essendi, quàm causaliter, ratione videlicet omnipotentiæ rerum omnium productivæ, & idearum, ad quarum similitudinem Creaturæ formari debent; hinc quæstio nascitur, an & quomodo illæ Creaturæ in Deo videri queant, D quod ut resolvatur;

Triplex cognitio in Beatis.

Notandum 1. Triplicem distingui posse cognitionem in Beatis: Primam quidem, quâ Deum & quæ Dei sunt formaliter, intuentur. Secundam, quâ Creaturas in Essentia divina conspiciunt, seu ut solitò loquuntur Doctores cum S. Augustino, quâ vident Creaturas in Verbo divino tanquam in objecto cognito, seu ratione cognoscendi; cum enim Verbum divinum appropriatè dicatur *Sapientia divina, speculum sine macula, & splendor Paternæ gloriæ*: idcirco quæ repræsentantur & videntur in Essentia divina, dicuntur in Verbo videri & re- E præsentari. Tertiam denique, quâ Beati cognoscunt Creaturas in se ipsis seu per propriam earum speciem & repræsentationem.

1. Meridiana.

Prima cognitio dici potest *meridiana*, de quâ Sponsa Canticorum 1. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*, quem locum sermone 33. in Cantica S. Bernardus sic expendit: *Vultus tuus Domine meridies, & meridies clara tui & intuitiva visio. O verè meridies plenitudo fervoris & lucis, Solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio! O perenne solstitium quando jam non inclinabitur dies! O lumen meridianum!*

2. Matutina.

Secunda à S. Augustino lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 29. & lib. 11. de Civit. Dei cap. 29. appellatur cognitio *diurna* vel *matutina*, eo quòd res clariùs & perfectiùs cognoscantur in Verbo & in Essentia divina, quàm in seipsis: Unde tertiam cognitionem, *vespertinam* appellat S. Augustinus ibidem. Hinc lib. 22. de Civit. cap. 2. ait: *Cognitio Creaturæ in seipsa decoloratior, quàm cùm in Dei sapientia cognoscitur, veluti in arte per quam facta est.*

3. Vespertina.

Quibus ita distinguit sex dies creationis mundi, quasi non fuerint tot dies naturales; sed significentur sex diversa rerum productarum genera per ordinem ad sextuplicem Angelorum cognitionem, qui illa, quæ singulis diebus creata referuntur, statim ut facta sunt cognoverunt in Verbo Dei; & hæc cognitio cùm sit prior & clarior, dicitur *matutina*: Deinde res illas conditas cognoverunt in se ipsis per proprias earum species, & hæc cognitio cùm sit posterior & minùs evidens, dicitur *vespertina*. Non tamen dicitur *nox*, ait idem S. Augustinus lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 29. quia in ista cognitione vespertina non hæserunt Angeli, sed ad laudem Conditoris eam referentes, vesperam statim fecerunt in mane recurrere; id est, à cognitione & inspectu creaturarum in seipsis, statim intellectum direxerunt in cognitionem earumdem, quatenus in Verbo repræsen- C tantur.

Triplex modus quô Creaturæ in Deo cognoscuntur.

Notandum 2. Creaturas tripliciter dici posse cognosci in visione beatifica Dei; Primò quidem secundùm *esse eminentiale*, quod habent in Essentia divina, quæ cùm sit infinita entitas & fons omnium entium, etiam omnes quaslibet alias entitates eminenter continet & repræsentat.

1. Eminentialiter.

Secundò *causaliter*, quatenus nimirum Deus in intellectu Beati producit speciem Creaturæ; revelando videlicet ipsi Beato talis Creaturæ existentiam, idque tanquam causa efficiens, nimirum creando speciem illius Creaturæ repræsentativam & imprimendo illam ipsi intellectui beato, ita quòd intellectus beatus creaturam non in Deo formaliter repræsentatam, sed solùm per illam speciem & revelationem percipiat.

2. Causaliter.

Tertiò denique *formaliter*, Creaturæ dicuntur in Deo videri à Beatis, quando nimirum dicuntur cognosci eadem visione & eodem lumine, quibus Deus ipse videtur, nimirum ratione cognitionis beatificæ quam habent.

3. Formaliter.

Quot modis concipi possit creaturas in Deo formaliter cognosci.

Notandum 3. Tribus modis intelligi posse Creaturas formaliter in Deo cognosci. Primò quidem quasi per unicum actum & unicum principium videantur Deus & Creaturæ simul, absque eo quòd unum sit ratio formalis videndi alterum; sicut Angelus dicitur ab aliquibus Theologis cognoscere Petrum & Paulum per unicam speciem impressam, & tamen Petrus non est ipsi ratio formalis videndi Paulum. *Secundò*, quasi Deus visus, esset medium & ratio formalis motiva ad visionem Creaturæ, propter nimirum connexionem & dependentiam quàm Creatura habet in ipso Deo; posita enim connexione simul & continentia, Deus erit ratio videndi Creaturas, sicut partes videntur in toto, proprietates in essentia, & conclusiones in præmissis, quæ sunt motivum formale ac medium priùs cognitum, in quo videri potest conclusio.

His prælibatis, triplex potissimum occurrit re-

Tres in partes quæstionis distributio.

ſolvenda quæſtio, Prima quidem an viſo Deo, Creaturæ videri poſſint intuitivé ſecundùm earum eſſe proprium: Secunda an videantur eadem viſione Dei, & ut in medio priùs cognito ac virtute ipſius viſionis formaliter: Tertia denique quænam Creaturæ videri poſſint à Beatis & de facto videantur.

Conclusio Prima.

Beati præter Deum aliquas etiam vidét Creaturas.

BEATI *videndo Deum vident etiam creaturas aliquas ſecundùm earum eſſe proprium.* Hæc eſt communis inter Theologos, & probatur primò, Joannis 17. *Hac eſt vita æterna ut cognoſcant te verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum:* At Jeſus Chriſtus non ſolùm Divinitatem includit, sed etiam humanitatem quæ aliquid creatum eſt: Ergo pertinet ad vitam æternam aliquid creatum cognoſcere. Id ipſum firmatur ex Concilio Senonenſi prima parte in decretis Fidei cap. 13. ubi adverſus Lutherum & alios Novatores dicentes Sanctos non eſſe invocandos propterea quòd preces noſtras non percipiant, aſſeritur, *Sed quàm ſit hoc non modo veritati, ſed Scripturis quoque diſſonum, facilè intelliget qui Beatis pervium eſſe non ignorat omniforme illud Divinitatis ſpeculum, in quo quidquid eorum interſit illuceſcat: Et ſi neque deſint Angeli Gabriel Danieli & Raphael Tobiæ, haudquaquam ſegniores qui nobis ab exordio precum noſtrarum aſſideant, ut illis mox offerant quorum ſuffragia imploramus.* Quibus apertè docet Concilium, Beatos videre preces noſtras in ipſo Divinitatis ſpeculo: adeoque creaturæ nonnullæ cum ipſo Deo videntur.

Firmatur Scripturâ sacrâ.

Concilio Senonenſi.

SS. Patribus.

Hoc ipſum clarè probant ſancti Patres. Sanctus quidem Gregorius lib. 2. moralium capite 2. ubi habet hanc vulgatam ſententiam *Quid de his quæ ſcienda ſunt neſcient, qui ſcientem omnia ſciunt.* Item homil. 14. *Qui Creatorem ſui claritate vident, nihil in creatura agitur quod videri non poſſit.* Et S. Proſper lib. 3. cap. 36. *Non ſolùm omnium Creaturarum* ait, *rationem, ſed etiam ipſam ſui Creatoris eminentiam facie revelata conſpiciem.* Sed omnium clariſſimè hanc veritatem edocet ſanctus Auguſtinus pluribi; maximè verò lib. 11. de Civit. Dei cap. 29. ubi cum varia Creaturarum genera enumeraſſet, ſubdit: *Omnia hæc aliter in Verbo Dei cognoſcuntur ab Angelis, ubi habent cauſas rationeſque ſuas, id eſt ſecundùm quas facta ſunt incommutabiliter permanentes, aliter in ſe ipſis: illic clariore, hic obſcuriori cognitione velut artis atque operum: quæ tamen opera cùm ad ipſius Creatoris laudem venerationemque deferuntur, tanquam mane luceſcit in mentibus contemplantium.* Sed evidentiùs hanc probat veritatem lib. 4. de Geneſi ad Litteram cap. 29. & ſequentibus ubi cum dixiſſet, *Nunquid dicet, aut ſi quiſquam dixerit audiendus eſt, illam cæleſtem in Angelorum millibus civitatem, aut non contemplari Creatoris æternitatem, aut mutabilitatem ignorare Creaturæ, aut ex ejus quoque inferiore quadam cognitione non laudare Creatorem. Simul hoc totum poſſet, ſimul hoc totum faciet: poſſunt tamen & faciunt; ſimul ergo habent & diem & veſperam & manè.* Quibus, ut diximus, triplicem diſtinguit beatorum cognitionem; Matutinam, quâ res Creatas vident in Verbo, Veſpertinam quâ vident illas in ſe ipſis per proprias earum ſpecies, & Diurnam quæ fit per iteratam applicationem intellectus, à Creaturis in ſe ipſis cognitis, ad eaſdem in Deo videndas: Unde ſubdit, quòd in beata patria *Semper eſt* DIES *in contemplatione incommutabilis veritatis, ſemper* VESPERA *in cognitione Creaturæ in ſe ipſa, ſemper* MANE, *etiam ex hac cognitione in laude Creatoris. Quia non ipſi abſciſſa lucis ſuperioris, ſed inferioris cognitionis diſtinctione fit veſpera, nec manè tanquam nocti ignorantia ſcientia matutina ſuccedat, ſed quòd veſpertinam etiam cognitionem in gloriam Conditoris attollat.*

Quid diurna cognitio apud D. Auguſtinũ.

Et ratione.

Probatur denique ratione: Viſio beata Fidei meritis reſpondet: ſed fide multa credimus quæ ſpectant ad Creaturas: Ergo illas Creaturas Beati videre debent. *Deinde*, conſtat Beatos videre Deum & Creaturas eminenter in ipſo contentas: ſed non poſſunt ſic videre Creaturas ſecundùm eſſe eminentiale quin pariter videant illas ſecundùm propriam earum rationem; non enim perfectè cognoſcitur continens, niſi pariter cognoſcatur contentum: Ergo non poſſunt cognoſci Creaturæ eminenter in Eſſentia divina, quin ſecundùm earum eſſe proprium pariter cognoſcantur. *Denique*, illud videtur in Deo ad ipſius viſionem, quòd vel formaliter in ipſo continetur, vel neceſſariam cum ipſo habet connexionem: ſed Creaturæ formaliter ſaltem objectivè in Deo continentur, & neceſſariam habent cum eo connexionem: Ergo ad hanc ipſius viſionem etiam illa videntur.

Dices 1. Quod cognoſcitur in alio, non cognoſcitur intuitivè, nec immediatè, nec per propriam ſpeciem: Ergo aut Creatura non cognoſcitur in Deo, aut non cognoſcitur ut in ſe eſt.

Creatura cognoſcitur ut in ſe eſt terminativè, non motivè.

Reſpondeo: Aliquid cognoſci poſſe ut in ſe eſt, dupliciter: Primò quidem *terminativè*, quando nimirum terminat cognitionem, ut in ſe eſt & ſecundùm propriam ſuam rationem formalem concipitur & videtur: Secundò *motivè*, quando per ſeipſum movet intellectum ad ſui cognitionem & viſionem. Ut autem viſio ſit intuitiva, ſufficit ut objectum cognoſcatur ut in ſe eſt terminativè, non autem ut motivè; ſed Creaturæ ita cognoſcuntur in Deo, quia revera terminant cognitionem beatificam ſecundùm propriam ſui rationem, licet ſolus Deus moveat ad iſtam cognitionem.

Neque ut forma Deum intrinſecè afficiens, ſed ut aliquid neceſſariò connexum cum ipſo Deo.

Dices 2. Creatura non poteſt cognoſci ſecundùm ſuum eſſe proprium in Deo, niſi cognoſcatur formaliter, ſeu ſecundùm ſuam rationem formalem quam haberet in Deo: ſed Creatura non poteſt cognoſci formaliter in Deo quia non eſt in eo formaliter & diſtinctè: Ergo nec poteſt in eo cognoſci ſecundùm ſuum eſſe formale & proprium, ſed tantùm ſecundùm eſſe eminentiale quod habet in Deo.

Diſtinguo majorem: Creatura non habet eſſe proprium nec eſt in Deo ſecundùm ſuam rationem formalem, tanquam forma intrinſecè Deum afficiens, concedo: tanquam aliquid habens neceſſariam connexionem cum ipſo, nego: itaque ut aliquid in Deo videatur, vel debet eſſe in ipſo formaliter & intrinſecè, ut ſunt attributa & relationes divinæ, vel ſaltem cum ipſo neceſſariam debet habere connexionem, qualem habent Creaturæ cum Deo Creatore, quæ omnia clariùs apetiet

Conclusio Secunda.

Creaturæ videntur in Deo formaliter. Probatur 1. authoritate S. August.

CREATURÆ *videntur in Deo formaliter tanquam in medio priùs cognito*. Hæc est communis inter Theologos contra Nominales & Vasquesium.

Probatur 1. Authoritate sanctorum Patrum, & quidem S. Augustini sententiis jam expressis, quibus duplicem in Angelis distinguit cognitionem: *Matutinam* quâ res cognoscuntur in Verbo, & *Vespertinam* quâ cognoscuntur in seipsis, ac proinde censet res cognosci formaliter in Verbo: Tum quia aliàs non ritè assereret Creaturas videri in Verbo nisi viderentur formaliter tanquam in medio priùs cognito. Cognosci enim in aliquo, est cognosci mediante altero, sicut conclusio dicitur cognosci in principiis, Cæsar in imagine, objectum in speculo; ita quòd actus videndi terminetur ad speculum, & imaginem objecti in eo receptam: Si autem Verbum solùm causaret visionem in Beatis ipsum videntibus, ut volunt Nominales, non propriè dicerentur res videri in Verbo, sicut non dicimus rem aliquam videri in specie intelligibili vel sensibili, quamvis illa sit causa visionis. Tum quia S. Augustinus ait Creaturam aliter esse cognitam in seipsâ, aliter in Verbo. Hinc cognitionem Creaturarum in seipsis appellat *decoloratiorem* quàm sit ea quâ in sapientia Dei cognoscuntur: sed nisi Creatura cognosceretur in Verbo formaliter, dici non posset aliter & meliùs & *decoloratiùs* videri in Verbo quàm in seipsa; aliàs enim una eademque cognitio diceretur seipsâ perfectior, clarior & melior, quod est absurdum. Tum denique quia idem August. lib. 13. Confessionum cap. 15. loquens de Beato vidente Essentiam divinam, ait: *Non opus habet suspicere firmamentum, hoc cognoscitur videndo Verbum tuum, videt enim faciem tuam semper, & ibi legit sine syllabis temporum quid velit voluntas tua.* Cui consonat S. Bernardus lib. 2. de Consideratione cap. 2. *Creatura Cæli non indiget scalâ Creaturarum ut ascendat in Cœlum sicut creatura mundi, quid enim opus scalâ tenenti solium? videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum*: Sed si Beati non in Verbo formaliter, sed solùm extra Verbum videant Dei voluntatem & creaturas, necessum est ut legant in syllabis temporum, creaturasque suspiciant in seipsis; quod enim in seipso formaliter videtur & legitur, oportet ut illud aspiciatur in se, à quocumque tandem causetur talis aspectus & lectio.

2. Ratione. Angeli superiores illuminant inferiores.

Idipsum ratione probatur. Primò quidem, Deus in seipso tanquam motivo & objecto cognito cognoscit creaturas formaliter, ut apertè docet sanctus Dionysius lib. *de divinis Nominibus cap.* 7. circa medium: Ergo similimodô creaturas in Deo Beati videre possunt. Adde quòd Angeli superiores de his quæ cognoscunt in Verbo illuminant inferiores, ut idem affirmat Dionysius lib. de *Cœlesti Hierarchia, cap.* 6. 7. & 8. Ergo censet Angelos superiores videre creaturas in Verbo formaliter. Insuper, Deus ipse in sua Essentia & Omnipotentia videt omnes creaturas: Ergo Essentia Dei & ejus Omnipotentia potest esse medium ad cognitionem creaturarum.

Secundò, Quotiescumque aliquis effectus necessariam habet connexionem cum causa, in A qua continetur secundùm omnes proprias rationes, cognosci potest in causa, tanquam in objecto formali cognitionis; quid enim est esse medium, quàm esse necessariò connexum & continere? Illa enim ratio est ob quàm proprietates cognoscuntur in Essentia ut medio, & conclusiones in principiis: sed creaturæ necessariam habent connexionem cum Deo, & in illo continentur tanquam in causa & idea, tum proxima tum remota: Ergo Deus est medium ad cognitionem creaturarum. *Confirmatur.* Sicut res se habet ad esse, ita se habet ad cognosci; sed creaturæ secundùm suam entitatem continentur in Essentia & Omnipotentia Dei: Ergo continentur etiam secundùm suam cognoscibi- B litatem, adeoque possunt in ea cognosci.

Deus continet creaturas tum secundùm esse, tum secundùm cognosci.

Cognitio Creaturarum in Verbo non repugnat, neque ex parte objecti.

Denique Creaturæ dici debent videri in Verbo formaliter, si hæc visio nullam repugnantiam involvat; sed ita non repugnat. Probo. Si foret aliqua repugnantia, vel peteretur ex parte objecti, nempe Essentiæ divinæ quæ non posset creaturas repræsentare; vel ex parte actûs, qui non posset idem ipse tendere in varia objecta, nempe in Deum & Creaturas; vel ex parte facultatis & potentiæ, quæ simul non posset duplex objectum attingere: sed ex neutra parte repugnat. Non quidem ex parte objecti, Essentia enim divina & Omnipotentia infinitam vim habet repræsentandi quamlibet entitatem, C & illam de facto intellectui divino repræsentant, ut jam diximus: Ergo etiam repræsentare possunt omnem entitatem increatam & creatam intellectui creato. Non etiam ex parte actûs, nam etiam distinctissima objecta possunt unico actu percipi, maximè quando aliquam invicem necessariam habent subordinationem aut connexionem. Etenim prima veritas & res revelatæ percipiuntur eodem actu fidei, finis & medium eodem actu cognitionis attinguntur, imago & prototypus simul videntur: sed Deus & creatura connexionem habent nedum in ratione causæ & effectus: sed etiam in ratione objecti primarii & secundarii, seu in ratione objecti motivi & terminativi: Ergo eodem actu videri possunt Deus & creatura. D Non denique repugnat ex parte potentiæ: Si enim eodem actu varia objecta possint attingi, etiam facultas poterit in illa objecta tendere.

Neque ex parte actus.

Neque ex parte potentiæ.

Dices 1. Inter medium cognoscendi & rem cognitam debet esse necessaria connexio & proportio: sed hæc non reperitur inter Essentiam divinam & creaturas possibiles: Ergo illa intellectui Dei aut Beatorum inservire non potest ut medium ad illas cognoscendas. Major patet. *Minor* probatur. Primò, quia non potest unum intrinsecam habere connexionem cum alio, à quo non dependet: sed Essentia divina E est omnino independens à creaturis possibilibus: Ergo cum illis intrinsecè non connectitur. Secundò, Summè necessarium non potest cum minùs necessario connecti: sed Deus ut potens per essentiam, magis necessarius est quàm creaturæ quæ sunt entia ab alio & per participationem: Ergo cum creaturis connexionem non habet. Tertiò, Etiamsi nulla creatura esset possibilis, non minùs Essentia divina haberet id omne quod habet de facto: sed tum non esset ratio formalis videndi creaturas: Ergo neque nunc.

Distinguo majorem; Inter medium cognoscen-

Inter Deū & Creaturam est necessaria connexio dependentiæ ex parte Creaturarum, & superioritatis ex parte Dei.

di & rem cognitam debet esse necessaria connexio, per mutuam utriusque extremi dependentiam unius ab altero, nego: Per dependentiam in uno & superioritatem ac eminentiam in altero, concedo: Similiter distinguo minorem, inter Essentiam divinam & creaturas non est necessaria connexio dependentiæ ex parte utriusque extremi, concedo: Non est connexio dependentiæ ex parte Creaturarum, & superioritatis ex parte Dei, nego minorem. *Vnde ad primam probationem* neganda est major: Causa enim habet necessariam connexionem cum effectu, & præmissæ cum conclusione, à quibus tamen non dependent. *Ad secundam probationem* etiam neganda est major: Veritas enim principiorum est magis necessaria & evidens quam veritas conclusionis; hæc tamen ab illa dependet. *Denique ad tertiam pariter* est neganda major: In eo enim casu quô Creaturæ essent impossibiles, certè Deus non haberet vim illam repræsentandi nec producendi; & consequenter verum non est quod quicquid Deus habet de facto, haberet etiam in illo casu impossibili. Nihilominus in illo casu semper esset Deus, quia semper esset infinitæ virtutis tum in intelligendo, tum in volendo ad intra, non verò ad extra.

Dices 2. Si Beati videndo divinam Essentiam in ea viderent formaliter aliquas Creaturas possibiles tanquam in causa & medio prius cognito, etiam videre deberent omnes omnino Creaturas; non enim est potior ratio cur hanc potius, quàm illam videant, cum omnes æqualiter in divina Essentia tanquam in causa contineantur & repræsententur: sed impossibile est quòd Beati videant omnes Creaturas possibiles quæ numerò sunt infinitæ: Ergo nullas vident.

Essentia divina omnes omnino Creaturas formaliter repræsētat, sed liberè.

Nego sequelam: Licet enim Essentia divina omnes omnino Creaturas formaliter repræsentet, nihilominus cùm hæc repræsentatio fiat per liberam Dei voluntatem, sequitur quod repræsentat quas vult; sicut enim Deus licet infinitè visibilis, non tamen naturaliter videtur à Creatura; sed solùm per liberum eondescensum, quantum scilicet & qualiter vult: sic etiam Creaturas in se non repræsentat nisi liberè, nimirum quas & quantum vult; quamobrem à Doctore Subtili in 3. dist. 14. q. 2. num. 20. appellatur *speculum voluntarium*, speculum quidem in hoc solùm, quod sicut speculum visum exhibet aliud objectum quod repræsentat, sicque est causa cur videatur; ita divina Essentia visa exhibet Creaturam videndam, estque causa & ratio cur videatur; Voluntarium autem dicitur, quia non necessariò repræsentat, ut speculum corporeum, vel sicut species impressa; sed tantùm liberè; adeoque non est necesse quod visâ Essentiâ divinâ omnes omnino Creaturæ videantur.

Dices 3. Creaturæ non possunt videri eadem visione quâ videtur Essentia divina, si Deus videri possit non visis Creaturis: sed Deus videri potest non visis Creaturis: Ergo non eadem visione videntur. *Deinde*: Ibi non est eadem visio, ubi una causatur ab alia: sed visio Creaturæ causatur à visione Dei. Vera enim est hæc propositio causalis; Ideo videntur Creaturæ, quia Deus videtur: Ergo Deus & Creaturæ non videntur eadem visione. *Denique*, Si una sit eademque visio Dei & Creaturæ, & tamen Creatura videatur ex vi visionis Dei, sequitur creaturam videri ex vi visionis sui ipsius quod est absurdum.

Visio Dei non est causa visionis creaturarum.

Respondeo, Visionem terminatam ad Deum & Creaturas, esse unam omnino & indivisibilem; ita quod si Deus videretur & non Creatura, illa visio etiam mutari diceretur; ad mutationem enim objecti secundarii dici potest mutari visio; Unde neganda est minor, nisi fortè quis dixerit Deum videri posse sine Creatura præcisivè, seu per potentiam extraordinariam, eô modô, quô diximus Essentiam videri posse sine attributis. Hinc pariter negandum est visionem Dei esse causam visionis Creaturæ, cùm una eademque sit utriusque visio; licet Creatura videatur ex vi ipsius Dei visionis, sicut objectum secundarium videtur virtute objecti primarii: Nec tamen idcirco dici debet videri vi sui ipsius, quia non est ex se ratio primaria & motiva ad suam visionem; sed id solùm habet ab Essentia divina, quæ creaturas repræsentat & movet ad earum visionem.

CONCLUSIO TERTIA.

Beati videntea omnia in Verbo quæ ad ipsos spectāt.

BEATI *vident ea omnia in Verbo, quæ spectant eorum status, perfectionem & satietatem*: Hæc est communis, nedum inter Doctores, sed etiam inter sanctos Patres: & probatur. Beatitudo est status summè perfectivus & satiativus: Ergo Beati videre debent ea omnia quæ ad eorum satietatem & perfectionem spectant. Cum autem Beatus tripliciter possit considerari; Primò quidem ut *elevatus* est ad ordinem gratiæ. Secundò, quatenus est *pars universi*: Tertiò, prout est *talis persona* in speciali dignitate constituta, puta summus Pontifex, supremus Monarcha, Institutor & Patriarcha Religionis, Pater-familias, &c. hinc est quod juxta hanc triplicem considerationem tria maximè appetit cognoscere; primò quidem fidei mysteria; secundò species ac partes nobiliores universi, ut Angelos, Cœlos, Elementa, &c. Tertiò modò, illa videre cupit quæ spectant ad dignitatem & ministerium quo functus est: Hæc autem omnia videt: Ergo videt ea omnia quæ ad sui status perfectionem & satietatem spectant. Probatur minor.

Beatus ut elevatus ad ordinem gratiæ cognoscit præcipua fidei mysteria.

Primò quidem quod Beati videant præcipua fidei mysteria, Visio namque beatifica succedit fidei, sicut comprehensio spei, & fruitio charitati: Ergo ea omnia quæ nobis hîc obscurè revelantur per fidem, Beatis in patria manifestantur in Verbo, juxta illud Psalmi 47. *Sicut audivimus sic vidimus in Civitate Domini virtutum*. Cui consonat illud Augustini lib. 22. de Civit. cap. 21. dicens, *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt, & illa omnia quæ nunc videmus; credentes autem pro modulo capacitatis humanæ, longè minùs quàm sunt, atque incomparabiliter cogitamus: & videbitis & gaudebit cor vestrum; hîc creditis, ibi videbitis*. Cui consonat S. Gregor. lib. 18. Moral. cap. ultimo, *Quæ visio nunc fide inchoatur*, inquit, *sed tunc in specie perficitur, quando coæternam Dei sapientiam, quam modò per ora prædicantium quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso suo fonte biberimus*. Idem indicat S. Paulus 2. ad Corinth. 3. *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, transformamur de claritate in claritatem*. Id est à claritate fidei in gloriam contemplationis æternæ,

æternæ, seu ut ait lib. 15. de Trinit. cap. 8. *Transformamur de forma in formam*, id est *de obscura in lucidam, de gloria fidei, in gloriam speciei*. Hinc Lessius lib. 2. de summo bono cap. 9. existimat singulos Beatos clarè nosse omnia Scriptorarum arcana, omnes figuras, omoes mysticos sensus, omnes Ecclesiæ traditiones & definitiones.

Adverte tamen Beatos oon videre in Verbo omnia fidei mysteria quantùm ad omnes circonstaotias temporis & loci: Unde licet Angeli à primordio suæ beatitudinis cognoverint in Verbo mysterium Incaruationis quantùm ad suhstantiam; non tamen illud noverunt secundùm circunstantias temporis & loci, quas soccessu temporis didiceruot, ot insiouare videtur S. Paulos Ephesiorum 3. *Misit me*, inquit, *illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis, in Deo, qui omnia creavit: ut innotescat Principatibus & Potestatibus, in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*. Hinc S. Chrysostomus in illa verba, ait: *Mysterium istud ignorabant Angeli: nam si Principatus ignorabant, utique multò magis Angeli: Vnde ergo cogituri? quo revelante? Quando videlicet illud cognovit Paulus, tum per illum & isti:* Uode concludit, *Paulus Angelorum Evangelista, hic illos illuminavit*. Cui concinit S. Ambrosios in eadem verba, *Non solum hunc Magistrum*, inquit, *dedit Gentibus, sed etiam Angelis:* Nam ut ait S. Cyrillos Alexandinos, *Paulo prædicante, Evangelii mysteria didicerunt Angeli:* Non quidem quantùm ad sobstantiam, sed qoantùm ad circunstantias: idque non visione quâ videot Deum; sed per speciales revelationes & illustrationes, vel à Deo ipso, vel ab Angelis superioribus, vel ab hominibus prædicantibos, & quibus illa mysteria priùs revelata fuerunt. Unde S. Dionysius cap. 7. *Cœlestis Hierarchia* inducit cœlestes mentes quæstionem facientes aoimæ Christi de suscepto pro nobis opere & ipsum Jesum eas docentem ac illuminantem. Et consequenter licet Beati videant omnia fidei mysteria, non tamen vident eorum omnes circumstantias.

Hinc videbunt etiam decreta Dei libera & occulta ejus consilia, non tamen omnia; sed prout quemqoe Beatum decebit, ut docet S. August. lib. 13. Confess. cap. 15. *Vident faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua*. Cui consonat S. Bernardus lib. 5. de Consid. cap. 4. docens in beata Visione *sic videri cor Dei ut probetur quæ sit Dei voluntas, bona, beneplacens & perfecta: pateant viscera misericordiæ, cogitationes pacis, divitiæ salutis, mysteria bonæ voluntatis, benignitas æterna*.

Ut pars universi cognoscit nobiliores species.

Patet eadem minor, quantùm ad visionem nobiliorum specierum universi; quia, inquit S. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 59. *Visio divinæ substantiæ est ultimus finis cujuslibet intellectualis substantiæ: omnis autem res cùm pervenerit ad ultimum finem, quiescit appetitus ejus naturalis, oportet quòd appetitus naturalis substantiæ intellectualis divinam substantiam videntis omnino quiescat: Est autem appetitus naturalis intellectùs ut cognoscat omnium rerum genera & species & virtutes, & totius universi ordinem; quod demonstrat humanum studium erga singula prædictorum; quilibet igitur divinam substantiam videntium cognoscit omnia supra dicta*. Hoc ibidem confirmat ex eo quòd Dominus Moysi petenti divinæ substaotiæ visionem, respondit: *Ego ostendam tibi omne bonum*, & ex illo magni Gregorii 4. Dialogorum cap. 33. *Quid est quod nesciant qui scientem omnia sciunt?* Quod saltem intelligi debet de omnibus quæ pertinent ad hoc universum. Cui consonat S. Bernardus, Sermone de triplici genere bonorum circa fioem: *O sapientia*, inquit, *quâ tunc omnia quæ in Cœlo & quæ in Terra sunt perfectissimè cognoscemus, in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes:* Quantùm videlicet quemque scire interest, ot indicat ratio quam præmisit his verbis, *Quod si nihil deerit nobis, aliquid autem nos latuerit, nunquid erit gloria consummata? Ideo nihil latebit nos*. Cui coocordat Seraphicus Bonaventura libro Soliloqoiorum cap. 4. *O anima!* inquit, *quæ naturaliter scire desideras, hoc speculum Divinitatis videre affecta, in illo studere & legere desidera: quia hoc semel vidisse, est omnia didicisse. Ibi revera videbitur & reputabitur stultitia Platonis Theoria, Aristotelis Philosophia, Empedoclis Theoremata, Hyppocratis Scrutinia, Ptolomei Astrologia, &c.*

Quin & omnes cogitationes aliorum Beatorum.

Hinc nonnulli sancti Patres, maximè Augustious lib. 7. de Civitate Dei, cap. 29. existimat Beatos videre in Verbo omnes cogitationes & affectus aliorum Beatorum: *Patebunt*, inquit, *etiam cogitationes nostræ invicem nobis: tunc enim implebitur quod Apostolus ait, cùm enim dixisset*, Nolite aote tempus judicare quidquam, *mox addit*, donec veniat Dominus & illuminet abscondita tenebrarum & manifestet cogitationes cordis, & tunc laus erit unicuique à Deo. Idem habet Epist. 6. *Cum venerit*, inquit, *Dominus & illuminaverit abscondita tenebrarum & manifestaverit cogitationes cordis, tunc nihil latebit proximum in proximo; nec erit quod suis quisque aperiat, abscondat alienis, ubi nullus erit alienus*.

Ut persona talis conspicit quæ spectant ad suum statum particularem.

Tertiò denique patet eadem minor, quantùm ad cognitionem eorum quæ spectant ad cujuslibet Beati ministerium, dignitatem & statum: *Nam*, ait Goillelmos Parisiensis prima parte suæ Summæ Tractatu de Immortalitate animæ, cap. 9. *Quidquid decebit vel delectabit eos videre, visuri sunt:* Uode summi Pontifices videbunt omnia quæ pertineut ad præsentem vel futurum Ecclesiæ statum, quam aliquando administraverunt: S. Franciscus, & cæteri Religionum Patriarchæ, videot ea omnia quæ spectant suorum Ordinum gloriam, sanctitatem & illustrationem: S. Ludovicus Galliarum Rex & cæteri cujuslibet principatus Administratores, conspiciunt illa maximè quæ ad Dei gloriam, Religionis augmentum, & pietatis promotionem geruntur in eorum regnis: Similiter omnes Patres-familias, quæ in sua familia ab uxoribos, filiis, amicis & parentibus fiunt, in Verbo conspiciunt.

Dicet. Si quilibet Beatus ea omnia videret quæ proprium ejus statum spectant, sequeretur aliquem inferioris meriti fore beatiorem eô qoi est amplioris & eminentioris meriti ac virtutis: sed hoc consequens est absurdum: Ergo & id unde sequitur. Patet sequela majoris: Ille censendus est beatior qui plura videt in Verbo, seu cujus visio amplior est & major: sed posset aliquis Beatus inferioris meriti, v.g. Rex & Imperator, plura videre in Verbo, quàm Solitarius aliquis & Eremita, qui præstantioris licet meriti nihil ad se pertinens & spectans videndum haberet: Ergo hic illô minùs foret Beatus,

Beatus minoris meriti potest esse beatior altero perfectioris meriti, non intensivè, sed extensivè.

Distinguo sequelam majoris: Esset Beatior intensivè & essentialiter, nego: Extensivè & accidentariò, concedo: Essentialis enim beatitudo seu intensiva quæ correspondet meritis, consistit in præstantiori, & evidentiori visione Dei, qui est objectum essentiale beatitudinis; non autem Creaturæ quæ sunt tantùm objecta secundaria. Unde S. August. lib. 5. Confess. cap. 4. *Beatus qui te scit, etiam si illa nescit*, scilicet creata; *qui verò te & illa novit, non propter illa beatior, sed tantùm propter te Beatus.* Adde quòd ampliorem illam beatitudinem extensivam in Rege, possit Deus æquare in Eremita ipsi manifestando alias Creaturas, vel decreta suæ voluntatis, vel alia quorum visio non solùm æquabit; sed & superare poterit visionem Regis.

Objicitur perdifficilis locus D. Aug.

Dices 2. S. August. lib. de cura pro mortuis, cap. 15. & 16. fusè docet spiritus Defunctorum nescire statum viatorum, nam capite 15. ait: *Proinde fatendum est nescire quidem mortuos quid hìc agatur; sed dum agitur, postea audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt; non quidem omnia; sed quæ sinuntur indicare qui sinuntur etiam ista meminisse, & quæ illos quibus hæc indicant, oportet audire. Possunt & ab Angelis, qui rebus quæ aguntur hìc præsto sunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui cuncta subjecta sunt.* Unde cap. 16. concludit *Sanctos Martyres opitulari iis, quos per eos certum est adjuvari, generaliter orando pro indigentia supplicantium, sicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præsentamur, nec ubi sint, vel quid agant, scimus*: Ergo censet S. August. Beatos non videre in Verbo quæ aguntur in terris, nec proinde illa cognoscere quæ ad suum statum pertinent.

Ipsi concinit Author de *spiritu & anima*, apud eundem Tomo 3. dicens cap. 29. *Ibi sunt spiritus Defunctorum, ubi non vident, neque audiunt, quæ aguntur aut eveniunt in ista vita hominibus: Ita tamen est eis cura de vivis, quamquam quid agant omninò nesciant, quemadmodum cura est nobis de mortuis, quamvis quid agant utique nesciamus. Nesciunt quidem mortui quid hìc agatur; sed dum hìc agitur, postea audire possunt ab eis, qui hinc moriendo ad eos pergunt: non quidem omninò, sed quantùm sinitur eis indicare & eos oportet audire. Scire etiam possunt ab Angelis qui hìc nobis præsto sunt, & animas nostras ad illos deferunt. Spiritu etiam Dei revelante cognoscere possunt quæ hìc aguntur, quæ necessarium est eos cognoscere. Quidam etiam ex mortuis ad vivos rapi possunt, non per propriam naturam; sed per divinam potentiam: utrum tamen ista fiant per eorum præsentiam aut per Angelos suscipientes eorum personas, affirmare non audeo.*

Respondet S. Thomas prima parte q. 84. art. 8. S. August. hoc dubitando dixisse, quia cap. 13. præmisit, *ut volet quisque, accipiet quod dicam*, Verùm apertè constat ex citatis verbis, Augustinum non dubitativè, sed assertivè loqui; ait enim fatendum esse nescire mortuos quid hìc agatur, quæ non sunt verba dubitantis, sed affirmantis. Dubitat equidem August. cap. 16. quomodo opitulentur Martyres iis quos per eos certum est adjuvari: *Utrum ipsi per se ipsos adsint uno tempore tam diversis locis, & tanta longinquitate discretis; an ipsis in loco suis meritis congruo ab omni mortalium conversatione remotis, & generaliter orantibus pro indigentia supplicantium, sicut nos oramus pro mortuis quibus utique non præsentamur, nec ubi sint, vel quid agant scimus; Deus omnipotens qui est ubique præsens exaudiens Martyrum preces per Angelica ministeria usquequaque diffusa præbeat hominibus ista solatia*; quam rem dicit *esse altiorem*, ut à seipso possit attingi & se illam definire non audere. Itaque dubitat equidem Augustinus quomodo Martyres nobis possint opitulari; non verò dubitat, imò negat res nostras per seipsos detegere posse; comparat enim illorum absentium notitiam, cum notitia nostra, ita quod, sicut ignoramus qualiter sese habeant defuncti, sic etiam Martyres ignorent, quomodo res vivorũ sese habeant.

Itaque respondeo 2. Augustinum non negare absolutè Beatos videre res aliquas in Verbo: etenim cap. 15. cùm dixisset spiritus Defunctorũ aliqua de rebus viventium, postquam contigerunt, discere ab animabus è terra in Cœlum migrantibus, vel ab Angelis nobis assidentibus; subdit tertium modum, quô possunt etiam res illas detegere, nempe per revelationem Dei: *Possunt etiam*, inquit, *spiritus mortuorum aliqua quæ hìc aguntur quæ necessarium est eos nosse, & quæ necessarium non est eos nosse, non solùm præterita vel præsentia, verùm etiam futura spiritu Dei revelante cognoscere.* Quibus verbis fatetur animas beatas Deo revelante illa cognoscere, quæ ad suum statum pertinent: quamvis autem hæc verba de revelatione extra Verbum possent intelligi; nihilominus de visione intra Verbum faciliùs & commodiùs accipiuntur.

Sed clarè solvitur & explicatur.

Hæc autem ut faciliùs percipiantur: Sciendum est S. Augustinum hoc in libro duo potissimũ intendere: *Primum* quidem animabus Defunctorũ in gratia decedẽtium prodesse preces vivorum: *Secundum* autem est, ipsis animabus per se nihil prodesse, aut obesse utrum & ubi eorum corpora sepeliantur. Cùm autem movisset quæstionem, si nihil prosit sepultura corporum animabus, cur ergo illæ interdum appareant per somnium vivis, exigentes debitam corporum suorum sepulturam; Respondet autem *cap.* 11. *&* 12. animas ipsas non adesse somniantibus, nec eas videri in somno, sed hujusmodi somnia causari Deo jubente, aut permittente a malis, vel bonis Angelis: *Deinde cap.* 13. *& sequentibus* fusè disputat animas mortuorum non interesse rebus viventium, nec consequenter per suam præsentiam scire quid agant quidve patiantur vivi; quod ut confirmet, ait non esse necesse ut animæ beatæ intersint rebus viventium ad cognoscendam earum indigentiam, ut illam suis precibus sublevent. *Imo* hoc absurdum censet, cum possint curare illas res, vel generaliter orãdo pro vivis, ut ait *cap.* 16. vel specialiter cognoscendo illam indigentiam per sanctos Angelos aut animas hinc migrantes, vel per divinam revelationem, ut affirmat *cap.* 15. Itaque non negat S. Augustinus Beatos in Verbo cognoscere ea quæ ad suum statum spectant: sed solùm vult non esse necessum, quòd animæ illæ vivis adsint præsentes ut res eorũ videant, cum eas, vel ab Angelis, vel ab animabus hinc migrantibus, vel à Deo revelante seu manifestante in Verbo, nosse possint.

Eôdem modô solvi potest authoritas deprompta ex libro de *Spiritu & Anima*.

CONCLUSIO QUARTA.

Essentia divina repræsẽtat Creaturas prout est infinita in repræsentando.

CREATURÆ *videntur à Beatis formaliter in ipsa Essentia divina, quatenus habet vim infinitam repræsentandi quamlibet entitatem quam continet, vel formaliter vel virtualiter.* Hæc videtur esse conformior menti Doctoris in 1. d. 35. q. unica & q. 14. quodlibetica, ubi refellit alios

modos à Doctoribus assignatos quibus Dues dici posset cognoscere Creaturas tanquam in medio formaliter cognito.

Probatur primò : Essentiæ divinæ ea omnis perfectio tribuenda est, quæ ipsam maximè decet, ipsique tribui potest absque ulla repugnantia & indecentia : sed illa vis infinita repræsentandi est perfectio simpliciter simplex ; cùm importet secum significetque infinitam entitatem in omni genere, & infinitam activitatem & fœcunditatem tam ad intra quàm ad extra ; hæcque nullam indecentiam nec repugnantiam involvit ; Ergo est Deo tribuenda.

Secundò , Illa est ratio formalis videndi Creaturas ipsis beatis spiritibus , per quam Deus & in qua ipse formaliter tales Creaturas cognoscit : sed eas Deus ipse cognoscit in Essentia sua, non solùm tanquam in objecto primario ; sed etiam formaliter quatenus vim habet infinitam repræsentandi , ut infrà constabit & probabitur in Tractatu *de Scientia Dei* : Ergo Essentia divina quatenus vim habet infinitam repræsentandi quamlibet entitatem, est ratio formalis videndi Creaturas.

Nulla enim assignabilis est alia ratio formalis.

Tertiò denique : Si quæ posset assignari alia ratio formalis hujusce visionis Creaturarum, maximè vel illarum Idea in mente divina existens ; vel ipsamet Essentia divina sub alia ratione , quàm sit ratio & vis repræsentandi infinita : sed neutrum dici potest. *Non quidem Idea* , quia vel idea esset ratio formalis videndi Creaturas secundùm suum esse absolutum, quod habet in se ; vel secundùm esse respectivum & relationem transcendentalem quam habet ad Creaturas ideatas, seu quarum est Idea : at secundùm alterutram hanc rationem Idea non potest esse ratio formalis videndi Creaturas. *Non quidem secundùm esse absolutum* ; nam idea entitativè, vel est Creatura in esse objectivo, seu quatenus habet esse cognitum in Deo , vel est ipsa formalis Creaturæ cognitio in Deo , vel denique est ipsamet Essentia divina quatenus est imitabilis & participabilis à Creatura juxta varias de ratione Ideæ divinæ opiniones quas fusius expendemus Tractatu *de Scientia Dei* : sed secundùm has acceptiones idea non potest esse ratio formalis videndi Creaturas : *Non quatenus est ipsa Creatura in esse cognito & objectivo*, quia sic jam ipsa Creatura supponitur esse cognita; adeoque ut sic non potest esse ratio formalis quâ cognoscatur. Adde quòd nihil possit sic esse medium respectu sui ipsius cognitionis : Ergo præter Creaturam in esse objectivo, debet assignari alia ratio quæ sit medium illius cognitionis.

Non quidè idea.

Secundùm illius esse absolutum.

Non etiam quatenus idea , est formalis conceptus , seu cognitio Creaturæ in Deo : Cognitio enim divina, sicut & scientia divina, non possunt esse rationes formales cognoscendi Creaturas à Beatis ; quia , ut inquit Doctor *q. citatâ quodlibeticâ* , cùm visio & scientia repræsentet objectum formaliter , solùm illi repræsentare potest intellectui cui inest, non autem alteri intellectui , etiam si videat illam visionem : Sicut enim causalitas formalis non exercetur nisi respectu prioris subjecti , v. g. Albedo non albificat nisi subjectum cui inest ; ita repræsentatio formalis non potest formaliter objectum repræsentare , nisi illi intellectui qui talem visionem seu repræsentationem formalem elicit ; adeoque cognitio divina non po-

A test habere rationem repræsentandi formaliter, nisi respectu solius intellectus divini qui illam cognitionem format. *Deinde* : Si idea sit ipsamet Essentia divina quatenus est exemplar imitabile à Creatura, sequitur nec Creaturas in Deo cognosci secundùm earum esse proprium ; quia ut sic cognoscerētur formaliter per ipsammet entitatem Essentiæ divinæ. *Insuper*, cognosci non possent in Deo veritates contingentes & concernentes esse actuale Creaturarum : hoc enim esse contingens , non habet necessariam connexionem cum ipsa divina Essentia , ut Essentia divina est. *Denique* cùm Creaturæ solùm imitentur divinam Essentiam secundùm quosdam gradus communes & transcendentales, putà entis, substantiæ, viventis, intellectualis, & similes ; non autem illam imitentur secundùm proprias suas differentias & peculiares modos quibus ultimatè constituuntur, & tum à Deo tum à se invicem discrepant, atque in quibus limitationem imperfectionemque involvunt : Consequens est quòd secundùm hos gradus differentiales non participant divinam Essentiam , nec eam imitantur ; sed ab ea recedunt eique dissimiles fiunt : Ergo secundùm hanc rationem non possunt formaliter videri in Essentia divina habente rationem ideæ : adeoque non possunt videri formaliter in ratione ideæ secundùm ipsius ideæ esse absolutum.

Nec secundùm illius esse respectivum.

C *Sed nec etiam videri possunt Creaturæ formaliter in ratione ideæ secundùm illius esse respectivum* : Tum quia ut aliquid ducat in cognitionem alterius tanquam medium cognitum , non est necesse quod habeat formaliter relationem ad alterum ; sed sufficit quod secundùm suum esse absolutum connexionem habeat cum altero, vel in ratione causæ & effectus, vel in quavis alia ratione. Sic enim Deus cognoscitur à posteriori per Creaturas , non solùm ratione respectus realis transcendentalis quem ipsæ Creaturæ habent ad Deum ; sed etiam ratione suæ entitatis absolutæ , quæ non minùs pendet à Deo quàm earum esse relativum, adeoque non minùs quàm illud ducit in cognitionem

D ipsius Dei. *Tum quia* licet ipsamet relativa, quatenus relativa sunt, non possint cognosci sine se invicem, non tamen unum est ratio cognoscendi alterum ; fundamentum enim & termini sunt ipsæ rationes & media cognoscendi utrumque relativum : & consequenter idea secundùm suum esse relativum , non potest esse ratio formalis cognoscendi Creaturas, ut fusius probat Doctor in 1. *dist.* 32. *quæst. unica*.

Non ipsamet Essentia divina sub alia ratione.

Non etiam ipsamet Essentia divina potest esse ratio cognoscendi Creaturas formaliter sub alio respectu quàm sub virtute infinita repræsentandi :

E Si enim talis esset ratio sub aliquo alio respectu, maximè quatenus Creaturas continet eminenter & virtualiter : sed sub hoc respectu non est formalis & immediata ratio videndi Creaturas ; sed tantùm remota & fundamentalis ; ita quòd ratio cur Deo competat posse omnia repræsentare , non alia sit quàm quod ipse sit causa omnium, & infinita entitas, eminenter involvens & continens quamlibet entitatem.

Unde asserendum est , virtualem & eminentialem continentiam rerum creatarum in Deo, esse fundamentum , cur divina Essentia sit repræsentativa illarum : ita quod hæc vis repræsentandi, non præcisè sit ipsa continentia virtualis, vel eminentialis ; sed sit ipsamet infinita

entitas; quatenus nimirum sicut Essentia divina continet virtualiter & eminenter res creatas quoad esse, ita etiam quoad repræsentari: & sic solvi possunt omnes tum Doctoris, tum aliorum Veterum authoritates, dum affirmant Essentiam divinam secundùm continentiam eminentialem & virtualem esse rationem repræsentandi Creaturas: *Solvi inquam possunt*, dicendo eos esse intelligendos de ratione videndi fundamentali & remota, non autem de proxima & immediata.

Dices: Sanctus Augustinus *lib. 83. quæstionum quæst. 46.* ait animam rationalem visioni ideali esse idoneam, & idearum visione fieri beatissimam: Ergo censet sanctus Augustinus B ideam esse rationem videndi Creaturas in Verbo.

Nego consequentiam: Tum quia ut observat Doctor *in 1. dist. 35. quæstione unica num. 13.* S. Augustinus non ita intelligendus est quasi anima foret beatissima in visione idearum quatenus ideæ sunt, sed quatenus continentur in objecto primario, nempe in Essentia divina quæ est formalis ratio perfectissimæ beatitudinis: beatitudo enim non potest esse perfectissima in sola visione idearum, ut ipsemet fatetur Augustinus 5. Confessionum, dicendo, *Beatus est qui te & illa novit, nec propter illa beatior.* Tùm quia sanctus Augustinus, ubi ait Creaturas videri in arte & sapientia Dei, etiam affirmat eas C videri in Verbo Dei: adeoque censet quòd quemadmodum Creaturæ non videntur in Verbo per proprietatem, quasi Verbum Dei sub formali ratione Verbi sit specialis ratio repræsentandi Creaturas, sed tantùm per appropriationem, eo quòd Verbum procedat per intellectum & cognitionem divinam; ita etiam Creaturæ videntur in arte & sapientia Dei, non per proprietatem, quasi Ars & Sapientia Dei sub formali ratione artis & sapientiæ, sit peculiaris ratio objectivè repræsentandi Creaturam: sed per appropriationem, eo quòd nimirum, cùm scientia & ars divina sit actus intellectus divini, ipsi appropriantur cognitiones operum Dei ad extra, sicut divino amori, id est Spiritui D sancto appropriantur ea omnia quæ ad divinum amorem spectant.

SECTIO QUARTA.

Quot & quæ sint beatæ Visionis proprietates.

VARIÆ sunt Visionis appendices & proprietates quæ variarum quæstionum materiam subministrant. De ipsa namque inquiri potest an sit notitia simplex aut composita; directa aut reflexa; successiva aut permanens; E æqualis denique in omnibus Beatis, aut inæqualis. Ut itaque beatæ Visionis integra & adæquata habeatur cognitio, præfatis quæsitis in sequentibus quæstionibus faciemus satis.

QUÆSTIO PRIMA.

An beata Visio sit notitia simplex, directa, & permanens?

I. Triplex in nobis notitia: Apprehensio, Iudicium & Discursus.

NOTANDUM 1. triplicem in nobis distingui notitiam: Prima dicitur *simplex apprehensio*, quâ objectum aliquod ab intellectu A percipitur & apprehenditur nihil de ipso affirmando vel negando. Secunda *Iudicativa* appellatur, quâ intellectus terminos apprehensos vel asserit invicem esse connexos, & dicitur compositio, vel negat esse connexos, & dicitur divisio: Tertia denique est *Discursiva*, quâ intellectus judicat veritatem unius propositionis rectè sequi ex aliis cum quibus necessariam habet connexionem. Insuper cognitio judicativa & discursiva duplex distinguitur: alia namque est formalis, alia autem virtualis. *Formalis discursus* præsupponit duos actus, nempe judicium & simplicem apprehensionem: formale autem judicium præsupponit simplicem apprehensionem: Judicium verò virtuale & discursus virtualis nullum præsupponunt actum. *Iudicium enim virtuale*, est unicus ac simplex actus æquivalens duobus, quô quis simul objectum apprehendit & affirmat vel negat illud esse tale: similiter *Discursus virtualis* est unicus & simplex actus, quô quis apprehendit & judicat & cognoscit propositionem ritè ab aliis propositionibus inferri ita clarè ac si per varios actus discursus formalis hanc perfectam illationem cognosceret.

Qui iterum vel formalis est, vel virtualis. Sicut & Iudicium.

Notandum 2. duplicem iterum distingui cognitionem, nimirum *Directam* quâ objectum primò & per se cognoscitur, & *Reflexam* quâ scilicet intellectus reflectit supra formatam suam cognitionem illamque cognoscit, & ea mediante attingit objectum circa quod versabatur. Insuper cognitio reflexa iterum duplex distingui potest, una quidem reflexa supra potentiam, alia verò supra actionem. Prior dicitur, quâ potentia quælibet vitalis experitur se agere: quæ experientia non fit quidem per alios actus, sed per eosdem quos elicit; alioquin daretur processus in infinitum; nam si potentia experiri deberet se primum actum elicere per alium actum secundum, etiam experiretur se secundum elicere per tertium, & sic fieret processus in infinitum. Posterior autem est quâ intellectus reflectit supra priorem actionem à se elicitam. Illa dicitur impropriè reflexa, hæc verò propriè. Quæ iterum duplex distingui potest, nimirum reflexa formaliter, & reflexa virtualiter. Prima est secundus actus intellectus reflectentis se supra priorem actum realiter distinctum: posterior verò est unus isdemque actus quô rem cognoscit intellectus, & simul advertit & judicat se cognoscere.

II. Rursus cognitio duplex: directa & reflexa.

Reflexa alia supra potentiam, alia supra actionem.

Notandum 3. tres esse mensuras durationis rerum, scilicet æternitatem, ævum & tempus. *Æternitas* est mensura rei immutabilis tam secundùm entitatem quàm secundùm operationem: *Ævum* est mensura rei immutabilis secundùm entitatem, mutabilis verò secundùm operationem & accidentia quæ potest suscipere. *Tempus* denique, est mensura rei mutabilis tam secundùm entitatem quàm secundùm operationem. Unde Tempus habet in se prius & posterius solùm intrinsecè: Ævum habet in se prius & posterius solùm extrinsecè: Æternitas verò non habet prius & posterius intrinsecè neque extrinsecè. Hinc res Æternæ sunt omnimodè permanentes, & nullatenus successivæ: Æviternæ autem sunt intrinsecè permanentes, & extrinsecè successivæ: Temporaneæ verò sunt intrinsecè successivæ & variabiles.

III. Triplex mensura durationis rerum.

Conclusio Prima.

IV.

Visio beatifica est formaliter cognitio simplex.

V*isio beatifica est formaliter simplex notitia: virtualiter autem judicativa est, & discursiva.*

1. Quia talis cognitio cæteris est perfectior.

Probatur prima pars: Major perfectio tribuenda est visioni beatificæ quæ in ea admitti potest absque ulla repugnantia est inconvenientia: sed cognitionem esse simplicem est major perfectio quàm esse compositam, ut constat de cognitione divina quæ est omnino simplex; neque ulla apparet repugnantia cur hæc simplex notitia visioni beatificæ tribui non debeat: Ergo dici debet simplex notitia. *Deinde*, B Omnis cognitio intuitiva, tam corporea, quàm intellectualis, est notitia simplex ut constat: sed visio beatifica est intuitiva ut probatum est, ergo est simplex. *Denique* si visio Dei non esset simplex notitia, deberet esse vel judicium vel discursus; & consequenter deberet præsupponere aliam apprehensionem objecti beatifici: Sed hoc est falsum; illa namque apprehensio præsupposita, vel esset intuitiva notitia, adeoque ipsa visio beata, vel esset abstractiva & sic ad ipsam judicium vel discursus consequens non posset ullatenus esse visio intuitiva. Notitia enim consequens cognitionem abstractivam, necessariò abstractiva est, non autem intuitiva; adeoque visio beata non est formaliter C simplex, vel non est intuitiva. Unde meritò Doctor *in 2. dist. 1. quæst. 5. num. 1.* expressè asserit, *Animam beatam in objecto beatifico non discurrere circa illud.*

2. Visio beatifica est intuitiva.

3. Quia neque judicium neque discursus esse potest.

V.

Tamen est judicativa & discursiva virtualiter.

Probatur secunda pars: Visio beata est clarissima & certissima: sed talis non esset nisi intellectus beatus judicaret se Deum videre: Ergo visio illa saltem virtualiter est judicativa. *Deinde*, Beatus videndo Deum, judicat eum esse omnipotentem, quia est ens infinitum, & omnino independens, adeoque illius visio est judicativa & discursiva. *Denique*, si quid obesset quominùs illa visio saltem virtualiter esset judicativa & discursiva, maximè quia repugnaret simplicissimum actum æquivalere distinctis E actibus judicii & discursus: Sed hoc est falsum. Dum enim quis objectum aliquod clarè & intuitivè conspicit; v. g. Beatus videns Deum, etiam scit & discernit quod sit Deus, quod sit Sapiens, &c. & consequenter concludendum est cum S. Bonaventura in 3. dist. 14. art. 1. quæst. 3. *Nihil impedire quin possit concedi quod anima beata certissimè judicet illud esse summum lumen quod intuetur.* Cui consonat Doctor quæst. 3. prolog. num. 27. ubi concedit visionem beatificam habere omnes conditiones scientiæ, quarum una est quod sit discursiva. Sed visio beata non potest esse discursiva formaliter, ut probatum est in priori parte, quod etiam ipsemet Doctor asserit dicendo animam beatam non discurrere circa objectum beatificum: Ergo censet visionem beatificam esse saltem virtualiter discursivam.

Simplex enim actus potest distinctis actibus æquivalere.

VI.

Dices: Sanctus Augustinus, vel quisquis est Author libri de vera religione, affirmat, *Nullum de summa veritate posse judicare*: Ergo Beatorum visio non potest esse judicativa.

Aliquis potest judicare de alio dupliciter juxta S. Bonaventuram.

Respondet S. Bonaventura in 1. distinct. 3. quæst. 1. ad quartum argumentum, aliquem judicare posse de alio dupliciter. *Primò modò discernendo utrum sit vel non sit: & hôc modô convenit judicium omni intellectui cognoscenti res-* A *pectu omnis objecti: Aliô modô approbando vel reprobando, utrum ita debeat esse, & sic non judicat de veritate, sed secundùm ipsam de aliis, sicut dicit Augustinus de vera religione, quòd judex non judicat de lege, sed secundùm ipsam judicat de aliis. Et de hoc modo verum est quòd dicit Augustinus, quòd nullus de illa veritate judicat, nullus tamen sine illa judicat: & de hoc modo verum est quòd opponit, quòd judicans potest super judicatum. De primo verò non est verum quòd possit super, potest tamen dirigi in objectum, adminiculô illius.*

Conclusio Secunda.

VII.

V*isio beata est cognitio directa formaliter: & solùm virtualiter reflexa.*

Visio est directa formaliter.

1. Quia non supponit priorem cognitionem.

Probatur prima pars: Cognitio reflexa formaliter, supponit cognitionem directam: sed visio beata non supponit priorem cognitionem objecti beatifici; illa enim prior cognitio, vel esset beatifica vel non: Si primum; Ergo aliam cognitionem beatificantem non requireret: Si secundum; Ergo non esset visio Dei intuitiva, contra suppositum; visio namque intuitiva Dei, est summè ex seipsa delectabilis: sicut enim actus v. g. habet delectationem ex perceptione objecti delectabilis, absque eo quòd per actum reflexum apprehendat illam perceptionem & delectationem: ita pariter Beatus summam percipit delectationem ex visione objecti beatifici; absque eo quòd per alium actum reflexum apprehendat illam perceptionem & delectationem. *Deinde*, si quæ foret ratio admittendi actum reflexum in visione beatifica, maximè ut Beatus certus fieret de perpetuitate & securitate suæ visionis, quam securitatem percipere non potest per actum directum: sed hæc ratio nulla est. Tum quia hanc securitatem percipere posset Beatus per alium actum sequentem actum visionis beatificæ: Tum quia inquit Doctor in 4. dist. 49. quæst. 6. securitas non est de essentia beatitudinis, *Quia securitas*, inquit, *præsupponit* certitudinem de continuatione *beatitudinis; Prima autem apprehensio certa, sequitur ordine naturæ totam beatitudinem, cùm sit actus non tendens in objectum beatificum, sed reflexus super actum: & per consequens, beatitudo tota posita essentialiter, poterit esse sine certitudine: Ergo multò magis sine securitate.* Quibus Doctor tria affirmat: Primum, quòd visio beatifica sit actus directus: Secundum, quòd securitas, non sit de essentia beatitudinis, sed tantùm ejus proprietas accidentalis: Tertium, quòd illa securitas non percipiatur per visionem beatificam, sed tantùm per alium actum sequentem & reflexum.

2. Quia non sunt plures visiones beatæ.

D *Denique*, Tantùm abest quod beata visio sit notitia reflexa, imò non videtur necessarium quod illa beata visio per aliam visionem beatam reflexam debeat cognosci; Tum quia aliàs essent plures visiones beatæ, quod sequenti conclusione probabimus esse falsum: Tum quia quâ ratione prima visio beata videri deberet per aliam visionem beatam reflexam, eadem deberet videri per tertiam, & sic deinceps in infinitum, quod nullus admiserit. Ratio enim ob quam prima videri deberet per secundam, est quia cùm visio sit ens creatum pertinens ad statum Beati, etiam illa visio videri deberet in Verbo: sed hæc ratio etiam currit de secunda

visione reflexa, & similiter de tertia, & sic in infinitum. Quòd autem hæc visio directa & intuitiva, licet spectans ad statum Beati, videri tamen non debeat per aliam visionem, patet; quia Beatus videndo Deum, videt etiam se videre; adeoque ejus visio est virtualiter reflexa, ut probabitur in secunda parte Conclusionis.

Sed virtualiter reflexa.

Probatur secunda pars. Illa visio est virtualiter reflexa, quâ quis judicat & percipit se videre: sed Beatus per visionem beatificam judicat & percipit se videre Deum; aliàs ejus cognitio & visio esset summè imperfecta, & minùs jucunda: Ergo est virtualiter reflexa. *Deinde:* Si quid obesset quominus Visio beata dici posset virtualiter reflexa, maximè quia eodem actu non posset quis simul videre objectum, & percipere se videre: sed hoc est falsum: Tum quia lux manifestat seipsam & alia à se, quidni ergo etiam visio beata quæ est summè lucida, Deum & seipsam repræsentabit? Tum quia eodem actu videtur Deus & Creatura in Deo repræsentata: Quidni ergo etiam visio Deum videndo, seipsam etiam videre poterit cùm sit Creatura? Tum denique, quia notitia quâ Deus seipsum novit, est virtualiter reflexa: Deus enim eodem actu quô seipsum novit, etiam percipit se cognoscere: Quidni ergo visio beatifica, quæ est suprema divinæ notitiæ participatio, seipsam etiam cum objecto beatifico cognoscet?

Dices: Visio beata non potest seipsam videre in Verbo, nisi priùs in eo sit repræsentabilis quàm videatur: sed Visio beata nequit esse repræsentabilis in Verbo priùs quàm videatur: Ergo nec potest seipsam videre. Minor constat: Objectum enim cognitionis debet esse priùs quàm sit illa cognitio; siquidem causa præcedit effectum: Objectum autem est causa cognitionis quæ paritur ab objecto & potentia. *Probatur minor:* Visio non potest esse repræsentabilis in Verbo priùs quàm ipsa sit, vel secundùm esse essentiæ, vel secundùm esse existentiæ futuræ aut præsentis. Licet enim aliquid repræsentari possit in Verbo secundùm suum esse essentiæ & futuritionis antequam sit secundùm esse existentiæ præsentis; nihilominus debet saltem naturâ priùs habere esse essentiæ & futuritionis quàm secundùm illud esse repræsentetur: Ergo à pari Visio beata ut repræsentetur secundùm suum esse existentiæ, debet priùs habere illud esse existentiæ quàm sit repræsentabilis: sed non potest habere illud esse existentiæ præsentis, nisi dum actu est: alioquin simul esset existens, quia repræsentaretur in illo priori naturæ, & non esset existens, quia nondum concipitur elici ab intellectu: quod est contradictio manifesta, & consequenter illa visio beatifica non est virtualiter reflexa.

VIII. *Distinguo majorem:* Visio beata non potest seipsam videre nisi priùs sit repræsentabilis prioritate naturæ, tanquam objectum primarium & motivum, nego. Tanquam objectum secundarium & solùm terminativum, concedo. Itaque Visio beata duplex habet objectum, primarium quidem & motivum, quod est ipsamet Essentia divina; secundarium autem & solùm terminativum, quales sunt omnes Creaturæ, quæ tanquam objecta secundaria videntur in Essentia divina. Cùm igitur Visio beata sit Creatura, etiam videtur in Essentia divina tanquam objectum secundarium. *Minorem* similiter distinguo: Non potest visio illa repræsentari antequam sit, si esset objectum primarium & motivum, concedo: Si sit tantùm objectum secundarium, nego. Itaque Essentia divina est quidem per visionem beatam proximè & immediatè repræsentabilis, quia est ejus objectum primarium & movens, ideoque debet esse saltem priùs natura ipsamet visione: Cùm autem hæc ipsa visio sit tantùm objectum secundarium, non est necesse quod censeatur existere priùs natura quàm ipsa cognoscatur; quia non habet rationem objecti visibilis primariò, sed tantùm secundariò, nec videtur in priori instanti naturæ quo videtur Essentia divina; sed tantùm in posteriori, in quo Creaturæ repræsentantur & conspiciuntur.

Visio non videtur in priori, quô videtur Essentia divina, sed in posteriori.

A B

Conclusio Tertia.

IX. *Visio Beatifica est omnino invariabilis & permanens, ita quod quidquid Beati vident in Verbo, illud viderint ab initio suæ beatitudinis.*

Quicquid Beati vident in Verbo, ab initio suæ beatitudinis vident.

Hæc est conformior menti sanctorum Patrum, præsertim Augustini lib. 15. de Trinitate cap. 16. ubi loquens de beata visione, ait: *Non erunt volubiles nostræ cogitationes ab aliis in alias euntes atque redeuntes; sed omnem scientiam nostram simul uno conceptu videbimus.* Cui consonat S. Bernardus 5. de Consideratione C circa finem, *Non enim*, ait, *tunc fragilis acies mentis nostræ quantumcumque vehementer intendens, aliquatenus dissiliet, resilietve in suam pluralitatem; colliget se, magis adunabit, conformabitque unitati illius, vel potius unitati illi.* Et idem Serm. 4. de verbis Isaiæ in hæc verba, *Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, & sex alæ alteri, & duabus volabant*, ait, *Ad quid tunc alæ, si stant? & si stant quomodo volant?* Cui interrogationi sic respondet, *Credo autem sicut in volatu alacritatem, sic & in statione immobilitatem promitti.* Item Serm. 30. in Cant. loquens de excellentia divinæ Visionis, ait: D *Illa visio stat, quia forma stat, quæ tunc videtur: est enim, nec ullam capit ex eo quod* EST, FUIT, *vel* ERIT, *mutationem.*

Probatur conclusio: Visio beata est ultimus hominis finis, adeoque ipsius suprema quies; omnis enim motus idcirco tendit ad finem ut in eo adepto quiescat: sed non esset ibi quies; immo foret perpetuus æternusque motus intellectivæ potentiæ, si cogitationes & visiones beatæ sibi invicem succederent, nec esset unicus, invariabilis & permanens actus: Ergo talis esse debet. *Secundò*, si talis visio non esset invariabilis ac permanens, sequeretur Beatos statim ab initio suæ beatitudinis non esse plenè & E adæquatè satiatos, quippe cum non haberent illas succedentes beatas visiones ad varia beatitudinis objecta terminandas: sed hoc videtur absurdum. Cum enim illæ succedentes cogitationes fierent per æternitatem novæ semper & novæ, etiam fieret quod per æternitatem Beatus non esset adæquatè beatus: sed novam semper & novam visionem objecti de novo repræsentandi desideraret. *Denique:* Si quæ ratio hanc successionem actuum in visione beatifica suaderet; maximè quia una eademque visio non posset terminari ad omnia objecta secundaria quæ in Essentia divina repræsentantur: sed hæc ratio nulla est; etenim si visio creata potest

distinctè repræsentare objectum simpliciter infinitum, quod est Deus; quidni pariter repræsentare posset omnia objecta creata quæ quantumvis sint in maximo numero, non tamen sunt infinita ut jam diximus?

Dices 1. Hæc assertio nimiam perfectionem videtur tribuere creatæ visioni; qualiter enim fieri posset quòd actùs limitatus & finitus tam varia, tamque diversa objecta secundaria repræsentare queat? Præsertim beata visio animæ Christi, quæ Videt in verbo omnia quæ contigerunt ab initio mundi usque ad diem judicii: Ergo hæc assertio videtur minùs congrua.

XI.

Major est disproportio inter Deum & visionem Beati quàm inter visionem & Creaturas numerò finitas.

Nego antecedens: Major enim est disproportio inter ipsum actum visionis creatæ, & Deum supernaturaliter & intuitivè videndum, quàm sit inter ipsam visionem & illa objecta secundaria ut patet, cùm ille sit infinitus; hæc verò intensivè finita: Ergo cùm actus visionis creatæ tendere possit in Deum infinitum non obstante sua limitatione & finitate, multò magis versari poterit circa illa objecta secundaria numerô finita, quæ in ipso verbo repræsentantur.

Dices 2. Unus idemque actus creatus, non potest repræsentare rem aliquam, nunc ut futuram, nunc ut præsentem, nunc ut præteritam, cùm vix explicari possint de scientia divina, quæ est infinitæ activitatis: sed Visio beata repræsentat res quæ contingunt in mundo, nunc ut futuras, quando revera nondum existunt; & præsentes, dum actu sunt; & præteritas, dum transierunt: Ergo non potest esse unus & idem actus. *Confirmatur.* Actus distinguitur specie secundùm specificam objecti nedum formalis, sed etiam aliquando materialis variationem: Sed res illæ secundùm varias temporis differentias diversimodè in Essentia divina repræsentatæ invicem specie differunt: Ergo etiam differunt visiones illas repræsentantes.

Respondeo 1. Visionem beatam non ita esse concipiendam quasi objectum nunc repræsentet semel ut futurum, nunc præcisè ut præsens, nunc verò semel ut præteritum; hæ namque differentiæ ut sic præcisè spectatæ, constituerent diversas objecti rationes materiales, quibus respondere deberent visiones creatæ specie diversæ: sed ipsa visio beata ita concipienda est, ut à primo sui esse repræsentet objectum secundarium juxta illud tempus quòd futurum est & habiturum existentiam: Ita quòd hæc visio statim à sui inceptione simul perceperit res futuras pro eo tempore quô futuræ erant & nondum exstabant; & simul viderit præsentes, pro illo tempore, quô existentiam erant habituræ; simul pariter præteritas, pro illo tempore quô amplius non erant exstituræ: Unde non est necessaria actuum varietas, nec ejusdem actus successiva terminatio & repræsentatio, quia hæc omnia objecta secundùm varias temporis vicissitudines simul attinguntur conjunctim ab unico eodemque actu ipsius beatæ visionis.

XII.

Actûs intrinseca mutatio non fit propter mutationem objecti secundarii, sed tantùm primarii.

Respondeo 2. Quod etsi foret diversa terminatio & successiva repræsentatio ejusdem actus, non propterea fieret ejusdem actus intrinseca mutatio; quia illa terminatio non fit respectu objecti primarii, sed tantùm respectu objecti secundarii, quod non sufficit ad variandum actum, ut docet Doctor in 1. dist. 1. quæst. 2. articulo 2. ubi ait, *Actus omnis habens primum objectum à quo essentialiter dependet & objectum secundum à quo essentialiter non dependet; sed tendit in illud virtute primi; licet non possit manere idem actus, nisi habeat habitudinem ad primum objectum, potest tamen manere idem sine habitudine ad secundum objectum, quia ab eo non dependet.* Exemplum. *Idem est actus visionis Essentiæ divinæ & aliarum rerum in Essentia divina: sed essentia in se est primum objectum; res visæ sunt secundarium objectum; non posset autem manere eadem visio nisi esset ejusdem essentiæ; posset autem manere absque hoc quod essent res visæ in ea.* Quibus Doctor affirmat eandem Visionem beatificam simul terminari ad Essentiam divinam tanquam ad objectum primarium; ad Creaturas verò tanquam ad secundarium: docet insuper visionem non posse eandem subsistere, si fieret objecti primarii variatio; posse verò eandem permanere, etsi fiat objecti secundarii mutatio. Adeoque varia & successiva terminatio ad Creaturas in Verbo divino repræsentatas, non importaret variationem & successionem intrinsecam in visione beatifica.

Dices 3. Omnes Theologi fatentur esse varias operationes & actiones in Beatis sibi invicem per totam æternitatem succedentes: Ergo falsum est visionem beatificam esse unicum & invariabilem actum.

XIII.

Præter visionem beatificam duo sunt operationum genera in Beatis.

Respondeo præter actum visionis beatificæ in Verbo, rursus esse duo operationum genera in Beatis: aliquæ enim per se & necessariò consequuntur ad visionem beatificam, ut amor, fruitio, gaudium, &c. Aliæ verò ipsi tantùm per accidens annexæ sunt, ut illuminationes, revelationes, & cognitiones judicativæ & discursivæ quæ à Beatis fiunt extra Verbum, quæquidem operationes non spectant ad ipsam beatam visionem præcisè, sed ad alteram notitiam quæ est scientia infusa, quâ Beati res cognoscunt extra Verbum: hæc autem actuum varietas nullam in visione beatifica mutationem importat, cùm ipsi tantùm connexa sit per accidens.

Dices 4. Visio beatifica quam aliqui viatores habuerunt, fuit ejusdem speciei & ejusdem rationis cum ea quàm modò habent ut comprehensores, utpote terminata ad idem objectum & per idem lumen gloriæ: sed illa mutationi & vicissitudini fuit obnoxia ut constat; Ergo & hæc etiam vicissitudini subjacet.

Distinguo majorem: Fuit ejusdem rationis quantùm ad statum, nego: quantùm ad medium & ad objectum, transeat. Itaque illa beata visio quam nonnulli viatores dicuntur habuisse ante mortem, non fuit eadem quantùm ad statum cum ea quàm modo habent ut comprehensores; quia illis non fuerat concessa per modum status perfecti & permanentis; sed per modum status transeuntis qui non officiebat statui viæ. Secus autem est de comprehensoribus quibus beata visio conceditur per modum status permanentis & omninò invariabilis.

XIV.

Visio Beata mensuratur Æternitate participata.

Ex his collige beatam visionem mensurari æternitate participata, quippe cùm non habeat prius & posterius in entitate, ut habent res quæ mensurantur tempore: nec pariter successionem habeat in operatione, ut res quæ

mensurantur ævo: sed sit unicus & invariabilis actus totus simul & semper stans ut æternitas.

Quæstio Secunda.

An visiones beatificæ sint inæquales, & unde hæc inæqualitas oriatur?

I. Inæqualitas beatitudinis alia est intensiva, alia extensiva.

NOTANDUM 1. Visiones beatificas dici posse inæquales dupliciter: intensivè nimirum & secundùm gradus perfectionis, ita quòd una clariùs aut perfectiùs Deum percipiat quàm altera; & extensivè per ordinem videlicet ad plura objecta secundaria ad quæ sese extendit, si nimirum plures Creaturas percipiat Beatus aliquis, quàm alius. De priori autem inæqualitate hìc est quæstio; non verò de posteriori.

II. Principium inæqualitatis aliud morale, aliud physicum.

Notandum 2. Duplex generatim assignari principium inæqualitatis intensivæ in visione beatifica, unum quidem *morale*, suntque diversa Angelorum & hominum merita, ita quòd qui plures præstantioresque virtutes habuerit, etiam & ampliorem beatitudinem, & proinde perfectiorem visionem, in suorum meritorum mercedem, sit accepturus: Aliud verò *Physicum*, quòd repetitur, vel ex parte inæqualis luminis gloriæ, vel ex parte præstantioris aut minùs perfecti intellectus activè & physicè cum ipso lumine gloriæ concurrentis ad formandam visionem beatificam. Rursus hæc inæqualitas intellectuum attendi potest, vel secundùm gradus specificos, vel juxta gradus individuales. Priori modo, Angeli dici possunt præstantiorem habere intellectum quàm homines, quia natura Angelica perfectior est naturâ humanâ. Posteriori modo, unus homo dici potest præstantior alterô, siquidem substantiæ habent perfectiones individuales, secundùm quas una dicitur aliâ perfectior, & habere facultates vegetiores & magis activas, ut in physicis demonstravimus.

Physicum aliud est specificum, aliud individuale.

Status quæstionis.

Notandum 3. Circa præsentis quæstionis resolutionem duplicem esse controversiam. Primam quidem hæreticorum asserentium nullam esse inæqualitatem in visione beatifica, sed omnes omnino Beatos æqualem omnino beatitudinem habere; cujus erroris primus assertor fuit Jovinianus, qui ut refert S. Hieronymus lib. 2. contra ipsummet, asserebat, *Duos esse tantùm ordines, ovium & hircorum; alterum justorum; alterum peccatorum; alios extare à dextris, alios à sinistris.* Itaque Stoicorum more tam æqualia esse omnia peccata quàm rectè factorum merita dicebat: *Adeo ut inter Ioannem & ultimum pœnitentem nulla sit distantia.* Quam indocti hominis proterviam divinarum Litterarum authoritate fregit sanctus Hieronymus. Altera autem controversia movetur inter Scholasticos Theologos, quorum aliqui cum S. Thoma affirmant inæqualitatem visionis beatificæ non aliam habere causam physicam, quàm inæqualitatem luminis gloriæ; alii verò contendunt cum Doctore subtili hanc inæqualitatem etiam oriri posse ex diversa intellectûs perfectione, vel specifica, vel individuali. Duo itaque hac in quæstione sunt resolvenda: Primum quidem an visiones beatificæ sint inæquales: Secundum, quænam sit A causa physica hujus inæqualitatis.

Conclusio Prima.

III. Probatur inæqualitas visionis 1. ex Conciliis.

CERTUM *est aliquas visiones beatificas esse inter se inæquales.* Ita namque definitum est in Concilio Florentino in Litteris unionis, ubi decernitur, *Beatos intueri clarè ipsum Dominum trinum & unum, sicuti est; pro meritorum tamen diversitate alium aliô perfectiùs.* Idipsum decernit Concilium Tridentinum, *Sessione 6.* cap. 10. & 16. *& Canone* 24. & 32. ubi B definit, *Iustificatum per bona opera crescere posse in sanctitate & meritis, nec solùm vere mereri augmentum gratiæ, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia discesserit, consecutionem; sed etiam gloriæ augmentum.*

PROBATUR eadem veritas ex Scriptura sacra, primô ad Corinth. 3. *Vnusquisque propriam mercedem recipiet secundùm suum laborem:* Ergo qui plus laboraverit, ampliorem mercedem recipiet. Item 2. ad Corinth. 5. *Vt referat unusquisque propria corporis prout gessit:* Itaque qui plures corporis pressuras & acriores dolores in Dei gloriam subierit, referet majorem felicitatem. Et cap. 9. *Qui parcè seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Hæc autem disparitas seminandi in hac vita, & metendi in æterna C beatitudine, explicatur Matth. 13. parabolâ seminis in terram projecti, & referentis fructum inæqualem, aliud quidem fructum *centesimum; aliud sexagesimum; aliud trigesimum.* Ita quòd sicut ex uno grano centum, vel sexaginta, vel triginta alia grana formantur, sic & inæqualis erit fructus hominum in bonorum operum remuneratione: Rursus in eadem Epist. ad Corinth. dicitur, *Alia est claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum: Sicut stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum,* in quem locum S. Fulgentius lib. 3. ad Trasimondum, *Vna per fidem veram* D *renatis vita cælestis regni promittitur, quamvis differens regnaturis gloria tribuatur, Paulo beato dicente, Alia claritas Solis, &c.* Denique Christus Dominus Joannis 14. Apostolis loquens, ait, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt,* quæ verba non veniunt intelligenda de diversis gradibus & ordinibus Ecclesiæ militantis, ut volebat Jovinianus, sed de diversitate præmii Beatorum, subdit enim Christus, *Vado parare vobis locum, ut ubi ego sum & vos sitis. Nam quomodo multæ mansiones apud Patrem*, inquit Tertullianus in scorpiaco cap. 6. *Si non pro varietate meritorum: quomodo stella à stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum?* E Quem locum etiam sic expendit S. Greg. lib. 35. moralium cap. 14. *Apud Patrem quippe,* inquit, *mansiones multæ sunt, quia in illa beatitudinis vita non dispari, unusquisque juxta dispar meritum, locum disparem percipit: sed ejusdem disparilitatis damna non sentit; quia tantum sibi, quantùm perceperit, sufficit.*

2. Ex Scriptura sacra & SS. Patribus.

3. Ratione triplici.

Idipsum suadet ratio: Beatitudo namque conceditur vel ut hæreditas, vel ut corona, vel ut merces: Ergo amplior dari deber illis hæreditas, qui perfectiorem filiationis characterem habuerint, ratione præstantioris sanctitatis; illustrior corona concedi illis, qui plures victorias fuerint adepti, & major merces retribuenda est iis, qui plus laboraverint.

Dices:

IV.

Objicitur parabola operariorũ.

Dices: Hanc mercedis inæqualitatem explodere videtur Christus *Matthæi* 20. in famosa illa parabola operariorum diversis temporibus ad vineæ culturam vocatorum; quia licet inæqualiter laboraverint, nihilominus eundem denarium in sui laboris mercedem omnes acceperunt; unde conqueruntur operarii priùs vocati & murmurant adversus Patrem-familias quod novissimos pares illis faceret in mercede: Ergo, inquiebat Jovinianus, etsi varia essent hominum merita diversusque labor, nihilominus una eademque erit in beatitudine omnium merces & compensatio.

Qualiter parabolæ debeant explicari.

Respondeo 1. In parabolis, non omnia verba nec sententias omnes considerari debere, sed tantùm quis sit finis & scopus earum; nam, ut inquit Tertullianus lib. de pudicitia cap. 9. *Sunt quæ & simpliciter posita sunt ad struendam & disponendam & texendam parabolam, ut illuc perducantur quò exemplum procuratur:* Unde concludit S. Chrysostomus homilia 64. in Mathæum, *Non oportere omnia, quæ parabola continent, scrutari: sed scopum intelligere ad quem instituta sunt: eòque perceptô & usurpatô, nihil ampliùs inquirere.* Quam veritatem eleganter expendit S. Augustinus lib. de Civit. Dei c. 11. *Sicut*, inquit, *in cytharis & hujuscemodi organis musicis non quidem omnia, quæ tanguntur, canorum aliquid resonant: sed tantùm chordæ: cætera tamen in toto cytharæ corpore ideo fabricata sunt ut esset ubi vincirentur, unde & quò tenderentur illæ quas ad cantilenæ suavitatem modulaturus & percussurus est artifex: ita in his Propheticis narrationibus, quæ de rebus gestis hominum Prophetico spiritu deliguntur, aut aliquid jam sonant significatione futurorum: aut si nihil tale significant, ad hoc interponuntur, ut sit, unde illa significantia tanquam sonantia connectantur.* Itaque non omnia sunt ponderanda quæ in hac celebri parabola proferuntur, v. g. murmur operariorum: sed tantùm quis sit scopus hujus parabolæ considerandus est.

Quis sit parabolæ prædictæ scopus.

Respondeo 2. Scopum ac finem hujus parabolæ varium à variis Interpretibus assignari; aliqui namque volunt Christum hâc parabolâ demonstrare Regni cælestis adipiscendi modum ac rationem, non ex humanis æstimari debere judiciis, neque ex eo quòd in hominum consuetudine versatur: sed sola Dei gratuita voluntate, ac pro ejus arbitrio totum illud negotium administrari, ut quos interdum maximè idoneos ad æternam fœlicitatem obtinendam judicamus, illi tamen præter omnium opinionem ab ea sæpius excidant; Contra verò, quos putamus ab illius fœlicitatis consortio prorsus alienos, illius Dei beneficiô fiant compotes. Quem sensum ad parabolæ finem indicare videtur clausula parabolæ iis concepta verbis, *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Explicatur parabola.

1. Quis sit Pater-familias.

2. Quæ horæ diversæ, & qui varii operarii.

Alii verò ita parabolam explicant, ut Deus Pater significetur nomine Patris-familias, qui vocavit operarios homines in Ecclesiam suam per fidem & gratiam diversis horis; hoc est, vel diversis mundi temporibus, vel diversis hominum ætatibus, vel denique sub diversis legis naturæ, Scriptæ, & Evangelicæ statibus. In fine autem mundi Oeconomus, id est Christus judex, singulis reddet quod justum est, incipiens à novissimis, id est ab ultimò vocatis, usque ad primos. Accipiunt autem novissimi primi, sive quia post horam unam laboris compensantur; quâ ratione videntur primi accepisse, quia minùs dilati sunt, ut explicat S. Augustinus *serm. 59. cap. 4.* Sive quia primi erant dignitate, utpote magis strenui operarii, qui modico scilicet tempore tantùm operis fecerunt, quantùm illi qui per diem integrum laboraverant. Tandem æqualis est denarius, vel, quia eodem objecto beatifico potiuntur; vel, ut explicat sanctus Augustinus statim laudatus, *Denarius ille est vita æterna, & in vita æterna omnes æquales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minùs; quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longius, alteri brevius; quod pariter sempiternum est.* Cui consonat Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum: *Unus autem*, inquit, *denarius non unum est præmium, sed una vita & una de gehenna liberatio.* His prælusit S. Ambrosius in cap. 15. Lucæ: *O si nos quoque mercenarios digneris conducere, licet serò venientes! Nam & undecimâ conducis horâ, & æqualem dignaris mercedem solvere; æqualem mercedem vitæ, non gloriæ.* Denique S. Prosper lib. 4. de vita contemplativa cap. 4. æqualem denarium usurpat pro æquali satietate; *Sicut enim*, inquit, *corporalis saturitas æqualiter omnes saturos habet, quamvis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint; ita omnes Sancti etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia & una perfectione Beati securi sunt.*

3. Quis œconomus.

4. Quinam primi compensantur.

5. Quid per denarium significetur.

V.

Quænam in beatitudine sit æqualitas.

Itaque æqualitas compensationis in laborantibus inæquali tempore attenditur, vel penes idem objectum beatificum essentiale, quia nimirum est visio ejusdem Dei; *vel* penes durationem, quia fœlicitas omnium erit æterna; *vel* penes vitam beatam, quia omnes futuri sunt beati; vel penes satietatem, quia omnes pro suo captu satiabuntur; *vel* penes æqualem operam, quia postremò vocati brevi tempore, sed majori conatu & ardentiori fervore tantùm operis confecerunt & assecuri sunt meriti quantùm alii, qui remissiori conatu diuturniori tempore laboraverunt: *Vel* denique quod postremò vocati, per voluntatem alacriorem, & desiderium ardentius priorum merita sint assecuti, ut explicat sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 50. *Etsi*, inquit, *ad laboris modum plus contulerint qui priores ingressi sunt, non tamen quantùm ad voluntatis modum propter quem etiam fortasse postremis amplior merces debebatur*; quò fit ut in novissimis voluntatis alacritas, & animi candor atque æquitas, cum longiore priorum mora compensatur. Non autem intelligi debet hæc denarii & mercedis æqualitas, pro æqualitate beatitudinis, quam ex aliis Scripturæ textibus citatis, constat esse diversam pro diversitate meritorum.

Conclusio Secunda.

VI.

Inæqualitas physicè provenit à perfectiori intellectu.

INÆQUALITAS *visionis beatificæ provenit physicè nedum ex inæqualitate luminis gloriæ; sed etiam ex inæquali perfectione tam specifica quàm individuali intellectûs beati.* Hæc est Doctoris Subtilis in 3. dist. 13. quæst. 3. ubi licet nullum de visione beatifica sermonem faciat, solùmque loquatur de fruitione seu amore beatifico, quem dicit commensurari activitati voluntatis: tamen idem dicendum de visione beatifica commensuranda activitati naturali intellectûs, rectè colligunt ejus Discipuli, propter

paritatem rationis. Adde quòd in 4. *dist.* 50. *quæst.* 6. affirmet inæqualitatem beatitudinis oriri etiam ex inæquali activitate potentiæ.

VII.

1. Quia causa perfectior perfectiorem effectum producit.

Probatur conclusio : Quoties duæ causæ concurrunt ad producendum eundem effectum, ille effectus crescit in perfectione, secundùm virtutem & activitatem utriusque causæ : At ad visionem beatificam non solùm lumen gloriæ, sed etiam intellectus creatus efficienter concurrit : Ergo sicut perfectior censetur esse visio beatifica, ubi perfectius est lumen, ita pariter erit perfectior, ubi vegetior erit intellectus. *Minor* constat ex præcedentibus quæstionibus, quibus jam insinuatum est intellectum & lumen gloriæ esse principia productiva visionis beatificæ, & utrumque activè concurrere ad illius formationem. *Major* autem suadetur ipsâmet experientiâ : Constat enim vegetiorem potentiam visivam, perfectiorem producere visionem, etiam cum æquali lumine ; imò etiam interdum perfectior fit visio, dum lumen in ipso medio intenditur, licet non crescat acies & virtus potentiæ. Item, duo artifices inæqualis industriæ cum æquali instrumento ; v. g. duo pictores, quorum unus sit peritior alterô cum æquali penicillo inæqualis perfectionis tabellam efficient : Ergo effectus potest esse perfectior, ubi una è causis ipsius productivis perfectior est.

Replicant Thomistæ : Majorem esse veram quando effectus procedit à causis ejusdem ordinis cum ipso, secus verò quando procedit à causis diversi ordinis : Sed, inquiunt, visio beatifica cùm sit supernaturalis, procedit à lumine gloriæ quod est ordinis supernaturalis, & ab intellectu tantùm, quatenus per tale lumen elevatur : Ergo in tantùm intellectus concurrit ad visionem beatificam, in quantùm solùm per lumen gloriæ elevatur ; & consequenter ad eam non concurrit secundùm majorem suam activitatem naturalem.

VIII.

2. Quia intellectus elevatur secundùm omnes suos gradus.

Contra: Intellectus concurrit ad visionem beatificam secundùm id quod elevatur: sed intellectus perfectior elevatur secundùm omnes gradus suæ virtutis & activitatis : Ergo concurrit ad illam visionem secundùm illam perfectiorem suam activitatem, & consequenter perfectior intellectus etiam perfectiorem visionem elicit. Majorem admittunt Adversarii. Minor probatur : Intellectus per lumen gloriæ elevatur secundùm id quod est realiter, seu secundùm omnes gradus virtutis sibi à natura ingenitos, & ipsi realiter identificatos : Ergo perfectior intellectus elevatur secundùm suam perfectiorem activitatem, adeoque præstantiorem visionem debet elicere.

Confirmatur : Vel intellectus elevatur tantùm secundùm aliquos gradus activitatis, vel secundùm nullos ; vel secundùm omnes. Non primum, quia non est potior ratio cur elevetur secundùm duos gradus quàm secundùm tres, aut quatuor, aut quinque, &c. Tum quia naturam gratia non destruit, sed perficit : Ergo gloria quæ est gratia consummata, virtutem & activitatem intellectus non debet destruere: destrueret autem & eam sopiret, si tantùm elevaretur intellectus secundùm aliquos gradus activitatis; quia non in tantùm ageret, in quantum agere posset. Tum denique, quia ut fatentur Adversarii, gradus activitatis non distinguuntur realiter, sed solùm virtualiter : adeoque non potest unus realiter elevari quin pariter alii eleventur. Non etiam secundum, propter easdem rationes: Ergo fatendum est intellectum beatum elevari secundùm omnes gradus suæ perfectionis & activitatis.

Replicant secundò : Perfectiorem causam non semper producere perfectiorem effectum : licet enim Sol sit perfectior igne, non tamen producit perfectiorem specie calorem. Item, si Deus locò aquæ baptismalis, statueret conferre gratiam per applicationem sigilli aurei, major perfectio auri non conferret ad perfectiorem gratiam producendam : Ergo à pari, licet intellectus sit perfectior, non sequitur illum concurrere ad perfectiorem visionem formandam.

Verùm hæc replica præfatæ rationis vim nullatenus infringit, nec quidquam officit exemplum Solis ; Tum quia Sol non habet virtutem productivam caloris alterius speciei quàm sit ille qui ab igne producitur, non enim dantur diversi specie calores ; potest autem dari diversitas in visione beatifica, cùm una possit esse perfectior alterâ : Ergo inter caloris & beatitudinis productionem non est paritas : *Tum quia* ignis producit calorem in summo gradu caloris, & consequenter non est mirum si alia causa naturalis, qualis est Sol, non possit perfectiorem calorem producere : Visio autem beatifica non producitur in summo gradu ab intellectu minoris activitatis ; adeoque perfectior visio formari potest ab alio intellectu perfectiori: itaque exemplum illud allatum nullatenus obest veritati conclusionis. Sed multò minùs quidquam efficit exemplum aquæ baptismalis & sigilli aurei : *Tum quia* in nostra sententia, nec aqua, nec aurum concurrerent physicè ad gratiam producendam, sed tantùm moraliter, uti de facto concurrunt omnia Sacramenta : *Tum quia*, licet ad gratiæ productionem physicè concurrerent, tamen cùm aurum non præstaret illũ concursum per virtutem aliquam sibi propriam; sed per qualitatem aliquam supernaturalem, aut per potentiam obedientialem, quæ esset ejusdem rationis in ipso sicut in aqua; inde fit quòd non posset aurum, licet naturâ præstantius, sua præstantiore propria virtute concurrere ad gratiæ formationem; intellectus verò concurrit ad visionem beatificam per virtutem suam propriam, quæ non est ejusdem rationis & perfectionis in ipso ac in intellectu imperfectiori : Ergo non mirum si possit perfectiorem visionem elicere. *Adde quod* si valeret Adversariorum consequentia, nimirum quòd perfectior causa perfectiorem effectum non eliciat, sequeretur quòd neque intellectus perfectior posset producere perfectiorem effectum naturalem; quod tamen Adversarii non concedunt.

Probatur 2. Si non posset intellectus perfectior præstantiorem visionem beatificam producere, maximè quia visio illa est effectus supernaturalis, ad quem intellectus non potest concurrere per activitatem naturaliter præstantiorem : sed hæc ratio nulla est : *Tum quia* non obstante supernaturalitate ipsius visionis, intellectus concurrit ad illam immediatè, & est ratio cur hæc sit visio intuitiva, & cur sit vitalis : quidni ergo præstantior intellectus pariter esse posset ratio cur hæc visio sit magis perfecta ? *Tum quia* voluntas cum eodem habitu Spei & Charitatis producit perfectiores actus illarum virtutum, adhibendo majorem nisum &

IX.

3. Quia supernaturalitas non officit.

conatum; aliàs frustra invitarentur homines ad majorem & præstantiorem Dei amorem, hoc enim non esset in eorum potestate & libertate, si solùm amor Dei intensior ex intensiori habitu charitatis proveniret: Ergo à pari poterit intellectus præstantior adhibendo suum conatũ, perfectiorem visionem elicere non obstante ejus supernaturalitate. Tum *denique*, quia intellectus elevatus ad ordinem supernaturalem per lumen gloriæ, eodem modo proportione servata, se habet ad visionem beatificam, quomodo lumine, seu specie impressa naturali illustratus se habet ad visionem naturalem; quia per utrumque lumen constituitur in ultima dispositione & in actu primo ad agendum, licet in diverso ordine: sed idem intellectus cum eodem lumine, seu eadem specie impressa potest objectum clariùs & perfectiùs attingere, dum suas omnes vires exerit omnemque suum conatum adhibet: Ergo à pari etiam intellectus perfectior elevatus per lumen gloriæ, poterit perfectiorem visionem beatificam elicere, si nimirum omnes suas vires explicet omnesque suos conatus adhibeat.

Dices 1. Perfectio effectûs supernaturalis mensuranda est juxta perfectionem principii supernaturalis: sed ubi solùm est æquale lumen gloriæ, ibi solùm est æquale principium supernaturale: Ergo pariter ibi solùm erit visionis æqualitas.

XI. Quomodo perfectio effectûs supernaturalis sit mensuranda.

Distinguo majorem: Mensuranda est juxta perfectionem principii supernaturalis vel supernaturaliter elevati, concedo: Juxta perfectionem solius principii intrinsece supernaturalis, quale solum est lumen, nego: Similiter distincta minore, neganda est consequentia: cùm enim intellectus perfectior elevetur ad ordinem supernaturalem per lumen gloriæ; hinc efficit cum ipso lumine unicum adæquatum principium ipsius visionis: Unde sicut lumen, licet inanime, dicitur esse principium hujus visionis, quæ est actus vitalis, ratione scilicet consortii cum intellectu qui est principium intrinsecè vitale, quidni pariter intellectus dicetur esse principium ejusdem visionis supernaturalis propter consortium cum lumine gloriæ intrinsecè supernaturali?

Adde quòd major sit proportio intellectus elevati cum visione beatifica quatenus supernaturalis est; quàm ipsius luminis gloriæ cum eadem visione quatenus est vitalis; quia intellectus elevatus saltem extrinsecè est supernaturalis, & in ordine supernaturali constitutus: lumen autem gloriæ nequidem extrinsecè vitale est: Ergo si hoc possit esse principium actûs vitalis; quidni pariter ille poterit verum esse principium actûs supernaturalis?

Instabis: Intellectus etiam elevatus non concurrit ex parte sui ad visionem beatificam, nisi per potentiam obedientialem à potentia & activitate naturali distinctam, sed hæc potentia obedientialis æqualis est in omni intellectu beato, sicut & in cæteris Creaturis: Ergo ex parte sui concurrit æqualiter ad visionem beatificam; adeoque si sit in ea inæqualitas, non oritur ex parte intellectûs.

XII. Quid sit potentia obedientialis intellectus.

Respondeo 1. Falsum esse intellectum beatum concurrere ad visionem beatificam solùm per potentiam obedientialem; ad eam enim activè concurrit per virtutem naturalem elevatam; est enim verè principium activum & productivum ipsius beatæ visionis, ut probatum est.

Respondeo 2. Falsum esse pariter potentiam obedientialem intellectûs esse realiter distinctam ab activitate naturali; est enim ipsamet naturalis activitas, quatenus elevabilis ad ordinem supernaturalem per lumen gloriæ: Unde cùm hæc activitas sit magis vel minùs perfecta in variis intellectibus, etiam major vel minor esse dicenda est illa potentia obedientialis.

Vrgebis: Virtus illa obedientialis & naturalis, est tantùm inchoata; & completur & perficitur solùm per lumen gloriæ; Ergo ubi erit æquale lumen, ibi solùm erit æqualis virtus completa & adæquata: & consequenter completa & adæquata visionis ratio solùm à lumine gloriæ completo & adæquato est repetenda.

XIII. Quomodo virtus intellectûs, inchoata dicatur repetendum visionis beatificæ & completa?

Distinguo antecedens: Est inchoata & incompleta, id est non est totalis, & alicujus alterius causæ consortium exigit, concedo: Id est requirit aliquid intrinsecè perficiens & complens illam potentiam in sua activitate naturali, nego. Exigit quidem lumen gloriæ tanquam concausam partialem, ipsum elevantem ad ordinem supernaturalem & cum ipso concurrentem activè ad visionem beatificam producendam; non verò tanquam formam intrinsecè complentem & efficientem ipsius activitatem naturalem. Adde quòd quemadmodum oculus completur per speciem impressam visibilem, & intellectus per intelligibilem, ita pariter intellectus beatus completur per lumen gloriæ: Unde quemadmodum oculus & intellectus naturalis perfectior completus per illam speciem, perfectiorem visionem & intellectionem elicit; ita pariter intellectus beatus perfectior elevatus per lumen gloriæ, præstantiorem visionem beatificam elicit.

XIV. Validum argumentũ Thomistarum proponitur.

Dices 2. Si inæqualitas visionis peteretur à perfectione naturali intellectus creati, daretur aliquis gradus beatitudinis qui non corresponderet meritis & gratiæ, sed tantùm naturæ. Item unus homo vel Angelus beatus, per sua naturalia se discerneret in supernaturalibus ab alio minùs beato, sed hæc sunt falsa & absurda, & sapiunt hæresim Pelagii: Ergo, &c. Sequela majoris probatur. Ponatur enim unus intellectus naturaliter perfectior aliô duobus gradibus, & quòd uterque habeat lumen gloriæ ut sex juxta sua merita & juxta mensuram gratiæ & charitatis quam habuit in via; in tali casu intellectus naturaliter perfectior videbit Deum v. g. ut decem; & alius minùs perfectus videbit tantùm ut octo: Ergo in tali casu hi duo gradus gloriæ quibus gaudebit ille qui perfectiori & perspicaciori pollet intellectu, non correspondebunt lumini gloriæ, nec proinde meritis aut gratiæ & charitati, sed in solam perfectionem naturalem intellectus creati reducentur; & sic unus homo vel Angelus magis beatus per sua naturalia sese discernet ab alio minùs beato. Adde quod Concilium Florentinum in decreto unionis definiat *Beatum unum alterô perfectiùs visurum pro diversitate meritorum*; Unde Suares lib. 2. cap. 21. ait, nostram opinionem esse parùm consonam principiis Fidei, quia, inquit, visio beatifica datur ut merces Filiorum Dei, & ideo fieri non potest, ut aliquis absque pluribus meritis & majori gratia perfectiùs videat.

Responsio Molinæ refellitur.

Respondent Molina & Tartaretus negando A sequelam majoris, quia, inquiunt, in tali casu, vel non dabitur tantùm luminis gloriæ illi qui vegetiori pollet intellectu: vel si tantùm luminis gloriæ ipsi conferatur, Deus æqualem ipsi concursum non præstabit, ac alteri habenti æqualia merita & intellectum minùs perfectum. *Verùm* hæc responsio minùs videtur esse conformis ordini rerum & divinæ Providentiæ dispositioni, quæ concursum commensuratum cujuslibet causæ naturalis activitati subministrat, nec ipsum temperat nisi ratione alicujus miraculi patrandi: Videtur autem inconveniens & indecens statui beatitudinis perpetuum tale fore miraculum in præjudicium B activitatis & perfectionis naturalis intellectus. *Adde quòd* si perfectiori intellectui Deus substrahat concursum, ne Visionem beatificam eliciat juxta conatum suæ activitati naturali proportionatum, etiam substrahere deberet voluntati perfectiori ne ipsum diligeret conatu suæ activitati proportionato, quod est absurdum; aliàs frustrà invitarentur homines ad Deum diligendum ex totis viribus suis; cùm taliter, ex illa responsione, diligi non posset ab habente æqualem habitum charitatis, & vegetiorem voluntatē. Similiter absurdum est substrahi aliquid luminis gloriæ ipsi qui æquale cum altero haberet meritum, sed vegetiorem intellectum. Cùm enim lumen gloriæ detur juxta C proportionem meritorum & secundùm mensuram gratiæ & charitatis, quam homo habuit in instanti mortis; certum est quòd qui perfectiori pollet intellectu & habet æqualia merita, etiam habebit æquale Lumen gloriæ; alioquin ille esset deterioris conditionis in supernaturalibus, & privaretur re sibi debita de condigno; quod omninò est absurdum & divinæ Providentiæ ac Justitiæ ordinationi repugnans. Itaque

Vera & germana solutio & responsio.

Respondeo distinguendo majorem: Aliquis gradus beatitudinis in ratione præmii non corresponderet meritis & gratiæ, nego: In ratione principii activi & productivi Visionis beatificæ, concedo: Itaque licet beata Visio tota D sit præmium; non tamen est præmium sub omni respectu: sed tantùm quatenus procedit à Deo præmiante, & ut ordinem habet ad merita & gratiam, quarum est corona & præmium: quatenus autem dicit respectum & ordinem ad intellectum à quo elicitur, præcisè non habet rationem præmii, sed effectûs, qui potest esse perfectior quatenus provenit à perfectiori causa: Unde licet beatitudo sit æqualis in habentibus æquale Lumen gloriæ, quatenus præcisè est præmium: Dici potest tamen inæqualis quatenus est effectus, elicitus à vegetiori & perfectiori intellectu. Exinde tamen E non sequitur quòd Beatus sese discernat per naturalia, quia major illa intellectûs activitas non producit perfectiorem visionem, nisi quatenus intellectus ille est elevatus ad ordinem supernaturalem; ideoque licet sit discrimen & inæqualitas inter visiones beatificas quatenus sunt effectus procedentes ab intellectibus magis aut minùs activis, hæc tamen discretio non fit naturæ viribus, cùm major illa activitas suas omnes vires non explicet nisi quatenus per Lumen gloriæ est elevata. Inde patet quantùm Suares hallucinetur, & injustam censuram ferat.

Beatitudo considerari potest ut præmium & ut effectus.

Explicatur Florentinum Concilium.

Ad Concilium Florentinum dico ipsum esse intelligendum de facto & secundùm vulgarem sententiam Philosophorum asserentium substantias spirituales non habere majores, vel minores gradus perfectionis, proindeque nullum intellectum esse ex se magis activum & vegetiorem alterô, sed tantùm ratione dispositionis organorum dum corpori conjungitur. *Vel* Concilium tantùm intendit assignare causam sufficientem inæqualis beatitudinis, non verò omnimodam, sicut v.g. solitò dicitur unum hominem clariùs videre alterô, quia habet clariores & perfectiores oculos, licet clarior visio nedum ex parte oculi vegetioris, sed etiam ex parte majoris luminis & præstantioris speciei visibilis interdum oriatur.

Et Doctor Subtilis.

Instabis. Doctor Subtilis in 4. dist. 15. affirmat voluntatem inferiorem cum æquali meritô habituram æqualem beatitudinem æqualitate quantitatis, non perfectionis: Ergo censet beatitudinem nullam habere porportionem cum perfectione potentiæ utriusqne.

Nego consequentiam: Doctor enim intelligitur solùm de voluntate inferiori habente quidem meritum æquale & æquale lumen: sed majorem conatum adhibente, quàm adhibeat voluntas perfectior. Sicque poterit habere æqualem beatitudinem æqualitate quantitatis, hoc est elicere visionem quæ habeat æquales gradus perfectionis cum visione elicita à perfectiori voluntate minorem conatum adhibente; non verò æqualitate proportionis, quia beatitudo utriusque non haberet proportionem cum perfectione utriusque potentiæ; quandoquidem beatitudo potentiæ inferioris, æqualis esset beatitudini potentiæ præstantioris.

Dices ultimò: Si Visio beatifica sit perfectior ratione perfectioris intellectus, sequitur beatitudinem Christi non esse omnium summam & maximam, sed eâ dari posse præstantiorem: at falsum est consequens: Ergo & antecedens. Patet major. Cùm enim intellectus Angelicus præstantior sit intellectu humano Christi, qui *paulò minus minoratus est ab Angelis*, evidenter sequitur, quòd si Angelus haberet æquale lumen gloriæ cum Christo, perfectiorem visionem produceret ratione sui intellectus perfectioris; proindeque præstantiorem haberet beatitudinem. Minor etiam constat quia in omnium sententia, Christus talem habet beatitudinem quâ major esse non potest.

Quomodo Christi beatitudine non possit dari major.

Respondeo 1. negando sequelam majoris, & ad ejus probationem dico, verum quidem esse quòd Angelus perfectiùs Deum videret quàm Christus, si æquale cum ipso lumen gloriæ haberet: sed quia Deus vult perficere Christum perfectione summa & maxima possibili, inde fit quòd sicut in via ipsi concessit maximam & summam gratiam, quâ major concedi nequit; ita pariter in patria maximum & summum ei concedit gloriæ lumen, quô majus aliud assignari non potest. Ideoque Angelus cùm non habeat æquale cum Christo lumen gloriæ sed multò inferius & minùs perfectum, inde fit quòd quantumvis vegetiorem habeat intellectum, non propterea æqualem visionem eliciat beatificæ Christi visioni. XV.

Instabis. Ex hypothesi quod æquale lumen Angelo concederetur, tunc Angelus beatior esset Christô, quia ratione sui perfectioris intellectus, perfectiorem visionem eliceret, &

consequenter Christus non haberet majorem A beatitudinem quâ perfectior esse non potest.

Respondeo hanc hypothesim esse impossibilem; Deus enim ut supponitur, Christo concessit summum lumen gloriæ, adeoque non potest æquale lumen Angelo concedere: ubi enim aliquid est summum & maximè perfectum, parem in altero perfectionem non admittit, & consequenter implicat quòd æquale Angelo eum Christo lumen gloriæ concedatur; sicque ruit hypothesis, nec ex ea quidquam inferre licet.

ARTICULUS ULTIMUS.

De Incomprehensibilitate Dei.

I.

Quæ sit incomprehensibilitas cum invisibilitate connexio.

DIVINAM Invisibilitatem immediatè sequitur Incomprehensibilitas, ejus individua comes & socia: sicut enim Deus dicitur invisibilis intuitivè, quatenus naturæ viribus aspici nequit ab intellectu creato; sic incomprehensibilis appellatur, seu invisibilis comprehensivè, quatenus à nulla Creatura quantumvis per lumen gloriæ elevata, videri potest adæquatè, seu quantùm visibilis est. Itaque comprehensio hîc non usurpatur pro assecutione alicujus rei quô sensu Beati dicuntur Comprehensores ab Apostolo primæ ad Corinth. 9. *Sic currite, inquit, ut comprehendatis*: Et ad C Philippenses 3. *Sequor si quomodo comprehendam*: sed sumitur pro cognitione omnino adæquata rei cujus nihil prorsus lateat cognoscentem, ut comprehensionem explicat S. Augustinus lib. 12. de Civit. cap. 18. dicendo, *Quidquid scientiâ comprehenditur, scientis comprehensione finitur*: Cujus quidem Incomprehensibilitatis divinæ, ut perfecta quantùm mortalibus scire datum est, habeatur notitia; sequentem unicam proponimus resolvendam quæstionem.

QUÆSTIO UNICA.

An & quomodo Deus sit incomprehensibilis?

II.

Deus dicitur quadruplici modo incomprehensibilis.

NOTANDUM 1. Deum generatim quatuor modis dici posse incomprehensibilem, nimirum locô, tempore, amore, & cognitione. Locô quidem, quia à nullo spatio creato, vel creabili circumscribi potest: Tempore autem, quia omnia excedit tempora, cùm sit omnino æternus: Amore verò, quia omnem prorsus creatum amorem transcendit, ita ut nulla mens creata illum pro dignitate amare queat: E Unde S. Bernardus lib. de diligendo Deo, *Modus diligendi Deum est sine modo diligere*: Cognitione denique, quia nullus intellectus creatus potest illum cognoscere, & intelligentiâ penetrare quantùm cognoscibilis & penetrabilis est. Prima Incomprehensibilitas Deo competit ratione Immensitatis: Secunda, ratione Æternitatis. Tertia, ratione Pulchritudinis & supremæ bonitatis. Quarta denique ratione infinitæ veritatis & intelligibilitatis. De posteriori solum hîc est sermo, non verò de tribus prioribus.

III.

Ad veram comprehensionem duo desiderantur.

Notandum 2. ad veram comprehensionem rei per illius cognitionem adæquatam duo maximè desiderari: *Primum* quidem ut cognoscatur id omne quod in aliqua re est cognoscibile: *Secundum*, ut cognoscatur totaliter & secundùm commensurationem intelligibilitatis objecti cogniti; sic ut tanta sit perfectio in cognitione intelligentis, quanta est intelligibilitas in objecto quod cognoscitur, ut loquitur Doctor Subtilis in 3. dist. 1. q. 2. num. 7. Hoc est, ut tanta sit virtus repræsentativa in cognitione, quanta est objecti repræsentabilitas. Prior comprehensio dicitur *extensiva*, quia nimirum se extendit ad omnes objecti formalitates & perfectiones: Posterior verò appellatur *intensiva*, quia intendit ejus perfectio juxta perfectionem objecti, quò enim entitas aliqua B perfectior est, eò perfectior est ipsius veritas seu cognoscibilitas; adeoque perfectiorem exigit cognitionem in repræsentando, ut nimirum res illa cognoscatur & repræsentetur adæquatè & commensuratè, seu secundùm omnem suam perfectionem & dignitatem.

IV.

Duplex comprehensio, extensiva, & intensiva.

V.

Quid sit extensiva comprehensio.

Notandum 3. ad comprehensibilitatem extensivam non solùm requiri, ut res aliqua cognoscatur secundùm omnia sua prædicata intrinseca sive essentialia, sive attributalia: sed etiam ultro requiritur, ut distinctè cognoscantur omnes termini quos illa respicit, vel quos ipsa terminat, atque adeo cognoscatur secundùm omnem terminationem & terminabilitatem: non enim res aliqua perfectè comprehenditur nisi per cognitionem & intelligentiam attingatur, & exhauriatur omnimoda ejus intelligibilitas; non autem attingeretur, nec exhauriretur nisi perciperentur omnes illius terminabilitates & terminationes; quippe cùm hæc ratio terminabilis & terminativi, sit in ipsa re cognoscibilis: Unde non immeritò S. Augustinus Epist. 112. cap. 9. comprehensionem sic definit: *Totum comprehenditur, inquit, videndo, ut nihil ejus lateat videntem*: Id est comprehensio est cognitio quâ cognoscitur totum quod est in re cognoscibile, ita perfectè ac objecti cognoscibilitas exigit. Quæ definitio utramque D comprehensionem, tam extensivam quàm intensivam complectitur. His prælibatis, duo potissimùm hac in quæstione sunt resolvenda: Primum quidem, an Deus ita sit incomprehensibilis, ut à nulla Creatura tam existente quàm creabili perfectè comprehendi possit: Secundum, an hæc Incomprehensibilitas soli Deo sit propria.

Et quomodo utraque definiatur.

CONCLUSIO PRIMA.

VI.

Probatur Deum esse incomprehensibilem.

DEUS *est omnino incomprehensibilis ab omni Creatura tam existente quàm creabili.*

PROBATUR 1. ex Concilio Lateranensi cap. *Damnamus*, in quo dicitur Quod *Deus sit una quædam summa res incomprehensibilis & ineffabilis*; Et in Concilio Basileensi sess. 22. tanquam erronea in fide damnatur hæc propositio Augustini de Roma, *Anima Christi videt Deum tam clarè & intensè, sicut Deus seipsum*; cùm autem Deus seipsum comprehendat per claram & intensam sui cognitionem, sequitur animam Christi ipsum non comprehendere; Unde non immeritò dicit Albertus Magnus in 3. dist. 4. art. 1. *Solus Deus comprehendit se: Si enim diceremus eum concludi comprehensione capacitatis animæ Christi; videtur mihi quòd hoc redundaret in blasphemiam Deitatis Christi*: Ergo si Christi ani-

1. Ex Conciliis.

ma quæ Deum perfectiùs videt quàm cæteri Beati, ipsum tamen non comprehendat, multo minùs ab aliis beatis comprehenditur.

2. Ex Scriptura sacra. PROBATUR 2. ex Scriptura sacra. Hieremiæ 32. Deus dicitur *Magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu*: Job 11. *Forsitan vestigia Dei comprehendes & usque ad perfectum omnipotentem invenies!* Quasi diceret hoc fieri non posse. Rom. 11. *Quàm incomprehensibilia judicia ejus & investigabiles viæ ejus!* Hinc meritò monet Ecclesiasticus cap. 43. *Ne laboretis, non enim comprehendetis*, quia, inquit S. Paulus primæ ad Timotheum 6. *lucem habitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, nempe comprehensivè, certum est enim Deum vi eri intuitivè à Beatis: Unde visio illa de qua loquitur Paulus, quamque dicit impossibilem, intelligenda est de comprehensiva.

3. Ex SS. Patribus. *Idipsum probant SS. Patres.* Primò quidem Cyprianus, vel quisquis est author libri de Cardinalibus operibus Christi, ubi sermonem faciens de Seraphim qui stabant super thronum Dei & circa illum volabant Isaiæ 6. *Statim*, inquit, *æternitatis immobilitatem monstrantes, volatu verò altitudinem ejus sic in superioribus alatam, ut quantumlibet ad cor altum homo ascendat, exaltetur Deus & comprehensionis opportunitatem evadat.* Ipsi concinit sanctus Augustinus sermone 38. de tempore. *Attingere aliquantum te mente Deum*, inquit, *magna beatitudo est; comprehendere autem, omnino impossibile est.* Et Beda in illud 1. Joannis capite 1. *Videbimus eum sicuti est*, ait, *Promittitur nobis videre Deum, nam comprehendere concedi non potest* Et S. Greg. 10. Moralium cap. 7. expendens illud Job capite undecimi, *Forsitan vestigia ejus comprehendes*, ait; *In retributionis culmine reperiri Omnipotens per contemplationis speciem potest; sed tamen ad perfectum non potest: quia si hunc in claritate sua quandoque conspicimus, non tamen ejus essentiam plenè contuemur.* Tandem Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 6. *Vident*, inquit, *Angeli ita ut capiunt, & Archangeli ita ut possunt: Throni verò, & Dominationes, plus quidem quàm illi: sed minùs tamen quàm pro Dei benignitate: Solus autem Spiritus sanctus ita ut oportet videt: ille enim scrutatur omnia, etiam profunda Dei; & Unigenitus Dei Filius, ita ut oportet etiam cognoscit, quoniam Deitatis Paternæ est particeps.*

Et ratione. PROBATUR 4. ratione. Ut objectum aliquod comprehendatur, non sufficit quòd videatur totum, sed ultra requiritur quòd cognoscatur totaliter & quantùm cognoscibile est: ita ut virtus cognoscitiva intellectûs omnino adæquet & exhauriat objecti cognoscibilitatem: sed licet Deus totus videatur à Beatis, non tamen videtur totaliter, nec exhauritur ipsius cognoscibilitas per visionem beatificam: Ergo ab illis non comprehenditur. Major patet ex assignata definitione comprehensionis in 3. Notabili. *Minor* probatur: cùm enim Deus sit omnimodè infinitus, infinitam habet intelligibilitatem & cognoscibilitatem: Unde ut perfectè comprehendatur, desideratur infinita virtus intellectiva: sed virtus cujuslibet intellectus creati sive creabilis, non potest esse infinita: Ergo nec adæquare potest, nec consequenter comprehendere ipsius intelligibilitatem. *Adde quòd*, etiam si cognitio creata esset infinitæ virtutis, tamen non foret com-

A prehensiva Dei, quia cùm esset creata & dependens, non posset ita perfectè cognoscere ac cognoscibilis est, sicque foret imperfectior cognitio, quàm sit objectum cognitum.

Dices: Comprehendere Deum est ipsum totum cognoscere & totaliter: sed Beati vident Deum totum & totaliter; Ergo Deum comprehendunt. Major patet ex dictis. *Minor* verò probatur: Quando dicitur quòd Deum comprehendere est illum totaliter cognoscere, vel *ly* totaliter significat modum videntis, vel modum rei visæ; si primum, Deus totaliter videtur, quia qui videt Deum, tota sua virtute totisque viribus ac conatu illam visionem elicit: si secundum, etiam videtur totaliter, quia

B videtur sicuti est: Ergo Beati vident Deum totaliter, adeoque illum comprehendunt.

VII. Quid sit Deum cognosci totaliter. *Respondeo* ly *totaliter* significare modum tam objecti cognoscibilis quàm intellectus cognoscentis; ita quòd, sicut objectum est infinitè cognoscibile, non potest totaliter cognosci quin infinita ejus cognoscibilitas percipiatur & exhauriatur; significat pariter modum potentiæ, quia cùm comprehensio sit actio commensurata perfectioni objecti, non potest intellectus tem infinitam totaliter comprehendere quin eliciat visionem infinitè perfectam; hanc autem intellectus creatus elicere non potest, adeoque non potest Deum totaliter

C cognoscere.

Instabis: Objectum omnino indivisibile & nullos visibilitatis habens gradus, vel totaliter videtur, vel nullatenus videtur; sed Deus propter suam simplicitatem est summè indivisibilis, nullosque perfectionis habens gradus: Ergo vel totaliter videtur, vel nullatenus percipitur. Major patet: Si enim indivisibile non videatur totum & totaliter, oportet ut sit in eo aliquid quod non videtur; in indivisibili autem viso nihil potest non videri; alioquin non esset indivisibile, sed haberet partes quarum una videretur, aliæ verò non. Minor etiam constat ex jam dictis de simplicitate Dei quibus probavimus Deum nec ha-

D bere partes, nec ullos gradus perfectionis, sed esse suam omnino perfectionem.

VIII. *Distinguo majorem:* Indivisibile tam realiter quàm formaliter non potest videri quin totum & totaliter videatur, transeat; indivisibile tantùm realiter, sed formaliter divisibile, non potest videri quin totum videatur, nego: Cum enim plures habeat formalitates, una cognosci potest non cognitâ alterâ. *Ad minorem*, Dico, Deum quidem esse indivisibilem realiter, sed formaliter divisibilem, seu potius distinguibilem, quia plures complectitur perfectiones, tum à sua essentia, tum ab invicem distinctas, & qua-

E rum una videri potest sine altera. Adde quòd licet Deus videatur totus, percipianturque omnia quæ in eo sunt, non tamen comprehenderetur: Neque comprehensione extensiva, quia non perciperentur omnes habitudines, quas habet ad Creaturas possibiles, quæ cùm sint numerû infinitæ, ut distinctè cognoscantur, requirunt vim infinitam cognoscendi, qualis non est virtus in Creatura: neque etiam esset comprehensiva intensivè, quia non æquè perfectò actu Deus cognosceretur ac ipse cognoscibilis est: cognosceretur enim à Creatura cognitione finita, limitata & dependente; ipse tamen cognoscibilis est independenter & infinitè;

uti de facto ab intellectu divino cognnsciur.

CONCLUSIO SECUNDA.

Deus solus est intensivè incomprehensibilis.

DEVS *solns incomprehensibilis est intensivè, non autem extensivè.*

PRIMA PARS sufficienter constat ex jam dictis: Iocomprehensibilitas enim intensiva fundatur in infinita entitate & intelligibilitate Dei, infinitè perfecta cognitione perceptibilis: sed nulla est Creatura quæ ex se & in eotitate sua sit iofinitè cogonscibilis, quæque infinitè perfectum actum requirat ut adæquatè cognnscatur: Ergn nulla est quæ sit incomprehensibilis intensivè, adeoque solus Deus ita est incomprehensibilis.

SECUNDA PARS etiam constat: Quia ad compreheosinnem extensivam necessum est nedum cogooscere entitatem & perfectiones intrinsecas objecti: sed etiam necessum est cngnnscere omnes terminos ad quos sese extendere potest virtus illius objecti tam passiva quàm activa: Hoc autem fieri ono potest etiam in minima Creatura, nollaque est quæ sese non extendat ad infioitns terminos: *Ignis* enim v. g. potest producere infinitos oumero ignes, & *aqua* A potest successivè recipere infinitos numern calnres, & sic de aliis: Ergo cùm nnn possit hujusmodi pntentia activa & passiva Creaturæ adæquatè cognnsci, nisi pariter omnes ejus termini distinctè cngnnscantur; Hinc fit quòd cùm illi termini sint infiniti, nulla Creatura potest cnmprehendi. *Adde quod* non possit assignari ulla Creatura quæ nno babeat realem respectum depeodentiæ ad Deum, qui tealis respectus non potest adæquatè cognnsci & compreheodi, nisi cognnscatur & cnmprehendatur, saltem extensivè, ejus fundamentum & terminus: Ergo cùm Deus, qui est terminus hujus respectûs, cnmprehendi nnn pnssit, nec pariter respectus ille cnmprehendi pnterit. Hinc meritò S. Basilius *Epistola 168. ad Eunomium*, meritò ipsum ridet tanquam delirantem & insanientem, quod diceret se Deum comprehendisse: *Si minutissima formica* (inquit) *natnram nondum cognitione apprehendisti; quomodo incomprehensibilis Dei vim te imaginari gloriaris?* Quibus denntat minutissima quæque animantia esse incomprehensibilia, saltem extensivè: Quantò ergo magis Deus nmnium Creator, incomprehensibilis censebitur?

DISPVTATIO QVARTA.

De divinis Perfectionibus affirmantibus, seu de Attributis Dei positivis.

IAM satis supetqoe, quantùm cœlitùs datum est, explicavimos omnes illas difficiles & abstrusas quæstiooes quæ Dei naturam spectant ejusque modos intrinsecos; nunc autem ad scrutandas & reserandas illius proprietates & divinas præcellentias affirmativis nnminibus expressas, oostra sese cnovertit exercitatio. Quoniam autem hæ divinæ proprietates & præcellentiæ solitò dicuntur duplicis esse generis, quarum aliquæ sunt *Transcendentales* & Deo creaturisque communes: Putà Unitas, Veritas, & Bonitas; Aliæ verò *Speciales*, & ipsi soli Deo propriæ, nimirum divini intellectos, divinæqoe vnluntatis virtutes, operationes & dntes: Cumque de his posterioribus specialis Tractatus institui snleat à Theolngis; agendn nimirum de intellectu & vnluntate Dei; hinc solùm de printibus Dei prnprietatibus præsens mnvebitur Disputatio, tribus quæstionibus resnlvenda.

QUÆSTIO PRIMA.

An & quomodo Vnitas Deo conveniat?

CERTUM est, sufficienterque iam prnbatum, Deum ita esse unicum, ut nnn minùs impossibilis censeatur Denrum pluralitas, quam alieujus Dei non existentia; adeoque supervacaneum esset hîc immorari in probanda Deitatis unitate, quam apertè cnntra Idolnlatrarum insaniam in prima hojus Tractatus disputatinne demnnstravimus. Tria igitur snlùm supersunt examinanda: *Primum* quidem, quâ ratione Deus dicatur unus, seo, quæ sit divinæ Unitatis fons & origo: *Secundum*, qualiter Unitas Deo competat, an per modum prædicati esseotialis, aut per modum proprietatis divinam essentiam quidditativè iam cnnstitutam afficientis & illustrantis: *Tertinm* denique, an hæc Vnitas ita Deum à pluralitate coërceat, ut in alicujus numeri societatem venire nequeat, sed omnimodè innumerabilis sit appellandus. Quæ ut pateant evidentiùs;

Notandum 1. triplicem à Philnsnphis rectè distingui Unitatem, videlicet transcendentalem, formalem & indivisibilem. *Prima* dicitur, quâ ens quodlibet est indivisum in se: *Secunda*, quâ oaturæ cnmmunes & universales tam geoericæ quàm specificæ, dicuntur formaliter indivisæ in suis insetinribus: Tertia est, quâ natura singularis est intrinsecè & extrinsecè indivisibilis in inferiora. Prima unitas cuilibet enti congruit: Secunda nmni & snli naturæ universali prnpria est: Tertia soli naturæ singulari cnovenit. Prima negat divisinnem, quia ens qoodlibet onum, est indivisum io se: *Secunda* negat distinctionem, quia naturæ universales in aliqon inferiori, non distinguuntur à seipsis prnut in aliis inserinribus existunt: Tertia denique negat pluralitatem, singulare enim & individuum, omnem multitudinem excludit. I.

Unitas alia Transcendentalis, alia Formalis, alia Individualis.

Notandum 2. Unitatem Transcendentalem ritè definiri, *Indivisionem entis à se, & divisionem à quolibet alio.* Quibus duplex designatur negatin, quam Unitas hæc impnrtat; nimirum negationem divisinnis *in se*, quando ens vel includit unionem suarum partium; sic Petrus dicitur unus homo; vel plurium formalitatum identitatem realem: sic Deus, licet plures formaliter distinctas perfectinnes invnlvat, nihilnminus verè dicitur Unos; vel sui conceptus indivisibilitatem; sic conceptus entis unus est, II.

Unitas transcendentalis duplicem importat negationem.

Divisionis nimirum in se.

quia in alios conceptus resolvi nequit. Secundò, unum etiam importat negationem unitatis cum alio; proindeque quod est verè unum, necessariò debet à quovis alio distingui. Itaque ut Deus verè dicatur unus, oportet ut sit in se realiter indivisus, & à quolibet alio, quod non est Deus, realiter distinctus.

Et unitatis cum alio.

III. Tria ad rationem numeri desideranda.

Notandum 3. ex Doctore Subtili in 1. d. 24. quæst. unica ad numerum tria desiderari. *Primum* est, quòd unitates quæ sunt numeri partes & principia, sint ejusdem unius rationis; non enim numerando dicimus primus Homo, secundus Leo, tertius Lapis: sed prima substantia est Homo, secunda Leo, tertia Lapis: vel primus homo, secundus homo, &c. *Secundum* est, quòd numeratorum neutrum includatur in altero: sed invicem sint condistincta. *Tertium* denique, quòd unitates numerandæ ordinentur invicem, habeantque potentialitatem & rationem partis ad totum. Si enim quælibet unitas sibi vendicaret actualitatem perfectionemque totius, etiam sibi vindicaret actualitatem & perfectionem alterius unitatis contentæ in ipso toto. Unde licet essent plures unitates secundùm suas rationes formales, si tamen eminenter convenirent in uno, nullo modo numerum constituerent.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Unitas summe Deo convenit. 1. Quia est supremum Ens.

SUMMA *Unitas Deo congruit ob varias ipsius Divinitatis præcellentias:* Et primò quidem propter supereminentem essendi rationem; *Nam*, inquit Plato in Parmenide, *eorum quæ dicuntur unum, sic unumquodque est unum, quomodo se habet id quod est: quare quæ minùs sunt entia, minùs unum dicuntur; quæ autem magis sunt, magis etiam sunt unum:* Ergo cùm Deus sit entium omnium maximum, etiam sibi maximam & summam entis unitatem vendicat. Quàm rationem subtiliter expendit sanctus Augustinus lib. 1. de moribus Manichæorum cap. 6. ubi ita disserit: *Nihil est esse, quàm unum esse; itaque in quantùm quodque unitatem adipiscitur, in tantum est; unitatis est enim operatio, convenientia, & concordia, quâ sunt in quantùm sunt ea quæ composita sunt. Nam simplicia per se sunt, quia una sunt: quæ autem non sunt simplicia, concordiâ partium imitantur unitatem; & in tantùm sunt, in quantùm unitatem assequuntur.* Hinc meritò Boëtius lib. 3. de consolatione prosâ undecimâ: *Omne quod est*, inquit, *tamdiu manet atque subsistit, quamdiù est unum: sed interit atque dissolvitur pariter cum unum esse destiterit:* Adeoque cùm Deus sit primarium omnium entium, etiam primam unitatem obtinet.

2. Quia est simplicissimus.

2. Hanc supremam Dei Unitatem nonnulli sancti Patres colligunt ex summa ejus Simplicitate, quâ fit ut propter antecellentem omnibus Dei simplicitatem non unus tantummodo ille, sed unitas quoque nominetur: *Hanc per omnem Theologicam tractationem*, inquit S. Dionysius cap. 1. de divinis Nominibus, *Divinitatem illam omnium principem sacra prædicatione celebrari sic cernimus, tanquam & monadem, atque unitatem, propter simplicitatem ac singularitatem excellentis indivisibilitatis &c. & Trinitatem ob expressionem supersubstantialis fœcunditatis quæ in tribus Personis consistit:* Unde sub initium capitis Deum appellavit *Unitatem, quæ unitatem omnem facit unam.* Ipsi concinit S. Maximus

A Martyr in Scholiis ad caput 7. de cœlesti Hierarchia, explicans illa verba Dionysii, *Deus monas est & Unitas trisubsistens:* Esse autem *Unitatem & monadem*, inquit, *confirmat etiam impius Evagrius ita scribens* in Centuriæ secundæ cap. 3. *Quandoquidem Deus simplex est & indivisibilis, idcirco monas est, nam & monas ut arithmeticè dicam, simplex est & compositionis expers. Unitas verò propterea dicitur, quòd & secum unita est naturaliter sancta Trinitas, & unit eos omnes qui ad ipsam accedunt; sicut in Evangelio scriptum est*, ut sint unum sicut & nos unum sumus.

B Præcipuè autem radix & ratio divinæ unitatis oritur ex Infinitate Dei; quæ, ut diximus demonstrando Deum esse unicum, varias subministrat divinæ probandæ unitatis rationes, tam ex parte divini intellectus infiniti, quàm ex parte infinitæ voluntatis, boni infiniti, infinitæ potentiæ, entis undequaque infiniti, & infinitæ dominationis ac virtutis: Hæ namque omnes divinæ infinitudinis rationes, tot valida subjiciunt argumenta, quibus divina unitas Deusque unicus demonstretur, uti iam demonstravimus. 3. Ex Infinitate.

CONCLUSIO SECUNDA.

V. Unitas entitativa est Dei proprietas.

C UNITAS *non est quidditativum Dei prædicatum; sed divina proprietas essentiam Dei circumstans & illustrans:* Tum quia eadem videtur esse ratio de divina Unitate entitativa, ac de creata: sed creata unitas non est quidditativum prædicatum entis creati; sed solùm ejus proprietas: Ergo pari jure divina unitas entitativa, perfectio est divini entis; non verò quidditativum Essentiæ divinæ prædicatum: Tum quia Essentia divina concipi potest conceptu perfectè quidditativo & sub ratione entis infiniti, non concepta divina unitate; & consequenter unitas non habet rationem prædicati Essentiæ divinæ constitutivi: Tum denique D quia unitas ipsa oritur ex ratione essentiali, nimirum ex infinitudine entis divini, adeoque ipsa non ingreditur rationem Dei essentialem.

Dices: Singularitas est de conceptu quidditativo Dei: sed unitas est de conceptu singularitatis; Singulare enim est quod est indivisibile in plura inferiora: ut patet in natura qualibet individuali: Hæc autem indivisibilitas est Unitas individualis; & consequenter unitas etiam censenda est de quidditate Dei, adeoque non est ejus attributum.

VI. Non eadem est ratio formalis unitatis creatæ & divinæ.

Concedo majorem: sed nego minorem: Licet enim in creatis eadem sit ratio formalis singularitatis, ac unitatis numericæ; non tamen ita E est in divinis; quia in creatis, indivisibilitas in plura inferiora non provenit formaliter ex ratione essentiæ quæ individuatur: sed ex differentia ipsa individuali; quæ scilicet est ratio cur ipsa natura individualis pluribus inferioribus communicari nequeat; adeoque eadem est in ipsa natura individuali ratio unitatis individualis ac singularitatis; quia nimirum singularitas & unitas numerica formaliter oriuntur ex differentia individuali. Secus autem est in Deo, quia Essentia divina, ex suo præcíso conceptu est talis, ut eam sequatur indivisibilitas in plura inferiora: & consequenter diversum est fundamentum diversaque ratio indivisibilitatis unitatisque

unitasque singularis in Deo & Creatura; licet utrobique unitas entitativa essentiam consequatur, nec sit de conceptu ejus formali.

CONCLUSIO TERTIA.

Deus non potest dici unus numero.

DEUS *licet sit summè unus, tamen unus numerô dici nequit.* Ita Doctor in 1. dist. 24. quæst. unica, & sanctus Bonaventura ibidem art. 1. quæst. 1. Quibus favent S. Patres, maximè Basilius, qui in Epist. 143. quorumdam calumniam referens, qui ipsi trium deorum dogma objecerant; Deum esse unum numerô negat, sed tantùm unum naturâ, *Nam quidquid,* inquit, *unum numerô dicitur, hoc non unum est reverà, neque naturâ simplex. Deus autem omnium confessione simplex est & compositionis expers. Non est igitur unus numerô Deus.* Ipsi concinit S. Cyrillus in excerptis commentariorum libri 7. & 8. in Joan. ubi multiplicativis singularium causam refundit in corpora; *Una,* inquit, *in omnibus est natura definitio, & omnes naturâ sunt unum. In eo verò quòd corporibus dividimur, non jam unum sed multi: quod quidem de Deo vero ac naturali dici nequit. Caret enim corpore; etsi in propriis subsistentiis sanctam Trinitatem intelligimus.* Ipsi concinit Boëtius lib. de Trinitate, ubi cùm exposuisset triplex unitatis genus, nimirum vel unum genere, vel specie, vel numero; tria illa removet à Deo, maximè verò postremum, *Quia numerô differentiam accidentium varietas facit,* inquit, *in Deo verò nulla diversitas, nulla ex diversitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo; atque idcirco nec numerus. Igitur unitas tantùm. Nam cum tertiò repetitur Deus, cum Pater & Filius & Spiritus sanctus nuncupantur, tres unitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quod ipsæ sunt; si advertamus ad res numerabiles & non ad ipsum numerum.*

1. Quia est simplex.

2. Quia est maximè Spiritualis.

Aliam cæteri Patres subjiciunt rationem cur numerus à Deo sit arcendus, quia nempe in omni numero est ordo prioris & posterioris; & gradus primi, & secundi, &c. Cum itaque in Deo nihil prius sit aut posterius, naturâ scilicet ac dignitate, etiam in eo non est numerus. Unde Paschasius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 6. *Cum audis unus,* inquit, *non hîc numerus inchoatur, sed perfectio infinita colligitur. Quid est unus, nisi nomen incommunicabile, quod nec posteriorem recipit, nec priorem? Quid est unus, nisi simplex, incomposita, & indivisa substantia? Quid est unus, nisi incommunicabilis & inæqualis, ac semper idem qui nunquam à se possit esse diversus?* Quibus divinæ Unitatis rationes omnes attigit, nimirum quod Deus sit unus quia simplex est, neque partibus constet, & plures non sint ac diversi; & quòd idem sine ulla varietate ac mutatione permaneat. Denique quod nullus in eo non sit gradus primi & secundi. Hæc etiam luculenter aperit Cerealis Episcopus lib. contra Maximum Arianum cap. 15. *Nec numeratur Deus,* inquit, *quia non subjicitur numeris. Deus igitur noster unus est; nam cum Pater & Filius & Spiritus sanctus sint, nemo Christianus tres Deos poterit dicere; quia in nullo à se divina distat natura: numerus siquidem ordinem sufficit; æqualitas non admittit. Alter enim primum sequitur, alteri ter-*

3. Quia in eo non est ordo prioris & posterioris.

tius applicatur: Sed cùm gradus fieri non possint ex paribus, qui subdi possint; quomodo numeratur? Unus ergo, quia erit non habet secundum. Secundus quippe minoris ordinem tenet, & minor alterum facit; alter posteriorem indicat, posterior imparem signat. Remove distantiam, & quod numeres non habebis.

Doctor verò Subtilis, jam laudatus, probat Deum non posse sive ad intra, sive ad extra numerari, quia ut diximus in tertio notabili, tres ad numerum desiderantur conditiones, quarum prima & secunda Deo quadrare nequeunt: itaque nec Essentia divina cum tribus Personis, nec ipsæ Personæ invicem, neque Deus cum Creaturis numerum simpliciter & perfectè constituunt, quoniam in his nulla ratio una simpliciter potest esse communis. Et cùm Deus omnia eminenter contineat, nullam potentialitatem, nec proinde numerabilitatem habere potest.

4. Quia non habet conditiones ad numerum desiderandas.

Dices: Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt Deus: sed illæ tres Personæ efficiunt numerum ternarium: Ergo in Deo numerus est admittendus, divinaque Unitas numerum non excludit. *Confirmatur:* nam sanctus Cyrillus 23. thesauri, *Alterum numerô* à Patre Filium vocat: & in fragmento libri 7. *Alterum in altero inesse; ob idque non unum esse numerô.* Et sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 13. ait, *Monadem esse notam propter ejus divitias, & binarium transgressam in Trinitatem desiisse, ob perfectionem.* Et Eusebius in Symbolo cum dixisset, *Quod Patrem & Filium & Spiritum sanctum singulatim unum post unum dicimus, hoc ideo quia simul exprimere tria nomina humani sermonis paupertate non possumus, non quia tribus gradibus ordinemus. Ubi totum unum est, non potest esse tertium vel secundum. Totum ergo in plenitudine Divinitatis primum est, & quod videtur sermonis necessitate postremum.* Subdit: *In his tribus Personis numerus esse potest, ordo esse non potest; nam etsi distinctionem recipiat Trinitas, gradum tamen nescit æqualitas:* Ergo summa Dei unitas Numerum omnem non excludit.

Respondeo equidem ratione Personarum, numerum saltem imperfectum, qui fiat absque ullo gradus ordine, in Deo concedi posse: nec id etiam abnegant sancti Patres, qui mirandum quoddam & ineffabile unitatis ac numeri commercium in Deo reperiri asserunt, *Etsi ibi aliquid ineffabile,* ait sanctus Augustinus tract. 39. in Joan. *quod verbis explicari non possit, ut & numerus sit, & numerus non sit. Videte enim si non quasi apparet numerus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Trinitas. Si tres; quid tres? deficit numerus. Ita Deus nec recedit à numero; nec capitur numerô: quia tres sunt, tamquam est numerus. Si quæris quid tres, non est numerus.* Putà quia *tres unum sunt.* Cui concinit S. Bernardus lib. 5. de consid. capite 7. *Quid sibi vult iste (ut sic loquar) absque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si unum, ubi numerus?* Deinde sibi objiciens: *Cum tres illæ Personæ, illa substantia sint; & una illa substantia, tres Personæ; quis numerum neget?* Respondet, *Nam verè tres sunt: quis numeret tamen? nam verè unum sunt. Aut si tu facilè explicatu id putas dicendo* TRES, *dicito quid numerasti? Naturas? una est. Essentias,*

Trinitas Personarum non propriè numerum conficit.

una est : Substantias ? una est. Deitates ? unn est. Non hac, sed Personas nnmero, inquis. Qnn non sint illa nna Nntnrn, illa nna Essentia ; illn nna snbstantia ; illn unn Divinitas. Catholicns es, minimè hoc dabis. Quibus Constat Deum perfectum numetum excludere, adeoque ipsius divinam unitatem non esse numeri principium nec sociam.

Quæstio Secunda.

Qnid & qualis sit Entitntivn Dei Veritnt?

Deus est summè verus.

Deum esse verum, nemo Catbolicorum ambigit; articulo namque fidei eostat, Filium Dei esse *Deum verum de Deo vero*: Vnde non immeritò Regius Psaltes Psalmo 88. *Dominus Deus virtutum qnis similis tibi? Potent es Domine, & veritns tua in circuitn tuo*: Quasi diceret, Deus est ita verus & verax, ut sit quasi totus à veritate circuodatus, & ex veritate compositus; ut de ipso, quod de Cbristo, dixit S. Aogustinus Setmone Decalogi, meritò dici possit, *Deus totus est Veritas*;

Idque variis modis.

Primò quantùm ad esse, quia solus propriè & verè est qoi dixit, *Ego sum qui snm.* Secundò, quaotùm ad intellectum, quia est soom intelligere: Terriò, quantùm ad scientiam, quia *Deus scientiarum est*, qui nec falli nec fallere potest. Quartò, quantùm ad sermonem, juxta illud Joannis 17. *Sermo tnus Veritas est.* Quintò, quantùm ad promissa, quia *fidelis Dens in omnibns verbis snis, & sanctus in omnibns operibus snis.* Non est ergo cur immoremur in probanda divina Veritate. Solùm hìc proponitur examinandum in quo consistat divina Veritas & qoaliter Deo conveniat, an videlicet per modum prædicati essentialis aut solùm attributalis, quod ut compertum fiat evidentiùs,

I.

Triplex generatim est veritas.

Notnndum primò, Philosophos triplicem communiter distinguere Veritatem, scilicet Veritatem *Signi, Cognitionis, & Entis.* Prima est cooformitas nostrorum verborum cum ioterno mentis conceptu: Hæcque est virtus moralis mendacio opposita. Secunda est conformitas intellectus eum re cognita, qualis est cognitio fidei divinæ & scientiæ humanæ, quibus opponitur falsitas, error, & opinio. Tertia denique est formalitas entis quâ taliter est eooceptibile qualiter est secundùm suam naturam: Vnde

II.

Entitativa Veritas dicit respectum intelligibilitatis.

Notandum secnndò: Veritatem entitativam importare secum habitudinem & respectum transcendentalem intelligibilitatis ad intellectum; quâ ratione Doctor in 4. *dist.* 49. *q.* 4. *circa nnm.* 11. fortè inquit, *Nec Verum nec Bonnm nltra ens dicnnt rationes absolntas*: Non quod revera entitativa Veritas sit io se solus ac simplex respectus transeendentalis, & ordo quem ens quodlibet dicit ad intellectum cognoscentem; sed ita quòd non possit veritatis conceptus exprimi absque tali ordine ad intellectum cujus maxime objectum est. Sicut à pari, *Bonum* declarari nequit absqoe ordine ad appetitum cujus est objectum & terminus: Boonm namque communiter dicitur quod omnia appetunt.

Talis est veritas entitativa, quale est ens.

Notandum tertiò, Ex Doctore in 2. Metaphysicorum numero 8. veritatem entitativam talem esse quale est ens: *Quia enim*, inquit, *Veritas est proprietns entis, ideo sequitur esse rei proportionaliter: Ita ut nnnmqnodqne eo modo quò habet esse, habeat etiam veritatem: Vnde fit qnod ea, quorum esse est sempiternnm, sit etiam sempiternn veritas. Quia etiam veritas in intellectn oritnr ex veritate in re, idcirco sicnt res hnbet esse, sic etiam est aptn nata cognosci; quò fit nt semper nb ipso esse rei, oritnr conformitas veritatis, sive in re, sive in intellectu. Qnare bene dicit Philosophns, qnod unumqnodque sicut se habet ad esse, ita se habet nd veritatem.* Quibus Doctor apertè indicat talem esse rei veritatem, qualis est ipsius entitas: adeoque si entitas sit infinitè perfecta, talis pariter erit entitativa rei Veritas.

Conclusio Prima.

III.

Quid sit Dei Veritas entitativa.

Entitativa *Dei Veritas est suprema illins perfectio, quâ solns concipitur proprios Divinitntis characteres habere.* Hæc apertè patet ex notatis; in tantùm enim ens quodlibet verum est, in quantùm habet characteres entitati suæ proprios, quibus verè & intrinsecè in suo esse constituitur, & à quolibet alio distinguitur. Ergo Deum habere Veritatem entitativam, nihil aliud est quàm proprios Deitatis characteres sibi vendicare, quibus ab inanibus & falsis Diis secernatur ac distinguatur. Nimirum qood sit ens infinitum, à se, per essentiam, necessariò existens, à nullo productum & cæterorum prodoctivom. Quæ verba genuinos veræ Divinitatis characteres exprimunt, quibus nimitum verus Deus ab inanibus & ementitis Gentium Numinibus secernatur.

Omnes enim Dii Gentium Dæmonia, inquit Regius Vates; & meritò quidem, Dæmones enim ementitos aliquos Divinitatis characteres usurpârunt, oempe futurorum prædictionem & vaticinium; stopeodam & insolitam signorum ac portentorum patrationem: rerum incertarum & abditarum revelationem, & alia id genus veræ Divinitatis symbola, ausu temeratio sibi vendicârunt, ut pro Diis haberentur ab hominibus & colerentur.

Nec certè, quod maximè lugendum est, cassus fuit & irritus superbientiom eorum ac perduelliom Angelorum labor: Etenim his larvatæ Divinitis signis ita luserunt homines in Idolis quibus inerant, ut pro Diis habiti fuerint.

Hoc apertè confirmat sanctus Paulos 1. ad Corinthios 8. dicens: *Scimns quia nihil est Idolnm in mundo, & qnod nnllns Dens nisi Vnns; nam etsi snnt qui dicnntur Dii sive in Cælo, sive in terrn (siqnidem snnt Dii mnlti & Domini multi) nobis tamen nnns Dens Pater, ex qno omnia, & nos in illo; & nnns Dominus Iesns Christnt, per qnem omnin, & nos per ipsum.* Quibus verbis sanctus Apostolus duplicem assignat entitativæ Dei veritatis rationem, duosque characteres quibus ab ementitis Diis distinguitur. Primò quod Idolum nihil sit,

non quòd revera Idolum nullam habeat prorſus entitatem: *Sunt enim & Idola*, inquit S. Auguſtinus 18. contta Fauſtum, *ſed ad ſalutem nihil ſunt; & qui colit arborem, non quidem orando, ſed adorando, non id colit quod nuſquam eſt, ſed quod ita colendum non eſt. Solus ille colendus eſt, qui ſolus verus eſt Deus, & quo ſolo fruens beatus ſit cultor ejus, & quo ſolo non fruens omnis mens miſera eſt, qualibet alia re fruatur. Vos autem cùm ea colitis quæ omnino non ſunt, ſed veſtrarum fallacium fabularum vanitate finguntur, veritatem in injuſtitia detinetis, qui divini* ESSE *veritatem in mendacium commutatis.*

Unde qnoties Scriptura ſacra Creaturis aliquibus Dei nomen tribuit, ſtatim ſubdit aliquam B appellationē quâ à vero Deo diſtinguantur. Sic cùm dicitur Pſal. 134. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Et paulò poſt, *Ego dixi Dii eſtis, & filii Excelſi omnes;* ſubdit ſtatim, *Vos autem ſicut homines moriemini:* Diſparitatem aſſignans nedum intet Angelos & homines, qui Dii appellantur, quod Angeli ſint immortales, Creaturæ tamen & idcirco à Deo dependentes, Homines verò etiam gratia, participatione & adoptione divina pariter Dii ſint, ſed Dii mortales: verùm etiam tam Angelos quàm Homines qui Dii dicuntur, à verô Deo ſecernit. Similiter quoties eadem Scriptura ſacra, falſa Gentium Numina commemorat, eorum inanitatem ſtatim explicat; quod nempe, C *Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, &c.* Idipſum conteſtatut apertiùs dicendo; *Omnes Dii Gentium dæmonia, Dominus autem Cælos fecit.* Hoc eſt, rerum omnium ſupremus eſt Conditor & Arbiter; quæ ſecunda eſt ratio aliuſque character, quô ſanctus Paulus verum Deum à falſis ſecernit. Itaque ſumma entitativa Dei veritas, nihil aliud eſt, quàm ipſius divina perfectio, quâ proprios Divinitatis caractetes ſibi vendicat, quatenus nimirum eſt ſupremum ens, aliorumque entium principium & moderator.

CONCLUSIO SECUNDA.

X.

Entitativa veritas eſt Attributum Deitatis.

ENTITATIVA *Dei Veritas, non eſt ejus prædicatum eſſentiale & quidditativum; ſed attributum divinam ipſius eſſentiam perficiens.* Patet hæc veritas ex dictis in priori quæſtione: Eodem modo namque, proportione ſervata, ratiocinandum eſt de veritate entitativa Dei, ac de ipſius unitate: ſed hæc, ut probatum eſt, non eſt Dei prædicatum eſſentiale; ſed tantùm eſſentiæ perfectio: Ergo pariter talis eſt veritas. *Adde quod* divina entitativa veritas, ſit illa perfectio Dei quâ intelligibilis eſt & conceptibilis proprios habere Divinitatis characteres: Ergo neceſſum eſt, ut priùs Deus illos Deitatis characteres habeat, ſaltem prioritate conceptionis, quàm habere intelligatur: adeoque priùs conceptibilis eſt ſub ratione Deitatis, quàm ſub ratione veræ Deitatis: Sicque illa divina veritas ab ejus eſſentia fluit, illamque circumſtat & perficit.

Dices: Deus non poteſt concipi habens Deitatis proprios characteres, quin pariter concipiatur ut verus; vel enim concipitur habere proprios characteres Deitatis, & ſic concipitur ut verus Deus; vel non ita concipitur, & ſic non apprehenditur ut Deus; nec proinde in-

A telligitur veros Divinitatis characteres habere: adeoque entitativa veritas inter prædicata eſſentialia Deitatis eſt computanda.

Diſtinguo majorem: Si Deus adæquatè concipiatur, & ſecundùm omnes formalitates & perfectiones divini eſſe, non poteſt intelligi ut Deus, quin pariter eodem conceptu intelligatur ut habens proprios & genuinos Deitatis characteres, concedo: Si concipiatur tantùm inadæquatè & ſolùm penes rationem entis ſimpliciter infiniti, quæ ſunt duo eſſentiales Divinitatis characteres, non poteſt ita concipi, quin eodem conceptu apprehendatur ut verus Deus, nego: Priùs enim intellectus concipit Deum tanquam ens infinitum, demum B apprehendit rationem entis infiniti eſſe genuinum Deitatis characterem, & ſic poſtea affirmat illum eſſe verum Deum, utpote qui perfectos Deitatis habeat characteres.

Deus inadæquatè concipi poteſt abſque eo quòd concipiatur ut verus.

QUÆSTIO TERTIA.

An & qualiter Bonitas Deo conveniat?

I.

Triplex eſt bonitas, Naturalis, Moralis, & Beneficentiæ.

NOTANDUM *primò*; triplicem ſolitò diſtingui Bonitatem, nimirum Naturalem, Moralem, & Beneficentiæ, quæ etiam Beni- C gnitas appellatur. *Prima* eſt perfectio rei in ſuo eſſe, ita quod bonum naturale dicatur illud, quod eſt in ſe perfectum in ſuo genere, ſive cui nihil deeſt ex iis quæ ad ejus perfectionem & integritatem referuntur. Sic aqua dicitur abſolutè bona, quia habet omnia accidentia, omneſque ſibi debitas qualitates, putà colorem, ſaporem, frigiditatem, &c. Ut autem taliter bonum aliquid cenſeatur, tria debet habere, videlicet exiſtentiam, perfectiones ſibi debitas, & ſuum ultimum finem. *Secunda* eſt conformitas humanorum actuum cum rectæ rationis dictamine: Ita quòd actus aliquis cenſeatur moraliter bonus qui cōformis eſt rationi rectæ, omnibuſque debitis ſibi circumſtantiis illuſtratur. *Tertia denique*, eſt voluntatis propenſio ad D ſublevandas aliorum miſerias & gratias largiendas. De priori bonitate ſolùm hic erit ſermo, cæteras verò expendemus in ſequenti Tractatu, ubi divinæ voluntatis characteres & virtutes explanabimus. Illa namque voluntas Dei eſt, bona, beneplacens & perfecta; adeoque maximè has tres bonitates ſibi vendicat.

II.

Duplex iterum Bonitas naturalis; nimirum Abſoluta & Reſpectiva.

Notandum 2. ex Doctore 18. q. quodlibetica n. 3. duplicem adhuc diſtingui poſſe bonitatem naturalem: unam quidem *Abſolutam* quam vocat primariam, alteram *Reſpectivam*, E quàm ſecundariam appellat. Prima eſt entis perfectio, ita quod illud dicatur abſolutè bonum, quod eſt omnimodè perfectum; illud verò perfectum dicitur, quod habet omnia ad ſuum complementum deſideranda. Secunda autem eſt convenientia entis & habitudo ad id cui conveniens eſt. Hæc utraque Bonitas iterum duplex diſtingui poteſt, Abſoluta namque eſt vel *Quidditativa*, quæ eſt perfectio gradualis uniuſcujuſque naturæ, ſecundùm quam una eſt alterâ perfectior, quia plures entitativæ perfectionis gradus obtinet: Alia verò eſt purè *Entitativa*, quæ eſt integritas & poſſeſſio eorum omnium quæ naturaliter enti conve-

Utraque rurſus eſt duplex.

niunt. Similiter *Respectiva* iterum duplex est, vel enim res quælibet bona, habet respectum ad id cui conveniens est, vel ad id quod ipsi est conveniens. Priori modo panis dicitur bonus homini, quia ipsius nutritioni inservit: Posteriori verò, dicitur bonus sibi ipsi; quia habet saporem sibi convenientem.

III.

Aliquid est perfectivũ alterius tripliciter.

Notandum 3. ad rationem boni naturalis non solùm desiderari quòd sit in se perfectum, sed etiam quòd sit sui diffusivum & aliorum perfectivum, seseque aliis communicet. Tripliciter autem potest aliquid esse perfectivum alterius, nimirum vel per modum *causæ efficientis*, communicando scilicet alteri participationem suæ perfectionis & bonitatis; vel per B modum *causæ exemplaris*, formando scilicet aliquid ad sui imaginem & conformitatem; vel denique per modum *causæ finalis*, alliciendo videlicet ejus appetitum ad sui consecutionem, illumque perfectè satiando & quietando. His prænotatis tria sunt in præsenti quæstione resolvenda: Primum, an summa entitativa bonitas absoluta Deo conveniat: Secundum, an respectiva bonitas tam quidditativa quàm entitativa ipsi congruat: Tertium quodnam sit discrimen inter bonitatem Dei & Creaturarum: quæ singula tribus in sequentibus conclusionibus resolvenda sunt.

CONCLUSIO PRIMA.

IV.

Dei bonitas omnibus comperta.

DEUM *esse bonum bonitate Entitativa absoluta, omnibus omninò compertum est qui aliquam Divinitatis notionem habent.* Ita fatentur nedum sancti Patres, sed etiam gentiles Philosophi, ut eleganter indicat Synesius oratione de regno, *Bonum Deum*, inquit, *utique prædicant omnes ubivis terrarum populi tam sapientes quàm imperiti; idque universi mutuo consensu atque una voce profitentur: licet quod ad alia pertinet, variis de Deo sententiis discrepent, & incorruptam ejus atque individuam naturam opinionum diversitate partiantur.* Hinc S. Dionysius 4. cap. lib. de divinis nominibus ait, *Boni appellationem à Theologis excellenti quadam ratione tri-* D *bui superab divina bonitati omnibus secretam; adeo ut ipsa divini principatus extantia, bonitas nominetur*, quasi diceret *Dei* & *boni* nomina velut esse synonima & utrumque propriè Divinitatem exprimere. Hoc ipsum Christus Dominus comprobavit; dum enim ab aliquo fuisset compellatus sub his vocibus, *Magister bone*, Lucæ 18. ita respondit, *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus*, quasi diceret, inquit August. in Psalmum 117. *Si me bonum vis appellare, intellige & Deum.*

Hinc meritò S. Leo ait, *Deus cujus natura bonitas, & opus misericordia.* Quod itidem ele- E ganter exprimit Tertullianus lib. 1. contra Marcionem dicens, *Deus de sola bonitate censendus*, quasi diceret, quod divina bonitas est totius Divinitatis census & thesaurus, juxta illud Apost. *Deus qui dives est in misericordia.*

Hanc autem divinam bonitatem absolutam Deo competere, ratione probatur. Bonitas illa absoluta consistit in integritate & perfectione rei: sed Deus est infinitè & undequaque perfectus: Ergo & absolutè bonus. Major patet ex secundo notabili. Minorem probat sanctus Dionysius cap. 13. de divinis nominibus, ubi tres maximè profert rationes cur Deus dicatur

A perfectus: Prima, quia est αὐτοτελὴς, id est *per se perfectus*, & non est ab ulla causa efficiente vel formali, sed à simplicissima sua essentia: Unde ipsius perfectio non exurgit ex accumulatione multarum rerum, sicut fit perfectio Creaturarum, sed ex una re simplicissima quæ ipsemet est. Secunda, quia est ὑπερτελὴς, id est *superperfectus*, superexcellens & omnem conceptibilem perfectionem longè excedens: nihil enim à mente creata tam magnum, tamque excellens & eximium cogitari potest, quin Deus infinitè sit excellentior & superior, quia non potest augeri vel minui ipsius divina bonitas & perfectio: Unde sanctus Fulgentius libro de Fide ad Petrum cap. 3. *Deus non solùm summè bonus, sed etiam summum atque incommutabile bonum est, quia æternum bonum est, nullum habens defectum quia non est ex nihilo factum: nullum habens profectum quia nullum habens initium.* Tertia, quia *super-plenus* est omnibus bonis, ut veluti fons inexhaustus exuberet & redundet perpetua & incessabili largitione donorum in omnes Creaturas, sicut loquitur sanctus Dionysius, *Exuberans una incessabili & eadem & superplena, & imminuibili largitione, per quam omnia perfecta perficit & unumquodque congrua sibi perfectione adimplet*, juxta illud Psalmi 103. *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate, avertente autem te faciem* C *turbabuntur.*

Propter 3. rationes.

Quibus omnibus satis superque constat Deum esse bonum bonitate absoluta, cùm sit in se perfectissimus, omnesque omnino excogitabiles perfectiones, aut formaliter, aut eminenter contineat.

CONCLUSIO SECUNDA.

V.

Deus est bonus bonitate respectiva.

DEUS *est etiam bonus bonitate respectiva, seu convenientiæ: non quidem quidditativa, sed entitativa.*

PRIMA PARS constat: Deus namque non habet varios gradus perfectionis secundùm quos propriè dici possit perfect[illegible] aliis rebus secum in eodem genere perfectionis convenientibus, adeoque non habet perfectionem & bonitatem quidditativam & gradualem. Nisi fortè velis ipsum dici quidditativè perfectum, quatenus nimirum ipsius divina quidditas & essentia infinitè excedit in perfectione quoslibet excellentiæ perfectionisque gradus in Creaturis reperiendos; Hac namque ratione verè Deus dici posset quidditativè perfectus. Sed in hac difficultate sola foret disceptatio de nomine, ideoque quam volueris partem licebit amplecti.

PROBATUR SECUNDA PARS: Deus enim nedum habet perfectionem sibi maximè convenientem, & necessariò amabilem à se, sed est etiam bonus generatim omnibus Creaturis, ut causa & finis earum: Et ultro specialiter bonus est, & conveniens Justis ut amicus; Beatis ut summum bonum æternaque fœlicitas, Virtuosis ut omnis justitiæ sanctitatisque exemplar, Pœnitentibus, ut author remissionis & gratiæ, juxta illud Threnorum 3. *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Et Psalmo 72. *Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde!*

CONCLUSIO TERTIA.

Et etiam perfectiva.

DEUS *summè bonus est bonitate causæ efficientis.* Nedum quia omnia quæ fecit bona

funt, juxta illud Genesis cap. 1. *Vidit* DEVS *cuncta quæ fecerat & erant valde bona:* sed etiam quoniam ipsius divina bonitas omnium omnino rerum modulatrix est & principium, ut eleganter explicat Plato in Timæo, *Quæramus igitur*, inquit, *causam quæ eum impulerit, qui hæc machinatus est, ut originem rerum & molitionem novam quæreret: Bonitate videlicet præstabat*. Cui concinit Hierocles in aurea carmina Pythagoræ dicens, *Causa molitionis omnium, nulla subest alia, rationi consentanea, præter quam substantiva bonitas, ... nam quæcumque alia præter bonitatem afferuntur causæ fabricandæ hujus universitatis, humanis affectionibus potius conveniunt quàm Deo.*

Deus ideo mundum condidit quia bonus est.

Hæc eadem celebri similitudine commeodat sanctus Dionysius cap. 4. lib. de Divinis nominibus, *Quemadmodum*, inquit, *Sol non cognitione adductus ulla, vel electione, sed eo solo quod est, illuminat omnia quæ secundum propriam rationem lumen participare possunt: ita bonum ipsum quod supra Solem, velut adumbratam dumtaxat effigiem, excellentem habet Archetypi rationem, ipsâ suâ extantia omnibus quæcumque sunt, proportione quadam totius bonitatis radios immittit*. Cui concinit August. lib. 11. de Civit. c. 21. *Si quærimus*, inquit, *quis lucem fecerit, Deus est. Si per quod fecerit, dixit fiat; & facta est. Si quare fecerit, quia bona est. Nec author est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei Verbo, nec causa melior quàm ut bonum crearetur à bono Deo.* Hanc etiam Plato causam condendi mundi justissimam dicit, *Vt à bono Deo bona opera fierent.* Denique hanc ipsam rationem eleganter commendat Tertullianus lib. 2. adversus Marcionem cap. 63. ubi inquirens rationem conditionis mundi, *Prima*, inquit, *est bonitas Creatoris, quæ se Deus noluit in æternum latere*; id est voluit esse aliquid à quo cognosceretur Subdit, *& ideo in suam summam commisit bonitatem apparituri boni negotiatricem: non utique repentinam, nec obeuntitia bonitatis, nec provocatitia animationis, quasi exinde censendam quò cœperit operari.*

Etiam conservat quia bonus.

Non solùm autem creationis mundi divina bonitas modulatrix extitit, sed etiam ipsius est conservatrix & propagatrix. Nedum enim creaturas sibi subservientes, sed etiam rebellantes in se Dæmones ex bonitate servat, ut luculenter aperit S. Augustinus in Enchyridio cap. 27. *Non sanè*, inquit, *Creatoris desistente bonitate cernimus & malis Angelis subministrare vitam vivacemque potentiam, quæ subministratio si auferatur, interibunt; & hominum quamvis propagine vitiata damnataque nascentium formare semina & animare, & ordinare membra per temporum ætates, per locorum spatia vegetare sensus, alimenta donare.* Quod utique Christus Dominus apertè commendavit Matth. 5. ubi ostendens Deum bona sua non solùm probis, sed etiam impiis & sceleratis uberrimè lagiri, ait, *Solem suum oriri facit super bonos & malos: pluit super justos & injustos.*

Divinæ bonitatis vana commendatio.

Non etiam hanc divinam bonitatem parum commendat, quòd Deus sua beneficia largiatur sua sponte, nullaque etiam expectata laude & gloria, ut eleganter indicat S. Chrysostomus homil. 3. in Epist. ad Philemonem, *Nulla re indigens* DEVS ait, *quæ in nostra potestate sit, nos condidit. Nullius autem ipsum opus habuisse, monstravit in, eo quod postea fecit. Nam si opus habuisset, olim condidisset. Quod si sine nobis erat ille, nos autem posterioribus temporibus facti sumus, non utique fecit nos indigens nostri.* Cui elegantissimè concinit sanctus Hilarius in Psalmum 2. *Nullum*, inquit, *à nobis nisi innocentiæ & Religionis & Fidei obsequium Deus postulat. Amari se à nobis exigit; non utique amoris in se nostri fructum aliquem sui causâ ipse percipiens, sed amore ipso nobis potius, qui eum amabimus profuturo. Nam amari se sibique nos obsequi idcirco, ut nobis bene sit, expetit; ut digni [illegible]tudinis suæ ac bonitatis suæ munere per me[illegible]m amoris sui, & obsequii judicemur. Bonitatis autem usus, ut splendor Solis, ut lumen ignis, & odor succi, non præbenti proficit, sed utenti.*

Denique non modica est summæ Dei bonitatis commendatio, *Quod*, inquit Guillielmus Parisiensis in Rhetorica divina cap. 31. *Omnia largitur præclara bonitas ejus, non solùm liberaliter, sed etiam libenter ...... nihil enim ei gratius offerri potest à nobis quàm perfecta ex omnibus modis suis oratio. Causa autem in hoc est abundantissima bonitas ipsius, per quam quærit in nobis occasiones miserendi semper nobis ac benefaciendi: adeo namque placet eidem dare, ut propter hoc omnia creaverit. Volebat enim habere quæ & quibus daret. Angelos autem, & homines in hoc specialiter creavit, ut daret eis semetipsum: propter quod & tales eos creavit, qui ipsius capaces essent.* Subdit autem, *propter hoc etiam gratissima est humilitas in conspectu Creatoris, quoniam occasiones ei semper ministrat largiendi simul & miserendi.*

Postremò tandem, *Quantum & quale bonum sit Deus*, inquit S. Prosper, *etiam ex hoc evidenter ostenditur quod nulli ab eo recedenti bene est.* Vel ut ait Augustinus lib. 12. de Civitate cap. 1. *Quia beatitudinis causa est adhærere Deo, miseriæ verò causa ex contrario est intelligenda, quod est non adhærere Deo: quamobrem, si cum quæritur quare illi beati sint; rectè respondetur quia adhærent Deo*: Etiam, *cum quæritur cur isti sint miseri, rectè respondetur quia non adhærent Deo: Non est Creatura rationalis, vel intellectualis bonum quò beata sit, nisi Deus, &c.* Dicente Regio Psalte, *Mihi adhærere Deo bonum est.*

QUÆSTIO TERTIA.

An, & quæ sit Dei Pulchritudo?

TANTA est Pulchritudinis cum Bonitate societas & connexio, ut apud Græcos eodem vocabulo explicentur; nam τὸ καλὸν utrumque significat & *Bonum*, & *Pulchrum*. Consequens est itaque ut delineata divina bonitate, etiam & pulchritudo aliquatenus adumbretur, cujus quidem effigies ut clariùs eniteat:

Bonitatis & pulchritudinis affinitas.

Notandum 1. spiritualem pulchritudinem ex corporea delineari posse. Est autem corporea pulchritudo, inquit Cicero in 4. Tusculanar. *Apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate.* Quem imitatus S. Augustinus lib. 22. de civit. cap. 19. ait, *Omnis corporum pulchritudo, est partium congruentia cum quadam coloris suavitate; ubi autem non est partium congruentia; aut ideo quid offendit, quia parvum est; aut ideo quia nimium*: Unde S. Thomas 1. p. q. 39. art.

Corporeæ pulchritudinis definitio.

8. tria dicit ad pulchritudinem esse necessaria: *Primò quidem integritas sive perfectio; quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt: Secundò, debita proportio sive consonantia: & iterum claritas: unde quæ habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur.* Quæ omnia complectitur S. Ambrosius in secundo lib. Hexameron sub finem: *Illa est enim vera pulchritudo*, inquit, *& in singulis membris esse quod deceat, & in toto: ut in singulis gratia, in omnibus formæ convenientis plenitudo laudetur.* Inde patet tam pulch[illegible]tudinem quàm bonitatem in quadam [illegible]gruentia consistere, cum maximo tamen utri[illegible]que discrimine. Quod ut appareat;

II.

Qualiter pulchritudo à bonitate discrepet.

Notandum 2. Bonum esse quidem id quod aptum est & congruentiam quandam habet; B sed in ordine ad suppositum cui convenit. Hinc bonum illud esse dicitur quod omnia appetunt. Pulchrum verò, illa est ipsa congruentia, quæ non appetitionem præcisè respicit: sed veram germanamque speciem, & absolutum exemplar sui, quam *Ideam* Platonici nominant: Est enim rei cujuslibet perfecta quædam, & omnibus suis numeris ac partibus constans, & absoluta forma; quæ primùm inest in ipsa mente Dei; tum secundò in mente intelligentiaque ratione præditorum; cujus etiam aliqua vis & particula in sensus ipsos, præsertim interiores qui in homine sunt redundat. Unde pulchrum appellamus hominem qui illam habet oris, ac vultus conformationem, eamque C membrorum figuram & elegantiam, atque illam denique coloris suavitatem, quam perfecta requirit humani corporis species, cujusmodi in sensibus nostris animisque circumferimus. Itaque prout illa est diversa forma quam interiùs cogitatam & expressam habemus; ita varium est de pulchritudine judicium hominum. Nam Æthiopes, exempli gratiâ, qui nigrum in corpore colorem candori præferunt, fœda esse censent candida corpora; nigra esse formosa judicant. Nos secus eadem de re sentimus, quia aliter instituti sumus. *Græci*, inquit Clemens Alexandrinus VII. Strom. *sicut hominibus forma similes, ita iisdem quoque* D *quibus ipsi animi perturbationibus Deos ponunt obnoxios, & quemadmodum eorum formas sibi similes singuli describunt, ut ait Xenophanes, Æthiopes quidem nigros & simos; Thraces autem fulvos & cæruleis oculis: sic etiam & animos assimilant iis qui eos effigiant.*

Unde varia de pulchritudine sententia?

Notanda sententia.

III.

Quænam sit vera animæ pulchritudo?

Notandum 3. quod quemadmodum rerum visibilium pulchritudo in duobus præcipuè consistit, videlicet in debita habitudine seu convenienti proportione partium inter se & ad totum; Item in congrua superfusione coloris aut luminis partes corporis informantis, ac decorantis: Ita spiritualium substantiarum quæ nec partes, nec colorem, nec lucem sensibilem habent, pulchritudo, in debita operatione & recto E intellectûs judicio est ponenda. Operatio enim se habet ad operantis essentiam, sicut membrum ad corpus; & intellectualis cognitionis operationem venustat atque illuminat, quemadmodum lumen sensibile, seu splendidus color corporalia membra aut corporis partes. Hinc S. Augustinus virtutem, animæ pulchritudinem appellat Epist. 222. *Quid est*, inquit, *aliud justitia, cùm in nobis est, vel qualibet virtus: quâ rectè sapienterque vivitur, quàm interioris hominis pulchritudo?* Hanc autem ani- A mæ pulchritudinem longè corporeâ præstantiorem esse satis commendat sponsus Cant. 4. *Quàm pulchra es amica mea, absque eo quod intrinsecùs latet!* quasi diceret, formosa quidem est tui corporis elegantia: sed longè præstat abdita animi tui pulchritudo. Inde Canticorum 6. iterum ait: *Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque oculis tuis*; hoc ænigmate significans, quod quemadmodum præcipuus mali punici decor intùs latet; sic animæ pulchritudo suaviùs nitet quàm forma corporis: Ista namque exteriùs fulget, illa interiùs: ista brevi extinguitur, ut antequam florescat defloruisse inveniatur, illa perpetua est & æterna; hæc humanis, illa divinis oculis gratissima est: Unde S. Ambrosius lib. 3. Hexam. cap. 13. *Pulchritudinem quis potest majorem existimare decore ejus, quæ amatur à Rege, probatur à Judice, dedicatur Domino, consecratur Deo? Pulchritudo hæc non marcescit, nec deficit: ille verus decor, qui non alienos oculos rapit, nec fragiles mentes vulnerat; sed judicia acquirit universorum, fraudi nulli futurus, laudi sibi.*

Quamque longè corporeâ præstet.

Egregia pulchritudinis animæ commendatio.

Conclusio Prima.

IV.

Eximia Dei pulchritudo variè probatur.

DEus *est pulcherrimus: imo ipsamet est pulchritudo.* Hanc Conclusionem variis rationibus probat Dionysius Charthusianus lib. de *natura Dei art. 57. Primò* quia substantiæ spiritualis pulchritudo in debita operatione, & recto intellectus judicio ponenda est, ut diximus in tertio Notabili: sed actio Dei, præsertim immanens, cum sempiterna sit & Deo convenientissima, connaturalis, consubstantialis, & superjucunda: Item intellectus divini cognitio cùm sit invariabilis, splendidissima omniumque cum infinita activitate, atque incommutabili lumine intuitiva: Patet quod Deus sit pulcher & verè pulcherrimus. *Secundò*, pulchrum vocatur, quod visui placet: Ergo cùm Deus sit in seipso bonitas infinita, omnium bonorum perfectionem simplicissimè possidens, à quô omnis veritas & illuminatio & cognitio; consequens est, quod ipse omni interiori visui intellectualium Creaturarum summè placeat; imò sibi summopere placet, complacentiâ infinitâ & seipsum perpetuò contemplatur, sicut bonum super-pulchrum & sicut pulchritudinem essentialem. *Tertiò*, quæ lucidiora & puriora apparent, pulchra vocantur: sed Deus non solùm lucens, & purus ac splendidus, sed etiam ipsa est lux æterna, incircumscripta & perfecta, & consequenter est pulcherrimus. *Quartò*: Pulchritudo est divinæ bonitatis radius, flos & purissima emanatio: sed Deus est ipsa bonitas: Ergo etiam est ipsa pulchritudo. *Quintò*: Pulchrum est quod ad se omnia allicit, quodque omnes desiderant: Vndè Platonici amorem pulchritudinis desiderium appellant: Deus autem omnia ad se convertit, utpote omnium finis, collium æternorum desiderium, & omnium suavissimus amor: Ergo est pulcherrimus. *Denique* Deus ipse cuncta pulchrificat, estque totius pulchritudinis principium: Ergo pariter pulchritudinis centrum: Vnde meritò canit Regius Psaltes nomine Dei, *Pulchritudo agri mecum est*: vel ut legunt Septuaginta, *Agri splendor mecum est*, utpote omnium pulchrorum fons perenni emanans effluxu. Quibus concinit Boetius,

Maximè verò ab ejus operibus.

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse,
Mundum mente gerens similique ab imagine formans.

Hanc ipsam ejus pulchritudinem ex illius operibus colligere licet; *De magnitudine enim operum*, scribit S. Hilarius lib. 1. & *pulchritudine Creaturarum consequenter generationum Conditor conspicitur. Magnorum Creator in maximis est, & pulcherrimorum Conditor in pulcherrimis; & , cùm sensum ipsum supergrediatur operatio, omnem tamen sensum longè necesse est excedat Operator:* paucis interpositis, *Nonne hujus ipsius pulchritudinis Dominum, necesse est totius pulchritudinis esse pulcherrimum & intelligi; ut cùm æterni ornatus sui species sensum intelligentiæ omnis effugiat, opinionem tamen intelligentiæ sensus non relinquat ornatus? Atque ita pulcherrimus Deus est confitendus, ut neque intra sententiam sit intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi.* Quasi diceret inde sublimiorem censendam esse Dei pulchritudinem quòd omnem sensum omnemque creatum intellectum longè transcendat. Cui concinit S. Augustinus lib. 11. de Civitate Dei cap. 4. *Exceptis*, inquit, *Propheticis, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus & factum se esse, & nonnisi à Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, & ineffabiliter pulchro fieri se potuisse proclamat.* Cui adstipulatur Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 4. *Vt ipsis vestigiis*, inquit, *revertatur homo ad Deum quibus aversus est: ut quia per amorem pulchritudinis Creaturæ à Creatoris forma se abstulit, rursum per Creaturæ decorem ad Creatoris revertatur pulchritudinem.* His itaque omnibus constat, Deum nedum esse pulcherrimum, sed etiam totius pulchritudinis centrum, fontem, & principium.

Conclusio Secunda.

PRÆSTANTISSIMA *& eximia Dei Pulchritudo maximè consistit in ordinatissima, & fulgentissima omnium illius divinarum perfectionum connexione, & summa identitate.* Hæc satis per se patet; firmaturque à simili ex corporea simul & spirituali Creaturarum pulchritudine. Diximus namque corporum pulchritudinem esse ordinatissimam partium corporis conjunctionem, cum fulgente coloris luce: Similiter spirituum pulchritudinem esse ordinatissimam eorum operationem, & perfectionum adunationem; adeoque etiam divina pulchritudo maximè consistit in omnium Divinitatis præcellentiarum ordinatissima ac micantissima adunatione & identitate.

Qualis sit Dei pulchritudo.

Eandem veritatem eleganter non minùs quàm subtiliter aperit Marcillus Ficinus in Convivio orat. 6. cap. 17. ubi corporum, animarum, Angelorum, & Dei diversam pulchritudinem, sic investigat & indigitat; *Corporis forma*, inquit, in multarum partium compositione consistit, loco adstringitur, tempore labitur: Species verò *Animi*, corporis quidem vicissitudines patitur, & partium continet multitudinem, sed à loci terminis est absoluta: *Angeli* autem species numerum habet solùm, à duobus aliis immunis existit: *Dei* autem pulchritudo nihil horum patitur. Corporis utique formam vides: visne animi quoque speciem intueri? detrahe corporalis formæ ipsius naturæ pondus limitesque locorum, relinque cætera; animi jam speciem habes. Vis Angeli pulchritudinem detegere? deme obsecro non loci spatia solùm, sed temporum quoque progressum, compositionem multiplicem retine, eam protinus nancisceris. Cupis etiam Dei cernere pulchritudinem? auferas insuper multiplicem illarum formarum compositionem: simplicem prorsus relinque formam, confestim Dei speciem assequeris.

Ejusque à corporea & spirituali discrimen.

Porrò corporum omnium pulchritudo, lumen istud est Solis quod vides, tribus illis constans, nempe formarum multitudine, loci spacio, temporali mutatione: Tolle sedem ejus immaterialem, ut præter locum reliqua duo retineat: hujusmodi prorsus est animi pulchritudo. Tolle hinc temporis, si lubet mutationem, mitte reliquum; lumen restat sine loco, sine motu clarissimum, sed omnium rerum insculptum rationibus: Idque Angelus est, & Angeli pulchritudo. Tolle postremò diversarum illum numerum idearum, unam simplicem, ac meram relinque lucem instar lucis ejus quæ in ipso Solis globo permanet, & per aërem non dispergitur; jam Dei pulchritudinem quodammodo comprehendis, quæ tantùm formas reliquas antecellit, quantùm lux illa Solis, in seipsa mera inviolata splendorem Solis per nubilosum aërem dijectum, infectum, obscuratum exuperat.

Quam egregiè divinam pulchritudinem investiget Marcillus Ficinus.

Præterea sicut Solis in aqua, umbra quædam est ad clarum ejusdem lumen in aëre: splendor in aëre, umbra ad lumen Solis eodem ipso in Sole refulgens: sic eadem est inter quatuor illas Corporis, Animi, Angeli, & Dei pulcritudines comparatio: Pulchritudo namque corporis umbra est pulchritudinis animæ: species animæ umbra formæ Angeli; forma Angeli, umbra pulchritudinis Dei. Ipse autem Solus sicut vera, & purissima lux est, ita perfectissima est pulchritudo; adeoque Solus omnem creatum amorem accendere simul & terminare debet.

Nimium itaque lugendi sunt mortales qui vana & fallaci caducaque rerum corporearũ pulchritudine demulcentur & detinentur; nec ad eam immortalem & omni nævo defæcatam pulchritudinem suspirant. Hinc meritò quilibet nostrûm cum Augustino exclamare potest, Soliloquiorum cap. 31. *Illuminasti me lux mundi, & amavi te; nemo quippe te amat nisi qui te videt; & nemo te videt, nisi qui te amat. Sed serò te amavi pulchritudo tam antiqua & nova: serò te amavi! Ecce intus eras & ego foris, & alibi te quærebam, & in ista formosa quæ fecisti deformis irruebam*: Unde pariter optimo jure exclamat S. Bernardus sermone de miseria humana, *Quid ergo quæris extra Deum, quid desideras præter illum? Quid tibi placet sine ipso? Ipse fecit omnia, ipse habet omnia, ipse est omnia. Quodcumque bonum cupis, quodcumque pulchrum quæris, totum in ipso invenies, & ipso perfrueris.*

Finit Tractatus primus Theologicus de Deo in se Existente.

TRACTATUS SECUNDUS.

THEOLOGICVS

DE DEO ESSENTIALITER OPERANTE.

VULGARE est Philosophicum effatum quod *operari sequatur esse*, & rei cujuslibet actio, & operatio ejusdem existentiam & essentiam necessariò præsupponat. Rationi itaque consentaneum est, & Scientiæ Theologicæ tradendæ metbodo valde congruum, ut qui hactenus in aperienda explicandaque divina Existentia, & Essentia suis omnibus præcellentiis & Attributis tam Negativis quàm Affirmativis omnem nostrum posuimus laborem; jam ad explicandas divinas Operationes tota nostra sese coovertat exercitatio. Cum autem Theologis compertum sit, duplicem esse divinam operationem, Aliam quam dicunt *Essentialem*, tribus videlicet adorandis Personis communem; Aliam verò, quam *Notionalem* appellant, quâ scilicet divina fœcunditas in Verbi divini & Spiritus sancti productione exuberat & effunditur; hoc in tractatu, priorem solam aospicamur explanandam; posteriorem autem in Tractatu de Trinitate, recto justoque ordine transmittimus referandam.

Præsentis Tractatus scopus & distributio.

Quoniam autem duplici Deus illustratur activa, & operativa potentia, Intellectu videlicet, & Voluntate; ut exacta, & accurata utriusque divinæ facultatis, & operationis habeatur notitia, præsentem Tractatum tres ioDisputationes distribuemus: quarum *Prima*, illa omnia quæ divinum intellectum spectant, aperiet: *Secunda* divinæ voluntatis operationem virtutem, & characteres referabit: *Tertia* denique operationes intellectui simul ac voluntati communes, nimirum Providentiam tam generalem circa Creaturas quaslibet, quàm specialem circa singulas Creaturas ratione prædiras suum in finem ordinandas, & dirigeodas per Prædestinationem, explanabit.

DISPVTATIO PRIMA.

De Intellectu Divino & Scientia Divina.

INTELLECTUS operationem voluntatis exercitium naturâ, aut ordine saltem antecedere, Philosophis omnibus compertum est, nihil enim volitum, quin præcognitum: ideoque recta justaque methodo priùs de divino intellectu, quàm de voluntate divina disserendum est: quod ut fiat planiùs & accuratiùs, præsentem Disputationem tres in Articulos distribuemus. Quorum *Primus* Intellectum ipsum, quatenus est operativus explicabit. *Secundus* varias illius intellectus operationes & scientias aperiet, seu intellectum divinum ut scientificum explicabit: *Tertius* denique ipsummet divinum intellectum ut *practicum*, seu ut ideis divinis fœcundatum, exponet.

Divisio hujus Disputationis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Intellectu Divino quatenus est potentia operativa.

NON levis est inter Theologos disceptatio, num in Deo admittenda sit intellectiva facultas, ab ejus essentia formaliter, aut virtualiter, aut saltem ratione distincta: illam qui propognant, non invicem de propriis ejus caracteribus & objecto consentiunt. Quocirca tres censuimus proponendas esse Quæstiones sequentes, in quarum *Prima* existentiam, quidditatem, & ab Essentia divina ipsius divini intellectus distinctionem resolvemus; in *Secunda* ejusdem divini intellectus objectum primarium; in *Tertia* vero ipsius objectum secundarium aperiemus.

QUÆSTIO PRIMA.

An, & quid sit Intellectus Divinus, seu Potentia Dei intellectiva.

NOTANDUM 1. potentiam intellectivam in Deo, posse trifariam usurpari: Primò *Præcisivè*, quatenus nimirum significat id cui non repugnat actu intelligere. abstrahendo videlicet ab eo quòd Deus actu intelligat, eò scilicet modò quò quis dicitur posse loqui, dum actu loquitur; non enim de facto loqueretur, nisi loquendi vim & capacitatem haberet: Secundò *Negativè*, quatenus nimirum negat actualem intellectionem; sicut enim quando Petrus dicitur posse esse actu, illa possibilitas negat actualem existentiam Petri, qui dum erit existens, non amplius erit possibilis; ita pariter ego possum actu intelligere id quod non intelligo actu: Tertiò denique *Activè* & *operativè*,

I. Potentia intellectiva in Deo trifariam usurpatur.

operativè, pro facultate vitaliter elicitiva actualis intellectionis. Hæc autem sic usurpata potentia, iterum triplex dicitur, nimirum. 1. *Productiva* quæ verè producit intellectionem, seu Verbum mentis tamquam terminum realiter à se distinctum. 2. *Receptiva* quatenus recipit intellectionem, seu Verbum mentis productum. 3. *Operativa*, quæ nimirum verè & realiter intellectionem actualem non producit: Sed est veluti fons & radix, unde ipsa immediata intellectio metaphysicè emanat, sicut attributa ab essentia immediatè effluunt. De hac præcisè solùm præsens movetur Quæstio, an videlicet talis in Deo sit admittenda facultas.

Notandum 2. Hoc esse discrimen inter intellectum & intellectionem, quòd ille sit actus primus intelligendi, seu activitas substantiæ spiritualis ad cognoscendum & percipiendum objectum intelligibile: hæc autem est actus secundus, seu ipsamet operatio substantiæ spiritualis, quâ de facto objectum intelligibile percipit. Ille autem dicitur *actus primus*, quia nimirum est prima ratio cur substantia spiritualis sit capax percipiendi objectum intelligibile: hæc autem dicitur *actus secundus*, quia nimirum emanat ab ipsamet vi & capacitate intelligendi velut effectus à causa: Unde prior non solùm dicitur *actus*, sed etiam *potentia*, eò quòd ordinetur ad ulteriorem actum, qui ab eo emanat, & eum ultimò perficit: Posterior verò simpliciter *actus* nominatur, quia nimirum est ipsius virtutis intellectivæ quasi forma eam ultimò perficiens in ratione intelligendi.

II. *Ad intelligendum tria desiderantur.*

Notandum 3. Ut aliquid dicatur intelligens & sciens in actu primo, tria solitò desiderari. *Primò* quidem ut habeat vim & activitatem, seu potentiam ad intelligendum. *Secundò*, ut habeat objectum intelligibile præsens vel per se immediatè, vel per vicariam sui speciem. *Tertiò* denique ut habeat facilitatem percipiendi tale objectum, sive per activitatem sibi innatam, sive per habitum comparatum. An autem hæc tria in Deo reperiantur saltem secundùm aliquam proportionem & similitudinem, invicem non consentiunt Authores; *Quidam* namque volunt in Deo præter objectum intelligibile, etiam necessariò prærequiri aliquid quod habeat rationem speciei intelligibilis determinantis intellectum ad perceptionem objecti. Volunt item *Aliqui* etiam admittendam esse quandam formalitatem per modum habitus quâ divinus intellectus promptè & expeditè percipiat objectum intelligibile. Tria sunt itaque hac in quæstione resolvenda. Primum, an sit aliqua virtus intellectiva in Deo, tum ab essentia, tum ab actuali intellectione formaliter distincta. Secundum, an hæc virtus concipi debeat complenda per speciem impressam aut habitum, antequam concipiatur actualis intellectio. Tertium, an hæc divina virtus intellectiva varios ac multiplices habeat actus, an verò unicum simplicem & indistinctum realiter.

Quæstionis suas in partes distributio.

CONCLUSIO PRIMA.

III. *Virtus intellectiva in Deo ab essentia distinguitur formaliter.*

ADMITTENDA *est in Deo virtus intellectiva ab Essentia divina & intellectione formaliter distincta.* Hæc est expressa Doctoris sententia ut colligi potest ex variis ejus assertionibus quas in longum refert Smsing. *Tract.* 3. *disp.* 2. *num.* 13. Primò quidem quod intellectus ut est vis, & potentia intellectiva distinguatur formaliter ab Essentia divina, apertè indicat Doctor in primum *dist.* 13. ubi ait, *Personas, & productiones divinas esse formaliter distinctas seipsis, & tamen principiativè, seu origine distingui à suis principiis*, intellectu, scilicet & voluntate, *quæ non tantùm distinguuntur ratione, sicut argutum est contra penultimam opinionem, sed intellectus formaliter non est voluntas ex natura rei: Ergo pariter Essentia propter paritatem rationis.* Insuper d.st. 26. quæstione unica *Productio non convenit soli Essentiæ ut Essentia est, tanquam productivo; sed etiam intellectui, & voluntati tanquam principio productivo cum Essentia.*

Ut evincitur ex Doctore Subtili.

Quibus Doctor apertè duo fatetur, primum quidem vim intellectivam in Deo habere rationem principii seu potentiæ: Secundum autem illam potentiam esse ab essentia distinctam. Quod confirmatur ex eodem *distinctione* 8. *quæstione* 4. maximè autem *quæstione* 2. *quodlibetica in* 3. *responsione ad primam sententiam*, ubi docet Essentiam divinam esse principale, non tamen totale principium productionis ad intra; sed cum intellectu, & voluntate constituere unum & totale principium. *Si quæras*, inquit, *istorum duorum concurrentium in principio formali nonne alterum est principium formale & reliquum concomitans: Ergo ab illo altero formali, vel diceretur principium formaliter idem, vel omnino alterum. Respondeo, duo quæ concurrunt in principio, scilicet memoria perfecta, essentia & intellectus, & in voluntate perfecta, voluntas & objectum diligibile præsens; non se habent per accidens, nec sicut remotum principium & propinquum: sed totum hoc, intellectus infinitus habens objectum infinitum intelligibile sibi præsens, est per se unum* (totale) *principium; ita quod alterum sine altero non est principium producendi: & ideo est unicum totale principium simpliciter productivum non distinctum in duo principia productiva per accidens sese concomitantia. Similiter de voluntate & objecto respectu spirationis, & consimiliter de terminis respectu productionum. Si quæras quare non potest Essentia sola, ut distinguitur contra voluntatem & intellectum, esse principium communicandi se? Respondeo essentia mere intellectualis, non est principium alicujus productionis, nisi ut coincidit cum memoria & voluntate.*

Quòd autem etiam censeat vim intellectivam ab actuali divina intellectione distingui, apertè satis indicat *in primum distinctione* 2. *quæstione* 2. ubi probat intellectum, & voluntatem realiter indentificari Essentiæ divinæ quia intellectio & volitio ipsimet divinæ Essentiæ realiter identificantur; cùm tamen intellectio & volitio ordine rationis posteriores sint intellectu & voluntate, *Velle*, inquit, *intelligitur quasi posterius voluntate; si ergo velle est idem illi naturæ, multò magis voluntas*, Idem de intellectu subdit, *Rationem intelligendi esse ex se necesse esse, si intelligere* (hoc est intellectio) *actuale sit necesse esse; ratio enim intelligendi se quasi præintelligitur ipsi intelligere.* Quibus Doctor apertè indicat, intellectionem, & vim intelligendi ex natura rei esse distinctas. Patet idipsum ex innumeris prope modum ejus textibus, maximè in primum *distinctione* 2. *quæstione* 7. & *distinctione* 13. *quæstione unica* ad secundum principale, & *distinctione* 35. *quæstione unica*, ad se-

cuodum, & *quodlibeto* 1. *articulo* 3. ubi disertè affirmat intellectum, & voluntatem esse potentias & actus primos, non tantùm productivos respectu Personarum procedentium in Deo; sed etiam operativos respectu actûs intelligendi & volendi essentialis communis tribus adorandis Personis.

Et ratione Theologica.

Hæc eadem veritas probatur ratione: Primò quidem quòd potentia intellectiva distinguatur formaliter ab Essentia divina, jam satis superque probatum est, ubi egimus de distinctione formali divinorum attributorum ab Essentia divina. Quod pariter hæc divina virtus intellectiva ab actuali intellectione formaliter distinguatur, etiam apertè patet, Tum quia plura justificantur de intellectu divino quæ intellectioni actuali non conveniunt; nam intellectus est ratio quare in Deo sit intellectio, quod ipsimet intellectioni non quadrat; idem enim non est ratio sui ipsius. Insuper intellectio denominat Deum intelligentem; intellectus autem solùm eum denominat intellectivum: Ergo non sunt idem. Denique intellectus est principium cum Essentia divina processionis Verbi, quod intellectioni non convenit: Ergo intellectus & intellectio distinguuntur.

Secundò ut verè intelligatur intellectiva potentia in Deo per modum actus primi, sufficit quod concipiatur vis intelligendi absque eo quòd concipiatur Essentia divina, & actualis Dei cognitio: sed possumus intelligere eam illam vim non cogitatâ ipsius essentiâ & intellectione actuali: Ergo verè intelligi potest in Deo potentia intellectiva distincta ab essentia & actuali intellectione. *Minor* patet: Ut enim talis virtus intellectiva concipiatur, sufficit quod apprehendatur Deus quatenus nimirum est substantia spiritualis prædita virtute intelligendi & volendi, non attendendo ad ejus essentialia prædicata, nec ad actualem ejus cognitionem.

Tertiò potentia intellectiva est perfectio simpliciter simplex nullam in suo conceptu involvens imperfectionem: Ergo est in Deo asserenda: Patet consequentia; Deus enim, ut jam abunde probatum est, omnes omnino perfectiones simpliciter simplices formaliter complectitur. Probatur *antecedens*: Melius est enim habere vim intelligendi quàm non habere, & omnes illæ imperfectiones quæ creatam intellectionem circumstant, putà quòd sit actus realiter à facultate intellectiva distinctus, & in ea receptus per modum qualitatis, facilè possunt à divina intellectiva virtute removeri: adeoque nihil obstat quominus hæc divina vis intelligendi censeatur esse perfectio simpliciter simplex.

Denique, si quid officeret quominus potentia intellectiva Deo tribueretur, maximè quia cùm Deus sit purus actus, ipsum omnis potentia dedecet; & consequenter etiam ipsi repugnat potentia intellectiva: sed hæc ratio nulla est: siquidem fatentur omnes Adversarii, in Deo reperiri intellectum per modum potentiæ productivæ Verbi divini, quidni ergo etiam reperiri posset potentia intellectiva: non quidem productiva intellectionis, sed tantùm illius operativa, seu perfectio illa ex qua velut à radice alia perfectio metaphysicè emanat; eô scilicet modoquô attributa divina ab essentia pro-

A fluunt, & ab ea distinguuntur.

IV. Objicitur S. Maximus Martyr.

Dices 1. Sanctus Maximus Martyr, *part.* 1. *tit.* 3. disertè affirmat omnem à Deo removendam esse intellectivam potentiam & intellectionem, *Deus*, inquit, *neque intelligens dicitur propriè, neque intellectus, ne compositus existimetur; nam & quod intelligens est, secum unà consideratam habet intelligendi facultatem: & quod intelligitur, ad hoc ipsum ut intelligatur, eandem habet facultatem: Sed neque intellectio dici potest, nam intellectio naturâ suâ subjectam habet capacem sui substantiam. Quare superest ut supra hæc omnia constituatur.*

Sed solvitur & explicatur.

Respondeo: Ipsum esse intelligendum de intellectu per modum potentiæ receptivæ intelle- B ctionis accidentalis ab ea realiter distinctæ, similiter de intellectione quæ sit qualitas accidentariò afficiens & perficiens potentiam intellectivam à qua producitur, & in qua recipitur: non autem de potentia intellectiva & intellectione solùm formaliter ab Essentia divina distincta, ipsique realiter identificata: Unde subdit, *Nisi fortè illum intellectionem esse dicamus; ut sit ipsa intellectio secundùm substantiam, ac totum intellectio, & solum intellectio, & intellectio supra intellectionem.*

Objiciunt 2. Quidquid divinam simplicitatem, puritatem, & infinitatem excludit, in Deo non debet admitti: sed si actus primus intelligendi C propriè dictus, sit in Deo, etiam per rationem, & si sit potentia intelligendi propriè sumpta & prout distinguitur ab actu secundo, excludit hæc tria: Ergo actus primus intelligendi propriè dictus non est in Deo etiam per rationem. Probant *Minorem*: Illud quod essentialiter includit receptionem & distinctionem, excludit simplicitatem, puritatem, & infinitatem: actus primus intelligendi propriè dictus essentialiter includit distinctionem & receptionem: Ergo excludit simplicitatem. *Probant Minorem*: Actus primus intelligendi prout distinguitur ab actu secundo, constituitur formaliter per vim productivam & receptivam intellectionis: sed D vis productiva & receptiva intellectionis formaliter includit distinctionem & receptionem, nam ubi est productio ibi est distinctio realis: Ergo actus primus intelligendi propriè dictus formaliter dicit receptionem & distinctionem. Probant *Majorem*: Actus primus intelligendi constituitur per aliquid quod non potest esse illi commune cum actu secundo intelligendi: sed nihil aliud convenit actui primo, quod actui secundo non conveniat præter virtutem productivam & receptivam: Ergo per illas constituitur actus primus intelligendi.

V. Intellectiva in Deo facultas ipsius simplicitati non officit.

Nego minorem: Et ad omnes illius probationes dico Adversarios in his assignandis longè à E vero exorbitare, nec nostram sententiam assequi; non enim asserimus intellectum divinum esse productivum & receptivum intellectionis, sed tantùm operativum esse, & veluti originalem perfectionem, à qua intellectio, veluti rivulus à fonte & radius à Sole effluit; eô scilicet modò, quò divina attributa emanant ab essentia; cùm ergo attributa nullatenus divinæ simplicitati, puritati, & infinitati officiant, nec pariter quidquam officit intellectivæ potentiæ ab essentia & intellectione formalis distinctio.

Objiciunt 3. *ex Aureolo*: Essentia divina non minùs est eadem cum sua intellectione, quàm aliqua qualitas sit eadem cum intel-

lectione creata : sed quædam qualitas est formaliter eadem cum intellectione creata: Ergo pariter intellectio divina est eadem formaliter cum essentia ; adeoque non datur in Deo potentia intellectiva à qua hæc intellectio emanet.

VII. Strictior potest esse aliqua identitas conceptus creati, quàm increati.

Nego majorem: Falsum enim est non posse strictiorem reperiri identitatem in conceptu creato quàm in increato : Major enim est & strictior identitas, inter hominem & humanitatem quàm inter divinam Essentiam & Paternitatem divinam : Ergo licet aliqua qualitas sit eadem formaliter cum intellectione creata, exinde non sequitur intellectionem divinam eandem esse formaliter cum Essentia divina.

Vrgent ex eodem: Divina Essentia est formaliter vivens : Ergo & formaliter intelligens & volens ; & consequenter intellectio & volitio ab Essentia divina formaliter non discrepant. Patet prima sequela, quia vita intellectualis non consistit in alia operatione, quàm in intellectione & volitione. Patet etiam secunda : Si enim intellectio formaliter ab essentia distinguatur, hæc non erit formalis intellectio, adeoque nec vivens intellectione formaliter ; vivens enim formaliter non distinguitur à sua vita. Probatur *antecedens*: Divina enim Essentia ratione suæ infinitatis involvit omnem perfectionem quæ est absque imperfectione, vita autem nullam imperfectionem includit: Ergo Essentia divina formaliter est vivens.

VIII. Quomodo Essentia divina sit formaliter vivens.

Distinguo antecedens: Essentia diuina est formaliter vivens, si vita formalis accipiatur pro primario actu vitalis operationis cum ipsa, seu pro principio vitæ, concedo: Si sumatur vita pro ipsamet vitali operatione quæ est intellectio & volitio, nego : Sic enim Essentia divina non formaliter, sed identicè solùm dicitur vivens, quia scilicet operationes vitæ, quæ sunt intellectio & volitio, ab ea non distinguuntur realiter, sed ipsi identificantur.

Instant iterum ex eodem : Si volitio & intellectio non sint formaliter idem cum Essentia divina, hæc erit in potentia ad intellectionem & volitionem, adeoque non erit actus purus & ultimus : Non quidem actus purus, quia potentialitatem involueret ; Nec etiam actus ultimus, quia diceret ordinem ad ulteriorem actum, nimirum ad intellectionem & volitionem à quibus determinaretur & perficeretur: sed consequens est absurdum : Ergo & antecedens.

IX Distinctio formalis in Deo non impedit quin sit actus purus.

Distinguo majorem : Essentia divina non foret actus purus realiter & quatenus actus opponitur potentiali existentiæ, nego: Non esset actus purus formaliter, quatenus nimirum ordinaretur ad aliquam formalitatem quæ ab ipsa emanaret, & ipsam identicè perficeret, concedo : Similiter non esset actus ultimus, hoc est, diceret ordinem ad aliquam formam realiter ab ipsa distinctam, nego : Non esset actus ultimus, hoc est, daretur aliqua formalitas ab illa divina Essentia profluens ipsamque identicè perficiens, & quæ esset realiter ipsamet Essentia, concedo : & sic nego minorem : nam ut jam diximus de atributis divinis, nulla est in Essentia divina imperfectio, quòd habeat attributa formaliter à se distincta & sui perfectiva.

Objiciunt 4. Idcirco in Creaturis datur potentia quæ sit principium actionis distinctum ab essentia creata, quia hæc essentia ratione suæ finitæ perfectionis & limitatæ entitatis, non potest esse immediatum principium suæ operationis : sed essentia Dei est infinita : Ergo ipsa immediatè est principium operationis. *Confirmatur*, sicut in Creaturis proprietates immediatè ab essentia profluunt, cùm intellectio divina actualis strictiorem habeat unitatem cum Essentia divina, quàm proprietates creatæ cum essentia sua ; consequens est quòd illa actualis divina intellectio, etiam immediatè ab Essentia divina profluat, adeoque non datur aliqua potentia intellectiva media inter intellectionem & divinam essentiam.

Respondeo 1. Hoc argumentum nimis probare; exinde enim sequeretur, quòd ipsamet Essentia divina dici posset immediatum principium Personarum divinarum, sicque Filius & Spiritus sanctus immediatè procederent à Natura divina, non autem mediantibus intellectu & voluntate, quod apertè negant omnes Theologi contra Durandum.

Respondeo 2. Discrimen hoc esse inter operationes & proprietates ; quòd operationes & actus non sint immediatè perfectiones essentiæ sicut sunt proprietates, sed immediatè perficiunt potentias à quibus oriuntur, & mediantibus potentiis essentiam afficiunt, & perficiunt. Quamquam enim ab ipsa essentia remotè profluant, nihilominus quoniam diversæ sunt operationes intellectio & volitio, idcirco assignandæ sunt etiam diversæ potentiæ, seu rationes à quibus emanent & distinguantur: volitio enim, v. g. aliter provenit ab essentia quàm intellectio ; nam volitio emanat ab essentia, ut est appetitiva, intellectio autem ut est intellectiva. Quò fit ut assignanda sint necessariò duo principia proxima distincta, & immediata quorum unum sit appetitivum, aliud autem intellectivum, seu intellectus & voluntas, quæ scilicet principia ab Essentia divina, & suis operationibus formaliter distinguantur. X. Discrimen inter proprietates & operationes.

Objiciunt denique quidam Scotistæ : Doctorem Subtilem nostræ senentiæ directè adversari, ipse namque in 1. *dist.* 26. *quæst. unica num.* 15. negat intellectum, & voluntatem esse attributa divina, sed dicit ipsamet esse Dei essentiam, Deumque essentialiter intelligere, & velle, *Essentia divina, inquit, circumscripto omni eo quod est quasi qualitas, habet in se, ut essentia est, illa quæ sunt principia propria operationis convenientis Deo ; hujusmodi sunt intelligere, & velle. Concedo igitur quòd propriè vocando attributa illa sola, quæ quasi qualitates perficiunt in esse secundo rem præsuppositam in perfecto esse primo, scilicet quantùm ad omnem perfectionem quæ convenit ei, ut est substantia, hoc modò intellectus, & voluntas non sunt attributa, imò sunt quædam perfectiones intrinsecæ in essentia ut præintelligitur omni quantitati & qualitati.* Et paulò post, *cùm intellectus sit quædam vita, & voluntas quædam vita, non erunt propriè attributa.* Et rursum : *Sicut rationalitas non est attributum homini, sic non intellectualitas huic essentiæ.* Denique *intellectualitas*, inquit, *dicit modum intrinsecum hujus : propriè autem attributa sunt sapientia, & charitas & alio modo transcendentia, putà veritas & bonitas.* XI. Objicitur Doctoris Subtilis auctoritas.

Similiter In quodlibetis quæst art. 1. §. de altero termino, ait, *Intellectualitas est idem essentialiter Essentiæ divinæ, sic intelligendo*

temporalia sunt, æterno modo, & quæ facta sunt A *infecto.*

Hujus autem veritatis ratio aperta est, tum quia actus divini intellectûs cùm sit infinitus, æquivalet omnibus omnino objectis etiam infinitis tam intensivè, qualis est Essentia divina, quàm extensivè, si nempe Creaturæ possibiles si numerô infinitæ. Tum quia cùm Deus sit omnino invariabilis, non potest alternantes actus babere & ab una cognitione in aliam transire. Tum denique quia nulla apparet ratio quæ suadere possit divinæ cognitionis entitativam multiplicitatem: Ergo non est admittenda.

Quæcumque hanc adversus Conclusionem possunt objici, partim soluta sunt ex dictis de B Immutabilitate divina; partim verò solventur ex dicendis de Invariabilitate divinæ scientiæ: idcitco sit.

Quæstio Secunda.

Quodnam sit objectum primarium Divini Intellectus?

Fide nedum, sed etiam naturali ratione constat Deum seipsum cognoscere, onde Christus Matthæi 11. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius:* Et primæ ad Corinthios 2. *Spiritus omnia scrutatur etiam* C *profunda Dei.* Quæ veritas Gentiles Philosophos non latuit; Alcinoüs namque cap. 10. Platonicorum sententiam exprimens, ait: *Quoniam prima meus præstantissima est, necesse est præstantissimum ei intelligibile propositum esse; nibil autem seipsa præstantius habet: quare seipsam uotionesque suas semper intelligit:* Id ipsum aperta alia suadet ratio; cùm enim omnia Deus à se distincta clarè & iotultivè cognoscat, consequens est ut seipsum maximè intueatur: sibi namque nedum est intimè præsens, sed etiam objectum summè proportionatum, otpotè infinitum intelligibile intellectui infinitæ activitatis & vivacitatis sibi propositum: Unde eleganter ait Synesius, Deus sui ipsius oculus est, quia seipsum D & sua omnia per seipsum immediatè intuetur. Solum itaque hic restat examinandum qualiter Deus seipsum cognoscat; quod ut pateat evidentiùs.

I. *Notandum primò*, quod sicut in cognitione Creata sic & in Increata distingui potest duplex objectum, *Materiale* videlicet & *Formale*; Idque vel *primarium*, vel *secundarium*: Rursus vel *motivum*, vel *terminativum*. Materiale quidem est id quod cognoscitur, formale verò est illa specialis objecti ratio sub qua percipitur, quæque cognitionem specificat eamqoe distinguit ab alia ejusdem objecti cognitione secundùm E alteram formalitatem in ipso cognoscibilem: Primarium dicitur quod cognoscitur præcisè ratione sui: Secundarium autem quod percipitur tantùm tatione connexionis quam habet cùm alio. Denique Motivum est ratio movens intellectom ad banc objecti cognitionem & eorum quæ in ipso sunt: Terminativum autem est ipsamet objecti entitas in quam cognitio iutellectus tendit. Hìc sermo est de objecto primario materiali tam motivo quam termioativo divini intellectus, secundarium autem assignabimus io quæstione sequenti.

Naturaliter constat Deum cognoscere.

Multiplex divinæ cognitionis objectus.

II. *Nosandum secundò*: Varia esse Theologorum placita de primario divini intellectus objecto; *Quidam* enim affirmant illa omnia quæ formaliter in Deo sunt, sive essentialia sive attributiva, sive absoluta sive relativa, objecti primarii rationem sortiri: *Nonnulli* docent essentiam simul cum attributis objectum esse primarium divini intellectus; relationes verò divinas inter objectum secundarium esse reponendas. *Alii* deniqoe contendunt Essentiam divinam, quatenus præscindit ab attributis, estque fons & origo unde perfectiones divinæ effluunt, solam objecti primarii appellationem sibi vendicare. Certum quidem est Essentiam divinam meritò affirmari primarium divini intellectus objectum non solùm primitate dignitatis, quia cum sit omnium divinarum perfectionum fons & origo, etiam præcipuum est eatum caput; sed etiam primitate ordinis naturæ. Eatenus enim unumquodque censetur esse intelligibile, qoatenus est, maximè respectu intellectus infinitè perfecti qui necessariò cognoscit omnia eo ordine quô sibi rationem entis & intelligibilitatis vendicant: quâ ratione Deus primò concipi potest à nobis mortalibus suam Essentiam cognoscere, tum Attributa, deinde Relationes divinas, demum Creatutas possibiles, tandem Creatutas actuales, ut docet Doctor in *primum dist. 35. num. 10. & q. 14. quodlibetica*, Solùm itaque movetur præsens quæstio de objecto primario motivo divini intellectus tum ad cognitionem Deitatis, tum ad perceptionem eorum omnium quæ in ipsa Divinitate continentur.

De primario divini intellectus objecto varia placita.

Status quæstionis.

III. *Notandum tertiò:* Hoe esse discrimen inter cognitiones quibus res aliqua dicitur in seipsa, vel in alia, vel ex alia cognosci: quòd cognoscatur *in seipsa*, qoando sibi ipsi est primaria & sufficientissima ratio, tum ad sui, tum ad eorum quæ in ipsa sunt, exactam perfectamque cognitionem habendam: Dicitur *in alia* cognosci, quando cognoscitur illud directè in quo res ipsa cognoscenda continetur; sic v. g. cognitâ directè essentiâ, indirectè cognoscuntur proprietates ab illa emanantes, & directè cognitâ causâ, inditectè detegitur effectus cujus est gravida: Tandem aliquid censetur *ex alio* cognosci, quando nimirum unius cognitio alterius cognitionem gignit, sic conclusio cognoscitur ex præmissis; præmissæ namque cognitæ causant ipsius conclusionis cognitionem & assensum. Quibus prænotatis duo sunt maximè hac in quæstione resolvenda: Primum quidem quodnam præcisè babeat rationem objecti primariò moventis & determioantis divinum intellectum: Secundum autem qoomodo Deus seipsum cognoscat, an videlicet solùm in seipso, an ex Creaturis, vel etiam in Creaturis.

Aliud est rem cognosci *in seipsa*, aliud *in alia*, aliud *ex alia*.

Conclusio Prima.

IV. Essentia *divina est objectum primarium motivum intellectûs divini, tum ad sui, tum ad creaturarum cognitionem.* Hæc est expressa Doctoris sententia, ut colligi potest ex variis ejus textibus maximè *q. 3. Prologi num.* 13. ubi expresse docet Essentiam divinam esse primum objectum totius Theologiæ seu Scientiæ Dei: *Totius*, inquit, *Theologia in se & Dei & Beatorum, primum subjectum est Essentia ut hæc.* Id est præcisè quatenus Essentia est & prout præscindit ab his omnibus quæ in ea continentur, vel for-

Essentia divina est objectum primarium divini intellectus.

Conclusio Secunda.

VIII. Deus in seipso se & alia novit.

DEvs *cognoscit se in seipso, non autem in alio, nec ex alio.*

Probatur primò ex sanctis Patribus, maximè ex S. Dionysio cap. 7. de divinis Nominibus ubi ait, *Divinam mentem ea quæ sunt, non ex iis quæ sunt discentem nosse; sed ex se & in se; & causam rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque anticipatam, & ante-comprehensam habere: non quod per speciem singula consideret, sed quod uno causæ complexu omnia sciat:* Cui concinit S. Augustinus *lib. 83. quæstionum q. 46.* dicens, *Deum nihil extra se intueri, sed in se tanquàm in causa omnium.* Hi tamen textus non denegant Deum etiam cognoscere Creaturas in seipsis, ut sequenti quæstione, conclusione secunda, apparebit.

Probatur secundò ratione: Modus præstantissimus cognitionis Deo tribuendus est: sed præstantius est cognoscere seipsum & alia in se; sic enim cognitio minùs est dependens, adeoque præstantior: Ergo hic Deo tribuendus est. *Deinde* Essentia divina cum sit infinitum essendi pelagus, & omnia omnino contineat aut formaliter, aut virtualiter, aut eminenter, consequenter omnia divino intellectui per se cognoscenda exhibet: Ergo Deus in se seipsum & omnia alia videt. *Deinde*: Si Deus cognosci posset in alio & ex alio, ejus cognitio esset dependens & discursiva; dependens quidem; quia id in quo cognosceretur haberet rationem objecti primarii, ad cujus cognitionem Deus tanquam objectum secundarium perciperetur: foret etiam discursiva, discurrere enim nihil aliud est quàm unius cognitionem ex alterius cognitione inferre: sed utrumque est absurdum, Deumque summè dedecens, Ergo, &c.

Dices 1. Deus cognoscit Creaturas comprehensivè: Ergo pariter cognoscit respectum & ordinem essentialem, quem dicunt ad Creatorem: sed hic respectus cognosci nequit, quin cognoscatur Deus qui est terminus hujus cognitionis & ordinis: Ergo Deus seipsum in Creaturis cognoscit.

IX. Licet Creaturas comprehensivè cognoscat.

Respondeo negando ultimam consequentiam, ex eo enim tantùm sequitur quòd Deus seipsum cognoscat cum Creaturis, non verò quod se cognoscat in Creaturis. *Vel distinguo*, quisquis Deum cognoscit ut terminum dependentiæ, quam Creaturæ habent ad Deum, Deum cognoscit in Creaturis, si cognoscat illam Creaturam in Deo ut objecto primariò, & motiuo negatur: si cognoscat illam Creaturam in seipsa ut objecto secundario, concedo: Fateor equidem quod cùm Angelus, v. g. cognoscit Creaturam dependentem, etiam revera cognoscit Deum in Creatura; quia cognoscit Creaturam ut objectum primarium movens ad cognitionem Dei. Secus est autem de Deo, qui cognoscit Creaturam dependentem tanquam objectum secundarium: sed in seipso tanquam in medio, & in objecto primariò.

Dices 2. Licet Deus cognoscat effectum creatum in seipso, nihilominus illum etiam cognoscit in causa illius effectûs productiva: Ergo à simili, licet cognoscat causam in seipsa, nempe seipsum rerum omnium Creatorem; nihilominus cognoscere etiam se poterit ut causam in

A Creaturis & effectibus à se productis, & consequenter seipsum cognoscere poterit in aliis à se distinctis.

Distinguo consequentiam: Ita se cognoscere poterit tanquam in objecto movente primariò & explicitè, nego: secundariò & quasi implicitè, concedo: Cum enim Creatura habeat respectum intrinsecum ad Deum, ipsa cognita implicitè movet ad Dei cognitionem.

Quæstio Tertia.

Quodnam sit objectum secundarium Divini Intellectus?

B

DUplex in præcedenti quæstione diximus esse secundarium divini intellectus objectum, unum quidem *Increatum*, aliud verò *Creatum*. In priori ordine sunt omnes Essentiæ divinæ perfectiones omnesque relationes originis, quæ divinam essentiam circumstant. Licet enim hæc habeant rationem objecti terminantis, quippe cùm divina cognitio ad ipsam entitatem Deitatis terminetur, adeoque etiam terminetur ad ea omnia quæ ipsi Divinitati realiter identificantur; Non habent tamen rationem objecti primariò moventis; nam, ut probatum est, hæc ratio soli divinæ Essentiæ ut essentia est quadrat. In posteriori verò ordine,
C sunt omnes Creaturæ sive secundùm suum esse ideale, sive entitativum & reale. De his solùm hîc erit sermo, an videlicet Deus distinctè & sigillatim quaslibet etiam exiles & minimas Creaturas intueatur, idque, vel in se, vel in illis, sed priùs.

Notandum 1. Non levem apud veteres fuisse controversiam, an Deus cunctas Creaturas intueatur; nedum enim scelerati homines, ut suis effrænatis cupiditatibus libentiùs indulgerent, omnem rerum mundialium Deo cognitionem denegaverunt, dicentes apud Jobum cap. 22. *Circa Cœli cardines perambulat, & nostra non considerat*: Nec-non Psalmistam 71. *Quomodo scit Deus, & si est Scientia in Excelso?*
D Sed etiam oculatiores quique Philosophi gravissimum hunc impegerunt in errorem, ut assererent exilium & minutarum creaturarum cognitionem Deum dedecere. Id imprimis ipsemet docuit Aristoteles 12. Metaph. textu 51. ut eum intellexit Doctor Subtilis: Et Averroës, affirmans Commentariô in citatum Aristotelis locum, *Quod intellectus divinus vilesceret si hæc infima cognosceret*: Imò quod valde mirandum est, eam etiam in opinionem lapsi videntur, nonnulli è sanctis Patribus, quos infra objiciemus & explicabimus. I.

I. Nedum scelerati homines, sed etiam Philosophi Deo cognitionem rerum minimarum denegârunt.

E Sciendum pariter quòd ii omnes, quibus ratum est omnes omnino Creaturas à Deo cognosci, non eandem in sententiam conveniant de modo, quô Deus illas percipit; Quidam enim censent Deum Creaturas possibiles non cognoscere in seipso, sed in illis ipsis, quam sententiam nonnulli Thomistæ Subtili Doctori falsò tribuunt. Aliqui cum Aureolo, in 1. *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 2, affirmant Deum Creaturas in se cognoscere, non verò in illis ipsis; ita quòd solùm earum esse virtuale & eminentiale, non autem formale & entitativum percipiat: Cæteri denique docent Creaturas à Deo cognosci, non solùm in seipso, sed etiam in illis ipsis; quid II.

II. Non omnes conveniunt de modo, quô Deus cognoscit Creaturas.

autem veriùs in hac ancipiti Doctorum sententia nobis appareat, hîc erir resolvendum.

III. *Notandum* 2. Ex Philosophis duplex esse objectum intellectus & voluntatis *motivum & terminativum*; in quibus licet motivum etiam terminet, terminativum tamen quod purè est ejusmodi, non movet. Exempli gratiâ, amat quis Doctrinam; hîc Doctrina est objectum terminativum, cùm terminet actum voluntatis; & simul est motivum, nam ex vi hujus actus movetur is ad doctrinam prosequendam, & media ad illius consecutionem adhibenda. Unde nullum est objectum motivum quod simul non sit terminativum. At verò quando quis in tempestate merces projicit in mare, merces quidem sunt objectum terminativum illius actus, non tamen motivum; Imò movent potius ad contrarium & reddunt actionem illam aliquo modo involuntariam. Id verò quod movet ad projectionem mercium, est bonitas & amor vitæ. Finis itaque est objectum motivum, media plerumque terminativum.

Objectum voluntatis duplex *motivum & terminativum*.

Nullum omnino est objectum motivum, quod simul terminativum.

IV. *Notandum* 3. Creaturas existentes aut futuras & præteritas habere triplex esse, nimirum *Eminentiale* in Essentia divina, quæ cum sit omnium entium præstantissimum & fons & origo, etiam omnia entia eminenter continet: Secundum *virtuale*, quod habent in sua causa videlicet in omnipotentia divina, quæ est omnium productiva. Tertium denique *Entitativum* quod habent in seipsis. Quæritur autem in præsentiarum an Creaturæ à Deo cognoscantur, non solùm secundum earum esse eminentiale & virtuale quod habent in Deo, sed etiam penes esse entitativum quod habent in seipsis.

Creaturæ habent triplex esse in Deo.

CONCLUSIO PRIMA.

V. DEus *distinctissimè cognoscit omnes omnino Creaturas, etiam minutissimas.* Hæc est de fide, & probatur variis Scripturæ textibus: In primis enim Geneseos cap. 1. in ipsa rerum origine ac molitione dicitur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, qui Dei contuitus exactam rei cujusque notitiam, & approbationem significat. Item Job cap. 28. *Tempus*, ait, *posuit tenebris, & universorum finem ipse considerat; lapidem quoque caliginis, & umbram mortis*, Et ibidem, *Ipse fines mundi intuetur & omnia quæ sub Cœlo sunt respicit.* Item Psalmo 49. *Meæ sunt omnes feræ sylvarum, jumenta in montibus & boves. Cognovi omnia volatilia Cœli.* Rursus Psalmo 138. *Domine, probasti me & cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam, intellexisti cogitationes meas de longè semitam meam, & funiculum meum investigasti: Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima, & antiqua, &c.*

Deus cognoscit omnia etiam minutissima ut Scripturæ sacræ testantur.

Quibus Regius Vates, nedum divinam intelligentiam ad homines eorumque corpora & membra extendit; sed etiam ad quoslibet motus. Cui concinit Job 31. *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat:* Quæ omnia planissimè declarat Ecclesiasticus 23. ubi impium & peccatorem arguens, qui se impune ac ne Deô quidē consciô scelus patrare putabat: *Non intelligit*, inquit, *quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei hujusmodi hominis timor, & oculi omnium timentes illum; & non cognovit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam omnia crearentur, sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia.* Rursus cap. 39. *Opera omnis carnis coram illo; & non est quidquam absconditum ab oculis ejus, à sæculo usque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus.*

VI. *Secundò:* Mirum in modum hoc argumentum urgent sancti Patres maximè S. Cyrillus *lib. 15. Thesauri.* Item Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi sexta, exemplô guttarum pluviæ quas omnes novit, explicat latitudinem scientiæ divinæ: Unde Irenæus lib. 2. cap. 45. ait, *Omnia quæ facta sunt, fient, & fiunt, ita sciri video, ut det illis singulis, speciem, habitum, ordinem, numerum, quantitatem.* Quocirca *superbæ & insolentes cogitationes* (ait S. Hieronymus in Psal. 137.) *Deum non fallunt. Agnoscit omnia, & nihil scientia ejus impenetrabile est.*

Et SS. Patrum evincunt oracula.

VII. Imò hæc veritas Ethnicos non latuit; nam ut refert S. Clemens Alexandrinus *lib. 5. Stromatum*, Ægyptii aures oculosque exquisitâ materiâ fingentes, Diis consecrare solebant, ea in templis appendentes: ut per hoc significarent Deum omnia videre & audire. *Rursus* apud eundem lib. 6. Thales Milesius interroganti cuidam an quidpiam agens latere Deum homo possit, *Et quomodo*, inquit, *qui ne cogitans quidem:* Unde S. Augustinus adduci non potest, ut credat Aristotelem negasse Deo, rerum etiam minutarum cognitionem, eò quòd omnium sit Conditor; cum enim actiones circa singularia versentur, ait ipsemet Aristoteles *lib. 2. Ethicorum cap. 2.* Sufficere debet, ait S. Augustinus lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 13. *Ut quisque noverit, vel inconcussè credat, quòd Deus hæc omnia fecerit. Non enim opinor eum esse tam excordem, ut Deum, quæ non noverat, fecisse arbitretur.*

Nec-non & Philosophorum sententiæ.

VIII. *Objicitur* 1. S. Hieronymus, qui in illa verba Habacuc, *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum*, videtur scientiam singulorum animantium præter hominem Deo detraxisse, *Sicut igitur*, inquit, *in hominibus etiam per singulos, Dei currit providentia: sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem & ordinem, cursumque rerum intelligere possumus;* v. g. *quomodo nascatur piscium multitudo & vivat in aquis: quomodo reptilia & quadrupedia oriantur in terra, & quibus alantur cibis. Cæterùm absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur: quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo; quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum prædæ cadere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium quàm irrationabilium providentiam esse dicentes:* Ergo censet S. Hieronymus, Dei cognitionem ad omnes sigillatim Creaturas non extendi.

Objicitur in contrarium S. Hieronimus.

IX. *Nego consequentiam:* S. enim Hieronymus his verbis tantùm affirmat scientiam curamque dumtaxat benevolam & paternam non adhiberi brutis & inanimis, quam habet Deus de Hominibus & Angelis: seu ut ipse loquitur, rationabilium, quàm irrationabilium providentiam: tametsi enim ingenuè fatear ista meliùs concipi & exprimi ab Hieronymo potuisse;

Sed explicatur & solvitur.

non

Non tamen arbitror tantum virum latuisse id quod Christus ipsemet in Evangelio nos docuit, nempe singulorum asserum curam gerere Deum Matth.6. Imo ipsemet Hiero. in illud c.6. Matth. *Si parva*, inquit, *animalia & vilia absque Deo authore non decidunt, & in omnibus est providentia, & quæ in his peritura sunt sine Dei voluntate non pereunt; vos qui æterni estis, non debetis timere quòd absque Dei vivatis providentia.*

Dices 2. Si Deus sigillatim cognosceret Creaturas, deberet cognoscere Creaturas infinitas possibiles: sed illas non potest cognoscere distinctè & determinatè: *Tum quia* qui distinctè cognoscit infinita, etiam distinctè cognoscere debet id quod necessarium est ut sit infinitū: sed Deus non potest hoc cognoscere: sublatis enim centum creaturis possibilibus atque iterum & iterum centum, semper remanebit infinitus creaturarum numerus distinctè cognoscendus: *Tum quia*, si Deus cognosceret actu infinitas creaturas possibiles, sequeretur dari infinitum creatum actu, quia infinitæ illæ unitates essent simul actu distinctè in mente divina: sed hoc implicat; aliàs infinitum syncategorematicum esset infinitum categorematicum: *Tum denique quia*, Si Deus omnes v. g. continui divisiones videret distinctè, etiam videret continuum divisum in omnes suas partes, & consequenter videret redactum ad indivisibilia, quia videret non esse ulteriùs divisibile: sed hoc implicat, continuum enim est divisibile in infinitum: Ergo Deus non videt omnes omnino continui divisiones, nec consequenter videt omnes Creaturas sigillatim & distinctè.

X. Deus cognoscit Creaturas numerò infinitas.

Respondeo, Deum cognoscere distinctè ac determinatè quaslibet Creaturas possibiles etiam numerô infinitas, ut disertè probat S. Augustinus lib. 12. de Civitate Dei cap. 18. *Infinitas*, inquit, *numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cujus intelligentiæ non est numerus. Quapropter si quidquid scientiâ comprehenditur, scientis comprehensione finitur; profectò & omnis infinitas quodam ineffabili modô Deo finita est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis non est.* Itaque Deus nedum cognoscit infinitum: sed etiam cognoscit id quod necessariū est ut sit infinitum, quia cognoscit infinitas numerô unitates quæ infinitum numerô efficiunt. Nec exinde sequitur quod infinitum syncategorematicum sit categorematicum; quia licet actu omnes illius unitates repræsententur in mente Dei; nihilominus cùm cognoscantur ut sunt, nec aliam habeant rationem infiniti quàm sycategorematici, reverà illud infinitum categorematicum perseverat. Similiter Deus videt continui divisiones possibiles eô modô, quô sunt possibiles, atque adeo ita videt illas semper in infinitum esse divisibiles; nec determinatè videt ultimam, quia revera non est ultima, ultra quam alia non sit possibilis assignanda.

Quæ tamen non efficiunt infinitum categorematicum.

Dices 3. Omnis scientia dependet ab objecto tum in fieri, tum in conservari: sed Scientia Dei non potest à Creaturis dependere: Ergo Deus Creaturas non cognoscit.

Distinguo majorem, Dependet intrinsecè ab objecto motivo & terminativo primario, concedo: ob objecto terminativo tantùm & secundario minùsque principali quod nullatenus est motivum, nego. Ad minorem dico, Creaturas habere tantùm rationem objecti secundarii terminativi, seu minùs principalis respectu Scientiæ divinæ, quæ primariò & principaliter ad ipsam essentiam divinam terminatur tanquam ad objectum motivum & primariò terminativum.

Vrgebis: Scientia etiam mutatur ad mutationem objecti secundarii, ut confirmat Doctor pluribi: Ergo si Scientia Dei terminetur ad Creaturas etiam secundariò, consequens est ut ad Creaturarum mutationem ipsa mutetur: sed Scientia Dei mutari nequit, sicut nec ipse Deus: Ergo nec potest terminari ad Creaturas etiam secundariò.

XI. Mutatô objectô mutatur scientia solùm extrinsecè.

Distinguo antecedens: Mutatur extrinsecè & solùm denominativè, concedo; intrinsecè & formaliter, nego: Scientia enim divina semper in se invariabilis est intrinsecè, etiam quatenus terminatur ad Creaturas, Tum quia primò tendit in Essentiam divinam tanquam in objectum motivum & primariò terminativum: Tum quia etiam terminatur ad Creaturas quatenus in Deo sunt invariabiliter & habent esse objectivum & virtuale: Unde licet etiam hæc divina Scientia terminetur ad esse entitativum Creaturarum quod est variabile & mutabile; nihilominus cùm hæc terminatio sit omnino extrinseca, etiam & mutatio terminationis omnino erit extrinseca.

Dices 4. Per cognitionem rei, intellectus intentionaliter fit res cognita, ut ait Aristoteles 3. *de Anima*: sed Deus fieri nequit intentionaliter Creatura: Ergo nec creaturam cognoscere.

Distinguo majorem: Fit res cognita primariò & immediatè, concedo: Fit res quæ secundariò tantùm & mediatè cognoscitur, nego; Idcirco enim intellectus intelligendo fit omnia quæ intelligit; quia res non percipit nisi mediante specie intelligibili, vel objecto gerente vicem speciei intelligibilis, quæ est imago rei cognitæ ipsum intellectum informans & denominans: Cùm autem Deus non cognoscat Creaturas mediante specie impressa ab illis recepta: sed tantùm eas videat in sua Essentia vel in Omnipotentia, in quibus illæ Creaturæ relucent; hinc est quòd nō fiat id quod extra se cognoscit.

CONCLUSIO SECUNDA.

DEVS *cognoscit Creaturas in seipso, tanquam in medio priùs cognito*: Hæc est expressa Doctoris sententia, ut constat tum in quæstione 14. quodlib. Art. 2. ubi fusissimè & disertissimè probat divinum intellectum moveri solùm ab Essentia divina, tum ad sui, tum ad aliorum cognitionem. Item in 3. dist. 14. q. 2. num. 8. ubi inquirens an anima Christi videat in Verbo omnia quæ videt Verbum, respondet; *Potest dici quod Conclusio ista posset poni duobus modis; uno modo quod anima Christi haberet unam visionem respectu Verbi ut primi objecti, & omnium objectorum relucentium in Verbo ut secundariorum objectorum ad quæ objecta secundaria haberet respectus distinctos*: Ergo censet Doctor Creaturas relucere in Verbo divino, ac proinde Verbum divinum illas cognoscere in seipso. Item q. 3. prologi ait, *Ideo dico aliter quod divina Theologia, est de omnibus cognoscibilibus, quia objectum primum Theologiæ, quod est Deus, facit omnia alia actu cognita in intellectu divino.* Plures alii similes proferri possent ejusdē Doct. Subt. textus. Quibus apertè constat ipsum non asseruisse Deum videre solùm creaturas in illis ipsis non autem in seipso, ut perperam nonnulli Thomistæ affirmant, præsertim Caietanus

Deus creaturas novit in seipso. Ut docet Doctor Subtilis.

in primam partem S. Thomæ q. 14. art 6.

Suadent SS. Patres. PROBATUR ITAQUE CONCLUSIO. Primò quidem ex SS. Patribus maximè ex S. Dionysio lib. de divin. Nom. c. 7. *Neque enim ea quæ sunt ex his quæ sunt discens, noscit divina Mens: sed ex seipsa & in seipsa secundùm causam omnium scientiam & notionem & essentiam præhabet & ante comprehendit: non singulis secundùm cujusque speciem intendens; sed secundum unicam causæ complexionem cuncta sciens & continens.* Tum addit, *Seipsam igitur divina Sapientia noscens, scit omnia materialia sine materia, & indivisè divisibilia & unicè multa, ipso uno omnia & cognoscens & producens.* Tum concludit, *Hac igitur ratione Deus res cognoscens non scientiâ rerum, sed sui ipsius ipsas novit.* Ipsi concinit S. Aug. tum lib. 6. de Trinit. cap. 10. ubi Verbum Dei vocat *Artem quamdam omnipotentis & sapientis Dei plenam omnium rerum viventium:* Concluditque, *Ibi novit Deus omnia quæ fecit per ipsam:* Et lib. 5. de Gen. ad litt. proferens illud Ioan. 1. *Quod factum est in ipso vita erat*, ait, *In qua vita vidit omnia quādo fecit, & sicut vidit, ita fecit, non præter seipsum videns, sed in seipso.*

Et ratio confirmat. PROBATUR INSUPER RATIONE. Nobiliori modò Deus creaturas cognoscit quàm cognoscant Angeli & Animæ beatæ; sed Angeli & Animæ beatæ creaturas cognoscunt in Essentia divina perfectiori modo quàm in illis ipsis: Ergo multò magis Deus novit pariter in seipso. Major constat. Minor probatur, ex S. Aug. lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 23. & 24. ubi duplicem creaturarum cognitionem in mente Angelorum distinguit; Unam quidem in Verbo, quam *Matutinam* appellat; Alteram in propria ipsarum natura, quam nominat *Vespertinam*, eò quòd minùs clara sit minùsque perfecta quàm prior: seu ut ipsemet loquitur lib. 11. de Civit. cap. 7. *Cognitio creaturæ in seipsa decoloratior est quàm cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte per quam facta est.*

Secundò: Quod est medium sufficiens ad cognitionem comprehensivam causæ, potest etiam esse medium ad comprehensionem effectuum: sed Deus in seipso est medium ad comprehensionem omnipotentiæ & essentiæ: Ergo est etiam medium ad comprehensionem omnium effectuum possibilium.

Tertiò: Cognitio divina debet necessariò habere objectum formale motivum à quo specificetur: sed non potest habere objectum formale à se distinctum, alioquin penderet à creaturis & illis indigeret ad aliquam sui perfectionem, nimirum ad suam scientiam, &c.

Dices Deus non potest cognoscere creaturas in seipso nisi divina Essentia repræsentet creaturas in esse intelligibili: sed illas ita repræsentare nequit. *Probatur:* Non potest Essentia divina repræsentare creaturas in esse intelligibili nisi contineat eorum esse intelligibile formaliter, vel sit eis similis in esse intelligibili: sed neutrum dici potest: *Non quidem primum*, aliàs esse creatum esset formaliter in Deo, sicque Deus formaliter dici posset creatura, sicut formaliter dicitur justus, sapiens, &c. quod repugnat. *Non etiam secundum*, quia non potest Essentia divina similis fieri creaturis in esse intelligibili; esse enim intelligibile sequitur esse entitativum: Ergo cùm entitas divina non possit esse similis entitati creatæ, nec etiam esse intelligibile divinum poterit esse simile esse intelligibili creato.

XII. *Nego minorem:* Cùm enim Essentia divina contineat eminenter aut actualiter omnem prorsus entitatem, quia est entitas infinita, ita pariter divina Essentia in ratione intelligibilis, continet omnē rei cujuslibet intelligibilitatem, tam eminenter quàm virtualiter: sicque hæc divina intelligibilitas cùm sit infinita, nedum Essentiam divinam reddit intelligibilem, sed etiam quodlibet aliud ens in ea repræsentatum.

Deus omnes Creaturas continet secundùm earum esse intelligibile ac entitativum.

Dices 2. Inter medium cognoscendi & rem cognitam, debet esse necessaria connexio: sed talis non est inter Deum & Creaturas possibiles: Ergo Deus non potest esse medium ad cognoscendas Creaturas possibiles. *Major* patet: Aliàs medium non posset ducere in certam & infallibilem cognitionem objecti; medium enim, quod est probabile, idcirco non ducit in certam & scientificam cognitionem conclusionis, quia cum illa non habet necessariam connexionem. *Probatur minor* primò: Si divina Essentia necessariam haberet connexionem cum Creaturis possibilibus, sequeretur quod destructis illis Creaturis possibilibus, etiam necessariò periret ipsa divina Essentia. *Secundò:* Sequeretur quòd æquè necessarium esset, creaturam esse possibilem, ac nessarium est Deum existere; sicque non minus Creaturarum possibilitas esset necessaria quàm Dei existentia, quod repugnare videtur principiis fidei & rationis lumini. *Tertiò* denique sequeretur Essentiam divinam dependere à Creaturis possibilibus, nec sine illis posse subsistere, quæ enim necessariam habent connexionem invicem, unum existere nequit sine altero; quæ omnia absurda sunt: Ergo & id unde sequuntur.

XIII. *Respondeo concessa majore negando minorem:* Et ad primam illius probationem distinguo, destructis Creaturis possibilibus destruentur etiam divina omnipotentia & essentia, à priori & per locum intrinsecum, nego; à posteriori & per locum extrinsecum, concedo: cum enim rerum possibilitas nihil sit reale nisi in ipsamet omnipotentia & Essentia divina, consequens est quòd non possit perire rerum possibilium realitas, quin pariter perire censenda sit ipsamet essentia & omnipotentia, quæ est tota ratio realitatis rerum possibilium; effectus enim possibilis cum non habeat aliud esse extra causam, non potest destrui nisi in causa, & consequenter nisi destruatur vis productiva illius quæ est ipsamet causa, & proinde nisi destruatur ipsamet causa.

Qualiter rerum possibilitas omnipotentiam in Deo supponat & inferat.

Ad secundam probationem, nego sequelam majoris: Licet enim inter necessariò connexa unum deficere non possit quin deficiat aliud; exinde tamen non sequitur quòd unum non sit magis necessarium quàm aliud; siquidem unius necessitas firmiori nititur fundamento. Licet enim magis necessarium sit hominem esse rationalem quàm risibilem, tamen deficiente risibilitate deficeret etiam rationalitas in homine: Similiter licet principia sint magis necessaria quàm conclusiones, tamen deficiente veritate conclusionum, etiam principiorum veritas deficeret.

Ad tertiam denique probationem, nego sequelā; Licet enim essentia & omnipotentia divina, existere nequeant sine Creaturis possibilibus; inde tamen non sequitur quòd ab illis dependeant; siquidem Pater divinus v.g. subsistere nequit sine Filio, & tamen ab illo non dependet: Similiter in creatis, essentia quæ est radix proprietatum, intrinsecè cum illis ita connectitur, ut sine illis subsistere non possit, ab illis tamen non depēdet: Ergo à pari licet omnipotentia divina sine Creaturis possibilibus subsistere non possit, tamen exinde non sequitur quod ab illis dependeat.

CONCLUSIO TERTIA.

XIV. *Probabile est etiam Deum Creaturas cognoscere in seipsis*

NON *est etiam improbabile Deum cognoscere Creaturas in seipsis, ita quòd illius divina cognitio in Creaturas feratur tanquam in objectum terminativum.*

PROBATUR PRIMÒ: Intellectus infinitus, qualis est divinus, res percipit secundùm omne earum esse intelligibile: at Creaturæ non solùm habent esse eminentiale & virtuale in Essentia divina, sed etiam habent esse formale in seipsis: Ergo Deus nedum videt Creaturas in seipso, sed etiam in illis ipsis.

Confirmatur: Si Deus non cognosceret Creaturas secundùm esse formale quod habent in propria natura, sed tantùm secundùm esse eminentiale & virtuale quod habent in illo, non cognosceret eas secundùm omnem modum quô sunt cognoscibiles; esse enim formale Creaturarum non est in Deo, quia Creaturæ non continentur in Deo formaliter, cùm Deus non sit formaliter homo vel leo: sed absurdum est dicere Deum non cognoscere Creaturas secundùm omnem modum quô sunt cognoscibiles.

Deinde Deus cognoscit res perfectiori modô, quô possunt cognosci: sed perfectius videtur esse rem cognosci in seipsa quàm in aliquo medio; perfectius enim est v. g. videre hominem in seipso immediatè quàm in speculo in quo repræsentatur: Ergo Deus ut omninò perfectam scientiam habeat debet cognoscere Creaturas non solùm in seipso, sed etiam in illis ipsis.

Denique Deus cognoscit Creaturas omni modô quô sunt cognoscibiles: sed non solùm sunt cognoscibiles in Essentia divina, sed etiam in seipsis. Beati namque vident illas cognitione matutina in Verbo & vespertina in illis ipsis: Ergo pariter non est improbabile Deum cognoscere Creaturas in seipso & in illis ipsis, ita quod illius divina cognitio ad Creaturas illas tanquam ad objectum, non quidem motivum, sed terminativum feratur.

XV. *Objicitur S. Dionysius.*

D *Objiciunt* 1. Thomistæ; hæc conclusio disertè militat in sanctos Patres priori conclusione laudatos, maximè verò in sanctum Dionysium; ut patebit evidenter ex ipsius verbis, ait enim, *Non secundùm visionem singulis se immittit, sed secundùm causæ continentiam scit omnia.* Et infra, *neque enim ea quæ sunt, ex iis quæ sunt discens novit divina mens, sed ex se & in se per causam rerum omnium cognitionem scientiamque anticipatam, & ante comprehensam habet, non quòd per speciem singula consideret, sed quòd uno causæ complexu omnia sciat & contineat.* Et rursus, *hac ergo Deus ea quæ sunt noscit, non rerum notitiâ, sed sui.* At si Deus præter scientiam possibilium in seipso, illa in seipsis immediatè cognosceret, secundùm visionem singulis se immitteret, & illa sciret non seipsum noscens, & notitiâ non sui, sed Creaturis propriâ: Ergo juxta Dionysium Deus non cognoscit Creaturas possibiles immediatè in seipsis, sed tantùm in seipso, & mediatè, seu in Essentia divina priùs visâ & cognitâ.

Minor pro prima parte manifesta est; nam cognoscens secundùm visionem se immittere objecto, non est ab illo accipere speciem, quia in hoc non se immittit cognoscens ob-

A jecto; sed potius objectum se immittit cognoscenti: Ergo hoc est immediatè circa objectum versari; non enim videtur in quo alio consistere possit: & consequenter si Deus Creaturas possibiles cognoscit immediatè in seipsis, se immittit secundùm visionem Creaturis. Eadem minor

Pro secunda parte etiam constat: Nam si Deus cognosceret Creaturas possibiles mediatè in seipso & immediatè in illis ipsis: Ergo cognosceret non solùm notitiâ quâ se cognoscit, sed etiam aliâ notitiâ, quod à Dionysio negatur: Nam illius sensus est exclusivus, aliàs non sufficienter explicuisset modum, quô Creaturæ à Deo cognoscuntur. Denique *pro tertia parte* suadetur, notitia illius objecti dicitur ad quod B immediatè & primariò terminatur: sed notitia, quâ Deus Creaturas possibiles in seipsis immediatè cognosceret, illas haberet pro objecto immediato, & primario: Ergo si daretur in Deo talis cognitio, cognosceret Creaturas non sui, sed illarum notitiâ.

Respondeo negando has omnes consequentias: Etenim S. Dionysius præfatis verbis tria solùm significat: *Primum* quidem quòd Deus cognitionem, quam habet de Creaturis, non emendicet ab earum existentia, sed eas priùs noverit quàm existant: *Secundum*, quòd Deus non cognoscat Creaturas per species ab ipsis Creaturis acceptas, sicut nos eas cognoscimus, sed per C suam essentiam gerentem vices speciei concurrentis cum intellectu divino ad illarum cognitionem: *Tertium* quòd Deus non seipsum noverit cognitione distincta ab ea quam habet de Creaturis, ita quòd duplicem requirat cognitionis actum, unum videlicet, quô se ipsum, alium autem quô Creaturas percipiat: sed quòd uno simplici, indivisibili, & infinito actu, seipsum & alia à se cognoscat. *Sed explicatur ac solvitur.*

Primum indicat his verbis, quæ ante citata præmiserat, *Quare divina mens omnia continet scientiâ, quæ secreta est ab omnibus, quod per causam rerum omnium in se omnium rerum scientiam anticipatam habet; ita ut Angelos antequam fierent, cognosceret proferretque in lucem, & quæ sunt omnia ex se atque ab ipso, ut ita dicam initio, cognita haberet in lucemque proferret. Idque divina scripta tradere existimo cum aiunt qui novit omnia antequam fierent.* Neque enim, &c. Secundum indicat his verbis citatis in objectione dicens, *Non quòd per speciem singula consideret, sed quod uno causæ complexu omnia sciat, & contineat:* Tertium autem subjicit, *Non igitur propriam sui notitiam Deus habet, aliam autem quæ communiter ac generaliter ea quæ sunt omnia comprehendit; ipsa enim seipsam omnium Causa noscens, nullo* prorsus *modo ea quæ à se profecta sunt, & quorum causa est, ignorabit.* E

Quibus patet S. Dionysium, tria solùm intendere: Primum quod Deus, anticipatam habeat rerum notitiam antequam existant, illas videlicet in sua Essentia omnium repræsentativa, & in Omnipotentia tanquam in omnium causa conspiciendo: Secundum, quòd Creaturas non cognoscat sigillatim per singulas species ab eis emendicatas, sed tantùm vel per comprehensionem suæ omnipotentiæ, vel per suam infinitam vim cognoscendi: Tertium denique quod non sit divisa ipsius cognitio, quâ seipsum Creaturasque percipit.

XVI.

Objicitur ac folvitur S. Auguftinus.

Objiciunt 2. S. Auguftinum lib. 83. quæft. quæftione 46. dicentem; *Non enim extra fe quidquam pofitum intuebatur Deus, ut fecundum id conftitueret quod conftituebat; nam hoc opinari facrilegum eft*: Ergo Deus res non novit in illis ipfis, fed tantùm in feipfo.

Nego confequentiam: S. enim Auguft. folùm ibidem vult, Deo non opus fuiffe aliquo extra fe exemplari, in quod refpiceret, ut ad ejus fimilitudinem res effingeret, ficut pictor v. g. tabellam infpicit quam depingendam fufcipit: fed Deus omnia condidit juxta divinas ideas quas in feipfo æternas habebat. Unde fubdit Auguftinus, *Quod fiha rerum omnium creandarum creatarumve rationes in divina mente continentur; neque in divina mente, quidquam nifi æternum atque incommutabile poteft effe, atque has rerum rationes principales appellat* IDEAS *Plato: Non folùm funt ideæ, fed ipfæ veræ funt, quia æternæ funt, & ejufmodi atque incommutabiles manent, quarum participatione fit ut fit quidquid eft quomodo eft*: Quibus verbis apertè conftat fanctum Auguftinum folùm ibidem fermonem facere de divinis Ideis, quas non extra, fed intra fe Deus intuebatur in mundi creatione, ut ad illarum fimilitudinem res omnes produceret: adeoque hæc fancti Auguftini authoritas præfatæ conclufioni non advetfatur.

Objiciunt 3. Si divinus intellectus terminaretur reverà ad Creaturas ut funt in feipfis, plura fequerentur abfurda: *Primò* namque cùm fcientia dependeat ab objecto, divina cognitio etiam dependeret à Creaturis: *Secundò* cùm fcientia proportionetur objecto, fitque præftantior aut minùs perfecta fecundùm majorem aut minorem objecti dignitatem, divina fcientia vilefceret fi in objectum creatum tenderet: *Tertiò*, cùm cognitio objecti creati non fit beatificativa, fed tantùm cognitio Dei; fi aliqua Dei cognitio tenderet ad Creaturam, fequeretur aliquam in Deo cognitionem non effe beatificam; quæ omnia abfurdiffima funt: Ergo non afferenda.

XVII.

Creaturæ non funt objectum motivum intellectus divini, fed tantùm terminativum.

Nego antecedens: Et ad omnes illius probationes dico: ea quidem omnia abfurda exinde fequi debere, fi divina fcientia tenderet in Creaturas non folùm tanquam in objectum terminativum, fed etiam motivum; cùm autem divinus intellectus moveatur folùm ab Effentia divina, non verò à Creaturis ad earum cognitionem, hæc omnia abfurda exinde non fequuntur; maximè quia Creaturæ tantùm habent rationem objecti fecundariò terminantis divinam cognitionem.

Inftabis: Si divina fcientia terminetur formaliter ad effe creatum, fequitur illam non effe abfolutè neceffariam, fed mutabilem; talis namque eft fcientia quale eft illius objectum: Ergo cùm Creaturæ non fint neceffariæ, fed tantùm contingentes, talis pariter erit fcientia Dei ad illas terminata.

Nego antecedens: Hæc enim vera quidem fieret fi divina fcientia non folùm tenderet ad Creaturas tanquam in objectum terminativum, fed etiam motivum; cùm autem Creaturæ à Deo cognitæ, habeant tantùm rationem objecti terminantis, non verò moventis, hinc eft quòd talis non fit earum cognitio qualis eft earum entitas. Hine fequitur quòd etfi nullæ Creaturæ effent poffibiles & futuræ, non minùs

A divina fcientia foret infinita & neceffaria, quia non minùs terminaretur ad objectum infinitum primariò motivum & terminativum. Verum quidem effet quod in hac hypotefi potentia non terminaretur ad aliquas Creaturas: Sed hic defectus terminationis non proveniret ex parte fcientiæ, fed ex parte Creaturarum; nam fcientia de fe eft repræfentatio omnium repræfentabilium fine fui mutatione: Sicut à fimili Sol eft illuminativus omnium rerum illuminabilium, quòd fi aliquas non illuminet, id non repetitur ex defectu Solis, fed rerum quæ foli non exponuntur. Certum eft ergo fcientiam divinam folùm pendere intrinfecè ab Effentia

B divina tanquam objecto primariò motivo, & terminativo; à Creaturis verò tantùm extrinfecè & tanquam ab objecto, non quidem motivo, fed tantùm fecundariò terminativo.

Objiciunt 4. In Deo, utpote infinitè perfecto, non poteft admitti duplex modus cognofcendi Creaturas, quorum unus fit perfectior, & alter minùs perfectus: fed modus cognofcendi Creaturas in Effentia divina tanquam in caufa, eft multò perfectior & nobilior, quam modus illas cognofcendi immediatè in feipfis: Unde in Angelis beatis cognitio matutina, per quam vident Creaturas in Verbo, & in Effentia divina tanquam in caufa, multò perfectior eft, quàm cognitio vefpertina, per quam illas co-

C gnofcunt extra Verbum & immediatè in feipfis, juxta illud S. Auguftini quod fupra retulimus de vifione beatifica: *Cognitio Creaturæ in feipfa decoloratior eft, quàm cùm in Dei fapientia cognofcitur, veluti in arte per quam facta eft*: Ergo præter modum cognofcendi Creaturas poffibiles in Effentia divina tanquam in caufa, non debet admitti in Deo alius quò illas in feipfis immediatè, & independenter ab effentia fua prius cognita intueatur.

Diftinguo majorem: In Deo non poteft admitti duplex modus cognofcendi Creaturas, quorum uterque habeat rationem objecti per fe moventis ad illam cognitionem, quique fiat per diftinctum actum, ficut fit cognitio XVIII.

Qualiter in Deo fit duplex modus cognofcendi Creaturas.

D Angelica & beatifica, concedo: hoc enim equidem imperfectionem denotat: Non poteft hîc duplex modus admitti diverfus ratione diverfæ terminationis immediatæ, ad varia objecta, nimirum ad effentiam, & ad Creaturas, nego: Tantùm enim abeft ut hic diverfus modus cognofcendi, aliquam imperfectionem denoter; imò connotat fummam intellectus divini vim & infinitam activitatem, quâ & ad divinam Effentiam, & ad ipfas Creaturas uno & indivifibili actu immediatè terminari poteft.

Objiciunt 5. Eo modo cognofcuntur Creaturæ ab intellectu divino, quò repræfentantur

E per fpeciem quâ intelligit: fed non repræfentantur in fe, & ratione fui, fed mediatè & in alio, fcilicet in Deo ut priùs repræfentato, Ergo non cognofcuntur immediatè in feipfis, fed mediante Deo priùs cognito. *Major* conftat: Cùm enim ex intellectu & objecto media fpecie adæquatum intellectionis principium conftituatur, nihil poteft intellectus intelligere, nifi per fpeciem repræfentetur: Ergo nec poterit immediatè intelligere quod immediatè in fpecie non continetur. *Minor* autem probatur: Species quâ divinus intellectus intelligit, eft Sola divina Effentia: At hæc non repræfentat immediatè Creaturas, fed me-

diantè Deo priùs repræsentato; Ergo species quâ divinus intellectus intelligit, non repræsentat immediatè Creaturas, sed solùm mediatè.

XIX. *Nego majorem:* Falsum enim est, ut probavimus in priori quæstione, divinam Essentiam habere rationem speciei intelligibilis tam respectu sui, quàm respectu Creaturarum; intellectus enim divinus cùm sit infinitæ activitatis, cùmque divina Essentia sit per se & immediatè infinitè intelligibilis, ipsique divino intellectui per se & immediatè proportionata, nulla specie indiget ipse divinus intellectus, tum ut divinam Essentiam percipiat; tum ut ab ea moveatur ad cognitionem Creaturarum quas ipsi intellectui divino cognoscendas exhibet, per infinitam suam vim repræsentandi.

Essentia divina non habet rationem speciei intelligibilis.

Objiciunt denique: Ex S. Thoma 1. contra Gent. cap. 48. ratione prima, ubi sic discurrit. *Operatio intellectualis speciem & nobilitatem habet, secundùm id quòd est per se primò intellectum, cùm hoc sit ejus objectum: Si igitur Deus aliud à se intelligeret quasi primò intellectum, ejus operatio intellectualis speciem & nobilitatem haberet ab alio quàm ab ipso: hoc autem est impossibile cùm ejus operatio sit ejus essentia; & hæc, quippe ens à se, nequeat ab alio distincto à Deo speciem capere: sic igitur impossibile est quòd intellectum primò & per se sit aliud ab ipso.* Ex quibus verbis hæc potest deduci ratio: Si Deus cognosceret Creaturas immediatè in seipsis & independenter ab Essentia divina priùs cognita, objectum formale & specificativum divinæ intellectionis esset ens creatum, vel ens ut sic abstrahens à creato & increato: sed hoc dici nequit; ergo nec illud. Sequela majoris est evidens: Illud enim censetur esse objectum formale & primarium alicujus potentiæ, vel operationis, quod primariò & immediatè ab illa attingitur & independenter ab alio priùs attacto, ut constat in potentia visiva cujus objectum formale & primarium, est color quem per se primò attingit; secundarium verò & materiale, paries vel aliud subjectum colore affectum; quia illud non attingitur immediatè & per se primò, sed tantùm secundariò & mediante colore.

Minorem probant: Primò quidem cognitio desumit suam speciem & suam perfectionem essentialem ab objecto primario & ab eo mensuratur: sed intelligere Dei, cùm sit ejus natura, non potest suam speciem desumere, nec mensurari à Creaturis: Ergo ens creatum non potest esse objectum formale & primarium divinæ intellectionis. Secundò objectum formale primarium divinæ intellectionis debet esse quid actualissimum, sicut & ipsa intellectio: sed Creatura non est ens actualissimum, sed potentiale: Ergo non pote.: esse objectum formale primarium divinæ intellectionis.

Distinguo majorem: Ens creatum est objectum specificativum divinæ intellectionis, si per se primò divinum intellectum moveat ad sui cognitionem, concedo: si nullatenus moveat, sed tantùm terminet ipsam divinam intellectionem, nego: certum est autem Creaturas non habere rationem objecti motivi, sed tantùm terminativi respectu divinæ intellectionis; intellectus namque divinus immediatè quidem terminatur ad Creaturas in illis ipsis cognitas, sed movetur solùm ad illam cognitionem ab Essentia divina, quæ cùm eminenter & virtualiter contineat esse Creaturarum, idque perfectiori modò quàm ipsæmet Creaturæ suum esse formale contineant in seipsis; adeoque vim habeat repræsentandi Creaturas intellectui divino perfectiori modo, quàm repræsententur in seipsis: hinc etiam sola divina Essentia habet vim movendi ipsum divinum intellectum ad Creaturarum cognitionem; sicque Creaturæ non habent rationem objecti moventis, sed tantùm terminantis.

Quòd autem solum objectum motivum sit specificativum cognitionis, non autem terminativum, apertè patet; diversificatur enim cognitio juxta diversitatem medii quô fit, ubi autem est idem objectum motivum ibi pariter censetur idem esse medium, isdemque modus; adeoque & eadem specificatio: Ergo cùm divinus intellectus à sola divina Essentia moveatur, etiam & ab eadem sola, divina intellectio suam formalem specificationem accipit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Scientia Dei.

CERTUM est primò: Deum infinitâ præditum esse Scientiâ, ut satis superque liquet ex dictis, tum in præcedenti articulo, tum in tertia quæstione proœmiali Theologica. Constat insuper divinam Scientiam non esse intrinsecè multiplicem: unico namque, & invariabili actu cognitionis, Deus cuncta percipit. Unde tota divinæ Scientiæ varietas in diversas ejusdem ad varios Creaturarum status terminationes, refundenda est.

Certò constat Deum habere Scientiam.

Certum est secundo: Variam & maximè quadruplicem à veteribus Theologis assignatam fuisse divinæ Scientiæ distributionem, quarum prima est in *Speculativam*, & *Practicam*. Prior dicitur, quâ Deus res solùm cognoscit, & non efficit, veram ac realem existentiam eis tribuendo; qualis est cognitio, quæ versatur circa res merè possibiles, & quæ nullam unquam existentiam habuerunt, nec habituræ sunt: Posterior, est quâ Deus, non solùm cognoscit, sed etiam producit res cognitas; qualis est Scientia visionis, quæ per decretum divinum tendit in realem rerum productionem.

Quæ dividitur 1. In Speculativam & Practicam.

Secunda divisio fit in Scientiam *Necessariam*, & *Liberam*, Prima est illa quæ antecedit decretum, & liberam determinationem voluntatis divinæ, quæque non versatur circa contingentem rerum existentiam, sed ad invariabilem & necessariam eorum essentiam terminatur. Secunda verò idcirco libera dicitur, quod liberum Dei decretum supponat feraturque circa res, vel præsentes, vel præteritas, aut futuras à Deo liberè determinatas.

2. In Necessariam & Liberam.

Tertia & omnium famosissima fit in Scientiam *Simplicis Intelligentiæ*, & *Visionis:* Per priorem, Deus dicitur cognoscere rerum essentias & possibilitatem: Per posteriorem verò illarum existentiam, vel futuram, vel præsentem, vel præteritam. Hæc tamen divisio ita non est accipienda, quasi fiat in membra per se opposita; siquidem Scientia simplicis intelligentiæ etiam intuitiva est, resque possibiles ita clarè & intuitivè Deus percipit, ac præsentes: sed solùm ita usurpanda est, ut eadem cognitio distribuatur in adæquatam, & inadæquatam; ita quòd

3. In Scientiam simplicis intelligentiæ & Visionis.

Scientia visionis omnem & adæquatam Dei visionem complectatur: Scieotia verò simplicis intelligentiæ inadæquatam solùm Dei cognitionem significet, nimitum quatenus terminatur ad res purè possibiles: Huic utrique Scientiæ nonnulli tertiam adjiciunt, quam *Mediam appellant.*

4. In Scientiâ Approbationis & Improbationis.

Quarta denique divinæ scientiæ distributio fit in scientiam *Approbationis* & *Improbationis.* Priot est ipsamet scientia visionis quatenus versatur circa bonum, & ut supponit decretum & approbationem voluntaris divinæ: Posterior verò est eadem scieotia visionis quatenus fertur in mala & peccara quæ Deus nec decernit facienda, nec approbat facta; sed tantùm permittit; ideoque non supponit decretum Dei positivum & absolutum, sed tantùm permissivum. Quæ divisio deducitur ex Scriptura sacra, siquidem de scientia approbationis fertur Genesis 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona:* Et Psalmo 1. *Novit Dominus viam justorum:* De Scientia verò improbationis intelligitur illud Habacue 1. *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris:* Item illud Lucæ 13. *Discedite à me operarii iniquitatis, nescio vos.*

Articulis tres in Sectiones distributio.

Quoniam autem omnes præfatæ diuisiones, maximè in tertiam collineant & refunduntur: Idcirco ut congruenti ordine exacta, quantùm fieri potest, divinæ scientiæ habeatur notitia: Præsentem Articulum tres in Sectiones distribuemus. Quarum, *Prima* erit de Scienria simplicis intelligentiæ & rerum possibilium, *Secunda*, de Scientia visionis & rerum absolutè futurarum: *Tertia* deniqoe de Scientia coonditionata, & terum futurarum tantùm sub conditione.

Ssctio Prima.

De Scientia Simplicis Intelligentiæ.

COgnitro, quâ Deus res possibiles percipit, idcirco Scientia simplicis intelligentiæ dicitur, quòd Deus specolativè res illas intueatur absque ollo ordine ad earum productionem & existentiam. Circa hanc autem cognitionem divinam duo maaimè occurront tesolvenda. Primum quidem an Creaturæ possibiles priùs ea se sint intelligibiles, & aliquod in seipsis habeant esse, quàm ab intellectu divino intelligantur. Secundum, qualiter & in quo Divinus intellectus res illas possibiles percipiat?

Quæstio Prima.

An res possibiles ex se priùs sint intelligibiles quàm ab Intellectu Divino cognoscantur?

I.

Creaturæ habent triplex esse.

NOtandum 1. Quantùm ad præsentis Quæstionis resolutionem, triplex creaturarum esss posse distingoi. Primum qoidem *Virtuale*, & eminentiale quod habent in Essentia, & Omnipotentia divioa, quæ potest eas repræsentare & producere: Secundum esse cognitum & *Objectivum*, quod habent in Intellectu divino res omnes ab æterno cognoscente: Tertium denique *Entitativum*, quod habent in ipsis dum verè & realiter eaistuur. Hìc non est sermo de esse entitativo; neque etiam de esse vitruali & eminentiali, quod oon est proprium & formale esse Creaturatum, sed est ipsummet esse divinum, seu ipsamet divina Essentia, quatenus nimirum est primum ens, cæterorumque entium principium: Unde sicut esse caloris in Sole, nihil est aliud quàm ipsum esse Solis, ut potentis producere calorein; ita pariter esse virtuale creaturarum in Deo, non est distinctum ab esse divino, sed est ipsamet divina virtus quâ Deus Creaturas producete potest. Solùm itaque hîc est sermo de esse cogoito quod habent in Intellecto divino. *Advertendum* est autem hoc *esse cognitum* dopliciter usurpari: Primò quidem pro ipsa divina cognitione quâ Deua Creaturas possibiles cognoscit. Secundò verò pro illa denominatione exttinseca veluti resultante in Creaturis ea hac divina cognitione, & à quâ Creaturæ denominantur cognitæ, sicut paries à visione dicitur visus. Hîc autem non loquimur de priori esse cognito. Certum est enim illud esse verè reale, eò quòd sit ipsamet divina cognitio, in quâ Creaturæ comprehenduntur. Quô fit ut dicantur viventes in Verbo, juxta illud Joannis, *Quod factum est, in ipso vita erat:* Vita, inquit Aogostious, Creatria, quia cognitio Dei est realiter vita creatrix. Solùm itaque hic est sermo de esse objectivo secundô modô usurpatô.

II.

Triplex est rerum possibilitas.

Notandum 2. Triplicem distingui posse rerum possibilitatem ex Doctore Subtili in 1. *dist.* 2. *q.* 7. & alibi: Nimirum Logicam, Metaphysicam, & Physicam. Prima est non repugnantia rerum ad eaistendum, seu ut loquitur nom. 10. *Possibile Logicum est modus compositionis formatæ ab intellectu, illius quidem cujus termini non includunt contradictionem.* Secunda possibilitas dicitur ab eodem Doctore in 2. *dist.* 12. *q.* 1. illud esse objectivum quô res percipi potest, & esse objectum potentiæ cognoscentis. Tertia denique est illud esse Creaturarum, dicens respectum ad Omnipotentiam divinam à quâ possunt produci. De sola possibilitate Metaphysica movetur præsens quæstio, non verò de cæteris.

III.

In deregenda rerum possibilitate tria sunt distinguenda instantia.

Notandum 3. Ea eodem Doctore in 1. *dist.* 43. *quæst. unica, num.* 5. in deregenda rerum possibilitate distingui posse tria naturæ instantia, in quorum primo divinus intellectus producit Creaturas in esse intelligibili & objectivo, eas scilicet concipiendo secuodùm illud esse qood realiter habere possunt si producātur. In secundo Creatura concipi potest habere esse possibile seipsa: *Quia*, inquit Doctor, *seipsa formaliter non repugnat sibi esse, & seipsa formaliter repugnat sibi habere esse necessarium ex se; in quibus duobus stat tota ratio possibilis:* In tertiò denique, Creatura dicit respectum ad Omnipotentiam divioam à quâ prodoci potest. In primo instanti babet possibilitatem Metaphysicam, in secundo Logicam, in tertiò verò Physicam: seu ut loquitur ibidem Doctor num. 6. In priori instanti Creaturæ babent esse possibile principiativè ab intellectu divino; in secundo habent esse formale possibile à seipsis; in tertiò habent esse completum possibile à respectu qoem dicuot ad Omnipotentiam divinam.

Verùm an ita res sese habear, non consentiunt Doctores. Primò namque Henricus *quodlibeto* 8. *q.* 1. & 9. tribuit Creaturis aliquod teale esse

IV. essentiæ æternum, ratione cujus Creaturæ dicuntur intelligibiles, & ab intellectu divino cognoscuntur: quam sententiam in Wvicleffo, ut errorem pessimum refert & damnat Wvaldensis *Lib. 1. Fidei cap. 8.* quem pariter errorem Doctori Subtili perperam affingunt Cajetanus *prima parte quæst. 14. art. 5. & Bannes quæst. 10. art. 3.* Secundò Suarez *disp. 30. metaphysica sect. 17.* duplicem distinguit rerum possibilitatem, unam *Negativam* quæ est non repugnantia rei ut producatur; alteram *Positivam*, quæ consistit in quadam extrinseca denominatione proveniente ab omnipotentia Dei, à qua Creaturæ denominantur formaliter possibiles. Priorem dicit Creaturas habere ratione priùs quàm intelligantur à Deo: Posteriorem verò dum cognitæ sunt. Tertiò Aureolus noster in 1. *dist. 35. art. 4.* affirmat esse possibile Creaturarum, non aliud esse quàm virtuale seu esse causæ potentis eas producere. Denique Vasquez *1. parte disp. 104. cap. 4. & 5.* nec-non & omnes pene cæteri Recentiores dicunt Creaturas esse possibiles saltem incompletè, independenter ab intellectu divino. Quid autem verius sit, ut appareat, tria sunt in præsenti quæstione resolvenda. Primum, an Creaturæ habuerint aliquod esse reale possibile ab æterno. *Secundum* à quo præcisè habeant primum sui esse possibile distinctum ab Essentia divina: an videlicet à seipsis, an autem ab intellectu divino. Tertium quidnam sit formaliter illud Creaturarum esse possibile.

Variæ Authorum sententiæ circa præsentis quæstionis resolutionem.

CONCLUSIO PRIMA.

V. RES *possibiles nullum prorsus habent esse reale, formale, ab æterno.* Hæc est expressa Doctoris sententia in 1. *dist. 36.* quam probat contra Henricum septem rationibus, quarum præcipua deducitur ex rerum creatione. Quidquid creatur producitur ex nihilo, sed creaturæ formantur per creationem: Ergo producuntur ex nihilo, sicque ante suam creationem nihil erant; adeoque nullum habuerunt esse reale. *Confirmatur*: Quia sicut illud quod præsupponit materiam ex qua producitur, non censetur produci per creationem, sed per eductionem, aut generationem; sic nec illud censetur creari ex nihilo, cujus aliquod esse reale præsupponitur.

Creaturæ non habent esse reale ab æterno.

Replicat Henricus, creationem fieri quidem ex nihilo existentiæ: ita ut quod creatur, non fuerit priùs existens; non verò ex nihilo essentiæ, ita ut quod creatur, verum esse antea habuerit.

Sed contra sic urgeo cum Doctore, creatio est productio à non esse ad esse simpliciter: atqui id quod suum supponit esse reale, non producitur ad esse simpliciter, sed tantùm ad esse secundùm quid, videlicet ad esse existentiæ: Ergo quod creatur nullum esse reale supponit; alioquin, inquit Doctor, *Creatio minus erit productio simpliciter quàm sit Alteratio ubi est productio saltem alicujus quantùm ad esse absolutum.* Adde quod existentia est tantùm modus rei: Ergo si res producatur tantùm secundùm existentiam, non producetur secundùm esse simpliciter.

Secundò: Illud esse reale, si quod ab æterno haberent Creaturæ, vel esset à Deo communicatum, vel non: Non primum, quia Deus non communicat esse nisi per productionem, productio autem terminatur ad rem existentem; & sic illæ Creaturæ possibiles fuissent existentes ab æterno, quod est contra fidem: Non etiam secundum, quia totum esse Creaturæ, est à Deo participatum & dependens.

Replicant aliqui Moderni totum esse Creaturarum, esse quidem dependens & participatum quantùm ad existentiam, non verò quantùm ad essentiam. *Contra* existentia est tantùm modus rerum creatarum: Ergo si res creatæ tantùm dependeant à Deo secundùm existentiam, dependent tantùm secundùm aliquem sui modum, & consideratæ secundùm se, absolutè à Deo sunt independentes. *Deinde* si Creatura tantùm à Deo dependeat quoad suam existentiam: Ergo erit ens essentialiter independens, essentia enim ejus à nullo dependebit. *Denique* Creaturarum essentiæ æquè viderentur necessariæ ac Essentia divina, quæ à nullo dependet: sed has & similes consequentias admittere Christianos dedecet: Ergo & id unde inferuntur.

Tertiò: Si Creatura ante sui productionem habeat esse essentiale reale, sequitur illam non posse annihilari; sicut enim, inquit Doctor, esse reale essentiæ præsupponeretur creationi, pari ratione remaneret post annihilationem: Illud autem, cujus essentia realiter manet post ejus corruptionem, minùs censeri debet annihilati, quàm illud cujus materia permanet; illa enim essentia realiter subsistens, magis est esse proprium rei, quàm sit materia quæ ante corruptionem illius erat pars constitutiva.

Denique alias rationes subjicit Doctor arguens ad hominem contra Henricum. Primò si Creaturæ haberent esse reale essentiale ab æterno, sequeretur aliquid esse necessarium præter Deum; cùm enim essentiæ rerum sint invariabiles & necessariæ, si verum haberent esse reale ab æterno, etiam esset aliquid essentialiter necessarium præter Deum. Secundò cùm intellectus divinus sit causa naturalis, & agat naturaliter, quæ producit immediatiora etiam perfectiora producit, quia producit illa secundùm omnem suam activitatem & fœcunditatem: Ergo cùm intellectus divinus producat rationes ideales & ipsas essentias in ratione essentiæ; sed prius rationes ideales quàm essentias, quia essentiæ in tantum fiunt in quantum exemplatæ sunt. Ergo illæ ideæ haberent verius & perfectius esse quàm ipsæ essentiæ, & sic essentiæ non erunt reales. Alias rationes vide apud ipsum Doctorem ibidem.

Dices 1. Illud verum habet esse reale, cujus veritas realis est ab æterno: sed essentiæ Creaturarum veritas realis est ab æterno; hæc enim propositio, *Homo est animal rationale*, est vera ab æterno: Ergo pariter essentia hominis per illam propositionem significata, est realis ab æterno. VI.

Qualiter propositiones de Creaturis habeant veritatem ab æterno.

Nego majorem: Entia enim fictitia etiam habent veritatem ab æterno, nec tamen veram entitatem; inde patet minoris falsitas. Pari namque modo possem inferre, *Chymæram esse ens fictitium & impossibile, est verum ab æterno: Ergo chymæra est realis ab æterno*, quæ illatio prorsus nulla est, adeoque à veritate rei, non licet illius realitatem inferre.

Vel dico cum sancto Thoma 1. p. q. 10. a. 3. ad 3. hanc propositionem esse veram quatenus

res significata erat objectivè in mente divina, A non autem subjectivè, seu realis in se. Cui consentit Doctor supra citatô n. 11. dicens, *Cum dicis ultra : Ergo non est ejus definitio nisi sit existens; nego istam consequentiam, quia definitio est distincta cognitio definiti secundùm ejus omnes partes essentiales; distincta autem cognitio potest esse alicujus licet ipsum non sit ens ratum: & non sequitur, ens ratum definitivè intelligitur: Ergo ens ratum est.*

VII. Veritates rerum creatarum continentur in Deo quatuor modis.

Vel dico cum eodem Doctote in *primum distinctione 3. quæst. 4. num. 18.* veritates necessarias rerum, esse & videri in Deo, quatuor modis: Primò, ut in objecto proximo, quia intellectus divinus dat esse intelligibile Creaturis ab æterno, in quo virtute necessariæ B relucent immutabiliter: Secundò, ut in continente objectum proximum, quia intellectus divinus instar libri continet illa intelligibilia quæ dici possunt lux æterna secundum quid: Tertiò, sicut in aliquo, virtute cujus movet objectum, quia sicut intellectus divinus producit alia à se in esse intelligibili; ita dat rationem objecti quæ movet: Quartò, ut in objecto remoto cognito, quia Essentia divina est primum principium speculabilium, & ultimus finis practicabilium: & sic veritas rerum stare potest ab æterno quamvis res veræ non sint reales in seipsis.

Instabis: Scientia quâ Deus cognoscit essentias Creaturarum, ab æterno est realis: Ergo C objectum cognitum est reale. Patet consequentia, tum quia correlata sunt simul naturâ: Ergo simul naturâ sunt Deus cognoscens Creaturas & Creaturæ cognitæ. Tum quia scientiæ specificantur ab objecto.

Concedo antec. Sed nego conf. Tum quia realitas Scientiæ divinæ non desumitur ab objecto secundario, quales sunt Creaturæ, sed ab objecto primario, id est ab Essentia divina: Tum quia ut infert Doctor num. 6. ex D. August. lib. 5. in Genes. 7. *Non aliter novit Deus facta quàm fienda: Præcognovit igitur esse existentiæ, sicut esse essentiæ, & tamen propter istam relationem fundatam, non concedit aliquis esse existentiæ fuisse verum esse ab æterno: Ergo pari ratione* D *non est concedendum de esse essentiæ.*

VIII. Qualiter rerum essentiæ dicantur æternæ.

Dices 2. Ex Aristotele & aliis Philosophis, essentiæ rerum sunt æternæ, invariabiles, ingenerabiles, & incorruptibiles, at tales non essent si nihil reale ab æterno haberent, &c.

Distinguo minorem: Sunt æternæ secundùm esse entitativum, nego: secundùm esse ideale, objectivum virtuale, quod habent in intellectu divinô, & in omnipotentia divina, concedo: Et similiter distincta minore, neganda est consequentia. Itaque quòd Creaturæ dicantur æternæ & ingenerabiles secundùm essentiam non E verò secundùm existentiam, hæc non ita debent intelligi, quasi illæ producerentur in tempore secundùm existentiam solùm. Certum est enim totum quidquid in eis est, reverà produci & generari, sive sit essentia, sive proprietas, sive existentia. Sed ita hæc sunt intelligenda, quòd conceptus objectivus & prædicata essentialia rerum abstrahant ab existentia, & sint omnino invariabilia; itaut sive homo existat, sive non, vera semper sit hæc propositio, *Homo est animal rationale.*

Dices 3. Quod ponitur in linea prædicamentali, reale est, realitas enim est una è conditionibus ad rationem prædicamenti: sed Creaturæ ponuntur in linea prædicamentali etiam antequam existant & quatenus sunt possibiles; imò necessariò abstrahere debent ab existentia ut in prædicamentis reponantur: Ergo quatenus possibiles verè sunt reales.

Distinguo majorem: Debet esse reale, vel objectivè, vel entitativè, concedo: entitativè solùm, nego: *Ad minorem* dico, Creaturas possibiles esse quidem reales entitativè & formaliter in seipsis, sed tantùm objectivè, idealiter, & in intellectu divino, quod sufficit ut reponi possint in prædicamentis.

CONCLUSIO SECUNDA.

VIII. Primũ esse distinctum Creaturarum est ab intellectu divino.

PRIMUM *esse distinctum Creaturarum est ab intellectu divino.* Ita Doctor Subtilis pluribi, sed maximè in 1. *dist.* 43. *num.* 5. ubi sic loquitur, *Per ipsam potentiam, sub ratione quâ est omnipotentia, non habet objectum quod sit primò possibile, sed per intellectum divinum producentem in primo instanti illud in esse intelligibili: & intellectus non est formaliter potentia activa, quâ Deus dicitur formaliter omnipotens, & tunc res producta ab intellectu divino in esse tali scilicet intelligibili in primo instanti naturæ, habet seipsa esse possibile in secundo instanti naturæ.* Quibus Doctor disertè significat Creaturas habere primum suum esse ab intellectu, nimirum *esse cognitum.* Secundò habere ex se non repugnantiam ad existendum, quam non repugnantiam comitatur relatio rationis ad omnipotentiam potentem illas producere; sicque hanc non repugnantiam comitatur, vel sequitur illarum esse possibile formale & completum.

Tum ex mente S. Augustini.

PROBATUR PRIMÒ: AUTHORITATE S. Augustini lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 18. ubi ait, *Hæc visibilia antequam fierent, non erant; quomodo ergo nota Deo erant, quæ non erant?* Rursus *quomodo ea faceret, quæ sibi nota non erant: non enim quidquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognovit; proinde antequam fierent, & erant: erant in Dei scientia, non erant in sua natura:* consequenter ex mente S. Augustini Creaturæ possibiles nullum habent aliud esse præter esse objectivum quod habent in essentia, seu in intellectu Dei; si quod enim aliud esse haberent, maximè esse essentiale: sed illud excludit S. Augustinus dicendo res non fuisse aliquid in propria natura, & per consequens neque in propria essentia; quia essentia & natura idem sunt.

Tum ex ratione.

Probatur etiam ratione. Illud omne esse quod habent Creaturæ, cùm non sit nec in se ipsis, nec à se ipsis, producitur, vel ab intellectu, vel à voluntate Dei; sed primum esse Creaturarum non producitur à voluntate: Ergo ab intellectu Dei. *Probatur minor:* Illud esse quod habent Creaturæ à voluntate & omnipotentia Dei ab æterno, est esse volitum & futurum: sed ante illud esse volitum & futurum, Creaturæ priùs habent esse possibile & intelligibile, nihil enim volitum quin sit præcognitum, nihilque futurum decernitur, quin priùs sit possibile: Ergo primum esse possibile, quod habent Creaturæ, non est à voluntate, sed ab intellectu Dei.

Deinde si Creaturæ ante divinam intellectionem haberent aliquod esse, maximè vel à se, vel à Deo: sed non à se, ut jam probatum est, alioquin

alioquin non eſſent Creaturæ: Ergo totum quod habeterent eſſe, haberent à Deo. Sed nullum habere eſſe poſſunt à Deo ante divinam intellectionem: quia ſi maximè illud haberent, vel per emanatiooem, vel per productionem: *Non primum*, nibil enim emanat à Deo, niſi quod divinum eſt & ab Eſſentia divina tealiter indiſtinctum, quales ſunt divinæ perfectiones & relationes origiois; Creatutæ autem, nec ſunt quid divinum, nec à Deo realiter indiſtinctæ: *Nou etiam ſecundnm*, prima enim Deitatis operatio tum ad intra cùm ad extra, fit per intellectum ut conſtat: Ergo primum eſſe quod habent Creatutæ, eſt ab intellectu divino.

B *Denique*, major eſt fœcunditas divini intellectus, quàm ſit fœcunditas intellectus creati: ſed intellectus crearus tribuit eſſe cognitum rebns quas intelligit. Sicot enim lapis viſus, habet eſſe viſum per viſionem, ſic idem lapis cognitus, per cognitionem habet eſſe cognitum: Cum boc tamen duplici defectu, Primò quòd illod eſſe cognitum in intellectu cteato non ſit primariom eſſe, ſed ſecundarium, quia intellectus cteatus ſupponit ſuum effectũ, non verò efficit: Secundò illud eſſe coguitum extrinſecum eſt tebus: qui defectus in intellectum divinum, utpote perfectiſſimum cùm cadere neqoeant, conſequens eſt ut Creaturas producendo in eſſe cognito, eas ptoducat ſecundùm illarum eſſe primatium, & intrinſecum; adeoque ptimum eſſe C qood habent Creaturæ, neceſſatiò debet eſſe ab intellectu divino.

Dices 1. Poſſibilitas Creaturarum conſiſtit in illarum noo repugnantia ad exiſtendum: ſed illam non tepugnantiam habent à ſeipſis: Ergo etiam habent poſſibilitatem à ſeipſis.

Diſtinguo majorem: Poſſibilitas completa conſiſtit in illa non repognantia cum otdine ad omnipotentiam, à qua Creaturæ oon tepugnant ptoduci, concedo: Poſſibilitas ptima, & inchoata, ſeu primus eonceptus tei poſſibilis conſiſtit in illa non repugnantia, nego: cùm enim non tepugnantia ſit alicojus rei noo repugnantia, neceſſatiò ſupponit conceptum rei in quo illa non repugnantia ſundetut: Ergo ut D Creaturæ pnſſibiles dicantur habere non repugnaotiam ad exiſtendum, priùs ſopponi debent habere aliquod eſſe; illud autem eſſe non poſſunt habete ab alio quam ab iotellectu divino, & eonſequentet ptimum ſuum eſſe tantùm habent ab intellectu divino.

Dices 2. Scientia ſpeculativa non producit ſuum objectum, ſed ſupponit; atqui ſcientia quâ Deus cognoſcit Creaturas poſſibiles, eſt ſpeculativa: Ergo eas Creatutas poſſibiles oon ptodncit, ſed ſupponit.

Diſtingno majorem: Scientia ſpeculativa oon producit ſuum objectum in eſſe reali & entita- E tivo quod habeat in ſe, eoncedo: non ptoducit in eſſe intelligibili quod habeat in intellectu, nego: quia, inquit Doctor onmero 6. *Etſi aliquid non ſit; poteſt tamen à nobis intelligi, & hoc ſive ejus eſſentia, ſive exiſtentia; & tamen non propter intellectionem noſtram ponitur quòd illud habeat verum eſſe exiſteutiæ. Nec etiam eſt differentia aliqna quoad hoc, ut videtnr inteer intellectum noſtrum & divinum, niſi quod intellectus divium producit illa intelligibilia in eſſe intelligibili primò, noſter non producis primò.*

Vrgeut iterum: Res ſunt priùs intelligibiles A io Eſſentia divina qoàm ab intellectu divino intelligantur: Ergo non ſolùm habent eſſe cogoitum.

Diſtinguo antecedens Com noſtro de Baſſli in 1. diſtinctione 36. quæſtione 1. atticulô 2. ſunt ptiùs intelligibiles formaliter & diſtinctè; ita ut in ipſa præluceant velut in ſpeculo, nego antecedens: Sont priùs intelligibiles vittualiter indiſtinctè tanquam effectus in ſua cauſa, concedo antecedens: Ad hoc autem ot aliquid dicatur intelligibile formaliter loqoendo, debet actu tepræſentati, vel in ſeipſo, vel in ſpecie, qualiter non ſunt res poſſibiles in eſſentia, priuſquam intelligi ſupponantut.

B *Vrgebis*: Si Creaturæ producantut in eſſe poſſibili & diminutò à cognitione Dei, conſequens eſt quòd quando Deus ſeipſum cognoſcit, imò etiam quando Creaturas jam exiſtentes cognoſcit, illas ptoducat in eſſe poſſibili & diminuto: ſed falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Nego majorem: Ut enim tevetà divious intellectus tes producat in eſſe diminuto & poſſibili, nullum res cognita ptæſupponere debet eſſe; adeoque cùm Deus vel ſeipſum, vel Creaturas jam exiſtentes cognoſcit, nullatenus ſe aot Creaturas cognitas producere debet io eſſe eognito & poſſibili & diminuto.

C

CONCLUSIO TERTIA.

X.

ILLUD *ens poſſibile coguitum formaliter in ſe conſideratnm, & quatenus concipitur ut quid diſtinctum ab eſſentia & intellectu Dei, non eſt aliquid reale.* Hæc eſt expteſſa Doctotis ſententia in 1. diſtinctione 36. quæſtione unica, in reſponſione ad ſecundum, ubi ait, *Dico qnod productio iſta in eſſe cognito, eſt in eſſe alterius rationis ab omni eſſe ſimpliciter, & non eſt relatio rationis tantùm; ſed etiam fundamenti abſoluti; non qnidem ſecundùm eſſe eſſentiæ vel exiſtentiæ, quod eſt vernm eſſe; ſed ſecundùm eſſe diminntum, qnod eſſe eſt eſſe ſecnndùm qnid, otiam entis abſoluti, quod tamen ens abſolntnm* D *ſecnndùm iſtnd eſſe diminntnm, concomitatur relatio rationis*: Ibidem diſtinctione 13. quæſtione unica, ait, *Ens rationis tantùm babet eſſe in intellectu, qnia ens rationis non cauſatnr ab objecto niſi in quantùm cognitum; & ut ſic non habes eſſe niſi in intellectn, quod eſt ens diminutum, ox 6. Metaphy. nihil autem ſecundùm qnod eus diminutum eſt, eſt propria ratio entis veri.*

Illud eſſe Creaturarum in ſeipſis non eſt quid reale ab æterno.

Et in diſtinctione 36. numeto 10. ubi cùm dixiſſet illod eſſe diminutum productum ab intellectu divino, habete tationem entis non reſpectivi, ſed abſoluti, ait, *Qnod tamen eus ab-* E *ſolntnm ſecundùm iſtnd eſſe diminutum, concomitatur relatio rationis. Exemplum hujns, ſi Caſar annihilatus eſſet, & tamen eſſet ſtatua Cæſaris, Cæſar eſſet repræſentatus per ſtatuam. Illud eſſe repræſentatum eſt alterins rationis ab omni eſſe ſimpliciter, ſive eſſentia, ſive exiſtentia, nec eſt eſſe diminutum Cæſaris, qnaſi aliqnid Cæſaris habeat hoc eſſe & aliqnid non. Sicut Æthiops eſt diminntè albus, qnia aliquid ejus eſt verè album & aliquid non, ſed totius Cæſaris & ejus eſſe à cauſa ſua eſt verum eſſe exiſtentiæ & eſſentiæ, cujus totius ſecundùm totale eſſe ſuum eſt iſtnd eſſe ſecundùm quid, & in ipſo ſecundùm*

istud esse secundùm quid potest esse aliqua relatio ad statuam. Quibus Doctor significat quod quemadmodum repræsentatio formalis Cæsaris nihil reale importat nec in statua, nec in Cæsare; ita nec illud esse diminutum repræsentativum Creaturarum nihil reale significat nec in se, nec in Ipsis Creaturis.

Deinde, illud est purum ens rationis quod tantùm haber esset objectivè in Intellectu divino eô modô, quô secundæ intentiones habent esse in intellectu creato: sed illud esse diminutum nullum aliud habet esse quàm objectivum in intellectu Dei: Ergo est formaliter in se ens rationis.

Denique, si illud esse objectivum aliquid realitatis haberet, maximè vel secundùm essentiam, vel existentiam: sed neutrum dici potest: Non primum, quia ut jam probatum est, Creaturæ nullum in se habent esse reale ab æterno: neque etiam secundùm, quia Creaturæ ur possibiles & secundùm illud esse cognitum, nullam existentiam habent in se: Ergo sunt purum ens rationis.

Dices 1. Creaturæ possibiles & in esse cognito aliquid habent supra Chimæram, huic enim repugnat existere, illis verò non: sed chimæra est ens rationis: Ergo Creaturæ secundùm illud esse possibile & objectivum non sunt ens rationis.

XI. *Negat majorem* Doctor supra laudatus numero 14. dicens, *Prima igitur omnine ratio, & non reducibilis ad aliam quare homini non repugnat esse, est quia formaliter est homo, & hoc sive in re realiter, sive in intellectu conceptibiliter; & prima ratio quare chimera repugnat esse est chimera in quantum chimara. Aliter igitur inest illa negatio nihileitatis homini in æternitate & chimeræ, & tamen non propter hoc est unum magis nihil altero.* Hujus responsi præmiserat rationem numero 13. dicens negationem alicujus ni esse alteri, *vel propter solum defectum causæ producentis illud; vel propter repugnantiam quam habet ad illud suscipiendum: Priori modo albedo negatur de pariete non albo: Posteriori negatur de Angelo; & in hoc casu paries non albus non est minus nihil albedinis quàm Angelus. Et ratio*, inquit, *quare non magis est hæc negatio quàm ista, est quia qualibet negatio negat totam affirmationem sibi oppositam ex quacumque ratione sit talis.* Tam enim verum est dicere paries niger non est albus, quàm Angelus non est albus: Idem dicendum à simili de Creaturis possibilibus, & de chimæra quia ens reale de utroque ab æterno verè negatur.

Res possibilis non magis est realis quàm chimæra.

Dices 2. Ens rationis est id quod fingitur ab intellectu ad modum entis realis cum non sit ens reale: sed ens possibile ita fingi non potest ab intellectu divino: Ergo non est ens rationis. *Major* patet ex Logica. *Minor* probatur: Talis enim fictio cum summam imperfectionem importet, tribui nequit intellectui divino omnimode perfectissimo.

Distingue majorem: Ens rationis purè fictitium, ita fingitur ab intellectu creato, concedo: Ens rationis per quamdam resultantiam alicujus operationis, nego: *Ad minorem* dico, illud ens possibile, seu diminutum non quidem fingi ab intellectu divino nec ab eo fabricari per veram & realem operationem fictitiam; sed à nobis concipi per modum alicujus entis diminuti resultantis ex infinita cognitione quâ divinus intellectus divinam Essentiam, & Omnipotentiam comprehendendo illarumque vim infinitè repræsentativam & productivam intuitivè cognoscendo, primùm concipit Creaturas in esse possibili, seu illas non repugnare; ex quo conceptu exurgit denominatio entis cogniti, quæ est ens rationis, quæque resultare potest ex cognitione entis quod potest aliquando esse verum & reale; sicque divinus intellectus efficit ens rationis, non fingendo; sed verum ens concipiendo.

Dices 3. Si Creaturæ possibiles verè dicantur productæ ab æterno secundùm esse diminutum ab intellectu divino, & quòd ab æterno sint ab illo cognitæ, pari ratione Essentia divina ab ipso divino intellectu etiam ab æterno cognita dici posset ab illo producta secundùm esse diminutum: sed falsum consequens: Ergo etiam antecedens.

Nego sequelam majoris: Ut enim aliquid produci possit in esse cognito & habere rationem entis diminuti, necessum est ut priùs nullum esse reale, sive essentiæ, sive existentiæ habeat priusquam cognoscatur ab intellectu divino: sed Essentia divina priùs naturâ quàm cognoscatur ab intellectu divino, jam habet esse existentiæ in se & formaliter; existentia namque est de Essentia Dei; adeoque ipsa divina Essentia quantumvis cognita ab Intellectu divino, non potest habere rationem entis diminuti.

Dices 4. Ex dictis constat Doctorem affirmare illud esse cognitum & ens diminutum esse fundamentum relationis rationis: Ergo ex mente Doctoris, vel illud ens diminutum non est ens rationis, vel Doctor sibi ipsi contradicit.

Respondeo Doctorem, idcirco illud *Ens diminutum* appellare aliquid absolutum, quia nimirum concipitur ad modum alicujus formæ resultantis ex cognitione veri entis, & tribuentis denominationem entis cogniti; quæ scilicet forma resultans etiam concipitur ut fundans relationem ad id à quo resultat, & ad id quod denominat: Hæc tamen forma denominans & relatio ad denominatum, nihil in se realitatis habent, sed sunt purum ens rationis; non quidem fictum, sed veluti per resultantiam: cùm enim ens rationis consurgat ex cognitione veri entis, cùmque omnis denominatio entis cogniti sit ens rationis; patet divinum intellectum, intelligendo res possibiles, formare ens rationis non per fictionem, sed per denominationem, & resultantiam; eô scilicet modô quô oculus corporeus videndo parietem, dicitur producere Ens rationis per resultantiam, quia nempe *Esse visum*, quod intellectus concipit remanere in pariete post visionem, est purum ens rationis.

COROLLARIUM I.

EX his Collige 1. quàm perperam Cajetanus, & nonnulli Thomistæ Subtili Doctori imponant, affirmantes illum in errorem Vvicleffi lapsum. Nam ut refert Thomas Vvaldensis lib. 1.

XII. Notabilis error Vvicleffi.

Fidei antiquæ' cap. 1. in hoc errore Vvicle f versabatur quod triplex esse Creaturarum, nimirum intelligibile in intellectu divino, virtuale in causis secundis, & entitativum in genere proprio appellaret *esse simpliciter*: ita quod esse objectivum, quod habeur Creaturæ in intellectu divino, tam reale sit ac esse entitativum quod habent in seipsis dum existuut; insuper affitmabar illud esse intelligibile propriè & formaliter esse in Deo: Unde contendebat Deum absolotè simpliciter posse dici equum, asinum, &c. Imò & Creaturas ratione hujus esse intelligibilis, in Deo formaliter existeutes, verè Deum appellari posse contendebat: quod utrumque quàm à Subtilis Doctoris sententia sit alienum, satis superque pater ex dictis.

XIII. Creaturæ non repræsentantur formaliter in Essentia divina antequam intelligantur.

Corollarium II.

COLLIEG 2. Creaturas non repræsentari actu & formaliter in Essentia divina antequam intelligantur: Tum quia ut sic Creaturæ uon coutiuenrur iu Esseutia divina nisi tanquam effectus in causa; atqui effectus non continentur actu iu causa, sed solùm eminenter & virtualiter: Ergo nec actu distinctè repræsentantur: Tum quia si Creaturæ haberent esse repræsentatum & intelligibile in Essentia divina priusquam intelligantur, sequeretur eas pertinere ad memoriam Patris quæ est ipsemet intellectus fœcuudatus objectô, potiusquam ad intelligentiam, quæ est iutellectus cum intellectione actuali: sed hoc puguat in mentem Doctoris qui in 2. dist. 1. quæst. 1. affirmat Creaturas non habere esse in memoria Patris. *Adde quod* cùm juxta D. Aug. lib. 15. de Trinit. Verbum divinum de tota Patris memoria nascatur, & consequenter ex eo omni quod in memoria Pattis actu contiuetur & repræsentatur; si Creaturæ relucerent in ipsa memoria Patris, essent rationes producendi Verbum divinum, & hoc vi suæ productionis esset similitudo & imago Creaturarum, quod an verum sit apperiemus in Tractatu de Trinitate.

Quæstio Secunua.

An & quomodo Deus cognoscat Creaturas possibiles?

Status Quæstionis.

TRIA sunt maximè in præsenti quæstione resolvenda: *Primum* quidem an Deus reverà distinctè & clarè intueatur rerum omnium possibilium quidditates, proprierates & appendices: *Secundum*, an hæc cognirio ad scientiam visiouis nullatenus pertineat: *Tertium* denique, an Creaturas illas possibiles intueatur in essentia sua, vel in omnipotentia, vel in ipsamet sua divina scientia: quæ ut evidentiùs innotescant.

I. Res possibilis duo complectitur.

Notandum primò, in quolibet ente possibili duo debere distingui, *Vnum* quidem quod dicit in recto; *Alterum* quod tantùm in obliquo significat. Primum est ipsum eus secundùm totam suam entitatem quam haberet si revera actu existeret; ens enim possibile illud dicitur, quod existere potest, & verum est quòd ens existens secundùm totam suam entitatem priùs fuit possibile: Secundum autem est duplex illa possibilitas quam illud eus importat, unam

A quidem intrinsecam & Logicam quæ est non repugnantia rei ad existendum, seu cujus extrema nullam contradictionem iuvolvunt ut invicem uniantut ad rem aliquam constituendam, puta *animal* & *rationale* ad effotmandum hominem. Aliam aurem extrinsecam, quæ consistit in respectu & ordine rationis quem res illæ possibiles concipiuntur dicere ad omnipotentiam divinam à qua produci possunt. Prior possibilitas est veluti radicalis & remota, fons & origo posterioris; idcirco namque divina poteutia Creaturas possibiles producere potest, quia illæ nullam in suo conceptu & existentia contradictionem important.

II. Discrimen inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis.

Notandum 2. discrimen scientiæ simplicis intelligentiæ à scientia visionis præcisè in eo non consistere, quòd idem objectum cognoscaur ab- B stractivè & intuitivè; uttaque enim cognitio Dei intuitiva & penetrativa est; nec ad scientiam intuitivam requiritur ut res cognoscatur quatenus est existens; sed solùm quatenus est præsens sive in se, sive iu alio tanquam iu medio priùs cognito, sicut v. g. objectum aliquod videtur intuitivè, vel in se, vel iu speculo in quo ut præsens repræseutatur. Nec etiam utraque scientia discrepat quòd prior terminetur ad non entia, posterior verò ad entia, seu una ad res possibiles alia ad res actu existentes; uttaque enim terminari. potest ad res actu existentes: siquidem scientia simplicis intelligentiæ C in rebus actu existentibus percipit earum possibilitatem; res namque existeutes suam adhuc possibilitatem Logicam retinent, siquidem revera uon habeut repugnantiam ad existeudum, licet uon habeant possibilitatem Physicam, & ordinem ad omnipotentiam divinam à qua produci possunt cùm jam de facto sint productæ: sicque respectum habent ad ipsam omnipotentiam earum productivam non ampliùs ut producibiles, sed ut productæ sunt. Tota itaque utriusque Scientiæ varietas maximè consistit in eo quòd res easdem hac utraque scientia Deus percipiat diverso modo diversaque ratione.

III. Quid sit medium cognitionis *ut quo* & *ut quod*.

D *Notandum* 3. Duplex à Philosophis solere distingui medium ducens in cognitionem alterius, unum *ut quo*, quod vocarur medium incognitum, qualis est species impressa quæ non cognoscitur ut quod: sed solùm est ratio cognoscendi objectum quod repræsentat. Aliud *ut quod*, quod appellarur medium cognitum, quale est speculum, v.g. quod priùs debet videri quàm in eo videantur objecta quæ repræsentat. Dubium autem est an Creaturæ possibiles videantur in Omnipotentia divina distinctiùs & expressiùs quàm in essentia, vel in divina scientia tanquam in medio cognito.

E Conclusio Prima.

IV. Deus novit res possibiles perfectissimè.

DEUS *res possibiles distinctissimè cognoscit quantùm ad earum quidditates, proprietates, & appendices*: Hæc est communis, & sufficienter probata manet in postrema quæstione prioris articuli: Nihilominus firmatur iterum hac ratione. Deus est agens productivum rerum per intellectum & voluntatem: sed tale agens cognitionem habet rerum à se faciendarū & productarum: Ergo Deus distinctè cognoscit res quas potest producere quasque produxit. Probatur major: Præstantissimæ causæ tribuendus

est præstantissimos producendi & causandi modus: sed Deus est omnium causarum Prima & præstantissima; modusque res producendi præstantissimus fit per intellectum & voluntatem: Ergo illa causandi ratio Deo tribuenda est. *Probatur minor*: Agens per intellectum & voluntatem agit per modum artificis: sed artifex priùs rem cognoscit quàm ipsam producat; nam ut ait Aristoteles 7. Metaphysicorum lib. 5. *Domus ad extra fit à domo quæ intra mentem artificis formata est.*

Adde quòd agens per voluntatem, necessariò præsupponat cognitionem objecti circa quod operatur; nihil enim volitum est quin præcognitum: Ergo agens per voluntatem, necessariò habet præcognitionem rei quam efficit: adeoque cùm Deus præstantissimè agat per voluntatem, & omnia operetur secundùm consilium voluntatis suæ, necessariò præcognoscere debet res à se faciendas.

Confirmatur ex Apostolo ad Rom. dicente de Deo, *Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt:* Hoc est juxta communem Interpretum sententiam, Deus æquè novit res possibiles, & quæ nondum existunt, ac eas quæ sunt in rerum natura. Quod rursus comprobat ipsemet Apostolos ad Hæbræos 4. *Non est in illo ulla Creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus*; & consequenter non ipsum latent Creaturæ possibiles, easque distinctè intuetur.

Dices: Si Deus cognoscat ens possibile quatenus ens possibile est, cognoscit non ens quatenus est non ens: sed Deus non potest cognoscere non ens: Ergo nec res possibiles; *Major patet* ex præcedenti quæstione, in qua probatum est Creaturas possibiles formaliter & in seipsis consideratas, non esse aliquid reale, sed purum ens rationis. *Minor* probatur, Deus non potest cognoscere nisi quod est cognoscibile; non ens autem non est cognoscibile, cognoscibilitas enim est proprietas entis, quæ consequenter non potest non enti competere.

V. *Respondeo* 1. Quod etsi Creaturæ possibiles formaliter & in seipsis consideratæ, nihil reale habeant; attamen non sunt purum nihil; concipiuntur enim tãquam exemplaria earum rerum quæ aliquando extituræ sunt realiter, & ideirco aliquam saltem exemplarem habent intelligibilitatem. *Secundò*, licet illæ creaturæ, quatenus possibiles, per se formaliter non sint intelligibiles: tamen intelligi possunt in Essentia divina in qua relucent statim ac productæ sunt secundùm earum esse diminutum & objectivum ab intellectu divino: Intelligi pariter possunt ex comprehensione divinæ Omnipotentiæ ad quam tanquam ad causam illarum in esse reali productivam, habent respectum rationis, quod sufficit ut ab intellectu divino distinctè percipiantur, sicut in tertia sequenti Conclusione probabimus.

Qualiter Creaturæ possibiles sint intelligibiles.

CONCLUSIO SECUNDA.

VI. **C**REATURÆ *possibiles cognoscuntur à Deo tantùm scientiâ Simplicis Intelligentiæ*: Conclusio patet ex secundo Notabili: In hoc enim scientia simplicis Intelligentiæ à scientia Visionis solùm discrepat, quod scientia simplicis intelligentiæ versetur circa res quatenus sunt possibiles, & in suis causis, & quatenus nullam in suo conceptu formali repugnantiam important ad existendum: Scientia autem visionis feratur circa res præsentes vel præteritas, vel futuras, seu ut loquitur sanctus Thomas q. 2. de Veritate Art. 9. ad 2. *Dicitur scientia visionis in Deo, ad similitudinem visûs corporalis, qui res extra se positas intuetur. Unde per scientiam visionis, Deus scire non dicitur nisi quæ sunt vel præsentia, vel præterita, vel futura: sed scientia simplicis intelligentiæ etiam est eorum quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt.* Quibus sanctus Thomas apertè fatetur scientiam simplicis intelligentiæ à scientia visionis distingui, quòd prior versetur circa rerum possibilitatem; posterior verò circa earumdem existentiam.

Cognoscuntur tantùm Scientia Simplicis intelligentiæ.

Nec refert quod Deus intuitivè conspiciat res possibiles, sieque eas habeat præsentes in esse cognito & objectivo. Hæc enim præsentia non sufficit ad rationem scientiæ visionis, quæ per se postulat terminari ad realem rerum existentiam, sive præsentem, sive præteritam, sive futuram. Nihilominus non incongruè dici posset scientiam simplicis intelligentiæ præcisè à scientia visionis distingui, non penes varietatem objecti, sed penes rationem adæquati & inadæquati; ita quòd scientia visionis totaliter & adæquatè complectatur omnimodam divinæ scientiæ latitudinem, eò quòd omnis divina scientia per se propriè sit intuitiva: Scientia autem simplicis intelligentiæ tantùm significet & importet inadæquatam, & partialem illius divinæ scientiæ rationem, nimirum quatenus terminatur ad res ut tantùm sunt possibiles.

CONCLUSIO TERTIA.

CREATURÆ *possibiles distinctè cognoscuntur in divina Essentia & Omnipotentia, in qua relucent tanquam effectus in causa, potente illas producere & repræsentare*: Hæc est communis, in eo namque Creaturæ possibiles cognoscuntur tanquam in medio cognito, in quo distinctum suum habent esse intelligibile, & a quo possunt habere verè suum esse reale; sed utrumque habent, *Primum quidem in Essentia divina*, quæ cùm vim habeat infinitam repræsentandi quodlibet ens, statim distinctè repræsentat Creaturas possibiles in earum esse cognito & objectivo, ac ab intellectu divino productæ sunt: *Secundum autem ab Omnipotentia divina*, ad quam respectum habent & ordinem rationis, tanquam ad causam à qua habent quòd sint completè & proximè possibiles & producibiles. Licet enim ex se habeant non repugnantiam ut producantur, non tamen essent proximè producibiles, nec consequenter completè producibiles, si nulla esset causa quæ posset illas producere. VII.

Idque vel in Essentia, vel in Omnipotentia divina.

Dices: Quod cognoscitur in Essentia & Omnipotentia, tantùm percipitur tanquam in causa generali & universali: sed quod ita percipitur non cognoscitur distinctè: Ergo vel creaturæ possibiles non cognoscuntur in Essentia & Omnipotentia divina, vel non cognoscuntur distinctè; *Patet minor*: Cognoscere enim rem in causa universali, nihil aliud est, quàm rem in genere & in universali attingere: sed ita rem percipere, non est eam cognoscere distinctè, & quatenus est tale ens talibusque specialibus proprietatibus illustratum. Ergo, &c.

VIII. *Distinguo minorem*: Cognoscere rem in causa universali concurrente solùm generaliter, & in communi ad rerum productionem, sicut Sol v. g, dicitur causa universalis omnium generabilium & corruptibilium, quia concurrit ad quædam eorum principia communia, sic non est rem distinctè cognoscere, concedo: Cognoscere verò effectum in causa universali, nedum in genere, & universaliter, sed etiam in specie & in individuo concurrente ad quorumlibet effectuum particularium productionem, qualis est omnipotentia divina respectu rerum omnium formabilium; non est rem sic distinctè cognoscere, nego: Sicut enim Deus per suam Omnipotentiam distinctè concurrit ad quarumlibet rerum quantumvis particularium productionem; & cùm divina omnipotentia, virtualiter & distinctè contineat res omnes particulares; consequens est quod intellectus divinus divinam omnipotentiam comprehensivè cognoscendo, etiam & comprehendat res ipsas omnes ad quas respectum habet & ordinem.

Nec tamen minùs distinctè percipiuntur.

Dices 2. Si Deus in sua Omnipotentia cognosceret Creaturas tanquam in medio priùs cognito, sequeretur quòd scientia Dei posterior esset quàm attributum Omnipotentiæ: consequens est absurdum: Ergo Deus non cognoscit Creaturas possibiles in sua Omnipotentia. Major est evidens, objectum enim formale specificans, & medium priùs cognitum, debent esse priùs cognitione: Ergo si Omnipotentia sit medium priùs cognitum & cognitionem specificans prior erit quàm ipsa cognitio: hoc autem absurdum est, omnipotentia enim est attributum posterius non solùm intellectu, sed etiam voluntate. *Deinde* Scientia Dei dirigit omnipotentiam: Ergo prior est quàm omnipotentia: Denique non idcirco Deus est omniscius quia est omnipotens: si enim per impossibile non esset omnipotens, non propterea sequeretur quod non esset omniscius.

IX. *Distinguo majorem*: Sequeretur quòd scientia Dei posterior esset quàm attributum omnipotentiæ, quatenus illa scientia terminatur ad suum objectum primarium, nimirum ad essentiam divinam, nego: Ut sic enim considerata est attributum divinum prius ipsâ omnipotentiâ etiam in actu primo operativâ: Posterior esset omnipotentiâ in actu primo operativâ, quatenus illa scientia terminatur ad objectum secundarium ab illa omnipotentia producibile, concedo. Itaque Omnipotentia divina considerari potest operativa, vel in actu primo, nimirum quatenus est illa divina virtus quâ Deus alia à se producere potest, & sic prior est intellectu & voluntate Dei quatenus terminatur ad objecta secundaria, & ad creaturas cognitas & volitas. Secundò, quatenus illa divina omnipotentia consideratur ut est actu operativa & productiva, & sic posterior est intellectu & scientia; siquidem scientia Dei dirigit illius omnipotentiam operantem in actu secundo, non verò operativam in actu primo: Unde sequitur quòd Deus de facto est omniscius respectu creaturarum, quia est omnipotens, & quòd si non esset omnipotens non esset omniscius eô modô, quô nunc est.

Nec inde sequitur Scientiam divinam esse Omnipotentiâ posteriorem absolutè.

Instabis: Omnipotentia non completur nisi per scientiam per quam dirigitur: Ergo etiam Scientia Dei est prior omnipotentiâ ut in actu primo operativâ, sicque omnipotentia non poterit esse medium cognitum perficiens divinam cognitionem.

Distinguo antecedens: Omnipotentia non completur adæquatè in ratione proximè operativæ nisi per scientiam sui directivam, concedo: Non completur in actu primo in ratione potentiæ operativæ absolutè sumptæ, nego: Unde Scientia divina prior quidem est omnipotentiâ in actu primo operativâ proximè; non est autem prior ipsâ omnipotentiâ absolutè sumptâ.

Dices 3. Si Deus cognosceret objecta secundaria in sua omnipotentia tanquam in medio priùs cognito, sequeretur illum non cognoscere peccata, entia rationis, & impossibilia; etenim cum divina Omnipotentia nullam habent connexionem; utpote quæ ab ea non possunt produci: sed falsum consequens: Ergo & antecedens.

Distinguo: Non posset Deus illa cognoscere mediatè saltem & indirectè in seipso, quatenus nimirum videt in se causas secundas, à quibus peccata & entia rationis fieri possunt, nego: Non posset illa primò cognoscere immediatè, & directè in illis ipsis, sed solùm secundariò, concedo. Itaque Deus comprehendendo suam omnipotentiam, etiam comprehensivè & intuitivè cognoscit illud omne quod ab ea factibile est; cognoscit pariter quidquid fieri vel non fieri potest ab ipsis creaturis per suam Omnipotentiam producendis: Sicque directè quidem & primò non videt peccata, entia rationis, & impossibilia, sicut videt ipsas Creaturas; sed tantùm secundariò ipsius divina cognitio ad illa terminatur.

SECTIO SECUNDA.

De Scientia Visionis.

I. INGENTES ac innumeros propè difficultatum fluctus, ut Oceanus alter syrtibus & scopulis refertus, Sectio præsens complectitur; eoque tremendos magis ac periculosiores, quò plures hactenus hujus divinæ Scientiæ curiosi nimis Investigatores apertam in hæresim & tetrum in errorem lapsi lugendum in fide naufragium fecerunt: itaut eorum quisque merito cum Regio vate exclamare potuerit, *Veni in altitudinem maris & tempestas demersit me.*

Quàm sit arduum & periculosum de Scientia visionis aliquid vel certò statuere.

Hinc S. August. Theologorum vertex & aquila in inscrutabilem hanc rerum futurarum dubiam cognitionem suos mentis obtutus defigens, ita radiorum illius pondere ac majestate deprimitur, ut in hæc verba erumpat lib. 11. Confessionum cap. 19. *Quisnam ille modus est quo doces futura, cui futurum quidquam non est, vel potius de futuris doces præsentia? Nam quod non est nec doceri utique potest. Nimis longè est modus iste ab acie mea. Invaluit ex me non potero ad illum: potero autem ex te, cum dederis tu dulce lumen occultorum oculorum meorum:* Itaque etiam si nobis affulgeat irradietque sacra Scriptura sanctorumque Patrum doctrina, hanc investigabilem divinam scientiam utcumque reserandam auspicabimur

Quatuor in sequentibus Quæstionibus, in qua- Sectionis distributio.

rum *Prima* resolvetur, an certò futura contingentia Deus cognoscat: in *Secunda* quonam in medio priùs cognito illa noverit: in *Tertia*, an hæc divinæ Scientiæ certitudo rerum contingentiæ, & humanæ libertati non officiat: in *Quarta* denique, an res ideo futuræ sint quia Deus illas novit; vel è contra, utrum Deus res futuras noverit quia illæ futuræ sunt.

QUÆSTIO PRIMA.

An futura contingentia Deus certo noverit?

II. Quid sit ens necessarium & ens contingens.

NOTANDUM 1. Ens generatim solitò distribui in necessarium & contingens. Necessarium illud dicitur quod ita ex se firmam habet existentiam, ut sibi repugnet non esse; qualiter solus Deus, & ea omnia quæ divinam Essentiam circumstant, dicuntur esse necessaria; ipsis enim repugnat non esse. Contingens verò dicitur illud quod potest esse, vel non esse, & sicut productum fuit ex nihilo, ita desinere potest & in nihilum abire, qualiter omnes Creaturæ dicuntur contingentes.

Insuper rerum contingentia considerari potest vel in ordine ad causam primam, vel secundam. Priori modô omnes Creaturæ omnesque earum effectus absolutè sunt contingentes; sicut enim Deus liberè Creaturas producit, ita liberè concurrit ad illarum effectuum productionem. Posteriori modô cum duplex sit causarum naturalium ordo, quarum Aliquæ sunt naturales & necessariæ, quæ scilicet positis omnibus ad agendum requisitis, suos necessariò producunt effectus: ita quòd nisi præpediantur à Prima per denegationem sui divini concursus, non possint à suorum effectuum productione dimoveri, nec retardari: Aliæ verò sunt liberæ, quæ scilicet positis omnibus desiderandis ad actionem circunstantiis possunt liberè se determinare ad agendum, vel non agendum. Priorum causarum, nempe naturalium effectus, dicuntur necessarii per ordinem videlicet ad causam Secundam, à qua necessariò producuntur, quamquam contingentes sint absolutè per ordinem ad causam Primam quæ potest illarum productionem impedire. Posteriorum verò causarum, videlicet liberarum, effectus, omnino sunt contingentes per ordinem ad utramque causam tam Primam quàm Secundam. De quibus etiam maximè præsens movetur quæstio, num scilicet omnes contingentes effectus secundùm quaslibet eorum circunstantias, Deus certò & infallibiliter noverit.

III. Futurorum est triplex genus.

Notandum 2. Futurum illud appellari, quod licet revera actualem non habeat existentiam; tamen aliquando habiturum est secundùm divinæ voluntatis determinationem, & certam connexionem quam habet cum causis à quibus produci potest. Unde triplex est effectuum futurorum genus, juxta triplicem causarum dispositionem. *Primò* enim quædam sunt causæ ex quibus necessariò sequitur effectus, nisi in suis operationibus præpediantur à Prima, quales sunt v. g. dierum & noctium vicissitudines; Solis, Lunæ, & aliquorum aliorum astrorum Eclypsis, quæ cùm certam, & determinatam habeant connexionem cum suis causis, etiam demonstrativè sciri possunt: *Secundò*, quædam sunt causæ ex quibus sequuntur effectus ut plurimùm, inquantum videlicet illæ causæ magis determinatæ sunt ad unum, quàm ad aliud, & ex iis potest haberi scientia conjecturalis de futuris effectibus. *Tertiò* tandem sunt quædam causæ quæ omnino indifferentes sunt ad utrumlibet effectum, quales sunt omnes causæ liberæ, ex quibus futurus effectus cognosci vix potest. Cum igitur quærimus an Deus certò noverit futura contingentia, maximè sermo est de effectibus tertii generis

Notandum 3. Ex Doctore *quæst.* 14. *quodlib. art.* 2. *Litt. S.* hunc distingui posse ordinem in divina rerum Creatarum cognitione, quòd postquam Essentia divina intellectum divinum movit ad cognitionem sui & eorum omnium quæ formaliter in Deo sunt. *Primò* movet eum intellectum ad simplicem cognitionem entis creati quatenus abstrahit ab existentia, & tantùm habet rationem entis intelligibilis & possibilis; quæ motio necessaria est, non autem contingens. *Secundò* divinus intellectus veluti exhibet & offert divinæ voluntati illas Creaturas possibiles, veluti demonstrando ei tales Creaturas posse existere, vel non existere; & in hoc signo divina voluntas decernit talium Creaturarum pro tali tempore futuram existentiam & productionem: quô positô decretô, statim divina Essentia ipsi divino intellectui exhibet determinatè futuram illarum Creaturarum existentiam, & sic divinus intellectus certò cognoscit rerum contingentium futuritionem. Non quòd moveatur à rebus ipsis; tunc enim vilesceret, si ab alio quàm à divina Essentia moveretur; sed quemadmodum divina Essentia movet ad cognitionem futurorum contingentium: cum hoc tamen discrimine, quòd ad priorum cognitionem moveat antecedenter ad operationem voluntatis divinæ: ad futurorum verò contingentium cognitionem moveat tantùm consequenter ad determinationem ipsius divinæ voluntatis, à qua provenit omnis rerum contingentia. IV. Qualis sit ordo notandus in divina rerum Creatarum cognitione.

His præsuppositis celebris est inter Theologos, & Gentiles Philosophos controversia, an Deus futura contingentia certò noverit; præscientiam enim futurorum negavit Cicero l. 2. de Divinatione, incitatus autem fuit ad hoc sentiendum maximè quòd ut ait S. Augustinus lib. 2. de Civit. Dei cap. 6. *Vtrumque arbitrabatur esse non posse; sed si alterum confirmatur, alterum tolli; si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium; si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum. Ipse itaque ut vir magnus, & doctus, & vitæ humanæ plurimum ac peritissimè consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium; quod ut confirmaretur negavit præscientiam futurorum: atque ita homines cum vult facere liberos, fecit sacrilegos.* Eundem in errorem impegerunt Stoïci ut refert sanctus Augustinus supra laudatus. Et ex Hæreticis Joannes Vviclef *art.* 27. & Lutherus *art.* 36. nec-non & alii Sectarii nostri temporis: quamquam eorum aliqui non tam propter divinam præscientiam, quàm propter divinæ voluntatis efficaciam & immutabilitatem, omnia fato subjiciant: contra quos omnes sit. Status Quæstionis proponitur.

Conclusio Unica.

V.

Deus certò novit futura contingentia.

Probatur 1. ex Scriptura.

DEus *certò & infallibiliter novit omnia futura contingentia:* Hæc est de fide, & probatur apertis Scripturæ textibus Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas, & funiculum meum investigasti, & omnes vias meas prævidisti:* Daniel 13. *Deus æterne qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant:* Eccles. 23. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum:* Idest Sole clariùs eas circunspiciunt, *& profundum abyssi & hominum corda intuentes in absconditas partes; Domino enim Deo antequam creentur omnia sunt agnita:* Et cap. 39. *Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus, à sæculo usque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus.*

2. Ex prædictionibus.

Confirmatur item ex iis textibus quæ frequentes Dei prædictiones de rebus futuris enuntiant. Unde etiam futurorum præscientia *Divinatio* appellari solet, quia, inquit Origenes lib. 5. contra Celsum: *Futurorum prædictio Divinitatis nota est & caracter:* Et Tertullianus in Apologetico cap. 20. *Idoneum testimonium divinitatis, veritas divinationis:* Quod ipsemet Dominus confirmat Isaiæ 41. ubi ut Gentilium Numinum inanitatem demonstret, ait: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos:* Et cap. 44. *Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus, quis similis mei? Vocet & annuntiet, & ordinem exponat mihi ex quo constitui populum antiquum; ventura, & quæ futura sunt annuntiet eis:* Unde sanctus Augustinus supra laudatus: *Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.*

3. Ratione Theologica.

Id ipsum probant omnes Prophetiæ quas ipsa divina Scriptura complectitur; Lumen enim Propheticum participatio quædam est divinæ præscientiæ: unde Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 5. *Præscientia Dei tantos habet testes, quantos fecit Prophetas.*

1. Quia Deus certò novit quidquid est scibile: futura autem contingentia sunt scibilia.

Probatur eadem veritas ratione. Deus certò novit quidquid est scibile; cùm enim sit infinitus & illimitatus in omni genere perfectionis, maximè infinita & illimitata deberesse illius divina cognitio: atqui futura contingentia verè sunt scibilia, quia verè sunt futura; Quidquid autem est verum, est pariter scibile. *Probatur minor:* Quidquid verè existit eô tempore, quô est, erat verè futurum respectu totius temporis antecedentis illius existentiam; Futurum enim nihil aliud est quàm illud ipsum quod dicitur præsens pro illo tempore quô de facto existit, & futurum respectu temporis præcedentis, & præteritum respectu temporis subsequentis: Ergo sicut illius esse præsens est verum, seu sicut verum est illud esse præsens respectu temporis cui coëxistit; ita pariter verum est quod sit futurum pro tempore antecedenti, & præteritum pro tempore subsequenti.

2. Quia una propositionum contradicentium de futuro est determinatè vera.

Probatur 2. Duarum propositionum contradictoriarum de futuro contingenti etiam singulari, una est determinatè vera, altera est determinatè falsa: Ergo pariter à Deo sunt determinatè scibiles. Patet consequentia, Deus enim scire potest quidquid est scibile, omne autem verum est scibile, & consequenter à Deo cognosci potest. *Probatur antecedens:* Primò quia A una est determinatè conformis objecto & altera difformis, ex eo enim quod res vel est, vel non est, eô tempore quô significatur esse vel non esse, propositio id significans est conformis vel difformis objecto, adeoque est vera vel falsa.

Secundò: Si indeterminata & incerta veritas inter utramque propositionem penderet, & solùm verum esset disjunctim *Petrus peccabit, vel non peccabit,* sequeretur singula hujus disjuncti membra seorsim sumpta esse falsa: sed hoc evidenter est impossibile. Si enim hæc falsa sit *Petrus peccabit:* Ergo altera quæ dicit *Petrus non peccabit* erit vera, quia est conformis objecto.

Tertiò, Implicat dari medium inter duo con- B tradictoria, quia implicat dari medium inter ens & non ens, seu inter esse & non esse: Ergo implicat etiam unam è duabus contradictoriis quæ affirmat aut negat rem esse, non censeri veram neque falsam, sive affirmet aut neget pro tempore præsenti, sive pro futuro, aut pro præterito; neque enim minùs contradictorium esset rem aliquam esse futuram, aut non esse futuram; præteritam aut non esse præteritam, quàm esse præsentem aut non esse præsentem: Ergo cùm res significata sit simul futura & non futura; neque tantùm indeterminatè sit futura vel non futura; sed verè sit distinctè futura, vel distinctè non futura: C Consequens est, quòd si non sit futura, propositio quæ negat esse futuram, est vera distinctè & determinatè: Si autem futura est, propositio quæ affirmat esse futuram, est determinatè vera & altera quæ negat eam esse futuram, est determinatè falsa.

Quarto, Omnis propositio à Deo revelata, est determinatè vera & non tantùm indeterminatè vera vel falsa: sed Deus revelat unam è duabus propositionibus contradictoriis de futuro contingenti: Ergo illa est determinatè vera, & consequenter est à Deo determinatè scibilis.

3. Quia illa est producturus.

Probatur 3. Deus certò novit futura contingentia, dum illa determinato suo tempore D accipiunt existentiam, & ab eo producuntur: operatur enim ad extra ut artifex; artifex verò rem novit antequam eam efficiat, adeoque Deus etiam novit res quas producere debet, aliàs ageret sine providentia & sapientia: Ergo etiam longè antequam producantur, illas novit. Consequentia patet, alioquin divina scientia mutabilis esset & incrementum acciperet juxta rerum existentiam, quod omnino Deum dedecet.

Hoc argumentum mirum in modum urget S. Augustinus lib. ad Aurelium contra Priscilianistas & Origenistas cap. 8. ubi cum dixisset hæc verba Joannis: *Omnia per ipsum facta sunt:* E Concludit: *Noverat ergo Deus omnia quæ fecit antequam faceret, non enim possumus eum dicere ignorata fecisse, & ea non nisi facta didicisse: nescisse quid faceret, sed scisse quod fecit. Hoc enim si de aliquo artifice diceremus, insipientissimè saperemus. Noverat ergo ea facienda; non facta noverat, ut faceret; non quia fecerat. Proinde quamvis iam nota essent, quia nisi à sciente non fierent, non tamen facta esse cœperunt, quæ ut fierent sciebantur antequam fierent.*

Objiciunt primò Hæretici & Philosophi, maximè Vvicleffus. Si propositio de futuro contingenti est determinatè vera aut falsa, sequitur illam non esse indifferentem, nec consequenter esse contingentem: Contingens enim

illud est quod esse potest vel non esse: Ergo vel una propositio non est determinatè vera, vel nulla in rebus est contingentia.

Distinguo antecedens: Sequitur illam non esse indifferentem ad verum vel falsum, concedo: Sequitur illam non significare rem indifferentem & contingenter existentem, nego: Licet enim propositio vera sit aut falsa, nihilominus rem contingenter quamquam determinatè futuram connotat: Hæc enim duo non repugnant quod effectus sit contingens & simul determinatè futurus. Dicitur enim contingens propter indifferentiam causæ in actu primò; dicitur autem determinatè futurus propter determinationem ejusdem causæ in actu secundò, quia videlicet illa causa quæ potest operari & non operari, reipsa operatura est, seseque liberè determinatura ad effectûs productionem tempore significato per illam propositionem.

VI. *Objiciunt* 2. Plures Scripturæ textus, quibus Deus dubitativè de rebus futuris loquitur, quod indicium est illum non eas certò novisse, sic Matth. 21. *Verebuntur fortè Filium meum:* Et Jeremiæ 26. *Noli substrahere verbum si fortè audiant.*

Objiciuntur varii Scripturæ textus.

Respondeo primò: Per hanc particulam *fortè* non significare dubiam de rebus futuris cognitionem: sed primò ut ostendatur liberum hominis arbitrium, quô scilicet potest divinum verbum audiri vel non audiri; *Verbum enim ambiguum (forsitan)* inquit Hieronymus in cap. 26. Jeremiæ, *Majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum hominis salvetur arbitrium.* 2. Ut designetur maxima hominis malitia ex quâ vix aliquid boni expectari possit & produci. Ita enim S. Aug. tractatu 37. in Joannem supra hæc verba, *Si me sciretis forsitan & Patrem meum sciretis*, interpretatur; *Ille*, inquit, *quia omnia scit cùm dicit* FORSITAN *non dubitat, sed increpat: dubitationis verbum est cum dicitur ab homine ideo dubitante quia nesciente; quando verò dicitur à Deo, cùm Deum nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Divinitas.* 3. Ut Scriptura sacra significet futurorum eventum esse hominibus incertum: unde S. Aug. in Psal. 2. explicans illa verba: *Nequando irascatur:* ait, NE FORTE *non ob incertitudinem propriè dictum; sed ratione eorum qui commonentur, qui cum dubitatione solent existimare Dei futuram iram.*

Sed solvuntur & explicantur.

Objiciunt 2. Si in Deo esset certa & infallibilis futurorum contingentium scientia, vana esset & otiosa providentia, ac sollicitudo hominum tam circa temporalia, quàm circa spiritualia: sive enim de illis simus solliciti sive non, ea infallibiliter evenient, cùm divina præscientia non possit falli.

VII. *Nego sequelam:* Quando enim Deus præscit & prædefinit aliquem effectum futurum, simul etiam præscit, & definit causas & media quibus debet evenire, subindeque scit quidem illum infallibiliter eventurum, sed per tales causas & talia media: Unde cùm industria & sollicitudo humana sit unum ex illis mediis & causis quibus mediantibus res tam spirituales quàm temporales fieri & evenire debent; illa necessariò est adhibenda tam in spiritualibus quàm in temporalibus: juxta illud 2. Petri 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis.*

Divina præscientia non solvit hominis libertatem.

VIII. *Objiciunt* 3. Cum Marcione apud Tertullianum lib. 2. cap. 5. *Si Deus bonus est præscius futuri, & advertendi mali potens, cur hominem, & quidem imaginem & similitudinem suam, imo & substantiam suam per animæ scilicet censum, passus est labi de obsequio legis in mortem circumventum à Diabolo? Si enim & bonus, qui evenire tale quid nollet; & præscius qui eventurum non ignoraret, & potens qui depellere valeret, nullo modo evenisset quod sub his tribus conditionibus divinæ majestatis evenire non posset. Quod si evenerit, absolutum est è contrario Deum neque bonum credendum, neque præscium, neque potentem.*

Argumentum Marcionis contra divinam præscientiam.

Respondet ipsemet Tertullianus *ibidem cap. 6. & sequentibus*, Deum equidem præscium fuisse futuræ transgressionis Adami, quam tamen prohibere licet potuerit, non debuit, ne scilicet læderet hominis libertatem; *Oportebat*, inquit, cap. 6. *Deum cognosci bonum, hoc utique & rationale. Oportebat dignum aliquid esse quod Deum cognosceret. Quid tam dignum prospici posset quàm imago Dei & similitudo? Et hoc bonum sine dubio, & rationale. Oportebat igitur imaginem & similitudinem Dei, liberi arbitrii & suæ potestatis institui, in qua hoc ipsum, imago, & similitudo Dei deputaretur, arbitrii scilicet libertas, & potestas..... Quale enim erat ut totius mundi possidens homo, non in primis animi sui possessione regnaret, aliorum Dominus, sui famulus.... Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui Dominus constanter occurreret, & bono sponte servando, & malo sponte vitando; quoniam, & aliàs positum hominem sub judicio Dei oportebat justum illud efficere de arbitrii sui meritis, liberi scilicet. Cæterùm, nec boni nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. In hoc & lex constituta est non includens; sed probans libertatem, de obsequio sponte præstando vel transgressione sponte committenda, ita in utrumque exitum libertas patuit arbitrii.*

Solvitur à Tertulliano.

Quibus Tertullianus concedit Deum debuisse hominem proprio committere arbitrio, ut exinde præmio donandus, si divinæ Legis observator, & pœnis afficiendus esset, si transgressor existeret. Non enim potuit hominem coercere, quin concessam ipsi arbitrii libertatem rescinderet, quam ratione & bonitate permiserat. Quod utique ipsum dedecebat.

Objiciunt 4. Si Deus novisset futura contingentia, sequeretur admittendam in eo esse rerum præscientiam: sed falsum consequens: Ergo & antecedens. Probatur minor ex S. Augustino lib. 2. quæstionum ad Simplicianum, quæst. 2. *Quid est*, inquit, *præscientia nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora: si enim in scientia res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes; ac per hoc non iam* PRÆSCIENTIA, *sed* SCIENTIA *dici potest.*

Respondeo S. Augustinum his verbis non negare Deo cognitionem rerum futurarum, sed tantùm eum velle quòd divina cognitio cùm omnia in prospectu habeat, potiùs *scientia* quàm *præscientia* debeat appellari. Cui concinit S. Greg. lib. 2. Moralium cap. 25. ubi eandem quæstionem sic proponit & dissolvit: *Præscire*, inquit, *dicitur, qui unamquamque rem antequam veniat videt, & id quod futurum est priusquam præsens fiat prævidet, &c. Deus autem quomodo est præscius: dum nulla, nisi quæ futura sunt præsciantur? & scimus quia Deo futurum nihil est; ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia* IX.

Qualiter S. Augustinus negavit Deum habere veram præscientiam.

non

non transeunt, futura non eveniunt. Quippe quia omne quod nobis fuit & erit, in ejus prospectu præsto est, & omne quod præsens est scire potest priùs quàm præscire. Mox autem & quia ea quæ nobis futura sunt videt, quæ tamen ipsi semper præsto sunt, præscius dicitur, quamvis nequaquam futurum prævideat, quod præsens videt.

Egregia S. Gregorii & Boëtii hac de re doctrina.

Cui & Boëtius accedit ita scribens: *Est autem Deo semper æternus ac præsentarius status, Scientia quoque ejus omnem temporis supergressa motionem in suæ manet simplicitate præscientiæ: Infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens omnia quasi jam gerantur, in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præscientiam pensare velis qua cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam numquam deficientis instantiæ rectius existimabis.*

Nonnullas alias objiciunt rationes quibus probare nituntur divinam præscientiam summè officere rerum contingentiæ, & hominum libertati; sed illas expressè proponemus & solvemus in tertia quæstione sequenti: verùm priùs sit.

Quæstio Secunda.

Quomodo, & in quo medio priùs cognito Deus noverit futura contingentia?

Cum omnis cognitio necessariò præsupponat objectum formale motivum intellectûs ad illam formandam, alioquin cognosceretur aliquid sine ratione cognoscendi: sic quoties cognitio certa est, etiam requirit rationem formalem in objecto omnino certam, alioquin objectum perfectiùs cognosceretur quàm sit cognoscibile: Quæritur ergo inpræsentiarum quænam sit formalis illa ratio certa & infallibilis, quæ ita necessariam habeat connexionem cum futuro contingente incerto, ut infallibiliter divinum intellectum moveat ad illius cognitionem. In qua difficultate resolvenda operosè laborant oculatissimi quique Theologi, quorum variæ, & multiplices sententiæ ut appareant evidentiùs.

I. Futura conceptibilia sunt vel in se, vel in suis causis.

Notandum 1. Futura contingentia esse conceptibilia duobus modis, nimirum vel in se, vel in suis causis. *In se* quidem, vel ratione veritatis determinatæ quam habent in seipsis, & in eorum esse objectivo aut entitativo, vel ratione præsentiæ & existentiæ quam habent: vel in Essentia divina in quâ repræsentantur, vel in ideis divinis. *In causis* verò, vel proximis & creatis à quibus producenda sunt, vel in Increata, quatenus nimirum continentur virtualiter in Omnipotentia divina, quæ potest illis veram & realem existentiam tribuere. *Insuper*, Secundùm utrumque modum considerari possunt, vel antecedenter ad decretum divinum, vel in ipso decreto divino, vel post decretum divinum:

Item vel ante, vel in, vel post decretum.

Inde variæ Theologorum circa præsentis quæstionis resolutionem sententiæ ad tria maximè capita reduci possunt. *Quidam* enim affirmant futura contingentia à Deo cognosci in eorum veritate objectiva: *Alii* in ideis divinis: *Alii* verò in eorum esse entitativo antecedenter ad decretum divinum, videlicet per illam infinitam Dei intelligendi virtutem quæ penetrat & cognoscit quid unaquæque voluntas creata sub quocumque statu & conditione ponatur, de-

A terminatè volet. *Aliqui* censent illa cognosci in decreto divino prævisо priùs quàm de facto formetur. *Cæteri* denique contendunt illa solùm à Deo videri in Essentia & Omnipotentia divina præsupposito priùs divino decreto de illorum futuritione; quid autem veriùs tenendum sit, infra patebit.

Notandum 2. Ad hoc ut aliquid habere possit rationem medii ducentis in cognitionem alterius, duo maximè desiderari. Primò ut antecedat prioritate saltem naturæ & causalitatis, rem ipsam quam manifestat: Si enim esset purè concomitans, & ei correlatum, non posset in B cognitionem illius ducere; quia cùm correlata sint simul cognitione & naturâ, illa simul cognoscerentur, & utrumque posset esse ratio reciproca cognoscendi aliud, ut constat de relationibus mutuis, Paternitate videlicet, & Filiatione. Secundò, illud quod habet rationem medii cognitionis respectu alterius, necessariam cum illo, aut saltem infallibilem debet habere connexionem, alioquin unum ex alio non liceret colligere: Cùm enim cognitio unius ex alio, vel in alio æquivaleat discursui virtuali; cùmque nullus discursus sit legitimus nisi consequens habeat infallibilem connexionem cum medio & antecedente; oportet ut medium quod certò & infallibiliter ducit in cognitionem alte- C rius, habeat necessariam, vel saltem infallibilem cum eo connexionem. II.

Ad medii cognitionis duo maximè requiruntur.

III. Tria signa rationis in divina scientia statuuntur.

Notandum 3. Propositiones de futuro contingenti esse determinatè veras aut falsas ab æterno pro omni instanti reali; ita quòd nullum possit assignari instans reale, in quo Deus non se determinaverit absolutè, vel conditionatè circa futuritionem, vel non futuritionem omnium rerum possibilium. Vnde cùm quæritur an Deus cognoscat futura contingentia ante vel post decretum: Per illas particulas *ante* & *post*, non significatur prioritas, & posterioritas realis, sed rationis cum aliquo fundamento in re, nimirum ratione dependentiæ vel independen- D tiæ à decreto. Vnde affirmare Deum cognoscere futura contingentia ante decretum, idem est ac asserere illum ea cognoscere independenter à decreto. Hinc tria signa vel instantia rationis in divina Scientia distingui possunt, in quorum *Primo* Deus seipsum cognoscit Scientiâ omnimodè divinâ, suam videlicet divinam Essentiam suasque omnes divinas præcellentias intuitivè conspiciendo. In *secundo* cognoscit omnia possibilia per scientiam simplicis intelligentiæ, antecedenter ad quodlibet decretum suæ voluntatis, nihil scilicet determinando circa rerum futuritionem & existentiam: In *tertio* verò cognoscit res futuras Scientiâ Visionis, præviô scilicet decretô de illarum productione.

E Quæritur ergo an in secundo signo rationis in quô nondum concipitur formatum decretum de rerum futuritione, Deus futura contingentia noverit vel in esse entitativo quod habebunt in seipsis, vel in esse objectivo quod habent in seipso, vel in decreto formando, sed nondum formato & exercito de illorum futuritione, vel in divinis ideis res futuras repræsentantibus; vel denique utrum solùm illa noverit post formatum divinum suum decretum, & quatenus continentur virtualiter in Omnipotentia divina, aut in Essentia divina illorum repræsentativa. Quoniam autem operosum nimis & ab instituto nostro alienum esse singulas illas sententias

discutere, idcirco brevitati studentes, & nostram magis sententiam firmare quàm aliarum fundamenta convellere operæ pretium ducentes, tantùm sit.

Conclusio Unica.

IV. Deus futura novit in sua Essentia: sed præsupposito decreto.

DEus *infallibiliter ac determinatè futura contingentia novit in sua Essentia, supposito priùs decreto de ipsorum futuritione.* Hæc est communis inter fideles S. Thomæ, ac Doctoris Subtilis Interpretes & Sequaces: eamque apertè docet Subtilis Doctor in 1. *dist.* 39. *quæst. unica, num.* 23. Vbi cùm disertè probasset divinam voluntatem divinumque decretum esse primariam radicem causamque rerum futuritionis & contingentiæ, duos proponit modos quibus divinus intellectus dici potest illa futura contingentia novisse: *Primum* quòd Deus videat in se decretum & volitionem de rebus producendis, videatque pariter divinam voluntatem esse immutabilem, & non impedibilem; & consequenter videat illa quæ decernit futura, reverà esse futura: *Alium* autem dicendi modum proponit, nimirum quòd illa futura contingentia cognoscantur solùm in Essentia divina post formatum de illorum futuritione decretum, idque simplici intuitu. Priorem autem modum respuit ut minùs probabilem, eò quòd videatur arguere aliquem discursum in Deo; hæc enim cognitio quam sic haberet Deus de futuris contingentibus, deduci videtur in hunc modum, *Decrevi hoc esse futurum: sed quod decrevi est invariabile, quia voluntas mea est immutabilis: Ergo hoc certè erit futurum*; quæ illatio verè discursiva est, Deumque dedecet.

V. Eximia hac de re Subtilis Doctoris Doctrina.

Vnde Doctor alium probabiliorem & veriorē modum dicendi proponens, ait; *Potest poni aliter, quod intellectus divinus aut offert simplicia quorum unio est contingens in re: aut si offert complexionem, offert eam sicut neutram: & voluntas eligens unam partem, scilicet conjunctionem istorum pro aliquo nunc, in re facit illud determinatè esse verum: Hoc erit pro A. Hoc autem existente, determinatè verò, Essentia est ratio intellectui divino intelligendi istud verum: & hoc naturaliter quantum est ex parte Essentiæ. Ita quod sicut naturaliter intelligit omnia principia necessaria, quasi ante actum voluntatis divinæ, quia eorum veritas non dependet ab illo actu, & essent cognita ab intellectu divino si per impossibile non esset volens: Ita Essentia divina est ratio cognoscendi ea in illo priori instanti naturæ, quia tunc sunt vera. Non quidem quòd illa vera moveant intellectum divinum, nec etiam termini eorum ad apprehendendum talem veritatem: quia tunc intellectus divinus vilesceret, quia pateretur ab alio ab essentia sua: sed sicut Essentia divina est ratio cognoscendi simplicia, ita & complexa talia; tunc autem non sunt vera contingentia, quia nihil est tunc per quod habeant veritatem determinatam. Posita autem determinatione voluntatis divinæ iam sunt vera, videlicet pro illo secundo instanti, & hoc idem erit ratio intellectui divino, quod erat in primo (intelligendi ista) quæ sunt iam vera in secundo instanti & fuissent cognita in primo instanti, si fuissent in primo instanti.*

Quibus Doctor universum pandit ordinem quem divinus intellectus divinaque voluntas servant in decernenda & certò cognoscenda rerum contingentium futuritione; ita quòd primò divinus intellectus voluntati offerat conceptus rerum possibilium, quæ possunt existere, vel non existere, si nempe adveniat vel negetur decretum voluntatis: *Deinde*, Divina voluntas liberè sese determinat ad aliquas producendas, illarumque futuritionem decernit; quô factô, Essentia ex infinita sua virtute repræsentandi quodlibet ens verum, statim exhibet & repræsentat intellectui divino certò cognoscendam earum rerum futuritionem: adeoque ex mente Doctoris divinus intellectus non cognoscit certò, & infallibiliter rerum contingentium futuritionem nisi in Essentia divina, & præsuppôsito divino decreto.

VI. Nec-non & Angelici Doctoris.

Eandem sententiam amplectitur, & tuetur Angelicus Doctor, ut contendunt peritiores illius moderni Interpretes: remque pluribus ejus Angelici Doctoris textibus, & rationibus confirmat Gonetus, *Disp.* 4. de Scientia futurorum contingentium, *Art.* 5. maximè verò ex *lib.* 1. *contra Gentes cap.* 68. *ratione secunda*, ubi Angelicus Doctor ita discurrit: Deus cognoscendo suam essentiam alia cognoscit, sicut per cognitionem causæ cognoscuntur effectus: Omnia igitur Deus cognoscit, suam essentiam cognoscendo, ad quæ sua causalitas extenditur: Extenditur autem ad operationes intellectûs & voluntatis, cognoscit igitur Deus cogitationes & affectiones mentis. *Et ratione* 3. sic loquitur: *Sicut esse Dei est primum, & per hoc omnis esse causa: Ita suum intelligere est primum, & per hoc omnis intellectualis operationis causa. Sicut igitur Deus cognoscendo suum esse, cognoscit esse cujuslibet rei; ita cognoscendo suum intelligere & velle, cognoscit omnem cogitationem, & voluntatem. Idest volitionem.* Tandem concludit: *Et sic remanet causabilitas in causa prima quæ Deus est respectu motuum voluntatis, ut sic Deus seipsum cognoscendo hujusmodi cognoscere possit.* Ex quibus locis istud argumentum deduci potest juxta D. Thomam, Deus cognoscit actus liberos nostræ voluntatis, in sua essentia tanquam in causa: sed divina Essentia non est causa eorum nisi ut determinata per liberum decretum suæ voluntatis, cùm Deus non sit agens naturale, sed liberum: Ergo juxta D. Thomam Deus cognoscit actus liberos nostræ voluntatis in suo decreto.

VII. Probatur hæc veritas authoritate SS. Patrum.

Probatur Conclusio. Primò quidem authoritate sanctorum Patrum disertè affirmantium præscientiam futurorum fundari in decreto voluntatis divinæ: Idque primò quidem ex S. Dionysio iam sæpiùs laudatô, affirmante Deum omnia in sua essentia tanquam in causa cognoscere: sed Essentia divina non est causa futuritionis nisi ut determinetur per liberum divinæ voluntatis decretum. Deus enim non agit ex necessitate naturæ, sed ex beneplacito suæ voluntatis, juxta illud Apostoli ad Ephesios 1. *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ:* Ergo Deus cognoscit omnia futura contingentia in sua essentia suppositô priùs decretô suæ voluntatis.

Confirmatur ex sancto Hilario 9. de Trinitate: *Quæ Deus*, inquit, *facere decrevit, in sua voluntate cognovit.* Item ex sancto Augustino, lib. 26. contra Faustum cap. 4. ubi reddens rationem cur nesciat an aliquid sit futurum, ait: *Ideo nescio quia quid habeat hac de re voluntas Dei, me latet: Illud me tamen non latet, sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet.* Quæ consequentia nulla esset, si

præſcientia bonorum operum non eſſet fundata in decreto voluntatis divinæ: Ergo revera ita eſt.

VIII. Nec-non & triplici ratione Theologica.

PROBATUR ITAQUE RATIONE. Futura contingentia non poſſunt priùs cognoſci quàm habeant rationem futuri; ſed eam non habent niſi præſuppoſito divino decreto: Ergo non poſſunt cognoſci ante decretum divinum. *Major* patet, eô modô enim res eſt cognoſcibilis quomodo eſt, adeoque futura cognoſci nequeunt determinatè antequam determinatam futuritionem concipiantur habere. Probatur *minor*: Decretum Dei eſt prima radix primumque principium determinatæ futuritionis rerum: Ergo antecedenter ad illud res nec eſſe nec concipi poſſunt ut determinatè futuræ. Probatur *antecedens*: Illud eſt prima radix primumque principium determinatæ futuritionis rerum, quòd primò eas deducit à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis: ſed illud eſt ipſummet decretum divinum: Cùm enim Deus non ſit agens naturale, ſed liberum, non operatur nihilque producit niſi ex libera determinatione ſuæ voluntatis; ac proinde cùm res poſſibiles ex ſe ſint indeterminatæ ad exiſtendum, vel non exiſtendum; non determinantur ad futuram exiſtentiam niſi per divinam voluntatem.

IX. Creaturæ in triplici ſtatu triplicem ad Deum habent dependentiam.

Confirmatur: Creaturæ conſiderari poſſunt in triplici ſtatu, nimirum poſſibilitatis, futuritionis, & exiſtentiæ; in quibus ſtatibus neceſſariò à Deo tanquam à primo Principio dependẽt; in ſtatu quidem *poſſibilitatis* dependent ab intellectu divino eas primò producente in eſſe intelligibili, & completè ab omnipotentia divina quæ poteſt illas producere: In *ſtatu futuritionis* dependent à divino decreto, Dei potentiam determinante ad conferendam illis exiſtentiam in tali determinato tempore: In ſtatu verò *Exiſtentiæ*, dependent ab actuali influxu Dei illas producentis & conſervantis in eſſe: Ergo ſicut repugnat aliquid eſſe poſſibile independenter ab intellectu, & potentia Dei; & exiſtens independenter ab actuali Dei influxu: Ita pariter repugnat aliquid eſſe vel concipi futurum independenter à decreto divino, ſive abſolutô, ſive conditionatô.

X. Nulla eſt rerum futuritio antecedenter ad divinum decretum.

PROBATUR 2. Si res contingentes eſſent determinatè futuræ antecedenter ad decretum abſolutum, vel conditionatum Dei, talis futuritio conveniret illis vel ex ſe & ex natura ſua, vel ex cauſalitate Dei, vel ex efficacia alterius cauſæ: ſed neutrum ex his poteſt aſſeri. *Non quidem primum*: Tum quia ſequeretur illa futura eſſe neceſſariò & ex natura rei, non verò liberè & contingenter; & ita Deus efficere non poſſet ut futura non eſſent; quod enim convenit alicui ex ſe & ex natura ſua, ipſi convenit neceſſariò, nec à Deo poteſt impediri. Tum quia ab eodem principio res habent futuritionem ab æterno à quo habent exiſtentiam in tempore: ſed futura contingentia non habent exiſtentiam in tempore à ſe nec ex natura ſua: Ergo nec futuritionem ab æterno. Non etiam *ſecundum*; cùm enim Deus non ſit agens naturale, ſed liberum ad extra, nulla poteſt in eo eſſe nullaque concipi cauſalitas antecedenter ad decretum, & liberam determinationem ſuæ voluntatis. Non denique *tertium*, cùm enim cauſæ ſecundæ dependeant à determinatione & concurſu, ſi nulla eſſet in Deo cauſalitas & determinatio circa Creaturas, ſicut revera nulla eſt ante divinum decretum de illis producendis, nulla pariter concipi poteſt in cauſis ſecundis efficacia à quâ provenire poſſit illa determinata rerum futuritio.

Denique: Hæc eadem veritas probatur ex brevi ſed efficaci everſione & refutatione aliarum ſententiarum. Si futura contingentia cognoſci poſſent à Deo ante decretum, maximè primò *Vel* in ſuis Ideis, ut docet Ægidius Romanus *in 1. diſt.* 38. aſſerens Deum cognoſcere futura contingentia ante decretum in ſuis ideis, vel in ſua eſſentia præcisè ut habet rationem ideæ aut ſpeciei impreſſæ: *Vel* ſecundò in ſupercomprehenſione cauſarum ſecundarum & liberi arbitrii, ut aſſerit Molina *Diſputatione quarta*, dicens, Deum antecedenter ad ſuum decretum & determinationem ſuæ voluntatis, infinita ſua intelligendi virtute penetrare & cognoſcere quid unaquæque voluntas creata, ſub quocumque ſtatu, & conditione ponatur, de facto volet, & in quam partem ſe inclinabit: quam penetrationem & perfectiſſimam cognitionem de humana voluntate, idcirco *ſupercomprehenſionem* appellat, ut divina cognitio ab Angelica diſtinguatur, quæ licet comprehendat hominis voluntatem, in illa tamen non cognoſcit noſtros actus liberos. *Vel Tertiò*: Illa cognoſceret in decreto ut futuro & formando in ſequenti ſigno aut inſtanti rationis, ut docet Suares *lib.* 2. *de Scientia Dei cap.* 8. Vel denique in eorum futurorum contingentium veritate objectiva, quam Vaſques & nonnulli alii Recentiores dicunt illa habere independenter à divino decreto: ſed neutrum illorum verè poteſt affirmari: Ergo reſtat, ut illa futura contingentia & libera cognoſcantur in Eſſentia divina præſuppoſitô divinô decretô.

Probatur minor *quoad primam partem*: Deus non poteſt cognoſcere Creaturas nec in ſuis ideis, nec in ſua Eſſentia habente rationem ideæ, niſi eô modô quô in illa repræſentantur: ſed antecedenter ad decretum Creaturæ non repræſentantur in Eſſentia divina, ut futuræ; ſed tantùm ut ſunt merè poſſibiles: Ergo in illa non poſſunt cognoſci ut determinatè futuræ; ſed tantùm ut merè poſſibiles. Major conſtat. Minor pariter: Tum quia res omnes antecedenter ad divinum decretum ſunt in ſtatu meræ poſſibilitatis, ſuntque indifferentes ad futuritionem, vel non futuritionem. Tum quia Eſſentia divina antecedenter ad decretum repræſentat naturaliter & neceſſariò, taliſque repræſentatio pertinet ad ſcientiam naturalem & ſimplicis intelligentiæ, non verò ad ſcientiam liberam, & viſionis; adeoque talis cognitio eſſet neceſſaria, non verò libera. XI. Deus non cognoſcit rerũ futuritionẽ in ſuis ideis.

Nec refert quòd Eſſentia divina antecedenter ad decretum habeat vim infinitam in repræſentando. Ex eo enim ſolùm ſequitur quòd repræſentat omnia quæ ſunt repræſentabilia, & eô modô, quô ſunt repræſentabilia. Unde cùm antecedenter ad divinum decretum de futuritione rerum, nihil ſit repræſentabile ut futurum, ſed ſolùm ut poſſibile; eò quòd in illo ſigno res omnes creatæ ſint in ſtatu puræ poſſibilitatis: idcirco Eſſentia divina quantumvis infinita in repræſentando, non poteſt repræſentare Creaturas ut futuras antecedenter ad decretum.

XII.

Neque ex comprehensione humanæ voluntatis.

Probatur eadem minor quoad secundam partem : Ille effectus non potest cognosci determinatè in ea causa, quæ omnino indifferens est ad effectum producendum, vel non producendum : sed humana voluntas, tam secundùm se considerata, quàm spectata ut stat sub illis circunstantiis & occasionibus, & qoatenus hac vel illa morali motione movetur & excitatur, semper restat indeterminata & indifferens ad formandum actum amoris, vel non formandum : Ergo ex illius cognitione non potest actus amoris contingenter futurus determinatè cognosci.

Secundò quoties aliquis effectus pendet à duabus causis, tum ot sit, tum ut cognoscatur certò & infallibilitet futurus, necessarium est, quòd determinatio utriusque causæ cognoscatur; sicut enim dependet ab influxu & causalitate utriusqoe causæ, ita paritet ab utriosque determinatione depeudet : sed futura contingentia, & omnes actus nostræ voluntatis non solùm necessatiò & essentialiter dependent à causis secundis, & à voluntate creata; sed etiam à voluutate divina libera tanquam à primaria causa : Ergo ut illorum actuum futuritio determinatè cognoscatur certò & infallibiliter, non solùm cognosci debet determinatio causarum secundarum, & voluntaris creatæ; sed etiam cognosci debet determinatio voluntaris divinæ, seu decretum divinum de rebus illis aliquando producendis.

Tertiò denique, futura contingentia in eo certò & infallibilitet cognosci uequeunt, à quo certò & iofallibiter non procedunt, sed ita non procedunt à voluntate creata, nec à causis secundis, quippe cùm in suis operationibus impediri possint per negationem scilicet divini concursus : Ergo nec in illis certò & infallibiliter possunt cognosci. Fundameota Molinæ proponentur & solventur, expugnando scientiam mediam, quam à se exeogitatam tantopere, sed vanè gloriatur.

XIII.

Neque in suo decreto ut futuro.

Tertia pars ejusdem præfata minoris etiam apparet falsa : Tum qoia decretum Dei non potest concipi ut futurum : Ergo neque Deus cognoscere potest futura contingentia in suo decreto ut futuro in seqoenti signo : *Tum qaia* ut Deus præsciret suum decretum, deberet distinguere nostro more instantia rationis in indivisibili instanti æternitatis : sed hoc repugnat perfectioni ejusdem divini intellectus, ut scilicet distinguat quæ revera à parte rei distincta non sunt. *Tum quia* si Deus in signo rationis antecedente existentiam sui decreti, illod ut futurum cognoscat, cognoscet illud ot futurum necessariò & non liberè : sed hoc est absurdum, & divinæ libertati repugnans: *Patet sequela majoris :* Quia qood cognoscitur ut futurum, debet cognosci ut determinatum in sua causa ad existendum in instanti sequenti : at in illo signo in quo Deus cognosceret suum decretum ut futurum, illud decretum non esset determinatum liberè, sed necessariò; alioquin determinari deberet per aliud decretum, & sic in infinitum; omnis enim determinatio libera voluntatis divinæ, est decretum : Ergo, &c.

Tum denique quia si divinom decretum haberet rationem futuri, vel illam haberet in sua entitate actuali, vel in sua terminatione : Non primum, hoc enim repugnat immutabilitati A divinæ : Non etiam secundum, quia in terminatione non intelligitur futuririo, nisi etiam intelligatur futuritio io termino; sed in termino divini decreti nulla intelligitur futuritio priùs ratione qoàm decretum sit positum : *Tum quia* terminos, seu objectum divini decreti est futuririo existentiæ creatæ : sed hanc futuritionem habet existentia creata priùs ratione qoàm decretum sit positum : *Tam quia* si tale objectum haberet esse futuritionis ante decretum, vel haberet illud esse à se, vel ab alio : sed neutrum dici potest ut supra probatum est : Ergo nullatenus potest habere esse futurum antecedenter ad decretum.

XIV.

Proponuntur contraria fundamenta Suaris & impugnantur.

Quarto denique patet eadem minor qaoad ultimam partem, nempe quod futura contingentia B cognosci nequeant in eorum veritare objectiva antecedente decretum. *Tam qaia* veritas objectiva consistit in connexione prædicati cum subjecto; sed in signo antecedente divinum decretum nulla potest esse talis connexio, quippe cum nulla sit causa, neque divina neque creata, quæ illa coujungat invicem: Non quidem ereata, ut patet; non etiam divina, quia bæc esset, vel intellectus divinus, vel divina omnipotentia : sed non intellectus, ille enim non est causa futuritionis rerum : neque etiam omnipotentia, quæ non operatur circa Creaturas, nisi consequenter ad divinum decretum : Ergo pariter in illo signo nulla est re-C rum contingenter futurarum objectiva veritas determinata. *Tam qaia* omnis objectiva veritas determinata necessariò fundatur in aliquo esse; veritas enim est entis proprietas : sed nullum est esse in quo fundari posset illa veritas objectiva rerum contingentium ante decretum: vel enim fundaretur in esse quod haberent in se, vel in esse quod baberent in suis caosis. Non primum, contingentia enim quandiu futura suut, nullum habent esse in seipsis. Non etiam secundum, cùm enim causæ secundæ à quibos procedere possent sint indeterminatæ, & impedibiles, etiam in illis certum & determina-D tum esse habere oequeunt.

Solvuntar fundamenta Suaris.

OBJICIT I. *Suares:* Deos priùs ratione concipit suam volontatem posse velle quàm concipiat eam volentem : Ergo etiam priùs ratione concipere potest illam ut volituram quàm nunc volentem. *Confirmatur* exemplô Angeli quem si ab æterno Deus creasset operantem, posset Deus cognoscere illum priùs ratione ut volitorum pro alio signo, quia priùs cognovisset ipsum posse velle quàm de facto velle.

E *Nego consequentiam :* Plus enim requiritur ad concipiendum aliqoid tanquam ponendum, quàm ad illod concipiendom tanquam ponibile : requiritur enim ad hoc postremum aliquid determinans ipsum ponibile ad esse ponendum : respectu autem divini decreti nihil concipi potest quod determinet ad esse ponendum, sen de non fututo ad esse futorum.

Ad confirmationem: Nego patitatem, ex hypotesi enim quòd Deus creasset Angelum ab æterno operantem v. g. diligentem, de facto quidem priùs cognosceret talem dilectionem ut posteriorem, & quodammodo futuram respectu naturæ illius Angeli, quia in creatis prius est esse quàm operati : Idque maximè cùm substautia

Angeli ejuſque dilectio per accidens tantùm menſurentur æternitate, tanqnam menſura ſibi non propria & eſſentiali; Secus antem eſt de Deo in qno non eſt priùs eſſe qnàm operari, & cujns tam eſſentia, quàm operatio, & decretum menſurantur æternitate quaſi menſura ſibi propria & eſſentiali.

Objicit 2. Ut cognoſcatur decretum divinnm in futuro, ſufficit quod in aliquo ſigno abſtrahat ab actuali exiſtentia; ſic autem reveta abſtrahit in primo ſigno æternitatis in quo nondum concipitur ut poſitum: Ergo in hoc primo ſigno priùs ratione quàm poſitum ſit, concipitur ut futurum: Patet minor, in illo enim ſigno rationis divina voluntas non concipitnr adhuc determinata ad creaudum v. g. hominem; ad hanc enim creationem tantùm concipitur ſe determinare in poſteriori ſigno.

Reſpondeo 1. negando majorem: Ut enim aliquid in aliquo ſigno videatur ut futurum, non ſufficit quòd pro illo ſigno abſtrahat ab eſſe; ex eo enim præcisè quòd abſtrahit ab eſſe, non cenſetur magis futurum quàm non futurum; cùm etiam non futura & merè poſſibilia abſtrahant ab eſſe. Itaque ultra abſtractionem ab eſſe, requiritur adrationem futuri, ut detur aliqnid à quo determinari poſſit de poſſibili ad futuritionem: nihil autem ante divinnm decretum ita determinare poteſt: Ergo nec habere poteſt tationem futuri.

Reſpondeo 2. id quidem verum eſſe ſi illud inſtans eſſet ſignum reale, & in *quô*, non autem eſſet ſignum rationis & *à quô*, ut de facto eſt. Signom enim illnd in quo divina voluntas concipitur ut indifferens ad formandum decretnm de homine creando, vel non ereando, non eſt ſignom reale, ſed rationis, proindeque non ſufficit ad veram rationem futuri; alioquin Filius poſſet dici futurus reſpectu Patris, qnia in ſigno originis & rationis concipitur priùs Pater qnàm Filins.

Objicit 3. In illo priori ſigno quò Deus antecedit ſua decreta libera, & concipitur habere ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, iſta propoſitio, *Deus non decernet in ſequenti ſigno creare mnndum*, eſt falſa: quia ſuo objecto non eſt conformis, & conſequenter ejus contradictoria, nempe, *Dens decernet in ſequenti ſigno creare mundum*, eſt veta: Ergo decretum de creatione mundi in illo priori ſigno eſt determinatè futurum, ac proinde cognoſcibile eſt ut tale ab intellectu divino.

Reſpondeo 1. Deum ſua decreta libera non antecedere aliqua prioritate & inſtanti in quo, ſed ſolùm à quo. *Secundò* falſum eſt ex propoſitionibus contradictoriis nnam eſſe determinatè veram & alteram falſam in ſigno præcedenti divinnm decretum, quia nihil eſt futurum ante illud decretum.

Tertiò dico: Equidem alterutrum contradictoriorum debere verificari pro quovis inſtanti durationis realis; non autem pro quovis inſtanti naturæ, vel rationis; in illo enim priori ſigno præſcindi poteſt ab utroque; quod conſtat exemplo: in priori enim ſigno quò humanitas eſt prior riſibilitate, nec eſt riſibilitas, aliàs non eſſet ipſa naturâ poſterior, nec non riſibilitas, alias non poſſet humanitati competere.

Objicit denique: Deus pro illo ſigno rationis in quo nondum concipitur habere liberum decretum, comprehendit ſuam eſſentiam, & voluntatem: ſed non poteſt illam comprehendere niſi in ea cognoſcat ſua decreta futura in ſequenti ſigno; cùm enim cognitio comprehenſiva ſit perfectiſſima, extendi debet ad id omne quod in objecto ſuo continetur: Ergo cùm decreta directè contineantur realiter in voluntate & eſſentia Dei, Deus non poteſt ſuam eſſentiam ſuamque voluntatem cognoſcere quin pariter cognoſcat ſua decreta.

Reſpondeo 1. Illam illationem fore veram ſi daretur aliqua prioritas in inſtanti reali inter actus neceſſarios, & liberos; eſſetque verum quod Deus in inſtanti reali priùs ſe cognoſceret quàm formaret decreta; quæ ſuppoſitio cùm falſa ſit, etiam falſom eſt quod ex illa infertur.

Reſpondeo 2. Quod quamvis Deus in illo priori ſigno, in quo concipiuntur tantùm actus naturales, & nondum concipiuntur actus liberi, ſuam comprehendat eſſentiam; non tamen dicitur cognoſcere ſua decreta ut futura; cùm enim divina voluntas in illo ſigno concipiatur ut indifferens & indeterminata ad productionem rerum, non poteſt eſſe medium ad illa decreta determinatè cognoſcenda; in principio enim indifferenti & indeterminato, non poteſt cognoſci certus, & determinatus effectus.

Proponuntur ac Solvuntur Aliorum fundamenta.

OBjiciunt poſtremæ ſententiæ Aſſertores: Ratio & vis contradictionis neceſſariò efficit ut una ex duabus propoſitionibus contradictoriis ſit determinatè vera, & altera determinatè falſa, ut iſtæ propoſitiones, *Si Paulus vocetur in tali tempore & occaſione, reverà conſentiet*: Et *ſi vocetur in tali tempore, & occaſione non conſentiet*, ſunt verè contradictoriæ pro illo priori ſigno antecedente divinum decretum: Ergo pro ſigno priori ad divinum decretum, una illarum eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa, & conſequenter eſt cognoſcibilis à Deo ante decretum.

Reſpondeo 1. diſtinguendo majorem: Ratio contradictionis exigit ut una ex contradictoriis ſit determinatè vera, & alia determinatè falſa pro omni inſtanti reali, concedo: pro omni inſtanti rationis, nego: & conceſſa minore, nego conſequentiam. XV.

Quando & quo ſenſu una è propoſitionibus contradicentibus ſit determinatè vera & alia falſa.

Reſpondeo 2. negando minorem: Nempe quod propoſitiones illæ in ſigno antecedente divinum decretum ſint contradictoriæ, quia ad contradictionem, neceſſariò debet ſupponi eſſentia propoſitionis. Cùm autem ante decretum nihil omnino ſit futurum, vel non futurum; idcirco nec tunc eſt eſſentia propoſitionis quæ vero enuntiaret pro illo ſigno futuram, vel non futuram, adeoque nec eſt contradictio.

Inſtant: Veritas, & falſitas ſunt proprietates propoſitionis, ut docetur in Logica: Ergo convenire debent propoſitioni pro omni ſigno imaginabili in quo concipi poteſt hæc propoſitio: ſed illæ propoſitiones concipi poſſunt antecedenter ad decretum divinum: Ergo in illo ſigno veræ ſunt aut falſæ.

Diſtinguo majorem: Veritas & falſitas ſunt proprietates propoſitionis formalis, concedo: materialis, nego: in illo autem ſigno antecedente divinom decretum non ſunt propoſitiones formaliter ſed tantùm materialiter. *Vel aliter.* veritas, & falſitas ſunt proprietates propoſitionis, reſpectivæ, concedo: abſolutæ, nego;

I.

Scientia Dei est tantùm speculativa & non causa futurorum.

Supponendum 1. Præscientiam, quam Deus habet de rebus liberè futuris, non esse illorum futurorum effectivam, nec in eorum futuritionem ullatenus influere; imo illam præsupponere, sicut effectus causam sequitur. Hæc enim divina præscientia, est actus purè speculativus, immanens in Deo, & non operativus ad extra, quô Deus ipse merè contemplatur & videt objectum sibi à Creatura exhibitum, illud certè non visurus, si à Creatura non offerretur: Imò & oppositum visurus, si oppositum à Creatura fieret. Ita quòd illâ divinâ præscientiâ Deus se habeat instar speculi repræsentantis diversa objecta, & liberos hominum gestus ac motus ipsi oppositos; aut instar hominis, qui è turri eminenti conspiceret ea omnia quæ in demissa planitie fierent, videretque homines alios in foveam labentes; alios in adversarium digladiantes, alios saltantes, alios aliud agentes: Quæ certè diversa visio nullatenus esset causa diversarum illarum actionum; imò illæ diversæ actiones essent causæ illius diversæ visionis.

Itaque proportione servatâ, eodemmodô de divina præscientia ratiocinandum est; cùm enim divinus intellectus de se sit indifferens ad cognoscendam rei futuritionem, vel non futuritionem; veluti determinatur ad videndum futuritionem per rem ipsam, quæ reverà futura est, suppositô decretô divinô: Unde potiùs res futuræ dici possent causæ divinæ præscientiæ quàm præscientia dicatur causa futurorum; ut apertè docent S. Patres Græci: Origenes quidem l. 3. in Epist. ad Rom. explicans illa verba cap. 8. *Quos præscivit & prædestinavit*, ubi sic ait, *In præscientia Dei, neque salutis neque perdinis nostræ causa consistit. Non enim propterea erit aliquid, quia id scit esse futurum; sed quia futurum scitur à Deo antequam fiat. Nam etsi fingimus Deum non prænoscere aliquid futurum, sine dubio erit.* Idem Justinus Martyr quæstione 58. ad Orthodoxos, ubi proferens rationem cur præscientia Dei non fuerit causa peccati Adæ & Angelorum sic loquitur, *Non est præscientia causa ejus quod futurum est: sed quod futurum est, causa præscientiæ. Siquidem non præscientiam consequitur futurum, sed futurum consequitur præscientia; & haud quaquam præscius, est causa futuri.* Similiter sanctus Athanasius in sermone de Cruce Domini, *Neque*, inquit, *ut inservientes Propheticis verbis ita contra Christum ausi sunt; sed suo ipsimet studio sponte, volentesque illa perpetrarunt, ut non Propheta istarum rerum author sit, aut causa; sed ipsorum voluntas; quin potius ipsi in causa fuerunt ut talia de ipsis Prophetæ prædivinarent.*

Ut docent SS. Patres tam Græcæ.

Idem sentiunt Patres Latini, & in primis S. Hieronym. in cap. 26. Jeremiæ, *Non enim*, inquit, *ex eo quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est: sed quia futurum est, Deus novit quasi præscius futurorum*: Et Augustinus lib. 5. de Civitate cap. 10. *Neque enim ideo peccat homo quia Deus illum peccaturum præscivit; Imò ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit; qui si nolit, utique non peccat: sed si peccare noluerit, hoc etiam præscivit.* Nimirum quia Deus sese Creaturæ libertati accommodat, ita quod non aliud præsciat quàm quod ipsa liberè fecerit, aut omiserit; adeo ut determinatio libera Creaturæ sit veluti regula & mensura illius divinæ præscientiæ. Denique S. Anselmus in Elucidatorio circa medium, *Omnia quæ facturi erant homines futuri, Deus futura præscivit, & per Prophetas fienda prædixit: Non tamen præscientia aliquam necessitatem intulit ut fierent; sed potius ipsi necessitatem intulerunt cùm suam voluntatem explerent*; Quibus apertè constat, divinam præscientiam non esse causam futurorum; nec res idcirco futuras, quoniam à Deo præscitæ sunt: sed idcirco præsciuntur, quia futuræ sunt.

Quàm Latini.

II.

Necessitas duplex, antecedens & consequens.

Supponendum 2. duplicem distingui posse necessitatem, nimirum antecedentem & consequentem, seu consequentis & consequentiæ. *Antecedens* dicitur, quæ non supponit usum libertatis, nec voluntatis exercitium; qualiter v. g. homo est necessariò risibilis, quia est rationalis, independenter ab hominis libertate. *Consequens* necessitas est, quæ provenit ex suppositione consequente usum libertatis, & pendet aliquo modo à voluntate nostra; ita quod non esset talis necessitas ex eo sequenda, nisi voluntas nostra se liberè determinaret: Unde sicut potest voluntas absolutè non se determinare ad actum quem liberè producit; ita potest efficere ut nunquam talis suppositio sit in rerum natura. Sic necessarium est aliquid esse futurum ex hypothesi & suppositione quod futurum sit: Neque enim potest simul esse futurum & non futurum in sensu composito: sicut enim implicat conjungi, simul esse & non esse ejusdem rei; ita pariter implicat eandem rem esse futuram & non futuram.

Prior necessitas excludit libertatem actus; quia nimirum sequitur ex suppositione antecedente usum libertatis; qualis v. g. est necessitas moriendi: quando enim necessitas est antecedens, tunc non est in potestate voluntatis efficere ut existente tali suppositione, non sit actus, qui ex illa necessariò sequitur. Posterior verò necessitas, nempe *consequens* non destruit, sed servat integrum usum libertatis, qualis est necessitas loquendi dum aliquis de facto liberè loquitur: quia non tollit nec impedit potentiam liberam; sed potius illam præsupponit ejusque liberum exercitium: Unde licet, dum voluntas vult, non possit, non velle, quia *Quidquid est, quando est, necesse est esse*; nihilominus absolutè potest non velle, quia libera fuit ad volendum, vel non volendum.

III.

Futura magis sunt in nostra potestate quàm præterita aut præsentia.

Supponendum 3. ex Doctore in *primum dist. 39. quæstione unica numero 26.* hoc esse discrimen inter determinatam veritatem propositionum de præterito, de præsenti & de futuro, *Quod*, inquit Doctor, *non est similis veritas in illis de futuro, sicut in illis de præsenti & de præterito. In præsentibus quidem & præteritis, est veritas determinata; ita quòd alterum extremum est positum, & ut intelligitur positum non est in potestate causæ, ut ponatur; quia licet in potestate causæ, ut est prior naturaliter effectu sit ponere effectum, vel non ponere: Non tamen ut effectus intelligitur jam positus in esse. Talis autem non est determinatio ex parte futuri; quia licet alicui intellectui sit una pars vera determinatè, & etiam una pars sit vera in se determinatè, licet jam nullus intellectus apprehenderet, non tamen ita, quin in potestate causæ sit pro illo instanti ponere oppositum*: Quibus indicat majorem esse necessitatem consequentis in præterito & præ-

ſenti quàm in futuro ; quia præteritum & præſens jam ſunt extra ſuas cauſas , itaut non poſſit ullatenns voluntas eotum poſitionem tollere vel impedire : poſitio autem futuri cum nondum ſit extra ſuam cauſam, cenſeri poteſt adhuc cauſa illam ſuppoſitionem tollere, & impedire ſaltem hypotheticè: Quando enim voluntas nondum eſt determinata ad volendum , adhuc cenſetur poſſe futuram volitionem ſuſpendere & non elicere ; ubi autem de facto voluit, aut vult non poteſt ampliùs illam volitionem ſuſpendere. Hinc minor eſt libertas conſequens reſpectu actus præſentis aut præteriti , quàm reſpectu actus futuri : Unde ſi non obſtante neceſſitate conſequenti, locutio mea actualis eſt libera ; multò magis locutio mea futura erit etiam libera , non obſtante tali neceſſitate.

Conclusio Prima.

IV.

Divina præſcientia non tollit rerum contingétiam.

Certitudo & *infallibilitas divinæ præſcientiæ rerum contingentiam non ſolvit*. Hæc eſt communis intet Theologos, & probatur 1. Divina præſcientia non efficit, ſed ſupponit objectum : Ergo nou ſolvit, ſed ſupponit rerum contingentiam. *Antecedens* Patet ex authoritatibus ſanctorum Patrum in prima ſuppoſitione laudatorum , quod etiam ratione ſuadetur:

Idque triplici ratione evincitur.

Scientia quæ eſt cauſa operis , illa eſt quæ voluntatem & potentiam artificis dirigit ex cognitione operantis , in ſuo opere efficiendo; illa verò quæ non dirigit artificem ad opus efficiendum, ſed perinde opus fieret , quamvis illa non eſſet , maniſeſtè non eſt cauſa operis , imò ſupponit illud opus : ſed talis eſt divina præſcientia , quæ licet tempore antecedat res exiſtentes, nihilominus non antecedit , ſed ſupponit illorum futuritionem in Eſſentia divina repræſentatam , & à divina voluntate decretam : Ergo illa non efficit ſuturitionem rei contingentis , ſed ſupponit ; adeoque illius contingentiam non ſolvit.

Probatur 2. Rerum contingentia ſtat cum determinatione earum ad alteram contradictionis partem à divina voluntate facta : Ergo multò magis ſtabit cum infallibilitate Scientiæ divinæ , quæ illam determinationem ſupponit. Patet antecedens : Primò quia futurum contingens eveniet per cauſas contingentes & non neceſſariò operantes : Ergo licet à divina voluntate determinetur illius exiſtentia , non minùs erit contingens.

Deinde, cauſa non tollit ab aliquo , id quod ipſi competit ex ſua ratione formali niſi conferat illi aliquid oppoſitum : ſed divina voluntas determinans futurum contingens, nihil ipſi confert intrinſecum quod opponatur ejus contingentiæ: Ergo hæc determinatio contingentiam non ſolvit.

Denique, determinatio futuri contingentis eſt omnino libera , & de re verè contingenti ; in eodem enim æternitatis inſtanti in quo divina voluntas rem determinavit futuram, potuit futuram non determinare : Ergo non neceſſariò, ſed liberè determinata eſt illa futuritio. Patet etiam prima conſequentia : Si enim divina determinatio quæ antecedit & efficit rerum futuritionem , illam non ſolvat ; multò minùs illam ſolvet ſcientia , quæ illam futuritionem contingentem ſupponit.

Adde quòd facta determinatione divinæ voluntatis circa aliquid futurum , illud eveniret infallibiliter, etiam ſi per impoſſibile Deus illud neſciret : Ergo multò minùs certitudo divinæ ſcientiæ ſolvit rerum futurarum contingentiam , quàm determinatio voluntatis illam futuritionem decernentis.

Probatur 3. ſicut noſter intuitus ſe habet ad ea quæ videmus , eodem modo ſe habet divina ſcientia ad ea quæ Deus intuetur : atqui noſter intuitus nullam rebus à nobis viſis neceſſitatem imponit : Ergo nec divinus intuitus rebus contingentibus à ſe cognitis aliquam neceſſitatem imponit : Unde Boetius 5. de conſolatione proſa. 6. *Quid ergo poſtulas ut neceſſaria fiant quæ divino lumine luſtrantur , cum nec homines omnes neceſſaria eſſe faciant quæ vident ? Num quæ præſentia cernis aliquam eis neceſſitatem tuus addit intuitus ?*

Dices 1. Quæ Deus ſcivit neceſſariò , neceſſariò evenient : ſed Deus neceſſariò ſcivit res futuras v. g. fore Antichriſtum : Ergo ille neceſſario eveniet. Patet major : In bona enim argumentatione , in qua antecedens eſt neceſſarium , etiam conſequens neceſſarium eſt : ſed antecedens hujus conſequentiæ , *Deus ſcivit Antichriſtum futurum : Ergo erit* , eſt neceſſarium , nempe *Deus ſcivit*, quia illa ſcientia eſt æterna & abſoluta, cùm ſit ipſa Dei ſubſtantia, adeoque eſt neceſſaria: Ergo etiam conſequens, nempe *Antichriſtus erit* , pariter eſt neceſſarium. Quod autem neceſſarium eſt , non eſt contingens : quia neceſſarium & contingens ſunt modi oppoſiti entis ; neceſſarium enim eſt quod non poteſt non eſſe , contingens autem quod poteſt non eſſe : Ergo ſi divina ſcientia ſit neceſſaria , res futuræ non erunt contingentes.

XV.

Scientiæ divinæ neceſſitate non infert neceſſitate in rebus.

Diſtinguo majorem : Neceſſariò evenient, neceſſitate abſoluta & antecedente , nego : neceſſitate hypothetica & conſequente , concedo: Similiter ad probationem dico , antecedens illius conſequentiæ , *Deus ſcivit Antichriſtum fore , ergo erit* , non eſſe neceſſarium neceſſitate ſimplici , & abſoluta , ſed tantùm conſequenti & hypothetica ; ſicut enim Deus liberè decrevit Antichriſtum fore; ita pariter liberè decernere potuit Antichriſtum non fore. Ideoque ſicut ſcit Antichriſtum fore , ita pariter ſcire potuit Antichriſtum non fore ; & conſequenter ipſius divina ſcientia de Antichriſto futuro tantùm eſt neceſſaria neceſſitate conſequentis , & ex præſuppoſito divino decreto libero de futuritione Antichriſti. Nec refert quòd illa divina ſcientia ſimpliciter ſit neceſſaria quantùm ad entitatem , eò quòd eadem ſit realiter cum Eſſentia divina , quæ eſt ens ſummè neceſſarium ; non enim minùs libera eſt quantùm ad terminationem ad objecta ſecundaria , ad quæ terminatur prout ſunt. Unde videt contingentia quæ contingentia ſunt, & neceſſaria quæ neceſſaria.

Dices 2. Si divina præſcientia falli non poſſit omninoque ſit certa , quæ Deus præſcivit, neceſſariò evenient : Ergo vel divina ſcientia non eſt infallibils & certa, vel quæ ſunt a Deo præſcita, non ſunt contingentia, ſed neceſſaria.

Diſtinguo ſequelam antecedentis : neceſſariò evenient neceſſitate ſimplici & abſoluta , quæ ſolvat rerum contingentiam , nego : neceſſitate conditionata & conſequenti , quæ non ſolvat, ſed ſupponat rerum contingentiam , concedo.

Conclusio

CONCLUSIO SECUNDA.

VI.

Divinæ præscientiæ certitudo humanã libertatem non lædit.

DIVINA *præscientia non officit humanæ libertati*. Hæc est de Fide, patetque illis omnibus Scripturæ textibus quibus humana libertas statuitur, maximè verò Deuteronomii cap. 30. *Testes invoco hodie Cælum & Terram ; quod proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam ut & tu vivas & semen tuum.* Josüé 14. *Optio vobis datur, eligite hodie quod placet cui servire potissimum debeatis:* Quibus Josüé allicit filios Israël ut liberè Deo vero obsequantur, cui omnes responderunt; *Deo nostro serviemus & obedientes erimus præceptis ejus.* Psal. 44. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Hoc est, si internam Spiritus sancti vocem & inspirationem perceperitis, ei acquiescite, & nolite resistere. Supponit ergo esse in eorum potestate, vel monitioni divinæ obtemperare, vel ei refragari.

Probatur 1. ex sacra Scriptura.

Ecclesiastici 15. vers. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui.* Et vers. 14. *Apposui tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi, &c.* Ex quibus sic argumentor; illud non officit nostræ libertati, quod stat cum libertate: sed certitudo & infallibilitas divinæ præscientiæ stat cum libertate: Ergo illam non solvit.

2. Ex SS. Patribus.

PROBATUR 2. Idque ratione S. Augustini lib. 5. de Civitate Dei cap. 9. ubi docet, quòd etsi Deus necessariò prævideat quæ sumus acturi; non tamen illa necessariò, sed liberè esse à nobis facienda; quia prævidendo nostras voluntates, etiam præscivit eas sponte operaturas: Respondens enim Ciceroni dicenti, *Si est certus ordo causarum, quò fit omne quod fit; fatô fiunt omnia*, ait, *Non est consequens ut si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostra voluntatis arbitrio: & ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque præscientiâ continetur; quoniam, & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt, atque ita omnes qui rerum causas præscivit, profectò in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas ante præscivit.* Constat ergo scientiam divinam non officere libertati; imò supponere & statuere libertatem: Si enim ipsi officeret, seipsam destrueret, quia sciret aliquid fore liberum quod liberum non foret; nec rem liberam novisset ut revera fit liberè.

Nec-non & ratione Theologica ab eisdem sumpta.

PROBATUR 3. Illud non solvit libertatem, quod eam supponit: sed divina præscientia libertatem supponit: Ergo, &c. Probatur minor: Scientia enim supponit scibile: Ergo scientia de futuro supponit futurum. Constat antecedens: Consequentia probatur ex iis omnibus S. Patrum dictis in prima suppositione.

Confirmatur insuper ex S. Hieron. Dialogo contra Pelagian. *Non ideo peccavit Adam quia hoc futurum noverat; sed præscivit Deus quasi Deus, quòd ille erat propria voluntate facturus.* D. Leo sermo 16. *Non impiis furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit: non præsciendo quod faciendum esset, egit, ut fieret.* Damascenus Dialogo adversus Manichæos, *Quòd præscientia Diabolo minimè causa fuerit cur malus fieret, hinc constat; nam nec medicus dum futurum morbum prænoscit, morbo causam affert. Verùm morbi quidem causa in præpostera, & immoderata vitæ ratione consistit: at medici prænotio eruditionis ipsius argumentum est. Prænotionis autem causa hæc est, quod ita futurum erat.*

Et Augustinus lib. 5. de Civit. Dei cap. 6. *Non ergo propterea nihil est in nostra voluntate, quia hoc præscivit quid futurum esset in nostra voluntate. Non enim quia hoc præscivit, nihil præscivit. Porro si ille qui præscivit quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid præscivit: Profectò & illo præsciente est aliquid in nostra voluntate. Quocirca nullomodo cogimur, aut retentâ præscientiâ Dei tollere voluntatis arbitrium; aut retentô voluntatis arbitriô Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum: sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter, & veraciter confitemur, illud ut benè credamus: hoc ut benè vivamus.* Quibus constat divinam præscientiam supponere nostros liberos actus; adeoque illis non officere.

Dices: Divina præscientia supponit decretum: sed quod est à Deo decretum, est necessarium, non autem liberum: Ergo divina præscientia supponit rem necessariam, non autem liberã. Major patet ex præcedenti Quæstione. Minor verò probatur: Illud est necessarium quod non potest non esse: sed quòd est à Deo decretũ, non potest non esse: Ergo est necessariũ.

VII.

Qualiter quod à Deo decretum est sit necessarium.

Distinguo majorem: Quod est decretum, est necessarium necessitate consequenti, concedo: Antecedenti, nego: Sicut enim Deus decrevit rem futuram, ita pariter liberè decernere potuit illam non esse futuram. Adeoque licet res decreta à Deo ut futura, non possit non esse futura, quia quod revera futurum est, non potest non esse futurum; sicut quod revera præsens est, non potest non esse præsens: Nihilominus hæc necessitas, est tantùm consequens ad liberam Dei determinationem de rebus futuris. Hæc autem consequens necessitas non solvit libertatem, sed supponit: Deus enim non decernit futuros actus nostræ libertatis nisi ubi in instanti suæ æternitatis cui objectivè omnia sunt præsentia, videt illam sese liberè determinare ad suos actus: illam enim non prædeterminat physicè, sed condeterminat, ut probavimus in moralibus, & in physicis.

SECTIO TERTIA.

De Contingentibus Conditionatè Futuris.

I.

Varia de re præsenti Theologorum placita.

EX præcedenti Quæstione liquet, omnes Theologos invicem consentire, in asserenda certa Dei notitia de contingentibus absolutè futuris: at non eadem est eorum sententia de contingentibus conditionatè tantùm futuris, seu quorum existentia pendet ab aliqua conditione, quæ si poneretur revera existerent; quia verò nusquam ponetur talis conditio, sic nulla umquam erit eorum contingentium existentia. Tres enim in sententias maximè scinduntur diversa Theologorum Modernorum placita; sunt enim *Aliqui* hanc de conditionatè futuris certam Deo notitiam denegantes; *Quidam* verò Deum certò quidem nosse contingentia conditionatè futura affirmant, sed præsuppositô priùs conditionato decreto: *Ceteri* denique contendunt illam de conditionatè futuris certam notitiam Deum habere antecedenter ad omne decretum conditionatum, & independenter à qualibet hypothetica divinæ voluntatis determinatione. Quid autem in

tanta controversia veriùs asserendum sit, resolvetur tribus in sequentibus quæstionibus: in quarum *Prima* probandum est Deum certò scire contingentia determinatè futura: in *Secunda*, admittenda esse in Deo decreta conditionata: in *Tertia* verò resolvendum Deum hæc conditionatè futura nosse tantùm dependenter à conditionato decreto; adeoque explodendam esse scientiam mediam, quam tantopere nonulli Moderni Theologi jactitant.

QUÆSTIO PRIMA.

An Deus certò cognoscat contingentia conditionatè futura?

II. Futura conditionata triplicis generis.

NOTANDUM 1. futura conditionata esse triplicis generis, quorum prima necessariam habent connexionem cum conditione ponenda v.g. *Si Petrus currat, movebitur: Si Deus producat Ioannem, erit animal rationale*: Secunda habent quidem connexionem cum conditione, non tamen necessariam, sed contingentem; nihilominus ita convenientem, ut consequens inferatur ex antecedenti saltem probabiliter ratione talis conditionis v. g. *Si Petrus vocetur à Deo, consentiet: Si diu steterit in peccato mortali, in alia mortalia decidet*: Tertia denique futura sunt, in quibus nulla est apparens connexio antecedentis cum consequente, omninoque disparata sunt; quales sunt hæ propositiones, *Si Iudas Christum prodiderit, Nero matrem suam occidet: Si Turca sederit Constantinopoli, Petrus convertetur Parisiis.* Difficultas autem præsens non movetur de prioribus futuris; quia licet conditionata appareant, & per particulam conditionalem (*Si*) explicentur; nihilominus revera absoluta sunt & necessaria. Solùm ergo restat discutiendum, an Deus certò noverit conditionatè futura secundi & tertii generis.

III. Quodnam sit discrimē inter cognitionem creatam & divinam.

Notandum 2. Hoc maximè discrimen esse inter creatam & divinam cognitionem, quòd hæc cùm infinita sit & omnimodè comprehensiva, nedum res noverit priusquam existant, videatque necessariam & naturalem connexionem quam nonnulla habent cum aliis, putà risibilitatem cum rationalitate, effectum cum sua causa; sed ultrò intuitivè etiam conspiciat connexionem liberam, quam res aliquæ, licet omnimodè disparatæ, habent ad invicem; non quidem ex natura sua, sed ex libera ordinatione Dei pro nutu statuentis ac decernentis quarumdam rerum eventus ex aliarum existentia, putà victoriam integram quam Joas Rex Israël de Syris erat reportaturus, si sexies jaculô terram percussisset, ita dicente Propheta Elizeo, *Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies; percussisses Syriam usque ad consumptionem*: Ita namque Deus statuerat generalem fore Syriæ devastationem à Rege Joas, si terram pluries jaculô percussisset quàm tribus vicibus.

Secus autem est de limitata ac cœcutienti creata notitia, quæ cùm illam conditionem à Deo præscriptam inter res disparatas non percipiat; etiam judicat nullam inter eas esse connexionem; adeoque propositiones conditionaliter ex rebus disparatis illatas esse omnino falsas. Quod disertè exprimit Nemesius Christianus Philosophus 44. cap. lib. de Natura hominis; *Nos enim, inquit, futurorum nihilomnino scientes, & in præscientia dumtaxat intuentes perperam eventa dijudicamus: Deo verò etiam futura perinde sunt atque præsentia.*

Notandum 3. Circa præsentis quæstionis resolutionem maximè triplicem Authorum esse sententiam: *Curiel*, lib. 1. controversiarum controv. 7. *Corneio* hic art. 13. disp. 3. dubio 2. & *Claudius Typhanius* novissimus Societatis scriptor libro de ordine deque priori & posteriori cap. 25. docent futura contingentia conditionatè non cognosci à Deo certò, sed tantùm conjecturaliter. Aliam autem sententiam finxit *Navarret* controv. 56. §. 2. affirmat enim non solùm in Deo non esse scientiam conjecturalem talium conditionatorum, sed neque formalem; at tantùm virtualem & eminentialem, eo quòd inquit nullum de talibus conditionatè futuris in Deo sit decretum formale & actuale, sed solùm eminentiale & virtuale. Cæteri verò Theologi unanimi consensu docent Deum certò & actu talia conditionatè futura cognoscere, quibuscum ut sentiamus sit.

CONCLUSIO UNICA.

DEUS *certò cognovit contingentia conditionatè futura.*

IV. Deum futura conditionata nosse deducitur ex quatuor sacræ Scripturæ textibus.

PROBATUR 1. Pluribus, sed maximè tribus Scripturæ textibus, quibus certa & infallibilis de his conditionatè futuris notitia Deo tribuitur. Primus textus ex illustrioribus legitur 1o. Reg. cap. 23. ubi David cùm Deum interrogasset & consuluisset his verbis, *Domine Deus Israël audivit famā servus tuus quod disponat Saul venire in Ceilam ut evertat urbem propter me: Si tradent me viri Ceila in manus ejus.* Respondens Dominus, ait, *descendet*. Rursus David, *Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui mecum sunt in manus Saülis? Et dixit Dominus, tradent.* Quibus verbis constat primò Davidem interrogasse, non de præsenti solùm affectu Saülis & Ceilanorum, sed de eventu futuro, dicit enim *si tradent*.

Secundò eventus ille fuit tantùm futurus conditionatè; siquidem de facto David non remansit Ceilæ; nec ibi expectavit adventum Saulis: Unde hæc traditio à Ceilanis non erat absolutè, sed tantū conditionatè futura. 3. Deus absolutè & sine ulla modificatione suæ assertionis respondit de Saule, *descendet*, & Ceilanis *tradent*: Ergo utrumque præsciebat certò & infallibiliter; alioquin suam assertionem periculo falsitatis exposuisset, quod asserere impium esset. *Adde quod* Deus respondet de futuro eventu qualiter illum cognoscebat: affirmat autem traditionem illam futuram, si David remaneret Ceilæ: Ergo determinatè & certò illam traditionem ex conditione cognoverat, ut exponit S. Hier. ad illa verba, *si tradent me viri & si descendet Saul*, descendet, inquit: ac si diceret, si hic steteris descendet, & quod ait, *si tradent me viri Ceilæ* & Dominus ait *tradent*: iste est sensus, si descenderit Saül & hîc te invenerit, tradent.

Alter textus deducitur ex Sapientiæ 4. cap. ubi de justo præcipiti morte ex hac vita adempto dicitur, *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Quibus verbis significatur; Primò futuram illam mutationem & deceptionem tantùm sub conditione non ponenda, nempe si talis diutius vixisset: Secundò Deum ad cujus nutum vita & mors hominum solvitur, certò novisse illam futuram mutationem & deceptionem, si justus ille diutius vixisset, alioquin inconsultò ipsum morte præcipiti rapuisset è vivis, ne malitia mutaret intellectum ejus.

Tertius textus legitur Matth. 11. & Lucæ 10. ubi Christus duabus civitatibus Israël propter earum civium obdurationem exprobrans, ait, *Væ tibi Corrozain, Væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent: Verumtamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii quàm vobis.* Quibus verbis constat primò Christum loqui solùm de eventu conditionatè futuro, nempe de pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum, si Christus apud eos illa miracula fuisset operatus quæ in civitatibus Corrozain & Bethsaida ediderat: quæ pœnitentia reipsa non extitit, nec futura fuit absolutè, eò quòd posita non fuerit conditio, nempe miraculorum patratio. *Secundò* Christus certò noverat futuram illam pœnitentiam, si talis conditio fuisset posita; alioquin, nec ita acriter exprobrasset, nec ita certò asseruisset Tyrios & Sidonios in cinere & cilicio pœnitentiam acturos; aliàs suam assertionem falsitati exposuisset. Si autem Christus ut homo illam pœnitentiam conditionatè futuram noverat, multò magis id noverat ut Deus: cumque omnis Dei cognitio certa sit & infallibilis, etiam certò & infallibiliter illam pœnitentiam conditionatè futuram noverat.

Quartus denique locus illustris deducitur ex 3. Regum cap. 11. & Exodi 34. ubi prohibet Deus Filiis Israël, ne connubia jungant cum alienigenis uxoribus sibi vicinis, *Non ingrediemini*, inquit, *ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim avertent corda vestra ut sequamini Deos earum:* cujus prædictionis euentus etsi revera extiterit in Salomone, qui cùm jam esset senex, ut ibidem sacer textus eloquitur, depravatum est cor ejus per mulieres ut sequeretur Deos alienos: Nihilominus talis eventus à Deo prædictus, erat tantùm conditionatè futurus respectu eorum omnium qui poterant connubia ducere cum alienigenis, nec tamen duxerunt.

His omnibus textibus plures alii subjici possunt, maximè verò illud Ezechielis 3. cap. *Non ad populum profundi sermonis & ignotæ linguæ tu mitteris, &c. Etsi ad illos mittereris, ipsi audirent te.* Item illud Jeremiæ 38. Propheta Regi Sedeciæ, ait, *Si exieris ad principes Regis Babylonis, vivet anima tua, & civitas hæc non succendetur igni, & salvus eris tu, & domus tua.* Quod tamen reipsa non contigit, Sedecias enim juxta consilium Prophetæ non exivit. *Item* Matthæi 24. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fuisset salva omnis caro*, sed propter Electos breviabuntur. Videt ergo Deus plures potuisse perire, si diu staret Antichristi persecutio, qui tamen non peribunt propter breviatos illius persecutionis dies. *Denique* primæ ad Cor. 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, & quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Id est tam infandum scelus non commisissent crucifigendo Christum, si novissent illum. Quæ notitia cum reipsa non extiterit, nec pariter defuit crucifixio.

V. Accedunt authoritates SS. Patrum.

Probatur hæc eadem veritas sanctorum Patrum authoritatibus, quorum Aliqui passim supponunt Deum habere scientiam conditionatam in suæ providentiæ & Electorum prædestinationis administratione, quâ fit ut nonnullos è vita substrahat in statu gratiæ, ne si diutius viverent in peccata laberentur, & sic æternam damnationem incurrerent. Sic in primis Gregorius Nyssenus oratione de infantibus qui præmatura morte substrahuntur è vivis, ait, *Divinæ esse providentiæ ejusque perfectæ sapientiæ non solùm contractos sanare morbos: sed etiam ne omnino quispiam in illicitis versetur prospicere.* Cujus rationem sic reddit, ut asserat Deum certissimè scire quid futurum esset de illo infante si longiùs ætatem duceret, *Est enim consentaneum, ab illo, qui perequè futurum novit ac præteritum, prohiberi parvuli progressum ad perfectam ætatem, ne malum illud, quod præsciens illa vis, & facultas cognoverit in eo qui victurus esset, ita perficiatur: atque si quis ea voluntate arbitrioque victurus fuisset, materia nequitiæ vita fiat.* Quibus verbis S. Greg. ostendit non probabilem, nec incerto velut exitu suspensam ac dubiam in Dei notitia versari illationem, non modò quæ potuit esse, sed quæ reipsa fuisset si diutiùs infans vixisset.

Ipsi concinit Cyrillus Alexand. lib. 3. contra Julianum, ubi de Adami lapsu & mox subjecta pœna disserens, laudat Porphyrii sententiam; *Porphyrius*, inquit, *sic in lib. ad Nemertium scribit: Deus autem qui futura novit, alios propter pietatem adhuc Iuvenes è vita præripit, Alios ob detrimenta quæ per illos erant necessariis suis importanda: Alios item ob ingentes quæ futura erant calamitates, ante substrahit.* His adstipulatur sanctus Chrysostomus lib. 1. ad Stagyrium, ubi solvens, quæ contra divinam providentiam solent opponi; maximè verò cur aliqui antequam ad eam pervenerint ætatem in qua bona discernere possint à malis, tanquam magna scelera commiserint, puniuntur: Respondet, *Multos illorum nosse Deum malos alioqui futuros, atque ideo velut pedicis quibusdam, sic eos pœnis istis coërcere.*

VI. Eadem veritas ratione suadetur.

Eadem veritas ratione probatur. Quidquid est verum, scitur à Deo: sed futura conditionatè sunt vera: Ergo Deus scit illa esse vera. *Major* constat: Deus enim cùm infinita intelligendi virtute sit præditus, evidentissimè conspicit & cognoscit, quidquid est scibile: quod autem verum est, scibile est; adeoque si contingentia conditionatè futura sint vera, sunt scibilia, & consequenter à Deo sciuntur. Itaque *Probatur minor.* Primò quidem, conditionatè futura, non minùs vera sunt, quàm quæ sunt absolutè futura: sed absolutè futura, sunt determinatè vera, ut probatum est: Ergo etiam conditionatè futura sunt vera. Probatur *major*: Non minùs est contradictio præcisa & immediata inter contingentia conditionatè futura & contradictoriè enuntiata, quàm sit inter absolutè futura: v. g. non minor est harum propositionum contradictio, *Si Saulus tali modò vocetur à Christo, convertetur, & fiet vas electionis, & si tali modò vocetur non convertetur*, quàm sit inter has duas propositiones, *Saulus tali modò vocatus à Christo convertetur; & eôdem modô vocatus non convertetur:* Ergo cum ratione hujus contradictionis, una propositio enuntians absolutè futurum, sit determinatè vera, & alia determinatè falsa; ita pariter duarum propositionum contradictoriarum de futuro contingenti conditionatè, una erit determinatè vera, & alia determinatè falsa, & consequenter illud quod enuntiant, erit determinatè verum, aut falsum.

1. Quia futura conditionatè sunt vera.

Confirmatur. Propositio conditionata non dif-

fert ab absoluta de eodem objecto, nisi penes conditionem, quæ si ponatur, propositio erit absoluta: Ergo sicut absoluta, est determinatè vera, vel falsa; sic eadem conditionalis de eodem objecto conditionatè futuro, est distinctè & determinatè vera, vel falsa: Patet hæc consequentia, quia conditio penes quam solam differt propositio conditionalis ab absoluta, non impedit quominus sit æquè conformis suo objecto, & consequenter sit æquè vera.

2. Quia illorum cognitio fundatur in medio certo.

Secundò: Illa cognitio est certa, & infallibilis, quæ fundatur in medio certo & infallibili: sed cognitio, quam habet Deus de contingentibus conditionatè futuris fundatur in medio certo & infallibili, nimirum in decretô conditionato ex parte decreti, sed absolutô ex parte subjecti: Ergo pariter cognitio debet esse certa & infallibilis. *Major* constat. *Minor* verò probabitur in sequenti quæstione.

3. Quia nullam redolet imperfectionem, nec repugnantiam.

Tertiò: Omnis cognitio possibilis, quæ nullam imperfectionem involuit, non est Deo deneganda: sed hæc contingentium conditionatè futurorum notitia certa, nec est impossibilis, nec Deo indigna; Ergo est ipsi tribuenda. *Major* constat: Deus enim cùm sit præstantissimum omnium entium, omnes perfectiones possibiles nullam imperfectionem in suo conceptu involventes necessariò debet includere: *Minor* probatur; Primò quidem quòd hæc cognitio sit possibilis, quod enim verum est, est etiam scibile à Deo: sed illa futura sunt vera, ut probatum est: Ergo pariter à Deo sunt scibilia. Secundò, quòd etiam non sit Deo indigna; summa enim perfectio est scire quidquid est scibile, imò imperfectio esset istud ignorare: Ergo cùm illa contingentia sint scibilia, non est imperfectio, sed summa perfectio illa cognoscere.

Objiciunt 1. *contra sentientes, replicantque*, nihil ex allatis Scripturæ textibus inferri posse in confirmationem nostræ Conclusionis, siquidem hæc à Scriptura proferuntur, *vel* tantùm per exaggerationem humanam, *vel* secundùm probabilem tantùm cognitionem quam Deus habet de hujusmodi futuris, considerando scilicet inclinationem causarum secundarum, quæ positis illis conditionibus, de se magis erant inclinatæ ad hos effectus prænuntiatos quàm ad oppositos. Idque confirmant ex verbis sequentibus Matth. 11. ubi cùm Christus objurgasset Corrozain & Bethsaida, subjungit; *Et tu Capharnaum, numquid vsque in Cœlum exaltaberis? Vsque in Infernum descendes: quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent usque in hanc diem*, ubi particula *fortè* solam conjecturalem, & probabilem notitiam, non autem infallibilem & certam denotare videtur.

VII.

Deus certò novit eventum rei futuræ conditionatè, si conditio poneretur.

Respondeo 1. Hanc replicam nullius esse momenti, & impugnari ab ipsomet S. Augustino, qui in libro de bono perseverantiæ cap. 9. agens de Tyriis & Sidoniis ait; *Sed nunquid possumus dicere, etiam Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent: Cùm eis ipse Dominus attestetur quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum*: Quibus S. Augustinus fatetur certò Tyrios fuisse credituros, si talia signa vidissent. *Deinde*, si tantùm conjecturalis fuisset Christi cognitio de futura Tyriorum, & Sidoniorum pœnitentia, nullam causam habuisset tam acriter objurgandi Judæorum obdurationem; nec Christo conveniens erat, ut ad exprobrandum Judæis infidelibus gravia ipsorum peccata, assumeret dubia, & falsitati exposita. *Adde quòd* iam dixerimus, particulam *fortè* non significare dubitationem Dei asserentis, sed assumi ad aperiendam contingentiam eventûs, & arbitrii libertatem. *Denique*, Illorum contingentium certa veritas, etiam exinde patet, quòd interdùm prædicentur & prænuntientur à Prophetis; prædictio autem Prophetica, quæ non est comminatoria, est omnimodè certa & infallibilis, aliàs nullomodo foret Prophetiæ certitudo.

VIII.

Objiciuntur SS. Patres.

Objic. 2. S. Augustinum lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 14. ubi explicans illud Sapientiæ 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*, ait, *Dictum est secundùm pericula vitæ hujus, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat*: Quibus verbis S. Augustinus significare videtur Deum non certò & infallibiliter cognoscere hoc futurum conditionatum, scilicet hominem peccaturum, si diutiùs vixisset; sed de illo habuisse tantùm cognitionem conjecturalem fundatam in periculo, ne mutaretur, propter vehementes occasiones quas absolutè prævidebat. Item sæpe affirmat figmentum esse præsciri à Deo quæ non sunt futura; sic lib. 2. contra duas Epistolas Pelagii, *Quomodo*, inquit, *præscivit ea futura, nimirum opera parvulorum ante adultam ætatem morientium quæ fecissent si adolevissent*..... *quia præscientia ejus falli non potest, non præscivit non futura*: Item lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 12. *Vnde talibus viris*, id est Semipelagianis, *in mentem venerit, ut futura quæ non sunt futura puniantur, vel honorentur merita parvulorum.*

Ipsi concinunt S. Prosper Epist. ad sanctum Augustinum, ubi de eisdem Semipelagianis loquens, ait, *Futura quæ non sunt futura confingunt.* Et S. Damascenus in Dialogo adversus Manichæos refutans errorem eorum qui dicebant Deum non debuisse creare Homines aut Angelos quos ante præscivit peccaturos, ait: *Quonam autem modo præscire queat quod futurum non est? Nam si aliquem peccaturum præscivisset, neque eum condidisset, præscientia hæc non esset, sed impostura; quemadmodum etiam cognitio est earum rerum quæ sunt, sic prænotio eorum est quæ certò futura sunt*: Ergo ex mente sanctorum Augustini, Damasceni, & Prosperi non datur in Deo certa, sed tantùm conjecturalis conditionatè futurorum notitia.

Nego consequentiam, S. enim Augustinus locis citatis loquitur tantùm de præscientia non conditionata sed absoluta, quam admittebant Pelagiani & semi-Pelagiani independentem à divino decreto, eoque anteriorem, ut refert S. Prosper in *eadem Epistola*, & secundùm quam præscientiam volebant Deum moveri per opera prævisa ad concedendam primam gratiam, & primam vocationem ad fidem. Quam præscientiam absolutam meritò *fictitiam* appellant Augustinus & Prosper; Non autem loquuntur de præscientia conditionata quæ supponat conditionatum decretum, quale nos propugnamus; alioquin sibi ipsis apertè contradicerent.

Et solvuntur ac explicantur.

S. Augustinus quidem, nam in lib. *de Correptione & Gratia cap.* 8. loquens de his qui non sunt rapti à Deo, ne malitia mutaret eorum intellectum: *Respondeant*, inquit, *si possunt*,

scilicet Pelagiani, *cur illos Deus, cùm fideliter & piè viverent, non tunc de vita hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum? Vtrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissimè, & insanissimè dicitur.* Quibus S. Augustinus affirmat Deum potuisse per talem præscientiam impedire ne illa mutatio in pejus foret reipsa: sed non potuit impedire per præscientiam absolutam, nam hæc supponit rem absolutè futuram: Ergo per præscientiam conditionatam, quæ nisi perversissimè, & insanissimè, inquit, Deo non potest denegari.

Ipsi concinit S. Prosper in Responsione 8. ad excerpta Genuensium: *Cùm aliqui pereunt*, inquit, *non dubitemus ipsorum meritis deputari quod pereunt; quos utique posset Deus justè damnare si vellet. Et cum aliqui liberantur, non audeamus definire quod digni fuerint liberari: quos utique posset Deus justè damnare si vellet*, &c. *De Tyriis autem & Sidoniis quid aliud possumus dicere quàm non esse eis datum, ut crederent; quos etiam credituros fuisse ipsa veritas dicit, si talia qualia apud non credentes facta sunt, signa vidissent?* Ac mox dicit non solùm Tyrios & Sidonios, sed etiam Corrozaim & Bethsaida potuisse converti, & fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis Dominus voluisset operari.

Simili modo interpretandus est S. Damascenus, loquitur enim solùm de præscientia absoluta, ut constat ex ipsis verbis, *Præscientia hæc non esset, sed impostura*; Non autem loquitur de conditionatè futuris, de quibus hîc tantùm agimus.

Objiciunt 3. Si futura conditionata aliquam certam in Deo notitiam supponerent, maximè quia ab eo prædicuntur, & a Prophetis prænuntiantur: sed exinde non constat illam notitiam esse certam: Probatur, Deus plura in Scriptura per se vel per Prophetas prædixit solùm per conjecturam desumptam ex dispositione causarum secundarum, v. g. Isaiæ 38. *Dispone domui tuæ quia morieris tu, & non vives*: Et Jonæ 3. *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur*: Quorum tamen neutrum contigit: Ergo ex prædictionibus non colligitur certitudo & infallibilitas divinæ cognitionis.

IX. *Nego Minorem*: Omnes enim divinæ prædictiones veræ sunt & infallibiles, secundùm sensum à Deo prædicente intentum, licet in quibusdam non exprimatur, sed subintelligatur aliqua conditio, maximè verò in prædictionibus comminatoriis. Nam ut docet S. Thomas 2. 2. q. 171. art. 1. Triplex est Prophetia, scilicet *Præscientiæ, Prædestinationis, & Comminationis*; inter quas hoc ponit discrimen quòd prima, & secunda terminantur ad futura in seipsis. Unde ex illis veritas futurorum ex se evidenter colligitur. Tertia verò non respicit futura ut in se, sed dispositionem, & ordinationem causarum ad ipsa; supponitque conditionem, putà si peccatores resipiscant, & convertantur ad Deum, ipsumque studeant placare per pœnitentiam, juxta illud Jeremiæ 18. *Si egerit pœnitentiam gens illa à malo suo quod loquutus sum adversus eam, agam & Ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Non enim fiunt illæ comminationes nisi ut homines præveniant divinam vindictam per eorum resipiscentiam, juxta illud Ezechielis 18. *Nunquid voluntas mea est mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat.* Positâ autem resipiscentiâ non sequitur pœna quam Deus infligendam prænuntiaverat sub tacita conditione, si peccator non resipisceret.

Triplex Prophetiæ Genus ex D. Thoma.

Objiciunt 4. Futura conditionata non habent determinatam veritatem: Ergo distinctè & determinatè non possunt à Deo cognosci. Consequentia patet, Deus enim res cognoscit ut sunt, & consequenter quæ non sunt determinatè vera, non possunt determinatè à Deo cognosci. Probatur *antecedens*, Si haberent determinatam veritatem, maximè vel in se, vel in suis causis: sed neutrum dici potest; non quidem primum: Eô modô enim habent veritatem, quomodo habent esse, sed non habent esse determinatum, quia nunquam erunt: Ergo nec determinatam veritatem in se: Neque etiam secundum, posita etiam conditione adhuc eorum causæ productivæ, sunt indifferentes & indeterminatæ ad illa producenda, vel non producenda: Ergo non habent determinatam veritatem, nec consequenter determinatam scibilitatem.

X. *Distinguo antecedens*: Non habent determinatam veritatem absolutam, concedo: conditionatam, nego: Posita enim conditione, voluntas creata, sese determinatura erat: cum decreto ponendo, absolutè quidem ex parte Dei decernentis, sed conditionatè tantùm ex parte rei decretæ; quod decretum non officit libertati, nec eam prædeterminat, sed tantùm condeterminat. Adeoque, illa futura contingentia habent determinatam veritatem conditionatam, *in suis causis*, nimirum in voluntate creata & in divino decreto.

Qualiter futura conditionata determinatam veritaté habeant.

Vrgent: Determinata veritas supponit determinatum esse, veritas enim est proprietas entis, sed illorum conditionatè futurorum esse non est determinatum: Ergo nec etiam determinata est eorum veritas. Probatur *Minor*, Illorum esse non est determinatum, quæ nunquam habitura sunt determinatam existentiam, sed erunt merè possibilia & purum nihil: atqui talia sunt ut plurimùm futura conditionata, eorum enim plurima nusquam existent: Ergo, &c.

Distinguo minorem: Illorum esse non est determinatum absolutè, concedo: Conditionatè, nego: Nec exinde sequitur illa esse purum nihil, habent enim verum esse reale objectivum in mente divina, ex præsupposito decreto conditionato, de conditionata eorum futuritione: Unde sicut absolutè futura habent absolutum esse repræsentatum in Essentia divina; ita pariter futura conditionata, habent esse conditionatum in eadem Essentia divina repræsentatum virtute decreti conditionati.

Instant: Si futura conditionata haberent determinatam veritatem, essent æternæ & perpetuæ veritatis: sed hoc dici nequit: Ergo, &c. *Minor* patet: Nam ideo propositiones sunt æternæ veritatis, quia formantur de entibus determinatè veris, etiam quatenus abstrahunt ab omni existentia; sed tales essent propositiones de conditionatè futuris, si determinatam haberent veritatem: Ergo, &c.

Distinguo antecedens: Essent æternæ veritatis per necessariam illationem consequentis ab antecedente; qualia sunt futura absoluta, quæ habebunt verum esse, ratione præsuppositi absoluti decreti, nego; Essent æternæ veritatis

conditionatè & ratione prævisionis, quâ Deus videt illa de facto esse futura vel non futura, propter scilicet ponendam, vel non ponendam conditionem, concedo: Nec hoc ullam implicantiam involvit.

Vrgent iterum: Si propositiones de futuris conditionatè, essent determinatè veræ, essent pariter necessariò veræ: sed falsum consequens: Ergo & antecedens. Probatur sequela majoris: Particula enim conditionata (*Si*) vel significat necessariam connexionem consequentis cum antecedente, vel non: Si primum, illa propositio est necessariò vera: Si secundum, sequeretur dari antecedens verum & consequens falsum; adeoque omnis propositio conditionalis esset falsa, quia inferret consequens ex antecedente legitimè sequi, cùm tamen sic ex eo non sequeretur. Patet etiam minor: Propositiones enim de conditionatè futuris non sunt necessariò veræ, sed contingentes, quia res contingenter futuras enuntiant.

XI. *Distinguo majorem*: Essent necessariò veræ ratione necessariæ illationis consequentis ab antecedente, si particula conditionalis (*Si*) sumatur illativè & significet necessariam connexionem consequentis cum antecedente, concedo: Si sumatur tantùm conditionatè, vel promissivè, nego: Itaque particula conditionalis (*Si*) triplicem habere potest significationem: potest enim sumi, Primò *Illativè*, quando consequens dicit necessariam connexionem cum antecedente v. g. *Si Petrus currit, movetur*. Secundò *Promissivè*, quando consequens habet connexionem cum antecedente ratione voluntatis promittentis, v. g. *Si viceris dabo tibi coronam vitæ*. Tertiò sumitur *conditionatè*, quando reverà ponitur consequens cum antecedente, quamvis ex natura sua sine eo stare antecedens posset; eò quòd consequens non habeat necessariam connexionem cum illo antecedente, sed tantùm contingentem ratione conditionis contingentis; quæ tamen conditio certò à Deo cognoscitur ponenda, vel non ponenda. Ideoque hæc connexio antecedentis cum consequente certò quidem à Deo noscitur, etsi necessaria non sit.

Particula (*Si*) triplicem habet significationem.

QUÆSTIO SECUNDA.

An dentur in Deo Decreta Conditionata?

I. NOTANDUM 1. divinum decretum esse illam Dei volitionem quâ decernit rerum futuritionem; idque vel *absolutè*, ita quòd infallibiliter res decretæ evenient; vel tantùm *conditionatè*, quando nimirum rerum eventus pendet ab aliqua conditione, quæ si ponatur, reverà res illa existet; si verò non ponatur talis conditio, etiam res non erit.

Decretum divinum quid & quotuplex.

II. *Rursus* hoc conditionatum decretum considerari potest, vel ex parte decernentis, vel ex parte rei decretæ, seu ex parte *Subjecti volentis*, uel ex parte *Objecti voliti*. Priori modo significat non tam firmam ac stabilem voluntatem quàm velleitatem quamdam de habenda hac stabili firmaque voluntate circa aliquod objectum si conditio aliqua poneretur; talis est hæc propositio, *Vellem gerere bellum adversus* A *Turcas si id Viro Religioso liceret*: In qua propositione non significatur directè voluntas efficax gerendi bellum, sed directè solùm exprimitur velleitas & desiderium quoddam formandæ talis volitionis efficacis ex hypothesi quòd illa volitio efficax & sincera virum religiosum non dedeceret. Posteriori modo decretum dicitur conditionatum ex parte rei decretæ, seu objecti voliti, quando videlicet actu quidem formatur volitio determinata ex parte volentis; eventus verò suspenditur donec ponatur conditio: v. g. *Si Petrus cras audierit sacrum, dabo illi librum*: Volitio enim efficax est & sincera dandi librum, dependet nihilominus illa B donatio à conditione ponenda, nimirum ab auditione sacri.

Decretum conditionatum aliud ex parte *Subjecti*; aliud ex parte *Objecti*.

Notandum 2. hoc esse discrimen inter utrumque illud decretum conditionatum: quòd *Primum* summam imperfectionem involvat, eò quod significet inefficacem volitionem & quamdam potentialitatem importet; quâ veluti decernens suspensus hæret, videturque impotens ad formandam volitionem efficacem de rerum eventu: Quæ videlicet volitionis inefficacitas & indeterminatio, Deum omnimodè potentem & ens summè necessarium & actu cum omnino dedeceant, etiam nec in illo repetiti potest tale decretum conditionatum ex parte subjecti decernentis & volentis. *Secundum* verò non sic; tota namque potentiali- C tas & indeterminatio refunditur non in ipsum volentem, sed in rem volitam cujus futuritio & existentia pendet ab aliqua conditione quæ si ponatur reverà res illa erit futura, si verò non ponatur, eventura non est. De conditionatis posteriori modo solùm loquimur, non verò de conditionatis priori modo.

Discrimen inter utrumque.

Notandum 3. Præsentem quæstionem moveri solùm de conditionatis, tam consequentibus quàm disparatis quæ in Scriptura sacra declarantur, aut per aliquam revelationem innotescunt. De cæteris verò quæ neutro modo patent; cùm omnino incertum sit an invicem habeant aliquam connexionem, vel ex parte rei consequentis ab alia, vel ex parte Dei decer- D nentis illam consecutionem unius rei ab alia cum qua nullam habet ex se connexionem, absurdum esset aliquid statuere: cùm talis illatio consequentis ex antecedente, nullatenus innotescat in conditionatè futuris non revelatis, v. g. in his propositionibus, *Si Turca aliquis dormiat Constantinopoli, Petrus convertetur Parisiis: si Socrates ab bellum fuerit profectus, Philosophiæ operam dabo*. Itaque solùm habemus resolvendum an conditionatè futura quæ per revelationem innotescunt, putà Tyriorum & Sidoniorum conversio si Christum prædicantem E audiissent, &c. supponant in Deo aliquod decretum conditionatum. III.

Status quæstionis proponitur.

CONCLUSIO UNICA.

IV. ADMITTENDA *sunt in Deo decreta, absoluta quidem subjectivè, & ex parte Dei decernentis & volentis: sed conditionata objectivè & ex parte rei decretæ ac objecti voliti*.

Admittenda esse decreta absoluta quidè ex parte rei: sed conditionata ex parte objecti, Probatur.

Probatur primò Ex illis omnibus Scripturæ textibus quibus Deus significat suam voluntatem de rebus conditionatè futuris, si conditio fuisset posita, maxime verò 4. Regum 13. *Si percussisses terram quinquies, aut sexies sive septies*,

percussisses Syriam usque ad consumptionem: Quibus verbis Propheta Elizæus Regi Joas denuntiat Deum decrevisse generalem Syriæ devastationem, & statuisse cum ipso Rege Joas se concursurum ad Syros exturbandos, si quinque, aut sex, aut septem vicibus ipse Rex Joas terram jaculo percussisset: Ergo supponit decretum de illo conditionatè futuro, quod tamen non evenit deffectu conditionis non positæ. *Item* 3. Regum cap. 9. Deus Salomoni prænuntiat: *Si ambulaveris coram me sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis & in æquitate, & feceris omnia quæ præcepi tibi, & legitima mea & judicia mea servaveris; ponam thronum regni tui super Israël in sempiternum, sicut locutus sum David Patri tuo dicens, non auferetur vir de genere tuo de solio Israël. Si autem aversione aversi fueritis vos & filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & ceremonias meas quas proposui vobis, sed abieritis & colueritis Deos alienos & adoraveritis eos, auferam Israël de superficie terræ, &c.* Quibus paret Deum sub conditione decrevisse servaturum Thronum Israeliticum penes Salomonis familiam ex præsupposita conditione, quòd ejus divina mandata tam ipse Salomon quàm ejus posteri servarent: quæ conditio cùm non fuerit completa, ipseque Salomon Deos alienos coluerit, idcirco cap. 11. rursus ei Dominus apparens, ait: *Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum & præcepta mea quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo istud servo tuo.* Quibus constat decretum fuisse à Deo servandum Imperium Israeliticum in familia Davidis & Salomonis ex conditione; adeoque constat apud Deum esse aliqua decreta conditionata.

2. Sanctis Patribus. PROBATUR 2. Hæc eadem veritas ex sententia omnium sanctorum Patrum priori Quæstione laudatorum, qui divinas prædictiones de rebus conditionatè futuris nusquam tamen implendis à Deo sincerè ordinatas esse affirmant. Quibus accedit unanimis pene veterum Scholasticorum sententia, qui varias movent quæstiones de contingentibus conditionatè futuris; & alii pro una parte contradictionis, alii verò pro altera disertè pugnant; adeoque censent alterutram partem in his contingentibus esse determinatè veram, proindeque à Deo volitam. Tales sunt illæ quæstiones, an *si Adamus peccasset Dei Filius fuisset incarnatus*: an si *perseverasset originalis innocentiæ status, in eo instituta fuissent Sacramenta, ordinata sacrificia, præscripta rerum Dominia*: Et alia id genus, quæ sublata conditione non evenerunt: Quarum quæstionum resolutio certò certiùs supponit decretum divinæ voluntatis de eventu vel de non eventu talium effectuum in statu innocentiæ. Qualiter enim hæc extare potuissent nisi Deus voluisset, maximè cùm ex iis pleraque pendeant à sola Dei voluntate, ut Verbi Incarnatio, Sacramentorum institutio, &c.

Nec dicas Doctores Scholasticos his in quæstionibus solùm inquirere & resolvere, non quid revera futurum fuisset, si talis posita fuisset conditio: sed tantùm quid magis expediret, quidque congruentius foret hac supposita conditione.

Respondeo enim non ab eis solùm agitari quid in hac hypothesi magis fuisset congruum, sed etiam quid revera evenisset, ut constat ex allatis ab ipsis rationibus, quæ non solum eruuntur ex voluntate Dei suaviter & congruè cuncta disponentis, sed etiam ex argumentis Theologicis deductis, nimirum ex Scriptura sacra & sanctorum Patrum authoritatibus, nec-non & ratiocinatione & discursu, ut videre est in eorum scriptis, maximè verò apud Doctorem Subtilem.

PROBATUR TERTIÒ RATIONE: Illorum eventuum futuritio divinum supponit decretum, quæ non possunt habere rationem futuri, nisi ab ipso divino decreto: sed conditionatè futura nullatenus possunt habere rationem futuri nisi ab ipso divino decreto: Ergo illud præsupponunt. *Major* per se constat: *Probatur minor*; Primò quidem ex iis quæ iam diximus ad probandam rerum futuritionem formari & pendere solùm à divino decreto: Eodem modo namque raciocinandum est de futuritione contingentium conditionatorum, ac de futuritione contingentium absolutorum: sed horum futuritio pendet à decreto divino absoluto, tam ex parte Dei decernentis quàm ex parte objecti decreti: Ergo pariter contingentium futuritio conditionata pendebit à decreto conditionato ex parte rei decretæ, licet absoluto ex parte decernentis. 3. Ratione multiplici.

Secundò: Illorum futuritio supponit decretum Dei conditionatum, quorum consequens non sequitur ex antecedente nisi dependenter à voluntate Dei ita statuentis & decernentis: sed devastatio Syriæ, v. g. non erat sequenda ex sex aut septem vicibus jaculô percussa terra à Rege Joas, nisi quia Deus ita ordinaverat, cùm nulla inter utramque esset connexio ex natura sua: Ergo hæc devastatio generalis supponebat decretum divinum; non quidem absolutum cum revera hæc devastatio non extiterit: Ergo supponebat decretum conditionatum, proindeque datur.

Tertiò, Omnis divina promissio divinumque pactum exprimunt sinceram voluntatem Dei promittentis & paciscentis, qui revera vult implere quæ promittit, si nimirum adsit conditio præsupposita: sed Deus plura de facto promisit & pacta statuit de rebus futuris sub conditione, numquam tamen implendis: Ergo Deus habet volitiones & decreta absoluta quidem quoad actum, sed conditionata quoad objectum & ratione conditionis non apponendæ. *Major* per se patet: Si enim Deus non vellet sincerè implere quæ promittit, sequeretur eum hominibus illudere, & falsitatis ac mendacii posset argui in suis promissionibus & pactis. *Minor verò probatur*: Ex iam citatis promissionibus de perseverantia Imperii Israëlitici penes familiam Salomonis si custodirent ejus mandata, quod cùm impletum non fuerit, etiam Salomonis posteri dejecti sunt ab Imperio Israëlitico: Divisum enim fuit Imperium tempore Roboam filii Salomonis, stetitque tantùm super Judam & Benjamin usque ad Sedeciam, qui ultimus fuit Regum Juda.

Confirmantur Hæ omnes rationes ex verbis Christi Matth. 26. ubi objurgans Petrum quod gladio percussisset servum Principis Sacerdotum, ait, *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo, plusquam duodecim legiones Angelorum*: Ex quibus verbis sic argumentor: Christus asserit Patrem divinum sibi ministraturum Angelicum auxilium

si ab ipso rogetur : sed talis subministratio & exhibitio Angelici auxilii, non ita constanter à Christo assereretur, nisi certò sciret Patrem æternum illud auxilium decrevisse, si divinus ejus Filius ita exorasset & optasset, alioquin assererer Patrem Æternum velle quod revera non volebat: Ergo revera positum fuerat decretum conditionatum de ministrando tali Angelico auxilio si Christus exorasset: Ergo & consequenter tale decretum admittitur.

Dices 1. Si darentur in Deo decreta conditionata, deberent esse libera: sed non possunt illa decreta esse libera: Ergo non dantur. *Major* patet, Decretum enim est illa libera divinæ voluntatis determinatio quâ Deus vult aliquid extra se producere, vel non producere. *Minor* probatur. Decretum divinum non censetur liberum, nisi ratione liberæ terminationis ad aliquid extrinsecum quod ex se potest esse & non esse: sed decreta conditionata nihil habent extrinsecum ad quod possint terminari vel non terminari: Ergo non possunt esse libera. *Major* constat: Cùm enim Deus sit ens summè necessarium, sitque immutabilis, non potest esse liber libertate ad actus oppositos, sed tantùm ad opposita objecta, vel ad ejusdem objecti positionem aut non positionem; adeoque sic censetur liber ratione liberæ terminationis. *Minor* etiam est evidens; cùm enim futurum conditionatum interdum habeat conditionem non ponendam; etiam est de re non futura; & sic plerumque non habet aliquid extrinsecum ad quod terminetur.

V. *Nego minorem:* Sicut enim decreta absoluta dicuntur libera, quia effectus absolutè decretus potuit decerni vel non decerni absolutè; ita pariter decreta conditionata dici debent libera, quia effectus conditionatè decretus potuit à Deo decerni, vel non decerni conditionatè. *Ad probationem* distinguo minorem, decreta conditionata non possunt habere liberam terminationem ad effectus qui nunquam erunt, id est qui sunt omnino impossibiles & repugnantes, nego: Idest qui non sunt futuri, quia non ponetur conditio quæ est specificativa illius decreti, concedo: Itaque sicut decretum absolutum dicitur, quod terminatur ad effectum absolutè venturum; Ita pariter decretum conditionatum appellatur, quod terminatur ad effectum futurum sub conditione ad quem respectum haberet & liberam terminationem.

Qualiter decreta cōditionata sint libera.

Dices 2. Illud asseri non debet esse in Deo, quod nec ex revelatione nec ex Scripturis colligitur: sed talia decreta conditionata, nec ex Scriptura nec ex revelatione colliguntur esse in Deo: Ergo non sunt asserenda. *Minor* patet: Siquidem nullus est Scripturæ textus qui talia decreta significet, imò Scriptura sacra disertè affirmat omnia divinæ voluntatis decreta esse impleta vel implenda: *Omnia*, enim, *quæcumque voluit fecit Dominus*, Psal. 11. Quæ autem conditionatè diceretur voluisse non fecisset, adeoque non potest dici illa voluisse.

VI. *Nego minorem*: Nihil enim frequentius in Scriptura sacra insinuatur, quàm *vel* promissiones sub conditione factæ, *vel* pacta sub conditione expressa quæ sinceram Dei voluntatem præ se ferunt: non quidem absolutam, sed conditionatam, adeoque etiam decretum conditionatum important.

Ex sacra Scriptura colligitur in Deo esse decreta cōditionata.

Adde quod qualis est voluntas Dei conferendi posteris Adæ justitiam originalem, si Adamus ipse inditam sibi innocentiam servasset, divinoque mandato de non manducando cibo vetito obtemperasset; tale etiam fuit pactum initum cum Davide, & repetitum cum ipsius filio Salomone de Sceptro Israëlitico apud eorum posteros in perpetuum salvando si divinis præceptis parerent, ut ipsemet David indicat Psal. 31. *Iuravit Dominus David veritatem & non frustrabitur eam* (Quæ verba apertum Dei decretum sinceramque ejus volitionem indicant) *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam, si custodierint filii tui testamentum meum & testimonia mea hæc quæ docebo eos, & filii eorum usque in sæculum, sedebunt super Sedem tuam.* Quod tamen decretum non fuit impletum, quia defuit ponenda conditio, nempe divinorum mandatorum observantia, ut supra diximus.

Dices 3. Decreta illa conditionata ridicula sunt & nugatoria: Ergo à Deo arcenda. Probatur *antecedens*; Irrisoria & nugatoria esset promissio quæ pendeat à libero sponsoris arbitrio, quam cùm posset ponere tamen non vellet: v. g. si quis sponderet se daturum aliquid alteri ex hypothesi quòd ad illum tali hora accedat, & ipse in mente haberet talem accessum non expectare, ipsum irrideret: Similiter si quis formaret hoc decretum, *Dabo tibi centum nummos si per horam Parisiis Romam adieris & redieris*: Hoc decretum foret imprudens & illusorium. Sed talia essent decreta conditionata, v. g. decretum de conversione futura Tyriorum & Sidoniorum ex supposita conditione, quòd Christus apud illos prædicaret, quæ conditio esset impossibilis, cùm Deus aliunde statuisset Christum apud Tyrios non esse prædicaturum: Ergo talia decreta illusoria essent.

VII. *Distinguo antecedens*: Decreta essent illusoria & ridicula si forent *de re vana & inutili*, & ex conditione omnino repugnante & impossibili, concedo: Secus, nego: Talia autem non sunt decreta conditionata divina; illa enim omnia, *vel* significant divinæ providentiæ administrationem, *vel* divinæ misericordiæ propensionem ad sublevandam hominis miseriam, *vel* divinæ benignitatis affectum quò Deus nostræ libertati & voluntati sese accommodat.

Quæ non sunt de re vana & repugnante.

Non sunt etiam de conditione impossibili aut repugnante: Quia illa conditio non repugnat ex natura rei; sed tantùm ratione alicujus extrinseci & ex aliqua suppositione accidentali, quæ licet non impleatur, nihilominus censeri non debet ridicula promissio, irrisoriumque decretum sub conditione factum; quia ad rationem summi & generalis Provisoris spectat plura decernere sub conditione, quæ tamen absolutè non vult exequi propter occultas suæ providentiæ rationes.

Dices 4. Omne divinum decretum importat & efficit aliquam mutationem physicam & realem in Creatura, illam enim deducit de statu possibili ad esse futurum & existens: sed decreta conditionata, quorum conditio nusquam implebitur, non possunt efficere in rebus decretis aliquam physicam mutationem, cùm talis Creatura decreta nusquam erit: Ergo talia decreta sunt impossibilia. VIII.

Divina voluntas non semper realem in Creaturis mutationē infert.

Nego majorem: Non enim necesse est quòd divina voluntas divinumque decretum inferat aliquam realem & physicam mutationem in

Creatura

Creatura ut ad ipsam dicatur liberè determinari, ad id enim sufficit mutatio moralis. Deus enim potuit ab æterno velle quòd homo pro aliquo tempore sit obligatus alicui voto aut præcepto, & irretitus aliquo reatu pœnæ; sequenti autem tempore solutus existat ab his omnibus vinculis, nempe dispensando ipsum à voto & ab observantia præcepti & solvendo reatum, vel per sufficientem contritionem & satisfactionem iam exhibitam, vel per misericordem indulgentiam & delicti gratuitam remissionem; quæ omnia solam moralem mutationem in homine efficiunt: nihilominus sufficiunt ad terminandam Dei liberam volitionem: Adeoque ad id non requiritur realis & physica mutatio. *Ad minorem* dico, decreta conditionata non efficere quidem in rebus futuris sub conditione ponenda aliquam mutationem physicam: sed solùm moralem, eò quòd causent in objecto quamdam mutationem objectivam, illud transferendo ab esse purè possibili ad esse futurum sub conditione, & ordinando illud ad existentiam conditionatè habendam.

Dices 5. Si darentur in Deo decreta conditionata, sequeretur Deum habere affectus contrarios & oppositos: sed falsum consequens: Ergo & antecedens. *Probatur* sequela majoris: Si Deus decrevisset, v. g. conditionatè futuram conversionem Tyriorum ad prædicationem Christi, illam conversionem voluisset, & cùm aliunde absolutè decrevisset quòd Christus apud eos nusquam prædicaret, idem simul voluisset & noluisset; & consequenter simul habuisset oppositos affectus.

IX.

Ex decretis conditionatis nō sequitur Deum habere voluntates oppositas.

Nego sequelam majoris: Illi enim affectus non censentur oppositi, qui non versantur circa idem objectum eodem modo consideratum; at tales sunt divinæ volitiones, una enim est efficax respectu effectus absolutè venturi, v. g. volitio quòd Christus nusquam prædicet apud Tyrios; Alia autem est tantùm inefficax, v. g. conversio Tyriorum ex supposita Christi apud eos prædicatione. Deus autem potest simul, & semel idem velle voluntate efficaci, & nolle voluntate inefficaci diversa ratione: vult enim inefficaciter salvare etiam omnes damnãdos, quia sunt ipsius imagines & redempti pretioso Sanguine Filii sui divini; nihilominus vult eos efficaciter damnare, quia sunt peccatores & in impœnitentia finali è vivis excesserunt: quæ duæ volitiones, licet oppositæ videantur, tales nihilominus non sunt, quia diversô mediô idem objectum respiciunt.

Dices 6. Illa decreta conditionata, nec probari possunt à priori, quia sunt libera, & nihil præcedit in voluntate divina cum quo habeant necessariam connexionem. Nec etiam probari possunt à posteriori, quia nullum revera habent effectum, cùm versentur circa res quæ simpliciter sunt possibiles: Nec etiam idipsum inferri potest ex revelatione, illa namque decreta conditionata neque inferuntur ex Scriptura, nec ex sanctis Patribus: Ergo revera nulla sunt.

X.

Decreta conditionata probantur à posteriori.

Nego antecedens: Primò namque decreta illa probari possunt *à posteriori*, licet enim nullum habeant effectum absolutè futurum, illum tamen haberent virtute decreti conditionati in Deo præexistentis, si conditio, quâ positâ enunciatur futurum, esset impleta: Unde futura conditionata non sunt in statu meræ possibilitatis, sicut alter mundus quem Deus producere posset si vellet: sed aliquatenus participant rationem futuri, non quidem absolutè, sed ex hypothesi: colliguntur pariter illa decreta ex Scriptura sacra, ut constat ex prima probatione Conclusionis.

Dices 7. Illa decreta conditionata magnam inferunt absurditatem: Ergo nullatenus sunt admittenda. *Probatur antecedens:* Ex eis namque sequitur Deum fore causam peccatorum per duplex decretum: *Primò* quidem per conditionatum, quô Deus decrevit peccata fieri, si certæ adsint conditiones: *Secundò*, per absolutum quod resultat ex priori, positis nempe ac prævisis illis conditionibus exstituris: quô fit ut hoc duplici decreto veluti prædeterminetur voluntas ex se indifferens ad omnia patranda crimina: Unde sequitur Deum non solùm permittere, sed etiam revera causare peccatum.

XI.

Non infertur ex eis quod Deus sit author peccati.

Nego antecedens: Nullus enim Catholicorum affirmat esse in Deo aliquod decretum sive absolutum, sive conditionatum quô decreverit peccata fieri, nec ullus pariter asserit ipsum prædeterminare voluntatem ad peccatum: Sed Theologi constituunt in Deo decretum absolutum vel conditionatum, quô Deus vult permittere absolutè, vel ex hypothesi futurum, & concurrere ad entitatem actus peccaminosi inquantùm actus physici & entia sunt, secundùm nempe omnem rationem entitatis & bonitatis quam habent, non autem secundùm rationem deformitatis & malitiæ, quâ propter deviationem creatæ voluntatis moraliter afficiuntur.

Instabis. Revera ex illis decretis conditionatis Deus censeretur esse author peccati, non solùm secundùm entitatem, sed etiam secundùm deformitatem. Ergo, &c. *Probatur antecedens:* Ille censendus esset peccati author, qui mente revolvens omnes ordines rerũ, omnesque temporum & locorum circunstantias statueret opem ferre ad omnia patranda crimina sub certa conditione, nempe si ab illo opem patrandi crimina peterent: sed hoc ipsum sequitur ex decreto conditionato, quô scilicet Deus decernit se concursurum cum omnibus causis liberis ad omnia etiam crimina; si nempe ad illa patranda crimina sese determinent, & ejus ad id concursum exigant: Ergo, &c.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico, Deum non decernere se concursurum ad actum peccaminosum præcisè quatenus peccaminosus est, sed tantùm quatenus actus entitativus est, ad quem eliciendum sese liberè determinat creata voluntas, cui Deus ut causa generalis & universalis suum negare non debet concursum, ut fusiùs docebimus in Tractatu de Providentia.

XII.

Illa decreta non debent esse innumerabilia.

Dices 8. Ex hac sententia sequeretur constituenda esse in Deo innumerabilia decreta, imo imprudentia, ridicula & absona circa res singulares; appositis nempe inutilibus, & ridiculis conditionibus sub quibus infinitæ penè propositiones possunt fieri, v. g. *Si accepero librum, moriar; si Turca sedeat Constantinopoli, ero Religiosus Parisiis*; & alia similia, quæ cùm omnino Deum dedeceant, etiam ab eo lon-

ge removenda sunt illa decreta conditionata.

Nego antecedens; Non enim admittimus in Deo decreta conditionata circa omnes combinationes rerum possibilium: sed solùm circa illa conditionata quæ in Scripturis sacris exarantur, vel ex illa colliguntur. Unde hoc argumentum potius militat in deffensores scientiæ mediæ, qui nempè asserunt Deum ante omne decretum liberum suæ voluntatis, certò scire, quid esset determinaturus, positis quibuscumque combinationibus etiam possibilibus cujuslibet futuri conditionati.

Dices denique: Eadem est ratio de futuris conditionatis, ac absolutis: sed præscindendo à quocumque divino decreto saltem antecedente, salvatur in Deo certa scientia futurorum contingentium absolutorum: Ergo simili ratione præscindendo à quolibet decreto conditionato salvatur in Deo scientia futurorum conditionatorum; sicque nulla est necessitas illa decreta admittendi.

XIII. Sine divino decreto nihil est futurum.

Nego minorem: Cum enim omnia contingentia quæ absolutè sunt futura, pendeant intrinsecè ex decreto voluntatis divinæ quod æternum est; inde fieri non potest, ut præciso quocumque divino decreto aliquid sit de facto futurum: adeoque nec fieri potest ut cognoscatur sub ratione futuri, siquidem Apocalypsis 4. *Tua sunt omnia & propter tuam voluntatem erant, & creata sunt.* Unde supponere aliquid futurum independenter à decreto divino, est omnino negare Deum esse Primam rerum omnium causam.

QUÆSTIO TERTIA.

An detur Scientia media, quâ Deus cognoscat futura conditionata ante decretum?

I. Quid per SCIENTIAM MEDIAM intelligatur

NOTANDUM I. nomine *Scientia media* (de qua celebris controversia extitit coram Clemente VIII. & Paulo V. in Congregatione *de auxiliis* inter Patrem *Thomam de Lemos* Dominicanum, & Patres *Gregorium de Valentia*, ac *Ferdinandum de Vastida* Societatis Jesu,) Recentiores Theologos intelligere, cognitionem certam & infallibilem, quam Deus habet de rebus conditionatè futuris ante decretum actuale & exercitum, quô decernit & prædeterminat illarum futuritionem.

II. Cur *Media* vocitetur.

Vocatur autem SCIENTIA MEDIA: *Vel primò* quia (inquiunt) mediat inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, & de utraque aliquid participat; est enim *Necessaria ex parte subjecti*, sicut scientia simplicis intelligentiæ, scilicet ex parte Dei, eo quòd antecedat omne actuale decretum liberum de rerum futuritione; eô fere modô, quô primæ nostræ cogitationes dicuntur necessariæ, quia præcedunt omnem nostræ voluntatis deliberationem & electionem; est etiam *libera ex parte objecti*, sicut scientia visionis, quia terminatur ad objecta libera, scilicet ad contingentia conditionata, quæ per illam scientiam mediam cognoscuntur.

Vel secundò hæc scientia vocatur *Media*; quia per illam Deus cognoscit futura conditionata, quæ veluti medium tenent inter merè possibilia, quæ per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscuntur, & absolutè futura quæ attinguntur per scientiam visionis.

Vel denique, ut fatentur aliqui, hæc scientia dicitur MEDIA, eo quòd videatur medium divinitùs inspiratum, ad convellendos omnes Pelagianorum, Semipelagianorum, Lutheranorum, & Calvinistarum errores circa divinam Prædestinationem, Gratiæ necessitatem & efficaciam, ac hominis cum divina præscientia & efficaci gratia libertatis conciliationem; quatenus nimirum hæc scientia statuit electionem & determinationem humanæ voluntatis priùs à Deo sub conditione prævisam, quàm aliquid prædefiniat & determinet circa ejusdem voluntatis actus liberos absolutè futuros.

III. Recenter inventam omnes consentiunt.

Notandum 2. Hujus mediæ scientiæ Assertores omnes in eo pene convenire, quòd affirment illam esse recenter excogitatam, & sanctis Patribus ac antiquioribus Theologis incognitam. Molina enim *in Concordia ad quæstionem 23. articulo 4. & 5.* scribere non dubitat, in iis quæ ipse tradiderat de scientia media futurorum sub conditione, sitam esse totam rationem conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, & prædestinatione; quæ si data explanataque semper fuisset, fortè neque Pelagianam hæresim fuisse orituram, neque Lutheranos tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuisse negaturos, obtendentes cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione cohærere non posse.

Addit: *Hæc nostra ratio conciliandæ libertatis arbitrii cum Divina prædestinatione, à nemine quem vidimus, fuit hucusque tradita; ideo paulò fusiùs est exponenda.* Subdit, *Si ab Augustino ea data & explanata fuisset, Pelagiana hæresis nunquam fuisset exorta, neque ex Augustini opinione concertationibusque ejus cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, nec ad Pelagianos defecissent.* Similia habet Fonseca quæstione 6. metaphys. sectione 8. ubi jactitat se primum in Deo quandā excogitasse scientiam, quam dicit esse mediam inter scientiam Dei naturalem & liberam de actibus liberis sub conditione futuris. Et Vasques prima parte disputatione 67. capite 7. *Quid mirantur Scolastici Theologi, inquit, si præter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, nos aliam ponamus, cujus ipsi mentionem non fecerunt?* Denique Valentinus Herice 1. part. disputatione 7. capite 10. ait: *Quis nesciat hanc scientiam mediam latuisse Scholasticos, & à nostris Patribus è tenebris, in quibus latebat, erutam diligenti Patrum assiduaque lectione.* Suares verò aliis prudentior & humilior, non affirmat eam esse novum inventum, sed contendit ab Augustino ad nos perenniter fluxisse; quamquam non semper ita perspicuè Theologis innotuerit. Præter Suarium.

IV. Dissentiunt in modo explicandi.

Licet autem omnes ferè Patres Societatis Jesu illam scientiam mediam propugnent; non tamen invicem consentiunt in illa explicanda & probanda: Primò namque discrepant in assignando medio, in quo illa fundetur. Nonnulli enim, ut supradictum est,

contendunt cum *Molina* & *Becano* Deum cognoscete futura contingentia conditionata in supetcomprehensione causarum secundatum, & eminentissima cognitione liberi atbitrii. Aliqui cnm Suare in decteto ut fututo in sequenti signo tationis. Alii denique in veritate objectiva quam futura conditionata habent antecedenter ad dectetum conditionatum. *Secundò* dissentiunt invicem in astruenda hujus scientiæ speciali ratione: Quidam enim volunt illam esse verè mediam intet uttamque scientiam simplicis intelligentiæ & visionis. Nonuulli existimant illam ad scientiam simplicis intelligentiæ esse revocandam. Cæteti demum contendunt illam cum scientia visionis counectendam esse.

V.

Ostenditur scientiam mediam esse vetus figmentum.

Notandum 2. Ex Didaco Aluares Atchiepiscopo Ttanensi disp. 7. de auxiliis num. 10. olim extitisse quosdam hæteticos Atianos, qui tanquam fundamentum potissimum sui ettotis hanc scientiam mediam constituetunt in Deo, ut videlicet ex parte præscientiæ boni usus liberi atbitrii futuri assignareot causain, ptoptet qoam solus Chtistus, quem pet gtatiam non pet naturam esse Filium Dei asserebant, solus inquam, intet homines ad ipsam divinæ filiationis dignitatem fuerit evectos. Ita refert Alexander Alexandrinus Episcopus in Epistola ad Alexandtum Episcopum Constantinopolitanum, quæ inseritur inter acta Concilii Ephesini, cujus verba sunt, *Cum illis objicitur sententia que deinceps sequitur*, ET IPSI SPREVERUNT ME, *quod planè natura Servatoris qui est naturâ immutabilis, repugnat: tunc omni exutâ erga Deum pietate ac reverentiâ aiunt: Deum cum eum præscientia & præsensione prænovisset neutiquam ipsum aspernaturum, idcirco ex omnibus elegisse: Non enim natura aut quidquam prater cateros Filios habuisse prærogativa (nullum uamque naturâ Filium Dei esse affirmant, neque quemquam esse, qui ulla cum eo proprietate conjunctus sit) sed eum esset natura mutabili & propter singularem in vita & moribus ritè instituendis diligentiam ac studium, non ad vitia deflecteret; Deum eum elegisse; adeo ut si vel Paulus, vel Petrus in hac obnixe incubuisset, eodem modo fuissent Filii Dei, quo ille fuis. Ac quo insanam, & pestiferam suam Doctrinam confirment, etiam in ipsas scripturas vim faciunt, & sententiam in Psalmis de Christo traditam, qua ita se habes*, Psalmo 44. DILEXISTI IUSTITIAM, ET OIISTI INIQUITATEM: PROPTEREA VNXIT TE DEVS TVVS OLEO LÆTITIÆ PRÆ CONSORTIBUS TUIS, *ad suum institutum detorquent*. Eandem scientiam mediam, ad stabiliendam prædestinationem ex prævisis meritis otientibus ex ptimatio bono usu liberi arbitrii absque beneficio gratiæ, admisetunt Semipelagiani, ut infra constabit. Adeoque cettum est scientiam mediam non esse recens, sed vetustissimum dogma, ab hæteticis primitùs excogitatum, quô faciliùs suis ettotibus patrocinarentur.

VI.

In quo discrepet scientia nostra conditionata a media.

Notandum 3. Quod etsi nonnulli mediæ scientiæ Assertores affirment nostram sententiam cum sua de scientia media facilè conciliari posse: Nihilominus sententiæ illæ toto cœlo dissident, nec solùm pugnant in modo loqoendi, sed etiam teipsa.

Primo, quòd nostra sententia constituit in Deo actualiter decretum conditionatum producendi per causas secundas liberas eventum qui præounciatur foturus, si eoaditio adimpleatur: Oposita verò sententia uullum dectetum constituit actualiter iu Deo etiam conditionatum, in quo fundetur infallibilitas eventûs qui prænunciatur futurus, si putificetur conditio.

Secundò differunt, nam dectetom conditionatum ex patte actus volendi inclusom in ipsa conditione, quod ponit sententia contraria, solùm est decretum creandi causas liberas, & constituendi eas in talibus circunstantiis, & cum talibus auxiliis sufficientibus, quibus possint operari si velint, & offereodi ex parte sua simoltaneum concursum quoties ipsæ voluerint operari, ut ex dictis patet: Nos autem censemus, quod ut eventus conditiooatus sit infallibiliter fututus ex hypothesi, non sufficit decretum illud creandi causas secundas liberas, & constituendi in talibus circunstantiis, cum sufficienti vittute ad operandum si velint, offerendo illis concursum simultaneum, sicot illi ponunt; sed ultra hæc omuia, ot eventus contingens sit infallibiliter futurus sub conditione, necessariò requiritut quòd præcedat in Deo dectetum actuale, quô voluit ut talis eventus sit infallibiliter futurus, sub conditione tamen; si conditio, sub qua prædicitur futurus, impleretur.

CONCLUSIO UNICA.

VII.

Nulla est in Deo scientia media.

Ut docet Doctor. Subtilis.

NON *est ulla admittenda* SCIENTIA MEDIA *quâ Deus futura conditionata cognoscat antecedenter ad suum decretum de illorum conditionata futuritione*. Hæc est communis inter Thomistas, & Scotistas fideliores suotum Doctorum Interpretes & Discipulos: & colligitur primò ex Doctrina Doctoris Subtilis, qui in *primum dist*. 38. *num*. 2. resolvens scientiam Dei de contingentibus non esse practicam, air, *Si ante actum voluntatis divina posset intellectus divinus aliquam talem cognitionem habere, haberet eam merè naturaliter & necessariò, quia omnis cognitio pracedens ibi actum voluntatis, est merè naturalis & per essentiam, ut ipsa est ratio merè naturalis intelligendi*. Quibos Doctot affirmat omnem scientiam divinam præcedentem dectetum, esse necessariam, merè naturalem, & pet essentiam, qualis est scientia simplicis intelligentiæ: sed talis non esset illa scientia media, & consequentet illam respuit Doctor.

Deinde *dist*. 41. *num*. 10. impugnans sententiam Henrici, dicentis tationem cur Deus aliquem prædestinet, alium verò teprobet, esse bonum osum libeti arbitrii prævisum ex patte prædestinati, & malum usum ex parte reprobi, ait, *Sed contra istud arguitur; Primò quia Deus non prævidet ipsum benè usurum liberò arbitriò, nisi quia vult, vel praordinat istum benè usurum illô, quia sicut dictum est dist. 39. certa prævisio futurorum contingentium est ex determinatione voluntatis divina: Si ergo offerantur voluntati divina duo aquales in naturalibus, quaro quare istum praordinat benè usurum liberò arbitriò, & illum non? Non est hujus, ut videtur, assignare rationem, nisi voluntatem divinam: & hac est prima distinctio inter eos, quam per se sequitur electio, vel reprobatio: Ergo in prima distinctione pertinente ad pradestinationem & re-*

probationem, sola ratio est divina voluntas. Quibus verbis Doctor disertè affirmat divinam scientiam supponere decretum, & res non habere rationem futuri nisi dependenter à decreto: adeoque explodit illam scientiam, quâ res futuræ dicuntur cognosci antecedenter ad divinum decretum de illorum fututitione.

PRIMA IMPUGNATIO SCIENTIÆ MEDIÆ EX S. AUGUSTINO.

VIII. PROBATUR ITAQUE CONCLUSIO: *Primò quidem authoritate sancti Augustini.* Qui hanc scientiam mediam improbat & respuit, ut evinco hoc argumento. Illam scientiam sanctus Augustinus respuit & reprobat, quam Massilienses, Semipelagiani dicti, propugnabant ad conciliandam humanam libertatem cum Dei decretis: sed illi ad id propugnabant scientiam mediam præcedentem divina decreta esse necessariam: Ergo eam reprobat sanctus Augustinus. Ut major clariùs innotescat, priùs minorem probo ex Epistolis sanctorum Prosperi Episcopi Rhegiensis, & Hilarii Episcopi Arelatensis, in quibus Semipelagianorum errores & sententiæ referuntur, & defferuntur ad ipsum S. Augustinum, ut adversus eos scriberet, uti fecit in *Lib. de Prædestinatione Sanctorum & de Bono perseverantiæ.*

Probatur 1. ex S. Augustino.

Scribit itaque S. Prosper Semipelagianos unanimiter docuisse divinam prædestinationem præscientiæ esse innixam, & Deum neminem prædestinare nisi suppositâ præscientiâ, quâ prævidet quid actura sit ejus voluntas cum ipso gratiæ adjutorio in tali, vel tali circunstantia posita: ait enim initio Epistolæ, *Hæc ipsorum definitio ac professio est, omnem quidem hominem Adam peccante peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari: Universis tamen hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicumque ad fidem & ad Baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem credituri sunt, quive in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum: & eos prædestinasse in regnum suum quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse praviderit.*

Qui scientiam mediâ dogma Semipelagianorum impugnat.

Quod autem hanc divinam præscientiam divinô decretô anteriorem esse profiterentur, indicat subjiciens: *Hoc autem propositum vocationis Dei, quô vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundùm quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere & Sanctis occasionem teporis afferre; eo quòd utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ullâ industriâ possit intrare, neque electus ullâ negligentiâ, possit excidere: Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos quàm Deus definivit accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem, cùm si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio.*

Illos enim scientiam illam mediam propugnasse affirmat S. Prosper.

Unde concludebant, *Removeri itaque omnem industriam tollique virtutes, si Dei constitutio* (hoc est decretum) *humanas præveniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandam induci necessitatem.* Unde idem S. Prosper inter alia S. Augustinum rogat ut edoceat, *Vtrum præscientia Dei ita secundùm propositum maneat, ut ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita: an per genera causarum, & species personarum ista varientur, ut quia diversæ sunt vocationes, in his qui nihil operaturi salvantur quasi solùm Dei propositum videatur existere: In his autem qui aliquid boni acturi sint per præscientiam possit stare propositum: An verò uniformiter, licet divina præscientia à proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordinis sit submissa proposito.* Id est, an futurorum præscientia sit anterior divinô decretô, an verò sit eô posterior, & in eo fundetur. Quibus patet sermonem institui à S. Prospero de scientia media, quatenus etiam nunc asseritur à Recentioribus Theologis.

CONFIRMATUR ex Epistola S. Hilarii eadem de re ad ipsum sanctum Augustinum scripta, in qua referens pariter eorumdem Semipelagianorum errores, maximè quod assererent Deum non concedere dona gratiæ, nisi supponendo initium aliquod bonæ voluntatis: cùmque urgerentur exemplô adultorum quibus prædicatum fuit Evangelium, aliis verò non fuit; quod refundi non poterat in initium bonæ voluntatis, cùm omnes essent sub peccato infidelitatis conclusi: *Cùm autem dicitur eis*, inquit, *quare aliis, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur quod aliquando pene omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit;* DICUNT, *id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur: quando & ubi præsciebatur esse credenda.*

Et S. Hilarius.

Addit, *Et hoc non solùm aliorum Catholicorum testimoniis, sed etiam Sanctitatis tuæ disputatione antiquiore, se probare testantur, ubi tamen eandem gratiam non minore veritatis perspicuitate docueris: ut illud quod dicit Sanctitas tua in quæstione contra Porphyrium de tempore Christianæ Religionis;* TUNC VOLUISSE HOMINIBUS APPARERE CHRISTUM, & APUD EOS PRÆDICARI DOCTRINAM SUAM, QUANDO SCIEBAT, ET UBI SCIEBAT ESSE QUI IN EUM ERANT CREDITURI. Quibus constat Semipelagianos asseruisse illam divinam præscientiam divinis decretis anteriorem de qua hìc sermo est.

PROBATUR ITAQUE MAIOR: Nimirum quod S. Augustinus illam scientiam mediam respuerit: hic enim *cap. 9. lib. de Prædestinatione Sanctorum* Respondens ad id quod Semipelagiani ex ipsius scriptis, tum adversus Porphyrium, tum in Commentario in Epistolam ad Romanos, usurpabant ad asserendam præscientiam esse divinis decretis anteriorem: Cùm retulisset ea omnia quæ contra Porphyrium dixerat, concludit Semipelagianos perperam asserere quòd voluerit præscientiam divinam divinis decretis esse anteriorem; imò illam ipsis decretis esse subnixam ibidem se docuisse affirmat; *Cernitis*, inquit, *me sine præjudicio latentis consilij Dei aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur? Quid enim est verius quàm præscisse Christum, qui & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicatô sibi Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est,*

utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere ac disserere tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi, TUNC VOLUISSE HOMINIBUS APPARERE CHRISTUM, ET APUD EOS PRÆDICARI DOCTRINAM SUAM, QUANDO SCIEBAT, ET UBI SCIEBAT ESSE QUI IN EUM FUERANT CREDITURI, *posset etiam sic dici tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari Doctrinam suam quando sciebat, & ubi sciebat esse qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.*

Quibus verbis S. Aogustinos ad decretom divinæ voluntatis & ejus electionem, eevocat scieutiam, quâ Deus præscivit, prædicatô Evangeliô his vel illis temporibus, quinam essent io illum ceediruri. Sentit ergo scieotiam illorum conditionatorum præsupponere in Deo decretum aliquod suæ divinæ voluntatis.

CONFIRMATUR, ibidem sanctus Augustinus cap. 10. ait, *Prædestinatio sine præscientia non potest esse, potest autem sine prædestinatione præscientia: prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus. Vnde dictum est fecit quæ futura sunt: Præscire autem potens est, etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata.* Uode sic atgumentor, Quæ Deus est facturus, præuoscit ex peædestinatione, id est ex decreto suo: Ergo non datur in eo præscientia futurorum independenter à suo decreto. Patet antecedens ex veebis ipsius Augustini hoc solùm statuentis discrimen inter præscientiam & prædestinationem, qoòd prædestinatio sit taptùm eorum quæ Deus factutus est, præscientia verò sit etiam eorum quæ non est facturus, qualia sont peccata; ideoque ex ejus mente præscientia futurorum quæ factorus est, posterior est decretis, noo verò anterior.

CONFIRMATUR 2. Ex eodem sancto Augustino lib. de Bono perseverantiæ cap. 9. exponens illud quod dicit S. Joannes 1. SI FUISSENT EX NOBIS MANSISSENT UTIQUE NOBISCUM, ubi respondens, *Non erant ex eis, quia non erant secundùm propositum vocati, non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, non erant in eo sortem consequuti, non erant prædestinati secundùm propositum ejus, qui universa operatur*: Sibi objiciens ex parte Pelagianorum, *Certè poterat illos Deus præsciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita.* Respondet, *An eò redituri sumus, ut adhuc disputemus quanta absurditate dicatur judicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præscivit eos Deus perpetraturos fuisse, si viverent? Quod ita abhorret à sensibus Christianis aut prorsus humanis, ut id etiam refellere pudeat.* Quibus verbis disertè improbat præscientiam eorum quæ decreta antecedunt.

VIII.

1. Adversariorum replica proponitur.

Deinde ibidem confirmat illa quæ dixerat *Cap. 9. de Prædest. Sanctorum*, nimirum quod quando dixit Christum tunc hominibus apparuisse, & apud eos prædicasse suam Doctrinam quando & ubi sciebat qui erant in eum credituri, illud intellexit sine præjudicio latentis consilii Dei, & sine exclusione divini decreti: Ergo semper supponit decretum divinum antecedere diuinam præscientiam.

Sed Convellitur.

Replicant scientiæ mediæ Assertores sanctum Aogustioum in his textibus loqui de futuris absolotis, non autem de conditionatis.

Contra: De illis futuris loquitur sanctus Augustinus, de quibus interrogatos fuerat à sanctis Prospero & Hilario, & de quibos agebant Semipelagiani, alioquin ad rem noo respondeset; de quibus tandem ipse mentionem fecerat io libro *de sex quæstionibus Paganorum*: Sed illa futura de quibus sermo est, sunt conditionata. *Probatur* 1. Ex Epistola sancti Prosperi, qui cùm distinxisset duo genera Semipelagianorum, quorum aliqoi magis ad Pelagianos deflectebant, conclodit, *Pene omnium par invenitur & una sententia, quâ propositum & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt, ut ab hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque previderit, & sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate & actione, præscierit.* Quibus patet Semipelagianos sensisse Deum utique aliquos reprobare, quod prævideret eos etiam non consensuros gratiæ, si illam haberent: Non ergo loquitur de futuris absolutè.

Deinde ipsemet sanctus Augustinus sufficienter indicat se loqui de futuris conditionatis: Tum quia explicat quæstionem, *Si Christus pari tempore & loco apud Gentiles prædicasset, an illi credidissent vel non*: Quod certè non est futurum absolutè, sed conditionatè.

Denique, cap. 10 de *Prædestinatione Sanctorum*, ait, *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus*: Sed quæ Deus fuerat facturus, non sunt absolutè, sed conditionatè futura; absolutè enim futura, absolutè facturus est, non verò facturus erat: Ergo ibi agit de futuris conditionatè.

Adde quod ibidem sanctus Augustinus affirmat divinam præscientiam præsupponere divinum decretum, & consequenter etiam dato & concesso quòd de futuris absolutis ageret, semper scientiam mediam & antecedentem decretum excluderet.

Replicant Alii sanctum Augustinum respuere quidem scientiam mediam & independentem à decreto; non qoidem quantùm ad substantiam, & bonum usum; sed quantùm ad abusum & modum erroneum, quô illam Semipelagiani admittebant. Quatenus scilicet dicebant ex illa Deo exhiberi motiva prædestinationis & gratiæ. IX.

2. Replica.

Contra 1. Sanctus Augustinus eô modô rejicit præscientiam independentem à decreto, quô illam tradiderat in libro *de sex quæstionibus Paganorum*, sed illam tradiderat ibidem quantùm ad substantiam; ibi enim dixerat quod *Christus tunc hominibus voluit apparere, quando & ubi sciebat qui in eum fuerant credituri*: Ergo illam reprobat non solùm quantùm ad abusum, sed etiam quantùm ad substantiam. *Secundò* illam negat præscientiam ante decretum ut asserebatur à Semipelagianis: sed illi astruebant præscientiam non solùm quantùm ad motivum gratiæ & prædestinationis, sed etiam ad salvandam libertatem arbitrii, ut constat ex verbis sancti Prosperi: Ergo non solùm qoantùm ad abusum, sed etiam quantùm ad substantiam illam respuit. Infirmatur.

Replicant cæteri: Quòd etsi S. Augustinus loquatur de scientia media quoad substantiam, tamen non asserit eam supponere decretum absolutum ex parte subjecti, seu decernentis: sed tantùm conditionatum ex parte actûs, quod consistit cum ipsamet scientia media quæ decretum absolutum antecedit. X.

3. Replica.

Contra: hæc replica directè militat in ipsum- Refellitur.

met S. Augustinum iam laudatum & dicentem, *Quod Deus prædestinatione præscivit quæ ipse fuerat facturus:* Ac proinde præscientia illa supponit decretum absolutum ex parte subjecti. *Deinde*, ipsemet S. Augustinus lib. de Bono perseverantiæ cap. 17. loquens de donis quæ Deus gratuitò concedit ad perseverandum, ait: *Hæc Dei dona, si nulla est prædestinatio quam deffendimus, non præsciuntur à Deo; præsciuntur autem, hæc est igitur prædestinatio quam deffendimus.*

Quibus verbis S. Augustinus concludit præscientiam ex prædestinatione, ac proinde ex præsupposito decreto absoluto ex parte Dei decernentis. Constat Ergo S. August. scientiam B mediam explodere, ac proinde illam non admittit.

Scientia media impugnatur secundò ratione Theologica.

Probatur 2. Conclusio ratione Theologica, Scientia media dicitur cognitio certa & evidens futurorum conditionatorum antecedenter ad decretum divinum & prædestinationem divinæ voluntatis: sed talis cognitio Deo repugnat: Ergo non est asserenda. *Major patet*, quamquam enim scientiæ mediæ Assertores invicem pugnent in asserendo medio in quo Deus cognoscat futura contingentia conditionata antecedenter ad decretum, omnes tamen in hoc conveniunt quod illa divina cognitio certa sit & evidens, & anterior ipsis divinis decretis.

XI. *Probatur itaque minor:* Illa Scientia Deo repugnat quæ implicat in terminis: sed scientia Dei de conditionatè futuris ante decretum implicat in terminis: Ergo Deo repugnat. *Major constat*: Nihil enim contradictorium & sibi ipsi repugnans Deo attribui debet. *Minor* verò probatur ex iis quæ diximus, rerum futuritionem pendere à divino decreto vel absoluto, si absoluta sit futuritio; vel conditionato, si fuerit conditionata: Ergo requirit causam externam quæ illam de esse possibili ad esse futurum deducat: Sed præcipua causa rerum futuritionis est ipsamet divina voluntas, res aliquas extrahens ab esse possibili ad esse futurum; adeoque rerum futuritio à decreto divino pendet.

Scientia media ratione Theologica exploditur.

1. Quia illa Deo repugnat.

Confirmatur 1. Ita se habet decretum Dei absolutum in ordine ad futurum absolutè, sicut decretum conditionatum in ordine ad futurum conditionatè: sed implicat quòd aliquid sit futurum absolutè nisi præcedat decretum absolutum Dei decernentis quod illud fiat: Ergo pariter implicat quod aliquid sit futurum conditionatè, nisi præcedat decretum Dei statuentis ut futurum illud fiat, si adsit & impleatur conditio.

Confirmatur 2. Futurum conditionatum adimpletâ conditione transit in futurum absolutè: Ergo si ante decretum suæ voluntatis cognoscit Deus certò & infallibiliter, quod si Petrus, v.g. ponatur in talibus circunstantiis, consentiet tali objecto sibi proposito; adimpleta illa conditione, antequam Deus aliquid decernat de actu futuro, cognoscet illud esse futurum absolutè; & ita in hac hypothesi aliquid poterit esse futurum absolutè independenter à decreto divinæ voluntatis, quod nullus Theologorum admittet.

XII. *Replicant scientiæ mediæ Assertores:* Equidem res non habere futuritionem nisi à decreto divino: sed hoc esse discrimen inter absolutè & conditionatè futura, quòd absoluta dependent quidem à decreto actuali & exercito & actu elicito à Deo: conditionata verò non requirunt decretum actu positum & existens in voluntate divina; sed tantùm decretum quod esset & poneretur si poneretur conditio. Existentia enim causæ, inquiunt, debet habere proportionem cum existentia effectûs: Ergo quemadmodum necessarium est ut effectus, qui est, habeat causam quæ sit actu; & effectui qui erit, assignetur causa quæ futura est; ita pariter necessarium est ut effectui qui esset, etiam assignetur causa quæ esset. Cùm ergo effectus futuri conditionatè nec de facto sint actu existentes, nec sint revera & absolutè futuri, sed solùm essent si poneretur conditio; idcirco non requirunt aliquod decretum actu formatum; sed tantùm ponendum & formandum, si talis conditio poneretur.

Adversariorum replica proponitur.

Contra, Primò hæc replica directè militat in sanctum Augustinum, qui ut iam pluries diximus, asserit Deum præscire conditionatè futura, idque dependenter à decreto suo: Ergo sicut de facto præscit illa conditionatè futura, etiam de facto illa decrevit & prædeffinivit, alioquin non C de facto & actu ea sciret & cognosceret; sed tantùm cognovisset & scivisset si ipsius divina Scientia divinumve decretum penderet à conditione ponenda, nec ipsa ponenda conditione fuisset anterius.

Sed excluditur.

Deinde, Decretum illud ponendum si ponatur conditio, vel cognoscitur actu à Deo, vel non: asserere non possunt illud actu non cognosci; affirmant enim res conditionatè futuras cognosci depẽdenter ab illo decreto conditionatè ponendo: Si cognoscatur autẽ, vel cognoscitur ut actu existẽs, vel ut futurum: Si primum, habeo intentum: si secundum, sequitur aliqua Dei decreta esse futura, quod priùs contra Suarem falsum esse probavimus. *Deinde*, si daretur aliquod D decretum conditionatè futurum, sequeretur divinam voluntatem esse mutandam, & ab aliquo extrinseco dependere: siquidem decretum formabitur, si talis adsit conditio de re conditionatè futura, non formabitur autem, si talis conditio desit: sed implicat divinam voluntatem esse mutabilem & ab aliquo extrinseco dependere: Ergo pariter implicat decretum divinum de conditionatis esse futurum.

Denique, si verum esset quod replicant Adversarii, nimirum causam esse proportionandam effectui, eo modo quo dictum est, sequere-E tur decreta de rebus absolutè futuris non esse etiam actu in Deo; sicque nedum conditionatè, sed etiam absolutè futura non præsupponerent decretum exercitum & actu formatum, sed tantùm formandum: At falsum consequens: Ergo & antecedens. Patet sequela majoris, futura enim absoluta non sunt actu ab æterno; sed solùm revera existent in aliqua temporis differentia: Ergo si verum sit, quod effectui qui erit, assignari tantùm debeat causa quæ erit, non causa quæ de facto est; apertè sequitur quòd etiam id quod est absolutè futurum, non debeat præsupponere decretum actu formatum, sed tantùm decretum in futuro formandum:

quod cùm scientiæ mediæ Assertores verum non censeant, nec sentire debent effectui, qui esset si talis poneretur conditio, etiam assignari debere decretum, non quod actu fit, sed quod esset si talis conditio poneretur.

XIII.

Probatur 2. Scientia media est inutilis ad eos fines ad quos necessaria affirmatur à suis Assertoribus: Ergo non est admittenda. *Probatur antecedens*: Necessitas & utilitas scientiæ mediæ, si quæ esset, maximè ad conciliandam humanam libertatem cum prædestinatione & gratia efficaci, nec-non ad dirigendum Deum in suis decretis absolutis, seu ad fundandam certam & infallibilem futurorum absolutorum notitiam: sed ad utrumque est inutilis: Ergo, &c. Major patet ex sententia Adversariorum, qui arbitrantur quòd nisi Deus per scientiam mediam creatæ voluntatis affectus omnes exploraret; videretque quid homo in his, vel illis occasionibus & circunstantiis positus ex innata libertate voliturus sit, non possit certò & infallibiliter aliquid statuere circa salutem & conversionem hominum, seseque exponeret periculo id non implendi quod efficaciter intendit. Arbitrantur pariter certitudinem prædestinationis cum nostra libertate non posse aliter conciliari quàm per illam scientiam, quâ Deus prævidet consensum futurum antecedenter ad decretum; Ita quod si divinum decretum & gratia ex illo proveniens, nostræ voluntatis consensum & determinationem prioritate naturæ antecederet, inferret necessitatem antecedentem, adeoque libertatem violaret.

1. Quia est inutilis ad conciliandam humanam libertatem cum prædestinatione.

Probatur itaque minor: Primò quidem, quia Deus in formandis suis decretis absolutis circa salutē hominum sufficienter dirigitur per scientiam simplicis intelligentiæ: Ergo non indiget scientia media directrice & humanæ voluntatis exploratrice. Patet antecedens: Deus enim per scientiam simplicis intelligentiæ comprehendit suam essentiam & omnipotentiam, videtque in thesauris suæ misericordiæ illa infinita media & auxilia efficacissima, quibus fortiter & suaviter prævenire potest & allicere humanam voluntatem, ut consentiat, & quando & ubi voluerit: *Quis enim tam impiè desipiat*, inquit sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 98. *Vt dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere.*

Quod ipsemet Augustinus fusiùs explicat, nec minùs eleganter Homilia 23. ex quinquaginta, *Adulter non fuisti*, inquit, *in illa tua vita præterita plena ignorantia nondum illuminatus, nondum bonum malumque discernens, nondum credens in illum qui te nescientem regebat: hoc tibi dicit Deus tuus, regebam te mihi, servabam te mihi. Vt adulterium non committeres. Suasor defuit, ut Suasor deesset, ego feci. Locus & tempus defuit, & ut hoc deesset, ego feci. Affuit Suasor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentires, ego feci. Agnosce ergo gratiam ejus cui debes quod non admisisti, &c.* Quibus verbis sanctus Augustinus apertè docet tempus, locum, aliasque circunstantias à Deo decerni suâ infinitâ providentiâ: Ergo non opus est ut per scientiam mediam exploret opportunas circunstantias temporis & loci, necnon & affectus humanæ volūtatis. Maximè cum ut cecinit S. Prosper carmine de ingratis c. 5.

Egregia S. Augustini sententia.

At verò Omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit; non moribus illi
Fit mora, nec causis anceps suspenditur ullis:
Nec quod sola potest, curâ officiôque ministri
Exequitur, famulisque vicem committit agendi.

Confirmatur: Deus per scientiam simplicis intelligentiæ novit omnia possibilia: Ergo pariter per illam novit modum congruum alliciendæ humanæ voluntatis, & eam conciliandi cum suis decretis: Ergo ad id non est necessaria scientia media. Patet consequentia: Si enim hic modus innotescat per scientiam simplicis intelligentiæ, ad illum detegendum non est necessaria alia scientia. Antecedens etiam constat, modus enim ille quicumque excogitabilis, priùs possibilis est, quàm futurus; ac proinde priùs videretur per scientiam simplicis intelligentiæ quæ versatur circa omnia possibilia.

Est etiam inutilis ad salvandam humanam libertatem.

Probatur etiam secunda pars minoris: Nempe quòd *Illa scientia media sit inutilis ad conciliandam humanam libertatem cum prædestinatione, & gratia efficaci*: Tum quia primò sancti Patres disertè affirmant, hanc conciliationem esse difficillimam: Unde sanctus Aug. Epist. 105. ad Sixtum, *Cur ille credat, ille non credat, & cùm ambo idem audiunt, si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident; altitudo est divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia*: Et infra, *Cur illum potiùs quàm illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum: Verùmtamen caveat præcipitium:* Et lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 9. *Cur istum potius quàm illum liberet, inscrutabilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus: meliùs enim & hìc audimus & dicimus.* O homo tu quis es qui respondeas Deo! *quàm dicere audeamus quasi noverimus quod occultum esse voluit.* Et lib. 4. contra Julianum c. 8. *Ista quæstio ubi de arbitrio libertatis & Dei gratia disputatur* (Et idem est de prædestinatione) *Ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Quibus constat sanctum Augustinum longè dissentire à Recentioribus Theologis, qui arbitrantur facilem esse conciliationem efficacis gratiæ cum libertate creata.

Quæ conciliatio est difficillima.

Secundò: tantùm abest ut modus ille conciliationis per scientiam mediam videatur facilis, imò non immeritò à pluribus Theologis ut impossibilis respuitur. Illud enim in quo fundatur hæc conciliatio per scientiam mediam, est quòd creatum arbitrium priùs à Deo videatur se determinare ad actum liberum, quàm Deus concurrat ad illum actum; adeo ut voluntas concurrendi ex parte Dei supponat præscientiam conditionatam concursûs ipsius arbitrii creati; & tamen inter utriusque divinæ & humanæ voluntatis concursum nulla sit distinctio, nullus ordo prioris nisi prioritate rationis. Quis autem potest intelligere distinctionem rationis, quæ simpliciter est nihil, esse fundamentum conciliandæ efficacis gratiæ cum libertate creata? Quomodo Deus, qui hominum instar, non concipit distincta quæ ex natura rei sunt indistincta, talis concordiæ mysterium deteget? An fortè nos veram talis concordiæ rationem

Imò ut sic impossibilis respuitur à pluribus Theologis.

exploramus, qoam Deus capete non potest?

IMPUGNATUR TERTIÒ AB INCONVENIENTIBUS ET ABSURDIS EX EA ORIUNDIS.

XIV.

Impugnatur 3. ab inconvenientibus ex illa oriundis.

PRIMÒ quidem, quia illa videtur detrahete divinæ omnipotentiæ: suppositâ enim scientiâ mediâ de aliquo conditionato, v. g. de convetsione Petri futura si ponatur in illis, vel illis citcunstantiis & cooditiooibus, vel potest divina voluntas stantibus illis eircunstantiis velle Petrum oon cooverti, vel non potest illud velle. *Si primnm*, illa scientia non erit infallibilis, quia vetitas objectiva hujus futuri conditionati per tepugnantem divinam volitionem evacuabitur. *Si secundum*, tunc infirma censetur divina omnipotentia, & libertas divinæ voluotatis infitmior etit quàm libertas voluntatis cteatæ; voluntas enim creata sub illis occasionibus & eircuostantiis prævidetur se determinatura ad unam pattem cum possibilitate & libettate sese determinaodi ad aliam, quod ipsi divinæ libertati & voluntati oon competetet: *Itane verò*, inquit sanctus Fulgentius lib. de Incaroatione & Gratia eap. 29. *rerum ordo credi putarique permittitur, ut Deus qui Creator est hominis valeat hominem facere, non mutare; & qui nullius eget adjutorio ut hominem faciat operari, tamen quod vult in hominis voluntate non possit, priusquam in homine ipsum velle repererit; hanc amentiam, & à fidelibus suis arceat, & ab infidelibus aufferat Deus.*

1. Detrahit divinæ omnipotentiæ.

2. Favet Semipelagianis.

Secundò, ex scientia media sequitur error Semipelagiaoorum, qui asserebant prædestinatiooem ad gratiam fieri ex prævisione meritorum: illa enim prædestinatio fit ex ptævisis meritis naturalibus, si in signo rationis antecedente divinum decretum, quô eliguntur & prædestinantur homines ad gratiam, Deus prævideat ipsorũ futura merita: Atqui ex admissa scientia media Deus futura illa merita prævider in sigoo antecedente decretum prædestinationis ad gtatiam: Ergo ex scientia media sequitur fieri prædestinatiooem ad gratiam ex prævisis meritis naturalibus. *Patet major:* Deus enim in illo ptiori signo rationis, si priusqoam statuat conferre gratiam homini, videat illius metita futura, noo potest non moveti intuitu illorum ad cooferendam homini gratiam. *Minor* verò ptobatur, nam in quocumque sigoo rationis aliquid verum est, à Deo prævidetur, & consequenter si in illo priori sigoo Petri merita natutalia siot vera objectivè, à Deo ptævidentur: sieque ab illis prævisis meritis Deus movebitur ad conferendam homi gratiam, quod manifestum ettorem Semipelagianorum involuit.

3. Etiam Pelagianorum errori patrocinatur.

Tertiò: Ex illa scientia media sequeretur hominem seipsum discernere ex puris naturalibus: Ex hypothesi eoim quòd Deus prævidear Petrum & Paulum, illum quidem consensurum gratiæ, si ipsi detur io tali circunstantia; alterum verò non consensurum: Vel Petrus sese deretmioabit ad consentiendum ex solis viribus liberi arbitrii, vel talis determinatio causanda est à gratia excitante, aut à gratia coagente & coefficiente: sed hæc determinatio dici oon potest in sententia Adversariorum fieri à gratia, vel excitante, vel coefficiente: Ergo oportet ut fateantur illam determinationem fieri solis viribus liberi arbitrii.

Probatur minor: Inprimis enim talis determioatio voluntatis oon potest prævideri à Deo ut causanda per gratiam moraliter excitantem, quia scientiæ mediæ Assertores censent talem gratiam subjici libero arbittio, & ab illo determinari & applicari ad agendum; & coosequenter sentite non possunt illam determinatiooem fieri à gratia excitante, sed à libero arbittrio. Patet eadem *Minor* quantùm ad secundam partem: Gratia enim operans & coefficiens, seu concursus simultaneus ordinis supernaturalis est ex se, inquiuot, indiffereos & modo indifferenti offertur voluntati & ab illa determinatur ad speciem actûs; sed concursus indifferens & determinabilis à voluntate humana non potest causare ejus determinationem, imo potius ab ea determinatur: Ergo determinatio voluntatis ad consentiendum gratiæ non potest prævideri à Deo per scientiam mediam ot causata per gratiam coefficientem. Et consequenter, si Deus videat Petrum antecedenter ad decretum sese determinaturum, videt illam determinationem futuram ex solis liberi arbitrii vitibus, quod Semipelagianotum, imò & Pelagianorum hæresim sapit.

Aliæ plures ex scientia media implicantiæ proferuntur.

Plures alias implicantias ptoferunt scientiæ mediæ Expugnatores: nimirum. 1. Quòd hæc auferat à Deo ratiooem Primæ causæ, quia supponit eteatutam sese primo determinaturam & independeoter à decreto. 2. Quòd à Deo tollat tationem primi liberi, quia primum liberum debet esse primum determinans & primum eligeos; eligere enim & determioare est ptoptius actus libertatis, & scientia media tollit à Deo rationem primi eligentis & primi determinantis, quia supponit electionem & determinationem voluntatis humanæ coodítiooatè fututam ante omnem electiooem, seu ante omne decretum actuale & exercitum. 3. Quòd scientia media officiat supremo Dei in hominum voluntates dominio, cùm scientiæ mediæ Assertores affitmeot hominum voluntates sese determinare & applicare ad agendum antecedenter ad decretum divinum, quô Deus illas determinare censetur. 4. Quòd tribuat Deo modum concurrendi cum causis liberis cœcum & ignotantem, vagum & indetetminatum, quia supponit concursum indiffetentem & sine intentione & volitione alicujus actus & effectus particularis, cum sola intentione generali faciendi quod volet creatura, sive bonum, sive malum: hoc autem est concorrere cœcô & ignoranti modô, & agete confusè & in incettum; eô fere modô quô quis sagittam ejaculati, & ejicere vellet in tenebris, dubius quò tendat quòve attingat, nisi per subsequentem lucem: sicut enim visio sequeos, non impedit quominus illa sagittæ ejaculatio facta fuerit modô quôdam cœcô & igooranti; ita cognitio & exploratio scientiæ mediæ non impedit, quin modus agendi & coocurrendi cum causis liberis cœcus & ignarus, vagus & iodeterminatus Deo tribuatur.

PROPONUNTUR OBJECTIONES EX SCRIPTURA SACRA ET SOLVUNTUR.

OBJICIUNT 1. Scientiæ mediæ Assertores, varios Scripturæ sacræ textus quibus nituntur suam senteotiam firmare. Inprimis verò proferunt illam Christi objurgationem, Matthæi

X.

Proponuntur ac solvuntur objectiones ex sacra Scriptura.

Matthæi 11. *Væ tibi Bethsaida, væ tibi Corozaiu, &c.* ex qua sic argumentantur. Deus cognoscit certò & infallibiliter Tyriorum & Sidoniorum conversionem futuram, ea conditione quòd Christus Domious apud eos prædicasset: sed illam non cogovit in decreto aliquo: Ergo illam cognovit antecedenter ad tale decretum, & coosequenter per scientiam mediam. *Major* patet ex prima quæstione præsentis Sectionis, in qua determinavimus Deum habere certam, & infallibilem cognitionem de futuris conditionatis. *Minorem* probant: Christus non solùm prædixit, sed etiam objurgat incredulitatem Judæorum comparativè ad Gentiles, qui si vidissent miracula quæ viderant Judæi, pœniteotiam egissent: sed illa objurgatio, saltem ut comparativa, non foret justa, si pœnitentia Gentilium cognita fuisset futura conditionatè in decreto divino: Ergo ita non fuit cognita. *Minor probatur*: Ut comparativa increpatio justa videatur, debet esset æqualitas inter extrema illius comparationis; nnn enim justè increpatus fuisset servus, cui Pater-familias duo talenta tradiderat, quòd decem noo fuisset lucratus, sicut ille qui quinque acceperat: Sed suppositô decretô cooditionatû circa pœnitentiam Gentilium, & eôdem decretô negatô erga Judæos, non salvaretur æqualitas inter illos, possentque justè respondere Judæi, *Ideo visis miraculis Christi pœnitentiam non egimns, sicut egissent Tyrii & Sidonii, quia non habuisti illud decretum erga nos de pœnitentia futura, sicut habuisti illud erga Gentiles*: Ergo si talis prævisio futuræ pœnitentiæ fiat in decreto, sequitur non esse justam Christi objurgationem; quod consequens cùm sit falsum, etiam falsum est illud unde sequitur.

Respondeo 1. Sanctum Augustinum hôc Tyriorum & Sidoniorum principiô scientiam mediam convellere: cùm enim *Cap. 9. libri de Bono perseverantiæ* retulisset responsionem quam fecerat uni ex sex quæstionibus Paganorum, Christum scilicet venisse tali tempore, quia præsciebat quòd in eum non essent credituri homines, si ante venisset: quæ est sententia Assertorum scientiæ mediæ, subdit; *Hæc certè de Tyro & Sidone non possumns dicere; & in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis, hæc divina judicia pertinere, sine quarum causarum latentium præjudicio tunc ista respondere me dixi. Facilè est quippe ut infidelitatem accusemus Iudæorum de libera volnntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt, quod & Dominns increpans arguit & dixit*, VÆ TIBI COROZAIN: Quibus verbis S. Augustinus duo dicit: *Primum* quidem, illam Tyriorum conditionate futuram pœnitentiam non in congruitatem eorum vocationis esse refundendam, ac proinde illam ex decreto solùm conditionato prævideri. *Secundum*, quòd meritò accusentur Judæi quòd sufficiens habuerint auxilium ad agendam pœnitentiam, quam tamen ex voluntate agere noluerunt: Ergo longè distat S. Augustini sententia à scientiæ mediæ Assertoribus.

Respondeo 2. Idem argumentum retorqueri posse in ipsos scientiæ mediæ Defensores: licet enim nobiscum fateantur Judeos & Tyrios fuisse pares & æquales in gratia considerata secundùm entitatem physicam; non tamen negant illos fuisse inæquales in gratia spectata secundùm illius esse morale, & quatenus est allicitiva voluntatis hôc aut illô modô. *Vel* enim censent illam allectionem moralem fieri conformiter ad complexionem & genium, ut docet Vasques: *Vel* in ea congruitate temporis, & in illis occasiooibus, inquibus prævidebantur Gentiles per scientiam mediam consensori: Judæis verò eadem quidem gratia exhibita fuit, sed noo secundùm eadem efficaciam moralem, seu non attenta inclinatione illa illisque circunstantiis. Cùm ergo Judæi non habuerint illam æqualem gratiam secundùm esse morale, æquè justè conqueri possent, ac conquererentur de non posito erga ipsos decreto conditionato futuræ pœnitentiæ.

Respondeo 3. Negando minorem; & ad omnes illius probationes dico, ad illam justam increpationem Judæorum sufficere, quòd teoebantur converti, adidque sufficiens habebant auxilium. Ut quis enim justè arguatur præalio, sufficit quòd eadem sit utriusque obligatio, quam tamen unus transgreditur, & alter adimplet: obligatio autem hæc fundatur super posse aliquid efficere, oon autem super ipsum actum, & applicationem potentiæ. Unde cùm decretum conditionatum non conferat posse, sed illud supponat, & potentiam conditionatè applicet ad actum, hinc est quòd non tollat æqualitatem obligationis, nec obstet justæ increpationi etiam comparativæ. Unde licet positum fuerit decretum conditionatum de futura conditionatè pœnitentia Tyriorum visis Christi miraculis, quod non fuit positum erga Judæos: nihilominus Judæi justè increpantur, quia habebant sufficiens auxilium ad suam conversionem.

Vrgent Adversarii: S. August. *Lib. de Bono Pers. cap.* 10. tractans quæstionem cur Deus noluerit apud Tyrios & Sidonios fieri illa signa, quibus visis, essent in Deum credituri, ait: *Quidam Disputator Catholicus non ignobilis, hunc Evangilii locum sic exposuit, ut diceret præscisse Dominnm Tyrios & Sydonios à fide fuisse postea recessuros, cum factis apud se miraculis credidissent, & misericordiâ potiùs non enim illis ista fecisse; quoniam graviori pœnâ obnoxii fierent, si fidem quam tenuerant reliquissent; quàm si eam nullo tempore tenuissent.* Quam utique seotentiam cùm de facto S. August. approbaverit, sequitur ipsum approbasse scientiam mediam futurorum conditionatorum ante quodlibet decretum. Non enim verisimile est Deum decrevisse illos prædeterminasse ad actum fidei & Apostasiæ, quam prævidebat secuturam, ex hypothesi quòd visis illis signis essent in eum credituri.

Confirmatur 1. Hæc duo apertè repugnant, Deum absolutè decrevisse, ut non fierent coram illis ea signa, ne credentes & postea à fide recedentes graviùs forent puniendi: & Deum decrevisse illos determinare ad actum fidei.

Confirmatur 2. Cùm illa suppositio, nempè faciendi coram eis illa signa ex sola Dei voluntate penderet, insulsè diceretur Deum decrevisse determinare Tyrios & Sidonios ad actum fidei, si fierent coram eis illa signa: hoc enim nihil aliud esset dicere, quàm quòd Deus decrevisset eis dare fidem, si decrevisset coram eis facere miracula.

Respondeo 1. Sanctum Augustinum non approbasse simpliciter sententiam illius Doctoris, subdit enim, *Sed si sententia illa vera est*: Ex qua deducit argumentum ad coofirmandum id qood adversus Semipelagianos docuerat, videlicet noo salvari hominem, nec damnari propter bona, vel mala opera quæ prævidebat Deus ipsum facturum, si diutiùs vixisset; sed tantùm propter ea opera quæ revera facturus est in vita sua.

Respondeo 2. Deum in decreto conditionato quô statuerat movere Tyrios & Sidonios ad fidem & pœniteotiam agendam, ex hypothesi quòd apod eos facta fuissent illa signa, certò cognovisse futuram eorum conversionem: Sicut enim scientia futurorum absolutè præsupponit in Deo decretum absolutum, quô decernit se concursurum cum volontate creata ad actus suos; ita pariter scientia futurorum conditionatè præsupponit in eo decretum cooditionatum, quô statuit ut essent futura si impleretur conditio, nihil enim potest esse futurum nisi Deo volente & determinaote.

Ad primam confirmationem, Respondeo non esse repugnantiam ioter hæc duo, quòd scilicet Deus absoloto decreto statuerit ut non fierent coram illis illa signa, ne credentes & postmodum à fide recedentes graviùs punireotur: & quòd decretô conditiooatô statuerit eos movere & determinare ad actum fidei si apud eos facta fuissent illa signa: Duo namque illa decreta non opponuntur invicem, quia unum est absolutum, aliud verò conditiooatum.

Ad secundam confirmationem, Dico exinde nihil adversum nos colligi, sicut enim rectè infertur quòd Deus decrevisset regere & administrare alterum mundum si revera statuisset illum creare; ita pariter rectè dicitur quòd Deus decrevit dare Tyriis & Sidoniis fidem, si decrevisset ut coram eis illa sigoa fierent.

Vrgent iterum ex eodem sancto Augustino ibidem cap. 14. ubi eumdem Scripturæ textum expendens, affirmat qoòd Tyrii & Sidonii acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eos facta essent divinarum illa signa virtutum. Hanc aotem certitudinem agendæ pœnitentiæ non refundit in decretum divinum, sed in propensionem & dispositionem voluntatis Tyriorum & Sidoniorum, de quibus loqoutus fuerat *cap.* 9. sic enim ait, *Ex quo apparet habere quosdam in ingenio ipso divinum munus intelligentiæ naturaliter, quô moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Loquebatur aotem de Tyriis & Sidoniis de quibus iofert; *Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum, quoniam credidissent si qualia viderunt ipsi* (Judæi) *signa*, (Tyrii) *vidissent.*

Nego Sanctum Augustinom hanc de agenda pœnitentia certam cognitionem in aliud refundere quàm in decretom divinum; nam statim sensum soom aperiens, indicat illam præscientiam præsupponere divinum aliquod decretum divinæ voluntatis; subjungit namque, *Audiunt enim, & faciunt, quibus datum est: non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant quibus datum non est.* Et iterum, *sed quia ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum.* Quibos verbis sanctus Aogustinos pœnitentiam Tyriorum in decretum voluntatis Dei, quô gratiam suam distribuit, quibus vult, & quando vult: Nec enim eam agendæ pœnitentiæ certitudinem reducere poterat in ipsam dispositionem naturalem & munus intelligentiæ, quô moverentur ad fidem, si facta fuissent coram eis signa. Loquitur enim sanctus Augustinus solùm de signis externis, quæ ad fidem oon sufficiunt, sed præterea requiritur gratia interiùs movens: alioqoin sanctus Augustinus consensisset Pelagianis, qui ad fidem non aliam necessariam esse gratiam quàm Evangelii prædicationem asserebant.

Objic. iterum plures alios Scripturæ textus, quibus probare nituntur Deum nosse plura conditionatè futura per scientia mediam & antecedenter ad qoodlibet decretom. *Primum* testimonium proferunt ex illo Genesis 11. de illis primis hominibus qui dixeruot, *Venite, faciamus nobis civitatem & turrim cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum*: de quibos ibidem Deus ait. *Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec opere eas compleant.* Quibus prædicit Deus ædificationem illam complendam, nisi ab ea illi homines fuissent avocati per coofusionem linguarum.

Secundum proferunt ex cap. 34. Exodi & 3. Regom cap. 11. ubi prohibetur Judæis accipere uxores filias Gentilium, *Certissimè enim*, inquit, *avertent corda vestra ut sequamini Deos earum*; obi vox illa, *certissimè*, prædictionem eventus ex certa atque infallibili scientia profectam significat.

Tertium proferunt ex 4. Regum cap. 2. ubi cùm Elias dixisset ad Elisæum, ut quodcumque vellet postularet, antequam tolleretur ab eo: dixissetque Elisæus, *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus*, Respondit Elias, *rem difficilem postulasti: attamen si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petiisti: si autem non videris, non erit.* Quô locò duplex revelatur eventus conditionatus, scilicet infusio duplicis spiritus apposita conditione si videret Eliam, & negatio iofusionis si non videret.

Quartum proferunt ex Joannis 5. ubi Christus ait, *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis, & ibi est qui accusat vos Moïses, in quo vos speratis: Si enim crederetis Moïsi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit.* Quibus verbis duplex futurum conditionatum prædicitur.

Quintum sumitur ex prima Epistola ad Corinth. cap. 2. *Si enim cognovissent* (inquit sanctus Paulus de Crucifixoribus Christi) *numquam Dominum gloriæ crucifixissent*; ubi manifestè enunciatur conditionatum futurum, ex hypothesi qood Pilatus & principes Judæorum cognovissent Christum esse Dominum gloriæ. Missos facio alios similes Scripturæ textus, quos acervatim congerunt scientiæ mediæ Assertores: illi enim ex prædictorum explicatione facilè solventur. Itaque.

Respondeo ad primum, reverà Deum prævidisse, quòd illorum hominum voluntates erant de facto determinatæ ad perficiendam civitatem & turrim, nisi ab ipsa per divisionem linguarum fuissent præpediti: At id noverat in decreto conditionato, quô statuerat permitte-

re consummationem illins civitatis juxta dispositionem voluntaris illorum hominum, nisi rationabili de causa eos ab illo opere avocasset. Pluries enim in Scriptura sacra revelantur effectus futuri secundùm dispositionem & determinationem causarũm, qui tamen reipsa non fuernnt impleri, quoniam Deus ne sequerentur impedivit: Sic sequenda erat Ninivæ subversio intra quadragiuta dies, sicnt prædixerat Jonas cap. 3. nempe secundùm demerita illius civitatis, nisi Deus ob eorum pœnitentiam, sententiam in eos animadvertendi revocasset.

Ad secundum, Dico Vocem illam *certissimè* significare qnidem, non infallibilem certitudinem, sed tantùm moralem quæ interdum deficit: Unde secluso Idololatrandi periculo Deus permisit Judæis accipere uxores Alienigenas, sicut patet de Ruth quam Boos duxit in uxorem.

Ad tertium, Respondeo quòd in decreto, quô Deus statuit ut fieret in Elizæo duplex spiritus, ex hypothesi quòd Eliam videret quando substrahendus erat ab eo, certò cognovit Deus illnm duplicem eventum conditionatum: Unde non per scientiam mediam antecedenter ad decretum, sed in ipso decreto utrumque illud conditionatum cognovit.

Ad quartum, Dico quod illa propositio: *Si alius veneris in nomine suo, illum accipietis*, non est de futuro purè conditionato qnod nusquam habiturum erat esse: sed de futuro absolutè; illa enim prædictio concernit Antichristi adventum qui veniet in nomine suo & plures seducet. Ad alteram conditioualem propositionem ejusdem textus, nempe *Si crederetis Moïsi*, &c. Dico illud futurum conditionatum fuisse Christo cognitum, non per scientiam mediam, sed per scientiam simplicis intelligentiæ propter necessariam connexionem quam habent illæ duæ propositiones, si non crediderunt Christo, etiam non crediderunt Moïsi; Moïses enim de Christo testimonium protulit. Sicut à simili, hoc conditionatum, *Si Petrus currat, movebitur*, cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ propter necessariam connexionem cum conditione; etiam si nusquam de facto ponenda sit illa conditio.

Ad ultimum, Dico quòd Deus voluit justis de causis occultare mysteriũ Incarnationis Diabolo, & ministris ejus, ne scilicet impediretur hominum redemptio per Christi mortem: Unde illi per ignorantiam crucifixerunt Christum sicut testatur sanctus Petrus Actorum 3. *Et nunc fratres scio quòd per ignorantiam fecistis*: Hæc autem omnia non contigerunt nisi ex decreto divinæ voluntatis saltem permittente; adeoque illud conditionatum cognitum fuit in illo decreto.

Proferuntur & solvuntur objectiones ex sanctis Patribus.

Objectiones ex SS. Patribus.

OBjiciunt primò varios sancti Augustini contextus, quibus contendunt ipsum agnovisse & approbasse scientiam mediam futurorum conditionatorum existentem in Deo ante omne liberum decretum illius voluntatis: Sed quoniam plura jam à nobis soluta fuerunt illius sancti Doctoris testimonia, solùm profero illud quod habetur de bono perseverantiæ cap. 9. ubi sanctus Augustinus, ait, *Certè poterat illos Deus præsciens esse lapsuros; antequam id fieret ex hac vita auferre.* Et lib. de corrept. & grat. cap. 8. *Respondeant*, inquit, *si possunt, cur illos Deus, cùm fideliter & piè viverent, non tunc de vita hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, aut ne fictio deciperet animam eorum? Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum futura mala nescivit? Nempe nihil horum, nisi perversissimè & insanissimè dicitur.*

Respondeo ad primum: Ibi S. Augustinum non agere de conditionatis quæ non sunt futura: sed de præscientia peccatorum quæ reipsa erant futura, & quæ Deus justo judicio noluit impedire, rapiendo scilicet hominem in ætate immatura, antequam ficrent.

Ad alterum contextum Respondeo; quòd veritas illorum futurorum contingentium conditionatorum fundatur in decreto Dei conditionato, quô statuit Deus illa permittere ex hypothesi quòd illa conditio adesset: Unde per scientiam liberam, quæ sequitur decretum divinæ voluntatis, cognoscit Deus ejusmodi futura conditionata, non autem per scientiam mediam quæ decretum antecedit.

Objiciunt 2. Alios sanctos Patres, primò quidem sanctum Gregorium Nyssenum orati. de iis qui prærmaturè arripiuntur, ubi sic ait, *Verisimile est Deum, qui id quod futurum est æquè ut præteritum cognovit, progressum vitæ infantis ad perfectionem prohibere; ne quod vi præscia malum animadvertendum est in eo qui ita victurus fuisset, perficiatur.* Item sanctum Cyrillum supra Laudatum quæst. 1. num. 5. ubi probans quoddam dictum Porphyrij ait, quòd Deus sciens futurum sæpè numero prævenit, hos quidem adolescentes priùs è vita eripiens, illos verò relinquens. Insuper sanctum Chrysostomum Homil. 65. in Matthæum, ubi agens de vocatione sanctorum Pauli & Matthæi docet, tunc Deum ipsos vocasse quando noverat consensuros. Et S. Bernardum sermone 54. in Cantica, ubi ait: *Deus interdum substrahit gratiam, non pro superbia quæ jam sit; sed quæ futura esset, nisi gratia substraheretur*: Ergo videt Deus futuram superbiam nisi substraheretur gratia: sed illud non videt in decreto, quia Deus superbiæ futuritionem non decrevit: Ergo eam videt ante decretum quodcumque, adeoque videt per scientiam mediam.

Respondeo ad SS. Gregorium & Cyrillum; eos illô modô explicandos esse, quô sanctus Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 14. explicat illud Sapientiæ 4. *Raptus est ne malicia*, &c. ubi ait, *Dictum est illud secundum pericula hujus vitæ, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat*: Id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationi substraheretur: non quòd peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.

Vel dicendum, quòd Deus peccata illorum Juvenum futura ex hypothesi præscivit in decreto conditionato, quô statuit ea permittere si diutiùs viverent, & concurrere ad entitatem peccati: sed quoniam voluntate absoluta decrevit ejusmodi peccata impedire, rapuit eos in ætate immatura. Decretum enim Dei actuale impediendi peccatum, quod præscitur

futurum ex hypothesi, non repugnat, sed potiùs valdè consonat cum decreto conditionato, quô statuit permittere illa peccata, nisi per immatoram mortem fuissent impedita.

Ad sanctum Chrysostomum, Dico eum ita esse intelligendum, quòd Deus illos Apostolos vocaverit, quando præscivit se per gratiam in illis operaturum & effecturum, ut libenter & ex animo obtemperarent: quæ responsio conformis est Doctrinæ S. Augustini *Cap.* 18. *de Bono Perseverantiæ*, ubi hanc tradit regulam; quando apud aliquos verbi Dei Tractatores, reperitur nomen præscientiæ, & agitur de vocatione Ele[illegible]um: nomine *Præscientiæ* intelligi debet prædestinatio, id est præscientia in decreto & prædestinatione fundata.

Ad sanctum Bernardum, Dico Deum substraheudo gratiam præscire superbiam per scientiam simplicis intelligentiæ, quâ videt omnia possibilia; & etiam per scientiam visionis, quatenus præcessit decretum de præbendo concursu ad actum physicum & materialem illius superbiæ.

Proponuntur ac solvuntur objectiones petitæ a ratione.

XVI.. Objectiones à ratione proferuntur & solvuntur.

OBjiciunt 1. Deus cognoscit veritatem hujus futuri conditionati, *Si dederim Petro gratiam efficacem, convertetur*: Sed non potest illam veritatem cognoscere nisi per scientiam mediam: Ergo illa in Deo est admittenda. Major patet ex dictis. *Minorem* sic probant: Hæc veritas cùm sit libera & contingens, non potest à Deo cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ quæ versatur solùm circa res naturales & necessarias: & cùm sit de futuro conditionato, non attingitur per scientiam visionis quæ solùm fertur circa res absolutè futuras: Ergo illa veritas solùm cognoscitur per scientiam mediam.

Nego minorem: Illa namque veritas agnoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ, quia licet extrema sint libera & contingentia, tamen significatio quæ in ea exprimitur, infallibilis est & necessaria, ac proinde ad scientiam Dei naturalem pertinet. Fieri enim potest quòd conditionalis propositio, necessaria sit ex vi consequentiæ & illationis, licet inferatur ex libero & contingenti, imò ex falso, & impossibili: Hæc enim est necessaria, *Si Petrus loquitur, movet linguam*, & tamen utrumque extremum secundùm se sumptum, id est locutio Petri & motus linguæ, liberum est & contingens: Similiter hæc est necessaria, *Si homo est equus, est hinnibilis*, & tamen utrumque est falsum & impossibile, nempe quòd homo sit equus & hinnibilis. Unde cùm in hac conditionali, *Si dederim Petro gratiam efficacem, convertetur*, exprimatur bonitas illationis & consequentiæ, quæ est necessaria, utpote deducta ex hoc principio omnino necessario, *quidquid Deus efficaciter vult, infallibiliter eveniet*, ideo veritas illius consequentiæ cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ.

Objiciunt 2. Futura conditionata seclusô divinô decretô habent veritatem, aut falsitatem: Ergo ante decretum cognoscuntur à Deo: sed non cognoscuntur per scientiam *Simplicis intelligentiæ*, quia contingentia & conditionata sunt, ac proinde attingi non possunt ab illa scientia quæ versatur solùm circa necessaria: Neque per scientiam *Visionis*, quia hæc sequitur tantùm ad decretum: Ergo cognoscuntur per scientiam mediam. *Probatur antecedens*: congruitas vocationis non dependet à decreto Dei; ideo namque vocatio est congrua, non quia eligitur à Deo, sed è contra idcirco eligitur à Deo quia est congrua: Ergo ante liberam electionem cognoscit Deus congruitatem vocationis, & consequenter cognoscit etiam futuram conversionem, quæ ex tali vocatione orietur.

Respondent Aliqui cum Didaco Aluares negando majorem: Tum quia ut docet Aristoteles *Lib.* 1. *de Interpret. cap.* 8. propositiones de futuro contingenti, secundùm se non habent determinatam veritatem aut falsitatem, quia contingens in quantùm contingens, se habet omnino indifferenter ad utrumlibet: Ergo ante decretum divinæ voluntatis determinantis ad alterutram partem contradictionis, nihil est determinatè futurum in rebus creatis: adeoque dici potest, quòd ante illud decretum res non habent determinatam veritatem, aut falsitatem. *Tum quia* dici potest, quòd quando propositiones sunt in materia contingenti, non semper opus est quòd una sit determinatè vera, & altera determinatè falsa: sed sufficit, quod si una est vera, altera sit falsa; ita ut repugnet ambas simul esse falsas, aut simul veras. *Tum denique*, quia licet pro quolibet instanti temporis necesse sit, quòd ex duabus propositionibus de futuro contingenti, altera sit determinatè vera & altera falsa: Non tamen oportet quòd pro quolibet signo rationis, altera concipiatur determinatè vera & altera falsa. Unde ante decretum neutra illarum propositionum dicenda est determinatè vera aut falsa, sed indifferens ad utrumque. Si enim Deus in secundo signo rationis decernat, ut posito in esse antecedenti, ponatur similiter & consequens; propositio conditionalis affirmativa de futuro contingenti erit vera, & opposita erit falsa: Si autem decernat, ut posito in esse antecedenti, non sequatur consequens; propositio conditionalis negativa de futuro contingenti erit vera, & affirmativa erit falsa. *Verùm* quoniam hæ solutiones difficultatem patiuntur, idcirco.

Nego minorem: Illam enim congruitatem vocationis cognoscit Deus per scientiam simplicis intelligentiæ, & videt illam per scientiam visionis, ubi formavit decretum efficax convertendi hominem per illam congruam vocationem, quam ad eum finem ad quem illam Deus eligit, usurpat.

Objiciunt 3. Hæreticum est asserere Deum cognoscere futura conditionata in decreto suo: Ergo illa cognoscit antecedenter ad suum decretum, adeoque per scientiam mediam. Probatur antecedens ex Doctrina Calvini lib. 3. institutionum cap. 23. §. 7. *Decretum, quidem horribile fateor: Inficiari tamen nemo potest quin præsciverit Deus quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet: & ideo præsciverit, quia decreto suo id ordinaverit.* Censet ergo Calvinus Deum futura præscire in suo decreto, adeoque divinum decretum suam præscientiam antecedere.

Respondeo negando antecedens: Et ad ejus probationem, dico Calvinum non idcirco damnatum, quòd assereret decretum divinum ante-

cedere divinam scientiam de rebus absolutè, vel conditionatè futuris: sed tantùm quod ex antecedente decreto inferret omnia fieri necessariò, & nihil contingenter evenire: Proindeque nullam esse hominum libertatem, ait enim Calvinus l. 2. instit. c. 3. §. 5. *Voluntatem necessitate in malum trahi, quamvis liberta abdicata offendit eos, qui inter necessitatem & coactionem distinguere nesciunt, &c.* Quibus patet Calvinum sensisse decretum divinum nostram evertere libertatem, nec relinquere in voluntate nostra ullam indifferentiam ad actus oppositos, sed solam spontaneitatem, & immunitatem à coactione.

Objiciunt 4. Deus certò novit peccata futura sub conditione: sed illa non novit in decreto: Ergo antecedenter ad illud ea cognoscit, ac proinde per scientiam mediam. *Probatur minor:* Si Deus haberet decretum circa peccata futura absolutè, vel conditionatè, esset illorum causa, & ipsi peccati malitia tribueretur; non enim alia ratione homini peccanti malicia tribuitur, nisi quia voluntariè sese determinat, & ex se decernit actum peccaminosū.

Deinde, si peccatum esset à Deo decretum, jam peccatum non esset; in tantùm enim peccatum est, in quantùm est contrarium divinæ voluntati: sed si ab illo decerneretur, non esset contrarium, imò conforme divinæ voluntati: Ergo non esset peccatum.

Nego minorem: Et ad primam probationem dico: Deus esset causa peccati quantùm ad entitatem physicam actûs, concedo: quantùm ad deformitatem & carentiam rectitudinis moralis, nego: Non enim idcirco malicia peccati homini peccanti propriè tribuitur, quia decernit, & concurrit ad actum peccaminosum entitativè consideratum; sed eò quòd operetur ut agens morale ac difformiter ad regulas morum, & sese substrahat à rectitudine divini concursus & divinæ motionis. Deus autem ita non concurrit, nec decernit, quia non operatur ut agens morale, & cum dependentia ad regulas morum: sed ut Prima causa & ut Provisor universalis, præbens omnibus causis secundis media necessaria ad agendum.

Ad secundam probationem Dico: Peccatum si esset conforme divinæ voluntati jam non esset peccatum, sub ea ratione sub qua esset illi conforme, concedo: sub alia, nego: esset autem conforme divinæ voluntati secundùm entitatem physicam actus, quæ à Deo decernitur, & ut sic, non esset peccatum: Non esset autem conforme secundùm moralitatem & deformitatem ipsius actus, quæ nec à Deo decernitur, nec producitur, imò prohibetur: sed tantùm à voluntate creata liberè deflectente à rectitudine quæ debebat inesse tali actui. Quomodo autem moralitas, seu carentia rectitudinis actus peccaminosi, ab entitate ejusdem actus distinguatur, resoluetur in disputatione sequenti.

ARTICULUS TERTIUS.

De Divino Intellectu practico.

Divinus intellectus non idcirco practicus appellatur, quòd ordinetur ad dirigendam voluntatem quæ est veræ praxis fons & origo: Sed quia circa rerum producibilium Ideas versatur. Ut itaque illius exacta habeatur ratio, necessarium est & sufficit, divinarum Idearum naturam investigare & explanare. Quod ut exactè fiat, sit

Quæstio Unica.

An, quid, & quot sint Ideæ Divinæ?

I. *Quid significet nomen* Idea.

Ideæ nomen Græcum vocabulum est à Verbo εἴδω, in est, *Video*, seu *Aspicio* desumptum. Usurpatur autem à Latinis ad significandam formam exemplarem, quam intuetur artifex in operando, ut ad illius similitudinem aliquid moliatur. Cùm autem Deus supremus ille rerum Opifex perfectè librata ratione omnia sua producat opera; hinc fit, ut nihil efficere dicatur, nisi juxta diuinas Ideas, quas ab æterno in se reconditas habet.

II. *Plato non fuit primus Idearum Assertor.*

Notandum autem primò falsum esse id quod solitò nonnulli affirmant, Platonem primum fuisse divinarum Idearum Authorem: Eusebius namque *Lib. 11. de Præparatione Evangelica cap. 1.* Scribit Socratem primum de Ideis disseruisse, & dudum ante illum Moïsen divinas Ideas agnovisse, & ex illo Platonem, quidquid de Ideis novit, hausisse suspicatur Justinus Martyr oratione parænetica ad Gentes. Quibus concinit S. Augustinus lib. 83. quæstionum quæst. 46. dicens: *Ideas Plato primus appellasse perhibetur, non tamen si hoc nomen antequam ipse institueret non erat, ideo vel res ipsæ non erant, quas Ideas vocavit, vel à nullo erant intellectæ: sed alio fortasse atque alio nomine ab aliis nuncupatæ sunt. Licet enim cuique rei incognitæ quæ nullum habeat usitatum nomen, quodlibet nomen imponere. Nam non est verisimile sapientes nullos fuisse ante Platonem, istas quas Plato, ut dictum est, Ideas vocat quæcumque res sint non intellexisse: siquidem tanta in eis vis constituitur, ut, nisi his intellectis sapiens esse nemo possit.*

III. *Nec eas extra Deum existere asseruit.*

Falsum pariter est id quod de Platone finxit Aristoteles, illum ideas asseruisse non quidem in Deo existentes, sed quasi illi extraneas, eique assistentes, per se subsistentes & à singularibus abstractas & separatas; ita quòd à mente divina in mentem Angelorum illæ Ideæ effluant; ex Angelica mente, in universalem mundi animam; ex mundi anima, in cœlorum formas; ex formis cælestibus, in materiam omnium formarum receptricem. Unde Aristoteles has Ideas ut mera figmenta deridens; ait, *Valeant Platonis Ideæ, quia nihil sunt, aut monstra sunt.* Falsò inquam hoc fictitium commentum Platoni attribuitur: verè namque divinas Ideas in Deo existentes admisit Plato, ut affirmat Seneca Epist. 65. His verbis, *Hæc exempla rerum omnium Deus intra se habet, & numeros universorum quæ agenda sunt, modosque mente complexus est. Plenus est Deus his figuris quas Plato Ideas appellat immortales, immutabiles, infatigabiles. Vnde homines quidem pereunt, ipsa autem humanitas, id est Idea hominum quæ in Deo est ad cujus similitudinem homo effingitur, permanet & hominibus laborantibus nihil patitur.* Idem affirmat sanctus Augustinus lib. 33. quæstionum quæstione 46. ubi cùm asseruisset divinas Ideas esse admittendas quasi rationes & imagines rerum creandarum, ait,

Has autem rationes ubi arbitrandum est esse nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegium est. Quod si hæ rerum omnium creandarum creatarumve rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quidquam nisi æternum atque immutabile potest esse; Atque has rerum rationes principales appellat Ideas Plato: Non solum sunt Ideæ, sed ipsæ veræ sunt quia æternæ sunt. Unde meritò Marcillus Ficinus Platonis fidelis Interpres in commentario de divinis nominibus, ait: *Platonici numquam voluerunt Ideas ab intellectu divino separatas esse, ut falsò calumniantur Peripatetici: sed eas aliqua ratione inter se distinctas, in mente divina reposuerunt; quatenus Deus sua virtutis conscius, comprehendit quot quantisque modis sit participabilis à creaturis.*

IV. Varia de divinis Ideis Theologorum Placita.

Notandum 2. Quòd etsi omnes Catholici Doctores divinarum Idearum Assertores affirment divinas Ideas non extra Deum, sed in Deo esse repositas; nihilominus non conveniunt invicem in assignanda Ideæ ratione: Siquidem nonnulli Recentiores affirmant Ideam divinam esse ipsummet actum intelligendi, quô Deus concipit creaturam factibilem; ita quòd Ideæ ratio non sit conceptus aliquis objectivus, qui ab ipso divino intellectô per modum objecti attingatur, sed tantùm sit conceptus formalis & actualis intellectio, quâ Deus res ab Omnipotentia factibiles deprehendit. Sanctus Thomas autem prima parte quæst. 10. art. 1. ad secundum & tertium, affirmat divinam Ideam esse conceptum aliquem objectivum, quem dicit esse divinam Essentiam, *Essentia divina*, inquit, *secundùm quod ad alia comparatur est Idea:* Quam comparationem art. 2. explicat in eo consistere, quòd essentiam suam Deus cognoscat secundùm quod est participabilis secundùm aliquem modum similitudinis à creaturis; & ibidem ait, *Ideam operati esse in mente operantis, sicut quod intelligitur, non autem sicut speciem quâ intelligitur quæ est forma faciens intellectum in actu. Forma enim in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cuius similitudinem domum in materia format, &c.* Quibus apertè constat S. Thomam rationem Ideæ divinæ non in conceptu formali, sed in conceptu objectivo constituere; & hunc conceptum objectivum idealem non aliam esse quàm divinam Essentiam ut cognitam, quatenus est participabilis & imitabilis à Creaturis.

Doctoris verò Subtilis Discipuli duas scioduntur in sententias; Nonnulli enim affirmant illum statuisse rationem Ideæ in illo esse cognito quod habent Creaturæ ab intellectu divino: Alii verò contendunt illum non aliam assignasse Ideæ rationem, quàm ipsammet divinam Essentiam; non quatenus est participabilis & imitabilis à Creaturis, sed quatenus est repræsentativa omnium prorsus rerum producibilium. Quid autem verius hac in controversia nobis pareat, infra resolvetur.

V. Ideæ definitio traditur & expenditur.

Notandum 3. Ideas definiri à sancto Augustino lib. 83. quæstionum quæst. 46. *Ideæ sunt*, inquit, *principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt; ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ in divina intelligentia continentur: Et cùm ipsæ, nec oriantur, nec intereant; secundùm tamen eas formari dicitur quod oriri & interire potest, & omne quod oritur & interit*, seu ut breviùs loquitur Doctor in 1. dist. 35. quæst. 11. num. 12. *Idea est ratio æterna in mente divina, secundùm quam aliquid est formabile extra, tanquam secundùm propriam rationem ejus.* Quam definitionem optimam esse sic illam expendendo demonstrat: Deus, inquit, omnia causat, vel causare potest: Non irrationabiliter, ergo rationabiliter: Ergo habet rationem, secundùm quam format. Non autem eandem omnium: Ergo singula propriis rationibus format. Non autem rationibus extra se, quia non eget in efficiendo aliquô aliô à se: igitur rationibus in mente sua existentibus, quia nec in intelligendo, nec in efficiendo eget aliquô alio à se: Ergo rationibus in mente sua existentibus. Nihil autem in mente sua est nisi incommutabile, & æternum: Ergo omne formabile potest formare secundùm rationem propriam sibi, æternam & incommutabilem, in mente sua existentem. Hæc autem ratio æterna & incommutabilis, secundùm quam tanquam per propriam rationem potest Deus aliquid formare, non est nisi idea; Ergo præfata definitio optimè ideæ quadrat.

CONCLUSIO PRIMA.

VI. Deus habet Ideas omnium rerum.

REVERA *Deus habet Ideas rerum omnium producibilium.* Hæc conclusio videtur esse de fide, siquidem colligitur ex Scriptura sacra, maximè ex illo sancti Pauli ad Hæbræos 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent:* Id est, ut exponit S. Thomas, ut ex rationibus idealibus in Verbo Dei omnis Creatura fieret. Quam expositionem indicat sanctus Anselmus in eundem textum dicens, *Ex invisibilibus facta sunt visibilia*, id est ex intellectuali mundo visibilis: invisibilis enim mundus in Sapientia divina per suam ideam relucebat, & ad illius imitationem factus est mundus visibilis: eô nimirum loquendi modô quô Aristoteles 1. *Metaphy. textu* 22. dixit sanitatem quæ est in materia, esse à sanitate quæ est in anima Medici, id est à conceptu, seu arte medendi.

VII. Probatur ex S. Scriptura.

Colligitur pariter ex illo Joannis 1. *Quod factum est in ipso vita erat*; ex his enim verbis sanctus Augustinus eundem textum exponens colligit ideas esse in Deo, *Quid est hoc*, inquit, VITA ERAT? *Facta est terra, sed ipsa terra quæ facta; est non est vita est, autem in ipsa sapientia spiritaliter ratio quædam quâ terra facta est, & hæc vita est.* Deinde subdit, *faber facit arcam, primò in arte habet arcam, si enim in arte arcam non haberet, non esset unde fabricando illam proferret..... Attende ergo arcam in arte, & arcam in opere: arca in opere non est vita, arca in arte vita est, quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia antequam proferantur. Sic ergo quia Sapientia Dei per quam facta sunt omnia, secundùm artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuò vita sunt, sed quidquid factum est vita in illo est. Terram vides: est in arte terra. Cœlum vides: est in arte cœlum. Solem & Lunam vides: sunt & ista in arte. Sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.*

VIII. Et SS. Patribus.

Probatur idem ex sanctis Patribus, qui rerum producibilium imagines in mente divina

existentes ab æterno fuisse affirmant: in primis verò S. Dionysius librô de divinis Nominibus cap. 5. cùm dixisset Solem eorum omnium quæ sub sensum cadunt essentias & qualitates, quamquam multæ sint ac dissimiles, anticiparas habere, concludit: *Certe majore ratione in ejus atque omnium causa priùs constitisse omnium rerum exemplaria concedendum est.... Exemplaria autem diximus esse essentiæ rerum effectrices rationes, quæ in Deo conjunctæ ante fuerant, &c.* Cui concinit Origenes tomo 1. in Joannem, qui cùm dixisset divinas ideas esse figuras collectionis intelligentiarum, subdit: *Opinor enim, sicut domus & navis fabricatur, vel ædificatur juxta figuras & formas mentibus eorum qui structuræ præsident conceptas, domo navique principium sumentibus ab his figuris, & rationibus quæ sunt in artifice: Sic universa facta fuisse juxta rerum futurarum rationes jam antea à Deo manifestatas in sapientia.*

VIII. Maximè ex S. Augustino.

Hoc idem argumentum pluribi tractat. S. Augustinus, maximè verò lib. 83. quæstionum q. 46. ubi cùm dixisset idearum visionem solis defæcatis animabus & sapientioribus esse concessam, ait. *Quis autem religiosus, ac vera religione imbutus, quamvis nondum possit hæc intueri, negare tamen audeat, imò non etiam profiteatur, omnia quæ sunt, idest, quæcumque in suo genere propria quadam natura continentur, ut sint Deo authore esse procreata, eoque authore omnia, quæ vivunt vivere, atque universalem rerum incolumitatem, ordinemque ipsum, quô ea, quæ mutantur, suos temporales cursus certo moderamine celebrant, summi Dei legibus contineri, & gubernari? quo constituto atque concesso quis audeat dicere, Deum irrationaliter omnia condidisse? Quod si rectè dici, & credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita: Nec eadem ratione homo quâ equus, hoc enim absurdum est existimare; singula igitur propriis sunt creata rationibus:* Ex quibus verbis tres sequentes formari possunt rationes eandem veritatem comprobantes.

IX. Nec-non & Ratione.

Quarum prima sic formari potest: Omne agens per intellectum seu ratione prædirum priùs habet in se imaginem illius rei quam est facturus: sed Deus est agens per intellectum: Ergo priùs habet apud se rerum faciendarum imaginem, quam Ideam appellamus. *Minor* per se constat. *Major* verò probatur, omnis enim causa præcontinet in se effectum secundùm formam & rationem ipsius; etenim si causa sit naturalis, in se præcontinet naturali modô formam illius effectus quem est productura, sicut ignis producens continet formam ignis producti: & consequenter, si causa sit intellectualis & agens per intellectum, etiam præcontinere debet formam rei producendæ: Non secundùm entitatem, aliàs non cognosceret res materiales, quia rerum materialium formas agens spiritale non potest excipere: Ergo illam præcontinet secundùm imaginem; at hæc imago est idea, & exemplar ipsius: Ergo Deus habet rerum ideas.

Secundò Deus non temerè & fortuitò, sed summa ratione & sapientia operatur, & cuncta producit: Ergo operatur juxta exemplar rei faciendæ quam præcogitavit, & prædefinivit; at illud exemplar est Idea: Ergo ideæ sunt in Deo admittendæ. Consequentia patet, nisi enim Deus præcognosceret effectum & nisi haberet formam, ad cujus instar illum produceret, temerè & cæcô modô ageret, seu ut loquitur S. Augustinus, irrationabiliter omnia condidisset.

Tertia denique ratio, quam ibidem indicat S. Augustinus, formari potest in hunc modum. Singula propriis & distinctis sunt creata rationibus, nec secundùm eandem rationem formatus est homo, quâ formatus est equus: Ergo proprias rei cujusque faciendæ Deus in se præcontinet rationes; at illa ratio est idea: Ergo Deus habet ideas. Idem probat S. Damascenus lib. 1. de fide cap. 13. *Deus omnium author est: Ergo omnium quæ sunt rationes in se, & causas, hoc est ideas iam ante in ipso præhabet.*

Dices 1. S. Anselmus in Monologio cap. 29. *Satis manifestum est*, inquit, *in verbo per quod facta sunt omnia, non esse similitudines rerum*; sed Idea est similitudo rei faciendæ: Ergo ex S. Anselmo Verbum divinum non habet rerum ideas. Insuper S. Dionysius cap. 7. de divinis Nominibus: *Deus*, inquit, *non cognoscit res secundùm ideas:* Ergo falsum est ideas esse in mente divina reponendas.

Respondeo S. Anselmum velle solùm quòd in Verbo divino non sint rerum similitudines ab ipsis rebus desumptæ, sicut v. g. in speculo sunt imagines objectorum ab ipsis objectis emissæ; sed potius quòd omnes rerum formæ, & similitudines ab ipso & divino Verbo desumantur & effluant. Unde subdit S. Anselmus: Verbum non est similitudo rerum; sed res sunt imitationes verbi. *Ad S. Dionysium dico:* Illum quidem negare Deum res cognoscere in Ideis, aut extra se positis, aut à rebus ipsis mutuatis; sed tantùm illas cognoscit per suam essentiam habentem rationem ideæ & exemplaris, quatenus infinitam vim habet res omnes repræsentandi.

Dices 2. Idea est similitudo rei ideatæ, similitudo autem dicit convenientiam; sed Dei ad Creaturam, cùm sit summa distantia, nulla est ibi convenientia: aut si sit aliqua, certè est minima: Ergo aut nulla est similitudo inter Ideam divinam & creaturam ideatam, aut est minima: vel ergo non est idea in Deo, vel est secundùm rationem imperfectam: sed nihil imperfectum ponendum est in Deo: Ergo nec ulla Idea.

X. Triplex est rerum similitudo.

Respondet Seraphicus Doctor in 1. *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 1. quòd triplex est similitudo, Alia *Univocationis*, seu participationis, quâ dicuntur similia ea, inter quæ est quoddam commune in quo conveniunt univocè, ut Petrus & Paulus dicuntur similes in humanitate, & in albedine; quia in humanitate & in albedine univocè conveniunt quatenus sunt homines, & quatenus sunt albi; & hæc similitudo non reperitur inter Deum & Creaturas, quia in nullo univocè conveniunt: Alia est similitudo *Imitationis*, & hæc est minima inter Deum & Creaturas, quia in modico potest finitum imitari infinitum. Denique est similitudo *Repræsentationis* & expressionis, & hæc est summa inter divinas Ideas, & Creaturas ideatas, quia Ideæ divinæ Creaturas summè exprimunt & repræsentant: Unde in forma, Dei ad creaturas non est perfecta convenientia nec similitudo univocationis & imitationis, concedo: repræsentationis & expressionis, nego.

Dices 3. Nobilissimus modus cognoscendi est Deo tribuendus: sed cognitio per rei essentiam est nobilior quàm per similitudinem rei: Ergo Deus cognoscit per essentiam rei, non per simi-

litudinem eius: Ergo Deus cognoscit per essentiam rei, non per similitudinem: sed idea est similitudo rei & non essentia: Ergo Deus non cognoscit per ideam, ergo in Deo non sunt ponendæ ideæ.

Respondet Idem Seraphicus Doctor, quod alia est similitudo rei causata & accepta ab ipsa re; & hæc est species rei intelligibilis, quæ cùm non ita perfectè exprimat rem, sicut res ipsa si præsens esset: Ideo cognitio rei per talem similitudinem, non est ita perfecta, sicut si res ipsa præsentialiter videretur, & hac similitudine non cognoscit Deus. Est & alia similitudo quæ est ipsa rei veritas ipsiusmet rei expressiva, & ejus similitudo, quâ veritas est; & cujus veritatis res ipsa potius dicenda est similitudo quam ipsa similitudo rei: & hæc meliùs exprimit rem quàm ipsa res seipsam exprimat, quia res ipsa accipit rationem expressionis ab illa sicut & suum esse: Unde fit quòd per hanc nobilior est cognitio quàm per ipsius rei essentiam, & sic Deus cognoscit.

Dices 4. Idea non est necessaria nisi ad dirigendum in cognoscendo & regulandum in operando: sed nihil indiget dirigente, vel regulante, nisi quod potest errare & deviare, Deus autem nullum horum habet: Ergo frustrà ponuntur ideæ in Deo.

XI. *Respondet idem*: Quod regulari & dirigi potest fieri dupliciter, scilicet aut per regulam differentem a directo & regulato, & hæc admittit imperfectionem & possibilitatem erroris: Aut per regulam, quæ est idem quod regulatum, & hæc ponit impossibilitatem erroris: Quia enim regula errare non potest, & Deus est ipsa regula, & idea, idcirco impossibile est eum errare; & sic patet quòd idea in Deo non ponit defectum & imperfectionem, sed complementum.

Aliquid regulari potest dupliciter.

CONCLUSIO SECUNDA.

XII. *Idea divina non est conceptus formalis, quem Deus, habet de Creaturis: nec essentia divina, quatenus est imitabilis à Creaturis: sed tantùm quatenus est repræsentativa illius esse, quod Creaturæ habent ab Intellectu divino.*

Quid sit Idea divina?

Hæc Conclusio tres complectitur partes, quarum probatur prima. Idea est forma cognita quam intuetur artifex in operando, ut ad illius similitudinem opus externum moliatur: sed conceptus formalis seu cognitio quam habet Deus de Creaturis, non est idem quod ejus divinus intellectus respicit; sed tantùm id quô aspicit: Ergo illa cognitio non est idea. *Deinde*, Idea habet rationem causæ formalis respectu rei ideatæ, seu formandæ juxta ipsam ideam: sed intellectio habet rationem causæ formalis non respectu rei ideatæ & extrinsecæ, sed tantùm respectu intellectûs a quo elicitur, & quem informat ac intelligentem denominat: Ergo nec illa intellectio seu conceptus formalis intellectus habet rationem ideæ. *Denique* Idea divina variatur juxta rerum ideatarum diversitatem: sed divina intellectio, non variatur secundùm diversitatem rerum à Deo cognitarum: Ergo ratio formalis Ideæ divinæ non consistit in ipsa intellectione divina.

Non est conceptus formalis.

XIII. *Probatur secunda pars*: Nempe quòd ratio formalis ideæ non consistat in essentia divina quatenus est imitabilis a Creaturis. Si idea divina consisteret in hac imitabilitate, sequeretur

Non essentia divina ut imitabilis à Creaturis.

A Creaturas non cognosci à Deo secundùm illarum esse proprium, neque etiam secundùm illarum contingentiam: at falsum consequens: Ergo & antecedens. *Patet major quoad primam sequelam*; nam creaturæ solùm imitantur divinam essentiam quoad gradus quosdam communes & transcendentales, putà entis, substantiæ, viventis, intellectualis, aut similes; quoad proprios autem modos, ac differentias quibus illæ constituuntur ultimatè, & à Deo & inter se differunt, atque in quibus limitationem imperfectionemque involuunt, divinam essentiam non imitantur, sed ab ea recedunt eique dissimiles sunt: Ergo si in essentia divina repræsentantur, & cognoscuntur Creaturæ solùm qua-B tenus eam imitantur, non repræsentantur & cognoscuntur in ea secundùm proprium esse. *Patet etiam quoad secundam partem*, idea namque repræsentat ideatum secundùm illius entitatem, non autem secundùm illius contingentem existentiam; sive enim res existat sive non, semper similis est suæ ideæ, tam enim domus ædificanda quàm ædificata similis est ideæ artificis: Ergo si ratio ideæ consistat in imitabilitate divinæ essentiæ à Creaturis, non repræsentabit Creaturas secundùm omnes illarum speciales differentias, neque secundùm earum C contingentiam; quod est contra rationem ideæ. *Deinde*: Si imitabilitas causæ secundùm ejus naturam constitueret rationem formalem ideæ, sequeretur substantiam ignis generantis dici posse ideam ignis geniti; quia ignis genitus naturam ignis generantis imitatur, non solùm æquivocè & extrinsecè, sed univocè & perfectè.

Nec refert quod illa imitatio ignis fiat absque cognitione; idea autem debeat concurrere ad formandum imitatum prævia cognitione, eò quòd imitabilitas rei sit artificialis. *Respondeo* namque cognitionem extrinsecam esse ad imitabilitatem idealem; quantumvis enim cognoscatur idea, non propterea aliquid dicitur ideatum, nisi assimiletur ideæ artificialiter: Hinc D licet homo generans hominem sibi similem cognoscat, & velit illam similitudinem, non ideo natura generantis dicitur concurrere ad generationem per modum formæ artificialis & idealis, quia non concurrit quatenus repræsentat hominem generandum, sed tantùm quatenus est naturalis ejus similitudo. Similiter quantumvis divina essentia sit principium divinæ generationis Filii, & divinus Pater sciens & volens assimilet sibi Filium divinum, non tamen hæc assimilatio est idealis & artificialis, sed merè naturalis, quia non fit ab essentia præcisè quatenus est principium repræsentativum, sed tan-E tùm quatenus est principium fœcundum: Ergo à simili quantumvis Creaturæ assimilatio cum essentia divina sit à Deo cognita, & volita, non propterea hæc assimilatio erit idealis & artificialis.

Denique: Si Essentia divina esset idea quatenus est imitabilis à Creaturis, & ut habet respectus sive reales, sive intentionales ad Creaturas imitaturas; vel haberet rationem ideæ quatenus præcisè essentia est simul cum his respectibus; vel quatenus illos tantùm respectus connotat; vel denique illi soli respectus haberent rationem formalem ideæ: sed neutrum dici potest. *Non primum*, alioquin idea non esset unum per se, sed tantùm unum per accidens,

dens, sicque non posset repræsentare ens per se faciendum: *Non etiam secundum*, quia prius intelligitur idea quàm intelligantur illi respectus connotati; priùs namque concipi debent extrema relationis quàm concipiatur relatio: adeoque priùs concipi debet Essentia Dei ut imitabilis, & creatura ut imitativa, quàm concipiatur relatio imitabilitatis. *Non etiam tertium*, quia ideatum debet esse simile ideæ; Creaturæ autem producendæ ad extra non sunt formandæ juxta similitudinem eorum respectuum: adeoque Essentia divina non habet rationem ideæ quatenus est imitabilis.

XIV. *Probatur tertia pars:* Nempe quod ratio divinæ Ideæ sit ipsamet divina Essentia, quatenus est repræsentativa esse cogniti Creaturarum: Probatur inquam, primò authoritate Doctoris Subtilis in 1. *dist.* 35. *quæst. unica*, *num.* 13. ubi cùm exposuisset definitionem ideæ, & rejecisset sententiam Aristotelis imponentis Platoni, quòd assereret esse rerum quidditates existentes per se: concludit, Ideam esse ipsammet Essentiam divinam, quatenus repræsentativa est *esse cogniti*, quod habent Creaturæ ab intellectu divino.

Sed ut repræsentativa esse cogniti creaturarum.

Licèt enim Doctor ibidem asserere videatur illud *esse cognitum*, quod habent Creaturæ ab intellectu divino, esse ipsarum Creaturarum ideam; non tamen vult illud *esse cognitum* formaliter consideratum, & quatenus solùm est denominatio extrinseca resultans in Creatura ex cognitione divini intellectus, esse formaliter ideam ipsius Creaturæ; hoc enim esse cognitum est purum ens rationis; Idea autem divina, est quid reale in Deo existens. Adeoque non censet Doctor rationem ideæ formaliter consistere in illo esse cognito, sed in Essentia divina quatenus est repræsentativa illius esse possibilis Creaturarum. Quod ipsemet explicat in 4. d. 50. q. 3. n. 4. ubi cùm dixisset ideam non esse respectum essentiæ divinæ ad extra, concludit: *Oportet ergo quòd per illam essentiam, quæ perfectissimè omnia repræsentat, quæ ut sic repræsentans illa ut objecta cognita, habet rationem ideæ.*

Deinde sibi objiciens ibidem, quòd non possit repræsentari illud esse cognitum nisi priùs habeat esse: Ergo nisi priùs supponat exemplar, à quô & unde productum sit sub ratione propria & determinata, & consequenter non potest priùs repræsentari, quàm habeat ideam: Respondet. *Dico quòd falsum est, imò ipsa Essentia est exemplar illimitatum. Et ista est prima ratio in esse cognito, non autem alia ratio, quæ priùs debet esse cognitum, ut dictum est in primo libro: & hæc magis determinatè repræsentat, quàm aliquid limitatum nedum extra existens, imò quàm aliquid intra.* Quibus Doctor tria significat: Primum, quòd illud esse cognitum per se non habeat rationem ideæ: Secundum, quòd habeat tantùm rationem ideæ, quatenus repræsentatur in Essentia divina: Tertium, quòd ipsa divina Essentia vim infinitam habeat res omnes repræsentandi secundùm earum esse proprium, in qua virtute formaliter consistit ratio Ideæ.

Probatur 2. In illo formaliter statuenda est ratio Ideæ divinæ, quod Deus intuetur in rebus creandis & producendis ad extra: sed solam suam divinam Essentiam quatenus est rerum creabilium repræsentativa intuetur: Ergo divina essentia, quatenus est rerum repræsentativa, habet rationem formalem ideæ. *Major* constat, *Minor* verò probatur; Si Deus conspiceret aliud præter suam Essentiam, ut rerum creabilium repræsentativam, maximè vel res ipsas, vel ipsam divinam Essentiam ut imitabilem, vel suam divinam cognitionem, ut rerum producendarum apprehensivam: sed neutrum dici potest: Non *primum*, quia res ipsæ non possunt immediatè & per se movere ac determinare divinum intellectum, ut sæpius probatum est. Non etiam *secundum*, quia essentia divina ut imitabilis non potest repræsentare proprias ac singulares creaturarum rationes, quas illa formaliter non continet, & secundùm quas consequenter non est per se imitabilis à creaturis: Non etiam *tertium*, quia divina intellectio non habet rationem objecti quod, sed tantùm objecti quô Deus ideam inspicit, ut ad ejus similitudinem res extra se producat: Ergo restat ut sola divina essentia, quatenus est rerum omnium repræsentativa, habeat verè & realiter rationem Ideæ divinæ. XV.

Dices 1. In eo statuenda est ratio formalis Ideæ, ad cujus imitationem immediatè fit opus: sed opus divinum fit immediatè ad imitationem cognitionis divinæ, non autem ad imitationem essentiæ divinæ quatenus repræsentativæ rerum: Ergo in ipsa cognitione seu conceptu formali statuenda est ratio formalis ideæ. *Major* patet ex supra dictis. *Minor probatur:* quia non minor est virtus agentis divini quàm creati: sed aliquando artifices operantur ex solo mero conceptu formali sui operis, non autem ex apprehensione alicujus conceptus objectivi; ut manifestum videtur non solùm in his artificibus qui suum opus tanta celeritate expediunt, ut non videantur de externo exemplari, & de ipso opere simul posse cogitare. Quis enim dixerit agilem scriptorem ad alios characteres quàm quos ipse scribit & pingit, suam in scribendo cogitationem convertere? Sed etiam idem constat in iis qui artificialis alicujus novi operis nunquam antea visi sunt inventores; adeoque nullum aliud simile quod imitentur, propositum habent. Unde fit ut illi artifices, qui externo & objectivo exemplari opus habent, illo egeant ex imperfectione operantis, non verò ex ratione agentis per ideam. Ergo cùm in Deo nulla sit imperfectio, sed tum in essendo, tum in operando quodlibet agens creatum excedat; hinc fit quòd nullâ aliâ opus habeat ideâ præter suum conceptum formalem.

Conceptus objectiuus non redolet imperfectionem in Deo.

Nego minorem: & ad ejus probationem, nego pariter conceptum objectivum solùm desiderari in artificibus propter illius imperfectionem; quamquam enim id fortè verum esset in creatis, eò quòd nobis naturaliter non insit aliquod objectum primum, in quo cætera liceat inspicere; unde fit ut ab ipso opere futuro in se non moveatur noster intellectus: Insuper, licet etiam ille defectus exinde contingat, quòd noster intellectus nondum sibi comparauerit speciem illius rei quæ facienda est; unde fit, ut oporteat externum aliquod exemplar aspicere, ad cujus imitationem fiat opus. Hæc tamen à divino intellectu

loogè absunt, siquidem nec moveri potest à rebus ipsis, nec ab aliquo exemplari extra Deum, sed tantùm in sua essentia, ut in objecto primo atque immediato omnia contemplatur: Atque ita ex summa ipsius perfectione evenit, ut suam essentiam tanquam omnium factibilium exemplar objectivum ac ideam intueatur, & imitetur in operando: & consequenter licet aliquando artifices creati non habeant tei faciendæ aliud exemplar objectivum in intellectu, sed solùm suum conceptum formalem; nihilominus Deus supremus rerum artifex suam semper essentiam tanquam objectum ideale inspicit, ut secundùm illius repræsentationem res quaslibet producat.

Dices 2. Creaturæ divinam imitantur essentiam quatenus eminenter illas continet: sed tantùm illas eminenter continet ot est participabilis ab illis: Ergo divina essentia tantùm habet rationem ideæ creaturarum quatenus est ab illis participabilis.

Distinguo minorem: Creaturæ divinam essentiam imitantur prout eminenter illas continet, si illa eminentialis continentia usurpetur pro illius infinita vi repræsentativa ejus quod continet, concedo: Si sumatur tantùm pro supereminenti gradu entitatis, in qua Deus entibus omnibus aliis præcellit, nego: & sic C concessa minore neganda est consequentia. Fateor itaque divinam essentiam idcirco creaturarum esse repræsentativam & habere rationem ideæ objectivæ respectu earum, quia cùm sit infinita in sua entitate, omnesque proinde aliarum entitatum perfectiones sine imperfectione complectatur, vel formaliter, vel eminenter, aut virtualiter, etiam & earum est repræsentativa. Ratio tamen formalis ideæ præcise non consistit in illa continentia formali, aut eminentiali, aut natura-

XVI. li: sed tantùm in infinita vi repræsentativa.

Instabis: Non potest Essentia divina habere rationem repræsentandi Creaturas, nisi D Creaturæ illæ priùs supponantur habere esse quod in essentia repræsentetur, & consequenter nisi priùs habeant ideam: Ergo non potest habere rationem ideæ, quatenus est repræsentativa: Consequentia patet: Probatur *antecedens:* Nihil repræsentatur nisi quod est; quidquid autem est, supponit ideam sui, maximè si fiat per ideam: Si autem iam sit, ultro non indiget idea ut fiat: Ergo Creaturæ priusquam habeant esse repræsentatum in Essentia divina, iam supponuntur in se habere aliquod esse; ac proinde habere aliquam sui ideam: & consequenter ipsa divina essentia, quatenus repræsentativa non potest habere rationem ideæ. E

Quadruplex status in quo concipiuntur Creaturæ.

Distinguo antecedens: Nisi Creaturæ supponant habere esse verum reale & ideatum, nego: Esse cognitum, nimirum per solam denominationem extrinsecam intellectûs divini Creaturas producentis in esse primo possibili, concedo. Itaque Creaturæ concipi possunt hoc in quadruplici statu, in quorum *primo* ab intellectu divino accipiunt esse primò cognitum: In *secundo* habent ex se ipsis quod non repugnent ut existant: In *tertio* concipiuntur habere respectum rationis ad omnipotentiam divinam à quâ possunt acci-

A pere existentiam: In *quarto* autem habent esse repræsentatum in Essentia divina, quæ cùm habeat vim infinitam repræsentandi, repræsentat illas Creaturas possibiles; non solùm secundùm illarum esse cognitum; nec tantùm secundùm illarum non repugnantiam ad existendum; nec denique tantùm ut dicunt respectum ad omnipotentiam divinam à quâ produci possunt: sed maximè secundùm illud esse ideale, quod revera habent in Deo antequam producantur, & iuxta quod aliquando producentur. XVII.

Dices 3. Illud habet rationem ideæ in divina mente, quod proportione servata, idea est in mente artificis creati: sed in mente artiB ficis creati res ipsa concepta ab artifice habet rationem ideæ: Ergo etiam Creaturæ ut ab intellectu divino apprehensæ, habebunt rationem ideæ exemplaris. *Major* patet, tum ex S. Augustino, tum ex aliis Patribus dicentibus Creaturas esse in mente divina, sicut domus est in mente artificis. *Minor* verò probatur, etenim domus concepta ab artifice, est idea domus construendæ, ut iam dictum est ex Aristotele.

Nego minorem: Idea enim in mente artificis non est revera ipsum opus externum ut ejus menti objectum: sed est aliquod verC bum seu dictamen practicum, quod in suo intellectu format de opere artificiali faciendo. *Ad probationem* autem dico, quòd quando Aristoteles, vel alii Philosophi affirmant ideam artificis esse rem ipsam cognitam, quatenus ad extra formandam: intelligendi sunt de re non in suo proprio & naturali essendi modo, sed in alio, nempe intelligibili, quem habet in intellectu.

CONCLUSIO TERTIA.

IN *Deo non sunt plures Ideæ realiter, aut formaliter distinctæ: sed tantùm denominative.* Hæc Conclusio duas habet partes, quarum probatur prima. Divina essentia, ut probatum est, habet rationem ideæ, quatenus est repræsentativa Creaturarum: sed ut sic non est, nec formaliter, nec realiter à se distincta: Ergo nec ideæ sunt realiter, aut formaliter distinctæ. *Major* patet. *Minor* probatur: Primò quidem quòd illæ diversæ rationes ideales non distinguantur realiter, in Deo enim nulla est distinctio realis, & entitativa, nisi ubi intervenit relationis oppositio, quâ fit ut tres divinæ Personæ realiter invicem distinguantur: sed Ideæ divinæ non pertinent ad relationes Personales, neque ad notionalia; Ergo inter illas nequit esse distinctio realis. Patet etiam eadem minor *quantùm ad distinctionem formalem:* Siquidem distinctio formalis intercedit inter diversas formalitates invicem formaliter distinctas, & quarum una non est formaliter alia etiam secluso quodlibet intellectûs conceptu: sed ipsa divina essentia quatenus est repræsentativa hominis, non est à parte rei formaliter à seipsa distincta, quatenus est repræsentativa Angeli; alioquin in eadem essentia sub ratione essentiali, infinitæ essent formalitates, sicut infinitæ sunt Creaturæ possibiles; quòd cùm sit absurdum, etiam & absurdum est illud unde sequitur. XZIII.

Ideæ in Deo non distinguuntur realiter.

Neque etiam formaliter.

Sed tantùm denominativè.

Probatur secunda pars : Primò quidem ex Scriptura, & ex sanctis Patribus, qui de divinis Ideis quasi de pluribus loquuntur : inprimis enim S. Paulus ad Hebræos 11. *Fide, inquit, intelligimus aptata esse sæcula verbô Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Ubi per *invisibilia*, rerũ ideas significari supra diximus. Item S. Dionysius à nobis prima conclusione laudatus, affirmat in Deo dari exemplaria rerum, quæ nominat rationes substantificas existentium prædeterminativas. Et S. Augustinus ibidem laudatus disertè ait : *Omnia ratione sunt condita, nec eadem ratione homo quâ equus, hoc enim absurdum est existimare : Singula igitur propriis creata sunt rationibus.* Quibus verbis idearum diversitatem & multiplicitatem significat. Id pariter suadet ratio : Sicut enim res faciendæ seipsis diversæ sunt, propriosque ac speciales habent characteres, quibus invicem distinguantur ; ita pariter diversas habere debent ideas, ad quarum similitudinem formentur : Non quidem diversas intrinsecè & secundùm diversam entitatem aut formalitatem : Ergo saltem debent esse diversæ extrinsecè, denominativè, ac secundùm diversum respectum rationis, quem divina Essentia, ut infinitè repræsentativa, dicit ad res omnes repræsentatas.

XIX. Deus habet rerum omnium tum possibiliũ, tum futurarũ ideas.

Ex his collige 1. Dari omnium rerum Ideas tam possibilium quàm futurarum, *Eodem modo enim,* inquit Doctor in 2. dist. 39. q. 5. n. 7. *sunt ideæ possibilium non futurorum, sicut futurorum, quia differentia ista possibilium non futurorum à futuris, non est nisi per actum voluntatis divinæ; Ergo idea futuri possibilis non magis repræsentat illud futurum esse quàm idea possibilis non futuri. Præterea, non magis repræsentabat idea futuri ipsum ponendum esse in hoc nunc, quàm in illo.* Quibus Doctor indicat ideam propriè & maximè repræsentare res possibiles sub determinato statu possibilitatis ; quia, ut supra dixerat, ideæ merè naturaliter repræsentant illud quod repræsentant, & sub naturali ratione sub quâ aliquid repræsentant : quia ideæ sunt in intellectu divino ante omnem actum voluntaris divinæ, ita quòd nullo modo sunt ibi per actum voluntatis divinæ : sed quidquid naturaliter præcedit actum voluntatis, est merè naturale : & consequenter ratio ideæ maximè versatur in repræsentatione rerum secundùm illarum esse possibile.

XX. Materialiũ & spiritualium, universalium & singularium.

Collige 2. In Deo esse Ideas rerum omnium producibilium, sive materialium, sive spiritualium, sive universalium, sive singularium : Cùm enim idea sit forma ad quam respiciens agens operatur ; necessum est ut omnium rerum quæ formari possunt, etiam singulæ habeantur ideæ ; alioquin Deus aliquid fortuitò, & sine prævisione ac præcognitione produceret, quod asserere impium est, & sacrilegum, inquit S. Augustinus.

XXI. Utrum Filius & Spiritus sanctus habeant sui ideam ?

Collige 3. Quòd etsi Filius & Spiritus sanctus verè producantur ; nihilominus non habent suæ productionis ideam : Tum quia idea habet rationem causæ exemplaris respectu ideati : sed divina Essentia, non est causa Filii aut Spiritus sancti : Ergo habere nequit rationem ideæ in generatione Filii, nec in processione Spiritus sancti. Tum quia idea est forma quam inspiciens artifex operatur : sed Pater divinus non est artifex in generatione Filii, nec operatur per modum artificis, quia non est ejus causa, sed principium : Ergo Pater non habet ideam in generatione Filii : idem dicendum de productione Spiritus sancti. Tum denique quia, Idea est repræsentatio formalis rei quæ nondum est, sed Filius, & Spiritus sanctus non possunt repræsentari antequam sint, cum nullatenus habere possint rationem entis possibilis : Ergo pariter illorum productio non supponit ideam.

Quæres 1. An Deus habeat Ideam peccati ?

XXII. Deus habet Ideam peccati materialiter.

RESpondeo cum S. Bonaventura in 1. *Dist. 36. Art. 3. quæst.* 1. Peccatum considerari posse dupliciter ; nimirum *formaliter* sub ratione peccati, & quatenus est carentia rectitudinis debitæ actui ; vel *materialiter* quatenus nimirum est actus positivus & physicè elicitus. Certum est actum illum peccaminosum, & materialiter ac physicè consideratum habere sui ideam in Deo : quia reverà Deus ad productionem physicam illius actus concurrit, cùmque in se realem habeat entitatem, etiam in Deo veram sui debet habere ideam, & similitudinem.

Non formaliter spectati.

Respondeo 2. Peccatum formaliter consideratum, & quatenus est malum morale, nullam sui ideam habere, nec ullatenus esse in Deo, *Quia,* inquit S. Bonaventura laudatus, *omne quod est in Deo, est in illo vel sicut in principio producente, vel sicut in exemplari exprimente, vel sicut in conservante ;* sed nullo modo ex istis mala formaliter sumpta sunt in Deo : Ergo, &c. Probatur *minor,* quia Deus non est principium producens mala formaliter sumpta, seu peccata, ut constat ex Fide : Producere enim peccata est peccare, peccare autem est deficere à rectitudine & deviare à bonitate divina : atqui Deus non potest recedere à sua bonitate, cùm sit bonitas per essentiam : Ergo non potest peccare : Ergo nullo modo potest esse principium producens peccata, seu mala formaliter sumpta. Deus etiam non est exemplar exprimens mala, quia ratio exemplaris attenditur secundùm assimilationem ; Dei autem ad mala nulla est assimilatio. Non est etiam exemplar Deus nisi illorum quæ ipse potest producere : at Deus peccata non producit : Ergo mala formaliter sumpta nullo modo sunt in Deo.

Dices 1. Deus cognoscit intra se mala, quia Deus nihil cognoscit extra se : Ergo mala sunt in Deo. Consequentia patet, quia omne quod cognoscitur in aliquo, est in illo in quo cognoscitur.

Esse in Deo plus dicit quàm cognosci in Deo.

Negat consequentiam S. Bonaventura : Plus enim, inquit, esse in Deo significat, quàm cognosci à Deo, vel in Deo ; nam ad hoc quod aliquid cognoscatur à Deo, vel in Deo, satis est quòd in Deo sit ratio cognoscendi illud : sed ad hoc ut aliquid sit in Deo, requiritur quòd Deus sit exemplar illius : quare licet Deus cognoscat mala in seipso, ex hoc non sequitur quòd mala sint in Deo, quia illa cognoscit per bona opposita, ut ab ipsis bonis deficientia. Ex quô patet quòd in illa consequentia committitur fallacia consequentis, quia arguitur à positione consequentis ad positionem antecedentis.

Dices 2. Omne quod cognoscitur in aliquo, & non per accidens, est aliquo modo in illo sicut in exemplari : sed mala cognoscuntur in Deo, & nõ per accidens, quia Deus nihil cognoscit per accidens, sed omnia cognoscit per se : Ergo mala sunt in Deo.

Quomodo Deus cognoſcit peccatum per accidẽs non ex parte ſui, ſed ex parte cogniti.

Reſpondeo quòd cognoſci per accidens poteſt eſſe dupliciter, aut à parte cognoſcentis, aut à parte cogniti. In Deum nulla cadit cognitio per accidens à parte ipſius Dei cognoſcentis, quia Deus omnia cognoſcit ſeipſo: tamen cadit à parte cogniti utpote mali, quia Deus cognoſcit malum non per ſimilitudinem ſui, ſed per ſimilitudinem boni oppoſiti: ſimilitudo enim eſt principium cognoſcendi ſimile & diſſimile.

Dices 3. Quod cognoſcit aliquid, & illud non cognoſcit per privationem, cognoſcit illud per ſimilitudinem & ideam: ſed Deus cognoſcit mala, & illa non cognoſcit per privationem; quia in Deum nulla cadit privatio, cùm ſit purus actus: Ergo Deus cognoſcit mala per ſimilitudinem & ideam: Ergo mala habent ideam in Deo: Ergo mala ſunt in Deo ſicut in exemplari.

Reſpondeo quòd cognoſcere per privationem fit dupliciter. Aut ita quòd privatio ſit in ipſo cognoſcente, ſicut oculus cognoſcit tenebras quando eſt privatus luce, & nihil videt, Auris cognoſcit ſilentium quando nihil audit: & hoc modo cognoſcere per privationem, dicit imperfectionem, & non convenit Deo, quia Deus nunquam eſt privatus luce, nec cognitione. Aut ita quòd privatio ſit in cognito & non in cognoſcente; ſicut ſi lux haberet cognitionem, per ſeipſam cognoſceret tenebras, quia cognoſceret rem privatam luce, non quòd illa privatio ſit in ipſa luce, ſed in re cognita: & hoc modo cognoſcere per privationem non dicit imperfectionem ex parte cognoſcentis: & hoc modo Deus dicitur cognoſcere mala per privationem, quia cùm ipſe ſit actus purus & lux & veritas, per ſeipſum cognoſcit poſitivè bonum & privativè malum, quia cognoſcit in quo deficiat malum à bono.

Quæres 2. *An Deus habeat Ideas rerum imperfectarum?*

XXII.

Imperfecta formaliter ſumpta non habent ideam:

RESpondet 1. S. Bonaventura ibidem quæſtione 2. Res imperfectas formaliter conſideratas nullam ſui præſupponere ideam; cùm enim imperfectio formalis ſit carentia & privatio alicujus perfectionis debitæ, nulla haberi poteſt in Deo: *Privatio*, inquit, *non eſt ens, nec per conſequens eſt aliquid à Deo factibile, nec aſſimilabile ipſi*: Ergo non habet ideam in Deo, quia idea dicit rationem ſimilitudinis.

Bene tamen entitativè conſiderata.

Reſpondet 2. Imperfecta entitativè conſiderata aliquam ſui ideam habere, *Quia*, inquit, *omnis effectus aſſimilatur ſuæ cauſæ aliqua aſſimilatione*: Ergo illud omne quod eſt à Deo, aſſimilatur Deo: ſed imperfecta materialiter ſumpta ſunt à Deo, quia ut ſic ſunt entitates poſitivæ: Ergo ut ſic aſſimilantur Deo: Ergo ut ſic habent ideam, non quidem imperfectam, ſed perfectiſſimam. Quia ſicut non viventium eſt in Deo idea vivens, & corporalium ſpiritualis, & temporalium æterna: ſic & omnium imperfectorum entitativè conſideratorum eſt idea perfecta, quia idea ſequitur naturam ſubjecti in quo eſt, non autem rei ideatæ à qua ſumit tantùm diſtinctionem repræſentandi, quia diſtinctè illam repræſentat.

Dices: Illa ſolùm habent ideam quæ poſſunt eſſe à Deo: ſed imperfecta, quocumque modo ſumantur, non poſſunt eſſe, nec fieri à Deo; quia *Dei perfecta ſunt opera*, ut dicitur Deuter. 32. Ergo imperfecta nullo modo habere poſſunt ideam.

Qualiter omnia Dei opera ſint perfecta.

Reſpondet Seraphicus Doctor quòd omnia imperfecta quæ habent rationem entis, qualia ſunt materia, partes compoſiti ſub ratione partium, & alia hujuſmodi, ſunt à Deo, ipſique aſſimilantur ſecundùm illam rationem entis, quæ conſequenter dicit aliquam perfectionem: & ideo hujuſmodi imperfecta ſecundùm id quod ſunt, putà quatenus entia, habent eſſe in Deo. *Deinde*, Deus perficit imperfecta v. g. materiam per formam, & partes per totum; quia igitur dat Deus imperfectis eſſe perfectum, ideo omnia Dei opera ſunt perfecta.

Quæres 3. *An eſſe Ideale quod Creaturæ habent in Deo, ſit præſtantius quàm eſſe Entitativum quod habent in ſeipſis?*

XXII.

Eſſe Ideale Creaturarũ præſtantius eſt eſſe entitativo in uno ſenſu.

RESpondet idem Seraphicus Doctor *ibidem art.* 2. *quæſt.* 2. hanc quæſtionem intelligi poſſe dupliciter, ita quòd ſit ſenſus, An res verius eſſe habeant, vel quando ſunt in cognoſcente & producente, vel quando ſunt in ſeipſis: Aut ita quòd quælibet res conferatur cum ſua ſimilitudine quæ eſt in Deo, ut ſit ſenſus, quid habeat eſſe verius & nobilius quàm ipſa res, vel ejus ſimilitudo. His prænotatis.

Dicit 1. Quòd ſi res comparentur ad ſeipſas ſecundùm diverſum modum exiſtendi, tunc verius eſſe habent in proprio genere quàm in Deo. Ratio eſt, quia res verius eſſe habent, ubi ſunt ſimpliciter quàm ubi ſunt tantùm ſecundùm quid: ſed in proprio genere ſunt ſimpliciter, quia ſunt ſecundùm propriam entitatem; in Deo verò ſunt tantùm ſecundùm quid, quia ſunt ſecundùm eſſe cognitum: Ergo, &c. *Inſuper*, res verius eſſe habent, ubi ſunt ſecundùm principia intrinſeca & proxima, quàm ubi ſunt in principio extrinſeco & remoto: ſed in proprio genere ſunt ſecundùm principia intrinſeca; in Deo autem, ut in principio extrinſeco: Ergo, &c.

In alio verò non.

Dicit 2. Quòd ſi quælibet res conferatur cum ſua ſimilitudine, quæ in Deo eſt, tunc ſimilitudo rei verius & nobilius eſſe habet in Deo quàm ipſa res habeat in proprio genere. Ratio eſt, quia in Deo ſimilitudo cujuſlibet rei idem eſt quod ipſa Eſſentia divina.

DISPVTATIO SECVNDA.

DE VOLVNTATE DIVINA.

Distributio hujus Disputationis.

DIVINUM Intellectum lumine sapientiæ ac scientiæ radiantem ordine naturæ sequitur divina Voluntas, fœcunditatis oceanus, libertatis origo, sanctimoniæ sacrarium, virtutum augustale, totius denique boni fons ubertim in omnes effluens. Cujus ut plana plenaque, quantùm humanitùs fieri potest, habeatur ratio, Disputatio præsens distribuenda est tres in articulos: In quorum *Primo* ipsa divina Voluntas generatim delineabitur: In *Secundo* explicabitur ipsius libertas: In *Tertio* denique omnes illius dotes ac præcellentiæ reserabuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Divina voluntate generatim.

Quid significetur nomine *Voluntatis*?

NEMINEM Sapientum latet, nomine VOLUNTATIS, significari vim illam ingenitam substantiæ intellectivæ, quæ prævia cognitione bonum prosequitur, aversatur malum, finem intendit, & media ad ipsius assecutionem convenientia eligit, ordinat, & amplectitur. Ut ergo divinæ Voluntatis perfecta habeatur notitia, tria maximè hoc in articulo proponenda simul, & resoluenda sunt: Primum quidem, an, quid, & quotuplex sit divina Voluntas: Secundum quodnam sit illius objectum, tam primarium quàm secundarium. Tertium denique, quot & quinam sint illius actus.

Articuli distributio.

QUÆSTIO PRIMA.

An, quid, & quotuplex sit Divina Voluntas?

I.

Fide divinâ constat in Deo esse voluntatē.

NOTANDUM 1. Fide supernaturali constare Deum esse voluntate præditum: ipsamet enim Scriptura sacra pluribus encomiis, divinam Voluntatem celebrat, ipseque adorandus Salvator suos Discipulos edocet, ut inter orandum Patrem divinum his verbis interpellent, *Fiat voluntas tua sicut in Cœlo & in Terra:* & inprimis fideles Romanos hortatur Apostolus cap. 12. ut *Probent quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta:* Id ipsum confirmant illa omnia Concilia, quæ adversus Monothelitas duplicem in Christo Domino voluntatem, divinam videlicet, & humanam esse decreverunt. Unde fit, ut nullus absque hæresis labe voluntatem Deo denegare possit. Solùm itaque superest hic resoluendum, an ipsa divina voluntas etiam ratione naturali innotescere possit & demonstrari.

Sed probandum an etiam idem constet ratione naturali

II.

Duplex est divinæ Voluntatis usurpatio nimirum

Notandum 2. Ex S. Bonaventura in 1. *dist.* 45. *art.* 1. *quæst.* 1. divinam Voluntatem in Scripturis sacris usurpari dupliciter, *Propriè* videlicet & *Metaphoricè*: Priori modô significatur ipsa Dei complacentia, & virtus, quâ bonum prosequitur, malum aversatur, & finem intendit: Posteriori modô designatur aliquod æternum ipsius divini beneplaciti signum, quô fit ut Dei præcepta, prohibitiones, consilia, &c. Dei voluntates appellentur; eô scilicet modô, quô testamentum alicujus vocari solet ultima ipsius voluntas. *Rursus* priori modô usurpata voluntas duplex iterum distingui potest, nimirum voluntas quæ est facultas & *potentia volens*; & voluntas quæ est *volitio*, & operatio facultatis volitivæ. Prior dicitur actus primus: Posterior verò actus secundus volitionis appellatur. An autem hæc utraque voluntas in Deo sit admittenda, controversia non levis est inter Authores; quæ ut faciliùs solvatur.

Operativa, & Significativa.

Rursus operativa dicitur, vel facultas volitiva; vel actualis volitio.

III.

Voluntas ut est facultas iterum duplex, alia enim est Notionalis, alia Essentialis.

Notandum 3. Divinam Voluntatem considerari posse dupliciter: Primò quidem *Essentialiter*, & quatenus dicit ordinem ad objectum volitum intra Deum ipsum. Secundò *Notionaliter*, prout dicit ordinem producentis ad productum nimirum ad Spiritum sanctum. Priori modô communis est tribus adorandis Personis: Posteriori verò tantùm Patri & Filio divino convenit: Priori modô, dicitur tantùm operativa: Posteriori verò productiva appellatur, quia reverà est principium, quô Pater & Filius spirant, & producunt Spiritum sanctum. Nullus Theologorum denegat voluntatem divinam Notionaliter usurpatam, habere veram rationem potentiæ; an autem etiam vera potentia sit appellanda, quatenus usurpatur essentialiter, & distinguitur saltem formaliter à volitione actuali, sicut actus primus ab actu secundo, hic est resoluendum; sed priùs sit

CONCLUSIO PRIMA.

VI.

RATIONE *naturali constat Deum habere Voluntatem.*

Ratione naturali demonstratur Deum habere voluntatem.

PROBATUR PRIMÒ à Doctore Subtili in 1. *distinctione* 2. *quæstione* 2. *numero* 10. Primum agens necessariò debet esse intelligens: Ergo debet intellectu, & voluntate esse præditum. *Minor* constat. Probatur *Major*. Primum agens necessariò debet intendere finem, & eligere, ac ordinare media ad illius consecutionem: sed hæc exequi non potest nisi finem cognoscat, & velit; nec hæc exequi nisi habeat intellectum & voluntatem: Ergo utrumque necessariò debet habere. *Major* patet: Tum quia omnis natura tendit in finem, non quidem per

se, sed per directionem Superioris, ac primi Agentis: & consequenter primum Agens debet intendere finem ad quem ipsam naturam dirigit & ordinat. Tum quia primum Agens ordinatè agit, & consequenter suas omnes actiones in finem dirigit. Probatur *Minor*, Primum agens tendit in finem, vel ex naturæ impetu, vel per illius cognitionem & amorem: sed non tendit in finem ex naturæ impetu, hoc enim imperfectionem sonat: Ergo per amorem & cognitionem, adeoque per intellectum & voluntatem.

Secundò: Aliquid causatur contingenter: Ergo prima causa contingenter causat: ergo volens causat. Probatur prima consequentia; Causa secunda non agit nisi in quantum movetur à prima: Ergo dum agit contingenter, necessum est quòd contingenter moveatur. Probatur secunda consequentia, nullum est principium operandi contingenter nisi voluntas, vel aliquid concomitans voluntatem; quod enim aliter operatur, agit tantùm ex necessitate naturæ & ideo non agit contingenter: Ergo causa quæ contingenter operatur, necessariò debet esse volens, adeoque habere voluntatem.

Tertiò: Perfectissimo agenti tribui debet perfectissimus operandi & causandi modus: sed modus causandi per voluntatem longè perfectior est quâm modus agendi per naturam; Agens enim naturale non agit cum dominio suorum actuum, nec seipsum dirigit ad finem, sed ab alio dirigitur, sicut sagitta à sagittario: Agens verò liberum & voluntarium seipsum in finem dirigit, & habet dominium suorum actuum: Ergo hic modus agendi per voluntatem est Deo tribuendus.

V. *Dices* 1. Ex S. Augustino lib. de libero arbitrio: *Voluntas est rationalis motus sensui præsidens & appetitui*: Et in lib. de duabus Animabus, *Voluntas est animi motus ad aliquid prosequendum, vel fugiendum*: sed in Deo non est motus, nec sensus, nec appetitus, nec prosecutio, nec fuga: Ergo nec voluntas.

Respondeo S. Augustinum, intelligendum esse de voluntate creata, non autem de increata, quæ his imperfectionibus non subjacet.

Dices 2. Ibi non est voluntas, ubi non est objectum voluntatis: sed in Deo non est objectum voluntatis: Ergo nec voluntas. Probatur *minor:* Bonum est objectum voluntatis; sicut enim verum est objectum cognitum, ita bonum est objectum volitum: sed in Deo non est bonum ut objectum volitum; Bonum enim & finis idem sunt; nihil autem in Deo potest habere rationem finis: Tum quia Deus non potest habere finem: Tum quia finis est causa realis: in Deo autem nihil habet rationem causæ realis: Tum denique quia, inquit Doctor in 1. d. 1. q. 5. n. 6. *Respectu nullius est causa finalis aliqua, nisi respectu cujus est causa efficiens, quia causalitas causæ finalis est movere efficiens ad agendum*; *Dei igitur ineffectibilis nihil est causa finalis*; quia in ipso nihil dependet ab alio tanquam à causa: Ergo in Deo non est finis; adeoque nec bonum ut volitum; nec consequenter objectum voluntatis; nec proinde in eo est voluntas.

Nego minorem, & ad illius probationem dico, Duplicem distingui posse finem, nimirum finem volitum, & finem volitorum: Prior est in quem tendit agens, posterior est ad quem agens ordinat ea quæ vult; Prior equidem non A est in Deo, quia Deus non tendit in aliquem finem extra se, cùm sit ipse omnium finis non habens finem; sicut est principium omnium absque principio: Posterior autem verè intenditur à Deo, quia omnes Creaturas quæ sunt objecta volita dirigit & ordinat ad seipsum, tanquam ad ultimum omnium finem, seu ut loquitur Doctor laudatus: *Deus agit propter finem effectûs, non propter finem sui; quia non est agens sui*; quod sufficit, ut verè dicatur in Deo esse verum finem tanquam objectum volitum.

Dices 3. Voluntas est ad opposita: sed in Deo non potest esse voluntas ad opposita: Ergo B nec voluntas: *Major* patet ex Philosophia: Probatur *Minor:* Voluntas ad opposita est contingens & variabilis: sed in Deo nulla est contingentia, nec varietas: Ergo, &c.

Respondet Seraphicus Doctor supra laudatus, negando minorem, & illius probationem distinguit, in Deo nulla est varietas nec contingentia in actu, concedit: in effectu, negat. Certum est quidem nullam esse contingentiam in actu divinæ voluntatis: hic enim cùm sit idem realiter cum ipsa voluntate & substantia Dei, non potest ullatenus variari sicut nec ipsa divina voluntas & substantia, sed ab æterno voluntas divina est in uno & eodem actu uniformi volendi quod vult: Sed est varietas, & contingentia in C effectu, multa enim facit Deus quæ posset non facere, & non velle, adeoque illa facit & vult contingenter.

In Deo est varietas, nō quantum ad actum, sed quantum ad effectum.

Dices 4. Voluntas est appetitus naturæ intellectivæ, quô fertur in bonum sibi consentaneum: sed in Deo non est appetitus, quia appetitus est inclinatio ad bonum non habitum, ac proinde supponit carentiam boni appetitum terminantis; in Deo autem nulla est boni carentia, cùm sit ipse summum bonum, & totius boni fons & origo: Ergo nec in Deo est voluntas. VI.

Distinguo majorem: Voluntas est appetitus, hoc est desiderium & prosecutio boni absentis, D nego: Est appetitus, hoc est pondus & tendentia in objectum conveniens, concedo. *Minorem* similiter distinguo, In Deo nequit esse appetitus, quatenus est desiderium boni absentis, concedo: quatenus est pondus, inclinatio, & complacentia in objecto sibi convenienti, nego: Itaque in Deo duplex affirmari potest appetitus, nimirum naturalis, & elicitus: *Naturalis* quidem, quatenus ex propria naturæ propensione velut inclinatur in aliquod bonum sibi conveniens; sic Essentia divina quatenus est principium & radix attributorum, dici potest habere naturalem appetitum & inclinationem ad illa, quia ab eis perficitur, & illustratur: E Item in Patre divino est appetitus & inclinatio ad communicandum se Filio, & in Patre & Filio est appetitus innatus ad communicandum se Spiritui sancto: Omnis enim potentia productiva, naturaliter inclinatur ad productionem sui termini adæquati, maximè quando totam illius fœcunditatem exhaurit. Est etiam in Deo appetitus *Elicitus*, qui præsupponit cognitionem termini talis appetitûs: Deus enim respectu propriæ perfectionis, non solùm habet appetitum innatum, sed etiam elicitum, quia illam cognoscit & diligit: sed hæc inclinatio divina rectiùs appellatur *Complacentia* in bono possesso, quàm *Appetitus*, qui ordinariè fertur in bonum absens.

Qnomodo in Deo sit appetitus naturalis & elicitus.

CONCLUSIO SECUNDA.

VII. Voluntas ut potentia distinguitur ab essentia & volitione.

DIVINA *Voluntas est potentia formaliter distincta tum ab Essentia divina, tum à volitione actuali.* Hæc est Doctoris, ut constat ex iis quæ diximus à simili de Intellectu divino; & suadetur insuper ex eodem in 4. dist. 13. quæstione 1. num. 31. ubi ait, *Deus est simpliciter beatus in operationibus intellectus & voluntatis suæ; non est autem simpliciter beatus in essentia ut est infinita, nisi eam comprehendat: Et sicut intellectus comprehendit videndo, ita voluntas suo modo oportet quòd comprehendat amando, ad hoc quòd sit perfectè beata: & per consequens utraque potentia & uterque actus utriusque potentiæ circa Essentiam divinam ut perfectè se beatificat, erit infinitus.* Quibus Doctor tria edocet: Primum quòd intellectus & voluntas formaliter ab essentia distinguantur: Secundum quòd habeant rationem facultatis & potentiæ operativæ in actu primo: Tertium quod utraque potentia à suo actu formaliter distinguatur, nimirum intellectus ab intellectione, & voluntas à volitione actuali.

Ratio conclusionis proponitur.

Probatur conclusio, illa distinguuntur formaliter quibus competunt prædicata contradictoria: sed prædicata contradictoria enuntiantur de essentia, voluntate & volitione divina: Ergo invicem formaliter discrepant. Major sufficienter probata manet ex iis quæ diximus de distinctione formali attributorum tum inter se, cùm ab Essentia divina. *Minor* verò probatur: Plura namque enuntiantur de voluntate, quæ de volitione & Essentia divina enuntiari nequeunt, putà quòd divina voluntas sit principium immediatum quô processionis Spiritus sancti nec-non & divini amoris, quòd immediatè sit operativa; quæ nec Essentiæ, nec volitioni divinæ per se competunt: Essentia enim divina non est per se immediatum principium processionis Spiritus sancti, nec etiam amoris divini essentialis; similiter volitio divina, seu divinus amor non est formaliter principium amoris & volitionis, sed est ipsemet amor actualis & ipsa actualis volitio.

Dices primò, Ut aliquid habeat rationem potentiæ & actus primi, necessum est ut realiter sit principium productivum actus secundi, & receptivum ejusdem, si talis actus secundus sit immanens: sed divina Voluntas, neque productiva est divinæ volitionis, nec receptiva ejusdem, ut observatum est in prænotatis: Ergo non est etiam potentia & actus primus respectu divinæ volitionis.

Divina voluntas non est productiva, nec receptiva sui actus.

Distinguo majorem: Si talis potentia nedum sit operativa & principium metaphysicum, sed etiam productiva & principium physicum seu productiva actus, concedo: Si tantùm sit operativa, non autem productiva, nego. *Ad minorem*, dico, divinam voluntatem non esse potentiam productivam, nec principum physicè influens in ipsam divinam volitionem, eô scilicet modô quô causæ physicæ suos actus producunt per veram & realem actionem: sed tantùm est potentia operativa & principium metaphysicum, à quo divina volitio emanat immediatè, eô scilicet modô, quô ipsa voluntas & omnia divina attributa emanant ab essentia. Unde non debet esse receptiva ejusdem volitionis, utpote quæ ab ipsa voluntate non realiter, sed

A formaliter solùm distinguatur. Cætera quæ hanc adversus conclusionem possent objici, jam soluta sunt in conclusione prima Disputationis de divino Intellectu, in qua probatum est ipsum divinum intellectum formaliter, tum ab Essentia, tum ab actuali intellectione esse distinctum.

CONCLUSIO TERTIA.

VIII. Divina Voluntas 1. Dividitur in voluntatem Beneplaciti, & Signi.

VARIA *est & multiplex divinæ Voluntatis divisio.* Primò namque dividitur in Voluntatem *Beneplaciti* & voluntatem *Signi.* Prior est voluntas realiter existens in Deo, quâ prosequitur aliquod bonum, vel malum aversa- B tur. Posterior verò non est in Deo realiter; sed est effectus aliquis creatus significans & connotans voluntatem Dei, eô modô, quô testamentum dicitur ultima voluntas hominis testatoris. Utraque hæc divina voluntas celebratur in Scriptura sacra: Prior quidem significatur his contextibus. Psalmo 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Et Rom. 12. *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona beneplacens, & perfecta, &c.* Posterior verò significatur his verbis Psalmo 110. *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus.*

Rationes hujus divisionis proferuntur.

Hujus autem divisionis hanc rationem profert sanctus Bonaventura in 1. *dist.* 45. *art.* 3. C *quæst.* 1. Sicut non absurdè intellectus dicitur vis intellectiva, & ipsius objectum dicitur intellectum; ita voluntas dicitur non solùm ipsa potentia volendi, sed etiam ipsum objectum volitum: sed volitum est signum voluntatis: Ergo præter voluntatem beneplaciti est etiam assignanda voluntas signi.

Deinde divina voluntas, vel accipitur propriè pro facultate volitiva, vel impropriè & metaphoricè pro re volita: Priori modô, designatur voluntas beneplaciti: Posteriori verò voluntas signi.

Denique divina voluntas est, vel quâ Deus vult, vel quod Deus vult: Voluntas quâ Deus vult, est voluntas beneplaciti; voluntas seu volitum quod vult, est voluntas signi. Cùm D enim divinam voluntatem per se non cognoscamus, sed tantùm per objecta volita: hæc objecta volita rectè dicuntur signa internam voluntatem manifestantia; adeoque rectè appellantur voluntates signi, vel potiùs signa manifestativa divinæ voluntatis.

Hæc autem divisio non fit secundùm rem, sed secundùm vocem; ita quòd nomen divinæ voluntatis, tam potentiæ volitivæ, quàm objecto volito tribuatur; illi quidem propriè, huic verò solùm metaphoricè, & propter similitudinem quæ est inter signum voluntatis nostræ & divinæ. Sicut enim præceptio est si- E gnum naturale nostræ voluntatis, ita & divinum præceptum v. g. dicitur esse signum naturale voluntatis divinæ.

IX. 2. In voluntatem Antecedentem & Consequentem.

Hæc utraque voluntas varias rursus patitur subdivisiones: Voluntas enim beneplaciti subdividitur in *Antecedentem* & *Consequentem:* Voluntas Antecedens illa communiter dicitur, quam Deus habet ex se solo & ex nativa sua inclinatione circa objectum quatenus non est vestitum omnibus circunstantiis, quibus est executioni demandandum: Consequens verò illa est, quam Deus ex se solo non habet, sed ex præsuppositis aliquibus circunstantiis, quibus

sublatis, objectum non vellet: Sic v. g. per voluntatem antecedentem Deus vult omoes homines salvos fieri, non attendendo ad eorum merita, sed quia omnes homines condidit & ordinavit ad gloriam, tanquam eorum ultimum finem. Per voluntatem verò consequentem vult solùm efficaciter salvare justos, impios verò vult damnare eò quòd illi usurpârint media congrua ad beatitudinem consequendam, hi verò non.

Explicatur voluntas Antecedens & Consequens.

Hanc utramque voluntatem sic explicat S. Thomas 1. part. quæstione 19. art. 6. ubi cum dixisset Voluntatis divisionem in antecedentem & consequentem, non accipi ex parte ipsius divinæ Voluntatis, in qua nihil est prius, vel posterins, sed ex parte volitorum: subdit, *Considerandum est unumquodque secundùm quod bonum est, sic est volitum à Deo: Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione (secundùm quod absolutè consideratur) bonum vel malum; quod tamen, prout cum aliquo adjuncto consideratur (quæ est consequens consideratio ejus) è contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum, & hominem occidi est malum, secundùm absolutam considerationem; sed si addatur circa aliquem hominem quod sit homicida, vel vivens in periculo: Sic bonum est eum occidi, & malum est eum vivere: Vnde potest dici quod judex justus antecedenter vult hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundùm exigentiam suæ justitiæ.*

Hæc autem divisio in volontatem Antecedentem; & Consequentē, non accipitur ex parte volontatis divinæ, in qua reverà nihil est prius, nec posterius: sed ex parte rei volitæ, quæ potest considerari; vel secundùm se, & quatenus præscindit ab omnibus circunstantiis; vel secundùm quod habet adjunctas circunstantias. Cùm autem consideratio rei secundùm se, dicatur prior consideratione rei secundùm suas circonstantias; idcirco divina Voluntas quatenus terminatur ad res consideratas secundùm se, dicitur *Antecedens*; quatenus verò terminatur ad res quatenus habent adjunctas suas circunstantias, dicitur voluntas *Consequens*.

X.

3. In Voluntatem Efficacem & Inefficacem.

Rursus voluntas beneplaciti subdividitur in *Efficacem* & in *Inefficacem*. Voluntas efficax illa nominatur, quæ semper effectum exequitur, & finem intentum obtinet: Inefficax verò quæ nec effectum volitum habet, nec intentum finem assequitur: Sic voluntas salvandi omnes homines, est efficax ex parte Prædestinatorum, & inefficax ex parte Reproborum.

4. In Absolutam & Conditionatam.

Insuper voluntas beneplaciti alia est *Absoluta*, alia *Conditionata*: Prior versatur circa objectum sine suppositione ullius conditionis; sic Deus absolutè vult perseverantes in gratia finali, donari gloriâ æternâ: Conditionata verò voluntas fertur in existentiam, aut non existentiam objecti ex suppositione alicujus conditionis; sic Deus vult omnes homioes salvos fieri, ex hypothesi quod ipsi velint, & ad salutem assequendam ordinata media congrua usurpent.

XI.

Voluntas signi est quintuplex.

Voluntas Signi etiam dicitur multiplex, sed maximè quintuplex secundùm diversa quinque signa, internam Dei voluntatem manifestantia, quæ sunt, præceptio, prohibitio, consi-
A lium, permissio, & impletio, seu operatio: quæ omnia hoc versiculo explicaotur.

Præcipit, & prohibet, permittit, consulit, implet.

Hujus Divisionis. 1. Ratio à S Bonaventura.

Hujus divisionis congruitatem assignat sanctus Bonaventura in Compendio Theologico *lib.* 2. *cap.* 32. His verbis: *Voluntas divina propriè loquendo, aut præsentium, aut futurorum est. Si respectu præsentium; aut id est bonum, & sic est* Impletio: *aut malum, & sic est* Permissio. *Si respectu futurorum, sic est triplex. Aut malum, & sic est* Prohibitio: *Aut bonum necessarium, & sic est* Præceptio: *Aut bonum supererogationis, & sic est* Consilium.

2. Ratio à S. Thoma.

Sanctus Thomas autem prima part. quæst.
B 19. art. 12. hujus divisionis congruitatem colligit hoc modo. *Signa voluntatis dicuntur ea quibus consuevimus demonstrare nos aliquid velle. Potest autem aliquis declarare se aliquid velle, vel per seipsum, vel per alium: Per seipsum quidem in quantum facit aliquid, vel directè, vel indirectè & per accidens. Directè quidem cum per se aliquid operatur; & quantùm ad hoc dicitur esse signum,* Operatio: *Indirectè autem in quantùm non impedit operationem, & quantùm ad hoc dicitur signum,* Permissio. *Per alium autem declarat se aliquid velle, in quantum ordinat alium ad aliquid faciendum, vel necessaria inductione, quod fit* Præcipiendo, *quod quis vult;*
C *&* Prohibendo *contrarium; vel aliqua persuasoria inductione, quod pertinet ad* Consilium.

3. Ratio ex Alensi.

Alensis verò *quæst.* 36. *membro.* 1. ita hæc signa colligit: *Voluntas divina, aut respicit actum dum fit, aut dum est faciendus: Si dum fit, aut iste actus est bonus, aut malus: Si bonus, ejus* Operatio *est signum voluntatis divinæ: Si verò dum est faciendus, similiter iste actus faciendus aut est bonus aut malus: Si malus, sic* Prohibitio *illius est signum divinæ Voluntatis: Si bonus, aut est necessarius ad salutem & sic* Præceptio *illius est signum divinæ Voluntatis; aut non est necessarius, sed tamen conferens saluti, & sic* Consilium *illius est signum Voluntatis divinæ.*

4. Ratio ex Doctore Subtili.

D Denique Doctor Subtilis in 1. *d.* 47. *num.* 2. ut hæc quinque signa colligat, quædam censet esse præsupponenda. PRIMUM quidem, in nobis duplicem esse actum voluntatis, & utrumque positivum: nimirum volitionem & nolitionem, qui dum versantur circa idem objectum, dicuntur contrarii; & significantur per *Amare* & *Odisse*. SECUNDUM est hunc utrumque actum esse, vel efficacem, vel inefficacem: *Volitio efficax* ea dicitur, quâ media ordinamus, & contendimus quantùm in nobis est, ut fiat volitum. Inefficax autem seu remissa est, quâ vellemus quidem objectum vo-
E litum fieri & existere: sed tamen nolumus applicare media necessaria ad illius effectionem & existentiam. Similiter *Nolitio efficax* ea dicitur, quâ applicamus media requisita ad impediendam rei effectionem & existentiam, aut ea reverà applicaremus si essent in nostra potestate: *Inefficax* autem nolitio ea est, quâ quis reverà nollet rem aliquam esse, nihilominus non applicat media congrua ad impediendam illius existentiam. His præsuppositis.

Respondet Doctor: Signum efficacis volitionis, si fiat immediatè à voluntate, est *Impletio*: Si per alterum, est *Præceptum*: Volitionis autem remissæ signum est *Consilium* sive monitio, & persuasio. Similiter signum nolitionis efficacis

efficacis est prohibitio : inefficacis autem & remissæ est permissio.

Dices 1. Sigoum & signatum sunt correlativa : Ergo ubi uoum non est moltiplex, nee multiplex potest esse aliod, ut ait Aristoreles; At volontas Dei non est multiplex, sed una : Ergo unum tantùm debet habere signum, & consequenter non sunt quinque sigoa divinæ Voluntatis.

Quare sint plura signa unius voluntatis.

Distinguo minorem : Divina voluntas non est multiplex secundùm entitatem interoam, concedo : secundùm connotationem externam, nego : multa enim counotat in Creatura, nam per præceptum, connotat necessaria ad salutem; per consilium connotat tendentiain ad bonum magis conveniens, & sic de cæteris.

Dices 2. Sicut præcepto oppooitur prohibitio; ita consilio opponitur dissuasio : Ergo sicut prohibitio est signum Voluntaris divinæ, ita & dissuasio : & consequenter sunt plura signa quàm quinque.

XII. *Nego consequentiam :* Consilium enim comprehendit suasionem & dissuasionem : dissuadere enim matrimonium Verbi gratiâ, est consulere ac suadere Virgioitatem; & sic dissuasio non est signum distinctum à consilio.

Cur dissuasio non sit distincta à Consilio.

Dices 3. Dispositio, quâ Deus sese præparat ad aliquid faciendum quasi vellet illud ad perfectum perducere, quod tamen non vult, est signum divinæ Voluntatis : sed ista voluntas præparationis non comprehenditur sub ullo ex assignatis quinque signis divinæ Voluntatis : Non quidem sub præcepto, prohibitione, consilio, & permissione; qoæ enim quis præcipit, prohibet, consulit, permittit, non dicitur velle facere, sed velle ab alio fieri, aut non fieri, vel nolle impedire quin ab alio fiant : neque etiam est voluntas; quæ dicitur opus vel impletio, quia operans jam non præparat opus, sed facit illud : Ergo sunt plura signa quàm qoioque.

Nec dispositio seu præparatio à voluntate antecedente.

Nego majorem : Illa enim voluntas præparationis, quam Estius in 1. dist. 45. admittit pro sexto signo, nihil aliud est quàm volontas antecedens quâ Deus vult aliquid in sua causa cum ita disponit & præparat, ut ex illa effectus sequi possit : Voluntas autem antecedeos non est volnntas signi, sed voluntas beneplaciti, ut probabimus infra agendo de voluntate Dei, qoâ vult omnes homines salvos fieri, quam voluntatem præparationis idem Estius appellat.

Quæres 1. *an Voluntas Signi semper correspondeat volnntati Beneplaciti : seu an præfata quinque signa semper designent aliquem actum positivum divinæ Volnntatis?*

XIII. AFfirmo cum subtilioribus Doctoris Subtilis Discipulis, idque constat apertè de operatione : siqoidem Deus *Omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ*, ot loquitur Apostolus ad Ephesios 1. illud autem voluntatis consilium haud dubié per operationem tanquam causa per effectum significatur : Similiter præceptum & prohibitio important actum, non solùm quô Deos vult aliquid præcipere & prohibere, sed etiam quô vult efficaciter quantùm ex se, illud fieri, aut non fieri quod præcipit, aut prohibet. Idem patet de consilio, licet enim Deus nolit hominem obligare ad id exequendum qood fieri consulit, tamen efficaciter quantùm ex se est vult fieri quod consulit : ad id namqoe implendum consilium media necessaria subministrat.

XIV. Quantùm autem ad *Permissionem*, major revera videtur difficultas, in qua solvenda Doctor supra laudatus *in* 1. *dist.* 47. hæret omnino dubius. Cùm enim dixisset permissionem nihil aliud esse quàm volitionē inefficacem Dei: nihilominus quia hæc nolitio videtur afferre aliquam tristitiam nolenti, ut accidit in nobis dum illud evenit quod nollemus fieri & existere; vel saltem aliquid imperfectum & superfluum hæc nolitio adstrueret : Idcirco divinam permissionem alio modo explicat, dicendo illam consistere in negatione volitionis ponendi obicem & impedimentum rei, quæ dicitur permissa quam Deus cognoscit fieri, & absolutè posset impedire, si vellet, nec tamen vult impedire.

Utrum permissio designet actum positivum in Deo. problematicè disputat Doctor.

Deinde sibi objiciens Doctor, qoòd hac ratione Deus diceretur volens sinere & permittere quod permittit; ac proinde hæc permissio videretur semper importare actum divinæ voluntatis.

Respondet Doctor negando consequentiam, *Quia*, inquit, *quod dicitur volens sinere, hoc potest intelligi, non quod habeat velle rectum circa illud quod permittit, sed actum reflexum. Offertur enim voluntati suæ hunc peccaturum, vel peccare, primò voluntas ejus circa hunc non habet velle; velle enim ipsum habere peccatum non potest. Secundò potest intelligere volnntatem suam non volentem hoc: & tunc potest velle voluntatem suam non velle hoc : & ita dicitur volens sinere, & voluntariè permittere. Sicut ex alia parte, præsentato sibi Iuda, primò Deus habet non velle sibi gloriam, & non primò nolle, secundùm illam ultimam positionem dist.* 41. *& potest tunc secundò se reflectere super istam negationem actus, & velle eam : & ita volens sive voluntariè non eligit Iudam finaliter peccaturum, & non nolitionem gloriæ, sed non volitionem gloriæ.*

Dico itaque ad evidentiorem rei explicationem, duplicem distingui posse divinam permissionem, *Physicam* nimirum & *Moralem*. Moralis est, quâ non ponitur impedimentum morale actui faciendo, scilicet præceptum, consilium, prohibitio & cætera similia: Hæc autem moralis permissio non videtur esse actus positivus divinæ Voluntatis, sed tantùm ad illam sufficit noo positio præcepti, aut consilii, aut signi; hôc enim ipsô, quô Deus aliquid non præcipit, nec consulit, nec prohibet faciendum, moraliter videtur illud permittere. Permissio verò Physica ea est, quâ Deus non ponit impedimentum physicum actui faciendo : quæ permissio est vel respectu simplicis omissionis actus, & ad hanc permissionem sufficit negatio concursus ad actum oppositum illi omissioni : vel est respectu actus positivi, & hæc necessatiò reqoirit voluntatem positivam Dei, quia nullus actus positivus potest esse absque concursu Dei positivo : hic autem concursus neqoit esse absqoe positiva Dei volitione. Uode permissio respectu actus positivi semper connotat & præsupponit actum positivum Dei voluntatis.

Permissio duplex Physica & Moralis.

Prima respicit vel omissionem, vel positionem actûs.

contra voluntatem Dei : & consequenter quâ potest peccare, sed cum libertate essentiali, seu radicali & entitativa ipsius voluntatis, quæ est facultas semper ex se entitativè & intrinsecè, ac radicaliter remanens libera; etiamsi interdum ab alio extrinseco ita necessitetur, & efficacitet alliciatur ad ejus amorem, ut nec ab eo amando possit cessare, nec oppositum amori actum, nempe odium, circa illud objectũ elicere.

Conclusio Prima.

IV. Deus seipsum diligit primariò.

DEus *seipsum diligit primariò, & comprehensivè propter suam bonitatem essentialem.* Hæc conclusio tres habet partes, quarum.

B Probatur prima : Ille seipsum diligit primariò, qui sibi ipsi est objectum adæquatum volitionis, & amoris : Atqui Deus sibi ipsi solum est objectum adæquatum amoris, & volitionis : Ergo, &c. *Major* constat, quælibet enim facultas per se primò tendit in suum objectum adæquatum. *Minor* pariter est evidens: objectum enim adæquatum infinitæ voluntatis necessariò debet esse omnimodè infinitum, adeoque cùm divina voluntas sit infinita, debet habere objectum adæquatum omnimodè infinitum : nihil autem omnimodè est infinitum præter Deum : Ergo sicut est objectum adæquatum sui Intellectus sub ratione veri infinitè intelligibilis ; ita pariter est objectum adæquatum suæ voluntatis sub ratione boni infinitè amabilis.

Deinde: Illud est objectum primarium divinæ Voluntatis, propter quod & in quo Deus omnia alia diligit : sed Deus, ut probabitur in quæstione sequenti, omnes Creaturas, in se, & propter se diligit : Ergo seipsum primariò diligit.

Denique; Deus est Sanctus, Beatus, & Infinitus : sed non esset talis, nisi seipsum primariò diligeret : Sanctitas enim est immediata conjunctio cum Deo per amorem appretiativum, quô omnia propter Deum, & Deus super omnia diligitur : Beatitudo verò, est summa & absoluta possessio ac fruitio summi boni per cognitionem, & amorem intimum ac immediatum : Si enim non esset amor intimus, illa possessio non esset fruitio boni, nemo enim fruitur bono absente : Similiter si non esset immediatus, objectum non esset beatificativum per se, sed per aliud, & consequenter Deus in seipso, & per seipsum non esset beatus. Insuper infinitas requirit intimam & immediatam omnem perfectionem simplicem : amor autem immediatus Dei est perfectio simplex; præstantius enim est Deum diligere immediatè & in se, quàm mediatè, & in alio: Ergo Deus seipsum primariò diligit.

V. Et comprehensivè.

Secunda pars per se patet : Nempe quòd *Amor, quô Deus seipsum diligit, sit comprehensivus.* Ille enim amor est comprehensivus, qui ita perfectus est in ratione amoris, ac objectum perfectum in ratione amabilis, quique sese extendit ad ea omnia quæ in objecto sunt amabilia: Sed hujusmodi est amor Dei erga seipsum, ita namque perfectus est in ratione amoris, ac objectum est perfectum in ratione amabilis, cùm utrumque sit infinitè perfectum; sese pariter extendit ad omnia quæ in Deo sunt amabilia, nimirum ad essentiam, attributa, & Personas divinas : & consequenter ille amor

A verè est comprehensivus.

Propter suam bonitatem essentialem.

Probatur tertia pars : Nempè quòd bonitas essentialis Dei sit ratio primò motiva ad sui amorem. Tum quia eo modo divina Voluntas se habet ad suum objectum amabile sicut intellectus ad cognoscibile: Sed veritas essentialis est objectum primò motivum divini Intellectus : Ergo etiam essentialis bonitas est objectum primum motivum divinæ Voluntatis.

Deinde; Illud primò movet divinam Voluntatem ad amorem, quod per se primò apprehenditur à divino Intellectu ut amabile, objectum enim voluntatis est bonum apprehensum : Sed bonitas essentialis per se primò apprehenditur ab Intellectu divino; essentia namque divina, & prædicata essentialia priùs concipiuntur quàm attributa, & cætera alia quæ divinam Essentiam circunstant: Ergo, &c.

Denique: Si quid aliud assignari posset pro objecto primò motivo divinæ voluntatis : maximè vel aliquid intra, vel aliquid extra Deum: sed neutrum dici potest. *Non quidem aliquid extra Deum* : Tum quia divina Voluntas vilesceret, si ab aliquo alio extra se posset primò moveri, ut jam à simili dictum est de divino Intellectu: Tum quia sequeretur divinam Voluntatem pendere ab aliquo extrinseco, quod divinæ in-

C dependentiæ omnino repugnat : Tum denique, quia creaturæ non habent rationem objecti primò motivi divinæ Voluntatis, ut fusiùs sequenti quæstione probabitur. *Non etiam secundum*: Cùm enim divina Essentia sit naturâ prior iis omnibus quæ illam circunstant per modum proprietatis perfectivæ, aut relationis personalis, ab illis suam essentialem perfectionem non accipit, imò potius, est earum radix & origo: & consequenter ab illis non potest accipere vim terminandi divinam Voluntatem : nec illæ proprietates perfectivæ aut relativæ possunt esse rationes propter quas divina Voluntas Essentiam divinam amore prosequatur.

VI. Non verò attributalem.

Quibus patet *Bonitatẽ Attributalem*, non posse

D habere rationem objecti primò moventis : Tum quia illa præsupponit bonitatẽ essentialem à qua emanat : Tum quia cùm sit speciale attributum, omnia quæ in Deo sunt non continet virtualiter ac eminenter, sed solùm realiter & identicè; scilicet propter suam identitatem realem cum ipsis. Essentia autem divina ratione suæ bonitatis & perfectionis essentialis, nedum identicè, sed etiam virtualiter, eminenter, & radicaliter, in suo formali conceptu continet omnem omnino perfectionem, sive essentialem, sive attributalem, sive relativam. Adeoque sola bonitas essentialis habere potest rationem objecti adæquati & primò moventis divi-

E nam Voluntatem ad sui amorem.

Dices 1. *Si* Deus seipsum amaret, vel ille amor esset amor amicitiæ, vel amor concupiscentiæ : sed neutrum dici potest. Non quidem primum, quia amor amicitiæ est ad alterum, adeoque non potest Deus hunc amorem habere erga seipsum : Non etiam secundum, quia amor concupiscentiæ versatur circa bonum utile, aut jucundum, non autem circa bonum honestum; Deus autem non potest aliquid amare solùm propter utilitatem & jucunditatem, sed solùm propter illius honestatem, dignitatem, & excellentiam : Ergo Deus non potest seipsum diligere.

Nego minorem: Deus enim reverà seipsum

Amor Dei erga seipsum est amor amicitiæ saltem improprius.

diligit amore amicitiæ saltem Improprio, & quatenus est voluntatis complacentia in bono sibi proprio quô re. era dignus est. Nec refert quod hic amor non habeat redamationem quâ fit ut persona amata amantem diligat; quia hæc redamatio perfectæ tantùm amicitiæ est complementum, quam equidem Deus non habet erga seipsum, licet divinæ Personæ eam habeant ad invicem, quippe cùm mutuo amore, licet indistinctò, sese prosequantur.

Dices 2. Si Deus seipsum amaret comprehensivè, etiam suum ipsum amorem diligere deberet: sed hoc fieri non potest: Ergo nec seipsum comprehensivè amare. *Major patet:* Amor enim comprehensivus terminari deberet ad id omne quod est in Deo, & consequenter ad seipsum etiam terminaretur. *Probatur minor:* Si divinus amor ad seipsum tanquam ad objectum amabile terminaretur, Deus suum diligeret amorem; idque vel per eundem amorem, vel per alium: Si per eundem, ergo idem amor erit directus & reflexus: *Directus* quidem, in quantùm tendit in essentiam divinam; *Reflexus* verò quatenus ad seipsum terminatur: & sic hæc propositio esset vera; *Deus amat amorem amoris sui*, quod videtur ridiculum. Si per alium, ergo admittentur infinitæ reflexiones amoris: Si enim diligit amorem suum per alium amorem, hic secundus amor diligetur per tertium, & sic in infinitum: Ergo Deus non potest suum amorem diligere, nec consequenter illius amor est comprehensivus.

VII. *Nego minorem:* Verè enim Deus seipsum amando comprehensivè, etiam ipsum suum amorem idem ipsi identificatum diligit; idque per eundem amorem directum formaliter, quatenus tendit in essentiam divinam divinasque perfectiones; sed virtualiter reflexum, quatenus videlicet idem actus infinitus amoris æquivalet duobus actibus amoris finiti, directo nimirum, & reflexo. Unde fit ut in Deo sit mirabilis ille divini amoris circulus, quô Deus ex bono in bono ad bonum conversione perpetua seipsum agit, & redit in seipsum divinus amor. Quam divini amoris miram circulationem, ita explicat S. Dionysius libro de divinis Nominibus cap. 4. *Fine & principio se carere divinus amor excellenter ostendit, tanquam sempiternus circulus: propter bonum ex bono, in bono & ad bonum indeclinabili conversione circumiens; & in eodem, & secundum idem, & procedens semper, & manens, & remeans.*

Mira divini amoris circulatio.

Dices 3. Si divina bonitas essentialis esset ratio primò motiva divini amoris, etiam deberet esse ratio divinæ voluntati volendi alia quæ sunt in Deo sub ratione finis illorum: sed bonitas essentialis nequit esse ratio motiva voluntatis divinæ sub ratione finis aliorum quæ sunt in Deo; Divinæ enim proprietates & perfectiones non ordinantur ad essentiam divinam, ut ad suum finem; *Quia*, inquit Doctor in 1. dist. 1. q. 5. *Nullius est causa finalis aliqua, nisi respectu cujus est causa efficiens; quia causalitas causa finalis est movere efficiens ad agendum:* Ergo cum divinæ perfectiones non habeant causam efficientem, nec etiam habere possunt causam finalem, & consequenter non possunt ordinari ad essentiam divinam tanquam ad finem.

VIII. *Nego minorem:* Ut enim aliquid ordinetur ad aliud tanquam ad finem, oportet primò, ut sit

A à fine distinctum realiter, secundò ut habeat rationem medii ordinabilis ad finem, tertiò, ut intendatur à volontate, & referatur ad finem: Divinæ autem proprietates, & perfectiones cum à bonitate essentiali non distinguantur realiter, sed solùm formaliter; idcirco nec habere possunt rationem medii ordinabilis ad hanc bonitatem, nec à Deo possunt intendi & ordinari ad hanc ipsam bonitatem essentialem tanquam ad finem. Unde non est necesse quòd bonitas essentialis habeat rationē finis respectu divinarum proprietatum; sed sufficit quod ab ea effluant metaphysicè, & ad ipsam referantur

Tria requiruntur ut aliquid ad aliud tanquam ad finem ordinetur.

B tanquam ad fontalem rationem suæ emanationis; cùm enim ipsa essentialis bonitas sit earum fons & origo, etiam rectè statuitur primarium motivum, cur illæ divinæ perfectiones à Deo diligantur.

CONCLUSIO SECUNDA.

IX. DEUS *seipsum amat necessariò, & liberè libertate essentiali.* Hæc est Doctoris pluribi; sed maximè q. 16. *quodlib. art.* 1. & 2. Primam partem sic probat Doctor: Deus est necessariò beatus, igitur necessariò videt, & diligit objectum beatificum: sed ipse est objectum beatificum: Ergo seipsum necessariò videt &

Deus seipsum amat necessariò.

C diligit. *Major* patet: Cùm enim Deus sit summum bonum, & infinitè perfectum, etiam debet esse beatissimus. Beatitudo enim est status omnium bonorum adunatione perfectus.

Deinde: Si Deus seipsum non diligeret necessariò, esset mutabilis: sed falsum consequens: Ergo & antecedens. Probatur sequela *majoris*. Si non diligat se necessariò, potest se diligere vel non diligere; Illius enim amor sui, si non sit necessarius, est contingens; sicque potest esse vel non esse: Sed qui potest se diligere, vel non diligere, est intrinsecè mutabilis; vel enim nusquam se diliget actu, sed erit semper in potentia & indifferentia ad diligendum se, vel

D non diligendum, quod actui puro, qualis est Deus, absolutè repugnat: vel aliquando se diliget, cùm tamen potuerit ab æterno se non diligere, & sic mutabitur: Intelligi enim non potest, qualiter idem Deus eodem modo perseverans, possit seipsum diligere & non diligere.

Nec dicas, quòd idem Deus manens idem omnino, Creaturas actu existentes nunc diligat, quas tamen ab æterno potuit non diligere, cum potuerit earum existentiam non decernere. Ergo seipsum similiter potest absque ulla mutatione diligere actu, licet ab æterno fuerit indifferens ad sui amorem.

E *Respondeo* enim non esse paritatem: & ratio disparitatis est, quòd ut Creaturæ de non dilectis fiant dilectæ, aliqua interveniat in eis mutatio, quâ fit ut Deus dicatur eas diligere; fiunt enim de possibilibus futuræ, & de futuris existentes per hunc divinum amorem: Si enim eas Deus non diligeret, non essent nunc aliter quàm erant ab æterno: Unde hæc amoris mutatio, non in ipsum Deum, sed in ipsas Creaturas est refundenda, ut iam sæpe dictum est. Sed si Deus seipsum actu diligeret cum potuisset ab æterno seipsum non diligere; hæc mutatio non in aliquid externum, sed in ipsum Deum caderet; ut enim Deus de non amante dicatur amans, oportet ut interveniat aliqua mutatio, vel in ipso amante, aut in re amata. Cùm

igitur Deus in dilectione sui simul esset amans & amatum, si aliqua in hoc amore intercederet mutatio, tota in ipsum Deum esset refundenda: Ergo cùm in Deum nulla cadat intrinseca mutatio; necessum est ut seipsum necessariò diligat quantùm ad exercitium.

Denique, amare infinitum bonum, est summa perfectio: Ergo amor infiniti boni necessariò Deo convenit. Constat antecedens; Sicut enim cognoscere intuitivè summum intelligibile, est summa perfectio intellectûs; ita diligere summum diligibile, est summa perfectio voluntatis. Consequentia etiam patet. Deus enim cùm sit perfectissimus, in se necessariò complectitur omnimodam perfectionem, & consequenter necessariò involuit amorem infinitum circa seipsum. *Confirmatur:* Non est contradictio, inquit Doctor, quòd voluntas infinita habeat actum infinitum circa objectum infinitum, & per consequens actum necessarium, & etiam necessariò; quia si posset non habere talem actum circa tale objectum, posset carere summa perfectione.

X. Liberè tamen libertate saltem essentiali.

SECUNDAM PARTEM Sic probat Doctor ibidem *Art.* 2. Eadem facultas quæ liberè operatur circa media, etiam liberè tendit in finem, ad quem & propter quem illa media ordinat: sed voluntas divina liberè vult & amat media, quæ ad suam bonitatem essentialem ordinat: Ergo & in illam bonitatem essentialem liberè tendit. *Majorem* probat Doctor authoritate Philosophi 2. *de Anima* dicentis, quòd potentia quâ cognoscimus differentiam unius objecti ab alio objecto ordinato ad prius objectum, operativa sit eodem modo circa utrumque objectum; ut patet de sensu communi, qui versatur circa sensibile commune, & circa sensibile particulare ordinatum ad commune. *Minorem* probat, nimirum quòd Deus media ordinata ad suam bonitatem essentialem liberè velit: *Quia:* inquit, *contingenter vult illa: sed contingentia in agendo reducitur ad primum non naturaliter activum, sed liberè; igitur ipsa sub ratione potentiæ liberæ vult bonitatem suam.*

Deinde, actio circa finem ultimum, est actio perfectissima, cujus libertas in agendo est summa perfectio intrinseca: igitur quæcumque extrinsecé accidat necessitas, non auferet illam perfectionem.

Denique, conditio intrinseca potentiæ, vel ipsi absolutè conveniens, vel in ordine ad actum perfectum, non repugnat cum perfectione in operando: sed libertas vel est conditio intrinseca voluntatis absolutè, vel in ordine ad actum volendi: igitur ipsa libertas potest stare cum conditione perfecta possibili in operando: Sed talis conditio perfecta possibilis in operando est ipsa necessitas, quando nimirum non intervenit contingentia in operatione: Ergo hæc necessitas non tollit libertatem; adeoque licet Deus necessariò suam bonitatem diligat, nihilominus in eam liberè fertur libertate essentiali.

Adde quòd illa facultas liberè fertur in objectum, quando ei proponuntur motiva ut sese determinet circa illud objectum: sed voluntati divinæ proponuntur motiva ab intellectu divino quibus feratur circa bonitatem divinam: Ergo in illam fertur liberè. *Major* patet; in hoc enim agens liberum ab agente naturali discrepat, quòd priori proponantur motiva, quibus sese determinet ad operandum taliter aut taliter, circa tale, aut tale objectum. Posteriori verò non ita; sed naturali suo pondere & ingenita activitate absque ulla deliberatione operatur, & in objectum suum tendit.

Dices 1. Liberum & necessarium opponuntur: Ergo si Deus suam bonitatem non amet necessariò, non amat liberè.

XI. Liberum & necessariũ non opponuntur in mente Doctoris.

Distinguunt aliqui antecedens, necessarium opponitur libero quoad specificationem & exercitium, concedunt: opponitur libero essentialiter, negant. Verùm Doctor absolutè negat antecedens; Liberum enim opponitur naturali agendi modo, & necessarium opponitur contingenti, & *Si quæras*, inquit Doctor supra laudatus, *quomodo stare possit necessitas cum libertate?* Respondet secundùm Philosophum 4. Metaph. cap. 29. *Non esse quærendam rationem eorum quorum non est ratio, demonstratio enim principii non est demonstratio: Ita dicendum hic, quia sicut ista* propositio *est immediata & necessaria*, voluntas divina vult bonitatem suam; *nec est alia ratio nisi quia hæc est talis voluntas, & illa talis est bonitas: Sic voluntas divina contingenter vult bonitati suæ ordinationem alterius boni; Non alia ratione, nisi quia est talis voluntas, & illud est tale bonum.*

Subjicit tamen hanc rationem, quare divina libertas simul sit cum necessario amore divinæ bonitatis; Quia, inquit, voluntas infinita necessariò habet actum circa objectum infinitum, quia hoc est summa perfectio in ipsa voluntate; habet autem actum non necessarium, sed liberum circa objectum finitum ordinatum ad ipsam divinam bonitatem: & consequenter, in eodem actu quô suam bonitatem diligit, & cætera diligit propter illam, est simul necessitas cum libertate. *Addit*, quòd sicut Agens naturale potest aliquando contingenter agere, quia nempe impediri potest ab aliqua causa extrinseca; ita pari ratione agens liberum agere potest necessariò, quia determinari potest necessariò ad actionem per aliquid extrinsecum.

XII. Libertas essentialis non consistit in indifferentia, vel in dominio super actum.

Dices 2. Illa libertas essentialis, vel stat in indeterminatione ad agendum, vel in dominio sui actus: sed cum neutro potest stare necessitas amoris quô Deus suam bonitatem diligit: Ergo vel illam non diligit necessariò, vel non diligit liberè. Probatur *major*; Vel enim ipsa necessitas est prævia ad actionem voluntatis, ita quòd cadat in voluntatem quam impellit in actum & determinat necessariò, ac figit in actu: Vel concomitatur ipsam voluntatem operantem, & sic ita necessariò illa voluntas in operando determinatur, ut non possit non agere, nec aliud agere: Sed neutro modô hæc necessitas stare potest cum libertate. Non quidem priori modo, quia sic voluntas ageretur magis quàm ageret, & determinaretur non autem se determinaret. Non etiam posteriori, quia ibi nulla est libertas, ubi nulla est indifferentia ad agendum, vel non agendum; vel ad hoc agendum, vel aliud: & consequenter necessitas divini amoris consistere nequit cum essentiali libertate.

Negat minorem Doctor ibidem, aitque illam necessitatem esse concomitantem actum, non autem prævenientem, ita quòd *Voluntas propter firmitatem libertatis suæ sibi ipsi necessitatem*

imponat in eliciendo actum, & in perseverando A *sive figendo se in actum.* Unde colligit processionem Spiritus sancti esse liberam, quia spirationem concomitatur necessitas naturæ in communicando naturam per amorem, & voluntatem, quæ ex se essentialiter est facultas libera. Ad quorum planiorem evidentiam distinguit quadruplicem ordinem necessitatis in Deo. *Prima*, inquit, *quâ Deus necessariò vivit. Secunda, quâ necessariò intelligit. Tertia, quâ necessariò spirat. Quarta, quâ necessariò diligit se.* Deinde quærit, in quo cum his necessitatibus stet libertas volendi. Respondet, *Quia voluntas delectabiliter, & eligibiliter actum elicit, &* B *permanet in actu.*

Quæstio Tertia.

An, & quomodo Deus amet Creaturas?

I. Fide constat Deum Creaturas actu existentes diligere.

Certum est Deum Creaturas existentes diligere, utpote quæ bonæ sint & amabiles, *Vidit enim cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, inquit sacer textus: Unde Sapiens cap. 11. Deum alloquens ait, *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti: quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses; aut quod à te vocatum non esset, conservaretur?* C Quibus Sapiens subtiliter non minùs quàm eleganter colligit divinum amorem erga Creaturas ex earum creatione & conservatione: utraque enim certissimum est divini amoris indicium. Unde non est opus in hujus veritatis confirmationem plura texere; quippe cùm nedum orbis universus, & quotquot in eo sunt Creaturæ, sed & singulæ Scripturarum paginæ specialem divini amoris erga Creaturas tesseram exhibeant. Verùm non levis est difficultas, quomodo ipsas Creaturas Deus diligat.

Quæstionis divisio.

Unde tria maximè sunt hac in quæstione resolvenda. *Primum* quidem, an revera Deus Creaturas purè possibiles diligat. *Secundum*, D an Creaturas tam actuales & futuras, quàm possibiles amet necessariò, vel liberè quantùm ad exercitium. *Tertium*, an eas diligat propter earum bonitatem formalem, an verò solùm propter suam bonitatem essentialem. Quæ ut resolvantur evidentiùs & faciliùs,

II. Totuplex in Creaturis potest distingui bonitas quotuplex esse.

Notandum 1. Quòd cùm Creaturæ considerari possint secundùm triplex earum esse, nimirum Vel secundùm *Esse eminentiale*, quod habent in Essentia divina, quæ cum sit *Infinitum essendi Pelagus*, inquit S. Damascenus, non solùm est ens per essentiam; nec solùm omnium entium fons & origo per participationem; nec denique solùm supremum entium per majesta- E tem, & imperium: Sed etiam est omne ens per eminentiam, & superexcellentem dignitatem, quia entium omnium perfectiones omnes sublimiori gradu & statu complectitur. Vel considerati possunt secundùm *Esse virtuale* quod habere dicuntur in Omnipotentia divina quæ est illarum productiva: eô scilicet modô, quô effectus quilibet virtualiter continetur in causa ejus productiva: Vel denique secundùm *Esse formale & Entitativum*, quod habent in seipsis. Ita pariter triplex distingui potest bonitas, nimirum eminentialis, virtualis, & formalis. Prima & secunda non tam eis propria est, quàm A Deo, in quo habent esse eminentiale, & virtuale. Jam enim sæpè dictum est illud esse eminentiale, & virtuale non esse proprium Creaturis, sed soli Deo; seu potius esse ipsum esse divinum: Unde solùm superest difficultas de bonitate formali, an videlicet Deus Creaturas diligat propter bonitatem earum formalem, quam habent in seipsis.

III. Amor Dei erga Creaturas, vel est benevolentiæ.

Notandum 2. Ex Doctore Subtili in 3. *dist.* 32. *num.* 2. duplicem distingui posse amorem in Deo, nimirum *Efficacem*, ac benevolentiæ, & *Inefficacem*, seu complacentiæ. Prior est efficax Dei volitio, quô circa Creaturas aliquid operatur, vel eas deducendo à statu possibilitatis ad B statum futuritionis, & à futuritione ad existentiam actualem; Vel in eis existentibus aliquid operando, Aut in ordine naturæ per earum conservationem, & suam cooperationem in agendo; Aut in ordine gratiæ, per earum sanctificationem, excitationem, & motionem supernaturalem; Aut denique in ordine gloriæ eas beatificando per suæ Divinitatis manifestationem. Posterior verò est simplex affectus, quem habet erga Creaturas, nihil tamen circa ipsas operando, sed tantùm in ipsis complacendo, seu ut loquitur Doctor, *Quadam Deus diligit dilectione efficaci, puta illa quæ aliquando producit in esse; quadam volitione quadam complacentia non efficaci, quæ tamen nunquam producet* C *in esse: ostenduntur tamen ab intellectu suo ut possibilia habere tantam bonitatem, sicut illa quæ diligit dilectione efficaci.*

Vel complacentiæ.

VI. In quo discrepent indifferentia, necessitas, & libertas.

Notandum 3. Hoc esse discrimen inter indifferentiam, necessitatem & libertatem essentialem: Primò quòd Indifferentia subsistere nequeat cum necessitate; quod enim est indifferens, est contingens, potestque esse vel non esse: Necessarium autem & contingens invicem pugnant; adeoque simul subsistere nequeunt: Necessitas verò stat cum libertate essentiali, quæ nullam dicit indifferentiam, sed solùm propensionem voluntariam divinæ Voluntatis in suum objectum. Secundò Indifferentia est comes, imò ratio formalis libertatis D quoad specificationem, & quoad exercitium; Liberum enim quoad specificationem potest tendere in hoc vel illud objectum, idque per actum amoris, vel odii, fugæ aut prosecutionis: Similiter liberum quoad exercitium potest actum elicere, vel non elicere, seu suspendere, etiam positis omnibus circunstantiis ad agendum requisitis; quæ indifferentia nullatenus reperitur in libertate essentiali; hæc enim nec est indifferens ad amandum, vel odiendum suum objectum primarium, nec indifferens ad eliciendum suum actum, vel non eliciendum, sed necessariò, voluntariè tamen, in utrum- E que propendet.

Conclusio Prima.

V. Deus amat amore inefficaci Creaturas possibiles.

Deus *reverà diligit Creaturas possibiles amore simplicis complacentiæ.* Ita Doctor pluribi, maximè verò in 1. dist. 8. quæst. 5. & in 3. dist. 32. num. 2. nec-non & quæst. 16. quodlibetica Litt. I. Probatur 1. Illud Deus diligit quod est bonum: sed illæ Creaturæ possibiles sunt bonæ: Ergo & à Deo dilectæ: *Major* patet. *Minor* probatur: Illæ Creaturæ possibiles sunt entia verè possibilia: Ergo habent proprietates entis quæ sunt veritas, &

bonitas, & consequenter sicut ratione suæ veritatis entitativæ sunt à Deo cognoscibiles & cognitæ, ita pariter ratione suæ bonitatis sunt ab ipso amabiles & amatæ. *Deinde*, divina voluntas non minùs est universalis quàm divinus intellectus: sed divinus intellectus versatur circa creaturas possibiles cognoscendas: Ergo pariter divina voluntas versari debet circa ipsas amandas. *Major* constat; quemadmodum enim divina intellectio non esset comprehensiva nisi cognosceret omne cognoscibile; ita à pari divinus amor non esset comprehensivus nisi attingeret omne amabile: Sed amor Dei æquè debet esse comprehensivus ac divina intellectio: Ergo sicut hæc versatur circa omne intelligibile, tam actuale quàm futurum, & possibile; ita pariter ille versari debet circa omne amabile tam actuale quàm futurum, & possibile.

Denique, si Deus non amaret creaturas possibiles amore complacentiæ, maximè quia sunt tantùm possibiles: sed hæc ratio divino amori non officit; siquidem, quando rem aliquam intendimus propter finem, & ad ejus prosecutionem movemur, eò quòd per intellectum proposita in ipsa complacemus, tunc talis res solùm proponitur ut possibilis: Ergo circa possibile dari potest simplex complacentia, & amor inefficax. *Adde* quòd Deus complacet de sua Omnipotentia quæ connexionem habet cum rebus possibilibus: Ergo pariter complacet in illis rebus possibilibus.

VI. *Dices* 1. Res possibilis est purum nihil: Ergo non est ens, nec consequenter est bona, nec proinde est objectum voluntatis.

Distinguo: Est purum nihil actuale, & secundùm existentiam actualem, concedo: Est purum nihil possibile, & secundùm veritatem essentialem, nego: Ergo licet res possibiles formaliter consideratæ & actu sint purum nihil, aut saltem ens rationis; tamen sunt aliquid reale possibile, & divinus intellectus in ipsis considerat bonitatem possibilem, eamque voluntati divinæ exhibet, quod sufficit ut à Deo amentur. Deus enim reverà amat creaturas futuras, quia aliquando realem sunt habituræ bonitatem, licet de facto & actu nihil sint.

Dices 2. Amare, est alicui velle bonum aliquod: sed creaturis possibilibus Deus nullum vult bonum; imò vult ipsis maximum malum, nempe carentiam existentiæ, & realitatis actualis: Ergo illas non diligit.

Distinguo majorem: Amare aliquid amore amicitiæ, est velle ipsi bonum, concedo: Amare aliquid amore simplicis complacentiæ, est velle ipsi bonum, nego: Ad hoc enim sufficit, quod amans complaceat in objecto amato nullam formando volitionem circa bonum, aut malum ipsius; etenim præter benevolentiam est simplex complacentia, sicut præter malevolentiam est simplex displicentia. Deus autem complacet in creaturis possibilibus, eò quòd sint participationes quædam ipsius esse; nec eis non vult existentiam: sed solùm in eis merè complacet, & se habet merè negativè quantùm ad volitionem, aut nolitionem existentiæ. Nec enim ad dilectionem opus est aliquid dilecto conferre; Deus enim seipsum diligit, & tamen sibi ipsi nihil confert: Similiter Deus gaudet & sibi placet in beatitudine, & donis quæ confert Beatis sine nova collatione interiori, ne abeatur in infinitum: Amor enim complacentiæ non requirit collationem boni, sed illam præsupponit.

Dices 3. Si Deus amet possibilia, etiam amabit peccatum possibile: sed absurdum consequens: Ergo & antecedens. Probatur sequela, peccatum possibile verè est possibile: Ergo veram habet rationem entis possibilis, adeoque habet bonitatem possibilem, & consequenter amabilitatem.

Distinguo antecedens: Amabit peccatum possibile quantum ad entitatem physicam actûs quæ est producibilis à Deo, & quædam participatio ipsius esse, concedo: quantum ad deordinationem moralem, & carentiam rectitudinis quæ non est producibilis, nec habet aliquam causam effectivam, sed solùm deficientem & exorbitantem voluntatem creatam, nego.

CONCLUSIO SECUNDA.

DEUS *amat liberè Creaturas tam actuales quàm futuras; possibiles verò necessariò diligit.* VII.

Hæc Conclusio duas habet partes: quarum probatur prima, nempe quòd amet liberè creaturas actuales & futuras. Deus liberè operatur ad extra: Ergo liberè vult & diligit Creaturas, quas vel futuras decernit, vel producit existentes. Antecedens est de fide determinatum in Concilio Constantiensi sessione 8. art. 7. contra Vuicleffum, & constat pluribus Scripturæ textibus, nam Psalmo 93. *Deus ultionum liberè egit*: Et ad Rom. 9. *Cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Deinde voluntas non est principium necessarium producendi aliquem amorem alicujus objecti, inquit Doctor in 1. dist. 10. n. 9. nisi sit necessarium principium amandi illud objectum; voluntas autem infinita, non est necessarium principium amandi objectum finitum, quia tunc Deus necessariò amaret quamlibet creaturam, imò & omne amabile: Ergo nec est necessarium principium producendi amorem suum comparando illud ad quodcumque objectum. *Denique* qui vult necessariò finem, non propterea debet necessariò velle media ordinata ad finem, maximè dum talis finis sine mediis obtineri potest: Ergo licet Creaturæ sint media ordinata ad Deum, ut ad suum finem, cum Deus seipsum possideat & amet independenter à Creaturis, etiamsi necessariò seipsum diligat, non tamen debet Creaturas necessariò diligere.

De fide est Deum amare liberè Creaturas actuales.

Dices 1. Deus necessariò cognoscit Creaturas existentes & futuras: Ergo illas necessariò vult & amat. Probatur consequentia; Non enim est major ratio cur divina scientia extendatur ad omnia cognoscibilia, quàm divina voluntas ad omnia amabilia.

Distinguo antecedens: Deus necessariò cognoscit Creaturas existentes & futuras præsupposita earum libera futuritione & existentia, concedo: Absolutè & simpliciter, nego: Unde scientia visionis quâ Deus Creaturas futuras & existentes cognoscit, est simpliciter libera, quia supponit liberam Dei determinationem, & voluntarium ejus decretum de illarum creaturarum futuritione & existentia: Unde tantùm est necessaria consequenter ex præsupposito scilicet invariabili ejus decreto; hanc autem necessitatem etiam habet divina voluntas.

Dices 2. Deum se communicare creaturis per earum futuritionem & existentiam, est effectus

ſuæ bonitatis, & liberalitatis: ſed Deus neceſſariò diligit ſuam liberalitatem, & bonitatem: Ergo etiam neceſſariò diligit ſui communicationem Creaturis in decernenda earum futuritione & exiſtentia.

Diſtinguo minorem: Deus neceſſariò diligit ſuam bonitatem, & liberalitatem ſecundùm entitatem, & quatenus eſt virtus, & perfectio ſuæ Divinitatis, concedo: Secundùm exercitium liberalitatis, & actualem ſuam communicationem; nego: Hæc enim cùm ſit potius perfectio Creaturæ quàm Dei, ſolùm à Deo liberè diligitur & intenditur.

VIII. *Neceſſariò tamen poſſibiles diligit.* SECUNDA PARS Concluſionis, Nempè quòd Creaturas poſſibiles Deus neceſſariò diligat quantùm ad exercitium: Eſt expreſſa Doctoris ſententia, ut conſtat ex pluribus illius textibus, maximè ex *q. 16. quodlib. art. 1. circa finem*, ubi cùm diſtinxiſſet duplicem neceſſitatem, nimirum neceſſitatem *Immutabilitatis*, quæ excludit ſucceſſionem, & neceſſitatem *Inevitabilitatis*, ſive determinationis, quæ non ſolùm excludit ſucceſſionem, ſed etiam potentiam non faciendi aliquid: ſubdit, *De ſecunda neceſſitate poteſt dici, quòd licet neceſſariò voluntas divina habeat actum complacentiæ reſpectu cujuſcumque intelligibilis, in quantum in illo oſtenditur quædam participatio bonitatis propriæ: tamen non neceſſariò vult quodcumque creatum volitione efficaci, ſive determinativa illius ad exiſtendum; imò ſic vult contingenter Creaturam fore ſicut contingenter eam cauſat, quia ſi neceſſariò hac ſecunda neceſſitate vellet eam fore, neceſſariò etiam neceſſitate inevitabilitatis eam cauſat:* Quibus Doctor diſtinguit amorē quem Deus habet erga creaturas futuras & exiſtentes ab eo quem habet erga poſſibiles, eo quòd illas diligat liberè, has verò neceſſariò. Probatur inſuper, Si Deus diligeret liberè Creaturas poſſibiles ab æterno libertate quantùm ad exercitium, poſſet eas diligere vel non diligere, ſicut poteſt futuras vel exiſtentes diligere & non diligere; quia poteſt earum futuritionem & exiſtentiam decernere, vel non decernere: ſed hoc dici nequit. *Probatur;* Si Creaturas poſſibiles Deus poſſet diligere, vel non diligere, ſequeretur quod illæ de non dilectis fieri poſſent dilectæ: ſed falſum eſt conſequens. *Probatur*, Aliquid non poteſt fieri de non dilecto dilectum niſi interveniat aliqua mutatio, vel in diligente, vel in re dilecta: Sed nulla cadere poteſt mutatio, nec in Deo diligente, quia eſt immutabilis; nec in rebus poſſibilibus, quia ſemper eodem modo neceſſariò ſunt poſſibiles: Ergo non poſſunt fieri de non dilectis dilectæ, nec conſequenter poſſunt à Deo diligi, vel non diligi. Et ſic vel oportet eas neceſſariò ſemper diligi, vel ſemper non diligi: ſed dici non poteſt eas à Deo neceſſariò non diligi; cùm ipſis aliqua bonitas conveniat quâ Deo placere poſſunt: Ergo voluntas Dei eas neceſſariò diligit tam quoad ſpecificationem quàm quoad exercitium, quia non poſſunt diſplicere Deo, & quia non poſſunt non amari à Deo.

Confirmatur: Idcirco Deus dicitur liberè diligere Creaturas poſſibiles & exiſtentes, quia illius divina voluntas aliter cenſetur ad eas terminari quàm terminabatur ad earum poſſibilitatem; Siquidem de poſſibilibus fiunt futuræ, & de futuris exiſtentes: Ergo cùm illa divina voluntas eodem modo ſemper terminetur ad Creaturas poſſibiles, dici non poteſt quòd eas liberè diligat. *Deinde*, Si Deus ab æterno liber eſſet ad complacendum vel non complacendum in rebus poſſibilibus, ſequeretur quod etiam nunc poſſet in illis non complacere: ſed falſum conſequens: Ergo & antecedens. Probatur ſequela; quia ſi Deus ab æterno potuit ſine ulla ſui mutatione non complacere in Creaturis, in quibus nunc complacet, etiam ſine ulla ſui mutatione poſſet nunc complacere in illis Creaturis poſſibilibus, in quibus antea complacebat: hoc autem abſurdum eſt, ſiquidem non fit tranſitus de uno contradictorio in aliud abſque aliqua mutatione; nulla autē excogitari poteſt mutatio, neque in Creatura poſſibili dilecta, neque in Deo diligente: Ergo nulla eſt.

Denique, libertas vel neceſſitas in actu voluntatis Dei deſumitur ex libero, vel neceſſario ſtatu objecti ad quod terminatur: ſed Creaturæ poſſibiles ſunt neceſſariæ: Ergo Deus neceſſariò illas amat. *Major* patet, tum, quia eodem modo ratiocinandum eſt de cognitione, ac de dilectione Dei circa objecta externa: ſed ſcientia Dei quæ verſatur circa objecta neceſſaria, qualia ſunt poſſibilia, dicitur neceſſaria; illa verò quæ verſatur circa objecta libera, quales ſunt res futuræ & exiſtentes dicitur libera: Ergo à pari dilectio Dei circa objecta neceſſaria, putà circa res poſſibiles, etiam dicenda eſt neceſſaria.

Dices 1. Deus nihil amat neceſſariò niſi id à quô neceſſariò movetur: ſed non poteſt neceſſariò moveri ab aliquo objecto finito, quales ſunt Creaturæ poſſibiles: Ergo illas non diligit neceſſariò. *Major* patet: Talis enim cenſetur amor, quale cenſetur objectum formale motivum: *Minor* probatur à Doctore q. 16. quodlib. litt. M. ubi diſertè affirmat divinam voluntatem non moveri neceſſariò ab aliquo finito: *Voluntas infinita*, inquit, *neceſſariò habet actum circa objectum infinitum, quia hoc eſt perfectionis: & pari ratione, non neceſſariò habet actum circa objectum finitum, quia hoc eſſet imperfectionis; nam imperfectionis eſt neceſſario determinari ad poſterius, & perfectionis requiſita eſt ſic determinari ad prius.*

Diſting. major. Non poteſt Deus amare aliquid neceſſariò primariò & principaliter niſi id à quô movetur, concedo: Secundariò, & minùs principaliter, nego: Objectum enim primarium debet quidem eſſe motivum, & motivum quidem neceſſariò, ſi amor eſt neceſſarius; Objectum autem ſecundarium, non ita debet eſſe motivum; ſed ſufficit quod ſit terminativum: Unde cùm Deus, tantùm moveatur ad amorem creaturarum per ſuam bonitatem eſſentialem, ut ſtatim probabitur: Hinc eſt quod illæ Creaturæ non debeant habere rationem objecti moventis, ſed ſolùm terminantis. *Ad Doctorem* dico eum eſſe intelligendum de objecto primariò divinæ voluntatis, quod equidem non poteſt eſſe aliquid finitum, ut iam ſæpe dictum eſt. IX. *Deus movetur ad amorem Creaturarum tantùm per ſuam bonitatem.*

Dices 2. Si Deus neceſſariò amaret Creaturas poſſibiles, maximè vel propter earum bonitatem, vel propter neceſſariam connexionem quam habet cum ipſis: ſed neutrum dici poteſt: *Non quidem primum*; quia Creaturæ futuræ & exiſtentes, majorem habent bonitatem, quia perfectiorem habent dignitatem quàm poſſibiles, & nihilominus liberè à Deo amantur.

Non

Non etiam secundum; Deus enim nullam habet necessariam connexionem cum rebus possibilibus, etsi enim nulla esset Creatura possibilis, nihilominus Deus reverà perfectissimus existeret.

Necessitas divini amoris erga Creaturas possibiles oritur ex immutabilitate divinæ Voluntatis.

Respondeo: Illam necessitatem divini amoris non equidem oriri ex Creaturarum possibilium bonitate, neque ex necessaria connexione Dei cum illis; sed solùm ex immutabilitate ipsius divinæ voluntatis quæ nequit diversô modô comparari ad objectum, nec dici illud amare, vel non amare nisi aliqua intercedat varietas & mutatio physica aut moralis in illo objecto, aut in Deo diligente: Unde cùm in Creatura possibili nulla intercedat varietas ex dilectione Dei, sequitur quòd si aliqua esset varietas & mutatio in hoc amore, sicut reverà esse deberet si talis amor liber esset, illa mutatio in Deum deberet refundi: quod cùm repugnet, etiam repugnat illum amorem esse liberum.

X. *Dices* 3. Si amor quô Deus Creaturas possibiles diligit, esset necessarius, sequeretur Deum eodem modo Creaturas possibiles ac seipsum diligere: Siquidem seipsum necessariò diligit quoad specificationem, & exercitium: sed hoc est absurdum: Ergo & id unde sequitur.

Deus non tam necessariò Creaturas possibiles diligit quàm seipsum.

Nego sequelam majoris: Necessitas enim amoris colligitur ex necessitate objecti: Unde cùm Creaturæ possibiles non sint tantæ necessitatis quanta est necessitas divini esse, etiam illarum amor non potest dici equè necessarius ac amor divinæ essentiæ. *Adde quòd* plures etiam aliæ sunt rationes disparitatis inter amorem utriusque objecti; Deus enim seipsum amat ut objectum primarium & adæquatum suæ voluntatis, & propter suam bonitatem; Creaturas verò possibiles tantùm ut objectum secundarium, nec propter earum bonitatem, sed tantummodo propter suam, ut apperiet.

Conclusio Tertia.

XI. OBJECTUM *formale motivum divini amoris erga Creaturas, est sola bonitas essentialis Dei: non autem Creaturarum ipsarum bonitas:* Ita Doctor pluribi, sed maximè in 3. dist. 32. n. 5. *Sola essentia divina*, inquit, *potest esse prima ratio agendi tam intellectui divino quàm voluntati; quia si aliquis alius posset esse prima ratio agendi, vilesceret illa potentia:* Ipsi concinit S. Thomas 1. parte, quest. 2. Art. 2. ad. 2. ubi ait: *In his quæ volumus propter finem, tota ratio movendi est finis, & hoc est quod movet voluntatem.... Unde cùm Deus alia à se non velit, nisi propter finem qui est sua bonitas, non sequitur quòd aliquid aliud moveat voluntatem ejus, nisi bonitas sua.* Probatur 1. Objectum motivum divinæ voluntatis est finis, medium enim ut medium solùm est volitum, quatenus conducit ad finem: sed sola bonitas increata & essentialis, est finis eorum quæ vult divina voluntas, juxta illud Proverbiorum 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus:* Ergo illa sola est objectum motivum divinæ voluntatis. *Deinde* voluntas specificatur ab objecto suo formali motivo: Sed divina voluntas specificari non potest à bonitate creata: Ergo nec ab illa moveri. *Major* constat. *Minor* probatur: Specificari ab aliquo est ab illo dependere in ratione causæ formalis: Specificativum enim habet rationem causæ formalis saltem extrinsecæ respectu rei specificatæ: sed divina voluntas non potest pendere à bonitate creata: Ergo nec ab illa specificari.

Ad earum amorem movetur à sola sua bonitate.

Denique, Amor Dei erga Creaturas non est affectivus, sed effectiuus: Ergo non allicitur, nec movetur à bonitate creata. *Consequentia* patet, Amor enim effectivus non movetur à bonitate objecti; quia illam in eo non supponit, sed ponit. Antecedens docetur frequenter à sanctis Patribus, præsertim à S. Bernardo cap. 4. de amore divino, ubi exponens discrimen inter amorem Dei erga nos & nostri erga Deum, ait: *Non afficeris à nobis, vel ad nos cum nos amas: nos à te, & in te, & ad te afficimur cum amamus te.* Suadetur etiam ratione; Amor enim affectivus tansformat amantem in amatum, & illi quodammodo subjicit: Amor autem effectivus transformar amatum in amantem, & illi bona sua communicat: sed repugnat Deum transformari in creaturam: Ergo etiam repugnat illam diligere amore affectivo.

Dices 1. Plerumque Scriptura sacra indicat creaturas à Deo diligi propter aliquam earum bonitatem, aut moralem, aut physicam: sic Christus Joanni 10. *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam.* Quibus Christus indicat se diligi à Patre propter bonitatem suam moralem, nimirum propter charitatem & obedientiam. *Deinde* S. Augustinus lib. 11. de Civitate, cap. 21. in illa verba, *Dixit Deus fiat lux*, ait, *Si quærimus quis fecerit, Deus est; si per quid fecerit, dixit* FIAT, *& facta est; Si quare fecerit? quia bona est.* Quibus S. Augustinus indicat lucem, idcirco creatam propterea quòd illius bonitas futura alliciebat, & movebat Deum ad creandum. XII.

Respondeo: His aut similibus, tum Scripturæ, tum sanctorum Patrum loquendi modis, solùm significari unum objectum creatum esse alteri causam, ut ordinem habeat ad Dei voluntatem, non verò quòd creatura sit motivum ipsius divinæ voluntatis. *Vel dico*, per illud loquendi genus, designari creaturarum bonitatem, esse quidem objectum terminativum secundariò ipsius divini amoris. *Denique*, ad S. Augustinum & similes authoritates dici potest Deum fecisse lucem quia bonam; idest, quia utilem ad bonum universi, & ad creaturam rationalem ad quam ordinat omnia: non quòd bonitas universi, vel creatura rationalis, sit ratio motiva divini amoris.

Dices 2. Creaturæ in se formalem habent bonitatem: Ergo sunt in se formaliter amabiles à Deo. *Nego consequentiam*: Exinde enim solùm sequitur quòd Creaturæ bonitas formalis sit terminativa divini amoris, non autem quòd sit illius motiva.

Dices 3. Merita movent voluntatem præmiantis, eam alliciendo & inclinando ad conferendum præmium repromissum: Ergo merita nostra movent divinam voluntatem, eamque inclinant ad præmiandum: & consequenter habent rationem objecti motivi respectu divinæ voluntatis. IXII.

Quomodo merita nostra moveant Dei Voluntatē.

Distinguo consequens: Merita nostra movent Dei voluntatem ut considerantur in seipsis, nego: Ut virtualiter & eminenter continentur in bonitate essentiali Dei, & repræsentantur in essentia divina, concedo.

Instabis: Merita ut in Dei bonitate continentur, non possunt habere rationem meriti, cùm

divina bonitas meritum esse non possit: Ergo si solùm moveant divinam voluntatem, quatenus in ejus bonitate essentiali continentur, non movent illam quatenus sunt merita.

Distinguo antecedens: Si continerentur formaliter, concedo: Si continerentur eminenter, nego: Itaque merita in Dei bonitate formaliter non continentur, quia equidem divina bonitas non potest habere rationem meriti: sed illam seruant quatenus in bonitate essentiali Dei eminenter continentur.

Dices 4. In Deo reperitur Justitia & Misericordia: sed si sola bonitas increata sit objectum formale motivum divinæ voluntatis, illæ virtutes in eo subsistere non possunt: Objectum enim formale motivum illarum virtutum non est aliquid increatum, sed creatum: Objectum enim misericordiæ est aliena miseria ut sublevanda: Objectum verò justitiæ est alienum jus ut salvandum: Ergo, &c.

Justitia & Misericordia Dei solùm moventur à bonitate increata.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico: Quòd etsi reverà justitia & misericordia creata specificentur & moveantur à bonitate & honestate creata: secùs tamen est de misericordia & justitia diuina, quæ moventur solùm à bonitate increata; misericordia quidem prout est ratio miserendi, & justitia quatenus est ratio præmiandi; quod ipsa divina bonitas præstat, quatenus eminenter continet honestates objectivas misericordiæ & justitiæ creatæ.

Dices 5. Deus eatenus vult & diligit omnia propter seipsum, quatenus ea vult propter gloriam suam: sed illa gloria quam Deus in-
XIV. tendit, est aliquid creatum, nimirum cognitio, amor, & cultus ipsius: Ergo non propter suam bonitatem essentialem, sed etiam propter aliquid creatum interdum Deus creaturas diligit.

Gloria Dei non est aliquid creatum, sed ipsemet Deus ut glorificandus.

Respondeo duplicem esse finem, nimirum *qui* intenditur ab agente, & *quô*, seu medium quô finis intenditur & acquiritur: Unde in forma. Distinguo *minorem*, Gloria est finis quô Deus ordinat Creaturas ad suam ipsam bonitatem, concedo: Est finis qui ab ipso Deo intenditur, nego: Hic enim finis qui à Deo intenditur, non alius est quàm ipsemet Deus glorificandus. Unde dum sacra Scriptura plerumque monet omnia opera nostra in Dei gloriam facienda, non est intelligenda de gloria creata, aliàs hæc opera essent imperfecta: Siquidem fierent propter Creaturam: sed interpretanda est de gloria divina objectivè considerata, idest de Deo ipso glorificando.

Dices 6. Si Deus Creaturas diligeret tantùm propter suam bonitatem essentialem, sequeretur illam bonitatem habere rationem finis, & Creaturas habere rationem medii ordinati ad ipsum finem: sed falsum est consequens quoad utramque partem: Ergo & illud unde sequitur. Probatur *minor*: Primò, certum est Deum non habere finem, cùm sit ipse omnium finis ultimus; sicque non potest agere propter finem. Secundò, certum pariter Creaturas non habere rationem medii respectu bonitatis essentialis; eatenus enim aliquid habet rationem medii, quatenus conducit ad finis assecutionem: sed Creaturæ non conducunt ad assecutionem bonitatis essentialis Dei, cùm illa non dependeat à Creaturis: Ergo non habent rationem medii in ordine ad ipsam.

XV. *Nego majorem* quoad utramque partem: & primam illius probationem distinguo cum Doctore in 1. dist. 1. q. 5. n. 6. Deus non habet finem sui ipsius, concedo: Non habet finem suorum effectuum, & creaturarum quas ordinat ad seipsum, nego: *Licet igitur*, inquit Doctor, *Deus non sit finis sui, tamen respectu voluntatis suæ est illud objectum cui nata est competere ratio finis; quia est summum bonum: Non tamen potest sibi competere ratio finis respectu sui, sicut nec respectu sui est finis; sed respectu omnium finibilium, qualia sunt bona ordinabilia ad aliud.* Deinde sibi objiciens Doctor, *Quomodo ergo Deus dicitur agere propter finem; & etiam quod superioris agentis est finis superior.* Respondet ad primum, illud debere intelligi: *Quòd agat propter finem effectus, non propter finem sui; quia non est agens sui: nam*, ut præmiserat *respectu nullius est causa finalis aliqua, nisi respectu cujus est causa efficiens; quia causalitas causæ finalis est movere efficiens ad agendum.* Respondet ad secundum, illud debere intelligi *de fine effectus; quia agens superius ordinat, non se, sed effectum ad finem universaliorem, vel superiorem: & ita ille finis superior est agentis, non ut finis ejus, sed ad quem ordinat illud quod agit.*

Deus licet non habeat finem sui, tamẽ habet finem suorũ effectuum.

Ad secundam probationem ejusdem minoris, Dico in mediis duplicem distingui posse respectum ad finem, nempe *dependentiæ* à fine in ordine intentionis, quatenus nimirum amantur media ratione finis; & *condecentiæ* ad finem in ordine executionis. Unde in forma: Creaturæ non habent rationem medii in ordine dependentiæ respectu bonitatis essentialis, nego: Eatenus enim eæ diliguntur, quatenus referuntur ad divinam illam bonitatem, & aliquid ejus participant. Non habent rationem medii in ordine condecentiæ ad finem; quia divina bonitas est omnino independens à Creaturis, nec illæ possunt aliquam habere causalitatem, nec aliquem influxum respectu illius, concedo: & nego consequentiam.

Creaturæ dicunt respectum dependentiæ, non verò condecentiæ ad bonitatem Dei.

Dices denique: Si Deus solùm amaret Creaturas propter suam bonitatem essentialem, sequeretur ipsum non habere amorem amicitiæ erga Creaturas rationales, Angelos nimirum & Homines: sed falsum consequens: Ergo & antecedens. Patet sequela majoris, Amore enim amicitiæ objectum amatur propter seipsum, & propter suam bonitatem formalem: Si enim quis alium diligat, non propter bonum dilecti, sed propter bonum diligentis, ille amor non erit amicitiæ, sed concupiscentiæ. XVI.

Amor Dei erga nos est vera amicitia.

Nego seq. maj. Ad veram enim amicitiam sufficit ut amor terminetur ad objectum dilectum, & quòd amicus velit bonum amico propter seipsum, eô modô quô est capax illius boni, & secundùm regulas honestatis; non autem necessum est quòd objectum dilectum sit motivum illius amoris: Sic autem se habent Creaturæ rationales quæ diliguntur à Deo amore amicitiæ. Licet enim non habeant rationem objecti motivi respectu divini amoris, habent saltem rationem objecti terminativi illius: & licet Deus illas diligat propter se, tanquam propter ultimum finem; nihilominus ille amor est vera amicitia; quia cùm maximum nostrum bonum summaque nostra perfectio sit ordinati in Deum tanquam in ultimum finem, dum nos amat propter seipsum, etiam nos diligit propter bonum nostrum: sicut quando quis alterum ex charitate diligit, illum perfecto amore amicitiæ prosequitur, licet diligat illum propter Deum.

Quæstio Quarta.

Quot & quinam sint actus, seu effectus divinæ Voluntatis?

I. Præcipuæ actus entitativi divinæ voluntatis proprietates.

CErtum est unicum indivisibilem esse actum entitativum divinæ voluntatis realiter ab ipsa indistinctum, cujus sequentes præcipuæ sunt proprietates. *Primò* quòd ille actus volitionis & amoris, non sit accidens, sed SUBSTANTIA; siquidem essentiæ divinæ identificatur, & est ipsemet Deus; adeoque pariter est æternus, necessarius, & immutabilis, cùm sit ipsamet realis Divinitatis entitas. *Secundò* INFINITUS est, & ad omnia objecta amabilia & volibilia terminatur, omnibusque volũtatis creatæ actibus virtualiter æquivalet, ita ut eadem una divina entitas actus sit volitio simul, & nolitio, amor, & odium ejusdem objecti pro diversitate temporis, nec-non & diversorum objectorum secundùm varias eorum affectiones. *Tertiò* denique actus ille divinæ voluntatis UNICUS est & SIMPLICISSIMUS tam realiter, quàm formaliter; Sicut enim actus ille infinitus est, ita pariter necessariò est unicus; non enim esse possunt plura infinita ejusdem rationis: Hinc tota divinæ voluntatis actuum multiplicitas, si quæ sit, non est intrinseca, sed extrinseca, nec penes entitatem, sed penes tendentiam, & terminationem ad diversa objecta spectari debet. Cùm itaque diversi sint actus & effectus voluntatis creatæ, etiam hac in quæstione quæritur an illa actuum & affectuum diversitas, saltem secundùm tendentiam & terminationem, in Deo formaliter possit admitti, quod ut fiat faciliùs.

Idem actus est amor simul & odium.

II. Actus voluntatis sunt triplicis generis.

Notandum 1. Actus & affectus voluntatis creatæ distingui posse triplicis generis. Quidam enim respiciunt finem, & media ad ipsum ordinata, & illi sunt *simplex volitio*; *intentio*, *electio*, *consensus*, *imperium*, *executio*, *fruitio*: Alii verò respiciunt bonum, aut malum, qui maximè dicuntur *affectus*: suntque in duplici differentia. Quidam enim proveniunt ex appetitu concupiscibili; Alii autem ex irascibili oriuntur: Priores sunt *amor*, *odium*, *desiderium*, *fuga*, *delectatio*, *tristitia*: Posteriores verò sunt, *spes*, *desperatio*, *timor*, *audacia*, *& ira*. Hinc in præsenti quæstione resolvendum est, an hi omnes humanæ voluntatis actus, & affectus etiam divinæ formaliter tribui possint.

III. Nec spes, nec desperatio Deo ullatenus convenit.

Notandum 2. Certum esse, nec *Spem*, nec *Desperationem* ullatenus Deo convenire. Tum quia spes est circa bonum arduum, desperatio verò circa malum arduum; Deo autem omnipotenti, nihil arduum esse potest. Tum quia spes, non est circa id quod evidenter cognoscitur esse futurum, nam ut ait S. Paulus ad Rom. 8. *Spes quæ videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat; Si autem quod videmus speramus per patientiam speramus:* Deus autem evidenter novit omne futurum, adeoque non potest sperare. Tum denique quia spes respicit illum, à quo res aliqua speratur, tanquam superiorem, & potentiorem, qui possit tribuere id quod speratur; nullus enim aliquid à seipso propriè sperare dicitur: Deus autem nullum hujusmodi respicere potest, idcirco affectum spei, aut desperationis habere nequit.

IV. *Notandum* 3. In Deo pariter non esse *Tristi-* A *tiam*, nec *Timorem*, quia tristitia est de malo proprio & præsenti: Timor verò respicit malum absens, sed imminens. Quamvis autem timor & tristitia possint esse de malo proximi ex affectu amoris & charitatis erga illum, nihilominus etiam sic in Deo esse nequeunt: quia quamvis timor & tristitia sint de malo amici futuro aut præsenti; sunt tamen de illo ita apprehenso quasi esset malum proprium: Unde fit ut etiam in nobis passionem appetitus excitet & moveat. Deo autem quamvis displiceat malum nostrum futurum, aut præsens, nunquam tamen ipse apprehendit illud, ac si proprium esset; B quod tamen videtur necessarium ad rationem timoris, & tristitiæ de bono amici. Unde solùm restat examinanda difficultas de cæteris voluntatis actibus & affectibus, quæ ut solvatur evidentiùs, hos omnes affectus & actus sigillatim discutiemus in sequentibus paragraphis.

Nec pariter tristitia, nec timor.

§. I.

De Amore Divino.

V. Verus est amor in Deo à gaudio formaliter distinctus.

CErtum est, & fide constat Deum amare Creaturas: Siquidem Sapientiæ 11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti:* Jeremiæ 31. *In Charitate perpetua dilexi te:* C Joann. 4. *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Verùm quia amor est affectus medius inter desiderium, & gaudium sive delectationem, quatenus gaudium est de bono præsenti, & possesso; Desiderium verò de bono absenti quod possideri potest: Amor autem de bono secundùm se considerato & præscindente à præsentia & absentia; cùm divina bonitas non abstrahat à præsentia & absentia, sed sit intimè Deo præsens & ab illo possessa: Idcirco videtur aliquibus Theologis Deum non habere amorem formaliter consideratum respectu suæ divinæ bonitatis; licet fortè illum habeat respectu bonorum ad extra. *Insuper*, cùm in amore sit duplex D respectus, alter ad rem cui volumus bonum, alter ad bonum ipsum quod volumus; Ratione prioris dicitur *amor amicitiæ*; Ratione verò posterioris, *amor concupiscentiæ* nominatur: non quòd reverà sit duplex amoris actus; sed tantùm quia in eodem actu duplex est amoris respectus. Hinc duo sunt hìc resolvenda. Primum, an Deus reverà habeat amorem à desiderio, & gaudio distinctum. Secundum, an habeat amorem amicitiæ erga Creaturas.

Dico 1. *In Deo esse verum Amorem formaliter distinctum à gaudio & desiderio:* Tum quia Scriptura sacra & sancti Patres constanter tribuunt Deo amorem erga seipsum, affirmantque E Spiritum sanctum procedere per amorem; quod certè explicari non debet de amore improprio, sed formali & perfectissimo; maximè cùm hic formalis amor nullatenus Deum dedeceat, ut patebit in objectionum solutione. Tum quia quicumque habet voluntatem formaliter, habet etiam amorem formaliter; Nam ex Aristotele 2. *Rethoricorum cap.* 4. Amare, est velle alicui bonum, & complacentiam illius habere; adeoque *amare* non minus propriè ipsi convenit quàm *velle*: sed in Deo est voluntas formaliter: Ergo & amor. Tum denique quia, si quid obesset quominus amor strictissimè sumptus, & prout à gaudio distinguitur, Deo tribui posset, maximè quia hic amor terminari

deberet ad bonum abſens, non autem ad bonum præſens & poſſeſſum: ſed falſum conſequens. Probatur, amor non minùs terminatur ad id quod eſt conveniens, ſive interim ſit exiſtens, ſive præſcindens ab exiſtentia, quàm ad objectum bonum ut formaliter bonum eſt; ſed revera terminatur ad bonum prout bonum eſt: Ergo etiam reverà terminari poteſt ad objectum conveniens quatenus eſt conveniens, ſive interim conſideretur ut actu exiſtens, ſive quatenus præſcindit ab exiſtentia.

Confirmatur 1. Si præſentia objecti amori repugnaret, ſequeretur gaudium & amorem nuſquam ſimul poſſe ſubſiſtere, nulluſque gaudere poſſet de bono poſſeſſo quia illud diligit, ſed quia dilexit illud cum nondum illud poſſideret: hoc autem conſequens falſum eſſe convincitur, ex eo quòd bonum de quo gaudemus incipit diſplicere dum incipit non amari, gaudiumque de ipſo cum illius amore minuitur.

Deinde, tantùm abeſt quod præſentia objecti amori repugnet illumque extinguat, imò potius illum auget, & perficit; quod maximè patet in bonis ſpiritualibus quorum poſſeſſio amorem non minuit, ſed auget: in quo à bonis temporaneis maximè diſcrepant, quæ ante ſui poſſeſſionem deſiderium accendunt, poſſeſſa verò ob ſui exiguitatem faſtidium generant.

Denique, amor beatificus verè tendit in Deum poſſeſſum, non autem quatenus abſtrahit à poſſeſſione, vel non poſſeſſione: Ergo talis præciſio non eſt de conceptu, & eſſentia amoris. Patet antecedens: Amor enim beatificus regulatur per cognitionem intuitivam Deum ut eſt in ſe reſpicientem: & per conſequens non attingentem Deum quatenus præſcindit à poſſeſſione, vel non poſſeſſione: Ergo talis præciſio non eſt neceſſaria ad amorem.

Dices 1. Actus diſtinguuntur per objecta: ſed objectum amoris eſt bonum ut ſic abſtrahens à præſentia, & abſentia, à poſſeſſione, vel non poſſeſſione illius: Ergo cum actus divinæ Voluntatis terminetur ad voluntatem divinam, ut præſentem & poſſeſſam, non habebit rationem amoris vel odii.

Diſtinguo minorem: Objectum amoris eſt bonum abſtrahens à poſſeſſione & non poſſeſſione, ita quòd ratio poſſeſſi & conſecuti ſe habeat tantùm materialiter, & ut ratio quæ attingitur, concedo: ita quod ſe habeat formaliter & reduplicativè quatenus eſt ratio ſub qua, ſeu motiva, nego: Primô quidem modò terminat actum amoris: Secundò verò terminat & ſpecificat actum fruitionis & gaudii. Ut autem diſtinguatur amor à gaudio, non eſt neceſſaria præciſio poſitiva bonitatis à poſſeſſione, ſed ſufficit negativa: id eſt, ſufficit quòd objectum ſit quidem poſſeſſum, non tamen diligatur præciſè & formaliter quatenus poſſeſſum.

Dices 2. In Deo non eſt ſcientia Simplicis intelligentiæ circa ſeipſum: Ergo nec ſtrictus amor circa ſuam bonitatem. Probatur conſequentia: Idcirco Deus non habet ſcientiam ſimplicis intelligentiæ circa ſeipſum, quia objectum hujus ſcientiæ præſcindit ab exiſtentia, Deus autem non poteſt cognoſcere ſeipſum niſi exiſtentem; ſed objectum amoris etiam præſcindit ab exiſtentia, quatenus diſcrepat ab objecto gaudii: Ergo, &c.

A

Reſpondeo 1. negando conſequentiam: Deus enim reverà ſeipſum cognoſcit ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, neque ad eam ſcientiam requiritur quod illius objectum præſcindat ab exiſtentia, ut jam dictum eſt agendo de cognitione divina. *Secundò* diſparitas eſt inter amorem & ſcientiam ſimplicem, quatenus hæc verſatur circa Creaturas; quòd equidem ſcientia ſimplex cognoſcat Creaturas tantùm ut poſſibiles & quatenus poſitivè præſcindunt ab exiſtentia; ſcientia autem viſionis attingat illas ut exiſtentes, vel ut extituras: Amor autem quatenus diſtinguitur à gaudio non debet terminari ad bonum poſſeſſum quatenus poſitivè præſcindit ab actuali poſſeſſione, ſed ſufficit quòd ab ea præſcindat negativè, ſeu quòd per amorem non attingatur præciſè & formaliter quatenus eſt poſſeſſum, ſed tantùm quatenus eſt conveniens.

B

VI. Dico 2. *In Deo verum eſſe amorem amicitiæ.* Ita Doctor in 3. diſt. 27. num. 20. Et probatur 1. ex pluribus ſacræ Scripturæ textibus, quibus homines amici Dei prædicantur; ſic Pſal. 138. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.* Sap. 7. *Sapientia transfert ſe in animas ſanctas, & amicos Dei conſtituit.* Joann. 10. *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos:* Et *vos amici mei eſtis.* Deinde Scriptura omnes conditiones amicitiæ admittit inter Deum & nos, nempe mutuam dilectionem utrimque notam Joann. 10. *Ego cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ:* Communicationem denique Proverb. 8. *Deliciæ meæ eſſe cum Filiis hominum.* Joann. 14. *Ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus.* Apoclyp. 4. *Intrabo ad illum & cœnabo cum illo & ipſe mecum.* Probatur ſecundò ratione: Amor amicitiæ maximè conſiſtit in eo quòd aliquis velit alteri bonum quatenus ipſi conveniens; quòdque hæc benevolentia ſit mutua: ſed Deus abſque ulla imperfectione poteſt velle bonum Creaturæ rationali non gratiâ ſui, ſed gratiâ illius, cùm Deus ex bono Creaturæ communicato nullam prorſus utilitatem accipiat: Poteſt ergo habere amorem benevolentiæ circa ipſam. Similiter Creatura rationalis Deum redamare poteſt; ipſique velle bonum nempe gloriam, & honorem; adeoque hæc benevolentia poteſt eſſe mutua.

In Deo verus eſt amor amicitiæ erga Creaturas rationales.

C

D

Dices ex Ariſtotele 8. Ethic. cap. 7. amicitia non eſt niſi inter æquales: Ergo nulla amicitia poteſt intercedere inter Deum, & Creaturas perſonales.

VII. *Reſpondet* Doctor laudatus Ariſtotelem ibi loqui de perfecta & ſtrictè ſumpta amicitia, qualis equidem non eſt inter Deum & Creaturas rationales; non autem negavit amicitiam inter Deum, & homines, nec inter Principem, & ſubditum. Imò potius inter ipſos eſt quædam amicitia excellentiæ; illa enim excellentia objecti, inquit Doctor, non tollit „ quod eſt perfectionis in objecto, ſed illud „ quod eſt imperfectionis. Honeſtas quippe in „ diligibili, & redamatio in dilecto ſunt conditiones per ſe in diligibili, non quidem imperfectionis; imò non eſſet perfectio ſi non redamaret: ſed æqualitas in iſtis eſt conditio concomitans. Deus autem habet honeſtatem & redamationem ſicut amationem, & excellentiùs poteſt eſſe amicitia ad ipſum, ita ut dicatur *Super-amicitia.*

E

Et si arguatur quòd æqualitas est ratio amicitiæ: Verùm est supposita honestate quæ est prima ratio amabilis, æqualitas autem est ratio amicitiæ strictè sumptæ; sed excellentia est ratio habitus magis similis, vel perfectioris, quàm sit amicitia; talem in proposito voco Charitatem. A

Concupiscentiæ verò erga irrationales. *Quantùm* autem ad Creaturas irrationales, certum est eas amari à Deo, non amore quidem amicitiæ; sed amore concupiscentiæ, quatenus illas vult propter commodum & utilitatem rationalium Creaturarum. Cùm igitur Deus omnia inanimata, & irrationalia diligat, ob nostram utilitatem, & commoditatem, sequitur eas non esse objectum amoris amicitiæ & benevolentiæ, nisi fortè imperfectæ. Seu ut loquitur Doctor in 3. dist. 32. ad secundum, B *Licet inanimata non sint propriè diligibilia ex Charitate quæ est amicitia, & ad ipsa non est amicitia propriè habenda: potest tamen haberi ad ipsa aliquod velle ex Charitate, quale scilicet habendum est ad ea: possum enim ex Charitate velle arborem esse & arborem mihi servire ad talem actum, in quantùm talis actus juvat me ulteriùs ad diligendum Deum in se. Et hoc modo potest concedi quòd Deus ex Charitate diligit omnia non volitione amicitiæ, sed tali qualis est habenda respectu eorum.*

Gaudium est formaliter in Deo. Ex his paret gaudium esse formaliter in Deo; est enim affectus de bono possesso quatenus possidetur: Deus autem seipsum bonorum omnium maximum reverà possidet, seipsoque fruitur, adeoque gaudium habet formaliter. C

§. II.

AN ODIUM DEO FORMALITER CONVENIAT.

Odium quotuplex. DVPLEX odium distinguitur, Aliud quidem *Abominationis*, Aliud verò *Inimicitiæ*. Odium abominationis, est displicentia mali quod nos patimur, aut alii: In quo duo involvuntur actus: Primus quidem amoris erga personam: Secundus verò displicentiæ erga malum quod ipsi accidit; idcirco enim dolemus quòd alicui malum accidat, quia ipsum diligimus. Odium inimicitiæ, est velle alicui malum sub ea ratione quâ ipsi malum est. In quo pariter odio sunt duo actus, nimirum displicentia personæ, & complacentia de malo quod ipsi accidit; sic v. g. odiendo personam Petri, Inimicus ejus complacet in jactura ipsius famæ, vel bonorum. Quæritur autem an hoc utrumque odium sit formaliter in Deo. D

VIII. DICO 1. *In eo esse formaliter odium abominationis*, nam ut loquitur sanctus Thomas 1. 2. quæst. 29. num. 1. odium est dissonantia appetitûs ab eo quod nocivum & repugnans apparet: sed impius & impietas est divino honori repugnans: Ergo etiam divino appetitui dissonat, adeoque in ipso est odium. E

Admittitur in Deo odium abominationis.

Deinde, non minùs propriè displicet peccatum Deo, & nollet ab homine fieri, quàm desiderat justam & rectam hominis vitam; displicet autem Deo peccatum duplici ratione nimirum quatenus est sibi contrarium, & quatenus homini nocivum: Ergo peccatum odit Deus ex complacentia sui, & hominis; adeoque haber odium abominationis erga peccatum simul cum amore erga se & erga homines.

Denique, illud formaliter Deus censetur odisse quod ipsius voluntati omnimodè repugnat: sed peccatum divinæ Voluntati omnimodè repugnat, siquidem Deus illud prohibet committendum, & commissum severè punit, & consequenter habet odium abominationis erga ipsum.

Dices: Odium refertur ad subsistentia, sicut & amor qui terminatur ad rem subsistentem, non verò ad accidens: sed peccatum non est subsistens, est enim privatio, & carentia rectitudinis: Ergo illud Deus odisse non potest.

Nego majorem: odium enim abominationis non versatur circa personam, sed circa id quod ipsi est repugnans, & disconveniens, sive sit substantia, sive accidens. Unde hoc odio odimus mortem, ægritudinem, peccata, &c. quæ sunt accidentia; idque formaliter & propriè, alioquin non propriè diceremur odio habere peccatum, de quo dolemus & pœnitemus.

DICO 2. *Odium inimicitiæ esse etiam in Deo formaliter*, ut constat ex illo Exodi 23. *Inimicus ero inimicis tuis*. Et Sapientiæ 14. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus*. Et Psalm. 5. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*. Qui textus disertè affirmant Deum odisse nedum peccatum, sed etiam peccatorem. Secundò, Deus non tantùm vult homini peccatori pœnam, sed etiam illi vult ex displicentia ipsius personæ, & quatenus illius malum est: Ergo odio inimicitiæ habet ipsum peccatorem. Patet antecedens: licet enim ipsa persona quatenus est Creatura Dei, ipsi non displiceat; reverà tamen ei displicet quatenus est peccatis fœdata, quod sufficit ad rationem odii & inimicitiæ; satis enim est quòd persona aliquâ ratione displiceat, ob quam moveatur affectus ad volendum ei malum quatenus malum ipsius est. Deus autem infligendo pœnam propter delictum, vult peccatori malum, ut malum ipsius est; pœna enim ut pœna, est malum illius qui ipsam patitur: Ergo Deus vult peccatori malum ut malum illius est, ex displicentia illius. IX.

Nec-non & inimicitiæ.

Dices 1. Velle alicui malum quatenus est malum ipsius peccatoris qui malum istud justè meretur, est actus amoris justitiæ: Ergo non est odium formaliter.

Nego consequentiam: Illa enim volitio, est formaliter actus odii, quia objectum proprium illius est malum sub ratione mali, licet illud odium ex amore justitiæ interdum procedat.

Dices 2. Voluntas Dei non potest ferri in malum ut malum est: Ergo Deus non potest ita odisse, sicque quando Deus alicui peccatori pœnam infligit, semper aliquam rationem boni intendit, nempe manifestationem suæ justitiæ erga peccatores.

Distinguo minorem: Voluntas non potest ferri in malum quatenus malum est, nisi habeat aliquam rationem boni sibi adjunctam, concedo: si habeat, nego. Dum autem vult malum peccatori, semper equidem intendit aliquod bonum exinde oriundum, nimirum manifestationem suæ justitiæ: quod tamen non obest odio inimicitiæ quod habet erga peccatorem; quia reverà ipsi infligit pœnam ut malum ipsius est, quatenus peccatum ipsi displicet: alioquin neminem odisse possemus odio inimicitiæ, nemini enim volumus malum, nisi quia aliquod bonum verum aut apparens exinde nobis accidit.

Dices 3. Odium inimicitiæ est directè con-

tra Charitatem : sed in Deo non potest dari aliquis (A) actus Charitati oppositus: Ergo nec odium inimicitiæ. *Respondeo* odium ortum ex displicentia personæ peccantis cui pœna infligitur, nō opponi Charitati; aliàs Judex puniendo reum, peccaret contra Charitatem, quod falsum est: Solùm itaque odium Charitati opponitur, quando utilitas, quæ sequitur ex illa volitione mali, solùm est ad sedandā odientis iram: Deus autem non sic vult pœnam peccatori, sed ad manifestationem suæ justitiæ vindicativæ; imò ex Charitate potest aliquis velle malum pœnæ alicui amico peccanti, ut inde castigatus emendetur. Unde in hoc odio tria sunt. 1. Objectum, nimirum malum pœnæ. 2. Subjectum, persona (B) peccatoris. 3. Motivum, nempe peccatum.

§. 2.

De Cæteris Affectibus.

X.

Deus nihil desiderat aut fugit.

Desiderium non est formaliter in Deo, neque *Fuga*, respectu sui ipsius; quia desiderium est inclinatio volentis in bonum absens; fuga verò est declinatio mali imminentis: Deus autem cum sit omne bonum, nullumque futurum bonum & absens sperare possit, nullumque malum ipsi accedere; hinc nec desiderare potest, nec fugere bonum aut malum proprium. Cum autem desiderium & fuga comparari pos- (C) sit ad bonum & malum aliorum, non enim solùm nobis desideramus bonum & fugimus malum futurum, sed etiam aliis: Hac ratione Deus dici potest aliquid desiderare & fugere, siquidem nobis desiderat salutem æternam, ut disertè indicat S. Chrysostomus Hom. 1. in Epist. ad Ephesios, *Vehementer*, inquit, *hoc velle fieri: hoc ipsius erat desiderium, &c.* Nec refert quòd nihil Deo sit absens: sufficit enim ad rationem desiderii & fugæ quòd bonum & malum sit absens illi, cui tale bonum desideramus, & malum fugimus.

XI.

Propriè & formaliter irascitur.

Ira est in Deo formaliter; *Ira enim*, ex Doctore in 3. dist. 34. n. 16. *est appetitus vindictæ secundùm rationem apparentem, propter apparentem parvipensionem*: (D) Seu ut ait Lactantius lib. de Ira Dei cap. 17. *Ira est motus animi ad coercendum peccata insurgentis*: sed talis affectus est formaliter in Deo, ut constat ex pluribus Scripturæ textibus: Ergo, &c. Nec refert quòd sancti Patres, præsertim Basilius in illud Psal. 37. *Neque in ira tua corripias me.* Cyrillus lib. 5. contra Julianum, Cyprianus ad Demetrianum, &c. Iram à Deo removeant, illamque solùm ipsi à Scriptura tribui per metaphoram affirment: Loquuntur enim de ira quatenus importat secum animi commotionem & perturbationem, qualiter etiam interdum divinam (E) iram usurpat Scriptura sacra. Sic Psal. 37. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua, &c.* Item Psal. 29. *Quoniam ira in indignatione ejus*: Et Psal. 105. *Iratus est furore Dominus.* Qui & similes textus metaphoricè & tropicè, hoc est secundùm nostrum modum loquendi interpretandi sunt. Non autem loquuntur sancti Patres de ira quatenus est affectus vindictæ in eo qui possit ulcisci.

Nec dicas iram semper habere secum adjunctam tristitiam; hoc enim solùm verum est, inquit Doctor laudatus, *Quando iratus desiderat vindicare, sed non vindicat: quando autem* (A) *actu vindicat, tunc actus ejus est perfectus, assimilatus fruitioni ex parte concupiscibilis: & tunc irasci irascibilis, est sine tristitia; imò est cum magna delectatione propria secundùm* Arist. 2. Rhetoric. *Ira viri quasi mel.*

Quantùm autem ad actus divinæ voluntatis, qui respiciunt finem aut media; congruentiori ordine & methodo discutientur in Disputatione de Providentia Dei; ubi aperiemus qualiter Deus finem intendat, ad quem omnia per electa congruentiora media destinat, & ordinat.

(B)

ARTICULUS SECUNDUS.

De Libertate Dei.

Difficultatum Theologicarum omnium maximam suscipimus explanandam hoc in Articulo, quæ Theologorum ita torquet ingenia vel absorbet, ut meritò vocari possit sacrarium omnibus mortalibus impervium, & humanis discursibus ænigma prorsus inexplicabile. Unde quod olim de peccato originali dixit Augustinus: *Nihil esse ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius*; Meritò jure de Libertate Dei veriùs affirmari potest; (C) nihil enim naturali ratione evidentius, nihilque divina fide constantius est, quàm Deum habere libertatem; at nihil pariter explicari difficilius, quàm quæ sit genuina ipsius divinæ libertatis natura & ratio. Ut tamen pro modulo nostro, in tot difficultatum ambagibus aliquid resolvamus: Tria proponimus in præsenti Articulo discutienda. Primò quidem, an & quotuplex admittenda sit in Deo libertas. Secundò, quænam sit ratio formalis divinæ libertatis. Tertiò, an & qualis sit ordo inter omnes actus liberos divinæ voluntatis.

Articuli præsentis distributio.

Quæstio Prima.

An & quotuplex sit divina Libertas?

(D)

I.

Libertas in genere duplex.

Notandum 1. Duplicem in genere distingui posse libertatem; scilicet in actu primo, & in actu secundo. *Prior* est ipsa voluntas considerata secundùm se, & quatenus antecedit suum actum prioritate saltem naturæ, estque ex se indifferens ad agendum vel non agendum. *Posterior* est actus ipsius voluntatis, quatenus terminatur ad hoc, vel illud objectum. Quæ iterum duplex distinguitur, nimirum una quoad *Exercitium*, altera quoad *Specificationem*. Prior libertas est omnino ad agendum vel non agendum, seu ad positionem, vel suspensionem actus: (E) Posterior est ad agendum uno aut alio modo opposito, & diverso; ideoque Prior dicitur *contradictionis*: Posterior verò libertas *contrarietatis* appellatur. Non quòd semper contrarios actus exigat; ad ipsam enim etiam pertinent actus disparati, v.g. *velle hoc aut illud*, qualis est in electione unius medii præ alio, inter quæ non semper est contrarietas, imò nec semper diversitas specifica. An autem omnes hæ libertatis rationes in Deo reperiantur, hìc est resolvendum.

Notandum 2. Ex Doctore in 1 dist. 39. n. 21. Voluntatem divinam non esse liberam & indif-

Voluntas divina non est indifferens ad oppositos actus.

ferentem ad diversos actus volendi & nolendi: Hoc enim imperfectionem arguit in voluntate creata, quæ non tendit in objecta volendo, & nolendo unico & simplici actu: sed diversis actibus, propter scilicet limitationem utriusque actus: Divina autem voluntas cùm sit infinita, unico ac simplici actu infinito tendit in objecta opposita: *Ita quòd*, inquit Doctor, *sicut voluntas nostra potest diversis volitionibus tendere in diversa volibilia; ita illa divina voluntas potest unica volitione simplici tendere in quæcumque volibilia; ita quòd si voluntas illa, vel illa volitio esset tantùm unius volibilis, & non posset esse oppositi quod tamen est de se volibile, hoc esset imperfectionis in voluntate divina*, sicut est in voluntate nostra.

III. *Notandum* 3. Ex eodem ibidem voluntatem creatam considerari posse tripliciter in ordine ad suum actum nimirum. 1. Quatenus est productiva sui actus. 2. Ut receptiva ejusdem. 3. Ut operativa mediante illo actu: *Ipsa enim*, inquit Doctor, *est productiva actuum, & ipsa est, quâ habens operatur formaliter volendo; & ipsa est receptiva volitionis suæ*: Infert autem illam esse maximè liberam, in quantum *Est operativa, quatenus nimirum habens eam formaliter, potest eâ tendere in objectum.* Quod intelligendum est de libertate formali; licet enim voluntas nostra tantùm formaliter sit libera quatenus est operativa; nihilominus etiam libera est effectivè, & quatenus est productiva suorum actuum; quia potest hunc vel illum actum producere; imò & actûs productionem suspendere. Divina autem voluntas neque productiva est sui actus, alioquin esset mutabilis; neque receptiva ejusdem, aliàs esset in potentia ad ipsum, quod enti actualissimo repugnat; Solùm itaque divina Voluntas dicitur esse libera, quatenus est operativa.

Voluntas Creata est productiva, receptiva & operativa.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. DEUS *est reverà liber.* Hæc est de fide & probatur 1. ex Scriptura sacra Psalm. 33. *Deus ultionum liberè egit.* Et Psalm. 134. *Omnia quæcumque voluit, fecit in Cœlo, & in Terra, in mari, & in omnibus abyssis. Quid enim difficile ei, cui velle fecisse est*, inquit S. Ambrosius lib. 2. Hexameton. cap. 2. Matth. 11. *An non licet mihi quod volo facere?* Et ad Corinth. 12. de Spiritu sancto dicitur, *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Eandem veritatem confirmant omnes illi Scripturæ textus, in quibus Deus dicitur Judicem agere ac Remuneratorem esse operum omnium, & pro meritis quemque tractare, & nostras exaudire preces, misericordiam exhibere, &c. Si enim ageret ex necessitate naturæ, non posset ab æterno velle bona, vel mala, atque supplicia juxta cujusque merita decernere; nec misereri posset, nec precibus moveri, quia determinaretur ad unum.

Deus liberrimus est ut indicant tum Scriptura sacra.

Eandem veritatem multis prædicant sancti Patres, præsertim sanctus Ambrosius libro 2. de Fide cap. 3. ubi urgens Arrianos, qui negabant Spiritum sanctum sui esse juris ac voluntatis, ne patis cum Deo majestatis esse confiterentur; *Si possibile est*, inquit, *voluntatis interim liberæ Dominum fuisse doceamus. In tantùm processistis impietatis, ut negetis quod Filius Dei liberæ voluntatis sit. Ac certè soletis etiam sancto*

Tum sancti Patres, inprimis Ambrosius.

A *Spiritui derogare, & negare non potestis scriptum esse, Spiritus ubi vult spirat: Ergo si Spiritus ubi vult spirat, Filius quod vult non agit?* Mox Apostolum laudat ita scribentem 1. Cor. 12. *Omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult. Prout vult*, inquit, *hoc est libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio:* Idem suadet de Patre & Filio, ex his Christi Verbis Joann. 5. *Pater quos vult vivificat, & Filius quos vult vivificat.* Ipsi concinit sanctus Epiphanius hæresi 23. *Deus*, inquit, *Pater hominem, & cætera omnia pro sua voluntate procreavit.* Et Machatius homil. 15. dicit, *Hominem eò ipsò ad imaginem Dei esse factum, quòd sit liber ac sui juris; quoniam ut*
B *Deus, liberi est arbitrii, & quod vult facit.* Ipsi astipulatur sanctus Hieronymus Epistola ad cap. 1. ad Philemonem explicans illa verba, *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, ut non quasi ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*, ait: *Hoc quod à plerisque quæritur, & sæpissimè tractatur, quòd Deus hominem faciens non eum bonum rectumque condiderit, de præsenti loco solvi potest: Si enim Deus voluntariè, & ex necessitate bonus est, debuit hominem faciens, ad suam imaginem & similitudinem facere, hoc est ut ipse voluntariè & non ex necessitate bonus esset. Qui autem asserunt ita eum debuisse fieri, ut malum recipere non posset, hoc dicunt:*
C *talis debuit fieri qui necessitate bonus esset & non voluntate; quòd si talis fuisset qui bonum non voluntate, sed necessitate perficeret, non esset Deo similis, qui ideo bonus est quia vult, non quia cogitur.* Hoc est quæ bona sunt, sponte ac liberè producit, ita quod hoc potiùs quàm illud bonum ex libertate eligat bona, etsi non nisi bonum optare potest.

Epiphanius

Macharius.

Hieronym.

Hæc eadem veritas triplici ratione firmatur. 1. Deus est perfectissimus, omnesque præcellentias nullam importantes imperfectionem quas simpliciter simplices appellant, formaliter complectitur: sed libertas est perfectio ejusmodi: Ergo formaliter Deo competit.
D *Major* constat ex iis quæ diximus de divina infinitate. *Minor* etiam est evidens, libertas enim est perfectio præstantissima naturæ intellectualis, quæ pro libito potest hoc vel illud objectum amplecti, actum elicere vel suspendere; in quibus maximè præcellit belluis, & aliis naturis ratione carentibus, quæ ita determinantur ab objectis, & ad agendum ita necessitantur, ut positis omnibus ad operandum desiderandis, nullatenus ab actione possint ex se removeri: Inde sanctus Bernardus in Cantica appositè dixit, *Arbitrii libertas est planè quid divinum, præfulgens in anima, tamquam*
E *gemma in auro.*

Tum etiam ratione Theologica.

2. Libertas est dominium, quod intellectualis natura habet in actus suos, quos pro nutu elicere potest vel non elicere, & in objecta quæ potest pro suo arbitrio prosequi vel aversari: Sed Deo entium supremo competere debet summum dominium, non quidem in suos actus, qui sunt idem realiter cum essentia, sed in objecta saltem quæ ad ejus arbitrium fiunt, conservantur, & ordinantur: Ergo ei competit libertas.

3. Ipsa mundi molitio satis convincit Deum in eo condendo liberè egisse: Vel enim produxit mundum liberè, vel naturaliter & necessariò: Sed non produxit ex naturæ impetu, quia

est agens ratione & voluutate prædirum: Ergo ipsum produxit liberè, proinde ex se libertate præcellit.

Quatuor momenta quibus Doctor demonstrat aduersus Philosophos Deum non agere necessariò.

Minorem probat Doctor in 1. dist. 8. quæst. 5. num. 17. ubi adversus Philosopbos demonstrat quatuor rationibus Deum non agere necessariò. *Primò*, quia sequeretut ens summè necessarium dependere ab ente minùs necessario, nec illud sine hoc posse subsistere; Agens enim necessatium habet habitudinem ad causatum necessariò, quæ habitudo stare nequit nisi stante utroque extremô; proindeque unô extremô positô aliud necessariò ponitur, & uno pereunte perir alud; sicque Deus subsistere non posset quin Creatura pariter existeret, imò ab ejus existentia dependeret. *Secundò*, si Deus ageret necessariò, nihil esset contingens in rebus; quia si causa prima necessariò moveat secundam, etiam secunda tertiam, & sic omnes causæ subordinantes ac superiores, causas inferiores ac subordinatas necessariò movebunt; adeoque nulla contingentet operabitur, sicque nullus erit effectus contingens: sed id apertè falsum ipsâmet experientiâ constat.

Tertiò, si Deus ageret necessariò, nullum esset peccatum & malum vituperabile, quia Deus illud necessariò faceret. *Quartò*, sequeretur quòd causa secunda nihil omnino causaret, quia præveniretur à prima in effectu producendo: Si enim causa prima ageret naturaliter & necessariò, etiam ageret secundùm omuem suam activitatem & ad extremum suæ potentiæ, quæ cùm sit infinita, adeoque ad omnem omnino effectum sese extendat, evidens est quòd si Deus ageret uaturaliter & necessariò, nihil relinqueret producendum à causis secundis. Hoc autem est apertè falsum: Ergo certum est Deum nou naturaliter & necessariò, sed contingenter & liberè agere; adeoque esse libertate præditum.

V. *Dices* 1. Libertas est potentia indifferens ad eliciendum actum, vel non eliciendum: Sed in Deo non est talis indifferentia; Deus enim cùm sit actus purus & summè simplex, pluralitatem actuum, & indifferentiam ad actus excludit.

Distinguo majorem: Libertas creata, concedo: increata, uego: Cùm enim divinæ Voluntatis actus ex se sit infinitus, simplex & necessarius secundùm entitatem, & solùm indifferens penes terminationem ad varia objecta; Idcirco divina Voluntas non censetur esse libera & indifferens ad actum, sed tantummodo secundùm objectum. Secus est autem de voluntate creata, quæ non solùm penes objecta prosequenda, vel aversanda, sed etiam penes varios actus indifferentiam sibi vindicat.

Dices 2. Si Deus esset liber erga Creaturas, posset se communicare, vel non se communicare Creaturæ: sed ita non est. *Probatur*, Deus habet naturalem inclinationem ad se communicandum: Omne enim bonum est sui diffusivum: Ergo summum bonum, qualis est Deus, est sui maximè diffusivum & summè communicativum: adeoque si seipsum non communicaret, contra suæ bonitatis inclinationem ageret: sed ita agere nequit: Ergo nec potest se non communicare Creaturis.

Deinde, Deus perfectiùs seipsum amat, cùm non tantùm sibi ipsi, sed etiam aliis sese communicet.

Denique, velle efficaciter se communicare, est actio recta & honesta, quâ Deus careret si nihil extra se efficaciter vellet: & consequenter absque præjudicio suæ perfectionis, & bonitatis non potest non velle sese Creaturis communicare.

Bonitas divina est sui communicativa cum subordinatione ad voluntatem.

Nego majorem, & ad primam illius probationem dico, illam inclinationem quam habet Deus ad se communicandum, nihil aliud esse quàm naturalem aptitudinem sese communicandi; non autem importare, nec designare aliquam exigentiam aut tendentiam, quæ inquietudinem, vel imperfectionem adjunctam habeat, quousque fiat talis communicatio: Unde talis inclinatio divinæ bonitatis ad se communicandum, subordinatur ipsius libertati, quatenus nimirum divina bonitas est sui communicativa, ex hypothesi quòd divina Voluntas illud jubeat & decernat.

Ad secundam probationem dico, Deo nullam accedere perfectionem, ex eo quòd velit se communicare ad extra; sibi enim ipsi sufficit, & ipsius amor, summaque beatitudo nullatenus ab existentia Creaturarum pendet; & ideo non se diligit perfectiùs, dum ipsius amor tendit etiam in Creaturas, ac si tantùm seipsum diligeret.

Ad tertiam probationem: Fateor equidem talem cõmunicationem esse actionem honestam & rectam, non ita tamen quòd si illam communicationem Deus facere nollet, aliqua in ipso exurgeret indecentia. Sicut enim potuit velle se abundantiùs & perfectiùs communicare quàm de facto se communicavit, producendo nimirum Creaturas perfectiores illis quas de facto produxit; idque non videretur summam illius bonitatem ac liberalitatem dedecere: Nulla tamen est in ipso indecentia, quòd non velit ampliùs nec perfectiùs se communicare. Cùm itaque tota rectitudo & honestas actûs oriatur ex libera determinatione & voluntate Dei, quæ totius rectitudinis fons est & exemplar; idcirco divina communicatio in tantùm censetur esse recta & perfecta, in quantùm à Deo liberè decernitur.

Dices 3. Divinæ libertati obsistere videtur S. Dionysius in l. de Divinis nominibus, ita enim loquitur cap. 4. *Quemadmodum ille noster Sol, neque intelligentiâ utens, neque electione, sed eô ipsô quod est, illustrat omnia, quæ ipsius lumen secundum rationem propriam participare possunt: Sic etiam summum illud bonum, ac Sole ipso tanquam obscura ejus imagine præstantius archetipum, in ea omnia quæ sunt, proportione radios universæ bonitatis effundit.*

Respondet Sanctus Thomas 1. part. quæst. 19. art. 4. ad primum: quòd sanctus Dionysius, *Per verba illa non intendit excludere electionem à Deo simpliciter, sed secundùm quid; in quantùm scilicet non quibusdam solum bonitatem suam communicat, sed omnibus, prout scilicet electio discretionem quandam importat.* Verùm, rectiùs respondet sanctus Maximus martyr in Scholiis ad eundem locum, eatenus valere similitudinem Solis, quòd ut iste adventitium lumen non habet, sed ingenitum & naturale: ita Deus non accidentalem & adventitiam bonitatem obtinet, sed insitam & nativam: Imò ipsa est bonitas, sicut Sol, lux est ipsa quodammodo.

CONCLUSIO

CONCLUSIO SECUNDA.

VIII. Deus est liber tum libertate contrarietatis.

AFFIRMARI *potest in Deo libertas, tam contrarietatis, quàm contradictionis circa objecta.* Hæc conclusio duas habet partes, quarum prima fit euidens ex dictis: Libertas enim contrarietatis, est ea, quâ volnutas dicitur habere actus oppositos, & tendere in objecta inter se velnti contraria: sed ex dictis constat divinam voluntatem habere actum amoris, & odii formaliter, nec-non & tendere posse in objecta opposita per actus diversos; non quidem secundùm entitatem, sed secundùm terminationem; nimirum in Petrum justum per actum amoris, & in eumdem postmodùm peccatorem per actum odii: Ergo hæc libertas contrarietatis affirmari potest esse in Deo formaliter.

IX. Tum libertate contradictionis.

Probatur secunda pars: Libertas contradictionis, est quâ voluntas potest agere, vel non agere, actum elicere, vel suspendere: sed hæc est in Deo: Ergo, &c. Probatur minor *primò:* Si Deus non posset suspendere terminationem suæ volitionis ad Creaturas, & exercitium suæ libertatis, sequeretur admittenda esse in ipso infinita ferè decreta conditionata circa infinitas ferè combinationes & suppositiones possibiles: Sed illud est absurdum, imò & nugatorium, quòd in Deo sit decretum positivum, & actuale, quô velit positivè ac determinet, quòd si canis latret, v. g. vinea non germinabit; si Petrus sedeat Romæ, Joannes convertetur Parisiis, idem dicendum de similibus aliis humanæ mentis deliriis: Ergo congruentius est asserere divinam Voluntatem circa hujusmodi conditionata disparata manere veluti suspensam, & habere solùm circa illa decretum negativum, seu negationem liberam decreti.

Deinde, Si Deus ita suspendere non posset suæ libertatis exercitium erga Creaturas, maximè quia hæc suspensio aliquid divinæ perfectioni & actualitati detraheret: sed ex tali suspensione non sequitur ulla catentia perfectionis & actualitatis in Deo: Ergo, &c. Probatur minor: Exercitium liberum volitionis divinæ non connotat, nec importat aliquam perfectionem intrinsecam in Deo, sed tantùm rationem terminationis & tendentiæ in aliquid extrinsecum: Ergo suspensio illius exercitii nihil detrahit divinæ perfectioni, nec actualitati. Antecedens constabit ex sequenti quæstione: Consequentia verò probatur, ideo absque ulla imperfectione Misericordia, Justitia, & Omnipotentia divina manere possunt ob omni exercitio suspensæ, quia tantummodò liberè terminantur ad Creaturas, quas si Deus non produxisset, nullum Justitiæ, Misericordiæ, & Omnipotentiæ erga ipsas habuisset exercitium: Ergo pari ratione etiam divina Voluntas suspendere potest suum actum circa decretum de futuritione illarum Creaturarum absque omni imperfectione.

Denique, Sicut se habet divinus concursus in ordine ad existentiam rerum, ita se habet ejus decretum liberum circa illarum futuritionem: sed ad negationem existentiæ alicujus rei, non opus est ut Deus habeat influxum positivum suæ omnipotentiæ, sed tantùm sufficit sui influxus suspensio & negatio: Ergo similiter ad negationem futuritionis, non opus est ut Deus formet aliquod positivum decretum, quô po-

A sitivè decernat, se nolle decernere talis, aut talis Creaturæ possibilis futuritionem: sed sufficit libera illius decreti positivi de rerum futuritione negatio, seu suspensio libera divinæ Voluntatis: Ergo divina Voluntas suum actum suspendere potest, quantùm ad terminationem & tendentiam in Creaturas; adeoque affirmari potest in ea libertas contradictionis.

Dices 1. Necessarium est rem aliquam esse futuram, vel non esse futuram: Ergo pariter necessariũ est Deum velle eam esse futuram, aut nolle eam esse futuram. Consequentia videtur aperta; idcirco enim primum est necessarium, quia constat ex terminis contradictoriè oppositis: sed etiam secundùm tale est: Ergo eadem

B ratione debet esse necessarium.

Nego consequentiam: Reverà enim prima propositio est verè contradictoria, quia inter rem esse futuram & non esse futuram non datur medium; sicut nec inter esse, & non esse: At verò secùs est de secunda propositione, quia inter velle rem esse futuram, & velle non esse futuram cùm non sit oppositio contradictoria, sed contraria, inter utrumque assignatur medium, scilicet *non velle*, per meram suspensionem volitionis.

Dices 2. Divina Voluntas ut libera, non minùs est in ultima sua actualitate, & actus purus, quàm sit divina Essentia: Ergo sicut divina Essentia est omnimodè determinata ad exi-

C stentiam, & necessariò actus purus; etiam divina Voluntas debet esse omnimodè determinata ad operationem; adeoque non potest manere suspensa.

Distinguo consequentiam: Divina Voluntas debet esse in ultima sua actualitate, & determinatione quantùm ad entitatem actûs, concedo: Quantùm ad exercitium & terminationem ejusdem ad objectum extrinsecum, nego: alioquin si quid probaret hoc argumentum, etiam concluderet divinam Voluntatem debere actu habere omnes terminationes positivas ad Creaturas, quas potest producere.

D *Dices* 3. Hæc suspensio decreti officit divinæ scientiæ certitudini & infallibilitati respectu futurorum contingentium: Ergo non est admittenda. Probatur *antecedens* ex iis quæ diximus. Deum futura contingentia cognoscere in decreto conditionato: Ergo si fit suspensio decreti circa quasdam Creaturas futuras, non poterit illarum futuritionem, vel non futuritionem certò cognoscere.

Nego anteced. & ad ejus probationem dico, Deum equidem cognoscere futura, vel absoluta, vel conditionata in decreto positivo conditionato, vel absoluto: Quantùm verò ad ea quæ cognovit non esse futura, illius cognitionis certitudo fundatur, vel in decreto positi-

E vo quô Deus absolutè, vel conditionatè noluit illorum futuritionem, vel in suspensione, seu libera negatione decreti, quâ noluit se determinare ad illorum futuritionem, aut non futuritionem. Unde duplex affirmari potest esse medium, in quo divina scientia potest certò cognoscere aliquid non esse futurum. Primum quidem est decretum positivum, quô positivè statuit rem non esse futuram: Secundum est decretum negativum, seu suspensio & libera omissio omnis decreti positivi circa ejusdem rei futuritionem, vel non futuritionem.

Quæstio Secunda.

In quo formaliter consistat Divina Libertas?

I. NOTANDUM 1. tot ac tãtis difficultatibus implexã videri præsentis quæstionis resolutionem; ut plerique Theologi non dubitaverint asserere hanc veritatem esse mortalibus imperviã, & solis beatis mentibus in clara Dei visione apertè manifestandam: Nec immeritò quidẽ, tot enim syrtibus ac scopulis abundat, ut certum naufragium scrutatori cuique prænuntiet; & tam ingentes difficultates amplectitur, ut sapientiores quique Theologi vix habeant quid reponant. Vel enim, illa divina libertas asseritur esse aliquid intrinsecum vel extrinsecũ: Si primum, cum omnis actus liber ex formali suo conceptu petat fieri, vel non fieri, sicque possit esse, vel non esse; si libertas ipsius actûs sit aliquid intrinsecum Deo, consequens est Deum carere posse aliquô sibi intrinsecô, quod ipsius divinæ immutabilitati repugnat. Si verò aliquid extrinsecum affirmetur, non minor exurgit difficultas; nam de ratione actus liberi est, quod sit immanens, & vitalis; adeoque per formam extrinsecam & non vitalem constitui nequit. Nihilominùs ut pro modulo nostro ex tot variis Theologorum placitis quid circa hanc Quæstionem certius veriusque tenendum sit, aperiamus.

Quàm sit intricata præsentis Quæstionis resolutio?

Notandum 2. Quòd etsi circa præsentis Quæstionis resolutionem variæ sint Theologorum sententiæ; nihilominus duas esse principes & extremas inter se omnino oppositas, ex quibus quasi rivuli è fontibus cæteræ emanarunt. *Prima*, ut Dei immutabilitatem omnimodam astruat, videtur ejus libertatem destruere: affirmat enim actum liberum in Deo non esse aliquid intrinsecum; sed omnino extrinsecum, nec aliud esse quàm effectum extrinsecùs productum: Ita quòd, licet principium liberè productivum ipsius actus sit intra Deum, & reverà vitale; nihilominus denominatur liberum per denominationem extrinsecam ex actione quâ Creaturas ad extra producit, quæque juxta hanc sententiam est formaliter transiens & in ipsis Creaturis recepta. Ita censet Aureolus in 1. dist. 47. art. 1. cui plures Moderni adstipulantur. *Secunda* sententia priori extremæ opposita, ut integram servet Dei libertatem, videtur ejus immutabilitatem destruere; docet enim decretum Dei liberum esse quandam perfectionem liberam Deo intrinsecam ratione distinctam à perfectione necessaria, quæ, quia libera est, absque ulla imperfectione potest abesse à voluntate divina. ita docet Cajetanus quæst. 19. art. 2. cui consentire videntur Fonseca & Salaz, pluresque alii Moderni, inter quos maximè enitet noster Poncius in commentario ad distinctionem 39. Doctoris n. 18. & sequentibus, ubi solvit præcipua momenta, quæ adversus Cajetani sententiã possunt objici.

Quam variæ sint circa eius resolutionem Theologorum sententiæ?

Inter has autem oppositas sententias, plures sunt intermediæ, maximè verò tres, quæ utriusque extremæ sententiæ rigorem emollire & temperare nituntur: Prima quidem asserit decretum Dei liberum non consistere adequatè in formalitate intrinseca, nec in aliquo extrinseco, sed in utroque simul; ita quòd ad divinam libertatem simul conferant, & actus divinæ Voluntatis, & actio Creaturæ productiva, aut ipsa Creatura à Deo producta. Ita sentiunt Basilius Legionensis *disp. 6. c. 5.* Grenado *Tract. de Voluntate Dei disp. 5.* Arrubal *disp. 16. art. 61.* & cæteri. Secunda affirmat actum Dei liberum formaliter vel saltem inadæquatè constitui per respectum rationis ad Creaturas existentes, aut futuras: ita Capreolus *in 1. dist. 45. quæst. 1.* & Ferrariensis *Primo contra Gentes cap. 82.* quibus consentire videtur Vasquez *Disp. 22. c. 2.* ubi ait, *Voluntas libera Dei, est ipsa Essentia divina per modum actûs eliciti, includit tamen quandam habitudinem rationis ad res futuras.* Tertia denique affirmat libertatem Dei nihil aliud esse quàm actum entitativum ipsius divinæ Voluntatis, qui prout infinitus est, liberè tendit in objecta creata, & ab eis terminatur, & veluti objectivè completur per objectum & effectum extrinsecum: Ita quòd divinum velle liberum sit ipsemet actus Dei necessarius quoad entitatem, & liber tantùm quoad tendentiam & terminationem: quæ sententia cùm cæteris videatur certior, etiam est cæteris præferenda, ut autem evidentiùs appareat.

Notandum 3. Actum divinæ Voluntatis se habere quodãmodo ad objecta libera, sicut voluntas nostra se habet ad liberos actus: in eo maximè quòd sicut voluntas nostra eadem in se manens intrinsecè sine ulla sui mutatione, vel additione reali, exercet actum, vel non exercet, & hunc actum elicit vel illius oppositum: alioquin abiretur in infinitum; si inter ipsam voluntatẽ & actum producendum desideraretur aliquod medium reale, quô voluntas seipsam determinaret ad agendum & producendum actum: Sic actus divinus idem quoad realem entitatem, potest objectum velle aut non velle: aut nolle, & velle hoc aut illius oppositum: adeo ut actualis illa, & perfectissima entitas, quæ appellatur divina volitio, non sit comparanda cum nostris actibus liberis, sed potius cùm nostra libertate: Sic enim actus ille se habet quodammodo ad objecta libera, ut voluntas nostra ad suos actus liberos. Nec mirum videri debet, quòd Deus per unicum actum plura facit, & modô quôdam excellentissimô exercet, quod nos præstare tantùm possumus per plures actus, idque maxima cum imperfectione propter finitatem & limitationem nostrorum actuum.

Conclusio Prima.

III. DIVINA *Libertas, nec adequatè, nec inadequatè constituitur formaliter per aliquid extrinsecum Deo, sed est perfectio Deo intrinseca.* Hæc est contra Aureolum & ejus Sequaces.

Libertas Dei est perfectio ipsi intrinseca.

PROBATUR PRIMÒ: Per id non constituitur formaliter divina libertas quod est ipsâ naturâ posterius: Sed operatio extrinseca & omnis externus effectus, est naturâ posterior volitione Dei libera: Ergo hæc per neutrum constituitur. *Major* patet: quod enim supponit aliud constitutum essentialiter, non potest esse illius constitutivum: sed quod est naturâ posterius divina libertate, supponit illam essentialiter, & formalitèr constitutam: Ergo non potest esse illius constitutivum. *Probatur minor*; Illud est naturâ posterius libertate divina quod causatur per volitionem Dei liberam: Sed omnis effectus externus verè causatur per omnipotentem Dei volitionem liberam: Ergo est ipsa posterior. *Major* patet: omnis enim causa naturâ

Ut probatur quadruplici ratione.

1. Quia operatio extrinseca est divina libertate posterior

posterior est suo effectu. Minor probatur: Primò quidem ex Scriptura sacra quæ pluribi asserit Deum liberè Creaturas producere. Sic Psalmo 113. *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in Cœlo & in Terra.* Ephesiorum 1. *Operatur omnia secundùm Consilium*, id est decretum, *voluntatis suæ*, &c. Et Apocalypsis 4. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt*: Ergo volitio Dei libera est causa futuritionis rerum, non verò futuritio rerum, est ratio constitutiva ipsius liberæ volitionis.

Deinde, tam volitio libera ut libera, dicitur esse causa rerum, quàm omnipotentia: sed omnipotentia formaliter considerata, est verè productiva rerum, & prior effectibus à se productis, neque per illos constituitur in ratione omnipotentiæ: Ergo nec etiam libera volitio divina adæquatè, vel inadæquatè constituitur formaliter per effectus à se productos.

Denique, si effectus productus esset ratio formalis constitutiva divinæ libertatis, sequeretur divinam Voluntatem imperfectiorem esse voluntate creata; Voluntas enim creata est intrinsecè & adæquatè libera antecedenter ad operationem extrinsecam: Ergo divina Voluntas cùm longè sit præstantior, perfectè & adæquatè est libera antecedenter ad omnem effectum productum.

2. Quia Deus est ab æterno liber, non ita verò operans ad extra.

Probatur Secundò: Si divina libertas constitueretur per aliquid extrinsecum, sequeretur quòd Deus ab æterno nullum habuisset decretum liberum actuale: sed falsum consequens: Ergo & antecedens. Patet minor pluribus Scripturæ sacræ textibus, quibus divinum decretum æternum prædicatur: Sic Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum à constitutione mundi*: Et Ephesiorum 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, &c.* Probatur sequela majoris: Tunc non censetur esse actuale decretum liberum, quando non est actu id quod per illud decretum liberum formaliter constituitur: sed effectus extrinsecus per quem diceretur constitui libertas divina, non est actu ab æterno: Ergo neque decretum illud est actuale ab æterno.

Nec dicas ad id sufficere, quòd effectus externus sit futurus: Eòdem modò enim decretum est, quô ejus constitutivum: sed constitutivum decreti divini, nempe creatio mundi, non est actu ab æterno: Ergo pariter si illa mundi creatio v. g. esset constitutiva liberi Dei decreti, consequens est quòd decretum illud non sit actu ab æterno, sed tantùm esset futurum.

3. Quia habet quosdã actus liberos quibus nihil physicè producit.

Tertiò: Deus plures habet actus liberos, quibus nihil physicum extra se producit: Ergo actus ille liber non constituitur physicè & formaliter per effectum extrinsecùs productum. Probatur antecedens variis exemplis, maximè in dispensatione voti, & in remissione peccati venialis, nec-non & reatûs per indulgentias & suffragia, quibus nihil omnino extra Deum producitur, per quod illa dispensatio & remissio facta per puram condonationem, libera constituatur.

Deinde, Deus habet varia decreta conditionata, nec-non & scientiam futurorum conditionalium, quæ non possunt fieri libera per effectum extrinsecum, cùm per illa decreta nihil producatur in re; v. g. videt & decernit Deus conditionatè, *Si vocarem Petrum tali tempore, & tali modo, converteretur*, quem tamen non vocat.

Denique, actus illi positivi, quibus Deus non vult facere aliquid, v. g. non producere mundum perfectiorem, non possunt constitui per aliquid extrinsecum, cùm nihil extrinsecùs producatur: sed illi actus verè sunt liberi: Ergo libertas actûs divini non repetitur ab extrinseco.

Insuper: Actus complacentiæ quô Deus sibi complacet in bonis à se jam productis juxta illud Genesis 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, actus, inquam, ille nullam mutationem efficit in Creatura, alioquin fieret processus in infinitum; etenim circa illud causatum à Deo per hanc complacentiam, Deus haberet alium actum complacentiæ, & sic deinceps: Nihilominus ille actus est liber; est enim circa objectum creatum existens: Similiter actus quô Deus decrevit dare gloriam omnibus si in gratia decederent, nullam ponit mutationem in plurimis qui gloriam non assequuntur propter defectum illius conditionis: ille tamen actus est liber: Ergo divina libertas non constituitur formaliter per aliquid extrinsecum.

4. Quia ex opposita sententia, varia sequuntur absurda.

Quartò denique: Si decretum Dei liberum in denominatione extrinseca petita ab actione transeunte, quâ Deus Creaturas ad extra producit, consisteret formaliter; plura sequerentur absurda. *Primò* quidem sequeretur Deum non esse formaliter, sed tantùm metaphoricè liberum; externa enim Creaturarum productio nonnisi metaphoricè appellari potest Dei volitio; potestque tantùm esse voluntas signi, non beneplaciti. *Secundò* sequeretur Deum absque ullo inconvenienti posse aliquid velle de novo quod ab æterno non volebat, non enim inconveniens est quòd illa actio transiens productiva Creaturarum, de novo ponatur.

Denique, sequeretur ex illa sententia, quod hæ propositiones ex Scriptura sacra haberent sensum nugatorium; hæc enim, *Omnia quæcumque voluit fecit*, significaret; omnia quæ fecit cum posset non facere, nihilominus fecit. Item *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret*, sic esset exponenda, dedit filium mundo ut daret filium, quod est ridiculum.

IV.

Libertas divina etiam inadæquatè non consistit in extrinseco.

Ex his collige Deum non constitui formaliter liberum, etiam partialiter & inadæquatè, per aliquid extrinsecum, nimirum per effectus quos extra se producit, vel per actionem transeuntem per quam illos produxit: *Tum quia* implicat causam etiam inadæquatè constitui per effectum naturâ posteriorem: sed Creaturæ productæ, & actio productiva illarum, sunt effectus decreti liberi divinæ Voluntatis: Ergo decretum hoc nequit constitui liberum, nec per effectus productos, nec per actionem productivam: *Tum quia* nihil potest liberè sequi ad voluntatem, nisi vel ipsa volitio, vel aliquid aliud mediante ipsa volitione libera; alioquin volitio non requireretur ad actualem libertatis exercitium, quod falsum est tam in Deo quàm in nobis: Sed ipsa actio transiens aut effectus productus, aut producendus non est formaliter volitio divina, ut est evidens: Ergo illa actio transiens vel effectus per eam productus, aut producendus, supponit liberam Dei volitionem à qua sequitur, & consequenter illam non constituit: *Tum denique quia*

volitio libera creandi v. g. mundum, ab æterno Deo convenit, & consequenter ab æterno Deus habet adæquatum illius liberi decreti constitutivum: Sed nec effectus producendus, aut productus, nec actio illius productiva (ex hypothesi quòd sit transiens) sunt in Deo formaliter ab æterno, ut constat: Ergo illa volitio libera non constituitur etiam inadæquatè per effectum productum, nec per transeuntem actionem illius productivam.

CONCLUSIO SECUNDA.

V. Neque etiã in forma contingenti distincta à perfectionibus necessariis.

DIVINA *libertas non constituitur per aliquam formam intrinsecam distinctam à perfectionibus necessariis, & contingenter in Deo repertis.* Hæc est contra Cajetanum 1. p. quæst. 9. art. 2.

PROBATUR PRIMÒ: Si divina libertas esset forma intrinseca quâ Deus carere posset, sequeretur illum esse intrinsecè mutabilem; Sed falsum consequens: Ergo & antecedens. *Minor* patet ex dictis de Immutabilitate divina. *Probatur verò sequela* majoris: Ille dicitur intrinsecè mutabilis, qui potest aliquam perfectionem intrinsecam habere vel non habere: Sed si volitio libera, seu decretum Dei liberum consisteret in aliqua forma intrinseca contingenti, Deus potuisset aliquam perfectionem intrinsecam habere, vel non habere: adeoque esset mutabilis intrinsecè.

Major constat: *Minor verò probatur*: Libertas est perfectio intrinseca: Ergo formale constitutivum libertatis divinæ debet etiam esse intrinseca perfectio. Consequentia patet: Probatur antecedens: Omnis actus vitalis est perfectio viventis, est enim vita in actu secundo; vita autem est excellentissima perfectio quâ viventia excedunt perfectionem vitâ carentium: Sed omnis actus liber Dei, est actus vitalis; est enim intrinsecum exercitium Dei liberè se determinantis ad ea quæ vult: Ergo est etiam intrinseca perfectio.

Adde quòd omnis actus virtutis, est perfectio, non solùm Physica, sed etiam moralis, & digna laude & speciali amore: Sed actus liberi Dei, sunt actus virtutum Charitatis, Justitiæ, Misericordiæ, Liberalitatis, &c. Ergo reverà actus quatenus liberi, sunt perfecti; adeoque libertas divina est perfectio; & consequenter forma constitutiva libertatis formaliter, est etiam perfectio: quæ cum sit libera, & contingens, potest esse, vel non esse, Deus enim potuit non velle creare mundum, Verbum incarnari, homines & Angelos ad vitam æternam prædestinari, & alia hujusmodi quæ extra se efficaciter voluit: Ergo si libertas per aliquam formam intrinsecam, extensivam & superadditam perfectionibus necessariis constituatur, sequitur Deum esse intrinsecè mutabilem.

SECUNDÒ: Illa forma Deo intrinseca, vel est realiter identificata cum entitate divina, vel non: Si primum, non potest entitativè deficere, nec à Deo abesse, sicque solùm terminativè & extrinsecè erit contingens & libera, non autem intrinsecè. Si secundum: sequitur quod Essentia divina est in potentia ad illam formam, quod actui puro & infinitè perfecto repugnat.

Deinde, omnis perfectio entitativè defectibilis imperfectionem importat; siquidem posse esse & non esse est maxima imperfectio, adeoque si forma illa per quam Deus constituitur liber, possit entitativè deficere, Deus habebit aliquid intrinsecum quod erit imperfectum.

TERTIÒ: Illa forma quâ Deus vellet liberè, quæque ipsi necessariò non esset identificata, aut esset Deus, aut Creatura, esset enim ens reale, adeoque vel creatum, vel increatum: Si Deus: Ergo darentur duo Dii realiter distincti; & præterea daretur aliquid habens rationem Deitatis quod non esset necessariò existens, siquidem hæc forma posset existere, vel non existere. Si Creatura, cùm Deus per illam formam determinari deberet intrinsecè ad agendum, sequeretur ipsum à Creatura dependere, nec independenter ab ipsa posse agere: Hæ autem omnes consequentiæ absurdissimæ sunt, & Dei unitati ac independentiæ repugnantes: & consequenter non immeritò Cajetani sententia à melioris notæ Theologis acriter impugnatur, nec-non tanquam suspecta, & in fide minùs tuta respuitur.

Ex his collige actum Dei liberum non etiam constitui per modum aliquem realem à Deo distinctum, qui potuerit Deo deficere quantùm ad suam realitatem modalem, ut volunt Fonseca & Salas. *Tum quia* omnis entitas sive realis, sive modalis, imperfectioni admixta, à Deo entium perfectissimo est removenda: Sed illa modalis entitas cùm possit deficere, habet imperfectionem admixtam; aliquid enim posse non esse, est maxima imperfectio, cum possit abire in nihilum, quod est infimus imperfectionis gradus: Ergo est à Deo removenda. VI. Nec in modo aliquo defectibili.

Adde quòd in ipsummet modum realem, eædem omnes militent rationes, quæ pugnant adversus formam intrinsecè constitutivam divinæ libertatis.

CONCLUSIO TERTIA.

DIVINA *libertas non etiam formaliter constituitur per aliquem respectum rationis ad Creaturas.* VII. Neque etiam in aliquo respectu rationis.

PROBATUR PRIMÒ: Ille respectus rationis si quis esset, fingeretur, vel ab intellectu creato, vel ab increato. Sed neutrum dici potest: Non primum, aliàs non esset antequam existeret intellectus creatus, adeoque non esset ab æterno, nec consequenter Deus esset ab æterno liber. Non etiam secundum: *Tum quia* intellectus divinus non facit entia rationis fictitia, ut omnes communiter fatentur: *Tum quia* fingeretur ille respectus, vel necessariò, vel liberè: Si necessariò: Ergo Deus necessariò haberet volitionem liberam, quia necessariò haberet illam relationem rationis fictam, per quam volitio libera constitueretur. Si liberè: Ergo divinus Intellectus esset potentia libera ex se, quia ex se posset fingere, vel non fingere illam relationem, sicque divina Voluntas non esset radix divinæ libertatis, quod nullus Theologorum admisetir.

Si dixeris illum respectum non fingi, sed resultare ad positionem volitionis necessariæ Dei.

Contra primò: Quod sequitur, & resultat directè ad existentiam & positionem causæ realis formaliter non cognoscentis, nec fingentis, est omnino reale: Sed volitio necessaria ad

quam sequeretur ille respectus rationis, esset causa realis non cognoscens, nec fingens; Adeoque etiam ille respectus esset realis.

Deinde, ille respectus qui resultaret ad positionem volitionis necessariæ Dei, resultaret necessariò, vel liberè. Si necessariò: Ergo Deus necessariò vellet liberè producere mundum v. g. sic enim vellet quomodo haberet hunc respectum, illum autem necessariò haberet. Si liberè: Ergo quemadmodum ille respectus posset resultare, vel non resultare liberè, ad positionem illius necessariæ volitionis; ita etiam ipsamet mundi productio sequi posset per se immediatè ad positionem ipsius volitionis absque illo respectu; non enim major est difficultas unius quàm alterius, sicque respectus ille gratis asseritur, & absque ullo fundamento.

His adde quòd Deus sit formaliter & intrinsecè liber, talis autem constitui nequit per ullum respectum rationis, ut patet, nulla enim forma fictitia intrinsecè afficit, & denominat entitatem realem: Ergo multo minùs afficiet & denominabit Deum omnium entium realissimum.

Dices ex Doctore in 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *num.* 18. productio divina ad intra relatio realis est, ad extra autem est relatio rationis. Similiter *numero* 20. productio divina quâ Deus producit aliquid ad extra, non est absolutum in eo, secundùm omnes, quia secundùm nihil absolutum in se respicit creaturam: Ergo necesse est omnes dicere illam productionem quâ dicitur Deus producens, esse respectum non utique realem, sed rationis, ut ipsemet explicat *num.* 23. Ergo à pari volitio libera circa Creaturas est etiam relatio rationis.

VIII. *Nego consequentiam:* Hoc est enim discrimen inter creationem & decretum Dei liberum, seu volitionem liberam, quòd, ut inquit Doctor laudatus num. 23. CREARE *significat relationem passionis, & connotat actum Essentialem divinum intrinsecum, non tantùm absolutè, sed ut transit super objectum extra: Deum autem* VELLE *creaturam esse principaliter, dicit actum divinum, licet connotet transitum ejus super objectum, &c. Unde in forma arguendi, est figura dictionis, quia mutatur* AD ALIQUID: Id est relatio *in* AD SE, id est in absolutum, *sicut si argueretur sic; similem esse est referre: sed album esse est similem esse: Ergo album esse est referre.*

Discrimen inter decretum & actum creationis.

ADDE QUOD volitio libera est ab æterno, creatio autem seu relatio rationis creantis ad creaturam, est tantùm in tempore: Unde licet Deus constitueretur & diceretur formaliter creans per relationem rationis, non propterea diceretur formaliter liberè volens per eandem relationem.

Urgebis: Decretum liberum ex Doctore dicitur connotare transitum super objectum creatum; Sed hæc connotatio est relatio rationis: Ergo reverà decretum constituitur in ratione liberi per relationem rationis.

IX. *Respondeo* ad majorem, idcirco Doctorem asserere VELLE DEI LIBERUM connotare transitum super objectum, ut significaret discrimen inter objectum creatum & increatum, quatenus ab eadem volitione attingitur; ita quòd illa volitio dicatur *Necessaria*, quatenus respicit & terminatur ad id quod divinum est: dicitur autem *Libera*, quando transit super creaturam, quæ contingens est, & potest esse, vel non esse. Non autem vult Doctor, quod talis transitus, seu tendentia, constituat actum liberũ formaliter; nam quælibet volitio sive libera, sive necessaria dicit tendentiam, seu transitum super objectum: Ergo cùm volitio non constituatur, nec dicatur necessaria propter tendentiam, nec etiam propter eandem dicetur libera.

Quare Doctor asserat velle Dei liberum transire super objecta.

CONCLUSIO QUARTA.

X. DIVINA *Libertas, est ipsemet actus entitativus & infinitus divinæ Voluntatis, quatenus tendit in objecta contingenter futura vel existentia, eaque connotat in obliquo.* Hæc est expressa Doctoris sententia ut colligitur ex variis ejus textibus, maximè ex 1. dist. 39. num. 21. ubi ait, *Voluntas divina non est indifferens ad diversos actus nolendi & volendi, quia hoc in voluntate mea non erat sine imperfectione voluntatis; voluntas enim nostra erat libera ad oppositos actus, ad hoc ut esset libera ad opposita objecta, & hoc propter limitationem utriusque actus respectu sui objecti: Ergo posita illimitatione ejusdem voluntatis ad diversa objecta, non oportet propter libertatem ad opposita objecta, ponere libertatem ad oppositos actus. Ipsa etiam Voluntas divina libera est ad oppositos effectus; sed hæc non est prima libertas in Deo sicut nec in nobis.*

Quid sit formaliter divina libertas Ex sententia Doctoris Subtilis.

Ex quibus tria concludit. Primum quidem quòd divina libertas non consistat in indifferentia ad actus, quia id arguit imperfectionem, nempe finitatem & limitationem voluntatis creatæ, quæ unicô actu finitô tendere nequit in diversa objecta: *Remanet ergo*, inquit *in Deo libertas illa, quæ est per se perfectionis, & sine imperfectione, scilicet ad objecta opposita; ita quòd sicut voluntas nostra potest diversis volitionibus tendere in diversa volibilia; ita illa Voluntas divina potest unica volitione simplici & illimitata tendere in quæcumque volibilia; ita quòd si voluntas illa, vel volitio illa esset tantùm unius volibilis, & non posset esse oppositi quod tamen de se volibile est, hoc esset imperfectionis in Voluntate divina, sicut priùs deductum est de voluntate nostra.*

Cuius egregia Doctrina expenditur.

Secundum quod infert, est quòd sicut voluntas creata dicitur formaliter libera, non quatenus est productiva effectus, neque quatenus est receptiva actus volitionis, sed præcisè quatenus est operativa; *Ita*, inquit, *ponitur libertas in Voluntate divina per se & primò, in quantùm est potentia operativa, licet ipsa non sit productiva, nec receptiva volitionis suæ.*

Tertia denique ipsius illatio est, quòd licet divina Voluntas possit dici etiam libera quatenus est productiva effectus creati; tamen illa libertas quæ connotat effectum, præcisè non illum connotat secundũ illius esse volitum, quia esse existentiæ est tantùm in tempore, esse autem volitũ est ab æterno; seu ut ipse loquitur, *Productio in esse existentiæ non comitatur necessariò operationem ejus Voluntatis divinæ, quia operatio est in æternitate, & productio esse existentiæ est in tempore: Tamen operationem ejus necessariò concomitatur productio in esse volito; & tunc non potest potentia illa Voluntatis divinæ primò quidem esse libera ut productiva, sed secundùm quid & in esse volito, & ista productio concomitatur eam ut operativa.* Et paulo post, *Voluntas divina in quantùm ipsa est sub volitione, est prior tendentiâ tali, nempe liberâ; & ita tendit in illud objectum*

contingenter, quod in eodem instanti posset tendere in oppositum objectum.

Quibus apertè constat Doctorem impugnate tres principes sententias in prioribus conclusionibus impugnatas: Primò quidem sententiam, quam postmodùm docuit Aureolus, nempe libertatem divinam esse oriundam ex productione effectus contingentis secundùm esse existentiæ, quod falsum esse demonstrat ex eò quòd volitio libera sit ab æterno; productio autem secundùm esse existentiæ est tantùm in tempore. Secundò docet contra Cajetanum divinam Voluntatem non dici liberam per aliquid intrinsecum quod ab ea possit deficere, B quia id imperfectionem in nobis arguit, nempe quòd voluntas nostra sit intrinsecè mutabilis ab actu ad actum, nec-non ad suspensionem & privationem actûs: Secus autem est de Voluntate divina, quæ omnimodè est immutabilis intrinsecè. Tertiò denique docet contra tertiam sententiam volitionem liberam non constitui per respectum rationis ad volitum; quia voluntas est priùs in se formaliter libera quatenus est operativa, quàm sit libera effectivè, quatenus est productiva effectûs in esse volito, ex quo resultat vel fingitur resultare talis respectus rationis volentis ad volitum, & voliti ad volentem. Hæc paulò longiùs edixi, ut clariùs appareret genuina Subtilis Doctoris sententia, & quàm perperam nonnulli eum aliud sensisse affirment.

Probatur itaque præmissa conclusio: Per id formaliter Deus constituitur liber, per quod reverà dicitur objectum contingens futurum, aut existens velle, aut nolle, idque hôc aut illô modô: sed id præstat per ipsummet actum entitativum & infinitum suæ voluntatis: Ergo in eo formaliter consistit divina libertas. *Major* patet: Libertas enim formaliter sumpta nihil aliud est quàm ipsa potentia voluntatis quatenus est indifferens ad volendum, aut nolendum hoc aut illud; idque tali vel tali modô. *Minor* verò probatur: Deus id totum præstat D per unicum & indivisibilem actum infinitum suæ voluntatis, quod creata voluntas ratione suæ finitatis & limitationis exequitur actu multiplici, & repetita volitione aut nolitione: Sed creata voluntas per varios ac distinctos actus potest objecta diversa velle aut nolle, idque hôc aut illô modô: Ergo Deus per unicum actum infinitum suæ voluntatis, potest quodlibet objectum nolle aut velle. *Minor* patet ipsâmet experientiâ. *Major* etiam constat: Tum ex prima illatione Doctoris supra posita: Tum quia actus divinæ Voluntatis quatenus est infinitus, propter suam eminentiam & summam perfectionem est entitativè omnis actus E volitionis ac nolitionis, & æquivalet omnibus actibus creatæ voluntatis; aliàs non esset actus purissimus, nec simplex, nec infinitè perfectus. Non quidem actus purissimus, si diceret ordinem & potentialitatem ad alterum actum, vel ad aliquid intrinsecum aut extrinsecum per quod constitueretur formaliter liber; Nec simplex, si pluralitatem actuum, aut adjunctionem alicujus formæ intrinsecæ aut extrinsecæ reciperet; Nec denique infinitus, si in se formaliter, aut virtualiter & eminenter non complecteretur omnem perfectionem cujuslibet actus creatæ voluntatis: Ergo necessum est, ut ipsemet actus entitativus sit per A se & immediatè liber.

Deinde, si divinus ille voluntatis actus non esset ex se, & absque ullo superaddito liber; talis fieret vel per aliquid reale, vel rationis: sed talis fieri nequit per aliquem respectum rationis, ut probat tertia conclusio; neque per aliquid reale, quia illud reale superadditum esset vel extrinsecum, quod prima conclusio respuit; vel intrinsecum, quod in secunda omnino impugnatum est. Restat ergo ut divinus ille voluntatis actus sit ex se & absque ullo superaddito liber; adeoque divina libertas in ipso formaliter est constituenda.

Denique, illa perfectio denegari non potest divinæ volitioni, quæ creatæ voluntati ultrò conceditur: Sed creata voluntas eam habet perfectionem quòd ex seipsa & nullò sibi additô sese determinare possit ad volendum aliquid aut nolendum, vel non volendum: Ergo multò magis divina volitio, quæ omnino infinita est & actus purus, poterit seipsâ tendere in aliquod objectum, vel non tendere: Idque per volitionem formaliter vel nolitionem.

Dices 1. Actus necessarius & contingens sunt formaliter oppositi & realiter distincti: Ergo unus & idem actus divinæ Voluntatis non potest esse simul formaliter necessarius & contingens, nec proinde liber.

C *Distinguo antecedens:* Actus necessarius & contingens finiti, sunt formaliter oppositi & distincti realiter per diversas formas intrinsecas eorum constitutivas & distinctivas, concedo: Actus necessarius infinitus, qualis est divina volitio, ita distingui debet à seipso quatenus est contingens & liber, nego: Sicut enim eadem realis divina entitas est simul communicabilis quatenus essentia, & incommunicabilis quatenus est relatio personalis, eò quòd hæc entitas cum sit infinita, potest una eademque esse principium diversorum prædicatorum quæ in creatis diversas entitates supponunt & connotant; ita potiori jure una eademque infinita divina volitio, potest esse necessaria simul & contingens; necessaria quidem, quatenus est divinus actus ex se omnino indefectibilis, & ad ea quæ divina sunt tendit ac terminatur; contingens verò ratione tendentiæ in objecta quæ ex se contingentia sunt. XI. *Quomodo idem actus divinæ Voluntatis sit necessarius & contingens.*

Instabis: Unum & idem omnino invariatum non potest habere diversas denominationes oppositas: Ergo unus & idem actus divinæ Voluntatis invariatus, non potest simul esse nec dici necessarius & contingens.

Distinguo antecedens: Omnino invariatum, tam intrinsecè, quàm extrinsecè; tam quoad entitatem, quàm quoad terminationem & tendentiam ad aliud, concedo: Invariatum solùm intrinsecè, & quantùm ad entitatem, sed variatum quantùm ad tendentiam & terminationem ad objecta extrinseca, nego: Et similiter distinguo Consequentiam, unus & idem actus divinæ Voluntatis non potest simul esse nec dici necessarius & contingens, si esset invariatus, tam secundùm entitatem, quàm secundùm tendentiam & terminationem, concedo: Si sit equidem invariatus secundùm entitatem, sed diversus secundùm diversam tendentiam in objecta necessaria & contingentia, à qua tendentia habet diversas illas denominationes necessarii & contingentis nego: Si enim idem omnino calor Solis finitus ex se

iovariatus; possit ceram liqoefacere & indurare lutum, ratione scilicet diversæ & oppositæ dispositionis quæ est in illis subjectis, & a quibus mutuatur oppositam denominationem indurantis & liquefacientis; quantò magis unus & idem actus divinæ volontatis ex se infinitus, & entitativè invariatus, poterit denominari necessarius & contigens, ratione diversæ tendentiæ in objecta necessaria & contingentia.

Vrgebis: Illa tendeotia & termioatio ad objecta cootingentia, à quibus divinus ille voluntatis actus denominatur contingens & liber, vel est aliquid ipsi actui extrinsecum, vel B intriosecum; Sed neutrum dici potest: Noo ptimom, quia si illa tendeotia sit omnino extrinseca, sequitur Deum non esse formaliter liberum, sed tantùm denominativè & effectivè: sicut Sol est calidus deoominativè taotùm & virtualiter ac effectivè, quia nimirum calorem producit in subjectis, non autem talis est formalitet: At hoc impugnatum est supra contra Auteolum. Non etiam secundum, quia cum cootingens ex tatioue formali habeat qoòd possit deficere, si illa teodentia sit aliquid iotrinsecum actui divinæ voluntatis, sequitur aliquid Deo iotrinsecum posse deficere; adeoque Deum esse iotrinsecè mutabilem, sicut contra Cajetanum iu secunda cooclusione demonstratum est.

Respondeo tendentiam illam divinæ volitionis in objecta contingeotia considerati posse, vel ex parte ipsius actus tendeotis & terminati; vel ex patte objecti terminantis illam tendentiam. Priori modo, est ipsemet actus entitativus, qui ratione suæ infinitatis fertut circa quodlibet objectum volibile, eo modo quò volibile est; idque nullo sibi superaddito, sed ex infinita sua virtute & perfectione, quâ fit ut feratur ex se necessariò circa necessaria & liberè circa contingentia: Posteriori modo autem fuot ipsamet objecta contingentia, vel D necessaria quæ illum divioum actum terminant ut sunt; sicque necessaria oecessariò, & cootingentia contingentet eum terminant.

Vnde in forma distingue majorem: Illa tendentia est purè intriosèca, vel extrinseca nego: est partim intrinseca, & partim extrinseca, concedo: est enim ipsemet intrinsecus & entitativus divinæ voluntatis, qoi oullo supetaddito, sed ex se immediatè fertut in objecta volibilia ut volibilia sunt, eaqoe connotat ut sont, ita qood dicator ferri oecessatiò necessaria, & contingenter ac liberè in libera; sicque illa tendeotia est intrinseca ex parte actus, extrinseca verò ex parte objecti coonotati.

Subsumes. Ergo divina libertas formalitet coosiderata partim dicenda est intrinseca & E partim extrinseca: sed hoc consequens est absurdum: Ergo & antecedens. Probatur sequela majoris: Eatenus actus divinæ voluntatis dicitur liber, quatenus ipsemet tendit in objecta contiogentia, & ptoinde talis est divina libertas, qualis est teodentia in objecta contingentia: Sed ex concessis hæc est partim intriosèca & partim extrinseca: Ergo etiam divina libertas partim etit Deo intrinseca & partim extrinseca. *Minor* sufficienter probata maner ex dictis, quibus asseruimus divinam libertatem esse Deo omnino & formalitet iottinsecam.

Nego sequelam majoris: Et majorem illius A probatioois distinguo: Talis est divina libertas divinæ volitionis, qualis est illius tendentia ex parte actus tendentis & connotantis objectum, concedo: qualis est ex parte objecti terminantis & connotati, nego. Itaqne tota libertas actus intrinseca est, cum sit ipsemet actus intrinsecus entitativus & infinitus qui tendit in qoodlibet volibile eo modo qoo volibile est; adeoqoe liberè tendit in liberum & cootingentet in contingens.

Instabis iterum. Illa connotatio objecti, vel aliquid confert ad formalem tationem libertatis; vel nihil. Si primum: Ergo cum hæc connotatio sit extrinseca, etiam divina libertas erit saltem partim extrinseca. Si secundum: Ergo frustrà usurpatur ad distinguendum illum divinum actum liberom à seipso quatenus necessarius est.

Respondeo hanc connotationem aliquid eqoidem conferre, non ad constituendam formaliter & intrinsecè ipsam divinam libertatem, sed ad eam specificandam & explicandam. Licet enim ipsemet actus entitativus, qui est formalitet necessarius, sit etiam formaliter ex se & in se liber, quia est infinitus; oihilominos cùm non possimus concipere rationem illam intrinsecam per quam uous & idem actus est formaliter liber & C necessarius, ideò cogimut divetsitatem explicare per diversam illam tendeotiam in objecta necessaria aut libera, & eorum distinctam coonotationem.

Dices 2. Quod adæquatè est intrinsecum Deo, ipsique adæquatè identificatum, est etiam simpliciter necessarium: Sed actus liber ooo potest esse simpliciter necessarius, ex ratione enim sua formali debet esse contingens, posestque deficere: Ergo actus liber non est adæquatè Deo intrinsecus ipsique omnino identificatus; & consequentet divioa libertas non consistit formaliter in solo intrinseco Dei actu entitativo.

Distinguo majorem: Est simpliciter necessarium secuodùm entitatem, ita ut penes illum sit omoino iodefectibilis & immutabilis, concedo: secundùm tendentiam, & terminatioem ad objecta extrinseca, nego: hæc enim tendentia, & terminatio omnino libera est, & contingens.

Instabis: Illa terminatio, & tendentia, vel est aliquid intrinsecum, vel extrinsecum formalitet: Si quid intrinsecum: Ergo est simpliciter necessaria, neque indifferens est ut sit, vel non sit; adeoque nec contingens est, nec libera. Si quid extrinsecum: Ergo divina libertas io suo formali conceptu includit aliquid extrinsecum, saltem in obliquo.

Respondeo hanc terminationem esse simul intrinsecam & extrinsecam: intrinsecam quidem formaliter ex parte actus terminatis & connotantis; extriosecam autem specificativè & explicative, ex parte objecti terminantis, & connotati: Exinde tamen non sequitur libertatem divinam esse simul intrinsecam & extrinsecam in suo conceptu formali, hæc enim formaliter tota intrinseca est cùm sit ipsemet actus entitativus Dei quateons est infinitus, & æquivalet omnibus omnino actibus creatæ voluntaris, ferturque circa quodlibet objectum volibile eò modò quò volibile est, ut jam supradictum est. XV. Terminatio potest esse intrinseca simul & extrinseca.

Vrgebis: Actus entitativus est ab æterno,

terminatio autem & connotatio objecti extrinseci est tantùm in tempore: Ergo vel divina libertas non consistit in actu entitativo, vel non importat hanc connotationem & terminationem.

Distinguo antecedens: Terminatio & connotatio objecti in esse existentiæ est tantùm in tempore, concedo: in esse voliti, nego. Res enim futuræ habent esse volitum ab æterno per actum divinæ voluntatis liberè tendentis in decernenda earum productione: Unde terminatio & tendentia divinæ voluntatis ad objecta futura potest à nobis concipi per modum æternæ productionis rerum in esse volito, & quatenus est emanatio quædam illius esse voliti ab ipsa divina voluntate, donec vi talis volitionis, & juxta tempus per eam præfinitum res tandem emergant ad esse existentiæ.

Dices 3. Si divina libertas consisteret formaliter & adæquatè in actu divinæ voluntatis intrinseco & infinito; sequeretur quòd tota forma posset esse adæquatè in subjecto, cui tamen non communicaret suum effectum formalem: Sed hoc est absurdum; Effectus enim formalis nihil aliud est quàm ipsa forma subjecto unita, v. g. parietem esse album, nihil aliud est, quàm albedinem esse unitam parieti: Ergo & illud unde sequitur. Probatur sequela majoris, Deus liberè potest velle creare alterum mundum: Sed si divina ejus libertas consistat formaliter & adæquatè in actu intrinseco entitativo, cùm hic actus sit æternus & immutabilis; sequitur eum habere nunc id quô dicitur velle creare alterum mundum, nec tamen reverà dicitur volens nunc creare alterum mundum: Ergo volitio divina de creando altero mundo potest esse in Deo absque eo quòd illum denominet actu volentem creare alterum mundum: Sicque forma posset esse in subjecto capaci denominationis absque eo quòd illud denominet, quod implicat.

XVI. *Quomodo forma possit esse in subiecto capaci, & illud non denominare?*

Distinguo minorem: Absurdum est formam esse in subjecto capaci denominationis & illud non denominare, si forma sit finita & naturalis, concedo: Si sit infinita & virtualiter libera, hoc est, æquivalens formæ liberæ quantùm ad tribuendam denominationem liberam, nego; volitio autem divina est infinita, & nedum formaliter in se libera, sed etiam virtualiter, quantùm ad tribuendam denominationem liberè volentis, quia quatenus est infinita, æquivalet omnibus volitionibus creatis. Ideoque potest hanc denominationem pro libito tribuere vel non tribuere.

Instabis. Deus de non volente alterum mundum creare, non potest fieri & denominari volens alterius mundi creationem, nisi quidpiam ei accidat, quô de non volente dicatur volens: Ergo præter actum entitativum aliquid aliud in eo desideratur, quô dicatur liberè volens alterius mundi creationem, quam priùs nolebat. Probatur antecedens: Tum quia nova denominatio petitur à nova forma: Tum quia fieri nequit transitus de contradictorio in contradictorium absque subjecti mutatione reali vel formali: Tum denique quia Arist. 2. de Generat. textu 56. *Idem manens idem semper natum est facere idem.*

XVII. *Nego antecedens*, & ad illius probationes dico, eas quidem esse veras de voluntate creata, quæ cùm dicatur volens aut nolens per varios & diversos actus, idcirco de non volente dici nequit volens liberè, nisi per novam ei advenientem volitionem. Secus autem est de volitione increata & infinita, quæ cùm æquivaleat omnibus actibus creatæ voluntatis; etiam ei potest tribuere rationem volentis aut nolentis absque ullo superaddito intrinseco: sed solùm per novam connotationem objecti extrinseci voliti, aut noliti; quod egregiè Doctor explicat & illustrat exemplo Solis, *Si ponatur Sol*, inquit in 2. d. 1. q. 2. n. 7. *Semper esse in se æquè luminosus, & creetur aliquod medium perspicuum approximatum, de novo illuminabit illud; ita quòd nihil novum erit in Sole, ad hoc quòd ab ipso sit nova illuminatio: Et si posset ex se ponere medium perspicuum, & sub lumine, sicut causat in ipso lumen; ita poneret in esse hoc totum, scilicet medium illuminatum, sine aliqua novitate in seipso.* Ergo multò magis divina voluntas cùm sit infinita, dici potest velle aut nolle objecta absque aliqua sui mutatione reali vel formali, sed solùm per novam objecti extrinseci connotationem.

Vrgebis. Deus reverà dici potest nunc velle creare alterum mundum, si nihil ei desit quô dicatur volens alterius mundi creationem: Sed reverà nunc ei nihil deesset ad hanc volitionem, si divina ejus libera volitio consistat formaliter in solo actu entitativo: Ergo reverà nunc dici debet volens creare alterum mundum. Probatur *minor:* Si Deus nunc totum habeat ad creandum alterum mundum, quod ego habeo dum volo scribere, nihil ipsi nunc deest ad volendum creationem alterius mundi: sed ita est. Probatur; Nam sicut mihi volenti scribere sola deesse potest actualis scriptio, ut reverà dicar scribere; ita si quid deesset Deo volenti creare mundum, maximè alter mundus: At absurdum est asserere quòd ut dicar volens scribere, mihi desit actualis scriptio: Ergo pariter absurdum esset affirmare quòd ut Deus dicatur volens creare alterum mundum, solùm ei desit alter mundus; adeoque nihil Deo deesset nunc ad volendum alterius mundi creationem, si divina ejus libertas formaliter consistat in ejus entitativo & intrinseco actu.

Nego minorem: Ideo namque Deus reverà non habet actuale decretum de altero mundo creando, quia ipsius divina voluntas ex dominio quod habet in objecta externa, non tendit in alterius mundi creationem, cùm posset tamen per eandem volitionem entitativam quâ hunc mundum creavit, etiam & alterius creationem velle. *Ad probationem* dico, non solùm deesse alterum mundum, ad hanc divinam volitionem de creatione alterius mundi, sed etiam deesse tendentiam ipsius infinitæ voluntatis in alterius mundi creationem. Quæ tendentia licet necessaria sit ex parte actus, tamen est contingens & omnimode libera ex parte objecti nempe alterius mundi, qui ex se potest esse vel non esse. XVIII.

QVÆSTIO TERTIA.

An & qualis sit distinctio & ordo inter libera decreta divinæ voluntatis.

CERTUM est nullam esse distinctionem realem, nullumque realem ordinem inter divina decreta; cùm enim unicus ac simplicissimus in Deo sit actus, nulla in eo potest esse distinctio,

I. distinctio, nec consequenter ulla ipsius ordinatio; nihil siquidem ad seipsum ordinari verè dicitur. Tota igitur in ipso divino actu distinctio totusque ordo, si quis sit, considerari potest tantummodo penes nostrum modum intelligendi, & juxta variam illius divini actus ad objecta externa tendentiam, & terminationem; ita quòd tunc censeatur esse distinctio, cum intelligitur actus ille divinus tendere in decernendum aliquod objectum, absque eo quòd intelligatur ipsius tendentia in aliud: Tunc verò in eo concipitur ordo, quando intelligitur teminari ad unum objectum decretum, priusquam terminetur ad aliud; ita tamen ut tendentia ad unum, sit quasi ratio cur tendat in aliud. Circa quam difficultatem duplex maximè est opposita Theologorum sententia; etenim Ochamus *in 1. dist. 9. quæst. 3.* inter divina decreta negare videtur aliquem esse ordinem, & in eis nullam prioritatem & posterioritatem admittendam esse pronuntiat, cui nonnulli, tam veteres, quàm moderni Theologi subscribunt. Cæteri verò Theologiæ Principes pro stabiliendo hoc ordine militant, eumque astruunt sanctus Thomas 1. *parte 9. quæst. 19. art. 5. & quæst. 23. art. 4. & 5.* Et Subtilis Doctor in 3. *dist. 7. quæst. 3. numero 3. & 4.* cum suis fidelioribus discipulis. Qualis autem & à quo hìc ordo stabiliendus sit & oriundus, ut evidentiùs percipias.

Nullus est in Dei decretis ordo realis.

II. *Notandum 1.* Maximè duplicem in divinis assignari posse ordinem, nimirum *Originis*, & *Naturæ*. Prior est præsuppositio unius ad alium qui ab ipso producitur & originatur, sic Filius Patrem, & Spiritus sanctus Patrem, & Filium præsupponunt: Posterior verò est præexigentia naturalis unius ad aliud, sic divina voluntas ordine naturæ divinum intellectum præsupponit; & attributa divina, omnesque divinæ præcellentiæ dici possunt divinam Essentiam præsupponere, quia ab ea veluti radii à Sole effluunt. Hic autem ordo naturæ non ita intelligendus est in divinis, ac in creatis; in creatis namque, ordo naturæ causalitatem veram importat, secundùm quam causa dicitur naturâ prior effectu; causalitas autem involuit dependentiam effectûs à causa: Unde cùm in divinis nulla sit dependentia, nec pariter ulla potest esse naturæ prioritas secundùm causalitatem, sed tantùm secundùm præsuppositionem: Unde potiùs dicitur prioritas signi rationis, quàm rei; seu prioritas secundùm conceptum, non verò secundùm realitatem.

Quid sit in Deo ordo Originis & Naturæ.

III. *Notandum 2.* Ordinem inter divina decreta desumi posse ab objectis dupliciter; nimirum, vel permissivè, vel positivè. *Permissivè* quidem, quatenus non repugnat naturæ ipsorum objectorum quòd talem inter se ordinem habeant, imò quædam eis insit capacitas & proportio, sive naturalis, sive obedientialis quâ dici possunt inter se congruè sic ordinari. *Positivè* verò, quando objecta ipsa ex natura sua talem ordinem videntur exigere, ut nonnisi cum quadam violentia & incongruitate aliter possint ordinari. Ad hoc autem ut media ordinentur ad finem ordinatione permissiva, non est necesse ut Deus ipsis aliquid imprimat, quò ad finem præternaturalem ordinentur; sed sufficit, quòd Deus talia media velit usurpari & ordinari ad consequendum finem destinatum. Verbi gratia, ut opera Christi sint meritoria, & satisfactoria pro universo genere humano, sufficit quòd divinus Pater illa opera ad id acceptet, decernatque, quòd positis illis operibus meritoriis concedet gratiam, remissionem peccatorum, & gloriam æternam hominibus.

Ordo inter divina decreta desumitur, vel *Permissivè*, vel *Positivè*.

IV. *Notandum 3.* Authores ordinem inter divina decreta propugnantes, tres maximè ire in oppositas sententias: Prima est Cajetani 3. *p. q. 1. a. 3.* affirmantis divinorum decretorum ordinem mutuandum esse ex ordine quem inter se servant termini; ita quòd, sicut natura videtur præsupponi gratiæ, & gratia unioni hypostaticæ; ita tres ordines assignat divinæ præscientiæ & providentiæ: In quorum *Primo* comprehenduntur ea omnia quæ naturæ & rationis spectant rectitudinem, aut deordinationem: In *Secundo* comprehenduntur omnia auxilia gratiæ, omniaque dona supernaturalia quibus Angeli & homines exornantur: In *Tertio* verò involvuntur ea omnia quæ ad ordinem hypostaticæ unionis pertinent; atque ita concludit Cajetanus Deum priùs ordinasse quæ ad naturæ ordinem, quàm quæ ad ordinem gratiæ spectant, & priùs quæ ad ordinem gratiæ quàm quæ ad ordinem hypostaticæ unionis pertinent; adeoque ordinatam esse unionem Verbi cum natura humana post prævisum Adami peccatum. *Nonnulli* affirmant ordinem inter divina decreta desumendum esse ex perfectione divinorum objectorum, ita ut Deus priùs decreverit quæ perfectiora sunt, postea verò quæ minùs perfecta. *Alii* verò censent hunc ordinem esse desumendum ex ipsis objectis prout subsunt divinæ voluntati, quatenus ea ordinat prout vult, licèt ex natura sua taliter ordinari non postulent.

Triplex hac de Quæstione sententia.

CONCLUSIO PRIMA.

INTER *divina decreta reverà est actu & intrinsecè, ordo prioris & posterioris, quatenus nimirum unicus, & simplicissimus actus entitativus divinæ voluntatis, ratione suæ infinitatis, æquivalet intrinsecè, & per se actibus Creaturarum distinctis realiter, quorum unus præsupponit alium.* Hæc est Doctoris pluribi, sed maximè in 3. d. 7. q. 3. n. 3. & 4. ubi docet Verbum divinum incarnandum fuisse, etsi Adamus non peccasset, quia prædestinatio animæ Christi ad gloriam nullum præsupponit peccatum præscitum, imò præcedit præscientiam saltem absolutam omnium peccatorum, ac etiam bonorum operum, quia, ordinatè volens priùs vult finem quàm media, id est priùs gloriam quàm bona opera. Unde concludit, *Potest igitur dici, quòd prius naturâ quàm aliquid prævidebatur circa peccatorem, sive de peccato, sive de pœna, Deus praelegit ad eam curiam omnes quos voluit habere Angelos, & homines in certis & determinatis gradibus:* Ubi observandum Doctorem per *Ordinem naturæ* non intelligere ordinem causalitatis, nec durationis, ut falsò Nominales, & nonnulli Thomistæ interpretantur; sed solùm naturæ ordinem appellat, illam præexigentiam, seu suppositionem unius divinæ rationis ad alteram; qualiter etiam ipsemet sanctus Thomas 1. *part. quæst.* 42. *art.* 3. in divinis ordinem Naturæ admittit.

Inter divina decreta est ordo prioris & posterioris.

V.

PROBATUR itaque Conclusio: Ut sit verus ordo intrinsecus inter actus divinos, duo desiderantur & sufficiunt: *Primò* ut inter illos sit quædam distinctio saltem virtualis, quatenus nimirum unus & idem entitativus, & infinitus

divinæ voluntatis virtualiter æquivalet pluribus actibus creatæ voluntatis: *Secundò* ut inter illos actus distinctos per hanc æquivalentiam, fit virtualis præsuppositio unius ad alterũ, oportet fit veluti dependentia unius ab alio; ita quòd si illi actus essent realiter distincti, unus reverà alium præsupponeret, & ab eo aliquatenus penderet; sicut fit in actibus creatæ voluntatis: Sed inter actus divinos est hujusmodi virtualis distinctio & præsuppositio: Ergo inter illos est ordo prioris & posterioris. *Major* patet ex prænotatis: Nihil enim per ordinem prioritatis & posterioritatis in actibus divinis intelligitur, quàm distinctio ac præsuppositio, quæ in eodem actu entitativo infinito concipitur ab humano intellectu per æquivalentiam ad actus voluntatis creatæ, quorum unus ordinatur ad alterum. *Probatur minor:* Si quid officeret quominus in eodem actu entitativo nulla esset distinctio & præsuppositio, maximè quia distinctio repugnat divinæ Simplicitati, & prioritas ac posterioritas ordinis per summam Dei actualitatem excludi debet; sed hoc utrumque falsum est.

Vt constat ex collatione actus divini intellectus cum actu voluntatis.

Probatur 1. *ex collatione actûs intellectus cum actu voluntatis*, siquidem reverà inter actus intellectus & voluntatis divinæ vera est distinctio, & prioritas ordinis; uterque enim actus ab alio distinguitur formaliter, ut jam pluries probatum est: Similiter actus voluntatis præsupponit actum divini intellectus; nam actus voluntatis quô Deus liberè vult objectum aliquod, præsupponit ipsius cognitionem, & actus quô vult efficaciter aliquid facere, præsupponit illud esse factu possibile; voluntas enim divina non potest magis ferri in incognitum quàm creata, nec allicitur & movetur ad amandum à bono nisi præcognito: Itaque cognitio est conditio necessaria & prærequisita, ut divina voluntas feratur in suum objectum sub ea ratione sub qua præcognoscitur, idque significant sequentes Scripturæ sacræ contextus Exodi 2. *Vidit Deus afflictionem populi sui, & misertus est*; id est cognitio afflictionis ipsum movit, & excitavit ut misereretur: item Psal. 102. *Misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Hoc est, præcognitio fragilitatis humanæ incitamentum fuit divinæ misericordiæ, &c.

V.

2. Ex collatione actuum voluntatis invicem.

Probatur 2. comparando actus voluntatis ad invicem: Inter actus divinæ voluntatis, propter æquivalentiam ad multos actus voluntatis creatæ, est aliqualis distinctio saltem virtualis, hoc est æquivalet pluribus actibus distinctis; similiter inter aliquos eorum est virtualis præsuppositio, quatenus unus concipitur ut est virtualiter causa alterius, & unius objecti volitio movet ad volitionem alterius, sic v. g. voluit Christum esse passibilem, quia voluit homines redimere: Igitur voluntas quam habuit de hominum salute, fuit veluti causa & ratio cur voluerit Christum esse passibilem; adeoque inter actus divinæ voluntatis est aliqua præsuppositio, & ordinatio.

Deinde, sine tali ordine inter actus divinæ voluntatis non possunt intelligi, quæ de mysterio Incarnationis & Prædestinationis Scriptura sacra & sancti Patres edocent; passim enim affirmant Deum voluisse Incarnationem propter salutem hominum, idque universa Ecclesia profitetur in Symbolo Nicæno, ubi legitur quòd

A Verbum divinum, *Propter nos homines & propter nostram salutem descendit de Cœlis*: Similiter Scripturæ & sancti Patres plerumque affirmant Deum voluisse Electis gloriam partim voluntate antecedenti & à seipso, ex suo beneplacito & pura misericordia; partim voluntate consequenti & efficaci, ex prævisione operum, & per modum mercedis: Damnationem verò nullô modô voluisse à seipso, sed solùm data occasione à reprobis ob ipsorum peccata: Sed hæc intelligi & conciliari nequeunt sine ordine inter actus divinæ voluntatis; ita ut prævisio bonorum operum fuerit ratio cur nos potius quàm illos efficaciter prædestinaverit ad B gloriam, prævisio verò peccatorum fuerit ratio cur ab æterno alios reprobaverit: Ergo debet hic ordo asseri. *Major* patet ex sequentibus Scripturæ & Patrum textibus, *Perditio tua Israël* (supple ex te) *tantummodò in me auxilium tuum*: Similiter 2. ad Timoth. 3. *Vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, Voluntate scilicet antecedente quâ neminem vult perire, sed omnes ad pœnitentiam converti, ut explicat S. Petrus Epist. 2. c. 3. Quoniam tamen non omnes salvantur, nec efficaciter electi sunt ad gloriam, sed aliqui reprobati, & destinati ad pœnam æternam; C Christus Dominus edocet hoc esse repetendum ex prævisione operum bonorum, vel malorum: Unde Matth. 25. ait, *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Hoc est, ut exponit S. Chrysostomus hom. 80. in Matth. *Quia sciebam vos antequam nati essetis hujusmodi futuros; hæc à me vobis preparata sunt*: Quasi diceret, præscientia bonorum operum causa fuit, cur Deus aliquibus gloriam præparaverit, seu dare decreverit potius quàm aliis. Idipsum eleganter exprimit S. Ambrosius lib. de Fide cap. 3. *Quos præscivit, inquit, & prædestinavit, quia non ante prædestinavit quàm præscivit, sed quorum me-* D *rita præscivit, eorum præmia prædestinavit.*

Denique, ordo prioritatis & posterioritatis, quem Scriptura & Patres affirmant esse inter actus divinæ voluntatis, non solùm repetitur ab extrinseca denominatione petenda ab objectis, vel à nostro modo intelligendi & volendi, quatenus scilicet unum priùs, aliud verò posteriùs concipimus: Ergo reverà ille ordo intrinsecus est. Sequela patet: Si enim talis ordo non sit extrinsecus, necessum est ut intrinsecus affirmetur. *Probatur antecedens:* Ordo prioritatis & posterioritatis conveniens divinis actibus sæpe contrarius est ordini objectorum, & stante eodem objectorum ordine talis ordo potest esse diversus: Ergo non convenit divinis actibus so- E lùm per denominationem extrinsecam. Consequentia patet: Si enim conveniret illi solùm ratione ordinis objectorum, sequeretur quòd quoties idem esset ordo inter objecta, etiam talis esset inter actus divinæ voluntatis. Antecedens verò probatur quoad primam partem: Ordo objectorum, est vel ordo temporis, quatenus unum est prius alio duratione; vel causalitatis, quatenus unum est causa alterius; vel dignitatis, quatenus unum est alterô perfectius; vel unô ex aliis modis quos refert Aristoteles, & ex ipso colligunt Philosophi in prædicamẽtis: Sed Deus plerũque vult priùs id quod est posterius quôcũque ex illis modis; priùs enim voluit Verbũ incarnari v. g. quàm voluerit permittere

lapsum Adami ex statu gratiæ per Christum A collatæ, ille tamen Adami lapsus Verbi incarnatione tempore prior extitit: Similiter voluit beatam Virginem, & ejus progenitores propter Christum; nihilominus beata Virgo ejusque progenitores fuerunt Christo priores non solùm tempore, sed etiam causalitate.

Denique, Deus voluit Christum, saltem ut passibilem, propter salutem hominum; nihilominus Christus longè nobilior est hominum salute: Ergo ordo divinorum decretorum non petitur ex ordine objectorum.

Probatur idem antecedens quoad secundam partem: Nempe quòd eodem existente objectorum ordine potuerit esse diversus in divinis actibus ordo: Sive enim Deus decreverit Verbi B incarnationem antecedenter ad lapsum Adami prævisum, ut Scotistæ contendunt, sive consequenter tantùm ut volunt Thomistæ, idem est ordo objectorum: Priùs enim Adamus creatus fuit, & gratia illi collata, & è statu gratiæ cecidit, quàm Christus advenerit ut lapsum repararet: Et tamen in utraque hypothesi, ordo divinorum actuum circa Incarnationem, est omninò diversus. Nam in priori hypothesi, volitio incarnationis præcedit voluntatem creandi Adamum, in posteriori verò ipsam præsupponit: Ergo potest esse diversus ordo in diversis actibus, stante eodem ordine in objectis; adeoque C ille ordo divinorum actuum ab ipsis objectis non eruitur.

Dices 1. Licet intellectus noster varias formet enuntiationes variosque discursus de Deo ejusque voluntate, aliisque perfectionibus, inde non sequitur aliquam in Deo reperiri cognitionem enuntiativam aut discursivam, etiam extrinsecè ei tribuendam: Ergo à pari licet certo quodam ordine priùs, vel posteriùs, divini intellectus divinæque voluntatis actus concipiamus, non propterea sequitur quod reverà sit aliquis ordo in illis divinis actibus.

VII. *Nego consequentiam*: Et ratio disparitatis est, quòd cognitio enuntiativa aut discursiva plures D involuat imperfectiones Deum omnino dedecetes; cùm enim discursus sit illatio minùs noti ex notiori, aliquam in discurrente supponit ignorantiam, quæ Deo scientiarum thesauro & abysso omnino repugnat. Ordo verò prioris, & posteroris in divinis actibus nullam imperfectionem, imò summam perfectionem arguit; quia supponit unicum & eundem actum entitativum divinæ voluntatis, qui ratione suæ infinitatis omnibus creatis actibus æquivaleat; quæ æquivalentia nullam includit imperfectionem, imò infinitatem illius actus significat: Sicut enim summæ & infinitæ perfectionis est, quòd una simplicissima divina realis entitas æquivaleat omnibus entibus creatis, eisque infinitè E supereemineat; ita pariter summa est infinitaque perfectio in illo simplici actu reali divinæ voluntatis quòd ex se æquivaleat omnibus actibus creatæ voluntatis, & in se complectatur, quidquid creata voluntas diversis actibus gerere potest.

Quare in Deo possit esse ordo licet non sit in eo discursus.

Dices 2. Ubi est unica, & simplex entitas omnino indistincta, nulla reperiri potest ordinatio: sed actus divinæ voluntatis est unicus & omnino simplex: Ergo nullum ordinem intrinsecum agnoscit, sed siquis in eo sit ordo, solùm extrinsecus esse debet, & petendus à nostrarum intellectionum diversitate, vel objectorum ordine, circa quæ versatur.

VIII. *Distinguo antecedens*: Ubi est unica & simplex entitas finita, & limitata, concedo: Infinita, & unica quidem ac simplex formaliter, sed virtualiter multiplex, nego. Certum est autem quod etsi actus ille divinæ voluntatis secundùm entitatem sit omnino simplex, nihilominus ratione suæ infinitatis est virtualiter & æquivalenter multiplex, ut jam supra dictum est: adeoque licet equidem nulla sit in eo realis, aut formalis distinctio actualis; nihilominus in eo admittenda est distinctio virtualis, & æquivalens distinctioni quæ reperiri posset in actibus creatæ voluntatis: & consequenter in ipso etiam intrinsecus ordo æquivalenter & virtualiter affirmari potest.

Conclusio Secunda.

IX. Ordo *inter divina decreta non est mutuandus ex ordine quem inter se servant illorum objecta: Neque ex ipsorum objectorum dignitate: Nec ex naturali dispositione: Sed tantùm quatenus ipsa objecta divinæ voluntati subsunt.* Hæc Conclusio quatuor habet partes, quarum.

Ordo inter decreta non repetitur ex ordine objectorũ.

Probatur prima contra Cajetanum. Stare potest diversus ordo in divinis actibus stante eodem ordine in eorum objectis: Ergo divinorum actuum ordo non est repetendus ex eorum objectis. Consequentia patet. Antecedens verò probatum est in priori conclusione.

Deinde, Cajetanus insufficienter, & falsò explicat ordinem quem illa objecta divini actus inter se servant; adeoque ex illo objectorum ordine non est mutuandus ordo divinorum actuum. Probatur antecedens: Primò namque plura sunt objecta in ordine naturæ quæ nullum habent ordinem nullamque connexionem cum ordine gratiæ, putà quod Petrus prædestinandus sit cæcus vel videns, albus vel niger. Secundò mors Prædestinati est ordinis naturæ, & tamen est posterior electione ad gloriam quæ ad ordinem gratiæ spectat; etenim illa mors est effectus prædestinationis juxta illud Sapientiæ 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus.* Tertiò ex meritis Christi prævisis decrevit Deus omnibus conferre gratiam, illam maximè quæ post Adami lapsum hominibus concessa est: Ergo decretum Incarnationis præcedit decretum de gratia conferenda; adeoque Cajetanus falsò suum ordinem texit, & consequenter ab eo divinorum actuum ordo non est mutuandus.

X. Secunda pars etiam probata manet ex iis quæ in præcedenti conclusione diximus, nimirum illum ordinem in divinis actibus non oriri ex objectorum dignitate & præstantia: Etenim Christus Dominus, etsi hominum salute longè nobilior, nihilominus à Deo ordinatur ad ipsorum hominum salutem, ita quod priùs Deus voluerit hominum salutem, quàm Verbi Incarnationem, quia priùs intendit finem quàm media. Nec refert quòd Doctor Subtilis in 3. *d.* 7. *quæst.* 3. *num.* 3. asserat quòd *Universaliter ordinatè volens priùs videtur velle hoc quod est fini propinquius; & ita sicut priùs vult gloriam alicui, quàm gratiam, ita etiam inter prædestinatos quibus vult gloriam, ordinatè priùs videtur velle gloriam illi, quem vult esse proximum fini, &c.* Doctor enim per id quod est fini propin-

Neque ex eorumdem dignitate.

quius, non intellexit illud quod est propinquius dignitate præcisè & absolutè, sed quod est propinquius quidem dignitate quatenus hæc dignitas magis conducit ad finis consecutionem. Quô pactô cum Verbi incarnatio & glorificatio magis conferat ad divinum bonorem, quàm cæterorum prædestinatorum glorificatio, idcirco meritò ibidem concludit Doctor, quòd Deus *Animæ Christi vult gloriam prius quàm alicui alteri velit gloriam; & priùs cuilibet alteri vult gratiam & gloriam, quàm prævideat opposita istorum habituum, scilicet gratiæ & gloriæ, scilicet peccatum & damnationem: Ergo prius vult animæ Christi gloriam, quàm prævideat Adam casurum.*

Quid sit in Deo ordo *Intentionis & Executionis.*

Hæc autem ut faciliùs percipiantur, observandum est inter divina decreta duos esse ordines oppositos, intentionis videlicet, & executionis, juxta scilicet diversam considerationem finis, & mediorum. *Ordo intentionis*, est qui primò finem respicit ut assequendum per media; *Ordo* verò *executionis* primò respicit ipsa media quibus de facto finis intentus acquiritur. Cùm autem in intentione, finis sit causa mediorum, quæ non eaquirunt ut, nec assumuntur ab operante nisi propter finem consequendum, idcirco in ordine intentionis prior est finis quàm media: Cùm verò in actuali finis assecutione media assumantur tanquam causæ efficientes, ut intentum finem operans obtineat, idcirco in ordine executionis media priora sunt quàm finis. Hinc ordine intentionis Deus priùs decernit finem quàm media, & inter media priùs illud seligit quod est fini proximius, quodque ultimò ad finis assecutionem confert.

Deinde, ordinat medium minùs remotum, & sic de cæteris usque ad ultimum: quod Doctor Subtilis laudatus intellexit, dicens quòd *Ordinatè volens priùs vult finem: & postmodum ea quæ sunt media ad finem consequendum, & inter media illud quod est fini proximius secundùm causalitatem, & efficacitatem*, sive interim dignius sit, sive hanc efficacitatem habeat ex natura sua, sive ex ordinatione divina. Ordo verò executionis est ipsi omnino oppositus, nam priùs Deus vult, & decernit ultimum medium, & cætera quæque suo ordine; ultimò autem finem assequendum intendit & decernit, quod disertè aperit S. Paulus ad Rom. 8. dicens, *Quos præscivit & prædestinavit ...... quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Quibus Verbis significat præscientiam divinam esse primum medium prædestinationis justorum, justitiam verò finalem esse ultimum, gloriam verò finem esse qui ultimò confertur.

XI. Neque ex illorum ordine naturali.

Probatur ultima pars: Nempe quòd ordo divinorum decretorum non sit repetendus ex ordine naturali quem objecta ipsa servant inter se; Tum quia actus divinæ voluntatis est causa ordinis quem creaturæ inter se invicem & ipsum Deum servant: Ergo Creaturarum ordo non potest esse causa ordinis qui in divinis actibus reperiendus est: Tum quia plura sunt objecta quæ ex natura sua nullum inter se, aut ad Deum habent ordinem, quem à voluntate divina accipiunt: Ergo talia ordo in divinis actibus non est repetendus ex naturali ordine quem objecta inter se servant.

A Probatur *antecedens* variis exemplis; Deus enim Sacramenta, ut sunt signa sensibilia, instituit tanquam media ad justificationem peccatoris, & ad gratiæ augmentum, ad quem finem ex natura sua nullum ordinem habent. *Similiter* permittit Electos labi in peccata subinde gravia ut inde humilientur, & cautiores ac fervantiores fiant, inter quod bonum & peccati permissionem nullus est ordo ex natura rei, sed potiùs permissio peccati ad solum culpæ malum respicit naturâ suâ. *Item* voluit divini Verbi Incarnationem propter redemptionem generis humani, ad quam illa ex natura sua non ordinatur.

B *Denique*, ut alia innumera prætermittam, voluit tam in veteri, quàm in nova lege variis sibi ceremoniis serviri, quæ à natura ad Dei cultum non sunt determinatæ: nam ex natura rei perinde est, an tale animal, Verbi gratia, vel aliud in sacrificium offeratur, an nudus panis & nudum vinum, an accidentia panis & vini quatenus continent corpus & sanguinem Christi sint novæ legis holocaustum.

Restat ergo actuum divinæ voluntatis ordinem esse omnino mutuandum ex ordine, quem objecta inter se servant, prout subsunt ipsi divinæ voluntati, & quatenus ipsa divina voluntas ea disponit, & ordinat; ita quod intrinseca Dei ordinatio ab extrinseca objectorum ordinatione ritè colligatur.

C

ARTICULUS TERTIUS.

De divina Voluntatis virtutibus ac præcellentiis.

D Quamquam divina Voluntas innumeris propemodum gloriæ titulis à Scriptura sacra, Sanctisque Patribus celebretur; præ cæteris tamen, velut Sol inter sydera, in ea splendet infinita Sanctitas, unà cum eximiis illis virtutibus quæ sanctitatis sunt appendices, fœtus, & corona. Idcirco prætermissis silentioque deditis aliis divinæ Voluntatis perfectionibus, quæ congruentiori methodo inposterum aperientur juxta materiæ diversitatem & opportunitatem; solùm hoc in Articulo divinam Sanctitatem, divinasque Virtutes quas Morales appellant, suscipimus explicandas.

Quæstio Prima.

Quid & qualis sit divina Sanctitas?

E Notandum 1. Quòd etsi divinæ perfectiones infinitæ sint, æqualesque proinde gradus & meriti; nihilominus si divinis Scripturis, quæ divina sunt, humano more exprimentibus, morem geramus, fatebimur certè divinam Sanctitatem inter cæteras præcellentias primas tenere: nam ut Deum alloquens canit Regius vates Psal. 137. *Magnificasti super omne nomen sanctum tuum*, quasi Deus Sanctitatis nomine præ cæteris divinis titulis magis glorietur. Cui non incongruè quadrat illud Exodi 28. ubi Moises Deo ordinante sacerdotalia ornamenta describens jussit confici laminam auream, in qua opere cælatoris insculptum erat *Sanctum Domino*, quam laminam I.

Quanta sit divina Sanctitas.

summus Sacerdos in fronte cunctis monstrandam populis proferebat, ut eis notificaret sanctitatis nomen veræ Divinitatis esse nedum caracterem, sed & specialem magisque radiantem perfectionem.

Non fuit ab Idololatris vitiata.

Inde factum est, quod etsi Deus ex infinita sua patientia tandiu sustinuerit Idololatras suæ Divinitatis Interpolatores, passusque fuerit ut quaslibet è suis perfectionibus falsis numinibus consecrarent, tribuentes videlicet Marti fortitudinem, Veneri fœcunditatem, Palladi scientiam, Jovi imperium, &c. Nusquam tamen passus est hanc injuriam suæ sanctitati irrogari. Nullum enim unquam fuit apud Gentiles Idololatras numen aliquod, cui Sanctitas pro caractere speciali tribueretur. Unde quoties vera Divinitas in Scripturis designatur, sanctitatis nomine significatur. Hinc etiam Seraphini *Ardentes igne Deo*, qui toti sunt in divinis perfectionibus celebrandis, Deum laudibus, & encomiis non extollunt ob suam Fortitudinem, Sapientiam, Majestatem, &c. sed incessabili voce proclamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Nec immeritò inquit sanctus Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. *Nihil enim pretiosius invenimus quò Deum nominare possimus, nisi ut Sanctum appellemus; quodlibet aliud inferius est Deo, inferius est Domino.* Cui concinit sanctus Bernardus homil. 4. super *Missus est* dicens, meritò jure Archangelum Gabrielem Virgini Mariæ dixisse, *Quòd ex te nascetur sanctum*, quia, inquit, *non habuit quo nomine Divinitatem Christi meliùs exprimeret:* Id ipsum priùs edocuisse videtur sanctus Dionysius, lib. de Divinis nominibus cap. 12. dicens, *Quoniam omnium Author, rerum omnium plenissimus est, ex una exuperantia qua omnibus antecellit, Sanctus Sanctorum dicitur.* Imò Deus ipse suam Sanctitatem præ cæteris suis divinis præcellentiis magni faciendam esse satis indicat, dum eam unicam ab hominibus imitandam proponit Levitici 9. *Sancti estote quoniam ego Sanctus sum.* Constat ergo Deum nedum esse sanctum, sed & divinam Sanctitatem inter alias ejus perfectiones eminere.

Cæteris divinis perfectionibus antecellit.

II. Quadruplex sanctitatis etymologia & character.

Notandum 2. Ex nostro Harphio *lib.* 1. *Theologiæ mysticæ parte* 2. *cap.* 103. SANCTITATIS nomen quatuor modis usurpari juxta quaternam ejus Etymologiam. Nam, inquit, *Sanctus* Primò idem est, quod *sine tinctura*, id est peccato; quia sicut tinctura panno colorem aufert naturalem totum penetrans pannum, sic peccatum animæ baptismalem aufert innocentiam, & penetrat totum hominem; de qua sanctificatione dicit Apostolus: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Secundò *Sanctus* idem est quod *sine terra*, ἅγιος enim Græcè sanctum est Latinè, vel ἅγιος idem est quod sine terra; Et sic nos sanctificare debemus cuncta contemnendo, cum Apostolo dicentes: *Omnia arbitratus sum stercora ut Christum lucrifacerem*, ut sic in Deum amore puro vivaciter erecti simus. Tertiò *Sanctus* est idem quod *sanguine tinctus.* Olim enim hostiæ sanguine tingebantur & purificabantur, & omnia pene in sanguine mundabantur. Sic etiam nos sanctificare debemus respergendo utrumque postem, scilicet concupiscibilis & irascibilis, & superliminare rationalis. Unde beata Agnes ait, *Sanguis ejus ornavit genas meas.* Quartò

A *Sanctus* idem est quod *firmus*, *& sancitus*: Et ideo leges dicuntur sanctæ quia firmæ, sic etiam nos sanctificare debemus per patientiam, sicut Apostolus, ait: *Pacem sequimini cum omnibus:* Glossa etiam cum persecutoribus, *& sanctimoniam* id est perfectionem, *perseverantiam in bonis operibus, sine qua nemo videbit Deum.* Hanc firmitatem, & sanctitatem assecutus fuit Apostolus quando dicebat, *certus sum quòd neque mors neque vita, &c.*

Notandum 3. Ex Hugone à S. Victore lib. 1. eruditionis Theologicæ titulo 30. SANCTITATEM tribui *Deo, hominibus*, & *locis*, cum hoc discrimine, quòd Deus sit sanctus non sanctificatus, sed sanctificans; homo sit sanctus sanctificatus, & sanctificans; locus verò sit sanctus, & sanctificatus, non verò sanctificans: Deus quippe sanctus est de se, non de nobis dicente Propheta Psalmo 15. *Bonorum meorum non indiges:* homo autem sanctus est non de se, sed de Deo; *De ejus enim plenitudine omnes nos accipimus*, ut fertur Joannis primò. Locus verò sanctificatus, vel absque homine, vel per hominem, non sanctificat, quia sicut Locus non sanctus sanctum non coinquinat, ut Loth Sodoma; ita non sanctum, sanctus locus non sanctificat, ut Paradisus cælestis Diabolum, & terrestris primum hominem; homo autem plerumque locum Sanctificat duobus modis, meritò, & officiò. Triplex quippe Sanctificatio agitur, est enim Sanctificatio Sacramenti, Sanctificatio justitiæ, vel meriti, & Sanctificatio gloriæ vel præmii. Nam sanctificantur Ecclesiæ cum dedicantur, sanctificantur homines cum justificantur, sanctificantur electi quando præmiis æternæ gloriæ donantur. Duobus autem posterioribus omissis sanctitatis modis, de priori solùm hîc duo inquirimus; primò in quo consistat divina Sanctitas, secundò quot modis ab hominum sanctitate discrepet.

III. Sanctitas Deo, hominibus & locis tribuitur, sed variè.

B

C

CONCLUSIO PRIMA.

D DEI *Sanctitas est omnimoda ejus divinæ Voluntatis cum æterna invariabilique lege conformitas, quâ ab omni labe & contagione peccati secretus & liber, sibi ipsi affectu perpetuo immutabiliter adhæret, omniaque propter seipsum unicè operatur.*

IV. Quid sit divina Sanctitas.

Hæc conclusio quatuor particulas continet, quibus divina sanctitas explicatur & innotescit. *Primò* namque *est omnimoda conformitas cum æterna lege*, quæ non est aliud quàm recta ratio divina, prout dictat omnia, quæ naturæ rationali sunt convenientia: Illa ergo rectitudo & voluntatis divinæ cum ea conformitas rectè Sanctitas ejus appellatur. Sicut enim rerum E creatarum naturalis perfectio maximè consistit in eo quòd earum quælibet commensurata sit regulæ & ideæ juxta quam est condita; ita earum perfectio moris sita est in cōmensuratione cum lege æterna, secundùm quam oportet operari: quia sicut conceptus & idea divinæ mentis est mensura & regula perfectionis naturalis rerum; ita lex æterna est mensura perfectionis moralis ipsius naturæ rationalis: adeoque cùm Sanctitas sit omnis moralis perfectionis apex & corona, ideo rectè statuitur in conformitate cum æterna Dei lege. Inde Christus Dominus, qui *Sanctus sanctorum* subnominatur, totus erat in adimplenda divina lege &

exequendo æterni sui Patris mandato & præscripto, idque modô perfectissimô. 1. Namque omnia divina jussa implevit, ipso plerumque testante Joann. 6. *Veni, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris.* 2. Eô modô quô fuerant ordinata executus est, Joann. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* 3. Omnia exactissimè servavit, *Iota unum aut unus apex non preteribit à lege donec omnia fiant.* 4. Cuncta operabatur ob gloriam Paternam, & divinum ob finem unicè cuncta exequebatur, *Non quæro gloriam meam, sed gloriam ejus qui misit me Patris.* Quibus exemplô suô docuit omnimodam sanctitatem in divinæ æternæque legis congruentia esse stabiliendam.

Secundò cum lex æterna, inquit Lessius *Libro* 8. *Opuscul. num.* 3. oriatur ex ipsa divina Essentia, (quæ sicut est origo fonsque primordialis omnis perfectionis entitativæ & naturalis; ita pariter radix est omnis perfectionis moralis, omnisque rectitudinis regula affectûs & amoris:) Inde fit, quòd etiam ipsa divina Sanctitas consistat in illa summa Dei conjunctione cum seipso, non solùm per naturam, sed etiam per affectum & amorem; quò fit ut Deus idcirco dicatur sanctus, 1. quia seipsum plusquam alia, 2. quia alia in seipso, 3. propter seipsum, 4. per seipsum diligit.

Tertiò, quia recta ratio dictat, ut rationalis natura cuncta moliatur ob certum aliquem finem, ne incertum in scopum collineando, imprudentiæ & cæcitatis arguatur; quò fit ut ad rectam operationem finis congruus semper desideretur; inde voluntas aliqua dici non potest recta, nec proinde sancta, nisi omnes suos affectus & motus in Deum ipsum rerum omnium finem per se, sincerè, & unicè dirigat. Unde meritò Corinthios monebat sanctus Paulus 1. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quidquam facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Rationem hujus profert ad Romanos 14. *Nemo enim nostrûm sibi vivit, & nemo sibi moritur; sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domini sumus.* Itaque divina sanctitas in eo maximè elucet, quòd Deus omnia propter semetipsum unicè operetur, *Propter me*, inquit Isaïæ 48. *propter me faciam, & gloriam meam alteri non dabo: Ego ipse, ego primus & novissimus.* Et Apocal. 1. *Ego sum α & ω. principium & finis, dicit Dominus Deus.* Inde Proverbiorum 16. meritò dicitur, *Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus.*

Quartò denique divina Sanctitas omnimodè elucet ex Dei secretione ab omni labe & contagione peccati, Deus enim idcirco sanctus prædicatur, quia omninò impeccabilis est; sanctitas enim, ut ait S. Dionysius cap. 12. de Divinis nominibus, est *ab omni scelere libera & omnino perfecta omnique ex parte immaculata puritas.* Talis autem puritas maximè Deo congruit qui naturâ suâ bonus est, imò ipsa summa Bonitas; quare sicut, si daretur infinitus calor, nullam frigiditatis particulam admitteret; ita bonitas infinita maliciam omnem excludit, tam secundùm effectum quàm secundùm affectum. Hinc sanctus Gregorius Nissenus in Catechetico cap. 1. omnem à Verbo divino peccati affectum removens, ait; *Cùm autem omnia possit Verbi libera voluntas, ea nullam ad malum propensionem habet; aliena quippe est à divina Natura in* A *maliciam propensio, sed omne quod bonum sit, hoc etiam velle necesse est, volentem autem omninò etiam posse. Porrò cùm possit, non otiosam esse, sed omnem boni electionem ad effectum perducere.* Mali autem efficientiam à Deo removet sanctus Basilius homil 2. in Hexameron, *Ac neque à Deo malum esse productum*, inquit, *religiosum est dicere, eo quòd nullum contrariorum à contrario gignitur; non enim vita mortem generare potest, neque tenebra lucis esse principium, neque morbus esse sanitatis efficiens: Sed in mutationibus quidem affectionum à contrariis ad contraria* B *transitur.* Qualiter autem Deus non sit author omnium peccatorum quæ à creata voluntate deflectente oriuntur, quamquam ad ejus operationem concurrat, infra resolvetur.

Ex iis collige Deum esse sanctum omni modô excogitabili, maximè verò quintuplici. *Primò* quidem RADICALITER, quia divina ipsius essentia, est prima radix fonsque primordialis omnis sanctitatis & puritatis; ab ea namque æterna lex, & amor omnis & divinus amor divinaque puritas in intellectu & voluntate oritur. *Secundò* OBJECTIVE, est enim objectum omnis planè sanctitatis; sanctitas enim est commensuratio cum æterna lege, ut illius amor: Unde adhærere Deo per amorem est esse purum, & sanctum; sicut affectu rebus inferiori- C bus adhærere est esse impurum. *Tertiò* sanctus est EXEMPLARITER, quia ipse est recta ratio, & æterna lex ipsius Deitatis radiis exarata in mente Dei, ad quam conformari debet omnis omnino sanctitas. *Quartò* sanctus est FORMALITER, quia est formaliter sui ipsius amor, adeoque formaliter est sua sanctitas: Unde cum se infinitè diligat, ideo quoque infinitè sanctus est, tam intensivè, quàm extensivè, quia nimirum seipsum, & rectitudinem suam & legem æternam amat infinitè, quantùm scilicet amabilis est. Similiter illa divina sanctitas infinita est extensivè, quia Deus nihil omninò amat nisi propter semetipsum, ideo etiam in D amore omnium Creaturarum sanctus est: Unde Psalmista 144. ait, *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* V.

Deus est sanctus quintuplici modo.

Inde fit ut peccatum infinitô odiô prosequatur; cum enim necessariò amet rectitudinem legis æternæ, necessariò odit quidquid huic rectitudini adversatur: adversatur autem illi omne peccatum, quia ratio peccati in eo sita est quòd sit contra legem Dei æternam. *Quintò* denique sanctus est EMINENTER & causaliter tanquam fons, & principium omnis sanctitatis, & puritatis; omnes enim Creaturas sanctificat, vel præsentiâ suæ Divinitatis, E ut mundum universum quem veluti templum consecrat: vel amore, & cognitione sui, ut Creaturas rationales: vel substantiali, & personali unione, ut Christum ipsum in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis, & sanctitatis corporaliter, & de cujus plenitudine omnes nos accipimus.

CONCLUSIO SECUNDA.

VI.

Divina sanctitas variè à sanctitate creata discrepat.

DIVINA *Sanctitas in multis à Sanctitate creata distat, maximè verò in quintuplici circumstantia.*

1. PRIMÒ namque divina sanctitas *Essentialis* est, quia divinam Essentiam penetrat, ab eaque veluti rivulus à fonte, & radius à Sole effluit,

nulla autem Creatura potest esse sancta essentialiter, sed solùm per adventitiam qualitatem, & accessorios actus & affectus, ipsiusque sanctitas omnis à superadditis naturæ suæ donis supernaturalibus emanat.

Secundò sanctitas Dei *Substantialis* est, sicut sapientia, & amor, & omnes aliæ divinæ præcellentiæ; creata autem sanctitas est accidentalis, quia, inquit Lessius laudatus, illa complectitur varios actus, & habitus, tum intellectus, tum voluntatis; intellectus enim illustrari debet fide vel lumine gloriæ: Voluntas autem Charitate, religione, & cæteris virtutibus supernaturalibus Charitati subservientibus ornari debet.

Tertiò divina sanctitas est omnino *Infinita*, tam intensivè, quàm extensivè, quia ut diximus, Deus tantùm se amat, quantùm amabilis est, tantaque puritas est in ejus amore, quanta est in perfectione essentiæ; extendit etiam se ad infinita, nimirum ad ea omnia quæ vel in sua essentia, vel extra suam essentiam conspicit, in illis enim summè complacet propter semetipsum, & gloriam suam: Creaturæ autem sanctitas utroque modô est limitata & finita, non enim in tantùm Deum amamus in quantùm amabilis est: Unde sanctus Bernardus, *Modus diligendi Deum est sine modo diligere.*

Quartò divina Sanctitas *crescere* non potest, quia est universitas & plenitudo sanctitatis omninò infinita, *Nec minui* quia omnino immutabilis & indefectiblis est. Secùs autem est de creata sanctitate, quæ crescere potest & minui: Unde sanctus Gregorius Papa in Pastorali parte 3. cap. 35. *In hoc mundo humana anima quasi more navis est contra ictum fluminis condescendentis, uno in loco nequaquam stare permittitur quia ad ima relabitur nisi ad summa conetur.* Cui eleganter concinit Alcimus in carmine ad Fuscinam sororem.

Contra si sanctos piget exercere labores,
Pigraque consuetas dissolvunt otia curas,
Labitur in præceps damnosa gloria vitæ,
Si vires nullas virtus acquirit eundo,
Amittit rediens paulatim extincta priores.

Quintò denique divina Sanctitas omnino *indefectilis* & immutabilis est; creata verò multis defectibus subjacet: Unde sanctus Cyrillus lib. 5. in Joannem, *In rebus creatis*, inquit, *utpote quæ in deteriora mutari possunt, & conversionibus à melioribus ad turpiora cedere, fructus erit religiosæ mentis, & in virtutem propensæ bonum; At in divina, & omnia excedente substantia, non ita res habet; sublatâ enim mutatione omni, & conversione, neque loco huic ullo relicto, deinceps fructus erit immutabilis substantiæ bonum, quemadmodum & in igne calor, & in nive frigus.* Cui concinit S. Hieronymus Dialogo 1. contra Pelagianos, *Duas*, inquit, *in Scripturis sanctis esse perfectiones, duasque justitias, & duos timores: primam perfectionem, & incomparabilem veritatem, perfectamque justitiam Dei virtutibus coaptandam: Secundam autem quæ competit nostræ fragilitati, juxta illud quod in Psalmis dicitur,* non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, *Ad eam justitiam, quæ non comparatione, sed Dei justitiâ dicitur esse perfecta. Iob quoque & Zacharias & Elizabeth justi dicti sunt secundùm eam justitiam, quæ possit in injustitiam aliquando mutari, & non secundùm illam quæ nunquam mutari potest.* Inde Deus non solùm *Sanctus sanctorum* dicitur, sed etiam ab Ecclesia in Hymno Angelico prædicatur: *Tu solus sanctus, Tu solus Dominus*, quia nimirum ipsius divina sanctitas, sola nævis omnibus caret, omninoque indefectibilis & immutabilis est.

VII. Quonam autem divina Sanctitas, sicut & creata, virtutum omnium coronide illustrari debet; quippe quæ sit summa voluntatis rectitudo, quæ nonnisi per virtutes impletur & firmatur; idcirco ut illius divinæ Sanctitatis splendor micantiùs affulgeat, nonnulla sunt de divinis virtutibus attexenda. Quod ut fiat planiùs, & ordine congruentiori expendatur.

Quænam virtutes Deum deceant.

In primis *Advertendum* est omnes illas virtutes quæ in suo conceptu formali quendam defectum connotant & important, à Deo totius excogitabilis perfectionis centro & scaturigine, longè esse removendas. Ex quo inferre licet omnes illas virtutes quæ in alterum vel Superiorem, vel Æqualem tendunt, qualis est religio, obedientia, pietas, observantia, &c. nullam in Deo entium omnium supremo sedem habere. Ab eo pariter exulant omnes illæ virtutes, quæ totæ sunt in passionum & appetitus sensitivi moribus edomandis & regulandis; Deus enim cum omnino sit incorporeus, nullisque passionibus subjaceat, idcirco nec in eo asserendæ sunt virtutes, quæ cum corpore passionibusque commercium habent.

Hinc conveniunt omnes penè Theologi, nec fortitudinem, nec patientiam, nec mansuetudinem, nec temperantiam in Deo formaliter, sed solùm metaphoricè reperiri, quia fortitudo timorem & audaciam, patientia tristitiam & desperationem, mansuetudo iram & sævitiam, temperantia corporeas delectationes & voluptates moderari debet. Nihilominus Doctor in 3. *dist.* 33. probat illas virtutes magis in voluntate, quàm in appetitu sensitivo locum & sedem habere: Tum quia voluntas cum sit libera & imperium habeat in appetitum sensitivum, nec-non in sensus externos ipsius appetitus veluti ministros, idcirco efficaciùs potest motus passionum cohibere quàm appetitus, qui nec liber est, sed ab objecto determinatur ad actum, nec imperium despoticum habet in sensus externos: Tum quia voluntas magis potest referre actum imperatum, aut elicitum ad finem consonum rationi rectæ, quàm appetitus sensitivus, quia voluntas est propriè appetitus rationalis, & ita propriè dirigere debet actum ad eum finem quem recta ratio demonstrat, quod appetitui sensitivo non congruit: Tum denique quia illæ virtutes fuissent in statu innocentiæ, quia maximè conferunt ad animæ splendorem, in quo tamen nullus fuisset inordinatus passionum motus.

Quomodo fortitudo & temperātia possint esse in Deo.

Tandem concludit Doctor affirmari posse illas virtutes passionum sensitivarum moderatrices esse reverà in Angelis, imò & in Deo quatenus versantur circa passiones appetitus sensitivi, non in ipso Deo nec in Angelis existentes; sed solùm circa tales passiones, prout in genere & in universum illæ passiones demonstrantur per intellectum esse moderandas v. g. in nobis ipsis. Hæc enim volitio divina vel Angelica, honesta est & virtuosa ut constat. Nec potest esse alterius virtutis quàm fortitudinis & temperantiæ,

quia ut probat Doctor ibidem, *num.* 16. si ab alia virtute illa volitio procederet, maximè à charitate; sed ita non est, quia charitatis motivum est bonum divinum volitum propter ipsum Deum: quando autem Deus aut Angelus volunt me fortiter aut temperaté vivere, illa volitio tendit in ipsum bonum propter formalem ipsius honestatem, & consequenter à virtute temperantiæ & fortitudinis, non autem charitatis oriri debet.

Nec dicas virtutem temperantiæ & fortitudinis non quomodocumque inclinare ad moderandas passiones circa delectabilia, & terribilia; sed etiam ad eas regulandas, & moderandas in proprio subjecto cui insunt: Hoc enim falsum est; *Quia*, inquit Doctor, *per mihi & tibi non variatur ratio formalis habitus:* Hoc enim materiale est, quia ex eo quòd mihi vel tibi insit honestum, non variatur formalis, & essentialis ratio honestatis; nam bonum temperantiæ in me, & in te, est ejusdem speciei: Ergo ex eo quòd virtus inclinat ad volendum proprio subjecto, vel alteri honestum, non variatur formalis ratio virtutis, unde concludit Doctor: *Hoc modo consequenter posset poni in Deo esse rationem virtutum moralium, sicut in eo conceditur Charitas sine accidentalitate ejus; & ita ex ista ratione de Angelo...... Nam voluntas Angeli potest velle mihi bonum temperantiæ, in quantum est tale bonum, quod velle est proprius actus temperantiæ, igitur ex habitu temperantiæ potest illud velle.*

Nihilominùs quoniam illæ virtutes nō possunt in Deo habere omnes omninò suas rationes formales, scilicet moderationem propriarum passionum. Idcirco probabiliùs censet Doctor, eas Deo non convenire formaliter & propriè; sed tantùm metaphoricé, & secundùm quandam proportionem ipsius infiniti actus divinæ voluntatis cum actibus voluntatis creatæ, quæ his virtutibus illustratur & informatur. Solùm itaque superest examinandum, an Iustitia & Misericordia cum suis virtutibus asseclis sint in Deo formaliter, aut solùm virtualiter & eminenter, quod expendetur in duabus sequentibus Quæstionibus.

Quæstio Secunda.

An, & qualis Iustitia sit in Deo?

I. NOTANDUM 1. Iustitiam à Theologis & Iurisperitis sic definiri: *Iustitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*, vel à sancto Augustino lib. 9. de Civit. cap. 21. *Iustitia est virtus quæ sua cuique distribuit:* Unde *Iustitiæ* nomen à *jure* deducitur; jus autem alterius idem est ac debitum alteri; inde fit quòd totuplex justitia censeatur, quotuplex debitum.

Justitiæ nomen à jure desumptum.

Unde sicut est quadruplex Jus, ita & quadruplex Justitia.

Potest autem aliquid dici debitum quatuor modis. *Primò* quidem ratione naturalis congruentiæ, & connexionis cum altero, sic rei cuilibet ad naturalem ejus perfectionem debetur certa quantitas, figura, temperamentum, vis, & perfectio prout cujusque natura postulat; cui debito respondet justitia quædam generalis, quæ nihil est aliud quàm affectus tribuendi cuique rei, quod ei ad perfectionem naturæ est debitum seu necessarium.

Secundò, dicitur aliquid debitum ratione

A obligationis legis, qualiter in natura rationali debita est conformitas tum affectûs, tum operis cum lege æterna. Cui debito respondet justitia, quæ constatur ex actibus cujusque virtutis, quatenus est conformis legi divinæ, & ab ea passim in sacra Scriptura homines dicuntur justi, quia conformes sunt affectu & opere legi æternæ.

Tertiò dicitur aliquid debitum ratione promissionis factæ alicui, cui debito respondet Fidelitas & Veritas, quarum munus est ea præstare quæ alteri promissa sunt, etiamsi ad id nullum jus perfectum habeat.

Quartò denique dicitur aliquid debitum alteri B ratione juris perfecti, cui nisi fiat satis, censetur fieri injuria: quod debitum nascitur ex duplici capite: *Primò* ex rei alienæ acceptione, ut fit in contractibus & pactis pro damnis & injuriis illatis; unde qui rem alienam destruit, vel famam honoremve lœdit, non minùs est debitor quàm qui rem aliquã aufert, & sibi retinet. *Secundò* ex officio distribuendi certâ quadam proportione bona communia: Huic autem utrique debito respondet utriusque justitiæ forma, quarũ altera dicitur *commutativa*, quâ redditur cuique quantum illi debetur, vel ratione rei acceptæ, vel damni & læsionis irrogatæ: Alia verò *distributiva* appellatur, quâ cuique membro communitatis res distribuitur juxta cujusque statum, C conditionem, & proportionem: Prior constituit æqualitatem rei ad rem: posterior veró constituit æqualitatem proportionis ad proportionem.

Unde Iustitia *Commutativa* & *Distributiva*.

Notandum 2. Inter hanc utramque justitiæ speciem, hoc intercedere discrimen, quòd justitia Commutativa in solutione debiti seruare debet æqualitatem Arithmeticam & absolutam, quæ fit secundum computationem numeri ad numerum: Si enim debitor creditori debeat viginti nummos, totidem ei ex justitia commutativa restituere tenetur: Distributiva autem servare tantùm debet proportionem geometricam, seu respectivam, quæ fit secundùm proportionem diversorum respectuum, quos Geometra considerat in diversis figuris & quan- D titatibus. II.

Discrimen inter utrãque.

Unde in distribuendis reipublicæ bonis per justitiam distributivam, hæc distributio non attenditur secundùm numerum & æqualitatem rei, ita quòd qui habet centum gradus meriti, etiam centum debeat habere partes boni distributi: sed secundùm proportionem, ita quòd si habenti centum gradus meriti tribuantur quadraginta partes bonorum reipublicæ; ex justitia distributiva tribui debent viginti partes, ei qui habet quinquaginta gradus meriti.

Notandum 3. Quòd præter duas illas assignatas justitiæ species, aliæ sunt virtutes quæ ad E Justitiam reducuntur, quæque ipsius partes potentiales solent appellari; quia imitantur quidem, & æmulantur rationem Justitiæ: Ab ea tamen deficiunt, vel quia non possunt reddere æquale, ut Religio, quæ versatur circa jus reddendum Deo, & Pietas quæ circa jus reddendum parentibus ac patriæ, & Obseruantia, quæ ius superioribus tribuendum respicit; Nam ut ait Aristoteles 4. Ethicorum cap. 4. *Deo, Parentibus, Patriæ & Superioribus retribui non potest, jus & debitum ad æqualitatem:* Vel quia licèt possint reddere æquale, non habent tamen rigorosum debitum & legale, ad quod retribuendum III.

Quænam virtutes ad Iustitiam revocentur.

dum quisque lege astringitur: sed solùm debitum morale, ad quod reddendum quis obligatur solùm ex honestate & decentia virtutis: ita quòd absque ejus solutione, morum honestas servari nequeat.

Cum autem duplex possit assignari: Primum quidem, quod ita morum honestatem spectat, ut hæc absque illo subsistere non possit; Secundum verò quod solùm pertinet ad majorem morum honestatem: Hinc juxta duplex istud morale debitum, etiam duplicis generis sunt justitiæ species; nam primum debitum vel attenditur ex parte ipsius debentis, ut talem se alteri exhibeat in verbis & factis, qualis est, & hoc debitum respicit *Veritas*: sive in simplici assertione, sive in promissione quæ vocatur fidelitas: Vel attenditur ex parte ejus cui debetur in compensationem alicujus facti boni aut mali, & circa hoc versatur *Gratitudo*, aut *Vindicatio*.

Postremum debitum scilicet cujus solutio solùm pertinet ad morum honestatem, respicit Liberalitas, Magnificentia, Amicitia, Charitas, Affabilitas, Eutrapelia, Misericordia. His præmissis, tria in præsenti quæstione resolvenda sunt. *Primum*, an in Deo sit ratio formalis virtutis justitiæ, quatenus à cæteris virtutibus distinguitur. *Secundum*, an justitia legalis commutativa & distributiva quæ sunt subjectivæ species justitiæ, in Deo sedem habeant. *Tertium*, an præfatæ potentiales justitiæ species nimirum Veritas, Fidelitas, Gratitudo, Liberalitas, &c. etiam in ipso secundum proprias & formales earum rationes reperiantur.

CONCLUSIO PRIMA.

IUSTITIA *verè & propriè in Deo est affirmanda.*

IV.

Justitia est in Deo propriè.

PROBATUR 1. Pluribus Scripturæ sacræ textibus quibus Deus reverà justus prædicatur, idque maximè ex ipso Scripturæ exordio; nam ubi vulgata versio habet *In principio Deus creavit Cœlum & Terram*; Hebraica legit *in principio creavit Elohim*, idest *judices*, quia, inquit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 12. *A primordio Creator tam bonus quàm justus pariter utrumque processit. Bonitas ejus operata est mundum, justitia modulata est .... justitiæ opus est quod inter lucem & tenebras separatio pronuntiata est, inter diem & noctem, inter Cœlum & Terram, inter aquam superiorem & inferiorem, inter maris cœtum & aridæ molem, inter luminaria majora & minora, diurna atque nocturna, &c.* ex quibus concludit: *Omnia ut Bonitas concepit, ita Iustitia distinxit.* Idem pluribus probat Regius Vates, maximè ex Psal. 84. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculata sunt; Veritas de terra orta est, & justitia de Cœlo prospexit; etenim Dominus dabit benignitatem .... Iustitia ante eum ambulabit.* Quibus Propheta Regius Deo justitiam tribuit ut distinctam à misericordia, benignitate & pace, seu concordia, & à veritate seu veracitate divina. Item Psal. 118. Deum alloquens ait. *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum*: Quibus verbis justitiam Deo tribuit specialiter, quatenus nimirum respicit judicium rectum, idest prout fert sententiam æquam & justam, ut faciunt æqui Judices ex speciali virtute justitiæ.

Ut constat tum ex Scriptura.

Ipsi concinit S. Paulus 2. ad Timotheum 4. dicens *Bonum certamen certavi.... in reliquo reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Ubi adverte vocabula *reddet justus judex*, & *corona justitiæ*, quæ omnia debitum justitiæ significant; retributio enim justi judicis, supponit jus in eo cui fit retributio, & debitum in illo cujus est reddere seu retribuere. Id ipsum confirmat idem Apostolus ad Hæbræos 6. *Non enim injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri boni, &c.* Quibus verbis Paulus significat Deum fore injustum, si mercedem promissam bonis operibus negaret; quia nimirum illa merces debetur ex justitia, juxta illud ejusdem Apostoli ad Rom. 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Nec non & juxta parabolam Matthei 20. quâ Deus comparatur Patri-familias conducenti operarios his verbis; *Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit dabo vobis.* Unde ibidem suo Oeconomo ait, *Voca operarios & redde illis mercedem suam*, debitam scilicet & justam, ex conventione facta cum illis de denario diurno.

Tum ex SS. Patribus.

PROBATUR 2. ex sanctis Patribus, maximè ex sancto Augustino lib. de Natura & Gratia cap. 2. *Non enim est injustus Deus qui justos fraudet mercede justitiæ*: Et serm. 16. de verbis Apost. c. 2. *In his quæ iam habemus laudemus Deum largitorem: in his quæ nondum habemus, tenemus debitorem. Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo.* nempe vitam æternã, *&c.* Et Ambros. in Ps. 118. serm. 7. circa initium: *Vult Deus*, inquit, *conveniri, ut si quis proposita secutus virtutibus præmia, bene certaverit, fructum remunerationis expectet, quin etiam exigat sicut habet scriptum*: CERTAMEN BONUM CERTAVI, ET REPOSITA EST MIHI CORONA JUSTITIÆ. Nota verbum *conveniri*, scilicet in judicio, quod est proprium debiti justitiæ.

Nec-non & ratione.

PROBATUR 3. RATIONE: Illa virtus quæ in suo formali conceptu nullam dicit imperfectionem, est Deo tribuenda formaliter: Sed Justitia strictè sumpta est hujusmodi. Ergo est Deo tribuenda. *Major* conceditur ab omnibus Theologis; Deo enim entium perfectissimo, ea omnis perfectio tribuenda est, quæ nullam imperfectionem redolet. *Minor* verò probatur. Iustitia considerari potest vel quatenus versatur circa debita aut indebita inter alios per simplicem affectum, ea scilicet amando quatenus justa sunt, & odiendo quatenus injusta: vel prout versatur circa justa seu debita inter nos & alios: Sed ex neutro capite justitiæ virtus imperfectionem habet annexam in suo formali conceptu. Ergo, &c. Probatur *minor*, quoad primam partem; justa enim quatenus talia, quorumcumque sint, sive nostra, sive aliena, sunt amore digna; injusta verò ut talia, sunt digna odio, & consequenter affectus qui versantur circa ipsa nihil habent imperfectionis & disconvenientiæ. Probatur eadem *minor* quoad secundam partem, nam multa debentur à Creaturis debitô strictô & rigorosô quæ Deus potest velle & exigere ab illis, quia debita sunt, hoc est, ex affectu Justitiæ; debetur enim Deo ut ei honor rependatur, ut ejus mandata serventur, &c. quæ si non fiant, fieri debet ei satisfactio & restitutio honoris læsi, potestque Deus omnia illa pro jure suo exigere à Creaturis, neque in eo quòd illa Deus exigat, vel quòd Creaturæ illa debeant est ulla imperfectio: Ergo Justitia secundùm se sumpta, & quatenus abstrahit à suis speciebus Deum non dedecet.

V. *Dices* 1. Justitia supponit debitum, & consequenter debitorem: sed Deus non potest fieri, nec diei debitor respectu Creaturæ: Ergo nec ad eas potest habere iustitiam. Probatur *minor*: authoritate sanctorum Patrum; & quidem sanctus Basilius in Psalmum 114. *Munet*, inquit, *sempiternu requies illus qui in hac vita legitimè certaverint; non secundùm debitum operum, sed secundùm debitum Dei munifestissimi.* S. Augustinus sermone 16. de verbis Apostoli. *Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo; Aliter enim dicimus homini, debes mihi quia deditibi, & aliter dicimus, debes mihi quia promisisti mihi. Deo igitur quid dicimus, redde mihi quia dedi tibi? quando quod sumus & quod habemus, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus, non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum: Illo ergo possumus exigere Dominum nostrum redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti, & hoc tu fecisti, quia laborantes juvisti,* Et Bernardus sermone primo de Annuntiatione, *Neque talia*, inquit, *sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eum donaret*: Ergo Deus non potest habere rationem debitoris; sed tantùm promissoris respectu Creaturæ etiam ratione bonorum operum.

VI. *Distinguo minorem*: Deus non potest esse nec dici debitor Creaturæ præter suam voluntatem, & per quandam exigentiam quæ voluntariæ ipsius benignitati officeret, concedo: Non potest diei debitor ex libera sua voluntate, & benignitate quâ mercedem repromittat sub conditione onerosa & laboriosa alicujus operis à Creatura exhibendi, nego: Id enim nedum supra insinuaverunt S. Ambros. & August. sed etiam affirmant Chrysost. Homil. 8. in Epist. ad Rom. dicens, *Deum esse debitorem justis: non vilium rerum; sed magnarum sublimiumque*: Et Cyprianus lib. de Opere & Eleemosina, de vero Misericorde ait, *Promeretur Christum judicem, Deum sibi computat debitorem.* Id ipsum asserunt Concilia Arausicanum can. 18. & Trident. sess. 6. cap. 16. ubi Concilium referens varios Scripturæ textus, quibus merces repromittitur bonis operibus in gratia factis, concludit, *Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia Filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda: Hæc est enim illa corona justitiæ quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse ajebat Apostolus, à justo judice sibi reddendam, &c.*

Quomodo Deus sit dicendus Creaturæ debitor.

Unde licèt habere jus ad aliquid, & respectu alicujus, quando contrahitur ius præter voluntatem ipsius debitoris, dicat imperfectionem quamdam, & veluti inferioritatem in debitore respectu creditoris: Nihilominùs habere ius tantùm dependenter ex voluntate, benignitate, & promissione ipsius debitoris nullam imperfectionem sonat.

VII. *Instabis*: Creditor habet dominium in id quod sibi debetur ex jure, non autem Debitor: Sed Creatura non potest efficere ut id quod ei debetur in mercedem, substrahatur à supremo Dei dominio & transferatur in dominium ipsius Creaturæ: Ergo Deus non potest habere rationem debitoris respectu Creaturæ, nec Creatura rationem Creditoris respectu Dei, & consequenter inter eos non potest vera intercedere justitia.

Distinguo majorem: Creditor habet supremum & unicum dominium in id quod sibi debetur ex jure, nego: Habet aliquale dominium ratione cujus illud iustè potest exigere, licèt etiam supponat dominium alterius superioris in rem ipsam debitam, concedo: *Ad Minorem* dico: Quòd dominio Dei perseverante in res aliquas, nihilominùs Creatura potest in easdem res ius aliquod habere; nam subsistente supremo Dei in Creaturas dominiô, nihilominùs Creaturæ habent ius in alias: Sicut à pari civibus competit ius in bona propria, perseverante alio Reipublicæ dominio & iure cui eadem bona subsunt; similiter quando Princeps per donationem, venditionem, aut alium contractum dat ius subdito in aliquid, in illumque transfert dominium proprietatis; non propterea se exuit iure alto & supremo dominio, per quod tam de rebus ipsis quàm de subdito ipso disponere potest prout bono communi expedit. Itaque nulla est imperfectio in Deo, nec quidpiam supremo ipsius dominio detrahitur, licet se Creaturarum debitorem ex voluntate & benignitate constituat, & illæ quoddam habeant ius in rem sibi debitam.

Vrgebis: Si Deus esset Creaturæ debitor, & obligatus ex iustitia suæ Creaturæ, resultaret in ipsa Creatura ius adversus Deum, ita quòd ipsa Creatura ius haberet in aliquid quod Deus ex iustitia ipsi denegare non pòsset; adeoque Deus in illud supremū non haberet dominium: sed hoc est absurdum. Ergo & illud unde sequitur; Patet sequela majoris: Supremum enim dominium non habet ille in rem aliquam, de qua non potest disponere iuxta suum beneplacitum, & sine iniustitia. Patet etiam *minor*, Deus enim supremum habet dominium in omnia, & si posset à se abdicare dominium alicujus operationis nostræ, posset etiam abdicare dominium omnium nostrarum actionum, nec non & dominium Cœli & Terræ, illudque in Creaturam transferre, quæ omnia absurdissima sunt. VIII.

Dist. seq. maj. Deus non haberet supremum dominium in illud ipsum, in quod Creatura ius haberet, si tale ius contraheretur præter voluntatem & liberum pactum ipsius Dei, concedo: Si contrahatur tale ius ex ipsius Dei beneplacito, & voluntaria ipsius promissione ac benignitate, nego: Ius enim illud quod habere potest Creatura in rem aliquam, non solvit supremum in eam dominium; imò supponit Deum rem ipsam taliter ordinare, ut cadat in propriam ipsius Creaturæ utilitatem, & proprietatem. *Adde* quòd cùm Deus habeat semper dominium supremum in ipsam Creaturam, quæ ius aliquando habere dicitur, etiam & dominium habet in illud ipsum ius eiusdem Creaturæ.

Dices 2. Non potest esse vera & strictè sumpta Justitia in Deo erga Creaturas, nisi pariter perfecta strictaque sit Justitia Creaturarum, v. g. hominum erga Deum: sed non potest esse stricta iustitia hominis erga Deum: Ergo nec Dei erga Creaturas. *Major* constat: Iustitia enim est habitudo reciproca debitoris ad creditorem. *Minor* probatur: Hominis erga Deum non potest esse stricta iustitia, si non possit in homine esse iniustitia contra iustitiam strictè sumptam: Atqui hæc esse non potest, ergo nec illa: Probatur *minor*: Si posset homo aliquam in Deum efficere iniustitiam, maximè per pec-

catum: sed ita fieri non potest. Probatur, si posset injustè Deus lædi ab homine per peccatum; sequeretur nullum esse peccatum quod non esset injustitia, quia nullum est per quod Deus non inhonoretur sive graviter, sive leviter. *Insuper*, Sequeretur omne peccatum duplicem habere malitiam, unam quidem injustitiæ contra virtutem justitiæ, alteram autem repugnantem illi virtuti in quam directè actio peccaminosa militat, v. g. ebrietas in temperantiam; sed falsum consequens: Ergo & antecedens.

IX. *Quomodo peccatum omne sit injustitia in Deum.*

Nego minorem, & ad ejus probationem dico, Peccatum omne esse veram injustitiam, seu injuriam Dei materialiter, quia nullum est quò non lædatur divinus honor: Formaliter verò peccatum est injustitia tantùm quando peccator directè & ex intentione agit contra jus divinum, seu contra Deum pro jure suo præcipientem oppositum actionis peccaminosæ; cujus equidem juris violatio injuriam Deo irrogat & exorahit in peccatore obligationem ad pœnam. *Ad secundam rationem* dico, nullum esse peccatum quòd non habeat malitiam injustitiæ cujusdam sibi annexam; nullum enim est peccatum quòd divino honori non opponatur, sicut etiam nullum est quòd non habeat saltem materialem malitiam ingratitudinis, inobedientiæ, injustitiæ, &c. Hæ tamen diversæ generales malitiæ rationes cum alicui peccato speciali, v. g. furto adjunguntur, non efficiunt diversam specie vel numero malitiam à malitia peccati illius specialis; sed in eo involuuntur & comprebenduntur.

X. *Dices* 3. Si hominis erga Deum esset stricta justitia & injustitia, sequeretur hominem obligari per se & ex natura rei post quodcumque admissum peccatum ad agendam statim pœnitentiam ut Deo satisfaciat: sed consequens videtur absurdum. Ergo & antecedens. Patet sequela majoris, quia ex omni justitia stricta, per se & ex natura rei oritur obligatio statim satisfaciendi.

Respondeo duplicem distingui posse satisfactionem debitam pro injustitia. Prima est restitutio boni ablati, aut remotio mali illati: Alia est pœna luenda pro peccato & transgressione legis. De prima verum est quòd statim post læsionem urgeat obligatio satisfaciendi: sic qui bonam famam detraxit & bona abstulit, tenetur statim restituere: Unde qui per blasphemias, hæreses, & alia id genus divinum honorem abstulit apud alios, inferendo scilicet in eis perversam de Deo existimationem, tenetur statim honorem Dei læsum reparare. Secunda verò obligatio solùm urget quando pœna ab offenso exigitur & à judice infligitur, talis autem est satisfactio quæ communiter oritur ex peccatis in Deum commissis.

Instabis: Omnis peccans divinum honorem lædit, quia Deum minùs æstimat quàm par sit: Ergo si in peccato aliqua sit injustitia, statim peccator tenetur restituere Deo ablatum honorem. *Nego antecedens*: Plurimi namque peccant defectu pravæ voluntatis; non autem ratione intellectus mali erga Deum affecti & eum minùs æstimantis. Si quis autem malam de Deo æstimationem haberet, teneretur statim illam deponere: Si quis pariter hanc malam de Deo existimationem apud alios verbis aut factis induxisset, statim ex Justitia teneretur curare, ut deponeretur.

CONCLUSIO SECUNDA.

XI. *Iustitia Legalis & Commutativa non sunt in Deo propriè.*

Iustitia legalis & commutativa non sunt in Deo secundùm proprias earum rationes formales. Hæc Conclusio quoad utramque partem est Doctoris in 4. d. 46. q. 1.

Probatur prima pars, Illa justitiæ species nequit esse in Deo formaliter, quæ in suo formali conceptu includit debitum inferioris ad superiorem & partis ad totum: Sed talis est Justitia legalis: Ergo, &c. *Major* constat, Deus enim habere nequit rationem inferioris & partis respectu alterius entis. *Minor* verò probatur: Cum omnis Justitia propriè dicta sit ad alterum, triplex fieri potest comparatio ad alterum: Nimirum vel comparando partem ad totum, vel totum ad partem, vel partem ad partem. Si pars ad totum comparetur, inde exurgit Justitia legalis quâ quodcumque Reipublicæ membrum tenetur etiam cum sui dispendio procurare bonum totius corporis politici, & ea debitè exequi quæ à Reipublicæ & politiei corporis Capite imperantur ad communem membrorum utilitatem. Si fiat comparatio partis ad partem, est Justitia commutativa, quâ unum membrum politici corporis æqualitatem servat ad alterum in contractibus, commerciis, & permutationibus. *Denique*, si fiat comparatio totius ad partem, est Justitia distributiva per quam Reipublicæ Caput ejus nomine distribuit bona vel pœnas juxta mensuram & proportionem meritorum & demeritorum. Ergo sicut Justitia distributiva in suo conceptu includit rationem proportionis & mensuræ servandæ in distributione bonorum & pœnarum; & commutativa æqualitatem servare debet inter partes invicem contrahentes: Ita pariter legalis Justitia in suo formali conceptu includit debitum partis ad totum; adeoque debitum inferioris & dependentis ad superiorem, quod maximè per legum observantiam impletur & solvitur: Hæc autem summè Deum dedecent. Ergo in eo non est asserenda Justitia legalis secundùm formalem ac propriam ipsius rationem.

Dices 1. Doctor Subtilis in 4. d. 46. q. 1. n. 2. disertè affirmat Justitiam legalem posse poni in Deo: Ergo nobis adversatur, & nos illi.

XII. *Respondeo* Doctorem non loqui de illa legali Justitia quâ inferior ad superiorem ordinatur, qualis est vera & stricta Justitia legalis: sed de illa quâ quis subditus aut quasi subditus tenetur concordare legi & legislatori, si verum sit quòd ante determinationem divinæ voluntatis sit aliqua lex, cui illa divina voluntas debeat sese conformare quasi alteri, v. g. huic dictamini, vel primo huic principio practico, *Deus est diligendus*, seu ut ipsemet loquitur ibidem dicē: Prima istarum, scilicet legalis, posset poni in Deo, si esset alia lex prior determinatione voluntatis suæ, cui legi, & in hoc legislatori, quasi alteri voluntas sua rectè concordaret, & est quidem ista lex *Deus est diligendus*: sed si non debet dici lex sive principium practicum legis, saltem est veritas practica præcedens omnem determinationem voluntaris divinæ.

Dices 2. Sicut Justitia distributiva non solùm est in Principe, sed etiam in eo qui nomine Communitatis bona vel onera Communitatis

distribuit, sed etiam in particularibus, non quasi per ipsos distributio sit facienda; sed ut sint contenti justâ distributione sibi facta & circa illam rectè afficiantur: Ita justitia legalis non modo est in subjectis & inferioribus, sed etiam in Principe, & Communitate ipsa; non quidem respectu ipsius Principis & Communitatis, sed etiam respectu inferiorum sibi subditorum, de quorum bonis & juribus Princeps, aut Communitas potest disponere propter bonum commune, eaque exigere à subditis quæ ratione illius boni communis præstare debent & exequi: Ergo hac ratione justitia legalis est in Deo.

XIII. *Distinguo antecedens:* Justitia legalis strictè sumpta, & quatenus dicit ordinationem hominis ad legem servandam cui subditur, non solùm est in subditis, sed etiam in Principe & Communitate, nego: Quatenus dicit affectum & voluntatem de servanda lege ab eo qui legi subditur, concedo: Fateorque hac posteriori consideratione justitiam legalem in Deo posse affirmari, sed ea non est justitiæ legalis strictè sumptæ usurpatio de qua solùm hîc loquimur.

Dices 3. Justitia legalis nedum respicit edicta Principum circa regendam Communitatem, sed etiam eorum debita & munera ad ipsam ritè gubernandam & regendam: sed hæc munia Deum non dedecent: Ergo nec justitia legalis.

XIV. *Nego minorem:* Deus enim nullatenus ex debito tenetur ad regimen universi; si quæ enim in ipso ad id foret obligatio quædam, maximè esset ratione capitis & partis principalis universi: Sed hoc dici nequit, nam capitis est & nobilioris partis corporis commune bonum magis satagere quàm proprium, imò & proprium negligere & expendere in utilitatem boni communis, sicut etiam ad id tenentur omnes subditi: Sed Deus bonum Creaturarum non potest proprio suo bono antefeire: Ergo nec obligari in ratione capitis ad regimen uniuersi.

Conclusio Tertia.

XV. Iustitia *commutativa propriè non est in Deo; distributiva verò in ipso reverà potest affirmari.* Hæc conclusio quoad utramque partem est Doctoris supra laudati num. 4. ubi cum distinxisset justitiam in commutativam & distributivam, dixissetque: *Commutativa propriè respicit punitionem & præmiationem, ut scilicet pro meritis quasi commutando reddantur præmia, & pro peccatis supplicia: Distributiva respicit quasi naturas & perfectiones superadditas, ut scilicet naturæ distribuatur perfectio sibi proportionata. Sicut nostra in republica, distributiva personis secundùm gradus suos, proportionaliter distribuuntur bona pertinentia ad gradus eorum: Sicut in hierarchia universi naturæ nobiliori ab hierarchia, id est principe Deo distribuuntur perfectiones nobiliores seu convenientes tali naturæ, & naturæ inferiori distribuuntur perfectiones sibi convenientes.* Subdit. *Prima illarum non potest simpliciter esse in Deo respectu Creaturæ, quia non potest esse simpliciter æqualitas: sed potest esse aliqualiter secundùm proportionem, sicut inter Dominum, & servum. Dominum enim liberalem decet retribuere majus bonum, quàm servus possit mereri, dum tamen sit talis proportio quòd sicut servus facit quod suum est, ita Dominus retribuat quod suum est, & eodem modo puniendo citra condignum. Sed secunda justitia potest hîc esse simpliciter, quia simpliciter potest dare naturis perfectiones debitas vel convenientes eis secundùm gradus perficientes.*

Iustitia distributiva verè est in Deo.

Probatur conclusio: Justitia commutativa strictè sumpta consistit in æqualitate dati & accepti: Sed hæc æqualitas inter Deum & Creaturas reperiri nequit, *Quis*, enim ait Apostolus ad Rom. 11. *prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia:* Et Job. 35. *Si justè egeris, quid donabis ei? Aut quid de manu tua accipiet?* Nimirum quia cum sit omnium Dominus, nihil ei potest offerri quod jam suum non sit: Ergo nec in eo justitia commutativa reperiri potest.

Deinde, per justitiam commutativam strictè sumptã, res aliqua constituitur sub potestate & dominio alterius, ad quem antea nullatenus pertinebat: Sed repugnat quòd aliqua actio Creaturæ sub potestate & dominio Dei constituatur; quæcumque enim actio Creaturæ sicut & ipsamet Creatura magis est sub dominio Dei quã sub dominio proprio: Ergo repugnat Creaturam aliquid Deo dare & tribuere simpliciter.

Denique, ille qui ex justitia commutativa aliquid retribuit, habere debet strictum debitum illud tribuendi: Sed in Deo non est, nec esse potest strictum debitum & obligatio respectu Creaturæ; nam strictum debitum importat inferioritatem aliquam & dependentiam debentis ab eo cui debetur, & videtur esse incompossibile cum supremo dominio; qui enim supremum dominium habet in aliquem, est pariter supremus Dominus illorum omnium quæ sunt: Unde Dominus potest absque ulla injustitia rem servo suo promissam negare, imò & datam aufferre; quia quidquid servus possidet, Domini est.

Dices 1. Emptio, & venditio sunt actus justitiæ commutativæ: Sed Deus justis Regnum Cœlorum pro laboribus & operibus meritoriis vendit, ut inquit Augustinus in quodam sermone *Venale habeo, quid Domine? Regnum Cœlorum. Quo emitur? paupertate Regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita:* Ergo Regnum Cœlorum distribuit ex justitia commutativa.

Distinguo minorem: Deus vendit justis Regnum Cœlorum per strictum pactum strictamque conventionem, quâ Deus teneatur ex vera & stricta justitia Regnum Cœlorum tribuere, nego: Ex voluntaria acceptatione eorum bonorum operum ad præmium longè excellens & antecedens ipsa bona opera, concedo: Nam ut loquitur Apostolus Romanorum 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* XVI.

Quomodo Deus aliquid vendat.

Dices 2. Ut Deus teneatur aliquid homini tribuere ex justitia commutativa, non opus est quòd homo Deo aliquid donet, & quòd Deus ab eo novum dominium accipiat in rem aliquam, sed sufficit quòd ei debitum honorem & cultum exhibeat: Sed hæc homo præstare potest; potest enim debitum honorem, cultum & obsequium Deo exhibere quod quandam habeat commensurationem cum præmio vitæ æternæ: Ergo Deus ad id obligari potest ex stricta justitia. XVII.

Nego majorem: Ille honor enim & cultus A quem Deo exhibemus, mille modis & infinitis pene titulis jam Deo debetur; nec ei rependi potest absque ejus influxu, causalitate, & concursu: Unde hæc actio quâ Deo cultus & honor à Creatura rependitur, à Deo tanquam à primo principio oritur & procedit: Unde quidquid ipsi offerre possumus, jam ipsius est juxta illud 1. Paralipo. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accipimus dedimus tibi:* Unde sanctus Bernardus; *Deus nos onerat cum exonerat: onerat enim beneficiis cum exonerat peccatis.*

XVIII. PROBATUR SECUNDA PARS: Primò quidem ratione Doctoris. Justitia distributiva, est quâ B cuique pro dignitate perfectio & beneficium tribuitur: Sed Deus rebus creatis secundùm earum dignitatem perfectiones distribuit: Ergo in eo est perfecta strictaque justitia distributiva. Probatur minor authoritate sancti Dionysii cap. 8. de Divinis nominibus, *Iustitia divina*, inquit, *omnia disponit & determinat, omniaque non confusa inter se nec permixta custodiens, iis quæ sunt, omnibus quod cuique accommodatum est, tribuit pro ea, quæ unum quodque eorum quæ sunt attingit dignitate.* Et eodem cap. *Oportet videre in hoc veram esse Dei justitiam quòd omnibus tribuit propria secundùm uniuscujusque naturam in proprio salvat ordine & virtute.* Et Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. 12. *Bonitas Dei operata est mundum, Iustitia modulata est.*

Justitia distributiva est propriè in Deo.

Deinde, justitia distributiva non habet adjunctos defectus quos commutativa importat, non enim inducit debitum aliquod simpliciter in distribuente oriundum ex receptione rei quam alius tribuat; potest enim Princeps justè bona omnia distribuere absque eo quod ab iis quibus illa distribuit aliquid accipiat, aut speret: Nec pariter ad justitiam distributivam requiritur ut qui bona distribuit eorum jus supremum ab se abdicet: Princeps enim potest bona largiri sibi semper servando jus ultimum & supremum in eadem bona.

Insuper justitia distributiva summam importat perfectionem, significat enim jus superioris erga inferiores: Siquidem ad superiorem pertinet distribuere de communibus bonis unicuique juxta proportionem suam: Ergo Deum non dedecet.

Denique, retributio vitæ æternæ pro bonis operibus in gratia & Charitate factis, non solùm à divina fidelitate, & gratitudine, sed etiam à stricta justitia provenit, ut probatum est in prima conclusione: Sed hæc retributio non procedit ex justitia commutativa, ut dictum est in præcedenti conclusione: Ergo necessum est ut ex distributiva oriatur.

Dices: Justitia distributiva cum sit species E justitiæ strictæ, tam supponit strictum debitum & obligationem quàm commutativa; omnis enim stricta justitia strictum debitum supponit: Ergo si Deo repugnet justitia commutativa ex eò quòd sit incapax stricti debiti, eadem ratione non debet in illo admitti justitia distributiva.

Nego antecedens: Debitum enim contractum ex justitia commutativa provenit ex actione & jure unius personæ quô aliam onerat; Deus autem onerari non potest & obligari strictè ex aliqua actione Creaturæ, quia omnis actio Creaturæ sub Dei dominio & dispositione est, ut dictum est: At debitum justitiæ distributivæ non provenit ex actione, neque ex jure unius personæ aliam onerantis, aut obligantis strictè ad aliquid faciendum, sed nascitur solùm ex naturali rectitudine & ipsa legis æquitate quâ distributor tenetur commensurare præmium perfectioni meritorum. Quod quidem debitum in humano principe obligat ex ordinatione naturalis legis; in Deo autem nascitur, ex eo quòd ipse sit prima lex, primaque totius rectitudinis regula.

Ex his collige justitiam vindicativam in Deo etiam posse affirmari; non quatenus est commutativa, & ut importat æqualitatem inter delictum & pœnam: sed prout significat debitam proportionem & commensurationem comparativam & geometricam inter peccatum & ultionem, juxta illud Apocalypsis 18. *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum & luctum*, in quibus propriè consistit officium justitiæ vindicativæ; Etenim inquit S. Aug. comm. 1. in Psalmum 58. *Iniquitas omnis parva magna ve sit puniatur necesse est, aut ab homine pœnitente, aut à Deo vindicante*, meritò Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 3. ait: *Bonum factum Deum habet debitorem, sicut & malum; quia judex omnis remunerator est causæ;* C *judex Deus justitiæ charissimæ sibi exigendæ tuendæque præsidet, & in eam, omnem summam disciplinæ suæ sancit: nihil à conspectu ejus remotum, unde omnino delinquitur; quia non ignorat; nec committit quominus in judicium decernat: dissimulator & prævaricator perspicaciæ suæ non est. Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu factô, seu voluntate commissis pœnam per judicium destinavit.* XIX.

Nec-non & Vindicativa.

Dices: Justitia vindicativa duo includit, nempe punitionem injuriæ, & remotionem damni illati per eam: Sed Creatura nullum Deo potest inferre damnum: Ergo Deus non potest D verè justitiam vindicativam in eam exercere.

Respondeo 1. Non esse necesse ad vindictam & pœnam inferendam quod fuerit damnum alicui illatum; sed sufficit quod contra illius jus actum fuerit & damnum quis inferre voluerit: 2. Potest Deo in ferri damnum in bonis externis, ut si ejus gloria & bona existimatio apud alios minuatur per blasphemias & hæreses: 3. Justitia vindicativa exigens vindictam quatenus debitam juri læso ad illud reparandum, est vera justitia, licèt quatenus tendit ad repulsionem proprii nocumenti ut talis, sit tantùm pars potentiativa justitiæ. XX.

Collige 2. Religionem, Pietatem, Observantiam, Gratitudinem secundùm propria earum virtutum officia & objecta non reperiri in Deo formaliter. Nam *Religio* inclinat ad rependendum honorem, & cultum alteri exhibendum tanquam primo principio & supremo Domino rerum omnium: *Pietas* verò ad exhibendum honorem & obsequium alteri tanquam secundario principio quales sunt parentes: *Observantia* cuius partes sunt Dulia, & Obedientia, inclinat ad exhibendum honorem & obsequium alteri ratione dignitatis & eminentiæ supra eum, qui honorem & obsequium exhibet: *Gratitudo* denique ad referendam gratiam pro

RELIGIO & PIETAS non sunt propriè in Deo.

beneficiis acceptis ab alio: Sed Deus inclinari non potest ad alterum tanquam ad primarium aut secundarium principium, neque tanquam ad superiorem aut benefactorem; illud enim directè militat io rationem supremi entis, & omoino independentis: Ergo hæ virtutes iustitiæ appendices, & potentiales species in Deo formaliter reperiri nequeunt.

Quæstio Tertia.

An, & quotuplex Misericordia sit in Deo?

I. Quid sit Misericordia.

B Notandum 1. Misericordiam juxta nominis etymologiam idem sigoificate quòd *miserum cor*: ita quòd *misericors* dicatur aliquis quasi *habens miserum cor*; quia videlicet afficitur ex miseria alterius per tristitiam, ac si esset ejus propria miseria, ut observat Doctor in 4. *dist.* 46. *q.* 2. *d.* 2. Cui concinunt sancti Patres & Philosophi: Io primis verò S. Augustinus lib. 9. de Civit. cap. 5. *Misericordia*, inquit, *est aliena miseria in nostro corde compassio, quâ utique si possumus subvenire compellimur*: Unde S. Damascenus lib. 2. de Fide cap. 14. ait, *Misericordia est tristitia in alienis malis.* Quibus consentiunt Philosophi: Aristoteles quidem 2. Rhetoric. cap. 2. ait. *Misericordiam esse dolorem quemdam ex apparente malo corruptivo ac* C *dolorem inferente in non dignum pati, quod ipse putavit se pati etiam posse, vel suorum aliquem, idque sic ut propinquum videatur*: Et Cicero in 4. Tusculanarum quæstionum, *Misericordia est ægritudo ex tristitia alterius injuriâ laborantis*: Denique Seneca lib. 1. de Clementia, ait: *Misericordia est ægritudo ob alienarum miseriarum speciem.* Verùm hæ omnes misericordiæ descriptiones fiunt solùm per effectum, quem in nobis affectus ille circa proximum generat ex propriæ nostræ infirmitatis consideratione, qualiter nemini potest esse dubium misericordiam formaliter in Deo non reperiri, à quo longè omnis miseria & infirmitas exulat. Idcirco

II. Misericordia quid importat.

D *Notandum* 2. Ex eodem Doctore ibidem, Misericordiam, quatenus in nobis reperitur, duo velut importare, unum quidem de formali, alterum verò de materiali. De *formali* namque dicit actum seu affectum voluntatis quô quis exoptat & intendit subleuare miseriam alienam; qui affectus si sit efficax & potens, de facto removet & expellit miseriam à subjecto in quo est, vel inesse potest. De *materiali* verò significat quemdam motum appetitus sensitivi quô aliquis de malo alterius tristatur, & illi per affectum condolet & compatitur: Seu ut loquitur Doctor: *Misericordia in nobis est habitus, vel qualitercumque dicatur forma, quâ nolumus* E *miseriam alterius; ita quòd primò inclinat ad actum nolendi miseriam in alio, & hoc vel futuram, & tunc præservat ab illa si potest: vel præsentem, & tunc relevat à miseria si potest; & ex consequenti post operationem disponit ad passionem, scilicet ad displicentiam de miseria imminente vel præsente.*

III. Est veluti duplex in Deo.

Notandum 3. Ex ibidem n. 3. quòd quemadmodum in Deo duplex distinguitur volitio, nimirum Antecedens & Consequens; ita potest in eo duplex distingui nolitio respectu miseriæ alterius, *Et sicut semper habet velle antecedens respectu mali creaturæ prohibendi vel tollendi juxta illud Apost.* 1. *ad Tim.* 2. Uult omnes ho- A mines salvos fieri; *sed sicut non habet semper velle consequens respectu boni, ita nec nolle consequens respectu mali imminentis totaliter, vel partialiter. Si primò modô, dicitur misericordia* liberans, *quæ scilicet excludit omne malum vel imminens, vel iam præsens; secundô modô dicitur misericordia* parcens, *vel* mitigans *quæ scilicet non totum malum excludit, sed aliquam partem mali debiti isti secundùm merita sua. Utrôque autem modô misericordia est in Deo, quia vel subvenit quibusdam omnem miseriam imminentem prohibendo, vel præsentem relevando; aliis autem partem miseriæ debitam dimittendo.* His prælibatis sit.

B

Conclusio Prima.

IV. Misericordia est in Deo formaliter.

Misericordia *est in Deo formaliter, non solùm quantùm ad effectum; sed etiam quantum ad affectum sublevandi alienam miseriam*: Hæc est communis inter Theologos, eamque Doctor tuetur & explicat locô laudatô, ubi cum dixisset misericordiam quatenus ad passionem, seu compassionem alienæ miseriæ inclinat, & miserum cor efficit ex affectu erga alium, non esse in Deo; subjungit: *Sed quantùm ad istam operationem nolendi miseriam sive imminentem, sive præsentem, misericordia propriè in Deo est. Quod probatur de imminente, quia sicut nullum bonum evenit nisi volente Deo, ita nihil* C *prohibetur ne eveniat nisi Deo nolente. Multa autem miseriæ possibiles evenire alicui prohibentur ne eveniant: Ergo Deus habet nolle respectu illarum: Consimiliter de miseria præsente, quia nulla miseria tollitur nisi Deo nolente illam inesse, multa autem frequenter tolluntur: Ergo, &c.*

Hanc ipsam veritatem tot Oraculis Scriptura sacra iodicat & confirmat, ut nulla penè sit pagina, in qua divina illa misericordia luculentissimè non commendetur. Et quoniam satis exprimi nequit, utpote quæ omnem cogitationem & sermonem superat, & omnem affectum miserendi includit: Idcirco eam per quandam exuberantiam exprimit, maximè Exod. 30. *Dominator Domine, Deus misericors & clemens, pa-* D *tiens & multæ miserationis & verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera atque peccata*: Et Psalmo 85. *Tu Domine Deus miserator & misericors, patiens & multa misericordia.* Et Psalmo 82. *Misericordiâ Domini plena est terra.* Et meritò quidem, inquit Augustinus, *Nam in terra abundat hominis miseria, superabundat Domini misericordia; miseriâ hominis plena est terra, & misericordiâ Domini plena est terra. At si terra plena est misericordiâ divinâ; numquid eâ Cœlum vacabit ubi nulla est miseria? Absit*, ut eleganter subdit, *omnia indigent Domino & misera & fœlicia, sine illo mi-* E *seri non sublevantur, sine illo fœlix non regitur: Ergo ne fortè de Cœlis quæreres cùm audires* misericordia Domini plena est terra; *audi quia Domino & Cœli indigent*: verbo Domini Cœli solidati sunt; *Nam non à se sibi solidamentum fecerunt, nec ipsi Cœli firmitatem sibi propriam præstiterunt*: Verbo Domini Cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Non habuerunt aliquid ex se, sed tanquam supplementum à Domino perceperunt.*

Hanc veritatem luculenter declarat S. Thomas *prima parte Art.* 3. ubi cùm observasset communicationem perfectionum rebus creatis

oriti à divina Bonitate, Justiria, Liberalitate, & Misericordia secundùm diversam rationem: subdit, communicatio perfectionum absolutè Communicata pertinet ad bonitatem, sed in quantùm perfectiones rebus à Deo dantur secundùm earum ptoportionem, pertinet ad justitiam: In quantùm verò non tribuit rebus perfectiones propter utilitatem suam, sed solùm ptoptet suam bonitatem pertinet ad liberalitatem: In quantùm verò, perfectiones datæ rebus à Deo omnem defectum expellunt, pertinent ad misericordiam.

V. Quæ omnia oedum intelligenda sunt de misericordia quantùm ad *Effectum*, & sublevationem miseriæ æternæ; sed etiam quantùm ad *Affectum* quô divina voluntas movetur ad alienam miseriam sublevandam; cùm enim illa sublevatio miseriæ sit effectus divinæ voluntatis, necessariò illius affectum sequitur; Proindeque si misericordia Deo tribuatur secundùm effectum, etiam & tribui debet secundùm affectum, non quidem passionis vel appetitos sensitivi; sed voluntatis & Charitatis: Unde S. Aug. lib. 2. ad Simplicianum de Misericordia. *Si auferas compassionem, ita ut remaneat tranquilla bonitas subveniendi, & â miseria liberandi, insinnatur divina Misericordiæ qualiscumque cognitio*, & lib. 1. contra Adversarium legis *Deus*, inqoit *zelat sine amore, irascitur sine perturbatione, & miseretur sine nllo dolore*: Ergo sufficientet probata manet utraque pars conclusionis videlicet misericordiam in Deo reperiri secundùm effectum, & secundùm affectum.

Conclusio Secunda.

VI. Misericordia divina, alia Generalis, alia Specialis.

DUplex *distingui potest divina Misericordia: altera* Generalis, *altera* Specialis, *non quidem secundùm se, sed ratione operis externi, & effectus creati*. Prior est quâ ab initio utraque natura rationalis, Angelica videlicet & humana ad bona supernaturalia, & statum beatum destinata fuit per designata, & subministrata media congrua. Cum enim inquit Lessius lib. 12. de Perfectionibus divinis cap. 2. Natura rationalis per se sibique relicta, sit multis subjecta defectibus, imperfectionibus, & veluti miseriis: Immensa Dei bonitas cum statuisset illam ex nihilo condere, & donis omnibus naturæ debitis exornare; videretque eam adhue tot defectibus obnoxiam, & tanto à visione ipsius intervallô disjunctam: misericordiâ motus, statuit illam ad ordinem supernaturalem & æternorum bonorum suorum communionem, quâ omnes illi defectus tollerentur, sublimare, & attollere. De qua misericordia ait Regius Vates Psalmo 144. *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus*, maximè verò super Creaturas rationales.

Particularis est quâ Deus speciali beneficiô alicujus Creaturæ miseriam sublevat, aliis in eadem miseria relictis: Sic humanum genus potiusquam cœtum Angelicum qui pariter ceciderat, reparare voluit triplici maximè de causa, quas cap. 3. refert, & ex sanctis Patribus expendit Lessius. *Primâ*; quia homo fraude naturæ superioris in culpam prolapsus est; Angelus sponte sua. Et quamvis superiores fortè induxerint inferiores: videbant tamen isti alios suos socios pestiferæ suasioni resistentes eorumque exemplô debebant confirmari. *Secundâ*: quia genus humanum, exceptis duobus primis hominibus, voluntate aliena absque proprio consensu lapsum est: Angeli verò suo judiciô, suo arbitriô, & propriæ voluntatis electione peccaverunt. *Tertiâ*: quia ob perfectissimam cognitionem, & absolutum animi imperium peccatũ illorum erat incomparabiliter gravius: Sicut ob eandem causam illorum bona opera sunt maximè meritoria. Hominis notitia est multò obscurior, & affectus passionibus obsitus longè imbecillior. Unde hominis longa via & longum tempus merendi constitutum, Angelo verò brevissimum.

Quare homo potius quàm Angelus fuit redemptus.

VII. *Insuper* triplex misericordia, vel misericordiæ opus statui potest. *Prima*, quâ res omnes, præsertim ratione præditas ex nihilo, in quo ab æterno veluti sepultæ delituerant, Deus in lucem produxit: Unde sanctus. Bernardus sermone 1. super *Salve Regina*, ait: *Misericordia Dei primordialis ipsa causa omnium, & causalissima causarum. Secunda* est, quâ naturam rationalem ordinavit ad statum supernaturalem per media supernaturalia. *Tertia* denique est, quâ naturam à statu supernaturali prolapsam, tum in peccatum, tum in suas naturales miserias, tum in mortem æternam, constituit reparare, & efficacioribus præsidiis supernaturalibus quàm antea fulcire: Ubi enim abundavit delictum, ibi superabundavit gratia.

VIII. Triplex opus divinæ Misericordiæ.

Prima quidem magna est & admirabilis; infinitè enim melior est essentia quâ creaturæ donatæ sunt quàm nihilum onde emerserunt. Verùm longè præstantior est secunda, excellentior enim est gratia quàm natura, & status ille divinus, quàm conditio naturalis. Sed tertia omnibus supereminet, Deique infinitam potentiam & virtutem magis designat: Unde illud Sapientis oraculum, *Misereris omnium quia omnia potes*, & illud Pauli ad Romanos 9. *Deus volens ostendere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*. Quibus consonant verba Ecclesiæ, *Deus qui omnipotentiam parcendo maximè & miserando manifestas*. Quæ luculenter sic expendit sanctus Thomas 1. parte quæst. 25. art. 3. Dei omnipotentia ostenditur maximè in parcendo, & miserendo; quia per hoc ostenditur Deum habere summam potestatem quod liberè peccata dimittit, ejus enim qui superioris lege astringitur non est liberè peccata condonare, vel quia parcendo hominibus & miserendo perducit eos ad participationem infiniti boni, qui est ultimus effectus divinæ virtutis: Vel quia effectus divinæ Misericordiæ, est fundamentum omnium divinorum operum; nihil enim debetur alicui nisi propter quod est datum ei a Deo, & non debitum, &c.

Ex quibus patet attributum misericordiæ ad voluntatem quidem divinam spectare, præsupponere tamen omnipotentiam, in qua fundatur & veluti radicatur; quia divina illa misericordia est attributum non solùm affectivum quô Deus vult alienæ miseriæ subvenire, sed etiam effectivum quô de facto Creaturarum rationalium miserias, & defectus omnes sublevat.

Mitto cæteras divinæ Misericordiæ nec-non & aliarum divinæ voluntatis præcellentiarum considerationes, utpote quæ morales potius quàm Scholasticæ videntur.

DISPVTATIO TERTIA.

DE PROVIDENTIA DIVINA EIVSQVE MIRANDIS EFFECTIBUS.

I. Quàm difficile sit de divina Providentia differere.



UGUSTUM divinæ Providentiæ sacrarium jamjam lustrandum auspicamur, eò fidentiùs & jucundiùs; quòd ea sagacissima rerum omnium molitrix & moderatrix suos nedum liberos nobis permittat aditus, sed etiam fœlicem suavemque cœpti laboris exitum spondeat, & ominetur; *Attingit enim à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter.*

Ingentem fateor difficultatum Oceanum, & innumeris propemodùm syrtibus & scopulis refertum, geniorumque subtiliorum naufragiis famosum, suscipimus enavigandum; maximè ubi abditos Prædestinationis, & Reprobationis recessus investigandos & reserandos aggrediemur. Nam si reverà magnum sit reconditos naturæ sinus & latebras nosse, ventorum thesauros, nubium semitas, cœlorum concentum, & modulos tenere; magnum scire ubi lux habitet, & tenebrarum quis sit locus, quâ viâ spargatur diluculum, quibus ostiis, & vectibulo mare claudatur: Certè longè major est sublimiorque divina illa cognitio, de qua Regius Vates, *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, siquidem, *Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam, tu semitam, & funiculum meum investigasti.*

Quibus quadruplicem divinæ Providentiæ notitiam & administrationem denotat, juxta quadruplicem statum & ordinem naturæ, morum, gratiæ, & gloriæ. SESSIONEM quidem, ad deliberandum, RESURRECTIONEM ad perficiendum; illam fomitem otii; hanc comitem negotii, illam in studio; hanc in stadio. SEMITAM verò omnes nimirum flexus, rationes, & periodos, universumque statum, cursum, & terminum hujus vitæ fluxæ, caducæ & mortalis. FUNICULUM denique æternæ videlicet destinationis, quâ fœlices illæ Beatæque mentes ex omnibus hujusce vitæ fluctibus & procellis emergentes, æternæ beatitatis terminum appellunt, evehunturque *In funiculis Adam, in vinculis Charitatis.*

Prædestinatio enim, præclara illa & primogenita divinæ Providentiæ soboles, verus est *Funiculus ille triplex*, quem Scripturæ sacræ, sanctique Patres mirum in modum efferunt. Triplex, inquam, ratione Fidei, Spei, & Charitatis; sine quibus impossibile est placere Deo. Triplex, ratione gratiæ prævenientis, concomitantis & consequentis; quarum si quæ defuerit, pessundatur omnino divinum Prædestinationis negotium.

Denique, funiculus triplex principii, medii, & finis, hoc est, vocationis, justificationis, & glorificationis; quibus tota prædestinatio stabilitur, & firmatur. Nam ut ait Apostolus, *Quos prædestinavit, hos & vocavit; quos autem vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, hos & glorificavit.* Quasi diceret mirandam prædestinationis fabricam triplici actû fulciri; nimirum, vocationis initiô, justificationis incrementô, & glorificationis præmiô.

II. Præsentis Disputationis distributio.

Hujus autem sacratissimæ secretissimæque Scientiæ quantùm humanitùs dabitur, ut exacta habeatur ratio, præsentem Disputationem, tres in Articulos distribuemus; quorum *Primus* de Providentia generatim disseret: *Secundus* verò de Providentia Supernaturali circa creaturam rationalem, suum in finem naturæ captum & limites excedentem, destinandam, vel prædestinandam: *Tertius* denique, de Providentia Puniente, seu Reprobante ipsam creaturam rationalem à præscripto sibi fine deviantem & exorbitantem.

ARTICULUS PRIMUS.

De divinæ Providentiæ existentia, natura affectibus, & effectibus.

III. Providentiæ nominis Etymon & significatio.

SACRUM divinæ Providentiæ nomen inferunt aliqui ex præpositione *Pro*, quæ interdum idem significat quod *Ante*. Quâ ratione *Providere* idem sonat, ac *Ante videre*. Unde Cicero lib. de Juventute, *Providentia est*, inquit, *Per quam futurum aliquid videtur antequam factum sit.* Nonnulli verò deductum volunt à præpositione *Procul*, ita quòd *Providere*, idem sit ac *Procul videre*, nimirum ea quæ loco vel tempore distant. Hinc Boëtius lib. 5. de Consolatione Prosâ 6. cùm dixisset scientiam divinam, quâ Deus *Cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam numquam deficientis instantiæ*: Subdit, *Unde non prævidentia, sed providentia dicitur*, quòd porro, id est procul, *à rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat.*

Rectiùs tamen sapiunt, qui providentiæ vocabulum ad antecessionem temporis referunt. Providentia namque divina significare nequit distantiam loci, cùm Deus ubique substantialiter sit præsens: sed importat solùm distantiam durationis, quoniam ab æterno Deus videt omnia quæ futura sunt in tempore. Cùm autem ea quæ priùs ventura sunt cognoscimus, adhibitis mediis congruis, contendimus ut prospera fiant. Hanc ob causam Theologi providentiæ nomen usurparûnt ad designandam curam illam paternam & maximam quam Deus rebus singulis impendit, ut eas debitos in fines dirigat & deducat. Juxta quam providentiæ usurpationem, quinque maximè veniunt hoc in Articulo discutienda & resoluenda. *Primò* quidem,

IV. Articuli distributio.

quidem, an reverà sit in Deo rerum omnium creatarum cura, & providentia? *Secundò*, quid & quæ sit illa divina Providentia, an videlicet intellectus, aut voluntatis divinæ actus, & soboles? *Tertiò*, an Deus rebus singulis immediatè provideat? *Quartò*, ad mala, tam naturæ quàm culpæ divinæ Providentiæ subsint, & ab ea ordinentur. *Quintò* denique, qualis, & quæ sit divinæ Providentiæ efficacitas, & præstantia; quæ omnia cum suis appendicibus, sequentibus in quæstionibus resolventur.

Quæstio Prima.

An reverà sit in Deo rerum omnium creatarum Providentia, & cura?

V. Qui Providentiam omnem è medio sustulerint.

NOTANDUM 1. Ex Lactantio, l. de Ira Dei, cap. 9. *Quòd cùm sententia Philosophorum prioris temporis de Providentia consensissent, nec ulla esset dubitatio, quin mundus à Deo, & ratione esset instructus, & ratione regeretur: Primus omnium Protagoras extitit temporibus Socratis, qui diceret sibi non liquere utrum esset aliqua Divinitas, nec ne? Quæ Disputatio ejus adeo impia, & contra veritatem & religionem judicata est, ut & ipsum Athenienses expulerint suis finibus, & libros ejus in concione, quibus hæc continebantur, exusserint.* Paucis interpositis; *Verùm iis postea temporibus quibus jam Philosophia defloruerat; extitit Athenis quidam Diagoras, qui nullum esse omnino Deum diceret, ob eamque sententiam nominatus est ἄθεος: Item Cyrenæus Theodorus, ambo, quia nihil novi poterant reperire omnibus jam dictis & inventis, maluerunt contra veritatem id negare, in quo priores universi sine ambiguitate consenserant. Hi sunt qui tot sæculis, tot ingeniis assertam, atque defensam providentiam calumniati sunt.* Quibus divinæ Providentiæ impugnatoribus astipulati sunt referente Nemesio, lib. de Facultatibus animæ, cap. 44. *Democritus, Heraclitus, Epicurus; qui neque universis, neque singulis à Deo provideri volunt: Epicurus enim dicebat quòd beatum sit & immortale, nec ipsum habere negotia, nec alteri exhibere; Quare nec iracundiâ, nec gratiâ teneri*, seu ut ex eodem Epicuro refert Lactantius cap. 8. libri laudati.

Omnis enim per se Divûm natura necesse est
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus, sejunctàque longè.
Iam privata dolore omni, privata periclis;
Ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri;
Nec bene pro meritis capitur; nec tangitur ira.

VI. Variæ de divina Providentia Ethnicorũ & Christianorum sententiæ.

Notandum 2. Varias insuper, easque erroneas nedum Ethnicorum Philosophorum, sed etiam quorumdam Christianorum de divina Providentia effusisse sententias: In primis enim Aristoteles, *A natura sola vult administrari singula*, ut 6. *Ethicorum ad Nicomachum non obscurè significat*; inquit Nemesius supra laudatus; & licet 8. capite Ethicorum aliquam divinæ Providentiæ curam de rebus creatis idem Aristoteles affirmare videatur, nihilominus illam ad sublunaria coarctat; ut affirmat nedum S. Ambrosius lib. 1. officiorum cap. 13. sed etiam Clemens Alexandrinus lib. 5. stromatum, referens qualiter ex sacris litteris malè intellectis quidam Philosophi varios errores deprompserint, *Epicuri mentem subiit casus*, inquit, *cùm hoc dictum non intellexisset*, Vanitas vanitatum & omnia vanitas: *Aristoteli venit in mentem usque ad lunam deducere Providentiam ex hoc Psalmo 35. Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.* Eundem in errorem impegerunt celebres Aristotelis interpretes Averroes, Avicenna & Algazel, negantes Deo distinctam & peculiarem cognitionem & curam Creaturarum in singulari: impegit etiam & ipse Rabbi Moses, qui corruptibilia quæque individua divinæ Providentiæ subduxit, solos excipiens homines, quos propter intellectus splendorem, Deo contubernales, ejusque Providentiâ dignos existimavit: Hanc pariter in insulsam sententiam iuisse videntur, Origenes, Hieronymus, & nonnulli è sanctis Patribus infra referendi, & explicandi.

VII. Quotuplex Providentia.

Notandum 3. Ex Aristotele 6. Ethicorum cap. 8. triplicem distingui posse Providentiam: videlicet *Monasticam*, quâ quis res factibiles sibi ipsi convenientes, ritè sapienterque disponit: aliam *Oeconomicam*, quâ quis res domesticas, & familiæ congruas prudenter administrat: Tertiam denique *Politicam*, qua Reipublicæ providetur. Certum est autem in Deo nullam esse Providentiam Monasticam; hæc enim solùm est de rebus contingentibus, quæ autem Dei sunt, necessaria sunt & omninò immutabilia; adeoque nullatenus Providentiæ subesse possunt. Solùm itaque præsens movetur difficultas de Providentia Oeconomica & Politica, quâ Deus rebus creatis, tam in communi, quàm in particulari impendit. Duo sunt igitur maximè hac in quæstione resolvenda: Primum quidem, an Deus aliquam habeat Providentiam erga res creatas: Secundum, an suam hanc divinam Providentiam rebus singulis etiam vilioribus impendat.

Conclusio Prima.

VIII. Divinæ Providentiæ existentiam disertè astruunt sacri codices.

REVERA *admittenda est in Deo Providentia erga res creatas.* Hæc est de fide, & probatur innumeris propemodum Scripturæ textibus, quibus divina Providentia celebratur, sic maximè Sapientiæ 14. *Tu autem Pater Providentiâ ab initio cuncta gubernas.* Et cap. 17. de Ægiptiis ait, *Fugitivi perpetuæ Providentiæ jacuerunt:* Et Ecclesiastes 5. *Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam; neque dicas coram Angelo,* NON EST PROVIDENTIA; *ne fortè iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Eandem veritatem Christus Dominus pluribus oraculis affirmat Matth. 6. & 10. *Respicite*, inquit, *volatilia Cœli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* Et post pauca, *Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri quod hodie est & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: Quantò magis vos modicæ fidei?* Et Matth. 10. *Nonne duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?* Hæc eadem veritas pluribus rationibus & gravioribus momentis firmatur à sanctis Patribus.

IX. PRIMÒ quidem iisdem omninò argumentis divina Providentia suadetur, quibus Dei existentia demonstratur. Quid enim tam dignum, tam proprium Deo, quam Providentia (inquit Lactantius lib. de Ira Dei cap. 4.) *Sed si nihil curat, nihil providet, amisit omnem divinitatem. Qui ergo totam vim; totam Deo substantiam tollit, quid aliud dicit nisi Deum omnino non esse?* Unde meritò idem cap. 9. Epicurum ridet quòd Deum esse dixerit, illius tamen Providentiam negaverit, *Quò quid repugnantius dici possit* (inquit) *non video. Etenim si est Deus, utique providens est Deus; nec aliter ei potest divinitas attribui, nisi & præterita teneat, & præsentia sciat, & futura prospiciat. Cum igitur Providentiam sustulit, etiam Deum negavit esse; cum autem Deum esse professus est, & Providentiam simul esse concessit; alterum enim sine altero, nec esse prorsus, nec intelligi potest.* Unde subtiliter sanctus Damascenus advertit lib. de fide cap. 11. Nomen θεὸς deduci à Verbo θεάομαι quod idem sonat ac considero, seu provideo: Cui consentiunt illi veteres Philosophi, qui Deum non aliud quàm Providentiam appellabant; consentit & ipse sanctus Dionysius lib. de Divinis nominibus cap. 12. ubi Divinitatem per Providentiam definit, *Divinitas*, inquit, *est omnia contemplans Providentia atque id perfecta bonitate.*

Nec-non SS. Patrum gravissimæ rationes & momenta.

Primum argumentum petitur ab existentia Dei.

X. SECUNDÒ: Ipsa divina Providentia evincitur ex naturali omnium inclinatione, *In repentinis enim perturbationibus*, inquit Nemesius supra laudatus, *sine electione, & deliberatione Dei nomen invocamus, velut natura nos sine doctrina ad Dei opem perducente*; frustranea autem foret hæc invocatio & divini auxilii inclamatio, si nulla apud Deum rerum humanarum esset cura & Providentia. Quam rationem eleganter ponderat & expendit Tertullianus in Apologetico Christianæ Religionis adversus Gentes cap. 17. *Vultis*, inquit, *ex anima ipsius testimonio comprobemus? Quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circunscripta, licet libidinibus & concupiscentiis evigorata, licet falsis Diis exancillata; cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur, Deum nominat: hôc solô quia propriè verus hic unus Deus, Bonus, & Magnus. Et quod Deus dederit omnium vox est. Iudicem etiam contestatur, illum Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ.*

Secundum ex naturali omnium inclinatione.

XI. TERTIÒ: Eandem veritatem probat Lactantius cap. 8. libri laudati, ex Religione cultuque Deorum à natura Gentibus quibusque etiam Barbaris inditis: *Si enim Deus*, inquit, *nihil unquam boni tribuit, si colentis obsequio nullam gratiam refert: quid tam vanum, tam stultum, quàm templa ædificare sacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, ut nihil assequamur? At dices, naturam excellentem honorari oportet: Sed quis honos deberi potest nihil curanti & ingrato? An aliqua ratione obstringi possumus ei qui nihil habeat commune nobiscum.* Idem argumentum urget Cicero lib. 1. de Natura Deorum; *Si autem Dii*, inquit, *neque possunt nos juvare, nec volunt, nec curant omninò, nec quid agamus animadvertunt, nec est quòd ab iis ad hominum vitam permanare possit; quid est quòd ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus?* Unde concludit Lactantius, *Quod si Religio tolli non potest ut & Sapientiam quâ distamus à belluis, & justitiam retineamus quâ cõmunis vita sit tutior; quomodo Religio ipsa sine metu tenere aut custodiri potest, &c.*

Tertium ab insito numinis alicujus cultu & Religione.

XII. QUARTA PROBATIO deducitur ex ipsomet Creatoris titulo, nam ut sapienter, & eleganter animadvertit S. Ambros. lib. 1. officiorum c. 13. *Quis operator*, inquit, *negligat operis sui curam? Quis deserat, & destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est magis injuria fecisse, cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit: non curare quod feceris, summa inclementia:* Idem argumentum urget Theodoretus serm. 1. de Provid. ubi cum dixisset rebus singulis innatum esse amorem ingenitamque curam suorum effectuum, concludit: *Totus autem mundus, & totum humanum genus pignus est Creatoris sui: & ideo ex hoc quoque affectu, quô amare nos fecit pignora nostra, intelligere nos voluit quantum ipse amaret pignora sua.* Urget idem S. Damasc. lib. 2. de Fide cap. 29. *Necesse est*, inquit, *eundem esse eorum quæ sunt, & factorem, & provisorem; nam neque decet, neque consequens est alium factoren esse eorum quæ sunt, & alium provisorem; Sic enim imbecillitati debilitatique uterque subjaceret.*

Quartũ ab ipso Creatoris titulo.

XIII. QUINTA denique divinæ Providentiæ demonstratio deducitur, tum ex rerum omnium creatarum perfectione & præstantia, tum ex earum stabili ordine & concorde discordia. *Primum* egregiè expendit S. Aug. lib. 5. de Trinit. c. 11. *Deus*, inquit, *unus omnipotens Creator, & factor omnis animæ atque omnis corporis.... A quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo: A quo est mensura, numerus, pondus: A quo est quidquid naturaliter est, cujuscumque generis est, cujuscumque æstimationis est: A quo sunt semina formarum, formæ seminum, motus seminum atque formarum. Qui dedit & carni originem, pulchritudinem, valetudinem, Propagationis fœcunditatem, membrorum dispositionem, salutem, concordiam? Qui & animæ irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum: rationali autem insuper mentem,* INTELLIGENTIAM, *voluntatem: qui non solùm Cœlum, & Terram, nec solùm Angelum & hominem, sed nec exigui, & contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium, sine suarum partium convenientia, & quâdam veluti pace dereliquit; nullô modô est credendus regna hominum, eorumque dominationes, & servitutes à suæ Providentiæ legibus alienas esse voluisse.*

Quintum denique deducitur ex rerum omnium perfectione.

XIV. Secundum autem proponit Boëtius lib. 3. de Consolatione Prosa 12. *Mundus*, inquit, *ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minimè convenisset, nisi unus esset, qui tam diversa conjungeret: Conjuncta verò naturarum ipsa diversitas invicem discors dissociaret, atque divelleret; nisi esset unus, qui quod nexuit contineret. Non tam verò certus naturæ ordo procederet, nec tam dispositos motus locis, temporibus, efficientiâ, spatiis, qualitatibus explicaret; nisi unus esset, qui has mutationum varietates manens ipse disponeret.* Idem elegantissimè urget S. Chrysost. homil. 10. ad populum: *Si breve hoc & modicum corpus*, inquit, *medicaminibus tot utens... perit tamen & corrumpitur, sæpius turbatione in eo factâ: quomodo tantus mundus ex iisdem compositus elementis, nisi*

Et earum stabili ordine.

providentia multùm cepisset, tanto tempore imperturbatus manere potuisset? Si nos non naturâ, sed voluntate malè affecti erga invicem, sponte non convenimus, donec manemus inimici, sed alterô qui nos jungat indigemus, & in pace contineat: Quomodò elementa, neque rationem, neque sensum habentia, & sibi per naturam inimica convenissent, & simul manere potuissent; nisi potentia quadam esset ineffabilis, qua congregaret, & congregata semper hoc vinculô cohiberet? Non cernis quomodò corpus hoc, animâ avolante, defluit & tabescit, & perditur, & in suum quodque elementorum revertitur terminum? Hoc ipsum profectò, & in ipso mundo fieret, si ipsum reliquisset propriâ destitutum providentiâ: Si navigium sine gubernatore facilè mergeretur, quomodo subsisteret mundus tantùm temporis gubernante nemine .... & quid dico navigium? Casulam quis parvam in vineis compegit, & fructu ablatô desertam reliquit, & neque duos sæpe dies permanet, sed solvitur & brevi cadit: Igitur tugurium quidem absque providente non staret, Creatura verò tanta, tam pulchra, tam mirabilis, & leges noctis, & diei alternarumque horarum chorea, & naturæ cursus, variusque & omnimodus in terra, & mari, & aëre, & cælo, & plantis, & animalibus volantibus, natatilibus, gradientibus, serpentibus, & in hominum genere omnibus illis validiore, quomodò in tantùm temporis absque aliqua providentia stabilis permansisset?

Dices 1. Si aliqua in Deo esset rerum humanarum cura & providentia, nulla foret hominum libertas, nullaque rerum creatarum contingentia: sed consequens absurdum esse suadet ratio, & experientia demonstrat: Ergo & antecedens. Probatur sequela majoris: Si omnes hominis actiones sint à Deo prævisæ, vel evitabiliter evenient, vel inevitabiliter: Si primum: Ergo divina Providentia non erit infallibilis. Si secundum: Ergo hominis operationes non erunt contingentes, nec poterunt fieri, aut non fieri; adeoque nec erunt liberæ, sed necessariæ & naturales.

XV. *Nego sequelam majoris*: Et ad ejus probationem dico hominis operationes necessariò fieri, non quidem necessitate antecedente quæ libertatem auferat, & necessitatem inevitabilem imponat; sed consequente, quæ liberam voluntatis determinationem prævisam supponat: Divina namque voluntas, æternô suô decretô creatam voluntatem non prædeterminat, sed condeterminat; nec illius determinatio est prior, vel posterior naturâ vel ratione determinatione voluntatis creatæ in ordine causalitatis, sed simul cum illa (ut jam diximus agendo de conciliatione libertatis humanæ cum invariabili divinæ voluntatis decreto.)

Quomodo Dei providentia cum libertate hominis, & rerum contingentia concilietur.

Adde quòd ipsa divina Providentia rebus creatis sese accommodet, & ita suam curam impendat, ut necessariis necessariò, & liberis liberè media convenientia ad debitum sibi finem assequendum subministret, ut disertè edocet sanctus Dionysius lib. de Divinis nominibus cap. 4. dicens: *Sicut providentia uniuscujusque naturæ est salvativa, per se mobilia providet ut per se mobilia, & tota particularia juxta proprietatem totius, & uniuscujusque in quantùm provisorum natura suscipit, totius providentia proportionaliter attributat unicuique provisas bonitates.*

XVI. *Instabis:* Tam certa tamque invariabilis est divina rerum ordinatio, ut eâ stante, nulla possit esse hominis libera determinatio & electio; sed omnes inevitabili quadam necessitate & immutabili fatô rapiuntur & agitantur: Ergo vel nulla est hominis libertas, nullæque illius preces ad Deum & vota; vel nulla in Deo providentia. Probat antecedens Seneca libro 2. q. natural. cap. 35. & 36. ubi divinæ providentiæ & ordinationis, (quam alio nomine fatum appellat more veterum Philosophorum) immobilitatem, & invariabilitatem aperiens: ait, *Fata aliter jus suum peragunt, nec ulla commoventur prece, non misericordiâ flectuntur, non gratiâ; servant cursum irrevocabilem, ex destinato fluunt. Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superveniens præcipitat: Sic ordinem rerum fati æterna series rotat, cujus hæc prima lex est* STARE DECRETO. *Quid enim intelligis Fatum? Existimo necessitatem rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat. Hanc si sacrificiis, & capite niveæ agnæ exorare judicas, Divina non nosti. Sapientis quoque viri sententiam negatis posse mutari: quantò magis Dei, cùm Sapiens quid sit optimum in præsentia sciat, illius Divinitati omne præsens sit?* Quibus verbis egregiè demonstrat divinæ Providentiæ immutabilitatem; adeoque omnem fortuitum & liberum eventum eâ positâ excludit.

Ethnicorũ de fato sententia proponitur.

Respondet idem Philosophus *cap.* 37. certô hôc, & immutabili divinæ Providentiæ decretô, nullatenus lædi humanæ libertatis arbitrium, nec cassas & irritas fore hominum preces: *Quædam enim*, inquit, *à Diis immortalibus ita suspensa relicta sunt, ut in bonum vertant, si admota Diis preces fuerint; si vota suscepta.*

Deinde sibi objiciens, *Aut futurum*, inquit, *est; aut non: si futurum est, etiamsi non susceperis vota, fiet: si non est futurum, etiam si susceperis vota, non fiet.* Respondet, *Falsa est ista interrogatio: Quia illam mediam inter ista exceptionem præteris; futurum, inquam, hoc est, sed si vota suscepta fuerint.* Rursus objiciens: *Hoc quoque necesse est fatô comprehensum sit, aut suscipias vota, aut non.* Respondet, *Puta me tibi manus dare, & fateri hoc quoque fatô esse comprehensum, ut utique fiant vota; fatum est ac hic disertus sit, sed si litteras didicerit: ab eodem fato continetur ut litteras discat ..... sic cum sanitas videatur esse de fato, de fato debetur tamen medico, quia ad nos beneficium fati per hujus manus venit.* Quibus egregiè docet fati, seu divinæ Providentiæ immutabilitatem hominis libertatem non lædere, sed liberam ejus voluntatis determinationem supponere; non enim eam prædeterminat, sed condeterminat.

Et excluditur.

XVII. *Dices* 2. Si aliqua penes Deum esset mortalium cura, esset pariter piorum secura fœlicitas in suæ virtutis præmium; penes impios verò calamitas & miseria in suæ improbitatis ultionem & vindictam: sed longè secùs accidit; perversi namque ducunt in bonis dies suos, & honoribus, voluptatibus ac divitiis affluunt: Unde semi athei colligunt, *à Deo omnia prætermitti*, inquit Salvianus lib. 1. de Providentia, *quia nec coërceat malos, nec tueatur bonos, & ideo in hoc sæculo deteriorem admodum statum esse meliorum: bonos quippe esse in paupertate,*

Validum contra divinam Providentiam argumentum.

malos in abundantia: bonos in infirmitate; malos in fortitudine: bonos semper in luctu; malos semper in gaudio: bonos in miseria & abjectione, malos in prosperitate & dignitate. Nec impiorum sola hæc est quærimonia; sed etiam Sanctorum, nam Jeremias 12. Deum velut objurgans ait: *Quare via impiorum prosperatur? benè est omnibus qui prævaricantur, & iniquè agunt.* Et Abacuc. 1. *Quare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se?* Quam itidem quærimoniam mirum in modum ponderat & exaggerat David Psal. 72. *Zelavi*, inquit, *super iniquos, pacem peccatorum videns: quia non est respectus morti eorum, &c.*

Solvitur.

Respondet 1. S. Augustinus: Hoc equidem argumentum ita validum videri ipsi Regio vati, ut illius solutionem & elucidationem non in hac mortali, sed in beata æternaque vita speraverit: Unde subdit ibidem: *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei.* Quæ verba sic expendit S. Augustinus: *Ante faciem meam laborem quemdam quasi inextricabilem video, ut cognoscam quomodo, & justus sit Deus, & res humanas curet, & non sit iniquus; quòd peccantes & scelera facientes fœlicitatem habent in hac terra; Pii verò & Deo servientes, in tentationibus plerumque & in laboribus fatigantur. Magna difficultas est hoc scire: sed donec introeam in sanctuarium Dei.* Tunc enim apparebit qualiter legitimam justi mercedem bonorum suorum operum, nec-non & tribulationum vitam æternam accipient: Impii verò in ignem æternum detrudentur.

XVIII.

Deus bonos miseriis, malos verò deliciis abundare permittit pluribus de causis.

Respondet Salvianus laudatus, hæc immeritò à Providentiæ calumniatoribus objici: *Primùm enim*, inquit, *ab iis qui hoc ita esse vel dolent vel accusant, illud requirò: de Sanctis hoc, id est, de veris ac fidelibus Christianis, an de falsis & impostoribus doleant. Si de falsis; superfluus dolor, qui malos doleat non beatos esse: Cum utique quicumque mali sunt successu rerum deteriores fiant, gaudentes sibi nequitiæ studium benè cedere. Et ideo ob hoc ipsum miserrimi esse debent, ut mali esse desistant, vindicantes improbissimis quæstionibus nomen religionis, & præferentes ad sordidissimas negotiationes titulum sanctitatis; quorum scilicet nequitiis si miseriæ comparentur, minùs sunt miseri, quàm merentur: quia in quibuslibet miseriis constituti, non sunt tamen tam miseri, quàm mali. Nequaquam ergo pro his dolendum, quòd non sunt divites ac beati.*

Multò autem pro Sanctis minùs; quia quantumlibet videantur ignorantibus esse miseri, non possunt tamen esse aliud quàm Beati..... Nemo enim aliorum sensu miser est, sed suô. Et ideo non possunt cujusquam falsò judiciô esse miseri, qui sunt verâ sui conscientiâ beati; nulli enim, ut opinor, beatiores sunt, quàm qui ex sententia sua atque voto agunt. Humiles sunt, Religiosi, hoc volunt: pauperes sunt, pauperie delectantur; sine ambitione sunt, ambitum respuunt: inhonori sunt, honorem spernunt; lugent, lugere gestiunt; infirmi sunt, infirmitate lætantur. Nequaquam ergo nobis dolenda est hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem esse virtutum. Itaque quidquid illud fuerit, quicumque veri Religiosi sunt, beati esse dicendi sunt: quia inter qualibet dura, nulli beatiores sunt, quàm qui hoc sunt quod volunt.

1. Quia tribulatio virtutem probat.

Respondeo 3. Multis de causis, iisque justissimis divinam Providentiam justos quoslibet tribulationibus exercere. *Primò* quidem, quia

A inquit Seneca libro de Providentia: *Marcet sine adversario virtus; tunc apparet quanta sit, quantùm valeat polleatque, cùm quid possit, patientia ostendit.... Non fert ullum ictum illæsa fœlicitas: at ubi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per injurias ducit, nec ulli malo cedit: sed etiam si ceciderit, de genu pugnat.* Deinde cum dixisset viros fortes probari in colluctationibus, & homines delectari spectaculô constantis adolescentis irruentem in se feram excipientis & laniantis; subdit. *Ecce spectaculum dignum ad quod respiciat intentus operi suo Deus: Ecce par Deo dignum vir fortis cum mala fortuna compositus, utique si & provocavit. Non video, inquam,*

B *quid habeat in terris Iupiter pulchrius si convertere animam velit, quàm ut spectet Catonem iam partibus non semel fractis stantem, nihilominùs inter ruinas publicas rectum.* Cui concinit Tertullianus lib. de Patientia. ubi stupendam Iobi Patriarchæ patientiam celebrans, ait; *Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extruxit? quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit? Quid ridebat? Deus. Quid? dissecabatur malus, quùm Iob immundam ulceris sui redundantiam magnâ æquanimitate distringeret, quum erumpentes bestiolas inde in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis ludendo revocaret?*

Secundò, *Virtus in infirmitate perficitur*, inquit Christus ipse Paulum alloquens 2. Corinth. 2. Eam perficit.

C 12. *Tribulatio*, inquit Augustinus, *compellit nolentem; erudit ignorantem, protegit infirmantem, excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, coronat innocentem.* Unde S. Hilarius lib. 4. de Trinit. *Sicut olim crescentibus diluuii fluctibus arca sublimiùs ferebatur, & tandem procellarum victrix requievit super montes Armeniæ; non dispari modò Ecclesia, dum exercetur, floret; dum opprimitur, crescit; dum contemnitur, proficit, dum cæditur, vincit.*

Tertiò, Nullus est impietati ita deditus, ut aliquod interdum morale bonum opus non exerceat, quod cùm non habeat annexam charitatem & gratiam, æternæ retributionis semina; idcirco solùm temporaneum præmium exigit: Cùm autem è contra nullus justitiæ sec- 3. Purgat.

D ctator, ita sit fidelis & tenax, ut interdum à recto virtutis tramite paululum non deviet, Deumque levioribus culpis non offendat; ideo etiam Iustorum nullus est, qui pœnam ultricem, saltem temporaneam, non mereatur. Idcirco tantùm abest ut prospera Impiorum, & adversa Piorum fortuna defectus sit divinæ gubernationis, imò evidens est divinæ providentiæ argumentum: Siquidem nihil inultum, nihilque irremuneratum divina justitia patitur, malos quidem in hac vita præmiando temporaneis bonis pro temporali opere, juxta illud Lucæ 16. *Recordare fili, quia recepisti bona in*

E *vita tua*, inquit Abraham diviti Epuloni: Iustos verò hac in mortali vità puniendo, ne quid ex districta sententia post mortem in eis ulciscendum inveniat, ut innixè deprecabatur David, *Domine, ne in furore tuo arguas me* (hoc est in inferno) *neque in ira tua*, id est in ultricibus Purgatorii flammis; sed *miserere mei*: id est in misericordia tua, *hic ure, hic seca, modò in æternum parcas*, inquit S. Augustinus. Adde quòd tribulatio & afflictio via sit regia ad æternam fœlicitatem, sicut enim *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam: Sic oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei*; Nam

inquit Gregorius, *qui à Paradisi gaudiis per delectamenta excessimus, ad hac per lamenta revocamur.*

Dices 3. Providentia sollicitudinem erga res provisas importat: sed in Deo nulla potest esse sollicitudo, quippe qui summa pace & æterna quiete potiatur: *Immotus enim movet omnia, stabilisque manens, dat cuncta moveri*, inquit Boëtius: Ergo, &c.

XIX.

Providentia importat sollicitudinem, sed sine animi commotione.

Distinguo majorem: Providentia importat sollicitudinem, quæ annexam habeat animi commotionem & inquietudinem oriundam ex consultatione, inquisitione & incertitudine eventûs, nego: Quæ solùm curam exactam de rebus provisis inferat, eis subministrando media congrua quibus debitum finem assequantur, concedo: & similiter distincta minore, neganda est consequentia. Deus enim absque ulla turbatione & inquietudine totus semper rerum omnium gubernationi invigilat.

Dices 4. Quod non est præcognitum, non est provisum: sed casualia, cùm sint præter intentionem agentis, non sunt præcognita: Ergo nec de eis est providentia; ideoque cùm omnia pene casu eveniant, aut nulla aut rara est Providentia.

Distinguo minorem: Casualia non sunt præcognita à Deo, nego; à Creaturis, quarum respectu casualia dicuntur, concedo. Nihil itaque casuale est respectu Dei, qui omnes omnino causas secundas connectit & ordinat in finem. Unde inquit Boëtius lib. 5. de consol. *Licèt casus sit inopinatus eventus ex confluentibus causis in his quæ propter aliud geruntur; tamen concurrere atque confluere facit causas ordo ille ex inevitabili connexione procedens, qui de Providentia fonte descendens cuncta suis locis, temporibusque disponit.*

CONCLUSIO SECUNDA.

XX.

Deus & præstantissimis & vilissimis providet cùm in communi, tum in particulari.

DEUS *nedum rebus præstantissimis, sed etiam vilissimis; non solùm in communi, sed & in particulari providet.* Probatur primò ex illis omnibus Scripturæ textibus quibus Deus res creatas & vilissimas etiam inspicere & curare celebratur: Sic Psalmo 137. *Excelsus Dominus, & humilia respicit.* Ecclesiasticus primo capite cùm dixisset: *Omnis sapientia à Domino Deo est & cum illo fuit semper, & est ante ævum*, inquirit, *Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies sæculi quis dinumeravit?* Post similes interrogationes respondet, *Unus est altissimus Creator*: Unde Sapiens 8. capite, cùm præclaras divinæ Sapientiæ laudes celebrasset, concludit: *Attingit ergo à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, hoc est, inquit S. Bernardus libro de libero arbitrio: *A summo Cœlo usque ad inferiores partes terræ, & à maximo Angelo usque ad vilissimum vermiculum.* Ipse namque ait David Psalm. 146. *Dat jumentis escam, & pullis corvorum, producit in montibus fœnum, &c.* Ipse, ut asserit Christ. Matth. 6. *Pascit volatilia Cœli, & vestit lilia agri.*

Ut indicat Scriptura sacra.

Fatentur etiam Ethnici Philosophi.

Hæc eadem veritas Ethnicos Philosophos non latuit, nam ut S. Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 14. refert: *Plotinus Platonicus, Dei Providentiam usque ad hæc terrena & ima pertingere, flosculorum atque foliorum pulchritudine comprobat: quæ omnia quasi abjecta, & pereuntia decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, ubi forma intelligibilis & incommutabilis simul, habens omnia perseverat. Quod D. Iesus ibi ostendit, ubi ait: Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent. Dico autem vobis, quia nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.*

SS. Patres egregiè confirmant.

Eandem pluribus confirmant Patres: In primis verò S. August. pluribus locis, maximè verò lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 21. *Non sunt audiendi*, inquit, *qui putarunt sublunares mundi partes fortuitò agitari, sublimes verò divinâ Providentiâ gubernari: Etenim contra hos loquitur Psalmus, qui cum explicasset laudes cælestium, se etiam ad inferiora convertit.* LAUDATE DOMINUM DE TERRA DRACONES, ET OMNES ABYSSI, IGNIS, GRANDO, NIX, GLACIES QUÆ FACIUNT VERBUM EJUS: *Et cum Christus ait*, UNUM PASSEREM NON CADERE IN TERRA SINE DEI VOLUNTATE: *Et Deum* VESTIRE FŒNUM QUOD IN CLIBANUM MITTITUR: *Nonne confirmat vilissimas & abjectissimas mundi particulas divinâ ejus Providentiâ regi?*

Et ratio Theologica probat.

PROBATUR EADEM VERITAS RATIONE: Si Deus de rebus minimis & vilissimis curam non haberet, maximè vel quia non posset, vel quia nollet, vel quòd supremam ejus majestatem non deceret: *Primum* derogat infinitæ ejus potentiæ, quæ cùm omnia produxerit ex nihilo, etiam omnia servare potest & administrare. *Secundum* ejus divinæ bonitati officit: *Quis enim operator negligat operis sui curam?* inquit S. Ambrosius. *Tertium denique* tantùm abest ut supremam ejus majestatem dedeceat rerum minimarum productio & cura; imò illam celebrat, & mirum in modum commendat: *Deus enim*, inquit S. August. lib. 11. de Civit. cap. 22. *Ita artifex est magnus in magnis, ut minor non sit in parvis; quæ parva, non suâ granditate, quæ nulla est, sed artificis Sapientiâ metienda sunt.* Unde eleganter Plinius lib. 11. cap. 2. *Rerum, natura*, inquit, *nusquam magis quàm in minimis tota est.*

Dei Sapientia magis in minimis quàm in grandibus elucet.

Hinc S. August. lib. 3. de Genesi ad litteram cap. 6. *Creat minima corpore, acuta sensu animantia, ut majore attentione stupeamus agilitatem muscæ volantis, quàm magnitudinem jumenti gradientis, ampliusque miremur opera formicæ quàm onera Camelorum;* Et meritò quidem: Quis enim Dei supremam infinitamve Sapientiam, Potentiam, & Majestatem non miretur in vilissimis & abjectissimis illis bestiolis, quæ tam exigua habent capita, tot sensuum officinas nullâ confusione permixtas, quot requiruntur ad videndum, audiendum, & percipiendum odorem & saporem, &c. *Attendat Charitas vestra*, inquit S. August. in Psalmum 48. *quis disposuit membra pulicis & culicis, ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Unam bestiolam brevem minutissimam considera quam volueris, si consideres ordinem membrorum ipsius & animationem vitæ quâ movetur, ut pro se fugiat mortem, amat vitam; appetit voluptates, devitat molestias, exerit sensus diversos, viget in motu congruo sibi. Quis dedit aculeum culici quô sanguinem sugat, quàm tenuis fistula est quâ sorbet? Quis disposuit ista? Quis fecit ista? expavescis in minimis, lauda Magnum, qui fecit in Cœlo Angelum, ipse fecit in terra vermiculum.*

Dices 1. Deus rerum cœlestium contempla-

tione detinetur, & delectatur: Ergo hæc sublunaria non curat, nec rebus minimis providet. Probatur antecedens ex Jobi 22. *Nubes*, inquit, *latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.*

Respondeo: Hæc non quidem à Jobo Patriarcha ex propria mente, sed ex sententia impiorum proferri: Cùm enim dixisset, *An non cogitas quòd Deus excelsior cœlo sit & super stellarum verticem sublimetur?* Subdit, *Et dicis quid enim novit Deus, & quasi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, &c.* Quibus apertè constat hæc verba, ex impiorum absurda sententia à Jobo proferri simul & damnari.

XXI.

B *Dices* 2. Deus curam non gerit de brutis animantibus: Ergo divina ipsius Providentia rebus omnibus non invigilat. Probatur antecedens ex primæ Corinth. 9. *Nunquid de bobus cura est Deo?* inquit Apostolus, quasi diceret Deum curam non agere de rebus irrationalibus.

Duplex divinæ Providentiæ cura, generalis & spiritualis.

Respondet noster Alensis prima parte quæst. 26. membro 4. art. 4. duplicem esse curam Providentiæ divinæ; *Vna est*, inquit, *cura divina Providentia qua generalis est, quâ res per tempora sibi debita & determinata conservantur in suo esse à divina Providentia; & hôc modô verum est, quòd est ei cura de omnibus. Alia est cura spiritualis Providentia quam specialiter habet de rationali Creatura, secundùm quam erudit ipsam dando ei pracepta, & legem; & secundùm hanc non est ei cura de omnibus*: De posteriori hac cura loquitur Apostolus, non verò de priori. Vel Dicendum Deum non habere, ita peculiarem curam de brutis animantibus, sicut de Creaturis ratione præditis, illa enim ad nos veluti media ad finem ordinantur & subserviunt: Unde subdit Apostolus, *An propter nos utique hoc dixit? nam propter nos scripta sunt.*

XXII.

Objicies 3. Difficilem sancti Hieronymi sententiam, qui expendens illud Abacuc 1. *Mundi sunt oculi tui ne videant malum*, ait: *Absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur: qua cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum prada cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nosmetipsos injuriosi simus, eandem rationabilium providentiam esse dicentes. Ex quo liber ille apocryphus stultitia condemnandus est, in quo scriptum est, quemdam Angelum nomine Tyri praesse reptilibus.* Quibus apertè significare videtur Dei scientiam non descendere ad res vilissimas sigillatim contemplandas, nec eum ullam de rebus vilioribus curam agere.

Objicitur S. Hieron.

Et variè solvitur.

Respondent varia varii, ut sanctum Doctorem ab omni erga generalem Dei providentiam errore liberent.

Primò quidem dicunt Aliqui eum comparatè solùm loqui, quasi velit non eandem esse providentiam irrationalium creaturarum, ac ratione præditarum; ita quòd non eandem curam impendat Deus rebus ratione destitutis ac impendit rationalibus.

Secundò nonnulli censent eum intendere Dei cognitionem non augeri, vel minui; nec eam mutari rerum vicissitudine; quasi per singula momenta novam rerum nascentium notitiam sigillatim acquirat, sed ab æterno simul, & uni-

A cô simplicissimô intuitu cuncta videat.

Tertiò sunt qui putant eum populariter, & ad vulgi captum hæc scripsisse, unumque contextum esse ex illis quos ipsemet Hieronymus *Lib. contra Rufinum*, dicit se in commentariis supra Prophetas, non ex sua, sed ex aliorum sententia scripsisse.

Quartò denique affirmant Aliqui S. Hieronymum duplicem distinguere scientiam, & curam divinam: *Vnam* quidem *Particularem*, quæ restringitur ad eas solummodò res, quæ propter seipsas diliguntur & intenduntur à Provisore; & hanc negat sanctus Hieronymus Deum rebus irrationalibus impendere, quæ propter se non diliguntur, nec intenduntur a Provisore, sed quatenus homini deservire possunt: *Aliam* verò *Generalem*, quâ Deus rebus singulis necessaria ministrat. Quam duplicem divinæ Scientiæ, & Providentiæ acceptionem indicat ipsemet Hieronymus in cap. 38. Jeremiæ, *Sunt*, inquit, *Qui Providentiam Creatoris usque ad rationalia confiteantur; bruta autem fortuitis casibus asserunt vel perire, vel vivere: Propheticusque sermo declarat nihil esse quòd fugiat divinam Providentiam & scientiam Dei, quia alia propter se, alia in usu hominum sunt creata*: Paucis interpositis, *quia cura mea est omnia regere, universa disponere & reddere singulis juxta vias*
C *suas.*

Quòd autem sanctus Hieronymus divinam Providentiam etiam ad vilissimas quasque Creaturas extendi censuerit; patet in commentariis ad cap. 10. Matth. expendens hæc verba, *Nonne duo passeres asse veneunt*, ait: *Si parva animalia absque Deo authore non decidunt, & in omnibus semper est providentia, & qua in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt: vos qui aterni estis, non timere debetis, quòd absque Dei vivatis providentia.* Idem habet in cap. 5. Epistolæ ad Ephesios; & in capite 4. Zachariæ.

D *Quares an aqualis Deo sit cura & providentia de omnibus?*

XXIII.

RESpondeo quòd non, idque constat triplici ratione. *Primò* quia res omnes æqualem in finem non ordinantur; sed quædam in finem purè naturalem, ut omnes Creaturæ rationis expertes, quædam verò in finem supernaturalem, ut Creaturæ rationis compotes, quales sunt Angeli & homines; ideoque præstantiora habent media, & nobiliori modô Deus ipsis invigilat & providet. *Secundò* quia Deus immediate & per se quibusdam providet, putà superioribus Angelis, cæteris autem providet solùm causarum secundarum &
E aliarum creaturarum, superiorum & inferiorum adminiculô. *Tertiò* denique, quia præ cæteris Creaturis Deus homini providere videtur, tum ob ejus dignitatem; ipsius namque gratiâ cuncta sunt condita, *Omnia enim quibus constat, quaque generat ex se mundus, ad utilitatem hominis accommodata sunt*, inquit Lactantius, l. 1. de Ira Dei c. 13. ubi hoc argumentum fusè & eleganter pertractat: Unde licèt cæteris etiam Deus provideat, id tamen videtur præstare solùm ex accidente & ratione hominis; ut eleganti hac similitudine declarat Origenes lib. 4. contra Celsum, *Quemadmodum*, inquit,

Deus non habet æqualem curam de omnibus.

in civitatibus qui annonæ & macelli curam habet, nullius alterius causâ laborare, quàm hominum; ejus tamen Providentiæ fructum ad canes & alia bruta pervenire videtur: Ita divinam Providentiam ratione præditis præcipuè prospicere; ex consequenti autem, etiam bruta animantia iis perfrui quæ hominum gratiâ procreata sunt. Tum etiam propter hominis infirmitatem, & imbecillitatem quæ longè major est quàm cæterorum animantium; unde innumeris adminiculis ad sui conservationem opus habet: *Nullum enim animal morosius est, nullum majori arte tractandum, quàm homo; nulli magis parcendum;* ait Seneca lib. 1. de Clementia cap. 17. Unde velut ex officio justitiæ præcipuam illi curam Deum impendere censet S. Ambrosius in Psalmum 118. *Quia justus est*, inquit, *ut opus manuum suarum tueatur ac servet: ut quos nudos indotata quadam naturæ sorte in hanc projecit corporis infirmitatem, vigore animæ & misecordiæ suæ dote pauperes vestire dignetur:* Tum denique quia Creaturæ rationis expertes & libertatis, necessariis & eòdem modô semper agentibus causis suos in fines aguntur & diriguntur, nec magnâ varietate & inconstantiâ laborant: Ideoque ductu & tractatu faciliores sunt. At humanæ res quæ à voluntatis arbitriô liberô tanquam à causa versatili & inconstanti proficiscuntur; idcirco incertæ sunt & mutabiles; adeoque ampliori cura, & majori sollicitudine opus habent, ut ad ordinem finemque congruum tanta tamque inextricabilis varietas dirigatur. Unde Hierocles in lib. de Provid. tradidit. *Brutis sufficere generalem Providentiam ac toti impensam speciei; nos verò nisi sigillatim, ac per omnia Providentia regimur, adeò ut nihil quòd ad nos pertinet extra rationem Providentiæ sit, nequaquam consentaneam nobis curam assequimur.*

Nec refert quod Sapientiæ 6. legamus, *Æqualiter est illi cura de omnibus*: His enim verbis non affirmat Sapiens Deum rebus omnibus creatis eandem curam impendere; sed quòd reverà nulla sit cujus conservationi & protectioni non invigilet; Agit enim ibidem Sapiens de ultione & animadversatione Dei in Potentes & Magnates qui pusillos & subditos opprimunt: unde cum dixisset: *Exiguo conceditur misericordia, Potentes autem potenter tormenta patientur;* subdit, *Non enim substrahet personam cujusque Deus, nec verebitur magnitudinem cujusque; quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus:* Quibus patet hanc ipsam curæ æqualitatem solummodò omnium & maximè pusillorum hominum protectionem designare ac commendare.

Quæstio Secunda.

Quid, & quæ sit divina Providentia?

I. INsinuatâ simul & probatâ divinæ Providentiæ existentiâ, iam investiganda est & reseranda ipsius natura, quæ cum sit interna Dei operatio quâ res sibi subjectas congruos in fines deducit; inde circa præsentis quæstionis resolutionem, duplex oritur, & proponitur solvenda difficultas. *Prima* quidem; an illa divina Providentia sit formaliter actus intellectus aut voluntatis Dei; nulla namque præter intellectionem, & volitionem, nec esse, nec cogitari potest interna Dei operatio. *Secunda*, an hæc divina rerum ordinatio & administratio nedum circa media congrua, sed etiam circa debitos fines infallibiliter assequendos versetur & occupetur: quæ solutio ut facilior & evidentior appareat.

Quæstionis distributio.

II. *Notandum* 1. Diuinam Providentiam ad sui constitutionem & integritatem triplicem requirere actum intellectus, & totidem voluntatis; Ex parte siquidem intellectus, opus est primò ut cognoscatur possibilitas tum finis, tum mediorum; alioquin vaga erit, & erronea Providentia: *Secundò*, necessum est ut deprehendatur mediorum virtus & efficacitas, ad propositum finem assequendum: Hæc enim si quis non noverit, manifesto jacebit in periculo propositum finem nusquam assequendi. *Denique* requiritur certa notitia futuræ assecutionis finis per proposita media; non enim sapienter quis decerneret finem assequendum per media proposita, nisi illum finem per talia media posse comparari prævideret. *Primum* detegitur per scientiam simplicis Intelligentiæ, quæ circa rerum possibilitatem occupatur: *Secundum* per scientiam Conditionatam, quâ rerum eventus, hâc aut illâ positâ cognitione prænoscitur: *Tertium* denique per scientiam Visionis, quâ certa rerum existentia futura, præsens, aut præterita detegitur. Tres pariter actus voluntatis Providentia desiderat, nimirum *intentionem* finis obtinendi: Mediorum *preparationem* & electionem, seu decretum efficax assequendi finem per talia congrua media: Denique *actualem usum*, seu voluntatem applicantem divinam omnipotentiam ad mediorum exhibitionem.

Triplicem requirit actum intellectûs Providentia.

Et totidem voluntatis.

III. *Notandum* 2. Hunc ordinem inter præfatos actus ad Providentiæ divinæ integritatem desiderãdos servari: *Primò* namque Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit finis & mediorum possibilitatem, & honestatem: *Secundò* per scientiam conditionatam deprehendit mediorum efficaciam, ac congruitatem: *Inde* sequitur intentio finis assequendi, mediorum electio & applicatio: Demum scientiâ visionis, Deus videt illius finis assecutionem per talia media. Certum est autem divinam Providentiam formaliter non consistere in hac scientia visionis, hæc namque providentiam supponit eâque posterior est: Unde solùm remanet difficultas de cæteris actibus intellectus & voluntatis in quonã eorum reponenda sit formalis divinæ providentiæ ratio. Circa quam resolutionem varia varii sentiunt: Nonnulli cum S. Thoma volunt providentiam formaliter consistere in actu intellectus quô Deus prævidet & iudicat certam finis assecutionem per congrua media: Nonnulli cum nostro Alensi contendunt eam duplicem actum intellectus & voluntatis formaliter importare; Cæteri denique rectiùs cum nostro Subtili Doctore sentiunt eam formaliter constituendam esse in actu divinæ voluntatis, actum quidem divinæ scientiæ præsupponente & connotante.

Quis ordo inter præfatos actus servandus?

Varia de de præsenti quæstione Sententia.

IX. *Notandum* 3. Media cum fine duplici modô comparari posse & conferri. Primò quidem quatenus sunt illius causa, & ut hic per illa consequẽdus est: Secundô verò prout sunt illius effectus, & quatenus finis est ratio simul & causa cujus gratiâ media seliguntur & usurpantur. Inde fit, quòd Electio & Intentio diversimodè tendunt in finem, & media; primò quidem

Media cum fine duplici modo comparantur.

simpliciter & absolutè; secundò comparativè & respectivè. Priori modô, Intentio directè & unicè fertur in finem: Electio verò circa media tantùm occupatur. Posteriori verò, Electio tendit in finem primariò quidem, & principaliter; in media verò quatenus sunt finis causa vel effectus tantùm secundariò. Electio vero prorsus è contra, primariò fertur in media quatenus efficacia sunt ad finem assequendum, secundariò verò finem ipsum intendit assequendum, & ipsius ratione media seligit quæ congruentiora videntur ad illius assecutionem.

Conclusio Prima.

V. Providentia formaliter sumpta est actus voluntatis.

PROVIDENTIA *consistit formaliter in actu voluntatis.* Hæc est Doctoris in 1. dist. 40. q. unica num. 2. ubi Prædestinationis (quæ est nobilissima & princeps Providentiæ species) definitionem aperiens, ait; *Prædestinatio propriè sumpta dicit actum voluntatis divinæ, videlicet ordinem electionis per voluntatem divinam alicujus Creaturæ intellectualis, vel rationalis ad gratiam & gloriam.*

Vt apertè colligitur tum ex Scriptura sacra,

PROBATUR CONCLUSIO: Primò quidem ex Scriptura sacra, quæ prædestinationem & providentiam nominibus & verbis divinæ voluntatis operationem significantibus exprimit; utramque enim appellat electionem, propositum, decretum, directionem, odium, miserationem, iram, complacentiam; quæ vocabula actum voluntatis, non autem intellectus designant. Electionem quidem, Ephesiorum 1. *Elegit nos in ipso, &c.* Propositum verò ibidem, *Prædestinavit nos secundùm propositum voluntatis suæ.* Dilectionem & Odium Romanorum 9. *Iacob dilexi Esaü autem odio habui.* Miserationem verò, & iram ibidem, *cujus vult miseretur, & quem vult indurat, &c.* Complacentiam denique Lucæ 12. *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum:* Et Sapientiæ 4. *Placita erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Qui omnes & plures alii similes sacræ Scripturæ textus apertè significant Providentiam & Prædestinationem esse genuinum actum divinæ voluntatis.

Tum ex SS. Patribus.

PROBATUR 2. Authoritate sanctorum Patrum, maximè verò S. Damasceni lib. 2. de fide cap. 29. *Providentia*, inquit, *est voluntas Dei, per quam omnia quæ sunt, convenientem gubernationem suscipiunt.* Paulò inferiùs, *& factiva ejus virtus, & contemplativa, & provisiva, bona ipsius voluntas est:* Unde subdit, *Igitur quia est bonus providet;* Quasi diceret Bonitatem esse veluti causam quâ divina voluntas cunctis rebus provideat. Ipsi consentit Nemesius lib. de facultatibus animæ cap. 43. ubi divinam Providentiam definiens, ait; *Providentia est Dei voluntas, per quam omnia quæ sunt aptè gubernantur.*

Tum etiam ex Ratione.

PROBATUR 3. *Ratione Theologica.* Dilectio est actus voluntatis: sed Providentia & Prædestinatio sunt actus summæ dilectionis divinæ: Ergo pariter sunt actus voluntatis. *Secundo*, Providentia est efficax ordinatio rerum in suos fines: sed sola voluntatis ordinatio in Deo efficax esse potest; operatur enim omnia secundùm consilium voluntatis suæ: Ergo sola voluntatis ordinatio est formaliter Providentia. *Tertiò*, Providentia est actus potentiæ executivæ, Deus enim per potentiam executivam omnes prævisos effectus ordinat & implet; sed potentia executiva in Deo est sola voluntas, non autem intellectus: Potentia enim executiva illa est in qua continetur effectus producendus, sicut illuminatio in virtute illuminativa, & calor in potentia calefactiva: Ergo Providentia maximè spectat ad divinam voluntatem.

Denique, Providentia necessariò est actus, aut intellectus, aut voluntatis; sed non est actus intellectus: Ergo necessariò est actus voluntatis. *Minor* patet; nam præter intellectum & voluntatem nulla est in Deo potentia operativa & productiva. *Minor* probatur: Si Providentia esset actus divini intellectus, esset maximè vel speculativa cognitio rerum factibilium & ordinabilium à Deo, antecedens omnem determinationem actualem divinæ voluntatis; vel productiva cognitio, similiter omnem voluntatis actum præveniens & dictitans ac regulans ea quæ agenda sunt & ordinanda; vel denique quoddam imperium intellectûs, voluntatis electionem consequens, eique dictitans hoc esse faciendum, adeòque applicans potentiam executivam ad operandum: sed neutrum horum est.

Non quidem primum, Providentia enim tantùm est de iis quæ fiunt, & actu existunt; non autem de his quæ possibilia sunt; nemo namque iis rebus providere dicitur, quæ nondum existunt, sed tantùm dicitur eas prævidere, ut dum existent, congruum in finem cedant: Adeoque Providentia non est illa speculativa divini intellectus cognitio quæ tantùm circa res possibiles & nondum existentes occupatur.

Non etiam secundum; Intellectus enim divinus nullam cognitionem formaliter practicam admittit: Omnis namque cognitio practica ea dicitur quæ est regulativa praxis, qualis solus est actus voluntatis: sed actus divinæ voluntatis non indiget regulatione, & directione; adeoque actus divini intellectus cum non possit esse divinæ voluntatis regulativus, non potest etiam esse verè practicus.

VI. Imperii actus superfluus est in Deo sicut & in nobis.

Non denique tertium; Siquidem superfluus est in nobis ille actus imperii, ac proinde in Deo. Consequentia patet: De divinis enim loquendum est cum proportione ad res humanas, maximè in iis quæ superfluunt, quia cum Deus sit præstantioris & infinitæ virtutis, pauciora requirit ad suos actus eliciendos & effectus producendos. Probatur *antecedens*: Si requireretur imperium, maximè ad determinandam nostram voluntatem; sed ad id superfluit: *Tum quia* imperium supponit volitionem in cujus virtute moveat; unde si quælibet volitio præsupponeret aliquod imperium, etiam præsupponeret aliam volitionem & determinationem voluntatis; adeòque daretur processus in infinitum; vel admittenda esset aliqua volitio efficax, quam imperium non præcesserit: Sed quâ ratione illa volitio efficax non indigebit imperio præcedente, eadem ratione non indigebunt sequentes volitiones. *Tum quia si* volitio determinanda foret ab imperio, nulla formaliter esset libera & ratione sui, sed tantùm ratione alterius, videlicet ratione imperii liberè voluntatem determinantis: Consequens est absurdum: Ergo & antecedens. *Tum denique quia*, etsi imperium desideraretur ad determinandam creatam voluntatem, nihilominùs in

Deo

Deo superflueret ad exequendam transeuntem A operationem, quoniam ad actionem immanentem divinæ voluntatis non minùs requireretur rationis directio quàm ad actionem transeuntem: Sed ad actionem immanentem voluntatis divinæ non requiritur Imperium intellectus, & rationis: Ergo nec ad actionem transeuntem.

Confirmatur. Si in intellectu divino daretur talis actus Imperii, vel ille pertineret ad scientiam simplicis Intelligentiæ; vel ad scientiam Visionis; sed ad neutram pertinet: *Non quidem ad primam*, cùm scientia simplicis intelligentiæ antecedat decretum, & sit naturalis & necessaria: Imperium verò sit actus liber, & B supponat voluntatis electionem & motionem. *Nec ad secundam*, quia actus Imperii est efficax, & producit Creaturas ad extra: Scientia autem Visionis est purè speculativa, nec causat res, sed potius illas præsupponit & contemplatur, ut præsentes & existentes, vel in mensura propria, vel in mensura superiori æternitatis: Ergo in intellectu divino, non datur talis actus Imperii.

Dices 1. Ex S. Dionysio cap. 2. de divinis Nominibus, *Deitas prospicit cuncta Providentiâ mirabili*; sed prospicere est actus intellectus: Ergo & Providentia. Idem firmatur ex Boëtio lib. 4. de Consolatione; *Providentia*, inquit, *est ipsa divina ratio in summo Principe constituta*, C *quæ omnia disponit:* Ergo reverà Providentia est actus divini intellectus.

Respondeo: His & similibus sententiis solùm probari Providentiam requirere actum intellectus prævidentis & præcognoscentis, qualiter res in finem congruum cedere & ordinari queant; non autem quòd ipsa formaliter, & specificè divinæ voluntatis actum importet. Unde Doctor cum dixisset Prædestinationem esse actum voluntatis divinæ; subdit, illam nihilominùs posse accipi pro actu intellectus concomitante electionem voluntatis; non quòd reverà formaliter in ipso actu intellectus consistat, sed quòd illum connotet & præsupponat. D

Dices 2. Quoties Scriptura sacra de divina Providentia sermonem facit, toties illam designat & exprimit nominibus significantibus cognitionem & actum intellectus. Primò namque pluries utitur verbô *videndi*, quod intuitivam cognitionem designat: Sic Genesis 22. cum Abraham dixisset, *Deus providebit sibi victimam holocausti.* Subditur, *Appellavit nomen loci illius, Dominus videt; unde usque hodie dicitur*, IN MONTE DOMINUS VIDEBIT. Secundò, oculorum nomine Providentiam plerumque Scriptura sacra exprimit, sic Psalmo 10. *Oculi ejus in pauperem respiciunt, & palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Tertiò denique, sæpe E utitur verbo *respiciendi* quod specialem videntis reflexionem, & animadversionem denotat; sic Exodi 2. *Respexit Dominus filios Israël*: Et cap. 4. *Quòd respexisset afflictionem, &c.* Et Psalmo 21. *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* Et Psal. 79. *Respice de Cœlo, & vide, & visita vineam istam.*

VII.

Præsuppositivè tamen Providentia est actus intellectûs.

Respondeo; Hos & similes contextus solùm transeuntes divinæ Providentiæ operationes & effectus designare; non autem significare ipsam internam divinam Providentiam, quæ supponit quidem intellectus visionem & considerationem, sed formaliter actum voluntatis denotat & importat.

Dices 3. Prudentia maximè est in actu intellectus, sed Providentia est pars prudentiæ: Ergo Providentia consistit formaliter in actu intellectus. Probatur *minor*, primò quidem ex Scripturis sacris, Sapientia pro prudentia, & & Providentia Dei scribitur; sic Isaïæ 40. *Nec est investigatio Sapientiæ ejus:* Quod Septuaginta legunt, *Nec est inventio Prudentiæ ejus.* Secundò, sancti Patres prudentiam in actu intellectus constituunt; sic S. Ambrosius lib. 3. de Virginibus: *Prudentia*, inquit, *humanæ rationis est:* Et S. Augustinus lib. de libero arbitrio cap. 13. *Prudentia est appetendarum & vitandarum rerum scientia.* Tertiò denique Aristoteles lib. 6. Ethicorum cap. 9. sub initio, & cap. 5. parum à principio. *Eos*, inquit, *prudentes dici, cùm bene ad finem studiosum aliquem excogitaverint ea quorum nulla est ars; quare & omnino prudens is est, qui ad consultandum est aptus.* Minor verò per se patet: Providentia enim & Prudentia propter summam affinitatem eadem nominis definitione gaudent; nam providens & prudens dicitur quasi *porrò videns:* Unde Beda lib. 2. ad. caput 10. Proverbiorum ait; *Prudentia à providendo nomen accepit:* Ergo Providentia sicut & Prudentia est actus intellectus.

Distinguo minorem: Providentia est pars Prudentiæ quatenus importat prævisionem rei futuræ, & ordinandæ, concedo: quatenus denotat studium, & curam rerum faciendarum, nego; nam ut sic, formaliter ad voluntatem spectat: Eodem modo solvenda est minoris probatio, eatenus enim Providentia cum Prudentia nominis affinitatem habet, quatenus utraque res faciendas & ordinandas prævidet ut bonum in finem cedant. VIII. In quo sensu est pars Prudentiæ.

Dices denique: Prædestinatio ex dictis, est nobilissima Providentiæ species: sed hæc formaliter est actus intellectus: Ergo & illa. Probatur minor ex Scriptura sacra, quæ Prædestinationem multoties nomine scientiæ, & præscientiæ explicat; Sic Rom. 8. Apostolus Prædestinationem, & Præscientiam tanquam Synonima scribit, dicens, *Quos præscivit & prædestinavit.* Quæ verba S. August. lib. de bono Perseverantiæ cap. 18. sic expendit: *Hoc quod*, ait, PRÆSCIVIT, *non rectè intelligitur, nisi* PRÆDESTINAVIT, *quod circumstantia ipsius locutionis ostendit: Loquebatur enim de reliquiis Iudæorum quæ salvæ factæ sunt pereuntibus cæteris:* Idem Apostolus ibidem cap. 11. *Non repulit*, inquit, *Deus plebem quam præscivit:* Unde S. August. ibidem in cap. 17. *Hæc Dei dona, si nulla est Prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur à Deo; præsciuntur autem: Hæc est igitur prædestinatio quam defendimus.* Quibus tam Apostolus quàm Aug. Prædestinationem per præscientiam definiunt: sed præscientia est actus intellectus: Ergo Prædestinatio; adeoque Providentia, cujus prædestinatio est nobilissima species.

IX.

Præscientia & Prædestinatio nō sunt Synonima, sed duo actus distincti & invicem subordinati.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico, S. Apostolum non scribere præscientiam, & prædestinationem tanquam Synonima, sed tanquam duos actus divinos distinctos & invicem subordinatos: Unde cum dixisset *quos præscivit & prædestinavit*, Subdit, *Quos prædestinavit hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Quibus totum ordinem Prædestinationis explicat; ita quòd præcedat præscientia, inde sequatur præ-

fecta consummatione membrorum ; sed tamen ipse defectus divinitùs ordinatur ad aliquem finem, & sic nihil potest deficere à generali fine Providentiæ, quamvis quandoque deficiat ab aliquo particulari fine.

Dices 1. Res omnes quantùm ad providentiæ ordinem fixæ sunt, stabiles, immobiles, & certæ : Ergo pariter stabilis est, & certa consecutio finis ab ipsis Creaturis intenti. Probatur antecedens ex S. Gregorio Naz. oratione ad Julianum, ubi ait ; *Res omnes nostras fluctuantes simul, minimèque fluctuantes, ut quæ per mutationes quidem moveantur ac sursum deorsumque agitentur aliásque aliter se habeant : at quantùm ad divinæ Providentiæ ordinem & constitutionem, fixæ & stabiles sunt, etiam si per contraria gradiantur.* Idipsum suadet Boëtius lib. 4. de consolatione prosâ 6. ubi cum dixisset, *Deus providentiâ quidem singulariter stabiliterque facienda disponit*, subdit ; *Hæc nempe Providentia actus etiam fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit, quæ cum ab immobilibus Providentiæ proficiscantur exordiis, ipsos quoque immutabiles necesse est esse. Ita etiam res optimè reguntur, si manens in divina mente simplicitas indeclinabilem causarum ordinem premat. Hic vero ordo res mutabiles, & alioquin temerè fluxuras propriâ incommutabilitate coerceat:* Quibus verbis nedum providentiam generalem, sed etiam specialem efficaciter finem intendere, & assequi confirmat : Ergo, &c.

XI. *Distinguo antecedens* : Res omnes stabiles sunt & fixæ in sua ordinatione quantùm ad finem ultimum, adæquatum, & principalem ab ipsa divina Providentia intentum, concedo : quantùm ad fines particulares, nego : Nec aliud etiam voluit Boëtius, nam ibidem circa finem capitis, ait ; *Ordo quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione decesserit, hoc licèt in alium tamen ordinem relabatur, ne quid in regno Providentiæ liceat temeritati.* Sic igitur intelligendæ sunt stabilitas, immobilitas, incommutabilitas, & indissolubilis nexus Providentiæ non alligans ad unum particularem finem, sed constringens ut in alium finem relabatur qui ab uno deviaverit. Simili ratione explicanda est illa Ecclesiæ precatiuncula, *Deus cujus Providentia in sui dispositione non fallitur :* Licèt enim finem specialem à Creatura intentū non assequatur, id fit ipsamet Providentiâ ita volente hanc finis non assecutionem permittere, & ad meliorem finem ordinare.

Qualiter res creatæ sint stabiles & instabiles.

Dices 2. Providentia etiam particularis supponit hanc volitionem & intentionem finis ; imprudens enim esset agricola, qui semina in agrum spargeret, nisi absolutè vellet fructus colligere, quamvis hæc collectio interdum præpediatur per concursum aliarum causarum : Ergo etiam Providentia particularis & circa finem intentum à Creatura, debet esse efficax & infallibilis. *Confirmatur* : Nam efficax voluntas mediorum solùm oritur ex efficaci & absoluta volitione finis ; medium enim ut medium, non est appetibile, nec volitum nisi propter finem : Ergo voluntas absoluta, seu Providentia particularis, quæ media Creaturis subministrat ad finem particularem intentum assequendum, etiam efficaciter & absolutè debet illius finis assecutionem inferre & intendere.

Nego antecedens : Cujus falsitas eô ipsô agricolæ exemplô monstratur ; non enim foret imprudens agricola si semina in agrum spargeret, quamquam non haberet certam & efficacem voluntatem colligendi fructum ex singulis granis seminatis, imò quamvis certò sciret quæ grana comedenda forent ab avibus, quæ à viatoribus conculcanda, aut supra petram exsiccanda & conculcanda ; Copiosior enim semper erit fructus ex reconditis in terra granis, multòque plura colligentur grana, quàm seminata fuerint, licèt ex seminatis plura defecerint & perierint. *Adde quòd* ex rebus materialibus non possit congruum & aptum argumentum deduci ad exprimendam illam divinam Providentiam, quæ maximè Creaturis ratione præditis regendis incumbit.

Distinguo antecedens : Providentia supponit absolutam finis volitionem, vel particularem, vel universalem, concedo : semper particularem, nego : & similiter distinctâ confirmatione, neganda est consequentia.

Dices 3. Divina Providentia foret conditionalis tantùm, non verò absoluta si provideret aliquem finem non obtinendum : sed implicat Dei Providentiam esse conditionalem, id enim argueret impotentiam in provisore qui non posset finem intentum assequi nisi posita conditione ; qualis, v. g. esset Providentia mercatoris, qui vellet suas merces servare : quem tamen finem non posset assequi nisi vitatô naufragiô, vel jactûra partis mercium factâ : Ergo, &c.

Nego minorem : Providentia enim conditionata non est solius provisoris qui non potest consequi finem intentum nisi conditione posita ; sed magis propria est provisoris qui potest, sed non vult ; tum propter suavem Providentiæ ordinationem, tum propter præstantius aliquod bonum, nempe bonum universi quod proprio cujusque specialis Creaturæ bono anteponendum esse judicat. XII.

Providentia conditionata non arguit impotentiam.

Dices 4. Summa in provisore esset imperfectio si media usurparet & ordinaret ad finem cujus consecutionem non intenderet : Hæc enim cassa & irrita mediorum usurpatio proveniret vel ex ignorantia efficacitatis talium mediorum, vel ex impotentia ad illa applicanda ; nam si quis sciat quæ media conducant ad finem & ea possit usurpare, & applicare ; ipsi certè deesse non potest voluntas ad finem consequendum, si reverà finis intenditur : Ergo si Deus intendit finem particularem suæ Providentiæ, vel illum infallibiliter assequitur, vel ignorat media quibûs certissimè est comparandus.

Nego antecedens : Defectus enim consecutionis finis non provenit ex impotentia vel ignorantia ; sed ex libertate divinæ voluntatis, & quia hoc est magis consentaneum rebus ipsis, magisque congruit & expedit muneri Gubernatoris & Provisoris generalis. Nec tamen inde sequitur Deum nullatenus finem intendere ; sed solùm quòd non intendat efficaciter, & absolutâ voluntate : Nec sequitur pariter divinam Providentiam frustrari ; quod enim deficit ab uno ordine divinæ Providentiæ, in alium necessariò incidit, ut docet sanctus Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 15. *Quamvis*, inquit, *homo, vel malus Angelus divinæ ordinationi subjacere nolit, non tamen eam effugere valet : quia si vult fugere de sub voluntate jubente, currit sub voluntatem punientem*

Nec ignorantiam in Provisore, sed tantùm libertatem.

& transit sub voluntate permittentis. Et hoc ipsum quod perversè vult, aut agit, in universitatis prefata ordinem & pulchritudinem summâ Sapientiâ convertit. Cui concinit sanctus Thomas quæst. 8. art. 6. dicens; *Cùm igitur voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est quòd divina voluntas suum effectum non consequatur; unde quod recedere videtur à divina voluntate secundùm unum ordinem, relabitur in ipsam secundùm alium: Sicut peccator qui quantùm est in se recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis dum per ejus justitiam punitur.*

Dices denique: Providentia etiam particularis pertinet ad voluntatem consequentem: sed voluntas consequens semper impletur: Ergo infert consecutionem finis. *Confirmatur:* Providentia tanquam causa per se extenditur ad omnia quomodolibet entia: sed omnis per se causa semper suum assequitur finem: Ergo etiam Providentia finem consequitur.

Nego antecedens: Providentia namque complectitur voluntatem antecedentem, & consequentem simul. Illam quidem quatenus Deus vult singulis rebus congrua ministrare media quibus suum finem assequantur: Hanc verò quatenus ea media de facto subministrat creaturis, & eas interdum in optatum finem deducit. Ita docet sanctus Joannes Damascenus lib. 2. de Fide cap. 29. ubi voluntatem quâ Deus vult omnes homines salvos fieri, non solùm metaphoricè, sed propriè & realiter, idque voluntate antecedente, enumerat inter præcipuos modos providendi. Cùm enim dixisset, *Sciendum est quòd multi sunt modi providentiæ Dei qui nec sermone explicari, nec mente comprehendi possunt:* Subdit demum, *& præsertim præcedenterque velle omnes salvari; non enim ad puniendum nos plasmavit, sed ut efficiat nos bonitatis suæ participes.* Hic tamen effectus, nempe salus omnium, à divina Providentia non obtinetur.

Quæres quid sit FATUM, *& qualiter à divina Providentia distinguatur?*

XIII.

Quid nominis & quid rei importet FATUM?

RESpondeo Fatum dictum à verbo *Fandi*, eò quod divinum de rebus creatis dictum vel decretum significet. Secundùm autem rei veritatem, *Fatum*, inquit Boëtius lib. 4. de Consolatione Prosâ sextâ, *est inhærens rebus mobilibus dispositio per quam Providentia suis quæque nectit ordinibus.* Providentia verò ex eodem *est ipsa ratio in summo omnium principe constituta qua cuncta disponit.* Unde Fatum à Providentia distinguitur tanquam effectus à causa, & dispositio à disponente. Providentia, enim est æterna Dei de rebus dispositio, Fatum verò ipsius dispositionis applicatio & executio, seu ut loquitur Boëtius ibidem, *Fatum singula digerit in motu, locis, formis, ac temporibus distributa; ita ut hæc temporalis ordinis explicatio in divinæ mentis adunata prospectu, Providentia sit: eadem verò adunatio digesta, atque explicata temporibus Fatum vocetur.* Et adductô exemplô artificis qui rei faciendæ formam mente perspiciēs movet operis effectum, concludit: *Illud certè manifestum est immobilem simplicemque gerendarum formam rerum esse Providentiam; Fatum verò eorum quæ divina sim-*

A Providentia distinguitur tanquam effectus à causa.

plicitas gerenda esse disposuit, mobilem nexum atque ordinem temporalem.

Hinc apparet quàm turpiter à vero exorbitaverint veteres Philosophi, qui Fatum censuerunt esse quoddam æternum & immutabile, tantam necessitatem singulis rebus inferens, ut ne Dii quidē ab ea sese expedire possint. Quem errorem sequitur Seneca lib. de Providentia cap. 5. ubi de fato ita loquitur, *Quidquid est quod nos sic vivere jussit, sic mori, eadem necessitas & Deos alligat; irrevocabili, humana pariter ac divina cursu vehit: ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur; semper paret, semel jussit:* Unde idem in Oedippo monet.

Fatis agimur, cedite fatis:
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi.
Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus venit ex alto
Vix illa Deo vertisse licet
Quæ nexa suis currunt causis.
It cuique ratus prece non ulla
Mobilis ordo.

XIV.

Deus fato non subjicitur.

Hanc autem fatalem necessitatem doctè & eleganter à Deo rejicit Nemesius cap. 38. ubi probat Deum sub necessitatem non cadere, neque illius voluntatem ulli necessitati parere: *Cùm enim potestas sit & natura potestate prædita, nihil neque naturæ agit necessitate; neque legis obligatione constrictus: eique contingentia sunt omnia etiam quæ necessaria sunt. Quod ut monstraret aliquando cursum repressit Solis & Lunæ, tametsi necessario & eôdem semper modô ferantur, ut ostenderet nihil sibi necessariò fieri, sed omnia pro potestate esse contingentia.*

QUÆSTIO TERTIA.

An & quomodo defectus tam naturæ quàm morum divinæ Providentiæ subsint?

SEnsus Quæstionis est, an peccata, monstra, & quilibet creatæ voluntatis aut naturæ aberrantis defectus à divina Providentia congruum aliquem in finem justè sapienterque ordinentur; quòd ut pateat evidentiùs.

I.

Triplici modo aliquid est ordinabile ex S. Bonav.

Notandum 1. *Ex Seraphico Bonaventura in 1. dist. 46. quæst. 5.* Quòd quemadmodum aliquid dicitur esse sanum tripliciter: aut *subjectivè*, ut animal dicitur sanum; aut *dispositivè*, ut potio dicitur sana: aut *ostensivè*, ut urina sana: Sic aliquid ordinabile dicitur tripliciter; aut sicut ordinis susceptivum, AUT SICUT dispositivum, AUT SICUT ostensivum. *Sicut susceptivum*, non est aliquid ordinabile nisi quod est ens & natura aliqua; & ita malum non est ordinabile nisi per accidens, scilicet ratione boni. *Sicut dispositivum*, Malum est ordinabile, sed non sicut dispositio ponens, sed privans. Duplex enim est ordo, scilicet naturæ, & justitiæ. Ordo naturæ est institutus, ordo justitiæ est acquisitus; malum autem privat ordinem specialis naturæ, & illum privando incurrit in ordinem justitiæ, quia offendit: Unde ratio ordinandi sicut dispositio in ordine justitiæ est meritum, vel demeritum. *Sicut ostensivum:* Malum est ordinabile, & ordinatum, quia manifestat ordinem bonorum per oppositum: op-

posita autem juxta se posita magis elucescunt.

II. *Malum confert ad decorem universi non quidem ratione sui.*

Notandum 2. *Ex eodem quæ 6.* Malum ex accidenti conferre aliquid ad decorem universi, non quidē per se, sed per accidens. Decor enim universi, *inquit*, quidam est substantialis, sive quantùm ad esse: quidam accidentalis, sive quantùm ad benè esse: Quantùm ad primum mala non faciunt ad decorem, nec per se, nec per accidens: Sed quantùm ad aliquem decorem accidentalem, mala benè ordinata faciunt; non quia mala, sed quia benè ordinata: & ita per accidens, sicut per accidens ordinantur; & illô decore circunscriptô adhuc esset universum decorum & perfectum, quamvis hunc decorem non haberet. Ad hunc decorem faciunt mala non ratione sui, sed ratione subjecti quod ordinatur in pœnam ad divinæ justitiæ manifestationem; vel ratione oppositi, quia decor magis clarescit ex præsentia mali, sicut opposita juxta se posita magis elucescunt, sicut communiter dicitur; vel ratione boni eliciti, multa enim bona Deus fecit, & facta sunt, quæ non essent facta nisi peccatum præstitisset occasionem, sicut illa quæ gesta sunt in nostra reparatione: tamen sine his omnibus esset universum completum.

Sed ratione vel subjecti Vel oppositi.

Vel ratione boni eliciti.

III. *Aliquid cooperari potest in bonum tripliciter ex Alensi.*

Notandum 3. *Ex nostro Alensi 1. part. quæst. 38. art.* Aliquid cooperari in bonum tripliciter. Primô modô ut per se ordinatum in bonum, ut virtus & gratia: Aliô modô quod velociùs facit moveri in bonum, ut paupertas & firmitas: Tertiô modô sicut oppositum recedens confert ad intentionem sui oppositi, sicut vehementia frigoris ac caloris, ut frigus nivis recedens ad calorem: hôc modô peccatum recedens inducit vehementiam doloris, & ardorem majorem benè operandi, sed hoc est ex consequenti, *His præsuppositis sit*

Conclusio Prima.

IV. *Peccatum formaliter subest divinæ Providentiæ.*

QUODLIBET *peccatum, etiam sub ratione formali peccati subest divinæ Providentiæ, & ab ea congruum in finem ordinatur.* Hæc est communis apud Emeritos Theologiæ Principes, nam Alexander laudatus, & sanctus Bonaventura disertè affirmant, *Malum esse sub divina Providentia, non tanquam ab ea factum, sed quatenus ab ea ordinatur*: Et sanctus Thomas in 1. dist. 39. quæst. 2. art. 2. *Dicit mala subjacere divinæ Providentiæ tanquam præscita, & ordinata.*

Vt indigitant Scripturæ sacræ contextus.

Probatur primò: His omnibus Scripturæ textibus, quibus hominum peccata referuntur ad divinum consilium, decretum, imperium, impulsum, & præceptum, sic lib 2. Regum cap. 16. *Dominus præcepit Semei ut malediceret David:* Et cap. 24. *Addidit furor Domini irasci contra Israël, commovitque David in eis dicentem vade, numera Israël.* Quod fuit maximum superbiæ crimen. Idipsum innumeris patet Scripturæ textibus, sed maximè Actorū secundô, ubi peccatorum omnium maximum, Dei cidium nempe, & Christi Domini occisio, in Dei ordinationem refunditur his verbis: *Hunc definitô consiliô & præscientiâ Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis*, Et clariùs cap. 4. *Conveniunt viri in civitate ista adversum sanctum puerum tuum Iesum quem unxisti, Herodes & Pilatus cum Gentibus & populis Is*-A *raël facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri:* Sed certissimum est Deum non esse anthorem peccati: Ergo necessum est ut eatenus illa peccata in ipsum refundantur, quatenus ab eo permittuntur & ordinantur bonum aliquem in finem, & ita ipsius divinæ Providentiæ subsint, ut solùm fiant quando permittit ea fieri, & non aliter, nec alibi, nec diutius quàm quòd ipsius divina Providentia judicaverit peccati permissionem expedire.

Tum SS. Patrum authoritates.

Probatur secundò: Authoritate sanctorum Patrum, qui unanimi calculô affirmant Deum mala quælibet congruum in finem destinare; sic S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum ait, *Maximum esse divinæ Provi*-B *dentiæ argumentum non sinere ut vitium maneat inconducibile & inutile:* Sic Cyrillus Hierosol. Cateche. 8. exclamat. *O sapientissimam providentiam quæ malum etiam propositum in salutis occasionem convertit! Quemadmodum enim illorum fratrum Ioseph eundem odio prosequentium, malam voluntatem accipit occasionem propriæ administrationis, & permittens ipsis ex odio vendere fratrem, occasionem accepit efficiendi ut regnaret:* Quod etiam confirmat his verbis Psal. 118. *Quoniam omnia serviunt tibi.* Sic Basilius homil. 9. *Providentissimus*, inquit, *rerum humanarum dispensator Deus utitur ad nostram exer*-C *citationem malignitate dæmonis, quemadmodum medicus viperæ veneno.*

V. *Quare Deus permittat fieri mala.*

Sed præ cæteris hoc argumentum eleganter non minùs quàm subtiliter expendit S. Aug. pluribi, varias proferens rationes, variasque referens utilitates, quas ex mali permissione deducit Deus; sic in hæc verba Psalmi 7. *Arcum suum tetendit, & paravit illum, & in ipso paravit vasa mortis*, ait: *Quæri potest quæ sint vasa mortis, an fortè hæretici, nam & ipsi ex eodem arcu id est ex eisdem scripturis in animas non Charitate inflammandas, sed venenis perimendas insiliunt, quod non contingit nisi pro meritis. Propterea divinæ Providentiæ etiam ista* D *dispositio tribuenda est; non quia ipsa peccatores facit, sed quia ipsa ordinat cum peccaverint; malô enim votô per peccatum degentes, male coguntur intelligere, ut ipsa sit pœna peccati; quorum tamen morte Fideles Catholicæ Ecclesiæ tanquam quibusdam spinis à somno excitantur, ut ad intelligentiam divinarum proficiant Scripturarum:* Et serm. 90. cap. 5. de Diversis, *Nisi Deus antiquioribus sæculis servaret suâ patientiâ peccatores, unde nascerentur hodie tot fideles? Alii mali servantur ut boni inde nascantur....... quid Diabolo nequius, & de illius nequitia quanta bona fecit Deus? Non funderetur pro salute nostra sanguis Redemptoris nisi per nequitiam desertoris.* Et cap. 4. præcedente dixerat, *Sicut mali ho*-E *mines malè utuntur Creaturis bonis, sic Creator bonus benè utitur hominibus malis.*

Tum etiam ratio.

Probatur ratione: Eatenus Deus permittit peccatum quatenus inde prævidet aliquod bonum oriundum, & talis peccati permissio ad illius boni consecutionem ordinatur; sed ita permittere peccatum, est illud congruum in finem ex Providentia ordinare: Ergo reverà peccatum à divina Providentia ordinatur. Probatur major pluribus Scripturæ textibus, maximè verò Genesis 45. ubi dicitur Deum idcirco permisisse venditionem Josephi à fratribus, ut præpositus Ægipti factus eorum saluti inserviret; ait enim Josephus fratres allo-

quens, *Neque vobis durum videatur quòd vendidistis me in his regionibus; pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum:* Et post pauca, *Non vestro consiliô, sed Dei voluntate huc missus sum, &c.* Quibus apertè fatetur suam venditionem à fratribus (quæ reverà grande fuit peccatum) à divina voluntate ideo ordinatam, ut tum patris, tum fratrum saluti provideret. *Deinde* nisi alicujus boni consequendi intentione & voluntate Deus peccatum permitteret: illa permissio non posset esse fructus nec effectus prædestinationis: Sed id est contra sententiam sanctorum Patrum, præsertim sancti Augustini qui pluribi affirmat peccati permissionem interdum conducere ad prædestinationem Electi; sic expendens illa verba Pauli Rom. 8. *Omnia cooperantur in bonum iis qui secundùm propositum vocati sunt Sancti*; Subdit *etiam peccata; nam prædestinati ex casu humiliores, cautiores, & ferventiores resurgunt.* Denique, ille Deo tribuendus est volendi modus, qui convenientior est ejus Sapientiæ, Bonitati, & Omnipotentiæ: sed magis Deo congruit velle permissionem peccati propter oriundum aliquod ex ea bonum quàm solùm illud permittere eò quòd non teneatur impedire, & causis liberis nullam vim debeat inferre: Ergo Deo magis congruit permissio peccate propter aliquod bonum ex ea emergens.

Dices 1. Ex S. Augustino libro de natura boni cap. 4. *Malum est privatio modi, speciei, & ordinis:* sed nulla privatio participat rationem illius cujus est privatio: Ergo si malum ex ratione sua formali sit privatio ordinis non potest à divina Providentia ordinari.

VI. *Distinguit majorem* S. Bonaventura in 1. dist. 46. q. 5. Malum est privatio ordinis concernentis particularem naturam, concedit: Concernentis dispositionem universalis Providentiæ, negat: Nam, ut inquit Boëtius, *Ordo cuncta complectitur, quò fit ut si aliquis ab assignata sui ordinis ratione discesserit, necesse sit ut in alteram differentiam relabatur.* Vel ut inquit noster Alensis q. 38. num. 2. art. 1. *Dicendum est quòd est ordo naturæ particularis, & universalis: sive ordo naturæ aut providentiæ:* Malum autem; est privatio ordinis particularis, sive ordinis naturæ: non ordinis universalis, sive ordinis Providentiæ.

Malum est privatio ordinis particularis, non universalis.

Dices 2. Quod nihil est, non est ordinabile, ordinari enim supponit esse: sed peccatum ex ratione sua formali est non ens, & nihil. Ergo non est ordinabile.

Distinguo majorem: Quod nihil est, non est ordinabile per se, & in se, concedo: per accidens, & ad aliud, nego: Et similiter distincta minore neganda est consequentia.

Dices 3. Quod est ordinabile cadit sub potentiam ordinantis; sed peccatum non subest potentiæ Dei, quia Deus non potest producere peccatum: Ergo nec illud ordinare.

Distinguit majorem Seraphicus Bonaventura ibidem: ordinabile subest ordinantis potentiæ producenti aut providenti, concedit: Producenti tantùm, negat. Minorem similiter distinguit, peccatum non subest Dei potentiæ, producenti concedit, ordinanti, negat.

Dices 4. Ex S. Augustino laudato, *Omne ordinatum in quantùm hujusmodi, est bonum*; sed nullatenus peccatum potest esse bonum: Ergo nec habere rationem ordinabilis.

Respondet Magister sententiarum dist. 46. Quadruplicem esse boni acceptionem: Est enim, inquit, aliquid quod in se bonum est, & cui fit, sed non est bonum facienti, ut cùm fit Eleemosina propter vanam gloriam; Secundò est aliquod bonum in se & facienti; sed non ei cui fit, ut cùm prædicatur Evangelium ex motivo charitatis, homini obdurato & repugnanti: Tertiò est aliquid bonum in se & facienti, & ei cui fit, ut cum ex motivo charitatis prædicatur Evangelium homini credenti. Quartò, denique, est aliquid quod in se nec bonum est, & facienti nocet, & damnat nisi pœniteat, ut peccatum, alteri tamen proficit, & inseruit ad aliquod bonum. Unde in forma distinguo minorem. Peccatum nullatenus potest esse bonum nec facienti, nec ei in quem fit, ex se, & per se concedo: occasionaliter, per accidens, & ratione ordinationis in bonum, nego. VII.

Quadruplex boni acceptio ex Petro Lomb.

CONCLUSIO SECUNDA.

VIII. QUILIBET *morum & naturæ defectus à divina Providentia ordinantur ad universi pulchritudinem & decorem, saltem per accidens:* Hæc est communior inter Theologos, eamque tuentur Alensis q. 40. membro 3. S. Bonaventura dist. 46. q. 6. Et S. Thomas contra gentes cap. 71. ubi ait. *Multa bona sunt in rebus, quæ nisi mala essent locum non haberent; sicut non esset patientia justorum si non esset malignitas persequentium, nec esset locus Iustitiæ vindicativæ, si delicta non essent. In rebus etiam naturalibus non esset unius generatio nisi esset alterius corruptio; si ergo malum totaliter ab universitate rerum per divinam Providentiam excluderetur, oporteret etiam bonorum multitudinem diminui.*

Quoslibet morum & naturæ defectus Deus ordinat ad universi pulchritudinem.

PROBATUR. Primò quidem authoritate S. Ambrosii lib. 3. Exameron. cap. 9. qui cùm sibi objecisset, *Quid cum utilibus, etiam lethalia & perniciosa generantur? cum tritico conium? quid inter alimenta vitæ noxium reperitur? & nisi prævisum fuerit, consuevit saluti nocere, inter alia quoque nutrimenta vitæ helleborum deprehenditur; Aconita quoque fallunt frequenter & decipiunt colligentem.* Respondet: *Singula eorum quæ generantur in terris, specialem quandam rationem habent quæ pro virili portione complent universi pulchritudinem Creaturæ; alia ergo esui, alia potui, alia alii nascuntur usui: nihil vacat, nihil inane germinat terra. Quod tibi putas inutile, aliis utile est, imò ipsum tibi frequenter alio est usu utile: quod escam non adjuvat, medicinam suggerit; & sæpe eadem quæ tibi noxia sunt, avibus aut feris innoxium ministrant pabulum. Denique sturni vescuntur conio, nec fraudi est eis, quoniam æqualitate sui corporis venenum succi lethalis evadunt..... Helleborum autem periti loquuntur etiam esse & alimenta coturnicum, eò quòd naturali quodam temperamentô sui corporis vim pabuli nocentis evitent.*

Vt eleganter probat S. Ambrosius.

Hanc veritatem luculenter expendit S. Augustinus lib. 11. de Civit. cap. 18. ubi demonstrat pulchritudinem universi per Dei ordinationem ex contrariorum oppositione luculentiorem apparere: *Neque enim, ait, Deus ullum non dico Angelorum, sed vel hominum crearet vel malum esse futurum præscisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus commodaret; atque ita ordinem sæculorum tanquam pulcherri-*

Et S. Augustinus.

mum carmen etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret. Adductis autem nonnullis exemplis oppositorum ex sancto Paulo, subdit : *Sicut ergo ista contraria, contrariis opposita sermonis pulchritudinem reddunt : ita quadam non verborum, sed rerum eloquentiâ contrariorum oppositione sæculi pulchritudo componitur. Apertissimè hoc positum est in libro Ecclesiastici, hoc modò; contra malum bonum est, & contra mortem vita; sic & contra virum justum peccator, & sic intuere in omnia opera altissimi, duo & duo, & unum contra unum :* Quasi diceret Ecclesiasticus divinam Providentiam, & mundi pulchritudinem maximè elucere, ex contrariorum combinatione, & adversantium concordi discordia: Sicut Picturæ venustas, ex umbræ & lucis diversorumque colorum grata commixtione, & temperamento consurgit: & sicut Musica ex dissonarum vocum consonantia suaviùs aures demulcet.

Objiciunt Stoïci apud Lactantium lib. 1. de Ira Dei cap. 13. *Quæ tandem utilitas potest in muribus, in blattis, in serpentibus reperiri, quæ homini molesta, & perniciosa sunt ? An medicina in his aliqua latet ? Quæ si est, invenietur aliquando : Nempe adversus mala ..... Viperam ferunt exustam in cineremque dilapsam mederi ejusdem bestiæ morsui. Quantò meliùs fuerat eam prorsus non esse, quàm remedium contra se ab ipsa desiderari?*

IX. *Respondet* Lactantius ibidem : Deum idcirco plura homini nociva creasse ut homo sapientiæ à Deo inditæ exercendæ locum haberet : *Proposuit ei*, inquit, *bona, & mala, quia sapientiam dedit cujus omnis ratio in discernendis malis ac bonis posita est ; non potest enim quisquam eligere meliora, & scire quid bonum sit, nisi sciat simul rejicere ac vitare quæ mala sunt .... Ergo sicut bona innumerabilia data sunt homini quibus frui posset ; sic etiam mala quæ caveret. Nam si malum nullum sit periculumque ; nihil denique quod lædere hominem possit, tollitur omnis materia sapientiæ, nec erit homini necessaria : positis enim tantummodò in conspectu bonis quid opus est cogitatione, intellectu, scientia, ratione ..... Vides ergo magis propter mala opus bonis esse sapientia, quæ nisi fuissent proposita, rationale animal non essemus.*

Cur Deus plura homini nociva creaverit.

Objicit 2. Epicurus ibidem : *Deus*, inquit, *aut vult tollere mala, & non potest : aut potest, & non vult : aut neque vult, neque potest : aut & vult & potest. Si vult & non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit : Si potest & non vult, est invidus, quod æquè alienum à Deo : Si neque vult neque potest ; & invidus & imbecillis est, ideoque neque Deus. Si vult & potest, quod solùm Deo convenit : unde ergo sunt mala aut cur ea non tollit ?*

X. *Respondet* ibidem Lactantius : hoc equidem argumentum ita plerosque Philosophorum urgere, ut eorum nonnulli Deum nihil curare fateantur, verùm facilè dissolvitur, *Deus enim*, inquit, *potest quidquid vult, & tamen imbecillitas, vel invidia in eo nulla est, potest igitur mala tollere, sed non vult, nec ideo tamen invidus; idcirco enim non tollit, quia & sapientiam (sicut docui) simul tribuit, & plus boni ac jucunditatis in sapientia quàm in malis molestiæ. Sapientia enim facit ut etiam Deum cognoscamus, & per eam cognitionem immortalitatem assequamur, quod est summum bonum. Itaque nisi priùs malum agnoverimus, nec bonum poterimus agnoscere : Sed hoc non vidit Epicurus nec alius quisquam : Si tollantur mala, tolli pariter sapientiam, nec ulla in homine virtutis remanere vestigia, cujus ratio in sustinenda & superanda malorum acerbitate consistit.*

Nec imbecillis est, nec invidus ex eo quod mala non tollat.

Quæres an mundus esset perfectior, si nulli in ipso essent naturæ & morum defectus ?

XI. NEgat S. Bonaventura in 1. dist. 46. quæst. 6. att. 1. & cum eo plures alii Theologiæ Principes. Rationem profert: *Quia multa bona Deus fecit & facta sunt, quæ non essent facta, nisi peccatum præstitisset occasionem, sicut illa quæ gesta sunt in nostra reparatione : tamen sine his omnibus esset universum completum.* Et cum quæsivisset an pulchritudo præsens Universi præstet pulchritudini ejusdem sub statu innocentiæ si perseverasset : Concludit præsentem decorem præcellere, *Et ratio hujus est*, inquit, *quia vis divina eliciens bonum ex malo, præpotens est malo; & ideo bonum quod inde elicit prævalet bono quod malum corrumpit: & ideo plus valet Universum nunc quàm valuisset tunc ..... Exemplum est de scypho sano, qui frangitur & religatur filo argenteo, vel aureo, quia melior est post, quàm ante; non ratione fractionis, sed ratione religationis.*

Mundus non esset ita perfectus si non essent tot defectus.

Confirmatur ex sancto Augustino in Enchiridio cap. 10. & 11. *Ex omnibus*, inquit, *consistit Universitatis admirabilis pulchritudo, in qua etiam illud quod malum dicitur benè ordinatum, & suo loco positum eminentiùs commendat bona ut magis placeant, & laudabiliora sint dum comparantur malis. Nec enim Deus omnipotens (quod etiam infideles fatentur* RERUM CUI SUMMA POTESTAS*) cum summè bonus sit, ullô modô sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, & bonus, ut benefaceret etiam de malo.* Quibus verbis sanctus Augustinus nedum naturæ, sed & morum defectus ait conferri ad Universi decorem ut inde magis illius pulchritudo appareat. Idipsum luculenter expendit S. Anselmus in elucidario, ubi de malis Angelis ita loquitur ; *Cum Deus præsciret eos tales futuros, quare creaverit eos ?* Respondet *propter ornatum sui operis, ut enim pictor nigrum colorem substernit, ut albus vel rubeus pretiosior sit ; sic collatione malorum justi clariores fiunt.*

Dices : Exinde tantùm sequi universum esse præstantius secundùm apparentiam, non autem secundùm existentiam, videlicet quatenus clariùs elucent bona comparatione malorum: Ergo simpliciter, & secundum rei veritatem Universum non debet censeri præstantius ex morum & naturæ defectibus.

XII. *Nego antecedens :* Mala namque iuxta bona posita illa commendabiliora exhibent, non tantùm secundùm apparentiam, sed etiam secundùm existentiam duplici ratione. Primò quia plura bona ex illis defectibus colliguntur; cujusmodi sunt manifestatio divinæ Misericordiæ, Justitiæ, Sapientiæ, &c. nec-non & præcellentes Christianæ Religionis virtutes, pœnitentia, martyrium & eximiæ Charitatis exercitia. Secundò quoniam ipsamet apparentia conducit ad existentiam, & rei veritatem, quatenus ex illis defectibus homines nituntur

Non solùm Universum præstantius est quoad apparentiã, sed etiam quoad existentiam.

perfectionem Evangelicam assequi quæ in humilitate & animi demissione maximè elucet.

Dices 2. Bonum quô illi defectus privant, est majoris perfectionis quàm sit bonum quod eorum defectuum occasione comparatur: Ergo præstantius esset universum sine illis defectibus. Antecedens probatur, quoniam Innocentia est majus bonum quàm pœnitentia.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico quòd etsi Innocentia secundùm se considerata majus sit bonum; nihilominus in ordine ad Vniversum, & ad ejus integritatem, suavitatem, ordinem, ac proportionem, majus bonum est collectio multarum virtutum & donorum quæ non existerent, si tales defectus non adfuissent.

Quæstio Quarta.

An, & quomodo Deus rebus creatis immediatè Provideat?

I. Quadruplex divinæ Prouidentiæ munus.

CUm divinæ Providentiæ quadruplex munus & opus distingui possit, nimirū Creaturarum conservatio, cum eisdem agentibus cooperatio, earumdem debitum in finem ordinatio, hujus ordinationis executio; quæritur in præsentiarum an hæc quatuor munia Deus per se, & immediatè obeat: An verò aliquam creaturam in sortem & partem alicujus ex his muneribus obeundis assumat.

II. Deus res omnes immediatè condidit.

Notandum 1. Certum esse Deum res omnes immediatâ suâ virtute condere; quamquam enim quibusdam Creaturis ad aliarum formationem & generationem utatur; nihilominus immediatum in eas habet suæ virtutis influxum, ut indicant omnes illæ Scripturæ textus, qui Deum rerum omnium Authorem, & Artificem disertè pronuntiant. Sic Job 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me totum*, &c. Psalm. 138. *Tu formasti me & posuisti super me manum tuam.* Jeremiæ 1. *Priusquàm te formarem in utero*: Unde meritò invictissima illa septem Machabæorum mater, filios ad generosè martyrium obeundum adhortans ita fatur: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donavi vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator qui formavit hominis nativitatem, quippe omnium invenit originem.*

III. Et in fines congruos etiam immediatè ordinat.

Notandum 2. Certum esse rerum omnium ordinationem in finem ipsis congruum esse immediatè à Deo; Providentia enim ut diximus cum Boëtio, est ipsa illa divina ratio in summo omnium Principe constituta quâ cuncta disponit; adeoque ordinatio illa est actus internus divinæ voluntatis, & consequenter immediatè ab ipso Deo proficiscitur; Deus namque immediatè & per se solū proposuit sibi fines quos voluit; & ad eos constituit, atque decrevit media, uel quasi media, quæ elegit aut permisit. Certum pariter illum non omnia per se solùm exequi, sed ad quædam adjungit secum concursum aliarum causarum, sive quòd ita necessarius ad opus videatur illarum causarum concursus, ut respiratio & nutritio ad conservationem vitæ: Sive quia ex liberalitate dignatur rationem causæ rebus communicare, easque in partem gubernationis & executionis assumere. Qualiter autem id fiat, & quibus rebus utatur ad aliarum conservationem hîc erit resoluendum.

IV. Providentia una sufficiens, alia favorabilis.

Notandum 3. Quòd etsi certum sit Deum rebus omnibus providere, nihilominùs non eadem de rebus singulis est ipsi cura, nec eadem est ordinatio: Duplex enim ipsius distingui potest Prouidentia, nimirum *Sufficiens* & *Favorabilis*: Prior dicitur quâ Deus res omnes ordinat in finem congruum à sua Sapientia designatum, sive interim finis ille cedat in bonum privatum ipsius rei quæ ordinatur, sive in bonum Vniversi, aut alterius specialis Creaturæ, ad cujus utilitatem aut decorem talis sit ordinatio. Posterior verò dicitur quâ Deus res aliquas ordinat ad bonum suum privatum, & ad finem ipsis convenientem, & favorabilem. Certum est autem Deum ita favorabiliter rebus quibuslibet non providere; quædam enim sunt quæ cum proprio dispendio ordinantur ad alias, ut cibus & potus ad nutritionem animalium, & ipsa bruta animantia ad hominum utilitatem & commodum: Unde solis Creaturis intellectualibus favorabiliter providere dicitur, eas namque solas ordinat in finem ipsis convenientem, & favorabilem, nempe ad vitam æternam.

His prænotatis tria sunt resoluenda. Primum: An Deus reverà immediatè & per se conservet Creaturas? Secundum: An per se, & immediato concursu cum eis agentibus operetur. Tertium: Quibus Creaturis utatur ad aliarum conservationem & directionem in finem? Nimirum an inferiores superioribus, an verò superiores inferioribus interdum subserviant. Quæstionis tres in partes distributio.

Conclusio Prima.

V. Deus immediatè & per se conservat Creaturas.

DIVINA *Providentia per se & ex sua ratione formali res omnes conservat tanto tempore, quanto judicat esse congruum.* Probatur hæc conclusio primò quidem ex illo Sapientiæ 11. *Quomodo autem posset aliquid permanere nisi tu voluisses; aut quod à te vocatum non esset conservaretur?* Vocatio autem hæc, est illa ipsa divina jussio, quâ rebus imperat ut conserventur, sicut & imperavit ut fierent, juxta illud *Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.*

Vt suadet sacra Scriptura.

Illud ipsum disertè explicat S. Paulus Hebræorum 1. ubi de divino Verbo ita loquitur, *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ*; hoc est, ut interpretatur Magister sententiarum in commentario ad eundem locum, *Portans, id est, continens & gubernans omnia: Verbo, id est, solo imperio: Virtutis suæ, id est, potentiæ & Charitatis suæ, quæ non minor apparet gubernando quàm creando.* Cui concinit Primasius: *Verbum Dei Patris*, inquit, *omnia quæ fecit verbô virtutis suæ portat, hoc est potentiâ virtutis suæ, & verbô jussionis suæ omnia gubernat & regit: non enim minus est gubernare mundum quàm creasse; nam in creando ex nihilo substantiæ rerum productæ sunt; in gubernando verò ea quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant continentur.* Vel ut meliùs ibidem interpretatur sanctus Thomas, *Verbô virtutis suæ, id est, seipso, quod est Verbum omnipotens.*

Denique idem Apostolus ad Colossenses 1. ait: *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant*, hoc est

est ut interpretatur sanctus Anselmus ibidem, *Omnia in ipso constant, quia sicut omnia creavit, sic omnia continet & regit. Omnia in ipso constant, quia secundùm Immensitatem incircumscripta & incomprehensa Divinitatis ejus omnia sunt intra ipsum, & ne in nihilum redeant per illum consistunt*: Seu ut expendit sanctus Chrysostomus homilia 3. *Non solùm ipse ea, ex nihilo adhuc ut essent, produxit; sed & idem ipse nunc quoque ea conservat, & tuetur; ita ut si ipsius curâ destituerentur, mox perirent, & corrumperentur.*

Et ratio Theologica probat.

Eadem vetitas ratione probatur: Eo modò ratiocinandum est de rerum conservatione quomodo de ipsarum creatione: Sed creationis solus Deus est author & Opifex: Ergo pariter, & conservationis. Major est Doctoris Subtilis, qui in secundum dist. 2. quæst. num. 19. dicit cum S. Bonaventura conservationem esse continuam creationem; ita quòd eadem divina actio dicatur *Creatio* quatenus coexistit primo instanti existentiæ rei: dicitur verò *Conservatio*, in quantùm coexistit aliis partibus temporis in quo res illa durat.

Deinde, Creaturæ essentialiter dependent à Deo: Sed ita non dependerent si solùm ipsius influxu indigerent ad sui creationem non verò ad sui conservationem: Ergo ad utramque divino influxu egent. Major patet. Minor probatur: Si tantùm in primo suæ productionis instanti Creaturæ dependerent ab influxu Dei, sequeretur quòd per æternitatem illorũ esse subsisteret independenter ab ipso divino influxu; & sic non essent ab eo essentialiter dependentes, sed tantùm per accidens; nam dependentia secundùm primum instans suæ existentiæ se habet per accidens ad existentiam & durationem in sequentibus instantibus, vel in ipsa æternitate.

Denique, si res, maximè incorruptibiles, putà Angeli & animæ rationales, non penderent à continuo Dei influxu in conservari, sequeretur Deum non posse illas destruere, & in nihilum deducere: Sed consequens est absurdum: Ergo & id unde sequitur. Sequela patet, illæ namque Creaturæ spirituales destrui non possunt per aliquid positivum repugnans earum vitæ, & subsistentiæ; quia sicut non pendent ab aliquo influxu creato, sic nec aliquid creatum potest earum esse destructivum: Restat ergo quòd solùm destrui possint per substractionem concursûs. Unde meritò Doctor in 4. dist. 1. quæst. 1. num. 33. *Dico quòd solius Dei est annihilare, quia annihilare non est agere positivè, sed non agere, id est non conservare; solius autem Dei est conservare totam creaturam & totaliter.*

Dices: Effectus & opera divinæ Providentiæ vegetioris sunt virtutis, & perfectioris entitatis, quàm opera & effectus Creaturarum: Sed hæc non indigent continuo influxu sui opificis, domus namque subsistit etiam mortuo fabricatore; leo genitus non opus habet leone genitore ut subsistat, & filius vitam servat integram, etiam suo Patre extincto: Ergo nec illa conservatore egent.

VI.

Creaturæ & in fieri & in conservari egent influxu causæ primæ, non autem secundæ.

Respondeo 1. Non eandem esse rationem de efficacitate & operibus divinæ Providentiæ & Creaturarum, illa namque est causa princeps fontalis & prima, à qua cæteræ, quidquid activitatis & virtutis habent, mutuantur; hæ verò sunt tantùm causæ subservientes, secundariæ, & minùs principales: Unde non mirum, si effectus qui earum quidem causarum influxum exigunt unà cum influxu causæ primæ ad sui productionem, illô ipsô non egeant ad sui conservationem, quia subsistere possunt per solum influxum causæ primæ. Hinc non eadem est dependentia effectuum à causa prima & secunda; ab hac enim solùm dependent accidentariò, filius namque ab uno patre genitus potuit ab alio generari, & domus ab uno artifice extructa, etiam & ab alio construi potuit: ab illa verò ita essentialiter dependent, ut nullatenus existerent si Deus ad illarum productionem non concurreret. *Vnde in forma*: Effectus divinæ Providentiæ sunt præstantiores effectibus Creaturarum, secundùm præstantiores gradus perfectionis, concedo; totius namque mundi fabrica longè excedit structuram cujuslibet famosissimi Palatii: Secundùm minorem dependentiam, nego; quia effectus à divina Providentia essentialiter; à Creaturis verò solùm accidentariò pendent.

Absolutè nulla Creatura sine Dei influxu subsistere valet.

Ex his collige Deum etiam per extraordinariam suam potentiam non posse aliquam Creaturam tantæ virtutis & perfectionis producere ut indepẽdenter ab ejus influxu subsistere queat, quia essentiale est cuique Creaturæ ut à Deo pendeat, tam ad sui productionem, quàm ad sui conservationem.

Nec refert quòd Deus sit omnipotens; nam ut observat noster Alensis quæst. 26. memb. 5. art. 1. quædam sunt, quæ Deus efficere nequit, quæ magis divinam Potentiam firmant & commendant. *Vnde*, inquit, *quòd non potest peccare, quòd non potest facere aliquam Creaturam æqualem sibi, quòd non potest conferre Creaturæ, quòd sit sufficiens ad regendum se; non dat impotentiam Deo, sed magis potentiam. Vnde sicut derogaret Potentiæ quòd poneret Creaturam aliquam à seipsa; ita derogat Sapientiæ vel Bonitati, quòd ponat Creaturam esse sufficientem ad rectionem sui. Vnde quòd non potest Creatura se regere, non est de impotentia Dei, sed de impotentia naturæ, quæ tantam virtutem non potest capere.*

Conelusio Secunda.

Deus concurrit immediatè ad omnes effectus Creaturarum.

DIVINA *Providentia immediatè concurrit ad omnes Creaturarum operationes.* Hæc conclusio jam satis superque probata manet rationibus Philosophicis in nostra Physica, agendo de concursu divino: & solùm opus est Theologicis momentis illam firmare.

Ve egregiè probat S. August.

Eam itaque 1. probat sanctus Augustinus ex illo Christi Domini oraculo, *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Quem textum sic expendit lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 20. *Sunt*, inquit, *qui arbitrantur tantummodò mundum ipsum factum à Deo, cætera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit & jussit; Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini*, Pater meus usque nunc operatur: *Et ne quisquam putaret apud se illum aliquid operari, non in hoc mundo*: Pater in me manens, *inquit*, facit opera sua: & sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic Filius quos vult, vivificat, *&c.*

S. Chrysostomus.

Ipsi concinit sanctus Chrysostomus homil. 37. in Joannem, *Quòd si percontareris quomodo*

Pater operatur, cùm die ſeptimo ab omni opere ceſſaveris ; accipe quomodo providet, continet, temperat omnia quæ fecit. Cum igitur Solem orientem, Lunæ curſum, ſtagna, fontes, fluvios, naturæ vim, ſeminibus in noſtris, & brutorum corporibus progreſſum, cætera omnia quibus hoc totum conſtat, vides : intellige perpetuam Patris operationem. Eaodem difficultatem etiam expenderat ſanctus Auguſtinus libro 4. de Geneſi ad litteram cap. 12. exponens quô ſenſu dicatur Deus reqoieviſſe ſeptimo & nihilominùs operari. *Poteſt*, inquit, *intelligi Deum requieviſſe, â condendis generibus Creaturæ, quia ultra jam non condidit, aliqua genera nova : deinceps autem uſque nunc, & ultra operatur, eorumdem generum adminiſtrationem quæ tunc inſtituta ſunt, &c.*

Iterum S. Auguſt.

Probat ſecundò idem S. Auguſtinus ex illo Actorum 7. *In ipſo vivimus, movemur & ſumus.* Quibus verbis Apoſtolus productionem, conſervationem, & operationem Creaturarum complectitur ; quæ verba ſanctus Auguſtinus expendens libro 4. de Geneſi ad litteram capite 12. dicit, *Illud quod ait Apoſtolus,* in illo vivimos, movemur, & ſumus, *liquidè cogitatum quantùm humana mens valet, adjuvat hanc ſententiam quâ credimus & dicimus Deum in his quæ creavit indeſinenter operari.*

Deinde, aperiens qualiter præfatus contextus Apoſtoli ſit intelligendus de operibus Providentiæ ſubdit ; *Crede igitur ne uno quidem die ceſſaſſe Deum ab opere regendi quæ creavit, ne motus ſuos naturales quibus aguntur atque vegetantur illico amitterent, & eſſe aliquid omnino deſinerent, ſi eis ſubſtraheretur motus ille ſapientioris Dei quô diſponit omnia ſuaviter.* Ipſi concinit Origenes libro 2. Periarchon capite 1. *Quomodo*, inquit, *in Deo vivimus, & movèmur, & ſumus, niſi quia virtute ſua univerſum conſtringit, & continet mundum.*

Nec-non Hieronymus.

Tertiò : Hanc ipſam veritatem pluribus Scripturæ textibus confirmat S. Hieronymus Epiſtolâ ad Cteſiphontem ; ubi invehens in eum, quod ut humanum liberum arbitrium tueretur Dei adminiculum reſpueret, ait, *Audite, quæſò, audite ſacrilegum. Si inquit voluero curvare digitum, movere manum, ſedere, ſtare, ambulare, &c. ſemper mihi auxilium Dei neceſſarium erit? Audi Ingrate imò Sacrilege Apoſtolum prædicantem, ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid agitis omnia in nomine Domini agite, &c.*

Et Anaſtaſius.

Denique eandem veritatem probat Anaſtaſius Synaita libro 2. de rectis fidei dogmatibus, ex illo Pſal. 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo*, &c. *Inde*, inquit, *Propheta refutat eorum errorem quos latuit Dei actiones quaquaverſum cuncta pervadere, nec ullam cujuſvis materiæ particulam eſſe, quæ non ſit opus Dei.* Quæ hanc adverſus concluſionem objectiones proferuntur à Durando in 2. diſt. 1. quæſt. 5. jam ſoluimus in phyſicis, idcirco ſit

CONCLUSIO TERTIA.

Deus & inferiores Creaturas ad ſuperiorum conſervationē

DEVS *nedum inferioribus Creaturis ad ſuperiorum conſervationem: Sed etiam ſuperioribus ad inferiorum regimen & tutelam utitur.* Hæc eſt communis inter Theologos, eamque probat ſanctus Auguſtinus libro 8. de Geneſi ad litteram capite 9. ubi duplicem diſtinguit divinæ Providentiæ operationem : *In ipſo quoque*, inquit, *gemina operatio Providentiæ reperitur partim naturalis, partim voluntaria ; Naturalis quidem, per occultam Dei adminiſtrationem qua etiam lignis & herbis dat incrementum : Voluntaria verò per Angelorum opera & hominum. Secundùm illam primam cœleſtia ſuperiùs ordinari, inferiùſque terreſtria, luminaria ſideraque fulgere, diei noctiſque vices agitari, aquis terram fundatam interlui atque circumlui, aërem altius ſuperfundi, ar buſta & animalia concipi & naſci, creſcere, & ſeneſcere, occidere, & quidquid aliud in rebus interiore naturalique motu geritur. In hac autem altera ſigna dari, doceri & diſcere, agros coli, ſocietates adminiſtrari, artes exerceri : & quæque alia ſive in ſuperna ſocietate aguntur, ſive in hac terrena atque mortali, ita ut bonis conſulatur & per neſcientes malos : &c.* Quibus verbis S. Auguſtinus diſertè affirmat Deum rebus providere nedum per inferiores ſuperioribus, ſed etiam per ſuperiores inferioribus.

& ſuperiores ad inferiorum regimen & tutelam adhibet.

De inferioribus quidem nulla remanet cauſa dubitandi, ſiquidem omnes prorſus Creaturæ materiales & corporeæ ſive viventes, ſive vitæ expertes homini ſubſerviunt, & ei vel ad victum, vel ad veſtitum, vel ad utilitatem, vel ad delicias famulantur. Sed neque de ſuperioribus debet eſſe dubitatio, ſiquidem Angeli, quibus minores ſumus, à Deo deputantur ad noſtram cuſtodiam, *Omnes* namque *ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui capiunt hæreditatem ſalutis.*

Dices : Providere per alium, arguit imperfectionem in Proviſore, Rex enim idcirco non per ſe, ſed per ſuos Miniſtros toti ſuo regno providet, quia nec per ſcientiam, nec per potentiam, nec per præſentiam ſingolis adeſſe poteſt : Sed talis defectus Deum dedecet: Ergo non per alios, ſed per ſeipſum immediatè cunctis Creaturis providet.

Reſpondes noſter Alenſis quæſtione 26. articulo 2. ad 2. *Providere per alium*, Poſſe eſſe ex triplici cauſa, vel ex defectu illius qui debet providere : vel ex defectu illius cui debet fieri proviſio : vel ex parte illius per quem eſt proviſio. Ex parte providentis, ut cùm ille non eſt potens per ſe explere quod vult, ut patet in exemplo poſito de Rege. Ex parte illius cui debet fieri proviſio, ſic divina Providentia adminiſtrat inferiores Creaturas per ſuperiores, quia inferiores propter ſuum defectum non ſunt immediatè ſuſceptibiles divinæ actionis; ſicut patet in oculo qui non potens videre Solem in rota, videt eum in medio, ſcilicet in aqua, vel in ſpeculo. Similiter Providentia Dei adminiſtrat inferiores Creaturas per ſuperiores : rationales autem Creaturas per ſe: & etiam quaſdam per alias ; ut homines per Angelos, & alios Angelos per alios : Item propter utilitatem illius per quem eſt providentia ſit proviſio per alium; ut Deus vult adminiſtrari pauperibus à divitibus propter utilitatem divitum ; vult etiam quoſdam doceri per alios. Iſtis duabus rationibus ultimis providet Deus per alios, non verò propter primam rationem : quia hoc non eſt ex defectu qui ſit in Deo : ſed propter defectum Creaturæ cui adminiſtratur ; vel propter utilitatem illius per quam alii adminiſtratur vel providetur.

Quæres quot, & qui sint divinæ Providentiæ fructus ex ejus consideratione à viris probis colligendi?

IX.

Quatuor fructus ex divinæ Providentiæ consideratione colligendi.

RESPONDEO quatuor potissimùm à Lessio cap. 9. de Providentia numerari. *Primus* est magnum animi solatium, & jucunda mentis tranquillitas in varia rerum agitatione & perturbatione: Cùm enim quisque perpendit omnia quæ eveniunt, sive bona, sive mala, non nisi Deo ita ordinante contingere, facilè suos omnes motus continet; ratus quòd nihil horum fieret, nisi Deus specialiter illud permitteret; non permitteret autem, nisi justissimæ rationes ei suppeterent, atque adeo nisi melius esset id permittere quàm impedire. Hâc ipsâ cogitatione recreatus S. Iob, dum omnium suorum bonorum jacturam audiisset, has in præclaras voces erupit, *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Illud ipsum ponderabat David cùm diceret: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei & delectatus sum.*

1. Est animi tranquillitas.

Secundus fructus est omnium etiam adversitatum grata acceptatio, nec-non & omnis murmurationis repressio & cohibitio: facilè namque divinæ ordinationi acquiescimus dum attenta mente perpendimus Deum sapientissimè, benignissimè & ob justissimas rationes immittere, vel permittere omnes illas corporis aut animi molestias quæ nobis interdum accidunt, quæque conferunt, vel ad exercitationem virtutum, vel ad ultionem peccatorum, vel ad assecutionem æternæ fœlicitatis, *Momentaneum enim, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitatem, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quas rationes ubi quis perpendit, omnes murmurationis motus comprimit.

2. In adversitatibus constantia.

Tertiò illa ipsa divinæ Providentiæ consideratio anxiam rerum hujus vitæ sollicitudinem removet, nam ut meritò monet Christus Salvator Matth. 6. *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, nec corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plusquam vestimentum? Respicite volatilia cœli quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa, nonne vos magis pluris estis illis?* Unde concludit, *Nolite ergo solliciti esse dicentes quid manducabimus aut quid bibemus, aut quô operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.* Unde admonebat Regius Vates: *Jacta in Domino curam tuam, & ipse te enutriet.* Quod ipsum repetit S. Petrus primæ 5. cap. *Omnem*, inquit, *sollicitudinem vestram projicientes in ipsum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

3. Vitæ hujus parvipensio.

Quartò denique, hæc ipsa divinæ Providentiæ cogitatio maximam in periculis ingruentibus affert animi constantiam & fiduciam. Cùm enim Deus omnium, maximè Piorum curam habeat, & nihil sine ipsius nutu & consilio fieri possit, non est quòd timeamus, vel sævientium hominum terriculamenta, vel Dæmonum insidias, vel quidvis aliud molestum à qualibet Creatura inferendum. Ipsa consideratione velut impenetrabili Clypeo armatus, & animatus Regius Vates aiebat Psal. 28. *Dominus illuminatio mea, & salus mea; quem timebo? Dominus Protector vitæ meæ, &c.* Et meritò quidem ut expendit sanctus Augustinus, *Protegitur enim Imperator scutatis, & non timet, protegitur à mortalibus mortalis & securus est: protegitur mortalis ab immortali, & timebit ac trepidabit?*

4. Tandem magna in Deum fiducia.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Prædestinatione Sanctorum.

IAM aperrè satis ex præsentis Disputationis præludio liquet, quàm arduũ quàmque cæcutientibus mortalium oculis imperviũ sit divinæ prædestinationis arcanum. Enimverò *Quis novit sensum Domini?* Cur nullis existentibus meritis, nullis præviis adhuc operibus bonis, Iacob eligitur, reprobatur Esaü? Cur Tyriis & Sidoniis denegata miracula, quibus convertendi erant, & pœnitentiam in cinere & cilicio acturi; è diametro verò concessa Judæis pertinacibus, nullam exinde utilitatem percepturis? Vel ut loquitur sanctus Gregorius lib. 29. moralium cap. 32. *Cur alius malè vivens diu reservetur ut se corrigat; alius benè quidem videtur vivere, sed in vita eò usque durat quoad in perversa prorumpat: Alius catholicæ matris ventre editus, juxta vitæ terminum erroris voragine devoretur, alius autem vitam suam in catholica pietate consumat, qui ortus in perfidia cum lacte matris hauserat virus erroris..... Quis ergo ista judiciorum secreta cœlestium discutiat? Quis intelligat discretam æquitatis occultæ lancem!*

Quàm inscrutabile sit divinæ Prædestinationis arcanum.

Imò inquit sanctus Augustinus lib. 21. contra Faustum cap. 3. *Quantò convenientius, quantò accommodatius est modulo nostro expavescere illic ubi Paulus expavit, & exclamare:* O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, &c. *Quantò melius est admirari quod investigare non sufficis:* Unde concludit Tractatu 53. in Joannem, *Non ergo me ad hanc penetrandam altitudinem, ad hanc abyssum discutiendam, ad inscrutabilia pertractãda expectatio vestræ Charitatis impingat: agnosco modulum meum; sentire mihi video, etiam modulum vestrum; altius est hoc incrementis meis & fortius viribus meis. Audivi Scripturam admonentem atque dicentem: Altiora te ne quæsieris. & fortiora te ne scrutatus fueris.*

Convenientius itaque nobis foret in hujus abstrusi reconditique mysterii admiratione, quàm investigatione detineri. Verùm quoniam liberè non patitur auspicari laboris exitus, & summè necessaria his maximè temporibus dicendi materies: Idcirco prævio Scripturarũ lumine, affulgenteque sanctorum Patrum doctrinâ, ingentes & innumeras propè de divina Prædestinatione Quæstiones suscipimus explicandas duabus in sequentibus Sectionibus: Quarum *Prima* aperiet existentiam, naturam, objectum, certitudinem, & concordiam divinæ Prædestinationis cum libertate creata. *Secunda* explicabit illius causas, effectus, & appendices.

Articuli duas in Sectiones distributio.

SECTIO PRIMA.

De Prædestinatione generatim.

I.

Unde definiatur Prædestinationis vocabulum.

PRÆDESTINATIONIS vocabulum formatur à particula *præ*, & verbo *destino*. Particula autem *præ* significat, *Vel* antecessionem actûs intellectus prævidentis ad actum voluntatis ordinantis: *Vel* antecessionem ordinationis decreti divinæ voluntatis destinantis homines ad gloriam æternam antecedenter ad prævisionem meritorum: *Vel* denique rectiùs & veriùs, antecessionem æternitatis ad tempus, seu æternæ Dei destinationis ad rem in tempore destinatam.

Verbum autem *destino* triplicem pariter obtinet significationem; *Vel* enim idem significat quod *designo*, sic de primis parentibus dicitur, Ecclesiastici 17. *Destinavit illis sortem veritatis*; Hoc est, veritatis prædicandæ munus imposuit: *Vel* idem quod *statuo*, ac *decerno*; Sic 2. ad Cor. 9. *Vnusquisque prout destinavit in corde suo*: *Vel* denique idem ac *mitto*, seu *dirigo*. Sic 1. Machab. cap. 1. *Destinaverunt aliqui de populo, & miserunt ad Regem*. S. Thom. 1. p. q. 23. Destinationem duobus prioribus modis usurpat, contenditque prædestinare idem esse ac designare, aut transmittere aliquem in vitam æternam.

Noster verò Alensis, quem penè sequuntur omnes Theologi, destinationem usurpat tertiò modô; ita quòd *Prædestinatio* idem significet ac statutum, decretum, seu propositum divinæ voluntatis quô Deus ab æterno apud se statuit & decrevit dare quibusdam Creaturis ratione præditis gratiam in præsenti, & gloriam in futuro: Et reverà si res attentè ponderetur, perspicuum erit in præsenti negotio destinationem ita accipiendam: Transmissio enim in vitam æternam, vel tantùm est effectus temporalis & executio Prædestinationis; vel saltem supponit propositum voluntatis divinæ, quô Deus apud se statuit aliquos esse transmittendos ad vitam æternam antequàm de facto transmittantur: Hinc Ecclesia Lugdunensis in libro de tenenda Scripturæ sacræ traditione, circa medium explicans illa verba Ezechiel. 24. *Dominus Deus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare?* ait, *Quid est aliud* DECREVIT, *nisi* PRÆDESTINAVIT, PRÆFINIVIT, STATUIT, PRÆFIXIT, PRÆORDINAVIT: *Ex quo manifestè intelligitur quid sit* PRÆDESTINATUM *videlicet, & præfinitum, statutum, præfixum, præordinatum.* Constat itaque quæ sit vera ac genuina Prædestinationis vocabuli significatio: Iam rem ipsam expendamus.

QUÆSTIO PRIMA.

An reverà aliqui homines à Deo necessariò Prædestinentur?

DUPLEX in præsenti Quæstione proponitur difficultas; Prima quidem, an Deus reverà determinet ac ordinet aliquam Creaturam ad finem aliquem supernaturalem, beatum, & perpetuum; Secunda, an illa ipsa divina ordinatio ita sit necessaria, ut sine ea non possit Creatura rationalis præfatum finem assequi, quod ut percipiatur evidentiùs,

I.

Prædestinatio trifariam usurpatur.

Notandum 1. Prædestinationem trifariam accipi; PRIMÒ quidem, quatenus significat quamlibet prædefinitionem, seu præordinationem æternam rei cujuscumque à Deo efficiendæ in certa temporis differentia; quâ ratione S. Augustinus lib. de Prædest. Sanctorum, ait; *Prædestinatione sua Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus.* SECUNDÒ interdum usurpatur pro destinatione Creaturarum rationalium ad statum æternum & immobilem, sive bonum, sive malum, sic S. August. in Enchiridio cap. 100. usurpat Prædestinationis vocabulum ad significandum sortem æternam Sanctorum, ac reproborum. *Deus*, inquit, *benè utens, & malis tanquam summè bonus ad eorum damnationem quos justè prædestinavit ad pœnam; & ad eorum salutem quos benignè prædestinavit ad gratiam*: Cui concinit Honorius Augustodunensis, dicens; *Nihil aliud est Prædestinatio, quàm pro meritis cujusque, vel ad gloriam, vel ad pœnam æternam Dei præparatio*; Nec-non & Concilium Valentinum cap. 3. *Fidenter fatemur Prædestinationem Electorum ad vitam, & Prædestinationem Impiorum ad mortem.* Hæ autem duæ priores significationes, minùs propriæ sunt & à præsenti mysterio alienæ. Itaque strictiùs & congruentiùs Prædestinatio significat æternam destinationem, vel transmissionem Creaturæ rationalis ad fœlicitatem perpetuam, quam sic definit S. August. lib. de Dono perseverantiæ cap. 14. *Prædestinatio Sanctorum*, ait, *nihil est aliud quàm præscientia & præparatio beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur quicumque liberantur*; Inde.

II.

Prædestinatio duplex, incompleta & completa.

Notandum 2. Duplicem distingui posse Prædestinationem, Incompletam videlicet & Completam. *Prima* est ad gratiam & media supernaturalia ad æternæ fœlicitatis assecutionem conducentia, quæ totuplex iterum distingui potest quotuplex est ipsa gratia præordinata, & destinata. *Secunda* verò ad gloriam cujus possessio completa est hominis salus. Hanc utramque indigitat S. Paulus; primam quidem ad Ephesios cap. 1. ubi omnes Ephesios fideles ad quos scribebat, vocat à Deo Electos & Prædestinatos; *Elegit nos*, inquit, *in ipso*, id est Christo, *ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu ejus, in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem per Iesum Christum.* Non quòd reverà censeret Apostolus omnes Ephesios esse gloriam æternam infallibiliter adeptutos; sed quòd ad gratiam sanctificantem omnes essent ordinati & prædestinati. *Secundam* verò tradit ad Rom. 8. dicens: *Quos præscivit & prædestinavit, quos autem prædestinavit, hos & vocavit, &c.* quam pariter utramque prædestinationem edocet S. Anselmus in præfata verba ad Ephesios: *Deus*, inquit, *præordinavit quòd in tempore gratia aliquos à perdendis separaret, & Iustos immaculatosque faceret: Præordinavit etiam quòd & illos ad æternitatem perduceret. Harum prædestinationum alteram hic implet, quando Sanctos facit: Alteram in futuro complebit dando immortalitatem & beatitudinem.* De utraque hac prædestinatione quærimus an sit admittenda.

III.

Qui divinæ Prædestinationis

Notandum 3. Prædestinationem varios habuisse existentiæ suæ Impugnatores; omissis enim omnibus illis divinæ Providentiæ insectatoribus, nec-non & Atheïs, seu Politicis, qui

existentiam impugnaverint.

negantes immortalitatem animæ, negant pariter prædestinationem ad gloriam, de quibus Sapientiæ 2. dicitur quòd *Nescierunt Sacramenta Dei, nec speraverunt mercedem justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum Sanctorum.* Non defuerunt etiam ex Fidelibus & Catholicis, qui Prædestinationem in Deo etiam negaverunt eò quòd arbitrarentur illam esse fatalem quandam necessitatem, quæ creatam libertatem extingueret, & ad omne meritum viam præcluderet; ut colligere licet ex S. Aug. 2. de bono perseverantiæ cap. 14. Nec-non ex sancto Prospero in responsione ad objectiones Gallorum cap. 1. ubi ait; *Qui Prædestinationis nomine fatum prædicat, tam non est probandus quàm qui fati nomine veritatem prædestinationis infamat: Fati enim opinio vana est, & de falsitate concepta; Prædestinationis autem fides multâ sanctarum authoritate Scripturarum munita est*, ut probabit.

Conclusio Prima.

IV.

Admittenda est in Deo Prædestinatio.

Reverà *admittenda est divina Prædestinatio quâ nonnullæ Creaturæ rationales ad beatitudinem à Deo destinantur & ordinantur ab æterno.* Hæc est de fide: & probatur variis Scripturæ textibus, Matth. 25. *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, &c.* ad Rom. 8. *Quos præscivit & prædestinavit, &c.* Ad Ephesios 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei*: Actorum 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*, & alibi passim. Hanc eandem veritatem suis testimoniis omnes sacri Doctores ubertim affirmant, ut patebit in hujus disputationis decursu. Itaque

Probatur 2. Ratione Theologica: Prædestinatio ex S. Augustino lib. de Prædest. Sanctorum cap. 17. Est divina voluntas dandi gratiam, & gloriam, quas reverà Deus prædestinavit conferre in tempore: sed nihil Deus operatur in tempore quod ab æterno facere non decreuerit: Ergo Deus ab æterno decrevit dare aliquibus gratiam & gloriam, adeoque aliquos prædestinavit.

Deinde, quoties aliquis non potest naturæ suæ viribus attingere finem suum quem tamen assequitur, necesse est ut ad eum finem ab alio transmittatur: Sed Beatitudo æterna, est finis quem ex naturæ suæ viribus attingere nequeunt illi qui ipsum assequuntur: Ergo necesse est ut ad eum Deus illos transmittat; sicut sagitta quæ seipsa dirigi non potest, sagitante indiget, ut in scopum mittatur & dirigatur. Quæ similitudo non obscurè præsens mysterium indigitat: Vates enim Regius loquendo de Electis, ait; *Sicut sagitta in manu potentis, ita filii excussorum*; Hoc est Filii Apostolorum, qui excussi & percussi sunt ubique terrarum. Hinc Gennadius Epist. de Prædest. dicit illam esse quidem ab æterno: *Quamvis*, inquit, *in tempore fiat, eò quòd Deus ad destinatum terminum mittat hominem, quemadmodum sagittarius sagittam in scopum emittit.* Cui concinit S. Thom. 1. p. q. 3. art. 1. ubi prædestinationis necessitatem concludens, ait; *Ad illud ad quod non potest aliquid virtute sua natura pervenire, oportet ut ab alio transmittatur, sicut sagitta à sagittante mittitur ad signum.* Hæc autem actualis transmissio, Prædestinationem seu decretum transmittendi Creaturam rationalem in vitam æternam supponit: Ergo, &c.

Denique ad Provisorem Universi pertinet, inquit Durandus in 1. dist. 40. q. 1. conferre aliquibus de Universo remedia uel auxilia quibus assequantur optimum finem qui est intra ipsam Universitatem entium, alioquin finis ille frustra possibilis esset Creaturis: sed optimus finis, qui est intra universitatem entium, est vita æterna: Ergo ad Deum pertinet conferre aliquibus de Universo auxilia, quibus assequantur vitam æternam: Unde cum ratio donationis mediorum in Deo præexistens vocetur Prædestinatio, consequens est illam esse admittendam,

V.

Cur Deus Creaturas rationales prædestinet, non autem ratione destitutas?

Dices 1. Creaturas rationis expertes Deus non prædestinat, nec ordinat per se ad finem suum naturalem: Ergo nec ratione præditas prædestinare & ordinare debet ad finem supernaturalem.

Nego consequentiam, & ratio disparitatis est manifesta, siquidem Creaturæ in ordine naturæ consideratæ habent ex sua constitutione quidquid necessum est ut nativis suis viribus valeant assequi finem naturæ suæ limites, perfectiones, & captum non excedentem: Secùs autem de Creaturis ratione præditis in ordine ad gloriam, & beatitudinem æternam, quæ cùm longè naturalem earum operandi virtutem excedat, ad eam nec dirigi, nec illam absque supernaturali auxilio assequi possunt; & idcirco necessum est ut à Deo dirigantur, & juventur.

Instabis: Creaturæ rationales non sunt deterioris conditionis quàm bruta animantia & cætera quæque rationis expertia: sed hæc adæquatum & quietativum ac satiativum suum finem, nullô divinitùs inditô auxiliô, sed ex se, & per se consequuntur: Ergo multò magis Creaturæ rationales ad gloriam æternam, quæ est earum finis adæquatus & quietativus per se & ex se ordinabuntur; nec consequenter egebunt Dei ordinatione & prædestinarione.

VI.

Duplex rationalium finis, naturalis, & supernaturalis.

Nego consequentiam: Duplex enim Creaturarum rationalium finis distinguitur: Naturalis unus, isque vel corporeus, qui per rectam & perfectam sensuum operationem comparatur; vel spiritualis, qui per veritatis contemplationem, & optimi dilectionem obtinetur: Supernaturalis, qui est ipsa æterna & jucunda Dei possessio. Ad prioris assecutionem sufficiunt equidem naturales hominis vires: sed ad posterioris possessionem omnino deficiunt cùm sit ordinis naturæ vires excedentis. Cæteras objectiones solvet

Conclusio Secunda.

VII.

Sine Prædestinatione salvari nemo potest.

Prædestinatio *ita necessaria est ad salutem, ut nullus absque ea possit salvari.* Hæc est contra Catharinum, qui lib. 2. de Prædestinatione cap. ultimo distinguit duo genera Salvandorum, quorum eximii, putà beata Virgo, Apostoli, &c. à Deo quidem prædestinantur: Alii verò salvi fiunt absque ulla speciali Dei prædestinatione; sed ad eorum salutem affirmat sufficere generalem Dei Providentiam supernaturalem, & voluntatem antecedentem salvandi omnes homines. Contra quem sentiunt nedum cæteri Doctores Scholastici, sed & reclamant sancti Patres, præsertim Augustinus, qui lib. 2. de bono Perseverantiæ cap. 9. disertè affirmat *Neminem salvandum nisi qui fuerit prædestinatus.* Illud ipsum egregiè probat lib. de Prædesti-

natione Sanctorum cap. 17. ex verbis Apostoli ad Rom. 8. ubi cùm dixisset, *Electos esse de mundo, sed ante mundi constitutionem, eâ vocatione quâ Deus id quod prædestinavit, implevit:* Subdit, *quos enim prædestinavit, ipsos vocavit, ipsâ scilicet vocatione secundùm propositum; non ergo alios, sed quos prædestinavit ipsos & vocavit: nec alios, sed quos ita vocavit ipsos & justificavit; nec alios, sed quos prædestinavit, justificavit ipsos & glorificavit, illô utique fine qui non habet finem.*

Quibus verbis S. August. apertè edocet eum solùm fore glorificandum qui fuerit prædestinatus. Ipsi concinit sanctus Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 35. dicens, *Firmissimè tene, & nullatenus dubites omnes quos vasa misericordiæ gratuitâ bonitate Deus fecit ante constitutionem mundi. in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo; nec perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad Regna Cœlorum; nec quempiam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, ullâ posse ratione salvari.* Ergo ex ejus mente constat ita necessariam esse prædestinationem, ut absque illa nemo possit salvari.

Probari potest hæc ipsa conclusio iisdem omnino argumentis, quibus firmata fuit præcedens, sed ultro his rationibus confirmatur. *Primò*, si ad salutem Beatorum sola sufficeret generalis Dei providentia supernaturalis, quâ decrevit Deus singulis hominibus concedere media sufficientia, sequeretur ex parte Dei nullum fieri discrimen inter prædestinatum, & reprobum; sed tota inter utrumque discretio proveniret ex parte liberi arbitrii, & propriâ voluntate illius qui salvatur: at consequens est falsum: Ergo & antecedens. Major patet: Si enim Deus speciali aliquô suæ divinæ voluntatis actu non discernat prædestinatos à reprobis, evidens est quòd illorum discretio aliunde sit repetenda, & consequenter ex parte solius voluntatis ejus qui salvatur. Minor pariter constat ex Apostolo 1. ad Corinth. 4. dicente, *Quis te discernit. &c.*

Deinde, si Prædestinati solùm haberent auxilia generalia & sufficientia, nec Deus circa ipsos per actum consequentem suæ voluntatis specialiter afficeretur, evidens est quòd illi non eligerentur à Deo præ cæteris, imò ipsi potius Deum eligerent: sed id repugnat Christo dicenti Prædestinatis Joannis 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

Denique, ex eadem sententia sequeretur Deum specialem dilectionem non habere erga electos, nec particularem curam de illis gerere: at hoc repugnat Christi Domini Verbis Joannis 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

Dices 1. Prædestinationis necessitas omnem tollit de procuranda & firmanda salute vigilantiam & curam, hominibusque imperitis & pravis pessimam hanc ingerit sententiam, vel sum prædestinatus, aut non: Si sim, haud dubiè salvabor, nec proinde ulla mihi ultro debet esse de procuranda salute sollicitudo: Si non sim, irritæ prorsus erunt omnes curæ & vacui labores de salute consequenda, quippe cùm solus prædestinatus salvari possit: Ergo non videtur asserenda nec prædicanda prædestinationis necessitas. Confirmat antecedens

A sanctus Augustinus lib. de Prædestinatione cap. 15. exemplô Monachi, *Fuit*, inquit, *quidam in nostro Monasterio, qui corripientibus fratribus cùm quædam non facienda faceret, & facienda non faceret.* Respondebat; QUALISCUMQUE NUNC SIM, TALIS ERO, QUALEM DEUS ME FUTURUM ESSE PRÆSCIVIT: *Qui profectò verum dicebat, & hic verò non proficiebat in bonum; sed usque adeò profecit in malum, ut desertâ Monasterii societate, fieret canis reversus ad vomitum suum, &c.*

Prædestinatio non destruit sollicitudinē de salute consequenda, sed astruit.

Nego antecedens: Tantùm enim abest ut prædestinationis necessitas præfatam ingerat &
B firmet sententiam, imò omnino soluit, & evacuat; siquidem Deus non prædestinat electos ad gloriam absque operibus, sed per opera bona comparandam. Quemadmodum enim non statuit finem concedere, nisi per idonea media, putà sanitatem per medicinam, victoriam per pugnam generosam & strenuam, scientiam per assiduitatem in studiis, uberes messis fructus per agriculturam; sic & prævidit, & constituit salutem æternam consequendam per opera bona: *Quapropter* monuerat sanctus Petrus 2. cap. 1. *Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis..... sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini no-*
C *stri, & Salvatoris Iesu Christi.*

Adde quòd ita prædestinetur à Deo salus alicujus, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat quidquid illum promovet ad salutem, *Nam*, inquit S. Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 13. *Ipsa quoque præmii prædestinatio ita est ab omnipotente disposita, ut ad hoc Electi ex labore perveniant; quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus disponit donare.*

Hinc apparet, non idcirco tacendam esse Prædestinationis necessitatem, eò quòd ex illa, pravi & indocti ansam vitæ solutioris arripiant; imò inquit S. Augustinus lib. laudato cap. 20. *Sicut*
D *prædicanda est Pietas, ut ab eo qui habet aures audiendi Deus rectè colatur; prædicanda est Pudicitia, ut ab eo qui habet aures audiendi nihil genitalibus membris illicitum perpetretur: prædicanda est Charitas, ut ab eo qui habet aures audiendi Deus & proximus diligatur: Ita prædicanda est Prædestinatio beneficiorum Dei, ut qui habet aures audiendi, non in seipso, sed in Domino glorietur.*

Dices 2. Si Prædestinatio esset ad salutem necessaria, sequeretur quòd reprobus nullatenus posset salvari. & consequenter quòd ipsi non imputanda esset propria damnatio: at consequens videtur absurdum: Ergo & antecedens. Patet sequela majoris; cùm enim decretum præ-
E destinationis omnino sit invariabile, apertè constat reprobum non posse prædestinari, nec consequenter salvari.

Quomodo reprobus possit salvari.

Distinguit majorem Doctor in 1. dist. 39. reprobus non posset salvari potentiâ consequenti & in sensu composito, ac formali, hoc est, quatenus est formaliter reprobus, concedit: Potentia antecedenti & in sensu diviso, quatenus nimirum in primo signo æternitatis ille qui est reprobus propter prævisa opera mala, potuit fieri prædestinatus quia prævisus est ex libertate sua posse exequi opera bona ratione quorum posset prædestinari, negat: Hæc fusiùs explicabuntur infra.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid sit Prædestinatio?

I.

Prædestinatio respicit intellectum, voluntatem & potentiam.

NOTANDUM 1. Ex Doctore in 1. dist. 40. num. 2. *Quòd prædestinatio propriè sumpta, dicit actum voluntatis divinæ, videlicet ordinem electionis per voluntatem divinam alicujus Creaturæ intellectualis, vel rationalis ad gratiam, & gloriam; licèt posset accipi pro actu intellectus concomitāte istam electionem.* Nam ut observat S. Bonaventura ibidem. q. 2. *Quoniam causalitas gratiæ & gloriæ attribuitur propriè voluntati ut efficienti, scientiæ ut disponenti, & potentiæ ut exequenti;* Ideo, *etsi prædestinatio importet illa tria, tamen principaliùs est in genere voluntatis; & ideo ab Aug. definitur prædestinatio per illa tria: Primò per illud quod respicit potentiam libro de Fide cap. 35.* Prædestinatio est gratuita donationis præparatio: *Secundò per illud quod respicit scientiam, in libro de bono Perseverantiæ cap.* 14. Prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur: *Tertiò per illud quod respicit voluntatem & proprissimè in lib. de Prædestinatione Sanctorum:* Prædestinatio, *inquit*, est propositum miserendi, &c. Unde Apostolus ad Ephesios 1. *Prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

II.

Tres voluntatis Prædestinātis actus, Dilectio, Electio, Prædestinatio.

Notandum 2. Ex nostro Alensi *q.* 28. *art.* 1. in voluntate prædestinantis tres reperiri actus, nimirum *Dilectionem, Electionem, & Prædestinationem*, qui actus nedum circa gloriam, sed etiam circa gratiam occupantur: Gratia enim, inquit, primò datur, postea habetur, & inde aliquis ipsa utitur: *Prædestinatio* autem spectat gratiæ collationem, unde dicitur præparatio gratiæ: *Dilectio* respicit gratiam habitam, bonum enim est ratio dilectionis: Cum itaque Deus diligit aliquem, videtur aliquod bonum esse in eo, ratione cujus Deus ipsum diligit, inde dicitur gratia gratum faciens: *Electio* verò connotat usum gratiæ; Electio enim est de duobus bonis propositis unius præ alio acceptio: Unde concludit aliud discrimen inter Prædestinationem, Dilectionem, Electionem, Vocationem, & Justificationem; quòd *Prædestinatio* simpliciter sit æterna, quia æternam Dei significat approbationem respectu boni: *Dilectio* autem & *Electio* tum temporales, tum æternæ sunt, quia eandem approbationem dicunt; sed non determinant eam; an videlicet sit respectu boni ab æterno, vel solùm ex tempore: *Vocatio* autem, & *Justificatio* determinant divinam approbationem respectu boni quod confertur in tempore.

III.

Hæc duplex in intentione, & in executione.

Notandum 3. Duplicem distingui posse Prædestinationem, unam quidem *in intentione*, aliam verò *in executione*: Prior efficaciter & immediatè respicit gloriam dandam hominibus, & ut finem consequendum per media. Posterior verò immediatè spectat gratiam, & auxilia supernaturalia veluti media necessaria ad gloriam consequendam. Dixi *immediatè*, certum enim est Prædestinationem utroque modo consideratam, tendere reipsa in gloriam & gratiam; sed juxta nostrum modum intelligendi, intentio gloriam, & executio gratiam immediatè spectat. Inde invicem disceptant Authores quænam earum rationem formalem prædestinationis complectatur. Quidam cum Ochamo in 1. dist. 40. q. 1. contendunt eam esse reponendam in sola voluntate conferendi gloriam; Aliqui cum Durando ibidem dist. 41. q. 2. Volunt eam statuendam esse in sola voluntate conferendi gratiam: Cæteri verò rectiùs cum Doctore censent Prædestinationem in suo conceptu formali utramque voluntatem conferendi gratiam simul & gloriam involvere, quod ut pateat apertiùs sit.

CONCLUSIO PRIMA.

IV.

Prædestinatio præcisè versatur circa gratiam & gloriam.

PRÆDESTINATIO *formaliter sumpta, gratiam simul & gloriam spectat.* Hæc est Doctoris ut patebit in Conclusione sequenti. Quòd gratiam spectet; Probatur ex Apostolo ad Rom. 8. ubi disertè indicat Prædestinationem versari nedum circa gloriam, sed etiam circa media quæ sunt vocatio & justificatio; *Quos*, inquit, *Prædestinavit, hos & vocavit, &c.* Et ad Ephesios 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei:* sed adoptio fit per gratiam sanctificantem: Ergo, &c. Apertè id docuit S. Augustinus locis jam supra laudatis, maximè in Enchiridio cap. 100. & de prædestinatione Sanctorum cap. 10. Nec-non lib. de bono perseverantiæ cap. 14. ubi ait; *Prædestinationem esse preparationem gratiæ & beneficiorum Dei.*

Quòd etiam Prædestinatio formaliter gloriam spectet, Scriptura sacra disertè testatur: Sic Actorum 13. dicitur, *Crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam:* Et Rom. 9. *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ prædestinavit in gloriam:* Testatur & S. Augustinus nedum 15. de Civitate Dei cap. 1. ubi ait; *Civitatem Dei esse prædestinatam ad regnum Cœlorum:* Sed etiam libro de bono Perseverantiæ cap. 14. affirmans Prædestinationem esse *Preparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur:* Nemo autem perfectè liberatur ab omni miseria, donec gloriam fuerit assecutus: Unde Concilium Trident. Sessione 6. cap. 12. & Canone 17. vocat *Prædestinationem ad vitam*, hoc est æternam & beatam. Hinc meritò concludit Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 8. *Propterea*, inquit, *omnia & vocationis initia, & justificationis augmenta: & glorificationis præmia in prædestinatione semper Deus habuit.*

Probatur simul utraque pars: Prædestinatio est illa divina præordinatio, quâ prædestinatus in vitam æternam dirigitur & mittitur: at perfecta missio & directio, non solùm finem, sed etiam media respicit: Ergo Deus prædestinando non solùm gloriam, sed etiam gratiam spectat.

Dices: Quoties S. Augustinus Prædestinationem describit, toties meminit solius electionis, non quidem ad gloriam, sed ad gratiam: Unde moderni Doctores tria in Prædestinatione distinguunt, videlicet collationem donorum & gratiæ; Præscientiam conditionalem, quâ Deus prævidet hos & illos perducendos ad vitam æternam, si talia illis conferantur: Et voluntatem, seu propositum ipsa dona conferendi, in quo maximè reponunt prædestinationis essentiam: Ergo Prædestinatio formaliter solam gratiam spectat.

Respondeo Sanctum Augustinum asserere quidem Prædestinationem esse gratiæ & divinorum

beneficiorum præparationem, non quod reverâ censeret rationem formalem adæquatam Prædestinationis in sola gratiæ præparatione esse reponendam; Nullus enim media assumit & præparat, nisi cum intentione assequendi finis; sed idcirco potius gratiæ quàm gloriæ meminit; quia agebat contra Pelagianos qui admittebant quidem Prædestinationem ad gloriam; non verò ad gratiam: Censebant enim gloriam esse consequendam per opera moralia & viribus naturæ: Unde ipsemet Augustinus lib. de vocatione Sanctorum, ait; *Prædestinatio est preparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro.*

Conclusio Secunda.

V. Quid sit Prædestinatio?

Prædestinatio rectè describitur à Doctore in 1. dist. 40. num. 2. *Electio Creaturæ intellectualis aut rationalis ad gratiam, & gloriam:* Vel ut ipsemet ait in 3. dist. 7. q. 3. *Prædestinatio est præordinatio alicujus ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam.* Harum descriptionum veritas constat ex præcedenti Conclusione, idcirco sola explicatione indiget. Primò itaque Prædestinatio dicitur *Præordinatio*, & *Electio*; Prædestinati namque eliguntur & præordinantur à Deo ab æterno, & secernuntur à Reprobis. Secundò additur *Creaturæ rationalis & intellectualis*: Sola namque Creatura ratione prædita est objectum & subjectum divinæ Prædestinationis, ut infra constabit. Subditur tandem *ad gratiam & gloriam*, Prædestinatio enim formaliter utramque spectat, ut supra dictum est.

Dices: Prædestinatio solùm beatificandos & Iustos spectat: Sed electio & præordinatio, etiam spectat Impios & Reprobos: Ergo incongruè Prædestinatio dicitur electio, & præordinatio. Minor patet, Joannis 6. *Nonne duodecim vos elegi*, inquit Christus, *& unus ex vobis Diabolus est?* Nec valet dicere illud esse intelligendum de electione temporali: Electio enim temporalis est signum electionis æternæ: Ergo vel utraque concordat, vel signum est falsum.

Triplex Electio ex mente S. Bonaventuræ notatu digna.

Respondet S. Bonaventura in 1. dist. 40. art. 3. q. 2. Triplicem distingui posse electionem; *Est enim*, inquit, *electio secundùm affectionem dilectionis, & secundùm effectum finalis gratificationis, & secundùm statum prælationis: Prima est æterna, & est idem quòd prædestinatio: Secunda est temporalis & signum primæ infallibile: Tertia similiter temporalis, nec est effectus nec signum æternæ electionis; multi enim præficiuntur mali & reprobi, & utinam non sint plures mali quàm boni.* Ad minorem dicit Christum loqui de Electione Prælationis quæ non solùm Probos, sed etiam Improbos spectat; ideoque non est signum certum electionis æternæ.

Dices 2. Si nullus esset reprobus, esset Prædestinatio, non autem electio: Electio namque significat acceptionem unius præ alio: Ergo electio & prædestinatio idem sonant.

Propositum, Prædestinatio, & Electio differunt tantùm ratione.

Respondet ibidem Seraphicus Doctor Propositum, Prædestinationem, & Electionem non differre secundùm rem, sed solùm secundùm rationem intelligendi: *Nam Propositum*, inquit, *simpliciter dicit voluntatem faciendi aliquid; ille enim dicitur proponere qui firmiter vult facere aliquid: Electio verò, & Prædestinatio addunt supra voluntatis conceptionem; sed differenter, quia Prædestinatio addit ordinem & directionem in finem: sed electio discretionem, sive separationem à suo supposito. Vnde Propositum dicit firmam voluntatis conceptionem, Prædestinatio cum conceptione dicit præordinationem, & Electio quandam discretionem*, quâ Prædestinati secernuntur à Reprobis. Hinc secundùm conceptum nostrum, præcedit propositum, sequitur electio, demum prædestinatio. *Vnde in forma*, si nullus esset malus non foret Electio, secundùm rationem intelligendi, concedo: Secundùm rei veritatem, nego: Unus enim & idem actus entitativus divinæ voluntatis simul est propositum, electio, & prædestinatio; & tantùm diversus concipitur secundùm diversitatem nostri conceptus & terminorum connotatorum.

Quæstio Tertia.

Qualis sit actus divinæ Prædestinationis?

Sensus Quæstionis est, an divina Prædestinatio sit actus immanens vel transiens; æternus, vel temporalis; liber, vel necessarius: ad quorum intelligentiam. I.

Triplex genus actuum divinorum.

Notandum 1. Divinorum actuum alios esse purè immanentes, alios purè transeuntes, alios verò immanentes secundùm entitatem, sed connotantes objecta secundaria, & ad ea terminatos: Actus purè *immanentes*, sunt divina intellectio & volitio quâ Deus seipsum cognoscit & diligit: Actus purè *transeuntes* ii sunt, qui in Creaturas refunduntur, quales sunt creatio, justificatio, & similes: Actus verò immanentes cum *terminatione* ad objecta secundaria, sunt actus quidem ab intellectu & voluntate divina procedentes, qui tamen à nobis intelligi nequeunt absque respectu ad objecta secundaria, quales sunt præscientia, prædestinatio, &c.

II. Prædestinationis æternitas dupliciter spectatur.

Notandum 2. Prædestinationis æternitatem dupliciter spectari posse: *Primò* quidem inquirendo an sit actus æternus à voluntate vel intellectu divino elicitus: *Secundò* verò, an ita facta fuerit Prædestinatio in ipso primo instanti & signo æternitatis, ut nihilominùs coexistat singulis partibus temporis, ut nec sit præterita, nec futura; sed tantùm præsens. Quod ut percipiatur evidentiùs, *Rursus* observandum est, triplex distingui posse instans, nimirum *æternitatis* purum, instans *temporis* purum, & instans quoddam *mixtum* ex utroque: in quo scilicet explicantur actiones quædam præteritæ, præsentes vel futuræ connotantes quidem instans æternitatis; sed quatenus illud instans coëxistit variis temporis partibus.

III. Necessitas una absoluta, alia respectiva.

Notandum 3. Quantùm ad præsens institutum attinet, Duplicem distingui posse necessitatem, nimirum absolutam, & respectivam: *Prima* est, quâ aliquid secundùm se, & ex suis principiis constitutivis necessariò tale, vel tale esse dicitur, sic necessaria est Deo existentia, necessarium ut homo sit animal rationale, &c. Si enim talis non esset, non foret homo. *Secunda* est, quâ aliquid necessarium dicitur in ordine ad aliud; idque, vel simpliciter, ita quod unum obtineri non possit sine alio; vel secundùm quid, quando aliquid obtineri quidem potest sine alio, sed non cum tanta facilitate.

Hæc iterum duplex.

Conclusio

Conclusio Prima.

Prædestinatio est actus immanens in Deo.

PRÆDESTINATIO *est actus immanens in Deo cum terminatione ad objecta secundaria.*

PROBATUR: Omnis actus divini intellectus & divinæ voluntatis connotans respectum rationis ad extra, est actus immanens hoc expositò modò: sed prædestinatio est hujusmodi: Tum quia, ut probatum est, illa est reverà actus divinæ voluntatis; Tum quia prædestinatio non significat in Deo aliquid ipsi conveniens per modum actus primi & essentialis, sed per modum actus ultimi & vitalis, sicut sunt intellectio & scientia, volitio & electio, ut ex ipsa vocis significatione & omnium sententia constat. Tum denique quia prædestinatio dicit in Deo quid liberum: Quidquid autem denominatur liberum in Deo, convenit ipsi per modum actus immanentis: Ergo reverà Prædestinatio est actus immanens.

Dices: Prædestinatio formaliter est in prædestinato: Ergo non est actus immanens in Deo. Consequentia patet, quod enim est creatum formaliter, non est in Deo immanenter & intrinsecè; sed solùm denominativè & extrinsecè. *Antecedens* probatur; in eo formaliter est Prædestinatio, qui denominatur prædestinatus: Sed sola Creatura denominatur prædestinata; Ergo in ea sola est formaliter Prædestinatio.

Nego antecedens; Nec-non & majorem illius probationis: Creatura namque denominatur quidem prædestinata non formaliter, quasi prædestinatio esset forma ipsi inhærens; sed effectivè propter scilicet varios effectus quos Prædestinatio in ipsa operatur: Unde Prædestinatio solùm formaliter est in Deo, eumque prædestinantem formaliter denominat. Hinc prædestinationis vocabulum sumitur potiùs activè, quàm passivè: hoc est, magis prædestinantem quàm prædestinatum significat.

Conclusio Secunda.

Æternus sed tamen mixtus.

PRÆDESTINATIO *est actus æternus, qui mensuratur instanti mixtò, quatenus nimirum instans æternitatis coëxistit variis partibus temporis.* Hæc Conclusio duas habet partes, nimirum quòd Prædestinatio sit actus æternus, & quòd mensuretur instanti mixtò.

PROBATUR PRIMA PARS. Primò quidem ex Scriptura ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus Sancti, &c.* Ubi particula *ante* denotat antecessionem temporis, & consequenter æternitatem: *Electio* pariter prædestinationem significat; nam subdit Apostolus, *qui prædestinavit nos*, utique tunc quando nos elegit: & infra, *Prædestinati secundùm propositum ejus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*: Sic pariter primæ ad Corint. 2. Sapientia incarnata dicitur *Prædestinata ante sæcula in gloriam nostram*: Quos omnes Scripturæ textus sancti Patres quotquot de Prædestinatione disputant, de ejus æternitate interpretantur.

Probatur item ratione: Nulla denominatio formalis Deo convenit in tempore, cujus res ipsa formaliter ei ab æterno non competat: Sed Deus in tempore formaliter & realiter denominatur prædestinans: Ergo reverà Prædestinatio ipsi ab æterno competit. *Major* patet; Deus enim omninò immutabilis est, non solùm quantùm ad entitatem; sed etiam quantùm ad operationem intrinsecam. *Minor* etiam est evidens: Deus enim reverà in tempore denominatur prædestinans.

Dices: Prædestinatio est pars Providentiæ: At Providentia non est æterna, sed temporalis: Providentia enim est posterior creatione, quia rebus jam creatis consulit; Creatio autem temporalis est: Ergo & Prædestinatio.

Quomodo Providentia sit temporalis & æterna.

Distinguo minorem: Providentia est temporalis secundùm executionem & actualem ordinationem rerum in suos fines, concedo: Secundùm destinationem & actum divinæ voluntatis, quò Deus rebus creatis ab æterno providet, seu apud se statuit se provisurum eis pro tempore, nego: Supra namque diximus Providentiam esse divinum propositum & æternum, quò Deus apud se decrevit res creatas per media congrua in suos fines ordinaturum pro varia temporis differentia. *Adde* quòd licèt Providentia temporalis esset, nihilominùs prædestinatio foret æterna; etenim particula *præ*, significat antecessionem temporis, adeoque æternitatem, & abstrahit ab actuali existentia rerum quæ prædestinantur, & consequenter à temporali rerum duratione: Adeoque non est temporalis, sed æterna.

Dices 2. Quod importat & significat ordinem ad aliquid temporale, etiam temporale est: sed prædestinatio est hujusmodi, significat enim transmissionem & ordinationem prædestinati ad gratiam & gloriam in tempore conferendam: Ergo est temporalis.

Distinguo majorem. Quod importat ordinem tantùm actualem ad rem solùm actu existentem temporale est, concedo: Ad rem in tempore futuram & extituram, nego. Prædestinatio autem dicit equidem ab æterno ordinem ad rem in tempore futuram, non autem actu existentem; adeoque non minùs est æterna, quàm sint cæteri divini intellectus divinæque voluntatis actus, nimirum præscientia, decretum, electio, quæ Creaturas in tempore extituras spectant.

Dices 3. Prædestinatio est præparatio mediorum ad salutem: Sed illa præparatio est temporalis: Ergo & prædestinatio.

Præparatio mediorum duplex, una interna, alia externa.

Respondeo: Duplicem esse præparationem, *Internam* unam in mente Gubernatoris seu Provisoris, qui opus aliquod moliendum mente concipit, & præparat media necessaria ad perficiendum: *Externam* alteram, quà de facto seligit media ad opus absolvendum, sicut artifex eligit lapides, ligna, &c. ad domum construendam. Prior potest esse æterna in mente æterni artificis: Posterior verò solùm temporalis est: Prædestinatio autem secundùm suum formalem conceptum est interna solùm præparatio: Secundùm verò executionem, etiam præparationem externam importat: Unde dici potest æterna simul, & temporalis: Æterna quidem formaliter, & secundùm se considerata; temporalis autem solùm denominativè, & juxta executionem seu actualem applicationem gratiæ & gloriæ.

PROBATUR SECUNDA PARS. Deus non prædestinat in instaoti temporis tantùm, quia prædestinatio est æterna; nec in instaoti æternitatis puro, quia soli actus ad intra mensurantur illô instanti: Ergo necessum est ut Prædestinatio fiat in instanti mixto, quod scilicet æternum sit, sed correspondens variis temporis differentiis præteriti, præsentis & futuri: Deus enim unicô ac simplici & indivisibili actu voluntatis suæ dicitur simul prædestinasse, prædestioare, & prædestinaturus, eò quòd ille ipse actus æternus Prædestinationis unicus & simplicissimus, cùm æternus sit, varias temporis differentias involvat & complectatur: Quæ sursus evidentiùs patebunt in sequeotibus.

CONCLUSIO TERTIA.

Prædestinatio libera est & contingens, necessaria tamen respectivè.

ACTUS *divinæ Prædestinationis nedum est liber, verùm etiam contingens, licèt etiam sit necessarius, non quidem necessitate absoluta, sed respectiva.* Hæc Conclusio quatuor involvit partes, quarum DUÆ PRIORES probantur simul à Doctore Subtili q. ultima Prologi, & in primum dist. 8. q. ultima, ubi docet omnem actum divinæ voluotatis respicientem Creaturas esse contingentem & indifferentem indifferentiâ contradictionis. Cujus veritatis rationem subdit, quia Deus libertimè prædestinat, & tanta cum indifferentia ut potuisset non prædestioare, si ita voluisset: Quod apertè indicat S. Paulus ad Ephesios 1. dicens; *Prædestinati secundùm propositum ejus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Quibus verbis liberam Dei voluntatem maximè prædestinando significat; & quidem reverà, maximè namque cernitur libertas divinæ voluntatis in Prædestinatione; quia non solùm liberum ei fuit prædestinare aut non prædestinare: sed etiam pro libera voluntate sua hunc potius quàm illum prædestinavit. Hinc actus prædestiuationis ab Apostolo vocatur interdum bona voluntas, propositum, electio, consiliom voluntatis, & alia similia, quæ indicant illum actum esse omnioo indifferentem, liberum, simul ac contingentem.

Dico liberum simul & contingentem, ut actus divinæ prædestinationis distinguatur ab illis actibus divinæ voluntatis purè immanentibus qui liberi quidem sunt, non tamen contingentes, sed absolutè necessarii, quales sunt, v.g. Actus amoris quô Deus seipsum diligit, & actus spirativus quô Pater & Filius producunt Spiritum sanctum: Prædestinatio autem non est hujusmodi, licèt enim sit libera, nihilominùs est contingeos.

PATET ETIAM TERTIA ET QUARTA PARS: *Tertia* quidem, quia non fuit absolutè necessarium Deum aliquem prædestinare, sed ut modò diximus Creaturas ad gloriam æternam ordinat pro libito & beoeplacito suæ divinæ voluntatis. *Quarta* similiter, Necessarium enim erat, ex hypothesi quòd Deos conferre voluerit dona gratiæ & gloriæ quibusdam Creaturis intellectualibus, hanc collationem & ordinasionem decernit ab æterno: Hoc autem decretum dicitur prædestinatio, adeoque est necessaria necessitate respectiua, videlicet in ordine ad gratiam & gloriam quæ sunt ejus effectus. Hinc S. Augustinus lib. de bono Perseverantiæ cap. 14. affirmat *Prædestinationem ita esse necessariam, ac est ipsa Dei præscientia.*

QUÆSTIO QUARTA.

Quodnam sit objectum divinæ Prædestinationis?

SENSUS Quæstionis est an sola Creatura rationalis tam Angelica quàm humana propriè prædestinari possit.

I.

Quot modis aliquid possit dici prædestinatum.

Notandum 1. Aliquid dici posse prædestinatum duobus modis, scilicet, vel ad entitatam & existeotiam, vel ad perfectionem consequentem suum esse. Priori modô, quæcumque decernuntur à Deo, ut aliquando existant & producantur, dici possoot prædestinata, quia priùs decernuntur & destinantur à Deo quam fiant, quâ ratione S. Augustious lib. de Prædestinatione Sanctorom cap. 10. ait; *Prædestinatione novit Deus quæ fuerat ipse facturus.* Quò fit ut Creaturæ omnes dici possint prædestinatæ, sed in latiori & impropria usurpatione nominis prædestinationis; veriùs enim & rectiùs dici possent prædeterminatæ & decretæ quàm prædestinatæ. Posteriori modô illa dicuntur prædestinata, quæ sunt præordinata ad aliud tanquam ad aliquem terminum sui perfectivum; sic homines & Aogeli dicuntur prædestinati, qoia ordinantur ad gratiam & gloriam, quibus maximè perficitur Aogelica simul & humana natura.

II.

Prædestinatio non spectat personas aut proprietates divinas.

Notandum 2. Certum esse Prædestinationem non spectare Personas, aut Proprietates divinas: Hæc enim Deo non competunt liberè, sed omnino necessariò; nec per liberam voluntatem, sed per essentiam & naturam: Quæ autem prædestinaotur, pendent ex libera voluntate Dei: Unde egregie S. Augustinus tractatu 185. in Joannem, declarat qualiter Filias Dei prædestinatus simul, & non prædestinatus dicatur: *Rectè, inquit, dicitur non Prædestinatus secundùm id quod est Verbum Dei Deus apud Deum; ut quid enim prædestinaretur cùm jam esset quod erat, sine initio, sine termino sempiternus.* Hoc est, cùm ab æteroo & ex propria natura sit beatus, ad ipsam beatitudinem libera electione non potuit destinati: Dicitur tamen prædestinatus quatenus est Verbum incarnatum, & ratione unionis hypostaticæ cum natura humana, ad quam fuit ab æterno destinatus: Unde subdit ibidem, *Quisquis Dei Filium prædestinatum negat, hunc eundem Filium hominis negat:* Sola itaque superest difficultas de natura intellectuali creata Angelica & humana.

III.

Prædestinatio una communis, alia specialis iuxta Alensem.

Notandum 3. Nostrum Alensem 1. p. q. 28. memb. 1. art. 4. sentire Angelos beatos, propriè dictâ Prædestinatioue non fuisse ad gloriam æternam destinatos: Ibidem enim distinguit duplicem Prædestinationem; *Communem* unam, quæ dicitur præscientia beneficiorum Dei, & præordinatio alicujus ad gloriam; *Specialem* alteram, quæ dicitur propositom miserendi & præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro; *Cùm autem*, inquit, *in Angelis beatis non fuerit miseria, ideo nec propositum miserendi dicitur respectu illorum: nec etiam in ipsis antecessit gratia ad gloriam: sed status humanus fuit duplex, scilicet ante peccatum, & post peccatum: Secundùm quod ante peccatum dicitur prædestinatio, præparatio gratiæ in præsenti, &c. sed post peccatum dicitur propositum miserendi:* An autem hæc veritati consonent, Resolvet

Conclusio Unica.

Sola *& omnis natura intellectualis tam Angelica quàm humana est objectum propriè dictæ Prædestinationis.* Hæc Conclusio duas habet partes; quarum.

IV. Probatur 1. Divina prædestinatio est actus liber & contingens quô aliquid ordinatur ad gratiam in præsenti, & gloriam in futuro possidendam: sed hic actus nihil aliud habere potest pro objecto suo quàm naturam creatam intellectualem: Ergo hæc reverà est objectum divinæ prædestinationis. *Major* patet ex dictis. *Minor* etiam constat quoad primam partem ex secundo Notabili, in quo evidens est nihil divinum habere rationem prædestinati, adeoque quidquid prædestinatum dicitur, necessariò debet esse creatum. Constat etiam quantùm ad secundam partem; Illa namque natura sola ordinari potest ad gratiam & gloriam, quæ uti potest ipsa gratia & frui gloria: sed sola natura intellectualis hæc præstare potest; usus namque gratiæ maximè fit per operationes intellectus & voluntatis, sicut & ipsa gloriæ fruitio quæ necessariò supponit visionem beatificam, & in amore formaliter consistit: Ergo, &c.

Sola natura intellectualis creata potest prædestinari.

Dices: Illa Creatura prædestinari potest, quæ potest elevari ad finem aliquem supernaturalem: Sed quælibet creatura etiam rationis expers, elevari potest ad finem & effectum aliquem supernaturalem; sic aqua baptismalis ordinatur ad eluendum peccatum originale & gratiam sanctificantem conferendam, idque ab æterno: Deus enim ab æterno decrevit, & ordinavit Sacramenta omnia, eorumque efficacitatem & effectus destinavit: Ergo non sola Creatura intellectualis est objectum prædestinationis.

Nego majorem: Non enim omnis æterna ordinatio Creaturæ ad effectum supernaturalem censeri debet ipsius prædestinatio, quia talis ordinatio ad supernaturalem effectum non fit tanquam ad ultimum finem illius rei; imò res ipsa ad illum finem supernaturalem ordinatur tanquam medium deserviens homini ad consequendum suum finem ultimum ad quem ab æterno destinatur, in quo maximè posita est ratio formalis prædestinationis: Hæc enim dicit ordinationem efficacem rei, quæ prædestinari dicitur, ad suum finem ultimum consequendum, & idcirco soli Creaturæ intellectuali propria est.

Probatur etiam secunda pars: Omnis illa natura est objectum prædestinationis, quæ capax est usus gratiæ & fruitionis gloriæ: Sed talis est omnis natura intellectualis, tam Angelica quam humana, ut constat: Ergo reverà omnis natura intellectualis potest esse objectum divinæ prædestinationis.

Dices: Prædestinatio est propositum miserendi ex S. Aug. ab Alensi laudato: Ergo supponit miseriam: Sed Angeli Beati nullam unquam experti sunt miseriam, quia nullum admiserunt peccatum: Ergo Deus non habuit propositum miserendi, nec consequenter prædestinationem erga illos; adeóque dici nequeunt objectum divinæ prædestinationis.

V. *Respondeo* 1. Præfatam prædestinationis definitionem apud S. Augustinum non reperiri, idcirco non est magnificienda. *Secundo*, Respon-

A deo duplicem distingui posse prædestinationem, unam quidem ordinativam ad bonum; aliam verò erectivam à malo, & liberativam à miseria. *Prima* cadit in Angelos, nec-non & in Christum, & Beatissimam Virginem, in quibus nulla unquam fuit peccati miseria. *Secunda* verò respicit omnes, qui priùs liberantur à peccato quàm destinentur ad beatitudinem.

Prædestinatio præservativa. locum habet in Angelis, non liberativa.

Quæres: An natura intellectualis seclusa sua personalitate possit esse objectum proximum Prædestinationis?

B Affirmat Doctor in 3. *dist.* 7. *q. num.* 2. idque probat exemplô naturæ humanæ à Verbo divino assumptæ, quæ seclusa sua personalitate ordinata fuit, nedum ad unionem hypostaticam; sed etiam ad gratiarum omnium plenitudinem, & superexcellentem gloriam: *Sicut enim*, inquit, *Deus potest omne bonum aliud à se diligere, non tantùm suppositum, sed naturam; ita etiam potest alii à se præordinare & præoptare bonum illi conveniens; & ita potest naturæ huic præoptare bonum illi conveniens, & ita potest illi præoptare unionem istam in ordine ad gloriam, & non personæ.* Confirmari potest, nam anima rationalis in Christo, seclusa propria personalitate fruitur Deo: Ergo ad talem fruitionem est C prædestinata, adeoque natura separata à personalitate potest esse objectum prædestinationis. *Deinde*, gratia & gloria sunt habitus & effectus voluntatis dependentes à suis potentiis: Ergo cùm tales potentiæ & natura à quâ effluunt existere possint sine personalitate propria, poterit Deus ipsam naturam, ipsamque voluntatem ad habitus supernaturales, nec-non & ad gratiam & gloriam prædestinare.

Natura præcisa à personalitate potest esse objecti prædestinationis.

Dices: Usus gratiæ, & fruitio gloriæ, ut mox diximus, fiunt per actus intellectus & voluntatis: sed actiones sunt suppositorum: Ergo cùm natura seclusa personalitate non possit operari, D nec consequenter uti gratia, & frui gloria; ita nec poterit prædestinari.

Distinguo minorem: Actiones sunt suppositorum denominativè, concedo, hoc est denominant supposita in quibus recipiuntur eo modo quo accidentia denominare solent non solùm principium à quo fiunt, sed etiam subjectum in quo recipiuntur, quâ ratione totus homo dicitur videns, licèt visio tantùm ab oculo formetur: Actiones sunt suppositorum elicitivè; hoc est, eliciuntur & procedunt à suppositis tamquam à suis principiis operativis & productivis, nego.

E *Advertit* tamen & admonet Doctor hæc de aliis à Christo, esse dicta tantùm de possibili, non verò de facto: *Verum enim est*, inquit, *quod in omnibus aliis ab isto, prædestinatio respicit personam, quia in nullo alio præordinavit Deus bonum naturæ nisi præordinando bonum personæ; & ratio hujus est, quia nulla natura prædestinabilis est non personata personalitate creata nisi ista; & ideo nec sic potest præordinari sibi bonum nisi isti.*

QUÆSTIO QUINTA.

An, & quæ sit Prædestinationis certitudo?

Triplex error circa prædestinationis certitudinem.

NOTANDUM I. Circa Prædestinationis certitudinem varios fuisse hæreticorum errores. Ex ea namque Prædestinariani fatalem quamdam necessitatem inducebant quâ omnino pessundaretur humana libertas, & bonis operibus via præcluderetur, utpote cùm cujusque sors bona vel mala irrevocabili decreto ab æterno firmata fuisset: Quam sententiam ut Presbyteri Massilienses declinarent, in aliam non minùs erroneam lapsi sunt, affirmantes incertam adhuc fluctuare hominum sortem, neque quidquam circa eorum prædestinationem aut reprobationem fuisse ab æterno definitum: *Nam si sic prædestinati sunt inquiunt* (referente sancto Hilario Epistola ad sanctum Augustinum,) *ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere; quò pertinet tanta extrinsecùs correptionis instantia? ...... Inde est quod pariter illud non accipiunt, ut eligendorum rejiciendorumque esse definitum numerum velint.* Calvinus autem deteriorem adhuc viam aggressus contendit libro 3. instit. cap. 24. §. 8. unumquemque fidelem posse ac debere certa fide credere se esse prædestinatum. Quas omnes erroris caligines ut veritatis face depulsemus; tria maximè sunt in præsenti Quæstione resoluenda. 1. An ita certa & invariabilis sit divina Prædestinatio, ut prædestinatorum nullus pereat. 2. An Deus certum prædestinatorum numerum sigillatim noverit & ita definierit, ut nullus ei adjici queat. 3. An iste numerus ita Deo soli sit compertus ut nulli mortalium nec in communi, nec in speciali pateat. Quæ ut fiant evidentiora.

Quid sit certitudo cognitionis.

Notandum 2. Certitudinem cognitionis, de qua maximè hîc fit sermo, esse firmam adhæsionem intellectus alicui propositioni, vel objecto propter motivum infallibile. Istud autem motivum in Deo nil aliud est quàm ipsius divina Essentia, quæ cùm sit omnis entitatis & perfectionis Pelagus, etiam quodlibet ens complectitur & repræsentat divino Intellectui; idque vel antecedenter ad omne divinæ Voluntatis decretum, qualiter res purè possibiles exhibet: vel prævio ac præsupposito decreto absoluto, aut conditionato; sicut Creaturas absolutè, vel conditionatè futuras repræsentat, ut docuimus cum Doctore dispur. de Scientia Dei.

Res futuras triplici viâ possumus detegere.

Notandum 3. Res futuras posse nobis innotescere triplici via, nimirum vel per demonstrationẽ, qualiter Astrologi futuram eclypsim deprehendunt ex certa orbium cœlestium periodo & invariato motu: vel per revelationem, sicut omnes Prophetæ res procul venturas Deo reserante deprehenderunt & annuntiaverunt: vel denique per quædam signa quibus rerum eventus conjicere, & veluti per emissos tenues quosdam radiolos inspicere licet. An autem aliquô ex his modis nostrûm quilibet præsentire possit se in fœlicem prædestinatorum sortem annumerandum, hîc resoluemus, sed priùs sit.

A

CONCLUSIO PRIMA.

Prædestinatorum nullus perire potest.

Vt asserit Scriptura sacra.

ELECTORUM *Prædestinatio ita certa & infallibilis est, ut eorum nullus perire possit.* Hæc est de fide, eamque firmant varii Scripturæ textus: sic Joannis 6. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet.* Et rursus ibidem, *Hæc est voluntas Patris ut omne quod dedit mihi Pater non perdam ex eo:* Et cap. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt & sequuntur me, & non peribunt in æternum, & non rapiet quisquam de manu mea:* Unde sanctus Paulus ad Rom. 8. *Quos prædestinavit*, inquit, *hos & glorificavit*, nullam omnino exceptionem faciens inter prædestinatos, & glorificatos.

B

SS. Patres.

Idipsum firmant sancti Patres, maximè Augustinus pluribi, sed præsertim lib. de correptione & gratia cap. 7. ubi de electis ait, *Horum si quis perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit quia non fallitur Deus: horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Similia habet pluribi. Cui concinit sanctus Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 35. *Firmiter crede*, inquit, *& nullatenus dubites omnes quos vasa misericordiæ Deus fecit gratuita bonitate ante mundi constitutionem in adoptionem filiorum Dei prædestinatos esse à Deo, neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad Regnum, neque quemquam eorum quos non prædestinavit ad vitam ulla ratione posse salvari.*

C

Et ratio.

Ratio hujus veritatis etiam est manifesta ex ipsa definitione prædestinationis; quæ inquit S. Augustinus lib. de bono perseverantiæ cap. 14. *Est preparatio & præscientia beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur quicumque liberantur:* At non certissimè liberantur, si eorum quis perire possit: Ergo necessum est ut quotquot prædestinantur, infallibiliter vitam æternam obtineant.

Deinde, perspicacissimè & certò Deus novit quæ futura sunt, omniaque in prospectu habet: Ergo pariter novit qui sint in gratia sanctificante discessuri; quique in peccato mortali; adeoque certò novit qui perpetuò beandi quive damnandi sint.

D

Denique, si prædestinatus fieri posset reprobus, maximè vel simul & eodem tempore, vel diverso. Non primum, aliàs esset simul prædestinatus & non prædestinatus quod implicat: Non etiam secundum, alioqui Deus mutaretur, inciperet enim fieri prædestinans, cum antea reprobans extitisset.

Dices: Prædestinatus potest peccare mortaliter, moxque repentino casu ex improviso interire: Ergo etiam potest damnari.

E

Nego consequentiam: Nam ut sanctus Augustinus loquitur lib. 5. contra Julianum cap. 3. licet Prædestinati peccent mortaliter, nihilominus eorum nullus vitam finire potest absque pœnitentia, *Ex isto numero electorum*, inquit, *& prædestinatorum etiam qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cujus potentiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione substracti; ut ostendatur & ipsis, & aliis cohæredibus eorum, de quàm profundo malo possit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit quacumque ætate moriatur. Absit enim ut prædestinatus ad vitam sine Sacramento Mediatoris finire permittatur hanc vitam.*

Dices 2. S. Petrus secunda Epist. cap. 1. monet., *Satagite fratres ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*: Ergo supponit non esse certam & infallibilem Prædestinationem.

Nego consequentiam: Non enim ibidem loquitur de vocatione prædestinationis ad gloriam, sed de vocatione ad fidem & justitiam, cujus receptio & conservatio penes arbitrium hominis est; Potest enim quisque pro libertate consentire gratiæ vocanti ad fidem, vel dissentire: Potest similiter fidem & justificationem acceptam cum ipso gratiæ auxilio servare, & utramque per peccatum abjicere; adeoque rectè monetur, ut per bona opera certam ac stabilem hanc utramque vocationem faciat.

Vel distinguo: Monentur Fideles ut certam faciant suam electionem respectu Dei, quasi illa respectu divinæ cognitionis esset incerta & indeterminata, nego: Respectu sui, ut nimirum ipsi aliquam habeant certitudinem seu fiduciam per sua bona opera se esse de numero prædestinatorum, concedo; Cùm enim certum sit neminem justè operantem perire; tandiu quisque confidere potest se esse inter prædestinatos computandum, quandiu piè justéque vivit.

Vrgebis: Qui non est prædestinatus reverà potest prædestinari: Ergo non solùm respectu nostri, sed etiam respectu Dei prædestinatio est incerta. Probatur *antecedens* ex illo trito & vulgari effato, *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris.* Quod videtur desumptum ex S. Aug. tract. 26. in Joann. ubi explicans illa verba, *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum*, ait, *Quare illum trahat, & non illum trahat, noli velle judicare si non vis errare: semel accipe & intellige, nondum traheris ora ut traharis.*

Prædestinatio ut sit completa requirit cooperationem hominis.

Distinguo antecedens: Qui non est prædestinatus incompletè & secundùm æternam designationem quâ perseverantes in gratia destinantur ad gloriam infallibiliter obtinendam, potest de novo ita destinari, nego: Qui nondum est prædestinatus completè & secundùm temporalem executionem prædestinationis, potest prædestinari, concedo.

Ad illud vulgare effatum dico, Non ita esse intelligendum, quasi quis possit sibi esse causa ut prædestinetur, non enim potest sibi ipsi præparare media & beneficia, quibus certissimè liberetur: sed quòd possit esse causa cooperationis & usus mediorum, sine qua cooperatione prædestinatio non esset completa. Quamquam enim Electio & Prædestinatio ad gloriam sit æterna ex parte Dei, tamen non est completa ab æterno; sed ut compleatur requirit conditionem ex parte nostri, quam implere vel non implere est in nostra potestate; ac proinde etiam est in potestate nostra efficere ut prædestinatio nostra compleatur, ut fusiùs infra probabimus. Quem loquendi modum approbat ipsemet S. Aug. lib. de Articulis sibi falsò impositis artic. 12. *Quia præsciti, inquit, sunt casuri, non sunt prædestinati; essent autem prædestinati si essent reversuri, & in sanctitate ac veritate mansuri.* Quibus defectum prædestinationis videtur refundere in defectum cooperationis; eô scilicet modô mox expressô.

Ad verba Augustini Respondeo, Illum non esse intelligendum de prædestinatione quâ Electi transmittuntur & veluti trahuntur ad vitam A æternam; sed de gratia illa efficaci & eximia quâ inveterati quique peccatores interdum excitantur, & è peccatorum cœno ad innocentiæ splendorem evehuntur.

Dices denique: Omnes Scholastici Doctores, maximè Subtilis in 1. *dist.* 40. *q. unica*; affirmant prædestinatum posse damnari: Ergo reverà prædestinatio non est certa & infallibilis.

Quomodo prædestinatus possit damnari.

Distinguit antecedens Doctor: Prædestinatus potest damnari in sensu diviso; ita quòd, quem Deus prædestinavit potuit non prædestinare, quia liberè & contingenter eum prædestinavit, concedit: In sensu composito, idest, qui prædestinatus est de facto, potest fieri reprobus & B damnari negat. *Non enim*, inquit, *voluntas creata potest impedire ordinationem voluntatis divinæ; impediret autem si staret propositum voluntatis divinæ & oppositum eveniret per voluntatem creatam: Hoc autem est impossibile.*

Instabis. Quidquid Deus umquam potuit, etiam nunc potest: sed ex concessis Deus potuit ab æterno non prædestinare Petrum, v. g. Ergo potest etiam nunc non prædestinare, sicque illius prædestinatio non est certa.

Distinguo majorem: Quidquid Deus umquam potuit in sensu diviso, etiam nunc potest in sensu diviso, hoc est, si nondum sit determinatus, concedo: Quidquid in primo signo æternitatis potuit & ante omne decretum, etiam nunc potest C in sensu composito & consequenter ad positum & formatum decretum de re facienda vel non facienda, nego: Sic antecedenter ad positionem decreti de mundo condendo poterat non decernere mundi fabricam; ubi autem semel positum fuit tale decretum, jam amplius non potuit decernere mundum non esse condendum; alioquin esset mutabilis. Idem à simili dicendum de prædestinatione.

CONCLUSIO SECUNDA.

Prædestinatorum numerus, fixus est & determinatus.

NUMERUS *Prædestinatorum ita fixus est & determinatè à Deo cognitus ut ipsi nihil adjici, vel ab eo detrahi possit.* Hæc sequitur ex D præcedenti, & colligitur ex Scriptura sacra Lucæ 10. *Gaudete quòd nomina vestra scripta sint in libro vitæ*: Quod autem in eo libro scriptum est, determinatum est, & deleri nequit, ut constabit agendo de libro vitæ. Item Joan. 10. Christus confert se bono Pastori, qui *cognoscit oves suas, & vocat eas nominatim*: Unde Apostolus ad Timotheum 2. *Novit Dominus qui sunt ejus*: Hinc Apocalyps. 7. Prædestinati dicuntur signati, *Audivi numerum signatorum, &c.* Quibûs significatur prædestinatos à Deo distinctè & definitè cognosci. Hoc ipsum disertè probat S. Augustinus lib. de Correptione & Gratia cap. 13. E *De his loquor, inquit, qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis*; Sic & S. Prosper secundo de vocatione Gentium cap. 33. *Præscientia Dei falli non potest, inquit, nihil perdit de plenitudine membrorum Corporis Christi, & nullo detrimento minui potest summa præcognita.* Idipsum ratio suadet, si quis Prædestinatorum posset reprobari, & Reproborum prædestinari, sequeretur divinam præscientiam esse fallibilem, divinumque decretum esse mutabile: At utrumque falsum est: Ergo & illud unde sequitur. *Minor* constat, Si enim Prædestinato-

rum quis excideret; illius casus vel fuisset à Deo prævisus, vel non: Si non, Ergo manca & imperfecta foret præscientia, quæ futurum non perciperet: Si sic, Ergo ille falsò fuisset prævisus & prædestinatus; quippe cùm salvus fieri non deberet.

Dices: Prædestinatus aliquis potest excidere, & alius in ejus locum sufficí: Ergo non est determinatus nec distinctè à Deo cognitus eorum numerus. Consequentia patet. Probatur antecedens ex illo Apocalyps. 3. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Ex quo S. Augustinus lib. de Correpț. & Gratia cap. 13. concludit, *Quòd alius non est accepturus, nisi perdideris.* Cui concinit Glossa & Alensis in hunc locum. *Si quis labitur, inquit, alius ex misericordia subintrabit, sicut per superbiam Iudæorum subintravit Gentilitas*: Unde legitur de Beato Francisco quòd quidam frater vidit in Cœlo sedem vacuam, & ei responsum est, sedes ista de ruentibus fuit, & nunc humili Francisco servatur. Confirmatur pariter ex illo Jobi 34. *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.*

Quomodo quis accipere potest coronam alterius.

Respondeo 1. Cum S. Thoma 1. p. q. 23. art. 6. ad. 1. *Coronam* usurpari posse dupliciter. *Primò*, pro gloria æterna quam justitiæ coronam appellat Apostolus legitimè ad finem usque certantibus repromissam: *Secundò* pro merito gratiæ quô quisque novum augmentum promeretur. Prior corona nec deperdi potest à prædestinato, nec ab alio accipi: *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Posterior verò & deperdi, & ab alio accipi potest: Qui enim gratia concessa abutitur, aliis sibi paratis & concedendis spoliatur, ut eis alius donetur, sicut apertissimè testatur Christus, tum Oraculis, tum Parabolis. Oraculis quidem, sic Math. 21. Judæos alloquens ait; *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*: Gentiles significans in sortem infidelium & perduellium Judæorum substitutos. Parabolis verò, quarum famosissima est illa de servo inutili abscondenti ac fodienti talentum in terram: Præcipit enim Dominus ibidem cap. 13. *Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta; omni enim habenti dabitur, & abundabit; ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Inutilem autem servum ejicite in tenebras exteriores.* Quibus apertè patet gratias paratas ab ingrato auferri, & fideli ac vigilanti subministrari.

CONCLUSIO TERTIA.

Sine revelatione nemo scit se esse prædestinatum.

NEMO certò scire potest absque revelatione *se inter prædestinatos esse computandum; sed tantùm conjecturaliter, & per quædam signa.* Utraque Pars est de Fide definita in Conc. Trid. sess. 6. Can. 16. *Si quis magnum illud Perseverantiæ donum se certò habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Idipsum probant Scripturæ sacræ Ecclesiastici 9. *Nescit homo utrum sit odio an amore dignus, sed omnia in futurum servantur incerta*: Unde monet Apostolus ad Corinthios 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat*; Et ad Rom. 11. *Noli altum sapere, sed time*: Et ad Philippenses 2. *Operamini salutem vestram cum metu & tremore.* Hinc Apocalypsis 5. Prædestinationis liber dicitur *signatus sigillis septem & nemo aperit nisi solus Agnus.*

Ut affirmāt Scriptura sacra.

Hoc ipsum Ecclesia disertè probat in precatione; *Deus cui soli cognitus est numerus Electorum, in superna fœlicitate locandus*: Probant & sancti Patres: Aug. lib. de Correptione & Gratia cap. 13. *Quis, inquit, ex multitudine Fidelium quandiù in hac mortalitate vivitur in numero Prædestinatorum se esse præsumat; quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per Satanæ Angelum ne extolleretur, tantus colaphisaretur Apostolus*: Et in Psal. 68. *Multi credunt se scriptos in Libro vitæ, qui tamen falluntur*: S. Hieronymus in caput 9. Ecclesiastis, *Iusti nequeunt scire utrum amentur à Deo, sed in ambiguo fluctuant; scient autem in futuro cum ex hac vita discesserint.* Denique S. Bernardus Sermone 1. in Septuagesima, *Generationem istam quis enarrabit, quis potest dicere: Ego de Electis sum Ego de numero filiorum; reclamante Scriptura, nescit homo an sit amore an odio dignus.*

Sancti Patres.

Idipsum etiam suadet ratio: Nullus scire potest ea quæ pendent ex mera Dei voluntate, nisi Deus ipse revelaverit; nam ut inquit Apostolus, *Nemo novit quæ sunt Dei nisi Spiritus Dei*: Sed nostra Prædestinatio pendet ex gratuita Dei voluntate nos ad æternam gloriam destinante, & media necessaria subministrante, ut jam probatum est: Ergo seclusa Dei revelatione nemo scire potest an sit inter Prædestinatos adscribendus. *Deinde* nemo certus esse potest de sua prædestinatione nisi pariter certus sit se ad ultimam vitæ periodum in gratia sanctificante perseveraturum, *Qui enim perseveraverit usque in finem hic salvus erit*: Sed ex laudato Concilii Tridentini Oraculo constat seclusa speciali Dei revelatione, neminem habere posse infallibilem de sua Perseverantia certitudinem, Ergo, &c.

Et multiplex ratio.

Denique si quis absque revelatione posset esse certus de futura sua salute, maximè per demonstrationem à priori vel à posteriori, seu vel per causam, vel per effectum: Sed neutro modo prædestinatio potest certò & infallibiliter innotescere. Non quidem per causam, quia divina voluntas nobis non patet: Nec etiam per effectus, nulla namque ita firma sanctitas est quæ deficere non possit: Unde scitè monet sanctus Bernardus Sermone 30. de diversis: *Nusquam est securitas fratres, neque in Cœlo, neque in Paradiso, multo minùs in mundo; In Cœlo enim cecidit Angelus sub præsentia Divinitatis: Adam in Paradiso de loco voluptatis; Iudas in mundo de schola Salvatoris.* Ergo, &c.

Dices S. Paulus ad Rom. 8. ait; *Certus sum quia neque mors, neque vita, nec principatus, &c. poterunt nos separare à charitate Dei*: Ergo sanctus Apostolus tam de sua quàm de fidelium Prædestinatione certus erat & securus.

Respondeo 1. Quod etsi hæc vera essent, illam tamen certitudinem non aliunde quàm à revelatione Dei accepisset, Apostolus, quippe cum hæc infallibilis certitudo ipsi aliunde constare non posset, ut probatum est. Secundò dico Latinum Interpretem scripsisse *certus* pro *confido*, ut etiam vertit S. Hieronymus quasi diceret; spero & persuasum habeo; alioquin enim sibi manifestè contradiceret, cùm apertè doceat aliis locis semper esse timendum, & se nolle quemquam judicare: Sic primæ ad Corint. 4. *Nolite ante tempus judicare, & rursus neque meipsum judico*: Et cap. 9. *Castigo Corpus meum, & in ser-*

vitutem redigo, ne fortè cùm aliis predicaverim A *ipse reprobus efficiar.*

Quares primò, an, quot, & quæ sint signa Prædestinationis?

I.

Dantur quædam signa Prædestinationis.

RESpondeo primò, cum sancto Bernardo sermone 2. de octava Paschæ reverà Deum Electis quædam subministrare signa quibus se inter prædestinatos adscribi conjicere liceat, *Quando enim*, inquit, *sine testimonio Electos suos deserat Deus? Aut certè quænam eis esse poterat consolatio inter spem & metum sollicitudine anxiâ fluctuantibus, si nullum omnino electionis suæ testimonium mererentur?* B *...... Quod si, ut certum est, certitudo nobis omnino negatur, nunquid non tantò delectabiliora erunt si qua fortè electionis hujus signa possumus invenire? quam enim requiem habere potest spiritus noster dum prædestinationis suæ nullum adhuc testimonium tenet ...... Hoc sanè verbô, & Electis consolatio ministratur, & subtrahitur Reprobis excusatio: cognitis siquidem signis, vita quisquis hæc negligit, manifestè convincitur in vano accipere animam suam, & pro nihilo habere terram desiderabilem.*

Sex à S. Bernardo enumerantur.

Respondeo secundò: Varia, sed maximè sex prædestinationis signa à sanctis Patribus assignati, quæ ex eodem sancto Bernardo colligere licet: C tria quidem priora ipsemet indicat laudato loco, ubi cùm dixisset quod tres sunt qui testimonium dant in Cœlo sanctis Angelis de eorum prædestinatione, nimirum Pater formando, Verbum servando, & Spiritus sanctus eos sanctificando: Subdit tres pariter esse in terram, nimirum spiritũ aquam, & sanguinẽ quæ nobis prædestinationis signa subministrant, ita ut per spiritum intelligat exercitium omnium operum spiritualium; per aquam, lacrymarum imbrem peccata abluentem, per sanguinem verò assiduæ mortificationis martyrium; seu ut ipse loquitur, *A sanguine & aqua & spiritu habere est testimonium, si contines à peccatis, si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ.* D Hæc autem tria esse genuina prædestinationis signa apertè liquet: Primò quidem de Pœnitentia prompta & assidua, nam ut loquitur Regius Vates, *In hoc cognovi quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.* Quasi diceret, certum mihi videtur esse meæ prædestinationis indicium quòd statim ac peccavi, mihi pœnitentiam indidisti quâ super me exultantes inimicos salutis exturbarem.

II.

Primum est Pœnitentia.

III.

2. Mortificatio.

3. Virtutis exercitatio.

Mortificatio pariter, ut loquitur Paulus ad Galatas 5. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*: Unde benè notat Bernardus super cantica, *Nemo potest transire à deliciis in delicias*, ex quo infert, *Quòd si qui in hac vita in labore hominum non sunt, in al-* E *tera profectò in labore Dæmonum erunt.* Assidua denique virtutis exercitatio; siquidem, *Ibunt justi de virtute in virtutem donec videatur Deus Deorum in Sion.*

His addo, quòd cùm Deus, *Prædestinaverit nos conformes fieri imagini filii sui*, nempe sacro-sanctæ ejus humanitati, quæ per mortem & passionem suam, *Nobis reliquit exemplum ut sequamur vestigia ejus*; ominari licet nos cum eo in vitam æternam surrecturos, si mortem ejus in nobis adumbremus, *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus*; Inquit Apostolus ad Romanos 6. *Simul & resurrectionis eri-* A *mus*: Ergo cùm Christus ipse tria habuerit testimonia quibus constat eum verè mortem pro nobis obiisse, nimirum 1. *Spiritum*, quia *inclinato capite emisit spiritum*. 2. *Aquam* quæ de latere ejus lanceâ perforante effluxit; & *Sanguinem*, qui ad ultimam usque guttulam ex sacro ejus corpore promanavit: Ita & nos futuræ nobis æternæ vitæ quædam habebimus auguria, si emiserimus peccati spiritum; peccatum enim etsi physicè consideratum sit nihil & nuda privatio; nihilominùs moraliter acceptum, dici posset constare corpore, corde, & spiritu; dicente Apostolô laudatô locô, *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus pec-* B *cati.* Corpus inquam peccati est ipsamet actio exterior peccaminosa quæ cohibenda est: Cor peccati est ipsemet affectus quô scelera perpetrantur: Spiritus verò est ille ipse peccandi habitus quô fit ut peccatum diu vivat & regnet in corpore nostro mortali. Itaque ut quis suæ prædestinationis certa habere possit indicia, destruendum est corpus peccati, per sanguinem mortificationis, *Mortificationem Iesu semper in corpore nostro circumferentes*, inquit Apostolus, *ut vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali*: Eviscerandum est Cor peccati per lachrymas sinceræ pœnitentiæ, *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulatio-* C *nes, &c.* ait sanctus Petrus prima Epist. cap. 2. ut sit in nobis, *Charitas de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta*, inquit Paul. ad Ephes. 1. Emittendus denique peccati spiritus, *Non enim spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est*, 1. ad Corinth. 2. *Ipse autem spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus Filii Dei, si autem Filii, & heredes, &c.* ad Rom. 8.

IV.

Quodnam sit corpus Cor & spiritus peccati.

V.

4. Auditio verbi Dei.

Quartum signum prædestinationis colligit ipsemet S. Bernardus sermone 1. in Septuagesima ex illis Christi Domini verbis, *Qui ex Deo est verba Dei audit*, quæ sic expendit; *Certitudinem utique non habemus an de numero simus Ele-* D *ctorum, sed spei fiducia consolatur nos ne dubitationis hujus anxietate penitùs cruciemur: Propter hoc data sunt signa quædam, & indicia manifesta salutis, ut indubitabile sit eum de numero esse Electorum, in quo ea signa permanserint. Porrò inter ea quæ fiduciam præstant & materiam spei, unum illud maximum est de quo nunc cepimus loqui*, QUI EX DEO EST VERBA DEI AUDIT.

VI.

5. Novissimorum recordatio.

Quintum signum est assiduus timor & frequens cogitatio de tremendis Dei judiciis; nam ut rectè monet Ecclesiast. 7. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*: Unde Tertullianus lib. de cultu fœminarum cap. 2. dicit Timorem *Fundamentum esse salutis; timendo enim cavebimus, caven-* E *do salvi erimus: velificante divino spiritu salus navigat tuta, si cauta; secura, si attonita*: Cui concinit Petrus Cellensis lib. de Panibus c. 14. *Quasi custos*, inquit, *super innumerabiles gazas hic timor in ultimo Charismatum ponitur ad conservandas incomparabiles gratias. Gemma pretiosa pietas, sed facilè ab impietate subripitur, nisi timore custodiatur. Habeamus bonas & pulchras gratiarum puellas, sed sub custodia diligentissimi Pædagogi, scilicet Timoris.* Unde sanctus Bernardus sermone 54. in cantica expendens illa verba Proverbiorum 28. *Beatus homo qui semper est pavidus*, ait, *In veritate didici nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, reti-*

nendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere: Time ergò cùm arriserit gratia, time cùm abierit, time cùm denuo revertetur, & hoc est semper pavidum esse; Succedant vicissim sibi in animo tres isti timores, secundùm quod gratia, vel adesse dignatur, vel offensa recedere, seu iterum placata redire sentietur. Cùm adest, time ne non dignè opereris ex ea, nam hoc monet Apostolus, videte inquiens ne in vanum gratiam Dei recipiatis ...... Time substractâ gratiâ tanquam mox casurus: Time, & contremisce Deo, tibi ut sentis iratũ, time quia reliquit te custodia tua ...... Iam si gratia repropitiata redierit, multò ampliùs tunc timendum, ne fortè contingat recidiuum pati, juxta illud in Evangelio: Ecce sanus factus es; vade & amplius jam noli peccare, ne aliquid deterius tibi contingat. *Audis recidere quàm incidere esse deterius; proinde invalescente periculo invalescat & metus. Beatus es si cor tuum triplici isto timore repleveris, & timeas quidem pro accepta gratia, ampliùs pro amissa, longè plus pro recuperata.*

VII. Sextum tandem devotio erga beatam Virginem.

Sextum & porissimum prædestinationis indicium est summus affectus, & singularis devotio erga sacratissimam Virginem; hæc enim inquit Bernardus, *Est peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ.* Et meritò quidem; nam ut addit sanctus Anselmus, *Sicut impossibile est ut illi à quibus oculos sua misericordiæ avertit, salventur; ita necessarium est, ut hi ad quos convertit oculos suos pro eis advocans, justificentur, & glorificentur:* Unde Ecclesia ipsi tribuit illud Proverbiorum 12. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*

Quæres 2. An numerus Prædestinatorum sit major aut minor numerò Reproborum?

R*Espondeo primò*, quòd si instituatur comparatio inter homines generatim sumptos qui à mundi primordio vixerunt, & ad finem victuri sunt, longè numerum reproborum excedere prædestinatorum sortem: Etenim ante Christi Domini adventum rarus erat Dei cultus, raraque erat ejus cognitio, siquidem *Notus tantùm in Iudæa Deus; omnes autem Dii Gentium Dæmonia.* Imò etiam post prædicatum Evangelium, longè plures sunt Gentiles, Turcæ, Judæi, & cæteri quique infideles quàm Christiani; & inter Christianos plures sunt hæretici & Schismatici quàm fideles Catholici: Ergo cùm qui non credit jam judicatus est, apertè constat longè minorem esse Prædestinatorum numerum quàm Reproborum: Hinc meritò Angelus ad Esdram lib. 4. cap. 8. ait, *Hoc sæculum fecit Deus propter multos, futurum autem propter paucos:* Qui liber licèt non sit canonicus, nihilominus magnam habet authoritatem; subdit autem, *Multi quidem creati sunt, pauci autem salvabuntur*, quòd apertè confirmat Christus Matthæi 7. *Arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui intrant per eam.*

Respondeo 2. Quòd si fiat comparatio tantùm inter Fideles tam parvulos ante rationis usum, quàm adultos ex hac vita migrantes, verisimilius esse plures fore Prædestinatos quàm Reprobos; constat enim innumeros parvulos unda baptismali renatos ex hac vita migrare: constat pariter ex adultis plures vitam extremam agere cum salutaris pœnitentiæ signis, nec-non & debitè receptis Sacramentis, quorum virtute & efficacitate non dubium est eos justificari; adeoque nec dubium esse debet sic comparatos homines, Prædestinatos plures esse quàm Reprobos.

VIII. Major est numerus Reprobor quàm Prædestinatorum.

Respondeo 3. Quòd si fiat comparatio inter solos fideles adultos ex hac vita migrantes, probabiliùs videri plures fore Reprobos quàm Prædestinatos; ut apertè docent sanctus Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 66. & lib. 4. cap. 53. ita exponens parabolam de tritico & palea, *Boni verique Christiani*, inquit, *qui per se ipsos multi sunt, comparatione malorum pauci sunt; sicut multa grana quibus horrea magna complentur in comparatione palearum.* Gregorius homil. 19. in Evangelia, & Alii ita exponentes illud Matthæi 12. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Sed omnium apertissimè Chrysostomus homil. 4. ad populum, *Quot putatis*, inquit, *esse in hac civitate qui salvi fiant? Non possunt numerari in tot millibus centum qui salventur; quin & de his dubito: quanta enim in juvenibus malitia, quantus in senibus torpor, &c.*

Vt sentiunt Patres.

Idipsum probatur: Primò ex figuris quibus Deus illam veritatem in Scriptura sacra delineare voluit: Nam sicut aquis diluvii omnes, excepto Noë & familia ejus perierunt, seu ut dicitur primæ Petri 3. *Pauci, idest, octo animæ salvæ factæ sunt per aquas:* Sic post universalis orbis conflagrationem & ignis diluuium pauci invenientur Prædestinati qui salventur; sicut ex sexcentis millibus Pugnatorum qui egressi sunt de Ægypto, nulli præter Josüé & Caleb in terram promissionis intrarunt; ita ex tot fidelibus ex hoc mundo velut Ægypto migrantibus, rari cœlestem promissionis terram & patriam ingredientur. Patet idipsum ex figuris.

Et ex comparationibus.

Secundò ex comparationibus, nam Genesis 22. Deus Abrahamum alloquens ait, *Sicut stellæ cœli, & sicut arena maris sic erit semen tuum*; ubi per stellas cœli S. August. lib. 13. contra Faustum Electos intelligit, & per arenam maris Reprobos: Ex quo infert quòd quemadmodum numerus arenarum longè excedit numerum stellarum, ita numerus Reproborum longè major erit numero Electorum.

Deinde Isaïæ 17. & 24. numerus electorum comparatur paucissimis spicis quæ à messoribus excidunt, & rarissimis olivis quæ remanent in arbore excussâ oleâ, & paucissimis uuarum granis, quæ restant in vinea finitâ vindemiâ: Quæ verba ibi expendens Hieronymus ait, *Tanta erit Sanctorum paucitas de quibus Dominus loquitur in Evangelio*, multi vocati, & pauci electi, *Vt eorum paucitas baccis olivarum rarissimis comparetur, quæ cum excussæ fuerint atque demessæ, vix pauca remanserunt in ramorum cacumine: & quomodo cùm erit finita vindemia solent pauperes egestate cogente vacuas circuire vites & pauca uuarum grana colligere.*

Sed maximè ex oraculis.

Tertiò denique idipsum patet oraculis, idque maximè Lucæ 13. ubi cuidam interroganti, *Domine si pauci sunt qui salvantur*, Apostolos alloquens tria respondet notatu digna: Primum, *contendite* inquit *intrare*; quasi diceret, si Apostoli qui omnia reliquerant & secuti fuerant Christum Dominum, adhuc contendere & summis

summis eniti viribus ut per angustam portam cœlum intrent: Quid ergo fiet de his Christianis, qui suis motibus & affectibus vim nullam inferunt, sed omnino genio indulgent? Secundò addit, *Per angustam portam*, quam scilicet subire nequeunt inflati superbiâ, luxuriâ distenti, avaritiâ opibusque onusti. Quibus affectibus maximè detinentur homines mundani; Etenim *Quidquid est in mundo, aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*. Tertiò, denique subdit, *quia dico vobis multi quærent intrare & non intrabunt:* Heu quid ergo fiet de his qui vix, aut qui saltem rarò de sua salute seriò cogitant.

QUÆSTIO SEXTA.

An, & quomodo conciliari queat humana libertas cum invariabili Prædestinationis certitudine?

I.

Quàm sit difficilis & laboriosa præsentis Quæstionis solutio.

PRÆSENS Quæstio tot ac tantis implicatur difficultatum salebris, ut meritò S. Augustinus Epist. 1. eam *Difficillimam, & paucis intelligibilem* dixerit; cujus difficultatis rationem profert lib. de gratia Christi cap. 4. *Ista quæstio ubi de libero arbitrio, voluntate, & de Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Hinc lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 18. affirmat se has medias in ambages ita angustari ut vix inveniat unde sese extricet: *Ipsa ratio,* inquit, *quemlibet nostrûm quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitirum auferre videamur:* Rursus, *Ne liberum sic auferamus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiæ videamur.* Nihilominùs quoniam præsentis Quæstionis resolutio maximè confert ad expugnandam hæreticorum falsam de divinæ Prædestinationis fatalitate & absoluta necessitate sententiam, nec-non & ad sedandas etiam Piorum quorumdam mentis agitationes quas præsentis resolutionis ignoratio suscitat: Idcirco pro viribus enitendum est hanc divinæ Prædestinationis concordiam cum humana libertate stabilire, quod ut fiat clariùs.

II.

Quatuor ad prædestinationis integritatem desiderantur.

Notandum 1. Ad integrandam & perfectè completéque formandam prædestinationem, quatuor maximè concurrere. *Primum* est divina præscientia quâ Deus ab æterno quidquid futurum est, nedum in qualibet temporis circunstantia, sed etiam per ipsam æternitatem evidenter & apertè intuetur, idque unicô indivisibili, simplici, & invariatô sui divini intellectus intuitu; adeoque novit quot, & qui creari possint homines, quibus auxiliis ad æternam beatitudinem promovendi, quique sint divinis auxiliis benè vel malè ad mortem usque usuri. *Secundum* est ipse divinæ voluntatis actus, quô Deus ab æterno statuit hos & non illos homines possibiles se creaturum in tali & tali temporis circunstantia, eisque talia media congrua subministraturum quibus vitam æternam consequi possint, si voluerint; eis tandem qui bene his utentur mediis, gloriam æternam se collaturum. *Tertium* est gratiæ præpa- A ratio & donatio quæ fit nobis sine nobis: *Ex injustis enim Deus facit justos sine ullo meritæ præcedentis voluntatis ipsorum*, inquit S. Augustinus libro de Bono perseverantiæ capite 24. *Quartum* denique est ipsum liberum hominis arbitrium concurrens cum ipsa gratia excitante vel sanctificante ad firmandam hominis salutem, & gloriam æternam promerendam; nam ut ait sanctus Augustinus Sermone 15. de verbis Apostoli, *Sine voluntate tua non erit in te justitia Dei; qui fecit te sine te, non te justificat sine te.*

III.

Tres circa præsentem Quæstioné opposita Sententiæ.

Notandum 2. Circa præsentis Quæstionis resolutionem tres maximè oppositas esse sententias. Quarum *Prima*, nimium derogat libero B arbitrio: *Secunda*, nimium ipsi erogat: *Tertia*, æquâ lance vtrumque librat & conciliat. Prima quidē fuit PRÆDESTINATIANORUM affirmantium per infallibilem prædestinationis certitudinem & invariabilem firmitatem, omnem hominibus libertatem adimi, & ita humanum præcludi arbitrium, ut jam non sit in hominis prædestinati potestate à sua salute exorbitare. Quam impiam sententiam pridem extinctam, iterum ab inferis suscitavit Calvinus, *Lib.* 3. *Institutionum* affirmans Prædestinatos & Reprobos, ita ad bonum aut malum ab æterno destinari & illigari, ut nullatenus ab eo resilire possint, sed ei teneantur necessariò assentiri aut reluctari; quam inevitabilem necessitatem partim refundit in infallibilitatem præscientiæ & C divini decreti, partim in efficacitatem gratiæ ut patebit articulo sequenti. Aliam sententiam omnino oppositam amplexati sunt *Pelagiani & Semipelagiani*; illi quidem affirmantes prædestinationem nihil aliud esse quàm generalem illam Dei voluntatem, quâ Deus homines liberô arbitriô donatos, & propriis naturæ viribus capaces amplexandi boni, vel respuendi mali, ab æterno decrevit eos illustrare lumine fidei & Evangelii prædicatione, eisque proponere legem; quam qui prævisi sunt servaturi, certò consequentur vitam æternam, secùs verò damnationem æternam incurrent. D Semipelagiani verò contendebant divinam Prædestinationem in Deo supponere voluntatem generalem conferendi gratiam regenerationis, nec non gloriam æternam his omnibus, qui propriis naturæ viribus hæc bona consequi vellent orando, pulsando, & quærendo; ita quòd Deus specialiter eos selegerit ad gloriam, quos præscivit propria sua libertate benè usuros bonis & donis naturæ, quibus bona & dona gratiæ consequi possent.

1. Est *Prædestinatianorum*.

2. *Pelagianorum*, ac *Semipelagianorum*.

3. Catholicorum.

Tertia verò sententia medium tenens inter hanc Scyllam & Charibdim, contēdit prædestinationis infallibilitatem nullatenus extinguere E liberum hominis arbitrium, quamquam gratiæ concursum requirat in omnibus, & decreti ac præscientiæ infallibilitatem affirmet; quam sententiam ut tueamur

IV.

Quid sit libertas, & quam indifferentiam requirat.

Notandum 3. Libertatem solitô definiri, *Potentiam quæ positis omnibus ad agendum requisitis agere potest, aut non agere*. Inde duplex in ea requiritur indifferentia: Una quidem ex parte objecti quod ab intellectu sub diversa ratione amabili, aut odibili proponi potest; & hæc vocatur indifferentia *objectiva*, seu radicalis, quia radix libertatis est ipse intellectus proponens objectum cum indifferentia:

Altera ex parte voluntatis, quæ ex se non solùm est indifferens ad utrumlibet actum amoris, vel odii, sed etiam ad electionem, vel suspensionem utriusque actus; & hæc dicitur, *Indifferentia quoad specificationem & quoad exercitium.*

Rursus Thomistæ duplicem aliam distinguunt indifferentiam: *Vnam* quam versatilem, vagam, indeterminatam, potentialem, & in actu primo appellant, quæ consistit in potentia seu facultate quâ voluntas potest velle eligere, vel non eligere, & se determinare ad amandum, vel non amandum, hoc vel illud objectum nondum considerata divina motione, & illius voluntatis applicatione ad actum: *Alteram* actualem, exercitam, & attemperatam, quæ inquiunt est ipsa actualis electio & determinatio voluntatis per divinam motionem, quam præmotionem, seu prædeterminationem idcirco appellant: Non quod, inquiunt particula *præ* designet prioritatem durationis, seu temporis; sed duntaxat prioritatem naturæ, seu causalitatis & dependentiæ, quâ illud dicitur prius, à quo aliud dependet tanquam à causa quæ etiam vocatur prioritas instantis, non *in quo*, sed *à quo*. In qua quidem posteriori indifferentia volunt essentiam libertatis formaliter esse reponendam, quam dicunt per ipsum decretum prædeterminans ipsamque præmotionem non lædi, sed perfici: Adeoque sic utrumque rectè conciliari; quæ an vera sint, infra discutietur.

Itaque tria sunt in hac Quæstione resoluenda: *Primum*, an reverà divina Prædestinatio creatæ libertati officiat? *Secundum*, an utriusque legitimam concordiam proferant Thomistæ? *Tertium*, qualiter tandem verè utraque conciliari debeat.

Conclusio Prima.

V. DIvinæ *Prædestinationis certitudo humanæ libertati non officit.* Hæc est communis inter Catholicos, &

Prædestinatio non officit humanæ libertati.

Probatur: Si quidpiam hominis arbitrio detraheret divinæ Prædestinationis certitudo, maximè vel ratione æternæ Dei præscientiæ, quâ Deus certò, & invariabili intuitu cuncta prospicit; vel ratione immobilis & invariabiliter stantis æterni Dei decreti, quô & determinavit prædestinatum consensurum infallibiter gratiæ vocanti, & in sanctificante vitam finiturum; vel denique ratione gratiæ excitantis quam in tempore daturus est prædestinatô, cui repugnare non poterit: sed neutra ex parte id colligi potest: Ergo, &c. Major constat ex primo notabili.

Minor verò jam sufficienter probata est *quoad primam partem* Disputatione *de Scientia Dei*, ubi demonstravimus divinam Præscientiam non offendere libertatem.

Neque ex parte infallibilis præscientiæ.

Et rursus confirmatur: Divina Præsciẽtia, etiam versatur circa actiones peccaminosas: sed nullam infert voluntati necessitatem ad peccandum, ut constat ex S. Augustino lib. 3. de vera Innocentia cap. 379. *Neminem*, inquit, *Deus ad peccandum cogit; prævidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet justus quæ non cogit præsciens? sicut enim nemo memoriâ suâ cogit facta quæ præterierunt; sic Deus* A *præscientiâ suâ non cogit facienda quæ futura sunt: Et sicut homo quadam quæ facit meminit, nec omnia quæ meminit fecit: ita Deus omnia quorum ipse author est, præscivit; nec tamen omninm quæ præscit ipse author est; quorum autem non est malus author, justus est ultor*: Ergo neque ullam voluntati necessitatem imponit ut justè probèque operetur.

Confirmatur 2. Ex eo quod Deus de facto sciat & videat me loquentem, non minùs liberè loquor: Ergo ex eo quod prævideat me loquuturum, non minus liberè loquar. Consequentia patet; quia omnia ab æterno Deo sunt præsentissima; B *Non enim*, inquit sanctus Augustinus libro 11. de Civitate cap. 20. *more nostro ille quod futurum est prospicit, vel quod præsens est aspicit, vel quod præteritum est respicit. Nec* ut addit libro de Prædestinatione & gratia capite 3. *reminiscens voluitur in præteritum, nec sperans procedit in futurum.* Seu ut scribit sermone secundo in Psalm. 101. *Non ibi est fuit & erit, quia & quod fuit non est, & quod erit nondum est: sed quidquid ibi est nonnisi est*: Vel denique ut ait lib. 11. Confessionum capite 13. *Anni tui dies unus: & dies tuus non quotidie, sed hodie; quia hodiernus tuus non cedit crastino, nec succedit hesterno*: Ergo cum omnia Deus præsentia habeat, & omnia quæ futura sunt, C Deo jam facta sint; apertè constat quod quemadmodum quis videns artificem opus aliquod molientem non dicitur liberam illius molitionem præcludere, nec eum ad necessariò operandum determinare, ita nec præscientia rebus cognitis necessitatem imponit; maximè cum ut jam satis superque probavimus res idcirco non sint futuræ quia Deus eas præviderit, imò eas Deus certò prævidit quia futuræ sunt.

Quia omnia Deo sunt præsentia.

Confirmatur 3. Tantùm abest ut divina præscientia humanam libertatem lædat, imò supponit & perficit; nam ut loquitur ipsemet sanctus Augustinus libro 3. de libero Arbitrio D cap. 3. *Cum Deus sit præscius voluntatis nostræ, cujus est præscius ipsa erit: Ergo & potestatis erit præscius; non igitur per ejus præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cujus præscientia non fallitur ad futuram mihi præscivit.*

Neque ex parte æterni decreti.

Patet eadem minor quoad secundam partem: Nempe quod decretum æternum de movendo prædestinato ad consentiendum gratiæ excitanti, non officiat libero hominis arbitrio. Cujus rationem proferunt noster Alensis *prima parte quæstione 26. memb. 6. articulo 2.* Et Seraphicus Bonaventura in 1. *distinctione 42. articulo 2. quæstione 1.* Et Doctor Subtilis *distinctione 41. quæstione unica*, quod E Deus nihil ab æterno decernat perficiendum à prædestinato in tempore absque prævisa & præcognita determinatione voluntatis ejus: Ergo dum decernit in ista præparatione & donatione gratiæ futurum consensum prædestinati; illum consensum non prædefinit absque libera cooperatione voluntatis ejus: Vel ut loquitur sanctus Bonaventura, *Prædestinatio non est causa salutis nisi includendo merita & ita salvando liberum arbitrium. Prædestinatio enim duo importat, & rationem præscientiæ, & rationem causæ. Inquantum dicit rationem causæ, non necessariò ponit effectum, quia non est causa necessitans,*

A *sed per voluntatem: & iterum non est tota causa, sed cum alia causa contingente, scilicet cum libero arbitrio: & regula est quod quotiescumque effectus pendet ex causa necessaria, & variabili; necessaria à variabili tanquam à particulari denominatur, quia denominatio est à causa particulari; insuper effectus qui pendet à causa contingente, etiam contingens est.* Hæc patebunt evidentiùs ex dicendis in articulo sequenti agendo de causis & modo prædestinationis.

DENIQUE PATET EADEM MINOR QUOAD TERTIAM PARTAM, nempe quòd gratia excitans nullam inferat necessitatem libertati; illud enim aperté definivit Concil. Trid. sess. 6. canone 4. dicens, *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium nihil cooperari assentiendo Deo* B *excitanti atque vocanti quoad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac preparet; neque posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passivè se habere, anathema sit.* Hoc fusiùs patebit in tractatu de Gratia ubi probabimus gratiam excitantem efficere consensum, non cogendo & necessitando voluntatem, sed eam suaviter alliciendo & movendo; nihilominus

Confirmatur: Si gratia & prædestinatio necessariò determinarent prædestinati voluntatem ad consensum, sequeretur eum nusquam peccare posse, & excidere à gratia: Sed falsum C consequens: Ergo & antecedens. Majorem admittunt Calvinistæ: Unde probatur minor, voluntas prædestinati, quandiu in vivis agit, semper est indifferens ad peccandum, vel non peccandum, adeoque potest à gratia excidere: Unde monet Apostolus, *Qui stat videat ne cadat*; imò hortatur ipsemet Christus Apostolos, *Ambulate dum lumen* Gratiæ *habetis, ne fortè vos* Peccati *tenebræ comprehendant.*

Deinde, experientia constat, etiam eximiè Prædestinatos in graviora quæque peccata lapsos fuisse, ut patet de Davide, Petro, Paulo, Magdalena, Augustino & cæteris: Ergo consequens est nec prædestinationem, nec gratiam D excitantem aut sanctificantem inducere impossibilitatem peccandi.

Denique, perseverantia & continuatio assidua in statu gratiæ sanctificantis, per se non requiritur ad æternæ gloriæ consecutionem; ad id nempe sufficit quòd prædestinatus aliquan diu perseveret in gratia, & cum ea vitam finiat: Ergo, &c.

Dices 1. Qui est reverà prædestinatus, non peccat nec peccare potest: Ergo prædestinatio voluntati necessitatem infert & peccandi impossibilitatem inducit. Probatur antecedens ex illo primæ Ioannis cap. 3. *Qui natus est ex Deo non peccat, sed nec peccare potest, quia semen Dei manet in illo.* qui quidem contextus de prædesti- E natis intelligitur, ut affirmant omnes penè ipsius Interpretes: Ergo, &c.

Nego antecedens: Ad illius probationem dico; *Primò* sanctum Hieronymum lib. 2. contra Iovinianum asserere illam peccandi impossibilitatem intelligendam esse in sensu composito, ita quòd prædestinatus quandiu subsistit in statu gratiæ & adoptionis filiorum Dei, non peccet, nec peccare possit, quia non est conventio Christi ad Belial, nec ulla peccati tenebrarum cum luce gratiæ concordia.

Secundò, Sanctus Augustinus lib. de Peccatorum meritis cap. 8. hanc impeccabilitatem A explicat in sensu formali, ita quòd facultas peccandi non proveniat ex ipsa filiatione divina, sed ex versatili infirma & libera voluntate humana, *Proficimus*, inquit, *quia nondum salui, ideo nondum plenè innovati, nondum etiam filii Dei, sed filii sæculi; proficimus ergo renovationem justamque vitam per quod filii Dei sumus, & per hoc peccare omnino non possumus, donec totum in hoc transmutetur etiam illud per quod adhuc filii sæculi sumus: per hoc enim & peccare adhuc possumus, & ita fit* ut qui natus est ex Deo non peccet, & si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est; *Consummetur ergo quod filii carnis & sæculi sumus, & perficiatur quod filii Dei, &* B *Spiritu renovati sumus.*

VI.

Quomodo prædestinatus dicatur non posse peccare.

Tertiò, Sanctus Bernardus illam impossibilitatem peccandi interpretatur de facilitate quâ prædestinati resurgunt à peccatis, *Neque enim hic possumus*, inquit lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 9. *Penitus esse sine peccato & miseria; possumus tamen gratia juvante, nec peccato superari nec miseria; quanquam tamen Scriptura loquatur*, omne quod natum est ex Deo non peccat, *sed hoc dictum est de predestinatis ad vitam: non quòd omnino non peccent, sed quòd peccatum ipsis non imputetur, quod vel punitur ex condigna pœnitentia; vel in Charitate abscon-* C *ditur, Charitas enim cooperit multitudinem peccatorum.*

Denique dico, hanc impeccabilitatem accipiendam esse pro summa difficultate, ita quòd prædestinatus consideratis & examinatis his omnibus beneficiis quibus abundantissimè à Deo cumulatur & ditatur, adduci non possit ut eum offendat; eo pene sensu quo sanctissimus Patriarcha Ioseph attenta mente ponderatis omnibus bonis quibus à Domino suo donatus fuerat dicebat Genesis 39. *Quomodo ergo possum hoc malum facere & peccare in Dominum meum?* Itaque quamcumque harum solutionum accipias, non inferes prædestinationem inducere D necessitatem, & præcludere humanam libertatem.

Dices: Omnis causa quæ in se necessaria est, & necessariò ponit effectum, etiam simpliciter necessitatem inducit in effectu: Sed prædestinatio respectu salutis est hujusmodi: Ergo, &c. Minor patet: Prædestinatio enim, cum sit actus internus Dei, omninò necessaria est; nihil enim intrinsecum Deo, enti summè necessario, potest esse contingens. Insuper etiam necessariò infert effectum; necessariò enim sequitur, si Petrus est prædestinatus, salvabitur: Ergo, &c.

VIII.

Duplex est causa necessaria: Duplex pariter effectus necessarius.

Distinguo majorem: Omnis causa quæ necessaria est tam secundùm entitatem, quàm se- E cundùm operationem, quæque necessariò ponit effectum suum necessitate absoluta, & antecedente ac excludente omnem liberam voluntatis determinationem, infert necessitatem in effectu, concedo: Omnis causa quæ necessaria quidem est secundùm entitatem, non verò secundum operationem extrinsecam, quæque necessariò ponit effectum suum, necessitate tantùm consequente, & ex præsupposita libera voluntatis determinatione, necessariò effectum suum producit necessitate excludente libertatem, nego: Ad minorem dico prædestinationem esse quidem necessariam secundùm entitatem, sed contingentem & liberam secun-

dùm terminationem; similiter est necessaria necessitate tantùm consequenti & ex præsupposito divino decreto, nec-non & libera hominis determinatione prævisa; adeoque libertati non officit.

Conclusio Secunda.

VIII. *Non rectè conciliatur divina prædestinatio per decretum prædeterminans.*

NOn *rectè conciliatur à Thomistis humana libertas cum infallibili divinæ Prædestinationis certitudine per decretum prædeterminans.*

Probatur 1. Per id non concordat humana libertas cum prædeterminatione, per quod voluntatis indifferentia destruitur & solvitur: sed per illud decretum præmovens ac prædeterminans solvitur ac destruitur voluntatis indifferentia: Ergo, &c. *Major* constat, Certum enim est libertatem voluntatis in indifferentia esse repositam ut dictum est in 3. Notabili. *Minor* probatur. Per id solvitur voluntatis indifferentia, per quod voluntas ad unum absolutè determinatur & ligatur: at per decretum præmovens & prædeterminans voluntas ita determinatur ad unum actum, aut ad unum objectum, ut non possit oppositum actum elicere, vel in aliud objectum tendere. Ergo, &c.

Replicant Thomistæ per decretum prædeterminans solvi quidem indifferentiam vagam & potentialem; non verò indifferentiam exercitam & attemperatam per motionem & determinationem causæ primæ, sub qua voluntas retinet quidem potentiam ad dissentiendum, quamvis non possit actualem dissensum cum illa componere vel conjungere.

Contra. De ratione liberæ & indifferentis voluntatis est, quòd positis omnibus ad agendum prærequisitis voluntas possit agere vel non agere, consentire vel dissentire: Ergo quâcumque positâ motione, aut voluntas potest negare consensum, aut non remanet formaliter libera.

Distinguunt minorem Thomistæ: De ratione liberæ voluntatis est quòd prærequisitis omnibus ex parte potentiæ possit agere vel non agere, concedunt: Prærequisitis ex parte applicationis potentiæ & actus secundi, negant. Itaque in Sententia Thomistarum, prærequisita ad agẽdum sunt in duplici differentia: Quædam enim se tenent ex parte potentiæ & actûs primi, ut habitus, virtutes operativæ & auxilia sufficientia; & hæc cùm constituant solùm principium habituale operationis, possunt indifferenter cum actione vel non actione componi. Alia se tenent ex parte applicationis potentiæ, & se habent per modum reductivi de actu primo ad secundum; & ista, inquiunt, cùm constituant principium actuale operationis, non possunt ab ea separari, nec cum illius negatione componi. Unde cùm dicitur liberum esse illud quod positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere, si per ly *prærequisitis*, intelligantur ea quæ prærequiruntur ex parte potentiæ & actus primi, concedunt: Si designentur ea quæ solùm prærequiruntur ex parte applicationis potentiæ, negant. His enim positis, liberum agens non potest agere vel non agere; sed de facto agit, retinendo tamen potentiam ad non agendum, seu ad non continuandam actionem quam elicit; Unde implicat quòd cum illis prærequisitis negationem actionis componat; alias simul ageret & non ageret.

Contra primò: Hâc replicâ Thomistæ implicantia loquuntur & suis principiis non cohærentia; docent enim prædeterminationem antecedere actum secundum prioritate naturæ & causalitatis: Ergo non esset ipsemet actus secundus seu actualis applicatio & actio voluntatis. Implicat enim idem respectu ejusdem simul esse primum & secundum, causam & effectum.

Deinde illa prædeterminatio, ex eorum sententia, est principium libertatis, seu liberæ operationis: Sed principium habet rationem actus primi respectu illius cujus est principium: Ergo & prædeterminatio habet rationem actus primi respectu operationis liberæ, adeoque non coincidit cum actu secundo.

Denique; quod pertinet ad ordinem operativum, non tanquam actio, nec tanquam pura conditio ad agendum, debet pertinere ad illum tanquam virtus agendi, & consequenter habere rationem actus primi: sed prædeterminatio pertinet ad ordinem operativum: Non quidem tanquam actio, quippe cum sit determinativa & applicativa potentiæ ad actionem & operationem; nec tanquam pura conditio ad agendum, quia illa, inquiunt, reverà influit cum potentia in actionem: Ergo necessum est ut habeat rationem virtutis agendi, & consequenter quòd se teneat ex parte actus primi; adeoque incongruè hanc prædeterminationem Thomistæ refundunt in actum secundum.

Contra secundò: De ratione liberi agentis est quòd prærequisitis ad agendum ex parte actus possit agere. Ergo etiam quòd possit non agere. Antecedens concedunt Thomistæ; sed negant consequentiam, quam sic probo. *Primò* quidem ex communi sensu Authorum, qui dum affirmant illud esse liberum agens, quod potest agere & non agere, utrumque eôdem modô & eôdem respectu usurpant: Ergo si agens liberum positis prærequisitis ad agendum ex parte actus & in sensu composito possit agere, etiam debet eôdemmodô posse non agere. *Deinde* dum dicitur quòd liberum agens potest agere vel non agere, illud utrumque, scilicet *posse agere* & *non agere*, intelligitur vel in sensu composito, vel in sensu diviso: Si primum, habemus intentum, posse enim non agere in sensu composito, est facere ut pro eodem instanti temporis simul possint esse prærequisita, & tamen possit non esse actio: Si secundum, Ergo illa definitio liberi agentis hunc habebit sensum, agens liberum est illud quod habet potestatem agendi pro tempore quo sunt prærequisita ad agendum; & simul habet etiam potestatem non agendi, sed pro tempore antecedente posititionem prærequisitorum; quod nedum apparet ridiculum & manifestè contra definitionem liberi agentis, sed etiam per hoc solvitur omne discrimen inter liberum agens & necessarium: Nullum enim est agens ita necessarium de quo idipsum affirmare non liceat, nimirum illius potentiam agendi eam esse quæ cum prærequisitis ponit actionem; esse pariter potentiam non agendi pro tempore quô prærequisita non erunt; ignis enim virtutem habet comburendi paleam pro tempore quô ipsi adiungitur, non potest autem eam comburere pro tempore immediatè antecedente appositionem stupæ ad ignem.

Contra tertiò: Liberum agens tenetur aliquando non ponere actionem suam prærequisitis omnibus ad agendum: Ergo debet hoc posse. Consequentia patet, Deus enim non præcipit

impossibilia, seu ut vulgò fertur, ad impossibile nemo tenetur. Probatur *antecedens*, quando aliquis peccat, teneretur componere negationem peccati cum prærequisitis ad agendum, ita quòd eodem instanti quô sunt illa prærequisita ex parte actûs, v. g. objectum movens, urgens tentatio, & passio excitans voluntatem ad consentiendum actui peccaminoso, teneatur denegare suum consensum; si enim ad id tunc non teneretur, non peccaret in eodem instanti: Ergo homo tenetur componere negationem peccati cum prærequisitis ex parte actus ad peccandum, & consequenter positis illis prærequisitis etiam ex parte actûs, potest homo agere vel non agere, consentire vel dissentire in eodem ipso instanti, quô illa prærequisita supponuntur esse posita.

Quid sit instans materiale & formale apud Thomistas.

Distinguunt Thomistæ: Potest consentire vel dissentire in eodem instanti materiali quô illa prærequisita supponuntur esse posita, concedunt; In eodem instanti formali, negant. Instans materiale apellant ipsam rei durationem: Formale verò mensuram ipsius durationis: Ita quòd, inquiunt, quemadmodum Iustos potest peccare in eodem instanti quô est in gratia; non tamen formaliter & reduplicativè prout est in gratia, seu quatenus gratia illud instans occupat & mensurat; quia peccatum & gratia simul esse nequeunt; & sicut qui elicit actum amoris, in eodem instanti materialiter potest non amare, quia liberè amat: Non tamen in eodem instanti formaliter; Implicat enim quòd idem instans coëxistentiam amoris, & non amoris simul mensuret; alioqoin idem posset simul esse & non esse, & contradictoria de eodem simul verificari. Idem à pari (inquiunt) dicendum est de præmotione ad actum amoris quæ est in eodem instanti temporis & durationis cum illo, eumque sola prioritate naturæ & causalitatis antecedit: Licèt enim voluntas in eodem instanti in quo est præmota ad actum amoris, possit ponere dissensum seu carentiam amoris: Non tamen potest de facto dissentire, seu non amare in sensu composito, quia non potest non amorem ponere, positâ præmotione ad amandum.

Contra: Nedum in eodem instanti materialiter; sed etiam formaliter sumpto potest liberum agens non ponere actionem etiam positâ motione: Ergo nulla replica. Probatur *antecedens*: Reverà poterit liberum agens non componere actionem cum præmotione in eodem instanti formaliter, si reverà possit ipsi præmotioni dissentire & resistere; atqui id potest. Probatur: primò quidem ex Concilio Tridentino Sessione 6. Canone 4. ubi anathema pronuntiatur in eum qui dixerit, *Liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum non posse dissentire si velit.* Quid enim est, quæso, aliud dissentire, nisi dissensum ponere? Est autem de ratione dissensus ut ponatur pro eodem instanti pro quo quis movetur, & incitatur ad consensum: Nemo enim dissentire dicitur, antequam moveatur, neque postquam motus fuit, & obtemperavit motioni: Ergo posse dissentire, est posse ponere dissensum pro eodem instanti quô est ipsa motio. Ergo cùm hæc ponatur in instanti formali, etiam dissensus poni poterit in eodem instanti formali quô illa ponitur.

Deinde: Idipsum confirmat & edocet S. Aug. maximè verò lib. de Spir. & Litt. cap. 34. ubi

A cùm dixisset Deum nostram movere & excitare voluntatem extrinsecus per Legem & Evangelii prædicationem, & intrinsecus per gratiam excitantem. Subdit: *His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali ut ei credat: neque enim credere potest quôlibet liberò arbitriô, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat: Profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos; Consentire enim vocationi Dei vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est*: Et ibidem cap. 31. cùm dixisset initio capitis, *Fides in potestate est: quoniam cum vult, credit, & cùm credit, volens credit*: Concludit, *Vide nunc utrum quisque credat si noluerit, aut non credat si voluerit?* Et

B lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. *Motus quô huc aut illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius atque in nostra potestate, neque laudandus, cùm ad superiora; neque culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet quasi quemdam cardinem voluntatis, &c.* Censet ergo motionem divinam esse in nostra potestate, ita quòd eam acceptare vel rejicere possimus. Plura his habet similia passim quæ longum esset scribere.

Denique: Agens liberum habet potestatem denominativam in suos actus, nam ut inquit S. Augustinus lib. 3. de libero arbitro cap. 3. *Voluntas nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò quia est in potestate, libera est*

C *nobis; non enim est liberum quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus, sed talem potestatem non haberet nisi quocumque positô extrinsecè, posset actum suum ponere vel non ponere.* Ergo ut hanc denominativam potestatem servet libera voluntas; necessum est quòd positâ etiam divina præmotione voluntas possit actum ponere, vel non ponere.

Confirmatur: Et simul præmissæ nostræ rationes firmantur ac roborantur: Determinatio voluntatis debet esse voluntaria & libera: Ergo nihil supponere debet prævium ad ejus operationem quô ad eam terminetur prioritate naturæ: Antecedens concedunt omnes. Consequen-

D tia probatur: Nihil formaliter potest esse voluntarium & liberum, nisi quod vel supponit actum voluntatis, vel est ipsemet actus voluntatis: Ergo si determinatio voluntatis sit libera & voluntaria, non debet præsupponere aliquid prævium ad ejus operationem, quô positô non possit actionem ponere vel non ponere. *Confirmatur* ex S. Anselmo lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 18. ubi duplicem necessitatem distinguit, aliam antecedentem quæ tollit libertatem; alteram consequentem quæ libertati non nocet: *Est*, inquit, *necessitas præcedens, quæ causa est ut sit res; & necessitas sequens quam res facit. Præcedens & efficiens necessitas est cùm dicitur Cœ-*

E *lum volvi, quia necesse est ut volvatur; Sequens verò quæ nihil efficit, sed fit est cùm dico te ex necessitate loqui, quia loqueris; non quòd aliquid te cogat ad loquendum; Nam violentia naturalis conditionis cogit Cœlum volvi, te verò nulla necessitas facit loqui, sed ubicumque est præcedens necessitas, est & sequens, &c.* Quibus apertè fatetur S. Anselmus necessitatem quæ facit rem esse, & quæ causa est ut res sit, esse necessitatem præcedentem & inimicam libertati: sed necessitas illa quæ sequitur ex prædeterminatione & præmotione facit actionem voluntatis esse, illius enim est causa, & prior est ipsâ prioritate naturæ, ut affirmant Thomistæ: Ergo necesse

est pariter concedant illam præmotionem inferre necessitatem præcedentem inimicam libertati.

Nec valet reponere prædeterminationem non officere libertati, quia voluntatem non determinat per modum naturæ, sed per modum liberi; nec impedit, sed efficit determinationem & cooperationem liberi arbitrii; nam S. Anselmus apertè affirmat omnem necessitatem præcedentem esse inimicam libertati quoquo modo illa voluntatem determinet. *Adde* quòd illa præmotio non possit liberè voluntatem determinare si eam ita in unum dirigat, ut in ejus libertate non sit in aliud tendere, vel non tendere.

X.

Objicitur Doctor Subtilis à Thomistis.

Objiciunt 1. Doctorem in 4. *dist.* 49. *quæst.* 6. *num.* 15. dicentem, *Quòd non est simpliciter contra naturam voluntatis quòd determinetur à causa superiori; hoc est quòd non sit contra naturam ejus oppositum agere: Sicut esset contra naturam ejus determinari ab habitu, sive à natura inferiori*: Ergo censet Doctor voluntatem determinari posse à Deo absque præjudicio suæ libertatis: Ergo etiam salva libertate poterit prædeterminari.

Sed ostenditur illum eis non favere.

Nego consequentiam: Nam ut ibidem observat Doctissimus ejus Scholiastes, non dicit Doctor voluntatem remanere simpliciter liberam, etiam quando à superiori causa determinatur; oppositum enim ibidem affirmat numero 12. dicens voluntem Beati non remanere proximè liberam ad peccandum per causam extrinsecam, videlicet, *Per voluntatem Dei prævenientem illam voluntatem ut semper continuet actum fruendi, & ita numquam possit potentiam suam remotam non fruendi, vel peccandi reducere ad actum: Siquidem nunquam causa secunda præventa à causa superiori agente ad unum oppositum, potest potentiâ propinquâ exire in aliud oppositum.* Sed tantùm contendit Doctor, quòd voluntas equidem determinari possit à causa superiori, non verò ab ulla causa inferiori.

Triplex distingui potest voluntatis determinatio.

Vel dico Doctorem intelligendũ esse de determinatione objectiva, non verò formali, aut efficiente. Triplex enim inpræsentiarum distingui potest determinatio: Vna quidem *objectiva* quæ fit per objectum præstantissimum, & summa ac mira suavitate voluntatem ad se alliciens, & moraliter pertrahens; qualiter Beati determinantur ab objecto beatifico: Alia *formalis* quæ fit per aliquid intrinsecum inclinans voluntatem ad actum; qualis est determinatio quæ fit per habitus virtutum aut vitiorum. Altera denique *efficiens*, quæ fit per causam efficientem & influentem in ipsam voluntatem, ut eam ad operandum determinet & applicet; qualiter Thomistæ censent nostram voluntatem à Deo prædeterminari: Ergo nihil ipsis suffragatur, imò directè in eos militat Subtilis Doctor.

Objiciunt 2. Deus cùm sit primum liberum, & tale per essentiam, ac supremum habeat in nostras voluntates Dominium, omnem liberam illarum determinationem, quæ est libertas per participationem, eminentissimô & perfectissimô modô in se continet: Ergo potest illam causare & efficere sine libertatis dispendio, ut voluntas humana quatenus est secundum liberum & secundum determinans, ad suos actus liberos se determinet. Consequentia patet: Causa enim efficiens potest producere effectus, quos virtualiter aut eminenter præcontinet.

Confirmatur: Dominium divinum ita est summum ac perfectum, quòd quidquid potest creata virtus & dominium, potest & Deus & multò ampliùs ac perfectiori modô: Sed voluntas creata ratione dominii quod habet in suos actus liberos potest salva libertate seipsam determinare & applicare ad suos actus liberos eliciendos: Ergo à fortiori Deus id præstare poterit.

XI.

Quomodo Deus ut supremum liberum nostras voluntates contineat.

Distinguo antecedens: Deus ut supremum liberum virtualiter & eminenter continet liberas nostræ voluntatis operationes ab ipso causandas per concursum simultaneum, & per modum causæ generalis & independentis, concedo: Per præmotionem & prædeterminationem physicam, nego: Similiter *distinguo consequentiam*: Potest determinationem nostræ voluntatis causare per aliquid prævium & antecedens prioritate naturæ & causalitatis illam determinationem activam nostræ voluntatis, nego: Per aliquid concomitans, & concurrens cum ipsa voluntate se determinante, concedo: Nec enim ita Deus habet Dominium absolutum & despoticum in nostras voluntates ut eas etiam repugnantes huc aut illuc vertat; sic enim eas etiam necessitaret, quod repugnat naturæ ipsius voluntatis intrinsecè liberæ nec-non & divinæ ordinationi: Siquidem Ecclesiast. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Et apposui tibi ignẽ & aquam ad quodcumque volueris porrige manũ*

Ad confirmationem: Negari posset major; si enim Deus posset quidquid potest creata virtus & dominium liberum, sequeretur ipsum peccare posse & à bono veroque exorbitare. id enim potest ex propria virtute & libertate creata voluntas. Verùm eam *distinguo*: Deus potest quidquid creata virtus in ratione causæ moventis & cooperantis, concedo: In ratione præcurrentis & prædeterminantis, nego: Et concessa minore, similiter est distinguenda consequentia.

Instabis: Atqui Deus reverà absolutè potest nostras voluntates prædeterminare & prævenire earum determinationem: Ergo nulla solutio. Probatur antecedens ex S. August. *lib. de correptione & gratia cap.* 14. ubi cùm variis probasset Deum per omnipotentissimam voluntatem suam quocumque libuerit hominum voluntates flectere, uti variis exemplis demonstrat, maximè verò exemplô populi Iudaïci Saulem & Davidem in Reges ex Dei ordinatione eligentis & instituentis; tandem concludit, *Si ergo cùm voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum quàm ipsi suas, quis alius facit ut salubris sit correptio & fiat in correpti corde correctio ut cœlesti constituatur in regno: Ergo, &c.*

Nego antecedens: Et ad ejus probationem dico non eam ibi fuisse sancti Augustini sententiam; solùm enim ibidem contendit August. Deum pro libito & ex infinita sua authoritate & sapientia etiam sibi repugnantes hominum voluntates congruum in finem ordinare, ut ipsemet ibidem indicat; cùm enim dixisset, *Sic velle aut nolle in volentis, aut nolentis est potestate ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem*: Subdit, *de his enim qui faciunt quod non vult facit ipse quæ vult*. Ut inde

demostret S. August. homines etiam à pravis & perditissimis hominibus exagitatos patienter & fortiter agere debere, utpote cùm ipsis nihil præter divinam voluntatem eveniat quæ cum summo in homines gaudeat imperio, etiam id assequitur ut prava eorum voluntatis molimina etiam in propriam suam gloriam hominumque salutem cedant.

Vel dico Augustinum esse ita intelligendum cùm ait de his qui faciunt quæ non vult, & facit quæ vult: Id est quantùm ad illos qui resistunt ejus voluntati invitanti eos ad morum suorum correctionem de qua ibi loquitur, illos subjicit suæ voluntati punienti & damnanti eos in ignem æternum; unde sic facit de iis quod vult. Quod aliis verbis explicat D. Thomas 1. p. q. 19. art. 9. *Impossibile est*, inquit, *quod divina voluntas suum effectum non consequatur, unde quod recedere videtur à divina voluntate secundùm unum ordinem, relabitur in ipsam secundùm alium: sicut peccator qui quantum est in se recedit à divina voluntate peccando secundùm unum ordinem, incidit in ordinem divinæ voluntatis dum per ejus justitiam punitur.* Sic ergo S. Augustinus intelligi potest quod Deo volenti salvum facere nullum ei resistit arbitrium: quia nempe, si non exequitur suam voluntatem salvando eum quem invitat ad salutem, exequitur eam puniendo eum qui non vult salvus fieri: Quod confirmatur ex eodem Augustino; dixerat enim priùs: *Patiantur ergo homines se corripi quando peccant, nec de ipsa correctione contra gratiam argumententur, nec de gratia contra correctionem: quia, & peccatis justa pœna debetur, & ad ipsam* (scilicet justam pœnam) *pertinet justa correctio quæ medicinaliter adhibetur, etiam si salus ægrotantis incerta est; ut si is qui corripitur ad prædestinatorum numerum pertinet sit ei correctio salubre medicamentum, si autem non pertinet sit correctio pœnale tormentum.*

Dices 3. Inferiora perficiuntur per subordinationem & conjunctionem ad superiora; ut patet in Luna quæ illuminatur & perficitur per conjunctionem ad Solem; in Fluviis, qui crescunt & augentur dum refluunt in Oceanum; & in Creaturis intellectualibus quæ sanctificantur & beatificantur per amorem & conjunctionem ad Deum: sed per decretum prædeterminans & motionem efficacem voluntas nostra Deo ut primo libero actu subordinatur, & conjungitur fonti ac principio totius libertatis creatæ; Efficaciæ scilicèt infinitæ divinæ voluntatis. Ergo tantum abest ut per præmotionem & prædeterminationem lædatur humana libertas, imò servatur & perficitur.

XII. *Distinguo majorem:* Inferiora perficiuntur per conjunctionem realem & physicam ad superiora, nego: Per quandam eorum imitationem & adumbrationem, concedo. *Ad minorem* dico, Voluntatem creatam conjungi Deo ut primo libero non per præviam Dei motionem & determinationem physicam; sed per imitationem divinæ libertatis cujus creata libertas est quædam participatio; ita quod quemadmodum divina libertas in eo consistit quòd Deus ita se ipsum determinet ut à quocumque agente extrinseco determinari non possit: Unde S. Thomas in 2. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 1. probat in Deo esse liberum arbitrium, *Quia determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed à seipso:* Sic de ratione libertatis creatæ erit, quòd voluntas ita seipsam determinet, ut à quocumque alio non possit prædeterminari, nec efficaciter præmoveri. Plura alia objiciunt Thomistæ, sed eis jam fecimus satis in Physicis.

Qualiter inferiora subjiciantur superioribus & ab eis perficiantur.

CONCLUSIO TERTIA.

RECTE *conciliari potest liberum hominis arbitrium cum infallibili divina prædestinationis certitudine, affirmando eam fieri per decretum præsupponens divinam Præscientiam de futura hominis cooperatione & perseverantia finali in gratia.* Hæc per se patet, & probatur: Per id facile concordat humana libertas cum Prædestinationis certitudine, per quod salvum & integrum stat hominis arbitrium: Sed ita fit per præfatum decretum: Ergo, &c. Probatur *minor*; Per illud namque decretum præsupponens Præscientiam Deus ab æterno nihil statuit infallibiliter ex voluntate humana futurum, nisi præcognita & prævisa libera ejus determinatione & cooperatione: sed per hoc liberum stat hominis arbitrium, non autem prævenitur, nec ullatenus coarctatur. Ergo, &c. XIII.

Qualiter concilietur Prædestinatio cum humana libertate.

Hanc ipsam veritatem disertè tuetur & affirmat S. Anselmus lib. de concordia præscientiæ & prædestinationis Dei cum libero arbitrio cap. 2. ubi cùm dixisset, *Aliqua præsciri apertè futura per liberum arbitrium sine omni repugnantia; unde veritas quoque evidens & ratio docet prædestinari similiter per liberum arbitrium quædam futura absque inconvenientia:* Subdit, *Quamvis necesse sit fieri quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur, quædam tamen præscita & prædestinata non eveniunt ex necessitate quæ præcedit rem & facit, sed eâ quæ rem sequitur:* Et infra, *Sicut Præscientia quæ non fallitur, non præscit nisi verum; sed erit aut necessarium aut spontaneum; ita Prædestinatio, quæ non mutatur, non prædestinat nisi sicut est in Præscientia. Et quemadmodum quod præscitur licèt in æternitate sit immutabile, tamen in tempore aliquando antequam sit mutari potest: Ita est per omnia de Prædestinatione. Patet igitur ex his quæ dicta sunt si benè considerentur, quia nec Prædestinatio excludit liberum arbitrium, nec liberum arbitrium adversatur prædestinationi.* Hæc patebunt evidentiùs & firmabuntur in Sectione sequenti, ubi demonstrabimus Prædestinationem fieri intuitu, & ex prævisione bonorum operum.

SECTIO SECUNDA.

De Causis Prædestinationis.

DEO quondam sciscitanti & sanctissimum Jobum interpellanti ut ediceret, *In qua via lux habitet & tenebrarum quis sit locus? cap.* 38. Tam arduæ quæstionis discussione ita perfractus est ille virorum Sapientissimus & Patientissimus, ut quid reponeret non invenerit: *Respondere quid possum*, inquit, cap. 39. *manum meam ponam super os meum.* At longè majorem nobis respondendi difficultatem ingeminat præsentis Quæstionis titulus. *Si enim difficile æstimamus quæ in terris sunt*, ait Sapiens 9. capite, *& quæ in prospectu sunt invenimus cum labore; quæ in Cœlis sunt quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet nisi tu dederis sapientiam & miseris Spiritum sanctum de altissimis?* I.

Ardua est præsentis quæstionis resolutio.

A Quis ergo tantæ perspicacitatis inveniri poterit qui aperiat in qua via illa divina lux Prædestinationis habitet, quisque sit locus tenebrarum Reprobationis; seu quibus de causis alios ab æterno Deus destinet in Cœlum evehendos, ut ibi fulgeant sicut stellæ in perpetuas æternitates; alios verò detrudendos in terram miseriæ & tenebrarum, ubi sempiternus horror inhabitat? Non me latet varios Hæreticos nedum, sed etiam Catholicos, in his detegendis causis diu multùmque laborasse: at frustratô semper & cassô labore, ut infra meridiana luce clariùs evincemus.

II. *De quibus causis Prædestinationis hic fiat sermo.*

B Verùm, ne in ipso limine turpis & crassa quædam fiat hallucinatio, præmonendum duxi hic non moveri disceptationem *de causis Physicis* divinæ Prædestinationis, utpote quæ nullæ sunt, aut solùm metaphoricæ, *Efficientem* enim causam non agnoscit ipse divinus voluntatis actus quô Deus homines ad beatitudinem destinat: Effectus enim à causa realiter distinguitur; hic autem à divina voluntate est realiter indistinctus, multò minùs *Materialem* & *Formalem*, cùm hæc corporeitatem & compositionem sonent, divinæ puritati & simplicitati omninò repugnantem. Fortè *Finalem* non refugit; at non aliam ab ipso Deo, qui omnia propter semetipsum operatur.

C Itaque de sola *causa Morali* aut *Meritoria*, aut *Motiva*, idque per modum conditionis propter quam, vel sine qua divina voluntas non alliceretur ad formandum Prædestinationis decretum, præsens statuitur solvenda controversia. Cui ut pro viribus faciamus satis, tria maximè hoc in Articulo proponimus discutienda. *Primò*, An ita gratuitus sit in nobis primarius divinæ Prædestinationis effectus, nempe gratia vocans & excitans, ut eam nullus naturæ beneficiô possit promereri. *Secundò*, An omnino gratuita sit, aut ex prævisis meritis, nostra ad gloriam electio & prædestinatio. *Tertiò* denique, An alterius meritum possit esse causa motiva nostræ Prædestinationis.

D Sed ut fœliciori successu Catholicam veritatem ab Hæreticorum strophis & næniis liberam, præfatis in quæstionibus exhibeamus; Priùs lustranda sunt Hæreticorum castra, eorumque circa præsentem materiam detegendi errores, & in apertum proferendi, quò faciliùs fidei gladiô ac veritatis jaculô concidant & evanescant.

Quæstio Prima.

Quot, & qui fuêre Hæreticorum errores de causis divinæ Prædestinationis?

E Neminem Theologorum latere arbitror Pelagium unà cum suis asseclis circa præsentis Quæstionis veritatem graviùs exorbitâsse, utpote qui divinæ Prædestinationis coronidem, nempe gloriam æternam, solius liberi arbitrii fœtum & fructum esse dixerit: Unde quotquot Hæretici hunc in lapidem impegerunt, illius fuerunt aut Antecessores aut Sequaces. Quod ut re comprobemus, sequentes subjicimus quæstiunculas, in quibus apparebit 1. qui fuerint Pelagiani erroris Antesignani, 2. qui Disseminatores, 3. qui Sequaces.

De Pelagianismi Præcursoribus et Antesignanis.

Primus Pelagianismi præcursor fuit Lucifer.

Primarius Hæresis Pelagianæ antesignanus fuit ipse perduellis Angelus *Lucifer*, qui beatitudinem divinam appetiit, eamque obtinere præsumpsit propriis naturæ suæ viribus, ut ipsemet indicat his verbis Isaiæ 14. *In Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum. . . & ero similis Altissimo:* Hoc videlicet cupiens, ut sicut Deus per suam naturam Beatus est, ita ipse naturâ suâ beatus foret: quod equidem eleganter explicat S. Hieronymus, Epist. ad Ctesiphontem, *Non audacter*, inquit, *(ut falsò putas) sed amanter studioséque fecisti, ut novam mihi ex vetere mitteres quæstionem, quæ ante litteras suas plerosque in Oriente decepit, ut per simulatam humilitatem superbiam discerent, & dicerent cum Diabolo* in Cœlum ascendam, &c.

Deinde varii Arrogantes.

Inde sicut Diabolus hujus erroris Parens extitit, illius etiam Propagator & Disseminator fuit; ipsum enim sparsit inter superbos illos homines qui *Deut.* 32. præsumentes se ingeniô, viribus & labore suo, ea quæ habebant consecutos fuisse, ore superbiente proferebant, *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.* Tales erant & illi de quibus ait David Psal. 11. *Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* Tales denique extiterunt veteres Gentiles Philosophi, qui libero arbitrio nimiùm indulgentes, hominem sibi ad fœlicitatem assequendam sufficere docebant: Unde S. Hieronymus Pelagianam Hæresim affirmat ex Philosophis antiquis, & maximè Pythagoræ & Zenonis principis Stoïcorum fonte manasse; Subdit enim laudatô locô, *Quæ potest alia major esse temeritas, quàm, Dei sibi non dicam similitudinem, sed æqualitatem vindicare, & brevi sententiâ omnium Hæreticorum venena complecti, quæ de Philosophorum, & maximè Pythagoræ, & Zenonis Principis Stoïcorum fonte manavit.*

3. Sadducæi.

Postmodùm verò annô circiter quinquagesimô ante Christum natum, *Sadducæi* docuerunt, in nostra esse potestate ut tam fœlicitatis nobis Authores simus quàm infortunii, ut refert Ioseph. lib. 13. antiquitatum Judaicarum cap. 9.

4. Plures pseudo-Christiani.

At post Christum natum, quatuor potissimum Pelagiani erroris prodromos & antesignanos Historia Ecclesiastica prodit, quorum primi extiterunt quidam Christiani à Gentilismo & Judaismo ad Christi fidem in ipsis Ecclesiæ cunis assumpti: Judæi quidem, qui ut præ cæteris fidelibus à Gentilismo traductis sibi primas arrogarent, gloriabantur suam electionem se fuisse promeritos, tum per nativam à Patriarcha Abrahamo Patre fidelium propagationem, tum per Mosaycæ legis observantiam, quam utique non gratiæ adjutorio, sed liberi arbitrii viribus deferebant, ut colligere licet ex Apostolo in Epistola ad Fideles Romæ consistentes; in qua potissimum adlaborat ut Fidelium tum à Judæis, tum à Gentilibus assumptorum, supercilium comprimat: Illis quidem demonstrans suam sortem nec generi, nec legi, sed soli gratiæ & divinæ misericordiæ esse tribuendam: His verò aperiens quòd si in vices & locum reprobatorum quorumdam Judæorum assumpti fuerint, nullam tamen inde gloriæ aut jactantiæ ansam eos habere, utpote cùm hæc suffectio & substi-

tutio

ratio non eorum meritis, sed soli gratiæ sit deputanda.

Primum urget, maximè cap. 3. ubi cùm dixisset Iudæis propter factas sibi repromissiones, & præscriptam à Deo Legem non esse superbiendum, cùm omnes obnoxii fuerint peccato, à quo non per Legem sed per gratiam mundari licuit; *Quia ex operibus Legis*, inquit vers. 20. *non justificabitur omnis caro coram illo.* Seu ut addit vers. 24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu:* Iudæum interpellans versu 27. concludit, *Vbi est ergo gloriatio sua? exclusa est. Per quam Legem? factorum? non; sed per Legem fidei.* Idem acriùs urget cap. 4. aperiens qualiter Abrahamus justificatus non fuerit per Legem, nec per circumcisionem, sed per justitiam fidei; nec eum tantùm Judæorum Parentem censeri, sed & omnium qui sectantur fidem. *Vt secundùm gratiam*, inquit vers. 16. *firma sit promissio omni semini; non ei qui ex Lege est solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui Pater est omnium nostrum, &c.* Cùm autem sequentibus in capitulis aperuisset qualiter Iudæi ob assidua & perpetua peccata suam potius reprobationem quàm electionem fuerint promeriti, concludit cap. 11. *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.*

Secundum pariter ibidem evincit, nempe Gentilibus in Iudæorum reprobatorum sortem suffectis & electis non esse gloriandum. *Si enim*, inquit vers. 15. *amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ assumptio, nisi vita ex mortuis?* Et vers. 17. *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis olivæ factus es; noli gloriari adversus ramos, &c.* Quibus apertè constat nonnullos fideles, tum ex Iudaismo cùm ex Gentilismo assumptos, hac erroneâ sententiâ laborasse, ut arbitrarentur se à Deo fuisse selectos intuitu naturalium ac moralium bonorum; non à gratia, sed ab arbitrio libero manantium, in quibus apertam Pelagianis viam paraverunt.

Sequuntur Manichæi.

Manichæi inter varios errores circa Prædestinationis Causam secundas obtinent: Manes enim, à quo Manichæi, *Duo principia*, inquit S. Augustinus lib. de Hæresibus cap. 46. *Inter se divisa atque adversa, eademque æterna & coæterna, hoc est semper fuisse, composuit: duasque naturas, atque substantias boni scilicet & mali, sequens alios antiquos Hæreticos opinatus est, quarum inter se pugnam & commixtionem, & boni à malo purgationem, & boni quod purgari non poterit, cum malo in æternum damnationem secundùm sua dogmata asseverans, multa fabulatur.* Maximè verò censebat aliquas esse animas ita mali permixtione deturpatas, ut ab eo nulla vi expurgari possent, & idcirco eas fore in æternũ damnandas: Alias verò quæ non ita tenaci tabe inficerentur, sed facilè ab omni mali concretione purgari & liberari possent per ipsam Dei virtutem & Deitatis substantiam, quam per alimenta sumebant; *Eis quippe alimentis, sicut universo mundo Dei substantiam perhibent esse commixtam, quàm purgari putant in Electis suis eo genere vitæ quo vivunt electi Manichæorum..... quâ occasione, vel potius execrabilis superstitionis quadam necessitate coguntur Electi eorum velut Eucharistiam conspersam cum semine humano sumere, ut etiam inde, sicut & de aliis cibis quos accipiunt, substantia illa divina purgetur.... Inde non vescuntur carnibus, tanquam de mortuis vel occisis fugerit divina substantia, tantumque ac tale [illegible]e remanserit quod iam dignum non sit in Electorum ventre purgari. Nec ova saltem sumunt, quasi & ipsa cum franguntur spirent, nec oporteat ullis corporibus mortuis vesci, & hoc solùm vivat ex carne quod in farina, ne moriatur, excipitur; Sed nec alimonia lactis utuntur quamvis de corpore animantis vivente mulgeatur sive sugatur: Non quia putant divinæ substantiæ nihil ibi esse permixtum, sed quia ipse error sibi non constat: Nam & vinum non bibunt, dicentes fel esse Principum tenebrarum, cum vescantur uvis; nec musti aliquid vel recentissimi, sorbent. Animas auditorum suorum in Electos revolvi arbitrantur, aut fæliciori compendio in escas Electorum suorum, ut jam inde purgatæ in nulla corpora revertantur.*

Quorum deliria & sacrilegia ex sancto Augustino referuntur.

Cæteras autem animas, & in pecora redire putant, & omnia quæ radicibus fixa sunt atque aluntur in terra: Herbas etiam, atque arbores putant vivere, ut vitam quæ illis inest & sentire credant & dolere cum læduntur: Nec aliquid inde sine cruciatu eorum quemquam posse vellere aut carpere, propter quod agrum etiam spinis purgare nefas habent: Vnde agriculturam (quæ omnium artium est innocentissima) tanquam plurium homicidiorum ream dementes accusant: Suisque Auditoribus ideò hæc arbitrantur ignosci, quia præbent inde alimenta Electis suis, ut divina illa substantia in eorum ventre purgata, impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda, &c. Hæc paulò longiùs scripsi, ut appareat quas in nænias abeat deliramentum Hæreticorum genium, ubi semel à veritate Catholica exorbitavit.

Tertium locum occupant Priscillianistæ.

Tertium locum inter hos deviantes usurpant Priscillianistæ. *Quos in Hispania Priscilianus instituit, maximè Gnosticorum & Manichæorum dogmata permixta sectantur*, inquit S. August. ibidem cap. 70. *Quamvis & ex aliis Hæresibus in eas sordes, tanquam in sentinam quandam horribili confusione confluxerint. Propter occultandas autem contaminationes, & turpitudines suas, habent in suis dogmatibus hæc verba:* Iura perjura, secretum prodere noli. *Hi animas dicunt ejusdem naturæ atque substantiæ cujus est Deus ad agonem quendam spontaneum interioris exercendum per septem Cœlos & per quosdam gradatim descendere principatus, & in malignum Principem incurrere à quo mundum factum volunt; atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari. Astruunt etiam fatalibus Stellis homines colligatos.* Ita ut quemadmodum secundùm varias ortus nostri constellationes, alii vegetiores & sani, alii verò infirmi & languentes existunt; Sic juxta easdem varias constellationes, alios dicunt nasci destinatos & aptos ad gloriam; alios verò æternis suppliciis mancipandos.

Quorum fabulæ referuntur.

Sequitur Origenes.

Denique inter Pelagiani erroris Antesignanos quartum locum obtinet Origenes: *Nam*, inquit S. Augustinus lib. 11. de Civit. cap. 23. *quidam dicunt animas à Deo quidem factas; sed à Conditore recedendo peccasse, & diversis progressibus pro diversitate peccatorum à Cœlis usque ad terras diversa corpora quasi vincula meruisse. Et hunc esse mundum, eamque causam mundi*

fuisse faciendi, non ut conderentur bona; sed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes jure culpatur: In his enim libris quos appellavit Periarchon, *idest de principiis, hoc sensit, hoc scripsit, &c.* Hunc eundem errorem Origeni tribuit Epiphanius in Panario & Nazianzenus Orat. 31. & Theophylus Alexandrinus Epist. 1. Paschali contra Origenistas.

Hæc omnia confirmat S. Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem non longè ab initio, ubi tacito nomine, Pelagium sic carpit, *Vis adhuc alium nosse tui erroris Principem? Doctrina tua Origenis ramusculus est: in eo enim Psalmo 154. ubi scriptum est (ut de cæteris taceamus)* INSUPER ET USQUE AD NOCTEM INCREPUERUNT ME RENES MEI: *asserit virum sanctum, de quorum videlicet & tu, numero es, eum ad virtutum venerit summitatem, nec in nocte quidem ea pati, quæ hominum sunt, nec cogitatione vitiorum aliqua titillari. Nec erubescas de societate talium, renuens eorum nomina, quorum blasphemiis jungeris, &c.*

Et certè hic error apud Origenem in ipso libro *Periarchon*, legitur pluribus in locis; maximè lib. 3. cap. 1. ubi ait circa finem; *Cùm ergo una omnium sit natura rationabilium Creaturarum, ex ipsa Deus secundùm præcedentes meritorum causas sicut ex una massa figulus creavit & plasmavit, alios quidem ad honorem, alios autem ad contumeliam:* Et cap. 10. dicit, *Providentiam Dei pro singulorum meritis & causis regere immortales animas:* Et explicans ubi illa animarum merita inceperint, addit, *Dum non intra hujus sæculi vitam dispensatio humana concluditur.* Et infra, *Ex præcedentibus causis unumquodque vas, vel ad honorem, vel ad contumeliam præparatur:* Et easdem causas præcedentes infra appellat *antiquiores* secundùm quas hi ad gloriam præparantur.

Nec refert quòd lib. 2. Periarchon cap. 2. apertè doceat, *Spiritum creatum non fuisse, imò nec creari potuisse sine corpore;* Quòd quidem, licèt sit erroneum, tamen indicat illum non asseruisse animas longè ante corpora creatas, nec proinde ante corporum animationem potuisse mereri, vel demereri: Nam ut rectè colligit Suares *lib. 2. de Prædestinatione cap. 4. num. 6.* Ea fuit Origenis sententia quòd animæ priùs creatæ fuerint in quibusdam corpusculis, & inde migraverint in hæc corpora humana, quasi in carceres; ut ibi vel admissi delicti pœnitentiam agerent, vel sua peccata protogantes, ob demerita pœnis æternis addicerentur.

Maximè verò Pelagianis prælusit Rufinus.

Quòd autem reverà Origenis scripta summum Pelagianis patrocinium præbuerint, satis apertè colligitur ex stropha Rufini, quem *Pelagii præcursorem* pluribi appellat S. Hieronymus; quia Rufinus ex Oriente cum Melania Romam repetens, ut faciliorem Pelagianismo viam sterneret, secum detulit Origenis librum *Periarchon*, quem Latinum fecerat, resecissis variis ex eo erroribus, maximè qui mysterium Trinitatis impugnabant; *Vt qui in Trinitate Catholicum legeret, in aliis Hæreticum non caveret*, inquit S. Hieronymus Apologia 1. adversus Rufinum. Ne autem sibi esset impedimento quòd apud nonnullos Origenis nomen malè audiret: Idem Rufinus Apologiam pro Origene ab Eusebio Cesariensi scriptam, à se verò latinitate donatam nomine Martyris Pamphilii evulgavit.

Plures alias strophas ipse Rufinus commentus est, ut idem adstrueret; *Illam autem temeritatem*, inquit S. Hieronymus, Epist. ad Ctesiphontem, *imò insaniam ejus quis digno posset explicare sermone, quod librum Sixti Pythagorii, hominis absque Christo atque Ethnici, immutato nomine Sixti martyris, & Romanæ Ecclesiæ Episcopi prænotavit: In quo juxta dogma Pythagoricorum qui hominem exæquant Deo, & de ejus dicunt esse substantia: multa de perfectione dicuntur: ut qui volumen Philosophi nesciunt, sub Martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipso volumine nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apostolorum, nulla Christi sit mentio, ut Episcopum & Martyrem sine Christi fide contendat. Vnde & vos plurima contra Ecclesiam usurpatis testimonia, fecerat hoc & in sancti Pamphylii Martyris nomine, ut librum deffensionis Origenis, Eusebii Cæsariensis (quem fuisse Arianum nemo est qui nesciat) nomine Pamphylii Martyris prænotaret, quò scilicet illa egregia quatuor Origenis* Periarchon *volumina latinis infunderet auribus.*

Cujus variæ strophæ referuntur.

Et quod mirandum magis, ne quidem ipse Rufinus erubuit jactare Romæ, tum S. Hieronimum, tum etiam Theophylum Alexandrinum Episcopum eisdem Origenis erroribus assentiri, ut ipse testatur S. Hieron. ad Pammachium, Epist. 78. ubi ait, *Me & Papam Theophylum jactabat erroris, latratuque impudentissimorum canum ad inducendos simplices, nostrum mentiebatur assensum.* Inde contigit, referente Baronio ad annum Christi 397. ut immensô tunc periculô Romana fluctuaverit Ecclesia, cùm liber Periarchon (Hæresum ille Thesaurus) manibus Clericorum circumferretur ab imprudentibusque laudaretur, & scriberetur, vipereoque fœtu multiplicaretur ubique: adeo ut nisi Christi promissionibus firmissimo fundamento Ecclesia Romana Petro consolidata fuisset, ejus casus jure timeri potuisset.

Verùm cùm jam latè longéque serperet virus ob Siricii Papæ simplicitatem, quam suggillat S. Hieron. quòd adduci non potuisset ut crederet in Christianis adeò famâ conspicuis Hæresis occultari venenum, ex probitate animi sui nesciens mala existimare de aliis; & ideo non confestim, ut par erat, damnavit igne versionem illam *Periarchon* Origenis veneno refertam. Eô brevi vita functô, ejus successor Anastasius, cum jam Origenis hæreses in Synodo Alexandrina damnatæ fuissent, idque pluribus & manifestis probationibus, atque potissimum S. Hieronymi scriptis Romam missis, unà cum genuina Origenis *Periarchon* translatione ab ipso facta, in qua ejusdem errores singuli aperta luce cunctis inspiciendi exponebantur: Ille inquam Anastasius Papa Apostolica authoritate easdem Origenis hæreses damnavit anno Christi 400. Inde scribuntur per orbem Catholicum ab ipso litteræ, ut quæ cavenda forent circa Origenis errores, omnes scirent. Inde Episcopi invicem suis in provinciis collecti, eosdem errores damnârunt: Quin etiam sanctionem Imperatorum secutam esse, exinde Episcoporum Iudicium sanctus Hieronymus significat Apologiâ primâ, ubi ita Rufini querelis respondet, *Si quid contra Origenem & sectatores ejus dicitur, in te dictum putas: Ergo & Epistolæ Papæ Theophyli, & Epiphanii, & aliorum Episcoporum quas nuper ipsis jubentibus transtuli, te petunt, te lacerant. Imperatorum quoque scripta, quæ de Alexandria, & de Ægypto Origenistas pelli jubent me suggerente dictata sunt: & Romanæ urbis Pontifex miro eos*

odio detestetur, meum consilium fuit: ut totus orbis post translationem tuam in Origenis odium exarsc-rit, quem antea simpliciter lectitabas meus operatus est stylus. Si tantùm possum, miror cur non me metuas, &c. His præmissis de Pelagiani erroris præcursoribus, jam agendum est

DE PELAGIO.

§. 1.

Quis & qualis fuerit?

Pelagius fuit *natione* Brito, *patriâ* Scotus, *habet enim progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia*, inquit Hier. præfat. lib. 2. in Hierem. Fuit etiam *professione* Monachus, *simulata pietate* Paulino & Augustino charus quondam ac venerandus. *Quod ut servum Dei dilexeris, novimus: Nunc autem quemadmodum diligas ignoramus. Nam & non solùm diléximus, verùm etiam diligemus eum, sed aliter diligemus, aliter aliquando diléximus: Tunc enim quia recta fidei videbatur; Nunc autem ut ab iis quæ inimica & adversa gratiæ sentire dicitur*, inquit August. Epist. 105. *Moribus* denique fuit vitiatus, ac voluptati & ventri omnino deditus, si fidem facimus Isidoro Pelusiotæ, qui eum *Epist.* 314. ita carpit: *Tibi ingens annorum turba canitiem invexit; & tamen rigidum atque inflexum animum habes, ex alio Monasterio ad aliud subinde migrans, atque omnium mensas perscrutans & explorans. Quamobrem si tibi carnium nidor, atque obsoniorum condimentum curæ est; iis qui magistratus gerunt potius blandire, atque urbium caminos vestiga; neque enim homines Eremitici facultates eas habent, ut te QUEMADMODUM TIBI GRATUM EST, excipere valeant.* At vagationis Pelagii non eam puto tantùm causam fuisse popinas absumendi, sed potius pateram venenatæ hæresis propinandi ipsis Eremi incolis, ut à viris pietate clarissimis haustus & potatus error, faciliùs ab aliis ebiberetur.

§. 2.

Qualiter & quando Hæreticus innotuerit?

Hic autem astutus & versipellis homo ne qualis esset, Impius deprehendi posset, cùm se diù veré Catholicum simulasset; tandem innotuit, imprimis nonnullis Egypti Monachis, penes quos diutiùs versatus fuerat. Inde hæc erroris scintilla brevi grande in incendium exarsit, nimirum circa annum, non quidem 415. ut ait Bellarminus in suo Chronico, nec circa *annum* quidem 413. ut suspicatur Prosper in Chronico; sed veriùs circa *annum* 405. ut colligere licet ex Epistula quam S. Chrysostomus adhuc exul scripsit ad Olimpiadem, ubi ad finem hæc de Pelagio recèns emergente Hæresiarcha, *De Pelagio Monacho*, inquit, *magno dolore affectus sum: Cogita igitur quot, quantisque coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt; cùm viros tàm piè ac sanctè, tantaque cum tolerantia viventes, abripi atque in fraudem impelli videamus.* Constat autem Chrysostomum obiisse *anno* 407. ut refert Socrates libro 6. cap. 19. Adeoque ante *annum* 413. Pelagius ut Hæresiarcha innotuit.

Censent nihilominùs aliqui Pelagium illum, de quo loquitur Chrysostomus, non fuisse hunc Hæresiarcham cujus errores describimus; quia, inquiunt, hæc Epistula Chrysostomi scripta fuit anno Christi 401. quando in exilio versa-

A batur, ut patet ex ejus lectione: Pelagius verò adhuc famâ sanctitatis florebat *anno* 413. quo annô libros de peccatorum meritis scripsit S. Augustinus, postquam anno superiori 412 Cœlestius apud Carthaginem in Episcopali Judicio excommunicationem meruisset, ut ipse ait lib. 2. Retractationum cap. 33. ut ut sit

Credibile est Pelagium (postquam in Oriente tanquam lupus sub ovina pelle delitescens detectus fuisset) Romam profectum esse; atque ibi *Rufini* sermonibus, nec non & eorum omnium qui Rufino favebant tanquam œstro aliquo percitum de fonte Origenis depromptos
B errores propalare cœpisse: Idque primùm tacitù & suppressû suô nomine, ne scilicet hæresis priùs argueretur quàm illa vires cœpisset eundo, & longè latéque disseminata fuisset, ut colligitur ex S. Hieronymo præfatione lib. 4. in Ieremiam: *Commentarios*, inquit, *per intervalla dictabam, ut quod deerat otio superesset industria, cùm subitò Hæresis Pythagoræ & Zenonis, scilicet impassibilitatis & impeccantiæ, quæ olim in Origene, & dudum in discipulis ejus Grunnio* (Rufinum intelligit) *Evagrioque Pontico & Ioviniano jugulata est, cœpit reviviscere; & non solùm in Occidentis, sed & in Orientis partibus sibilare, & in quibusdam insulis præcipuéque Siciliæ & Rhodi maculare plerosque, & cresce-*
C *re per dies singulos, dum secretò docent, & publicè negant.*

Quibus verbis S. Hieronymus Pelagianismi ortum & successum pandit. *Primò*, docens qualiter Pelagius ex Origene asseruerit posse hominem eò perfectionis pervenire in hac vita, ut affectibus vacuus omni careat peccato. *Secundò*, Ipsum in hoc errore docendo præcursorem & præceptorem habuisse Rufinum Evagrii & Ioviniani sequacem: quod iterum confirmat idem Hieronymus in principio libri secundi contra Pelagium: *Non erubescis*, inquit, *explosam atque damnatam Ioviniani sententiam sequi? Ille enim his testimoniis, tuisque nititur ar-*
D *gumentis: Imò tu illius inventa sectaris, in Oriente disseminans quæ olim Romæ dudum in Africa condemnata sunt.*

Cœpit itaque suum errorem disseminare Pelagius circiter *anno* 405. scriptis aliquot Epistulis & Opusculis fermentô suô conspersis: adeò tamen callidè, & tot tantisque verborum ambagibus argutiisque, ut vel oculatissimos falleret. Etenim *verebatur apertè dicere publicè, quod secretò Discipulis tradebat*, ut ait Hieronymus in Epistula ad Ctesiphontem: *Et perversis instructus verborum argutiis, sub imagine fidei catholicæ disputans, velut pestiferum exhalans virus, totam veri dogmatis quærebat evertere disciplinam*, inquit S. Aug. lib. de Natura & Gratia cap. 10.

E Dum hæc Romæ à Pelagio gererentur, contigit eam ab Alarico Gothorum Rege capi atque vastari, *anno circiter* 410. Tuncque diffugientibus huc & illuc plurimis ejus incolis, Pelagius quoque cum Cœlestio fugit in Africam & Hipponem appulit absente S. Augustino hujus urbis Episcopo: Brevique inde Carthaginem se recepit, ubi semel iterumque visus est obiter ab Augustino, curâ collationis mox habendæ cum Donatistis tunc temporis occupatissimo, & non diu post in Palæstinam properavit, ut omnia hæc testatur sanctus ille Doctor lib. *de gestis Pelagii cap.* 22.

Cum autem Celestius Princeps ejus discipu-

lorum in Africa substitisset, ibique & præcipuè Carthagine doceret apertiùs quæ Pelagius occultè tantùm & ambiguè spargebat apud Palæstinos: atque ut majori authoritate in suis erroribus propagandis incumberet, ad Presbyterii gradum clandestina calliditate promoveri niteretur; pravis ejus conatibus obsistentes Paulinus Diaconus Carthaginensis, & nonnulli alii viri Ecclesiastici, ad Episcopale judicium eum Carthagine detulerunt; ubi accusatus atque damnatus excommunicationis sententiâ, ab Ecclesia Carthaginensi expulsus est, *Vt reportaret dignam sua perversitate sententiam*, inquit S. August. lib. *de gestis Pelagii capite* 22. Hæc autem contigerunt circa annum 412.

Cœlestius verò Carthagine pulsus, *magis convictus quàm correptus recessit*, ut ait sanctus Augustinus Epist. 89. ad Hilarium; indeque migravit in Siciliam Rhodique substitit, ubi plurimos suis erroribus cœpit inficere, ut hic Occidentales macularet, dum Pelagius Orientales perversis suis dogmatibus clanculum labefactabat.

§. III.

A quibus primùm impugnata, & in apertum latens Pelagii hæresis deducta fuerit?

PRIMUS omnium Pelagianam hæresim palam impugnâsse videtur sanctus Augustinus: Nam *Anno* 413. paulò post condemnationem Celestii, scripsit primum suum opus *contra Pelagianos*, tres libros scilicet *de peccatorum meritis & remissione* ad Marcellinum, ut ipsemet affirmat lib. 2. Retractationum cap. 33. Subindeque alium ad eundem *de Spiritu & Littera*, ut ibidem ait cap. 37. Iam enim Pelagius circa idem tempus suam scriptis vulgaverat hæresim, præsertim in illa Epistola, quam scripsit ad *Demetriadem* ut eam ad vitæ Christianæ perfectionem institueret; aliquotve aliis libris, quorum unus traditus fuit sancto Augustino à *Timasio & Iacobo* nobilibus Adolescentibus, primùm quidem à Pelagio errore infectis, posteaque sancti Augustini operâ ad rectam fidem reductis, ut ipse testatur *lib. de Gestis Pelagii cap.* 6.

Eodem ipso tempore stylum contra eosdem stringebat S. Hieronymus in Oriente rogatu Ctesiphontis, ad quem longam Epistolam, & tres libros Dialogi adversos Pelagianos misit; quos ante Synodum Diospolitanam scriptos fuisse colligunt, ex eo quòd nullam illius mentionem faciat: Imò etiam nondum resciviste videatur quænam Doctrinæ Pelagianæ capita fuissent in Celestio damnata Carthagine; alioqui non adeo laborasset in exquirendis & detegendis dogmatibus de quibus Pelagius jam erat apertè in suo Discipulo damnatus.

Alii tamen cum Baronio *ad annum* 415. censent scriptos fuisse, postquam Hieronymus vidit Pelagium malis artibus fraudulentisque responsis & abjurationibus Synodum illam decepisse. Tunc enim ad detegendas illius versutias prudenter excogitavit dialogum illum describere, in quo Catholicus sub nomine *Attici* cogeret acutis interrogationibus *Critobulum* id est Pelagium exprimere quidquid occultasset, suppressô nempe Pelagii & suo nomine, ut ipsemet indicat in præfatione libri 4. in Ieremiam, ubi de Pelagio ait, *Cui respondere diu tacens & dolorem silentio devorans, crebra fratrum expo-*

A *stulatione compulsus sum, nec tamen huc usque prorupi*, VT AUTHORUM NOMINA PONEREM, *malens eos corrigi quàm infamari: non enim hominum, sed erroris inimicus sum*: Et paulo post; *Quibus loquar compendio: Aut bona sunt quæ docetis, aut mala. Si bona, defendite liberè; si mala, quid occultè miseros jugulatis errore, rectaque fide ad decipiendos simplices quosque jactatis expositionem? Quæ si vera est, cur absconditur? Si falsa, cur scribitur?* &c. Et ad Ctesiphontem: *Sola hæc hæresis est quæ publicè erubescit loqui, quod secretò docere non metuit.*

Hujusmodi stimulatione, hoc tandem consecutus Hieronymus fuit, ut in lucem oculosque
B omnium protraheret è vepretis suis nitedulam quæ occultè antea Ecclesiam arrodebat. Nam ex eo tempore Pelagius suam hæresim disseminare cœpit apertè. Et consultò quidem prudenterque sanctus Hieronymus studuit, inquit Baronius ad *Annum* 411. ut viscera Ecclesiæ depascens morbus, foris quò curari posset, appareret in cute: sed & consultiùs scripta hæc ad Ctesiphontem præmittens, sic paravit antidotum: Pestem enim monstrare, hoc ipsum est curare, ne alii eadem lue, & morbi contagione lædantur. Unde subdit Hieronymus: *Ecclesiæ victoria est vos apertè dicere quod sentitis. Aut enim idem responsuri estis quod & nos loquimur, & nequaquam eritis adversarii, sed amici: Aut*
C *si contraria nostro dogmati dixeritis; in eo vincemus quod omnes cognoscent Ecclesiæ quid sentiatis. Sententias vestras prodidisse, superasse est. Patet prima fronte blasphemia: non necesse habet convinci quod sua statim professione blasphemum est.* Hæc & alia sanctus Hieronymus in publicum deducens, latentem & sibilantem in angulo bicipitem anguem, Pelagii scilicet & Cœlestii faucibus in Ecclesiam hæresim inhiantem, ut de eodem sancto Hieronymo illud Iob meritò occini possit: *Obstetricante manu ejus eductus est de caverna coluber tortuosus.* Quem semel progressum in medium horrendum visu sui deformitate serpentem, mox quique Apostolici viri Apostolicæ Doctrinæ jaculis penitus
D confecêre.

§. IV.

Quæ scripserit Pelagius?

VARIA quidem, ut colligere licet, tam ex Scriptoribus Ecclesiasticis, quàm ex sanctis Augustino, Hieronymo, &c. Primò namque scripsit librum DE FIDE TRINITATIS, ut affirmat Gennadius Massiliensis in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: *Pelagius*, inquit, *hæresiarcha, antequam proderetur hæreticus, scripsit studiosis tres necessarios de fide Trinitatis libres.* Secundò ab eodem scriptus est liber *de*
E ACTUALI CONVERSATIONE capitulorum indiciis in modum sancti Cypriani Martyris præsignatus, inquit idem Gennadius; hoc est, in quo ad S. Cypriani exemplum è Scripturis sententiarum capitula complectebatur. *Tertiò* edidit 14 EXPOSITIONUM LIBROS IN EPISTOLAS S. PAULI, de quibus S. Augustinus lib. 3. de Peccatorum meritis & remissione cap. 1. scribit in hunc modum, *Post paucissimos dies legi Pelagii quædam scripta, quæ in Pauli Apostoli Epistolas, expositiones brevissimas continerent*: Hos libros non immeritò quidam suspicantur eos esse qui *Commentariis Hieronymi in Epistolas ali-*

quot sancti Pauli, subjungi vulgò solent. Cui suspicioni non minimum locum præbet, quòd hic Author passim scribat neminem per Adamum peccati reum esse nisi quatenus ejus imitetur exemplum; affirmetque liberum arbitrium citra ullam Spiritus sancti gratiam posse quodlibet operari prout libuerit: quæ certè Pelagianos errores baud obscurè sapiunt.

Quartò etiam ab eodem Pelagio scripta est *Epistola de Virginitate ad Demetriadem*, de qua Epistola hæc babet sanctus Augustinus Epist. 143. ad Julianam, *In quadam verò*, inquit, *Epistola sua idem Pelagius, ubi & nomen suum apertissimè ponit, nec nomen sacræ Virginis tacet, dicit ad eam se scripsisse, & ejusdem sui operis testimoniò probare nititur, se gratiam Dei, quam vel tacere, vel negare asseritur, apertissimè confiteri.*

Hujus autem ad Julianam ipsius Demetriadis Matrem scribendæ Epistolæ Augustino causa fuit, ne scilicet tam filia quàm mater quæ ab ipsius Augustini ore pendebant, spatiis in Pelagii Epistola erroribus inficerentur. Quòd autem reverà ipsa Juliana procul absuerit ab omni hæresis suspicione, quâ videri poterat ex Pelagii litteris acceptis aspersa fuisse; ipsa testatur Epist. ad Augustinum apud eundem num. 143. his verbis, *Noverit*, inquit, *Sacerdotium vestrum longe me, ac domunculam meam, ab hujusmodi personis esse discretam: omnisque familia nostra adeo Catholicam sequitur fidem, ut in nullam hæresim aliquando deviaverit, nec unquam lapsa sit: Non dico eas sectas quæ vix expiantur; sed nec in eas quæ parvos videntur habere errores.* Quibus significat cavisse penitus domum suam hæresibus illis, quibus Dei labefactatur natura atque potentia, ut *Arrianorum*, *Macedonianorum*, *Manichæorum*, & horum similium; quorum comparatione Pelagii errores *Parvos* appellat; quos tamen maximos esse ipsam postmodum docuit sanctus Augustinus; ad quam etiam direxit varios tractatus, maximè *de orando Deo & de bono viduitatis.*

Cur variæ à SS. Patribus ad Demetriadem & ejus matrem scriptæ fuerint Epistolæ.

Scripsit ad eandem Innocentius Pontifex, qui ipsius mulieris sanctitatem ita commendat. *Singulare membrum Ecclesiæ tua Religionis amplitudinem existere, & à nobis reverentissimè coli, satis est omnibus manifestum. In ipso enim apice nobilitatis multò nobiliorem Ecclesiæ devotionem impendis. Et magis lata Christi agnitione, præceptis ejus obtemperas, & de fide potius exultas quàm santi generis flore jactaris. Summa virtutis est vicisse gloriam carnis; & magna est Christi gratia nobilitatem moribus superasse, domina filia meritò illustris.* Quibus Innocentius tanquam in pharetra sagittam abscondit ad feriendum Pelagium, & avocandam ab eo Julianæ mentem, quam Pelagius ipse præfatâ Epistolâ ad Demetriadem inficere tentaverat, eam laudibus extollens & adulatione demulcens, ut illam in suas partes traheret. Nam ex illa Pelagii Epistola, hæc S. Hieronymus lib. 3. contra Pelagium recitat, atque subsannat, ubi de Juliana loquens ait, *Eidem adulans Vidua, non erubescis dicere* PIETATEM, QUÆ NUSQUAM REPERITUR IN TERRA, ET VERITATEM, QUÆ UBIQUE PEREGRINA SIT, IN ILLA POTISSIMUM COMMORARI: Et paolò post, *Docere est hoc an occidere? Levare de terra, an præcipitare de cælo? id mulierculæ tribuere quod Angeli non audeant usurpare? si autem pietas, veritas, atque*

A *justitia non inveniuntur in terris nisi in una muliere; ubi erunt justi tui, quos absque peccato in terris esse jactabas?*

Ad hanc itaque refellendam Pelagiani Epistolam variæ, tum ad Julianam, tum ad Demetriadem scriptæ sunt Epistolæ, non solùm à sancto Augustino, Innocentio Pontifice, & Hieronymo, sed etiam à S. Prospero, quæ sic orditur, *Cùm splendidissima sanctimonia, &c.*

Deinque, scripsit librum *de Natura* Pelagius, de quo S. August. lib. 2. Retractat. c. 24. scribit, *Venit tunc in manus meas quidam Pelagii liber, ubi hominis naturam contra Dei gratiam, B quâ justificatur impius, & quâ Christiani sumus, quantâ potuit argumentatione defendit. Librum ergo quò huic respondi deffendens gratiam, non contra naturã, sed per quam natura liberatur & regitur*, DE NATURA ET GRATIA *nuncupavi.* Editus pariter à Pelagio liber de LIBERO ARBITRIO de quo sanctus Augustinus lib. de Gratia Christi pluribi, maxim verò c. 14. 18. &c.

Quibus omnibus patet Pelagium eruditum prorsus fuisse; quamquam Orosius Presbyter in Apologia DE ARBITRII LIBERTATE quam adversus Pelagium scripsit, *Hominem inflatum, sed vacuum* appellaverit; quemadmodum nec exprobrate omittit quòd esset *Mutilus, lævis in fronte*: Item quòd *balneis epulisque nuC tritus latos humeros gestaret, robustam cervicem præferent in fronte pinguedinem.*

Constat etiam eum ante evulgatam suam hæresim simulatâ pietate apud omnes fuisse celebrem; quamquam enim Isidorus Pelusiota mores ejus perstrinxerit, ut supra diximus; tamen præclarum de Pelagio aliorum judicium erat, ipsi namque S. Augustinus lib. 2. de Peccatorum meritis & remissione cap. 16. tribuit, *Vitam castam moresque laudabiles*: Addirque, *Eum non dubitasse facere, quod illi diviti pro consequenda vita æterna consilia quærenti, cum se respondisset jam omnia implevisse mandata, præcepit Dominus, si vellet esse perfectus, venderet omnia D quæ haberet, thesaurumque transferret in cœlum.* Item lib. 3. cap. 1. *Pelagii*, inquit, *viri ut audio sancti, & non parvò profectu Christiani*: Et cap. 9. *Eum qui noverunt loquuntur bonum, ac prædicandum virum*: Et ibidem, *Vir ille tam egregiè Christianus*: Quod confirmatur ex Beato Chrysostomo qui ut supra diximus ejus casum luget, tanquam pii viri, sancti, & gravia quæque pro Christo perpessi; si tamen is fuerit Pelagius de quo loquimur; nam de altero sanctum Chrysostomum sermonem fecisse, non abs re censent aliqui, ut §. 2. notavimus.

Pelagius aliquando visus fuit vir doctus & probus.

§. V.

E *Quot & qui fuerint Pelagii ac Cœlestii errores?*

VARII quidem: nam S. Augustinus libro 2. de Peccato originali refert, quòd in Synodo Carthaginensi, duodecim errores à Patribus Cœlestio objecti fuerint.

Primò quòd dixerat Adam mortalem factum, qui sive peccasset sive non, moriturus esset. *Secundò* quòd peccatum ipsius ipsum solùm læserit, & non genus humanum. *Tertiò* quòd infantes nuper nati in illo statu sint, in quo fuit Adam ante prævaricationem. *Quartò* quòd per

mortem, vel prævaricationem Adæ, non omne genus humanum moriatur, & quòd non per Resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat. *Quintò* infantes, etiamsi non baptisentur, vitam æternam habere possunt. *Sextò*; divites baptisatos, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse Regnum Dei. *Septimò* gratiam Dei atque adjutorium, non ad singulos actus donari, sed de libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina. *Octavò*; Gratiam Dei secundùm merita nostra dari. *Nonò* Filios Dei non posse vocari nisi omnimodo absque omni peccato fuerint effecti. *Decimò* non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio: quoniam in propria voluntate habet unusquisque facere aliquid, vel non facere. *Vndecimò*, victoriam nostram non esse ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio. *Duodecimò* quod petentibus veniam non detur secundùm gratiam & misericordiam Dei, sed secundùm merita, & laborem eorum qui per pœnitentiam digni fuerint misericordiâ.

Qui errores Pelagio fuerint adscripti.

Porrò sicut Cœlestius in Africa postquam cœpit apertè suos errores spargere, ad Episcopale Iudicium Carthagine delatus fuit: ita Pelagius in Palæstina, accusantibus Herote *Arelatensi*, & *Lazaro* Aquensi Episcopis, hæresis postulatus est in Concilio Diospolitano: ubi, ut scribit S. Augustinus, lib. de Gestis Pelagii, hæc capita fuerunt illi objecta; *Primò*. non posse esse sine peccato, nisi qui legis scientiam habuerit: *Secundò*, omnes voluntate propria regi, tanquam si Deus neminem regat, & frustrà scriptum sit: *Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege illos, & extolle illos usque in sæculum*, inquit S. Augustinus cap. 3. libri citati. *Tertiò*. in die Iudicii impiis & peccatoribus non esse parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos, quasi non essent excipiendi qui fundamentum habent Christum, quamvis superædificent ligna, fœnum, & stipulam, inquit. S. Augustinus cap. 3. ejusdem libri. *Quartò* malum, nec in cogitationem Iustorum venire, quasi non veniat in cogitationem Iustorum quod malum est, neque propterea desinant esse Iusti; dummodo absit consensus, ut ait idem Doctor cap. 4. libri citati. *Quintò*, Regnum Cœlorum etiam in veteri Testamento promissum fuisse, nimirum ut obtinendum vi solius Legis veteris, sine gratia quæ ad novum Testamentum pertinet, & intuitu Christi ejus authoris fuit antea communicata: *Sextò*, posse hominem si velit esse sine peccato, omniaque Dei mandata custodire, & nimirum ad hoc non indigere gratia, sed vires naturales sufficere. *Septimò*. Adam mortalem factum, qui sive peccaret sive non peccaret, mortuus esset. *Octavò*, peccatum Adæ ipsum solùm læsisse, & non genus humanum. *Nonò*, Legem sic mittere ad Regnum, quemadmodum Evangelium: *Decimò*, ante adventum Christi non fuisse homines sine peccato: *Vndecimò*, Infantes recenter natos in illo statu esse, in quo Adam fuit ante prævaricationem: *Duodecimò*. Quod per mortem, vel prævaricationem Adæ omne genus hominum non moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat. *Decimo tertiò*, Quòd infantes etiam si non baptisentur habeant vitam æternam. *Decimo quartò*. quòd divites baptisati, nisi omnibus abrenunciaverint si quid boni visi fuerint facere, nec illis reputetur, neque regnum Dei possint habere. Quæ octo postrema dogmata dicit S. Augustinus cap. 8. libri citati fuisse à Synodo damnata, & ab ipso Pelagio negata & anathematisata, cùm omnia præcedentia verbis ambiguis in sensum Catholicum interpretatus esset. *Decimo quintò*, Ecclesiam hîc esse sine macula & ruga, quasi vellet cum Donatistis in solis Bonis intelligi quos nullum asserebat habere peccatum. *Decimo sextò*, Plus facere nos, quàm in Lege & in Evangelio jussum est, idest, ut exponit S. Augustinus cap. 10. tantum nos habere per naturam liberi arbitrii non peccandi possibilitatem, ut plus etiam quàm præceptum est faciamus. *Decimo septimò*, Gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in Lege atque Doctrina. *Decimo octavò*. Dei gratiam secundùm merita nostra dari, qui si peccatoribus illam det, videtur esse iniquus; propterea que ipsam gratiam in nostra voluntate positam esse, & si per gratiam omnia facimus, quando vincimur à peccato, non nos vinci sed Dei gratiam, quâ voluit nos adjuvare omnimodo, & non potuit; & si gratia Dei est quando vincimus peccata: Ergo ipse est in culpa quando à peccato vincimur: quia omninò custodire nos, aut non potuit, aut non voluit. Ad quæ respondit Pelagius negando hæc sua esse Dogmata, & anathematisando qui sic tenet. *Decimo nonò*, Filios Dei non posse vocari; nisi omnimodo absque peccato fuerint effecti. *Vigesimò*, Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem. *Vigesimo primò*. Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio: quoniam in sua voluntate habet unusquisque aut facere aliquid, aut non facere. *Vigesimo secundò*, Victoriam nostram non ex Dei esse adjutorio, sed ex libero arbitrio. *Vigesimo tertiò*. Pœnitentibus veniam non dari secundùm gratiam & misericordiam Dei; sed secundùm merita & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordiâ;

Quæ omnia Pelagius sua esse negavit, & secundùm Iudicium sanctæ Ecclesiæ reprobare se dixit: Addito anathemate in omnes contravenientes & contradicentes sanctæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinis. Quibus omnibus auditis, Synodus eum absolvit, & Catholicæ Communionis esse professa est, favente Ioanne Hierosolymitano Episcopo, & aliis tredecim qui cum illo convenerant ad Synodum, attendentibus solùm ad id quod Pelagii verba sonabant, neque subtiliùs & curiosiùs inquirentibus ab illo, quid mali sensus occultaret, ambiguisque suis responsionibus involveret.

Quos omnes fictè ejuravit.

Hæc inquam omnia cùm Pelagio à quatuordecim Episcopis in Synodo congregatis proposita fuissent ex libello contra eum dato ab Erote & Lazaro Gallis Episcopis, illis quidem absentibus, utpote qui propter unius ægritudinem ad Synodum pervenire non potuerant, ut refert S. Augustinus *de Gestis Pelagii cap.* 35. Ipse Pelagius anathematizavit his verbis, *Secundùm ipsorum testimonium à me dicta non sunt, pro quibus ego satisfacere non debeo; sed tamen ad satisfactionem sanctæ Synodi anathematiso eos qui sic tenent aut aliquando tenuerunt.* Subdit pariter: *Iterum dico quoniam ista & secundum eorum testi-*

monium non sunt mea; pro quibus, ut dixi, satisfactionem non debeo: Quæ autem mea esse confessus sum. Hæc vera me dicere affirmo: quæ autem dixi mea non esse, secundùm Iudicium sanctæ Ecclesiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ doctrinis: Hæc refert ibidem cap. 33. S. Augustinus ex actis ipsius Synodi.

Sic versipellis homo fefellit Synodum, quam idcirco *miserabilem* appellat S. Hieronymus Epistolâ 79. non quòd in Doctrina erraverit; nam reverà omnes illas præfatas Hæreses damnârunt Diospolitani Patres; lectis enim illis articulis, dixerunt, *Quid ad hæc quæ lecta sunt, capitula, dicit præsens Pelagius Monachus? Hæc enim reprobat S. Synodus & S. Dei Catholica Ecclesia,* ut refert ibidem S. Augustinus: sed quòd non adverterint Pelagium subdolè tantùm suam Doctrinam ejurasse, ne ipse damnaretur: Unde S. Augustinus de peccatorum meritis & remissione lib. II. cap. 9. *Fefellit*, inquit, *Iudicium Palæstinum ipse Pelagius: Propterea videtur ibi esse purgatus. Romanam vero Ecclesiam, ubi eum notissimum esse scitis, fallere usquequaque non potuit, quamquam & hoc fuerit utrumque conatus.*

§. VI.

Quanam arte Pelagius Concilii Diospolitani Patres luserit?

Triplici arte Pelagius Patres Diospolitanos lusit.

VARIA quidem ac multiplici, sicut ipsemet sanctus Augustinus pluribus commemorat in ipso libro *de Gestis Pelagii*. Ubi inter cætera advertit, quòd ipse Pelagius tribus maximè strophis Patres Concilii Diospolitani luserit. *Primo*, dicendo plura ex sibi objectis articulis non à se, sed ab aliis dicta, maximè à Cœlestio suo Discipulo, quamquam reverà idem ipse Pelagius scripsisset & edocuisset. *Secundo* in iis quæ ipse scripsisse convinctus erat, aliqua astutè verba addidit, ut Catholicam doctrinam simulando suam hæreticam servaret: Sic increpatus à Patribus Concilii quòd nihil tribueret gratiæ Dei ad ejus mandata servanda (inquit August. de Hæresibus cap. 88.) *Correctioni eorum eatenus cessit, ut non eam libero arbitrio preponeret, sed infideli calliditate supponeret dicens, adhoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium,* FACILIÙS *possint implere per gratiam: dicendo utique* UT FACILIÙS POSSINT; *voluit credi etiam si difficiliùs, tamen posse homines sine divina gratia facere jussa divina, &c.* Tertiò callidâ interpretatione sua scripta explicavit, ut disertè indicat idem sanctus Augustinus cap. I. de Gestis Pelagii; ubi alias etiam deceptionis causas aperit, nempe quòd Episcopi Græci, Pelagii verba per interpretem audientes, ea discutere non curârunt, *In his*, inquit, *quæ libello quem dederunt sancti fratres & Coëpiscopi nostri Galli,* HEROS, *&* LAZARUS, *qui propter gravem (sicut postea probabiliùs comperimus) unius eorum ægritudinem, præsentes esse minimè potuerunt; recitata sunt objecta Pelagio, illud est primum, quod in libro suo quodam scribit,* NON POSSE ESSE SINE PECCATO, NISI QUI LEGIS SCIENTIAM HABUERIT, *quô recitatô Synodus dixit, tu hoc edidisti Pelagi? At ille respondit,* EGO QUIDEM DIXI, SED NON SICUT ILLI INTELLIGUNT, NON DIXI NON POSSE PECCARE QUI SCIENTIAM LEGIS HABUERIT, SED ADJUVARI PER LEGIS SCIENTIAM AD NON PECCANDUM, SICUT SCRIPTUM EST, legem in adjutorium dedit illis. *Hòc auditô Synodus dixit*, NON SUNT ALIENA AB ECCLESIA QUÆ DICTA SUNT, A PELAGIO: Subdit S. August. *Plane aliena non sunt quæ respondit; illud vero quod de libro ejus* PROBATUM EST, *aliud sonat. Sed hoc Episcopi Græci homines, & ea verba per interpretem audientes, discutere non curarunt: hoc tantùm intuentes quid ille, qui interrogabatur; sensisse se diceret, non quibûs verbis eadem sententia in ejus libro scripta diceretur.*

§. VII.

Quibus in Conciliis damnatus fuit Pelagius?

SANCTUS Prosper affirmat primitùs Pelagianam hæresim *Romæ* fuisse damnatam; ita enim cecinit carminibus de ingratis.

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Relligione tenet.

More igitur majorum factû est, ut nova emergens hæresis, primùm omnium à prima sede examinaretur, atque pariter damnaretur; non quidem in *Pelagio* qui adhuc sub pallio latebat Catholico, sub quo diu Romæ delituerat: detectus verò & Româ captâ abierat in Palæstinam; Sed damnata in *Ioviniano* Pelagii antesignano & præcursore, ut testatur sanctus Hieronymus contra Pelagium lib. 2. in Principio: Ubi alloquens Pelagium sub simulato nomine *Critobuli*, ait: *Non erubescis explosam atque damnatam Ioviniani sententiam sequi? Etenim ille his testimoniis, tuisque nititur argumentis, imò tu illius documenta sectaris; in Oriente docere desiderans, quæ olim Romæ dudum in Africa condemnata sunt.* Quòd autem reverà Pelagius Joviniani dogmata sectaretur, idem aperit Hieronymus Epistolâ ad Ctesiphontem, ubi cùm præmisisset secundam propositionem Joviniani damnatam, illam esse, *Eos qui fuerint baptisati à Diabolo, non posse tentari:* Subdit, *Ioviniani secunda quæstio tui ingenii disciplina est. Quidquid illi responsum est, tibi responsum credito; nec fieri potest ut diversus sit eorum exitus, quorum una est sententia.*

Pelagii errores primû damnati fuêre à Romana sede

Testatur nihilominùs Facundus Hermianensis, ab Innocentio primò omnium damnatam esse Pelagianam hæresim. Cujus verba quia nonnulla scitu digna continent, hîc adscribam. *Invenient etiam*, inquit, *Pelagium hæresiarcham, à quo* PELAGIANI *dicuntur, in judicio Palæstinorum Episcoporum, quæ contra Christi gratiam sentiebat operientem, pravasque sententias suas versutiâ interpretantem per eamdem ignorantiam absolutum. Invenient postremò B. quoque Zosimum, Apostolicæ sedis Antistitem, contra sancti Innocentii decessoris sui sententiam* (QUI PRIMUS PELAGIANAM HÆRESIM CONDEMNAVIT) *fidem ipsius Pelagii, ejusque complicis Cœlestii, quem in Ecclesia Carthaginensi convictum, atque appellantem Apostolicam sedem, ex ipsis gestis discusserat, tanquam veram & Catholicam laudantem: Insuper etiam Africanos culpantem Episcopos, quòd ab illis heretici crederentur, cùm nec dum ipsi, (Africanis Episcopis dolos eorum multò manifestiùs detegentibus) memoratos Pe-*

lagium, & Cælestium putarent orthodoxos. Et tamen nec Athanasium, nec Damasum, nec illos Episcopos, & Zosimum, hareticos credit Ecclesia, quia de hareticis benè senserunt: sed potius pro merito sua fidei Catholicos indicat & honorat: quoniam non debet crimini deputari simplicium, non intellecta versutia malignorum. A

Rursus Prosper io libro contra Collatorem de condemoatiooe Pelagianæ hæresis scribens, priùs ab Innocentio quàm à Palæstinis Episcopis de Pelagio iudicatum esse significat: *Quando*, inquit, *beata memoria Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit: Quando Pelagium ad proferendam in se, suosque sententiam, Palastinorum Episcoporum Synodus coarctavit, &c.* B Ubi etiam refert Cœlestium (quasi non discussô negotiô) aodientiam postulantem, totius Italiæ finibus extrodi jussisse.

Non est tamen dubitandum quin Diospolitanum judicium, Innocentii decretum, ac Pelagii & Cœlestii damnationem antecesserit: Quòd si quidpiam adversari potest ei qood dictum est, primam hæresis illius damnationem ab Romana sede profectam esse; quòd quinto note anoo Cœlestiana dogmata (quæ eadem erant ac Pelagiana) Carthagine ab Afticanis Episcopis damnata sunt; Er Cœlestius ipse excommunicatus; or cum S. August. supra meminimus: Primû illud occurrat, Prosperum, aliosque qui ab Inoocentio primò omnium damnatam esse Pelagiunam hæresim scribunt, de propria loqui & primaria hæresi Pelagii: quæ in eo versabatur qoòd affiinabar, *Gratiam ex merito dari arbitrii*: Nam de hac Prosper disettè loquitur: de Pelagio, inquam, ipso & illo hujus dogmate quô asserebar. C

Qnemque mereri
Libertate sua, nt capiat promissa vocantis.

At Cœlestius non ob hanc hæresin excommonicatus est, sed ob alia quædam quæ ab eo vulgara fuerant, à Paulino accusatus, & damnatus est, quæ ex Augostino colliguntur: maximè quòd diceret parvulis non obfuisse peccarum Adami, nec eos ideò baptisari ut a peccato liberentur. D *Deinde*, quòd (ut Facundus refert) cùm Cœlestius post damnationem appellasset sedem Apostolicam: ita nundum pro damnato se gerebar, sed adhuc tauquam suspensum tenebarur de illo judicium.

Deinde in Concilio Carthaginensi.

Secuodò damnati sunt in Coocilio *Carthaginensi*, celebrato aono Domini 412. sub Innocentio secundo, cujus quidem Concilii acta perierunt, ex eisque taotùm superest fragmentum recitarum à sancto Augostino contra Pelagium, & Cœlestium lib. 2. de Peccato originali cap. 2. ubi ait, *Cælestius quidem in hoc extitit errore liberior usque adeo, ut neque in Episcopali judicio, apud Carthaginem damnare voluerit eos qui dicunt quod peccatum Ada ipsum solum laserit, & non genus humanum: & quod infantes qui nascuntur, in eo statu sint in quo Adam fuit ante pravaricationem.* E Deinde tefert & describir acta judicii Carthagine habiti, io quo damnatus fuit ipse Cœlestius, & unà cum eo Pelagiana subnasceus hæresis.

Demum à variis summis Pontificibus.

Damnatus autem eô judiciô Cœlestios, subterfugia caprans appellandum putavir Innocentium Romanum Pontificem: sed hæc speciè tenus, ne scilicet illô judiciô stringeretur; quippe cum sciret Inoocentium æquè sibi adversantem fore experturum. Unde appellationem minimè prosecutus est, sed defunctô Innocentiô ad ejus successorem Zosimum Romam se contulit, suam causam coram eo acturus, suosque accusatores ad sedis Apostolicæ judicium, quasi calumniis exagitatus, provocaturus, quô declararet se non aliter credere quàm qood Catholica teneret Ecclesia. Idcirco ut faciliùs Pontificem luderet, tantâ arte concionavit scriptum à se libellum, ut non posser, etiam si Zosimus veller, ab ipso rejici, sed suscipi cogeretur; otpote qoi post enarrata, quæ de fide sentiret, ejusmodi ad finem apposuit verba. *Si forte ut hominibus quispiam ignorantia error obrepserit, vestrâ sententiâ corrigatur*: ut refert sanctus Augustinus l. de peccato originali cap. 67.

Maximè ab Innocentio.

Pootifex autem Zosimus ad explorandam hominis fidem interrogare eum cœpit quàm exactissimè, si assentiretur Epistolæ Innocentii adversus errores Pelagii ad universam Ecclesiam datæ: Cui se idem consentire Cœlestius professus est, or testatur sanctus Augustinus lib. 2. contra Epistolas Pelagii cap. 3. Hinc Zosimus spem concipiens Cœlestiom Ecclesiæ, & fidei Catholicæ restituendi, leniùs cum ipso agere cœpit, scripsitque ad Episcopos Africanos, Cœlestii libellom esse Catholicum, ipsumque cum universa Ecclesia sentire. In quibus tamen Zosimum non errasse demonstrat sanctus Augustinos aduersus Julianum Pelagianum lib. 2. cap. 3. probans Zosimi factum, quippe Cœlestium lucrati cupiens cum eo benignè se gessit, eumque ad audienriam admisit.

Et Zosimo.

Ne tamen ab eo deciperetur, ex abundanti caotela scripsit ad Africanos Episcopos, ut si quid contra Cœlestium haberent ad ipsum Romam transmitterent. Qui Patres Carthagine convenientes infensô tulêre animô quòd Zosimus Cœlestium ab ipsis excommunicatum, & tanquam hæreticum damnatum, ad audientiam admisisset: qoibus inter alia respondit Zosimus, *Cum tantum nobis esset authoritatis ut nullus de nostra possit retractari sententia; Nihil egimus quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus.* Et post plura concludit, *Idcirco noverit vestra Fraternitas nihil nos post illas, quas superius litteras vestras accepimus immutasse, sed in eodem cuncta reliquisse statu in quo dudum fuerant, &c.* Quibus significat se Cœlestium non absoluisse: sed omni cum deliberatione, non autem præcipiti gressu in tanto negotio agere voluisse, ut nempe exactiùs rem discuteret, ne Cœlestius versipellis hæresiarcha eum ludere posset: Unde evidentiorem de illius sententia damnata ab illis Patribus notitiam expectabat.

Illi autem Africani Patres non solùm litteras ad Zosimum Papam dedêre adversus Cœlestium, verùm & libellom inter alia miserunt Paulini Diaconi Carthaginensis adversus Cœlestium scriptum, in quo capita omnia continebantur de quibus forer interrogandus ille Cœlestius; quò apparere liquidiùs posset, hæreticus ne an Catholicus (quod profitebator) omnino esset.

Cum autem Cœlestios quæ à Paulino Diacono fueraot objecta damnare recusasset, à Zosimo Pontifice, & sacro Collegio Clericorum Romæ damnatus est unà cum Pelagio, & ab eodem Zosimo ad universos Catholicæ Ecclesiæ

Episcopos

Episcopos de ipsorum condemnatione litteræ conscriptæ sunt, mox eas consequutum est Honorii Imperatoris rescriptum adversus eosdem hæreticos, ut refert sanctus Augustinus *Lib. 3. contra Iulianum cap. 1.* nec-non & S. Prosper contra *Collatorem cap. 10.* ubi inter alia hæc scribit per ironiam, *Erravit Sacro-sancta Beati Petri sedes, quæ ad universum Orbem Papæ Zosimi sic voce loquitur,* NOS TAMEN INSTINCTU DEI (OMNIA BONA ENIM AD AUTHOREM SUUM REFERENDA SUNT UNDE NASCUNTUR) AD FRATRUM, ET COEPISCOPORUM NOSTRORUM CONSCIENTIAM UNIVERSA RETULIMUS: *Erraverunt Africani Episcopi ad eundem Papam Zosimum describentes, eumque in sententiæ hujus salubritate laudantes cùm aiunt: illud verò quod in litteris tuis quas ad universos curasti esse mittendas posuisti dicens,* NOS TAMEN, *&c.*

Quòd autem reverà in ipso Carthaginensi Concilio damnati fuerint Pelagius & Cœlestius, nedum ex dictis apparet: sed rursus confirmatur ex alia sequenti Carthaginensi Synodo ex septuaginta septem Præsulibus adunata & quatuor post annos à prima celebrata nempe anno 416. in qua rursus damnati fuere Pelagius & Cœlestius, ut constat ex Epistola à Patribus ad Innocentium scripta, in qua de Pelagii articulis hæc habentur, *His ergo lectis,* inquiunt, *Pelagium & Cœlestium authores nefarii prorsus & ab omnibus nobis anathematisandi erroris advertimus, unde factum est ut recensendum peteremus quid ante fermè quinquennium super Cœlestii nomine hic apud Ecclesiam Carthaginensem fuerit agitatum.* Et pauló post subdunt quid statutum sit, *Nisi hæc,* inquiunt, *apertissimè anathematisaverint ipsos anathematisare oportere, ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum qui decepti sunt ab eis, vel decipi possunt cognitâ sententiâ quæ in eos lata est sanitas procuretur.*

Insuper eodem *anno 416.* convenerunt *Milevi* in Numidia sexaginta & unus Episcopi, tot enim numerati habentur in ipsorum Epistola ad Innocentium Papam, ut ibidem damnarent Pelagianam hæresim, quam jam in Concilio Carthaginensi damnatam sciebant; sic enim Innocentium compellunt, *Hæc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus imitantes Carthaginensis Provinciæ Coëpiscopos nostros quos ad sedem Apostolicam, quam Beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus.*

Præterea sub Zosimi Pontificatu celebrata sunt *duo* præcipuè *Concilia Africana* quorum meminit S. Augustinus Epistola ad Valentinum & fratres his verbis, *Quod scriptum est ad Papam Innocentium Romanæ urbis Episcopum de Concilio Provinciæ Carthaginensis & de Concilio Numidiæ; & aliquanto diligentiùs à quinque Episcopis, & quæ iste ad tria ista descripsit: Item quod Papæ Zosimo de Africano Concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad universos totius orbis Episcopos, & quod posteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipsum errorem breviter constituimus.* Quibus verbis S. Aug. memoratis prioribus à nobis relatis Conciliis, insuper asserit duo Concilia in Africa adversus Pelagium celebrata; unum quidem particulare, aliud verò universale quod ni fallor fuit Carthaginense. Tertium in causa Pelagii ab Episcopis 214. adunatum, ut asserit S. Prosper adversus Collatorem cap. 10. ubi ait, *Errârunt igitur ducenti quatuordecim Sacerdotes, qui in Epistola quam suis constitutionibus protulerunt ita Apostolicæ Sedis Antistitem beatum Zosimum sunt alloquuti?*

Septimum Concilium in quo damnata fuit Pelagianorum hæresis fuit *Gallicanum*, in quo agentibus sanctis *Germano Antisiodorensi* & *Lupo Trecensi* Episcopis, à numeroso Patrum cœtu proscripti sunt Pelagiani tunc temporis per universam Angliam grassantes; ut narrat Beda lib. 1. Historiæ Anglicæ cap. 17. ubi loquens de SS. Germano & Lupo à Cœlestino Pontifice in Britanniam missis, ut inde hæreticos exturbarent ait, *Ante paucos sanè adventûs eorum annos hæresis Pelagiana per Agricolam illata Severiani Episcopi Pelagiani filium, fidem Britannorum fœda peste commaculaverat. Verùm Britanni cùm neque suscipere dogma perversum gratiam Christi blasphemando ullatenus vellent, neque versutiam nefariæ persuasionis refutare verbi certitudine sufficerent; inveniunt salubre Concilium ut à Gallicanis Antistibus auxilium belli spiritualis inquirant. Quam ob causam collectâ magnâ Synodô quærebatur in commune, qui illuc ad succurendum fidei mitti deberent, atque omnium judiciô eligebantur Apostolici Sacerdotes Germanus Antisiodorensis, Lupus Tricassinæ civitatis Episcopus.*

Plura alia Concilia Pelagii errorem damnarunt, maximè verò Ephesinum generale, in quo cùm Pelagiani Nestorium damnare refugerent cum ipso Nestorio damnandos esse censuit; ut constat ex Canone 1. & 4. Item in Synodo Arelatensi anathema dictum est illi, QUI INTER RELIQUAS *Pelagii impietates hominem sine peccato nasci, & per solum laborem posse salvari damnata præsumptione contenderit, & qui eum sine gratia Dei liberari posse crediderit.* Similiter in Concilio Lugdunensi in quo Arelatensis Synodi decreta comprobantur: Insuper in Concilio Sardiniensi, Arausicano 2. nec-non Valentino & cæteris quæ vel Pelagianam doctrinam expressè condemnarunt, vel sanctorum Patrum contra Pelagianos dicta & scripta probaverunt.

§. VIII.

Quos habuerit Asseclas & Patronos?

DUos maximè; inprimis verò *Cœlestium*, quem S. Augustinus lib. 2. contra duas Epistolas Pelagii cap. 3. *Virum acerrimi ingenii appellat.* De quo pariter Gennadius in Catalogo virorum illustrium ait, *Cœlestius antequam ad Pelagium concurreret; imò adhuc adolescens scripsit ad parentes suos de monasterio Epistolas in modum libellorum tres omni Deum desideranti necessarias: Moralis siquidem in eis dictio nihil ibi vitii postmodum proditi; sed totum ad virtutis incitamentum tenuit:* Plura scripsit quibus Pelagii errores tueretur & disseminaret. Inter cætera verò ejus scripta S. Augustinus lib. de perfectione justitiæ contra Cœlestium, reponit *definitiones*, seu potius ratiocinationes & quæstiones quasi ab aliis formatas, ut eo modo per cuniculos in Ecclesiam hæresim intromitteret. In lib. verò de peccato originali cap. 11. meminit etiam Augustinus *Epistolæ*, seu *libelli* quem ipse Cœlestius Papæ Zosimo obtulit, in quo expressè asseuerat, *Quòd parvulorum nèminem obstringat originale peccatum.* Plures pariter scripsit Epistolas & libellos, quibus Pe-

lagium magistrum extolleret & deffenderet; A ejus autem adversarios insectaretur.

Unde S. Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem de Pelagio sermonem faciens ait, *Vnus discipulorum ejus* (nempe Cœlestius) *imò jam Magister & totius ductor exercitûs, & contra Apostolum vas perditionis per solæcismorum, & non ut sui jactant syllogismorum spineta decurrens*, sic Philosophatur & disputat: *Si nihil ago absque Dei auxilio, & per singula opera ejus est quod gessero: Ergo non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium; frustraque dedit arbitrio potestatem quam implere non possum, nisi me semper adjuverit: destruitur enim voluntas quæ alterius ope indiget: sed liberum dedit Deus arbitrium;* B *quod aliter liber non ero, nisi fecero quod voluero, ac per hoc ait: aut utor semel potestate quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium, aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruitur. Qui hæc dicis, quam non excedis blasphemiam? Quæ hæreticorum venena non superas*, &c. Aperit autem infra qualiter Cœlestius ipsum fuerit insectatus, *Necdum scripsi, & comminaris mihi scriptorum tuorum fulmina, ut scilicet hoc timore perterritus, non audeam ora reserare: & non animadvertis idcirco nos scribere, ut vos respondere cogamini, &c.*

Secundò habuit *Iulianum*, Episcopum Campanum quidem, sed cujus civitatis in Campania, an *Celanensis*, vel *Celenensis*, vel *Eraclensis*, adhuc sub judice lis est, de quo Gennadius supra laudatus ait, *Iulianus Episcopus Capuanus, vir acer ingenio, in scripturis Doctus, Græcâ & Latinâ linguâ Scholasticus, Priùs ergo quàm impietatem Pelagii in se aperiret, clarus in Doctoribus Ecclesiæ fuit: Postea verò hæresim Pelagii defendere visus, scripsit adversus Augustinum impugnatorem illius libros quatuor, & iterum libros octo. Est & liber altercationis amborum partes suas deffendentium*: Subdit, *Eleemosynis tempore famis & angustiæ indigentibus omnibus suis prorogatis, multos miserationis specie nobilium, præcipuè Religiosorum illiciens, hæresi suæ sociavit.* D De eo pariter Beda in Cantica sic scribit. *Iulianus ut Rethor peritissimus, ita gratiæ Dei post Pelagium impugnator acerrimus: ut apertiùs ejus scripta, quibus contra strenuissimum etiam gratiæ propugnatorem Augustinum insanivit, ostendunt, cujus causâ duelli primùm de amore libellum composuit sub obtentu quasi hunc à fœdissima foret voluptate secreturus; re autem verâ suam confirmaturus hæresim.* Subdit, *Dicit sanctum nobis ac generosum amorem ab ipso lucis exordio natura conciliante insitum, & ad ultimam usque senectutem solis viribus animi innixum sine ullo damno suo persistere vigoris.* Hinc ibidem monet Lectorem, *Vt opuscula Cellanensis Episcopi à Campania quæ in eundem librum*, Canticorum, *Confecit, cautissimè legat, ne per copiam eloquentiæ blandientis in cœnum incidat doctrinæ nocentis.*

§. IX.

Quinam præcipui fuerint illius Impugnatores, & Expugnatores?

DUo maximè, inprimis *sanctus Hieronymus*, qui Pelagii errores primus omnium in apertum deduxit, & mirum in modum exagitavit, ut testatur sanctus Prosper carmine de ingratis.

Tunc etiam Bethlei præclari nominis hospes
Hebræô simul & Graiô latiôque venustus
Eloquiô, morum exemplum mundique magister
Hieronymus libris valde excellentibus hostem
Dissecuit, noscique dedit, quô turbine veram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ.

Quibûs aperit mirum ipsius S. Hieronymi in scribendo consilium. Etenim cùm vidisset S. Hieronymus versutum Pelagium Synodum Palæstinam decepisse, & Catholicam veritatem offusis suorum errorum tenebris obscurasse; prudens illud, ut jam diximus, excogitavit inventum, ut tres dialogos scriberet adversus Pelagium sub laruatis nominibus, se quidem *Atticum*, Pelagium verò *Critobulum* appellans; ne scilicet si propria expressisset nomina, invidiam sibi concitaret, insurgendo in hominem eumque hæresis insimulando, quem Diospolitana Synodus absoluerat; nullam pariter in eis dialogis Synodi Diospolitanæ mentionem fecit; ne si ea quæ ab ea gesta sunt approbasset, videretur etiam Pelagii absolutionem probare: si verò damnasset, ipse potius esset damnandus qui Synodum argueret.

In his autem dialogis, exquisitissimis interrogationibus cogit latens intus venenum in medium proferri, omnibusque demonstrari qualis esset, qui errores damnans, videri voluisset C in Synodo probatus omninoCatholicus: Unde inter alia præfatur, *Adversus eos autem qui me dicunt hoc opus inflammatum invidiæ facibus scribere, breviter respondebo, nunquam me hæreticis pepercisse, & omni egisse studio ut hostes Ecclesiæ, mei quoque hostes fierent.*

Hunc omni quô potest studiô & labore fovit, & juvit sanctus Augustinus, qui ut ait Possidius *Decem annos adversus Pelagianam hæresim infatigabili studio laboravit*: Unà cum Aurelio qui præfuit Concilio Carthaginensi: de quibus S. Prosper.

An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius; ingeniumque
Augustinus erat: quem Christi gratia cornu
Vberiore rigans, nostro lumen dedit ævo,
Accensum vero de lumine; Nam cibus illi,
Et vita & requies Deus est: omnisque voluptas
Vnus amor Christi est: unus Christi est honor illi,
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, & in sancto regnat sapientia templo.

Non opus est enumerare, nec hujus loci referre ea omnia quæ vir sanctissimus & omnium hæresum impugnator invictissimus scripserit adversus Pelagium, Cœlestium, & Julianum; hæc enim satis in 7. tomo illius operum apertè patent. Plures alii è sanctis Patribus, putà Orosius, E Hilarius Arelatensis, Fulgentius, Prosper & cæteri Pelagianos dictis & scriptis exagitarunt: Verùm quoniam potissimum ipsis res fuit cum Semipelagianis, idcirco de eis infra.

§. X.

Vtrum Pelagius aliquando suum errorem temperaverit, & tandem aliquod internum ac necessarium gratiæ auxilium admiserit?

SUam equidem sententiam Pelagium verbis saltem exteriùs sonantibus mutasse; ac

temperasse pluribus constat. *Primò* namque asseruit naturam hominis sufficere ad quæcumque opera virtutis exercenda, ad servanda omnia Dei mandata, & vivendum sine ullo peccato; ac denique ad veram & æternam fœlicitatem consequendam: Unde Pelagius Epist. ad Demetriadem nobilissimam Virginem cap. 2. sic ait, *Quoties mihi de institutione morum, & sanctæ vitæ conversatione dicendum est, soleo primò humanæ naturæ vim qualitatemque monstrare, & quid effici possit ostendere; ac jam inde audientis animum ad species incitare virtutum, &c. Optima enim animi incitamenta sunt cum docetur aliquid posse.* Hunc Pelagii errorem variis in locis reprehendit ac insectatur S. Augustinus; nam lib. 3. contra Julianum cap. 3. hæc scribit. *Natura ista in tantas & tam manifestas collapsa miserias, liberatorem, mundatorem, redemptorem Christum habet necessarium; non Iulianum, non Cœlestium laudatorem*: Et lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianas cap. 14. *Non sic*, inquit, *debemus laudare Creatorem ut cogamur dicere, imò verò convincamur dicere superfluum Salvatorem. Naturam hominis dignis laudibus honoremus, easque laudes ad Creatoris gloriam referamus; sed quia nos creavit ita simus grati, ut non simus, quia sanat, ingrati.*

Primam gratiam quam admisit fuit liberum arbitrium.

Verùm cùm Pelagius malè audiret apud Catholicos quòd Gratiam divinam negaret, ad declinandam invidiam & fucum Catholicis faciendum, cœpit nomine *Gratiæ* liberum arbitrium intelligere, ita enim de eo refert sanctus Augustinus de verbis Apostoli cap. 7. *Non inquit* Pelagius *contra gratiam Dei disputo. Vnde probas? Eò ipsò, inquit, non contra gratiam Dei disputo, quòd liberum arbitrium deffendo.* Unde exclamat sanctus Augustinus, *Videte acumen, sed vitreum! quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate.* Hanc autem stropham maximè commentus in Synodo Diospolitana, in qua ne damnaretur à Patribus, gratiæ auxiliantis necessitatem admisit; verùm subdolè per gratiam intelligendo *Liberum arbitrium* & *Naturam* in qua conditi sumus, ut cum aliis Patribus Africanis conqueritur S. Augustinus Epist. ad Innocentium Papam, & Epist. 105. ad Sixtum in qua sic ait: *Cùm huic gratiæ inimici infestique sint isti: Pelagius tamen in Ecclesiastico judicio Palæstino, non enim aliter inde impunitus exisset, anathematisavit eos qui dicunt gratiam Dei secundùm merita dari. Sed cùm ab istis quæritur quam gratiam Pelagius cogitaret sine ullis præcedentibus meritis dari quando anathematisabat eos qui dicunt gratiam Dei secundùm merita dari? Respondent, sine ullis præcedentibus meritis gratiam ipsam humanam esse naturam, in qua conditi sumus: neque enim antequam essemus, mereri aliquid poteramus ut essemus.* Subdit sanctus Augustinus, *Abjiciatur à Christianorum cordibus ista fallacia: Nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus quâ creati sumus ut homines essemus, sed quâ justificati sumus ut homines justi essemus: Ista est enim gratia per Iesum Christum Dominum nostrum; etenim Christus non pro nullis ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est ut justificarentur.*

Hoc autem suum commentum sic adstruebant, ut refert idem sanctus Augustinus sermone 11. de verbis Apostoli, ubi personam interrogantis & respondentis agens, *Expone ergo nobis*, inquit, *O Doctor, quam dicas gratiam? Cum dico inquit* LIBERUM HOMINIS ARBITRIUM, *vide quia hominis dico. Quid deinde? homo est, quis creavit? Deus. Quis ei liberum arbitrium dedit? Deus? Si ergo hominem Deus creavit, & homini Deus liberum donavit arbitrium, quidquid potest homo de libero arbitrio, cujus gratiæ debetur, nisi ejus qui eum condidit cum libero arbitrio? Et hoc quasi acutè ab ipsis dictum. Videte tamen fratres quomodo illam generalem gratiam prædicans quâ creatus est homo, quâ homines sumus, & utique & cum impiis homines sumus: sed non cum impiis Christiani sumus.*

Secundò cùm animadverteret Pelagius offendi piorum animos eò quòd gratiam omnem in natura constitueret; nec commodè posset satisfacere tot Scripturarum textibus quibus gratia naturæ opponitur, & à Christo emanare & conferri dicitur; libero arbitrio adjunxit *Gratiam Doctrinæ*, & *Legis*, ut indicat sanctus Augustinus lib. de Gratia Christi cap. 3. *Gratiam Dei*, inquit, *& adjutorium quô adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio; aut in lege atque doctrina: ut videlicet cùm adjuvat Deus hominem ut declinet à malo, & faciat bonum; revelando & ostendendo quid fieri debeat, adjuvare credatur*: Hinc Prosper de ingratis cap. 2. 2. Admisit gratiam doctrinæ.

Aliud non est vobiscum gratia quàm Lex,
Quàmque Propheta monens, & quàm doctrina ministri.

Omnem itaque & solam institutionem externam ab Evangelica lege & doctrina promanantem, Christi gratiam asserebant, ut ibidem affirmat sanctus Augustinus cap. 10. *Ad doctrinam*, inquit, *pertinet, etiam quòd sapientia revelatur: ad doctrinam pertinet cum suadetur omne quod bonum est. Et si inter docere & suadere, vel potius exhortari, distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuscumque sermonibus vel litteris continetur. Nam & sacræ Scripturæ docent & exhortantur; & potest esse in docendo, & exhortando etiam hominis operatio.* Quibus duplicem doctrinæ modum adstruebant; unum è libris, per lectionem; alterum è sermone, per hominis alterius operationem. Verùm cùm urgerentur à Catholicis hanc legis & doctrinæ gratiam non sufficere ad hominum salutem, ut multis probat S. August. laudatô locô.

Tertium gratiæ genus excogitaverunt, nempe *Christi Domini exemplum & imitationem*, dicentes quod quemadmodum Adamus primus obfuit nobis exemplô malô; ita Christus Adamus secundus profuit nobis exemplô bonô, ut refert ibidem sanctus Augustinus cap. 2. *Solent*, inquit, *dicere nobis in eo Christum ad non peccandum præbuisse adjutorium, quia piè ipse justeque vivendo reliquit exemplum*: Et capite 14. *Gratiam Christi constituit Pelagius, non in virtutis ejus auxilio; sed imitationis exemplo.* Quod ibidem falsum pluribus demonstrat S. Augustinus: Unde lib. 2. contra posteriorem responsionem Juliani cap. 45. concludit: *Hoc est occultum & horrendum virus hæresis vestræ ut velitis gratiam Christi in exemplo ejus esse non in dono ejus; dicentes quia per ejus imitationem fiunt justi, non per subministrationem Spiritus sancti.* Cùm autem hanc etiam suam sententiam sicut & præcedentes, damnatam viderent, maximè in Concilio Carthaginensi Canone 5. his 3. Admisit gratiam exemplarē.

verbis, *Quisquis dixerit eandem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debemus: Non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit:* cùm inquam ita se stringi animadverterent.

4. Gratiam remissionis peccatorum.

QUARTÒ, Commenti sunt aliud gratiæ genus, nempe *gratiam Remissionis peccatorum*, quâ Deus peccata ignosceret & condonaret, ut idem refert S. Augustinus lib. de Gestis in Synodo Palæstina cap. 33. *Dicunt*, inquit, *ut non peccemus impleamusque justitiam, posse sufficere naturam humanam, quæ condita est cum libero arbitrio, eamque esse Dei gratiam; quia sic conditi sumus ut hoc voluntate possimus, & quòd adjutorium legis mandatorumque suorum dedit, & quòd ad se conversis peccata præterita ignoscit,* IN HIS SOLIS ESSE DEI GRATIAM DEPUTANDAM, *non in adjutorio nostrorum actuum singulorum:* Unde lib. 2. contra posteriorem Iuliani responsionem, ita eum carpit; *Tu vestro more, qui de vestro descendit errore, non agnoscis gratiam* NISI IN REMISSIONE PECCATORUM, *ut jam de cætero per liberum arbitrium ipse homo seipsum fabricet justum: Sed non hoc dicit Ecclesia, quæ clamat tota quod didicit à Magistro bono, ne nos inferas in tentationem, &c.*

Hanc autem remissionem peccatorum solam Dei condonationem externam intelligebant: Unde nullam tunc internam gratiam admittebant, quod utique cum pariter damnatum fuisset in Concilio Carthaginensi Canone 3. his verbis; *Item placuit ut quicumque dixerit gratiam Dei in qua justificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere quæ iam commissa sunt; non etiam ad adjutorium ut non committantur, anathema sit.* His tandem perspectis & auditis.

5. Internam illustrationem.

QUINTÒ: Pelagius fateri utcumque cœpit virtutis divinæ auxilium internum Spiritus sancti in homine operantis: sed illud tantùm in sola illuminatione intellectus collocabat: Nolebat autem gratiam voluntati præberi, vel excitantem quæ evigilaret, vel actualem quæ adjuvaret, vel habitualem quæ sanctificaret.

Ut refert S. Augustinus lib. 1. de Gratia Christi cap. 7. ex Pelagio dicente, *Adjuvat nos Deus per doctrinam & revelationem suam dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne præsentibus occupemur futura demonstrat; dum Diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* Quibus verbis Pelagius non solùm exteriorem verbi Prædicationem aut Lectionem necessariam fatebatur: sed ultrò requirebat interiorem Spiritus sancti per verbi illuminationem & suasionem; ita quòd homo quidem vel Angelus, exteriùs operando, hominem docet, & voluntatem ejus illuminat: At Spiritus sanctus hoc peculiare habet, quòd interiùs animum instruet.

Non tamen idcirco volebat Pelagius per illud internum auxilium voluntatem juvari, viresque accipere quibus vellet & posset bonum sectari, ut affirmat S. August. hæresi 78. *Dicunt*, inquit, *ad hoc tantùm adjuvare per suam legem atque doctrinam, ut discamus, quæ facere, & quæ sperare debeamus; nos autem ad hoc per donum Spiritus sancti, ut quæ didicerimus esse facienda, faciamus: Ac per hoc divinitùs nobis dari scientiam confitentur, quâ ignorantia pellitur: charitatem autem dari negant, quâ piè vivitur: scilicet cùm sit donum Dei scientia, quæ sine Charitate inflat; non sit Dei donum ipsa Charitas, quæ ut scientia non inflet ædificat.* Item Epist. 95, quam unà cum Alipio, Evodio, & Possidio Episcopis scripsit ad Innocentium, ne Pelagium in Synodo Palæstina per fraudem absolutum etiam absolveret, & ne ab eo deciperetur sicut Diospolitani Patres, monet; *Sive gratiam dixeris esse liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis præceptum: Nihil eorum dicit, quod per subministrationem Spiritus sancti pertinent ad concupiscentias tentationesque vincendas.* Itaque affirmabat quidem Pelagius Spiritum sanctum, nostrum illustrare intellectum, quâ positâ illustratione voluntas propriis viribus, & virtute liberi arbitrii posset bonum sectari. Quod longè alienum erat à veritate Catholica, ut aperit S. Augustinus lib. de Gratia Christi, quem librum post damnatam hæresim Pelagii primùm ab Innocentio I. deinde à Zozimo, S. Doctor scripsit, ut ipse testatur lib. 2. Retract. cap. 50. illô inquam librô de Gratia Christi cap. 28. ubi hæc Pelagii verba citat ex ejus libro pro libero arbitrio; *Cum autem tam forte*, inquit Pelagius, *tam firmum ad non peccandum liberum in nobis habeamus arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ Creator inseruit: Rursus pro ejus inæstimabili benignitate quotidiano ipsius munimur auxilio:* Nempe externa vel interna illuminatione, quâ positâ, voluntas ex arbitrii liberi viribus poterat bonum exequi.

SEXTÒ. Non desunt viri Theologi qui fateantur Pelagium ubi suam hæresim damnatam ab Innocentio & Zozimo audivit, ex tunc cœpisse agnoscere & fateri gratiam internam & auxilium supernaturale, per quod voluntas sufficientes accipiat vires ad actus quoslibet salutares eliciendos. Idque firmant ex eo quòd Pelagius tria hæc distinguat, *posse, velle, agere*; affirmetque *posse* voluntatis divinitùs adjuvari: Ejus verba refert S. Augustinus lib. de Gratia Christi cap. 4. *Nos sic tria ista distinguimus*, inquit Pelagius lib. 3. pro libero arbitrio. *& certum velut in ordinem digesta partimur. Primo loco* posse *statuimus: Secundo* velle: *Tertio* esse. *Posse in natura, velle in arbitrio, esse in affectu locamus. Primum illud, idest* posse *ad Deum propriè pertinet, qui illud Creaturæ suæ contulit: Duo verò reliqua* velle *&* esse *ad hominem referenda sunt, quia de arbitrii fonte descendunt: Ergo in voluntate & opere bono laus hominis est; imò & hominis & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio.*

6. Visus est admittere gratiam internam sed fallaciter.

Quibus verbis quamquam Pelagius videatur admittere gratiam interiùs excitantem & adjuvantem voluntatem ad opus bonum; nihilominùs reverà ipsam non admisit, ut affirmat S. Aug. ibidem cap. 5. *Scire quippe debemus*, inquit, *quòd, nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis quam solam in his tribus (nempe possibilitate, voluntate, & actione) nos habere affirmat ex Deo: Tanquam hoc sit infirmum quod ipse Deus posuit in natura; cætera verò duo quæ nostra esse voluit, ita sint fir-*

ma & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio: & ideo non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus: sed tantummodo adjuvet ut velle, & agere valeamus. Unde colligit cap. 8. *Hinc itaque apparet hanc eum gratiam confiteri, quâ demonstrat & revelat Deus quid agere debeamus; non quâ donat atque adjuvat ut agamus.*

Confirmatur ex cap. 25. ejusdem libri, ubi sic ait, *Desinat Pelagius & seipsum & alios fallere contra Dei gratiam disputando. Desinat dicere quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat, quòd vero bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus nostrum est; desinat inquam ista dicere: Non solùm enim Deus posse nostrum donavit, atque adjuvat, sed etiam velle & operari operatur in nobis.* Et infrà, *Quomodo dicit Pelagius quod bene loqui possumus Dei est, quod bene loquimur nostrum est; cùm dicat Dominus,* Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis; *Neque enim ait, non vos estis qui dedistis vobis bene posse loqui, sed ait* qui loquitur in vobis: *non significans possibilitatis profectum, sed exprimens cooperationis effectum: Quomodo dicit liberi arbitrii elatus Assertor quòd possumus benè cogitare Dei est, quod autem benè cogitamus nostrum est? Cui respondet humilis gratiæ Prædicator, non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobismet-ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; non enim ait posse cogitare, sed cogitare.*

7. Admittit gratiam internam supernaturalem; non ad necessariò, sed tantùm ad faciliùs operãdum.

Septimò tandem: Censent nonnulli quòd Pelagius coactus aliquam admittere gratiam supernaturalem quâ voluntas bonum sectaretur, eam tantùm admiserit, non utique necessariam, sed solùm utilem, quâ nimirum faciliùs bonum opus voluntas exerceret, ut indicat S. Augustinus libro de Gratia Christi cap. 22. & 23. ubi cùm retulisset verba Pelagii scribentis in Epistola ad Demetriadem, *Auxilium supernaturale nobis concedi, ut divinam mereamur gratiam, & faciliùs nequam spiritui, auxilio sancti Spiritus resistamus*) subjungit S. Augustinus) *Significat profectò quid sapiat: Ut quid enim hoc verbum interposuit* faciliùs? *An non erat integer sensus ut nequam spiritui, sancti Spiritus auxiliò resistamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens utique credi tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam sine auxilio Spiritus sancti, etsi minùs facilè; tamen aliquô modô nequam spiritui resistatur.* Et lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 2. ait *Pelagius*; Faciliùs *dicit impleri quod bonum est, si adjuvet gratia: Quô additamentô, idest addendo faciliùs, utique significat hoc se sapere, quod etiamsi gratia defuerit adjutorium, potest quamvis difficiliùs, impleri bonum per liberum arbitrium:* Itaque non immeritò Alvares lib. 1. de auxiliis Disp. 1. num. 4. colligit *Cælestium* quidem admisisse necessitatem auxilii sufficientis; non autem auxilii efficacis ad operandum: *Iulianum* verò agnovisse necessitatem auxilii adjuvantis, non tamen auxilii prævenientis & excitantis: *Pelagium* verò solùm admisisse gratiæ utilitatem, non verò necessitatem.

§. II.

Quibus de Causis ita erraverit Pelagius?

Pelagio prima causa errandi

Præcipuæ causæ quæ Pelagium, virum aliunde doctum & aliàs pietatis nomine celebrem, hunc in fœdum errorem impulerunt, videntur *primò* quòd magnam videret Christianorum in bonis operibus faciendis socordiam, quam utique corrigi posse sperabat, si grande quid de propriis suis viribus cogitarent, nec omnem suam in bono virtutem in solam Dei gratiam refunderent. *Secundò*, quòd Manichæorum vitare vellet errorem, qui naturam omnimodè vitiatam, & ad bonum quodlibet inutilem affirmabant. *Tertiò*, quòd moveretur dictis quorundam sanctorum Patrum, qui cùm Manichæos insectarentur, plura in favorem liberi arbitrii protulerunt; non distinguentes quid homo per naturam, quid per gratiam posset; quia necdum hac de re controversiam moverat nemo; quod dum ipsemet non attendit Pelagius, sic Manichæis cœpit adversari, ut ipse in diversum declinans, oppositam in hæresim inciderit. *Quartò* denique ad id sentiendum fortè ipsi stomachum moverunt quædam S. Augustini verba, ut ipse refert lib. 2. de bono perseverantiæ cap. 20. dicens, *In meis libris* Confessionum, *certè dixi Deo nostro & sæpe dixi, da quod iubes & jube quod vis, quæ mox verba Pelagius Romæ cum à quodam fratre Coëpiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquanto commotiùs, pene cum eo qui illa commemoraverat litigavit:* Siquidem ferre non potuit quòd arbitrii libertati detraheretur quidpiam ut gratiæ Dei tribueretur.

fuit zelus subdolus.

2. Ut declinaret Manichæorum errorem.

3. Varia SS. Patrum de humano arbitrio encomia.

4. Quædam S. Augustini dicta.

DE SEQVACIBUS PELAGII.

Debellato & maximè per sanctum Augustinum expugnato Pelagii errore, occasione eorum quæ idem S. Augustinus de Gratiæ divinæ necessitate & efficacia, deque gratuita electione scripserat, duo alii non minus infensi errores suborti sunt. Quidam enim viri graves & de scientiis bene meriti, ipsius sancti Doctoris scripta sic intelligentes quasi totum salutis nostræ negotium soli gratiæ & gratuitæ electioni tribueret; totam pariter aliquorum perditionis causam in reprobationem divinam & in gratiæ substractionem, non autem in libertatem humanam à recto tramite deviantem refunderet: persuasum habuerunt & asseruerunt quod non Electi salutem suam liberè operentur, nec Reprobi suam perditionem ipsimet texerent; sed quadam necessitate fatali ad suum quisque finem à Deo prædestinatum duceretur & traheretur; quocirca *prædestinati*, seu *prædestinatiani* appellati sunt, ut refert Sigebertus in Chronico circa annum 415.

Ex Pelagianismo duo suborti errores oppositi.

1. Prædestinatianorũ.

2. Semi-Pelagianorum.

Inter hunc verò Prædestinatorum & illum Pelagianorum extremè oppositos errores, mediâ quasi securiori viâ nonnulli viri docti & Catholici in Gallia, maximè verò in Civitate Massiliensi commorantes, alium texuerunt errorem; nihil quidem cum prædestinatorum doctrina commune habentes; à Pelagio verò diversi, non solùm quòd faterentur peccatum originale, sed etiam quod necessitatem gratiæ interioris ad quodlibet opus bonum agnoscerent; nec-non à Iuliano: Ille namque credebat hominem in opere bono adjuvari, item ad bene operandum divinâ gratiâ præveniri; affirmabatque hominem benè semper incipere absque gratiæ auxilio, & isto præ-

claro conatu divinam gratiam promereri; quod utrumque ipsi respuebant. In hoc tamen cum Pelagio & Iuliano errabant, quòd dicerent salutis initium esse ex nobis, idest consistere in aliquo naturali desiderio, petitione, conatu, & labore, quô gratiæ auxilia ad salutem necessaria impetremus: Inde dicti sunt à S. Prospero Epistolâ ad S. August. *Pelagianæ pravitatis reliquiæ*, nec-non *Massilienses Presbyteri*, & demum *Semipelagiani*: quorum Authores *viros claros & egregios in omni virtutum studio, imò & sanctos*, quibus Augustinianæ doctrinæ deffensores nulli essent secundi, ipsemet S. Prosper disertè pronuntiat. Qui autem præcipui fuerint illorum errores, quique errorum Magistri & sectæ præcipui Deffensores & Impugnatores, aperiendum est.

§. I.

Quot & qui fuerint Semi-pelagianorum errores?

In quibus Semi-Pelagiani à Pelagianis discrepabant.

IN quibus Semi-pelagiani à Pelagio & Iuliano discrepârint, iam dictum est; concedebant namque nos gratiâ præveniri ad omne opus bonum incipiendum & perficiendum, ut affirmat S. Hilarius Epistola ad S. Augustinum, *Ad nullum opus*, inquit, *vel incipiendum, vel perficiendum quemquam sibi sufficere posse consentiunt*; Quod idipsum docet S. Augustinus lib. 1. de Prædestinatione cap. 1. *Pervenerunt etiam*, inquit, *ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur, atque ut ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant*: Et cap. 16. lib. de bono Perseverantiæ, *A Pelagianorum porro hæretica perversitate tantùm isti remoti sunt, propter quos hæc agimus, ut licèt nondum velint fateri prædestinatos esse qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permanentes, jam tamen fateantur quòd eorum præveniat voluntatem quibus datur hæc gratia.*

Et conveniebant maximè in quinque.

Nihilominùs cum Pelagio in quinque maximè Capitibus videntur exorbitasse. *Primò* namque cum ipso affirmabant in nobis esse quoddam fidei initium seu credendi affectum, & conversionis desiderium, quibus fidem ipsam, nec-non & inde auxilia omnia ab salutem necessaria possemus promereri. De fidei quidem initio hanc ipsorum fuisse sententiam luculenter aperit S. Prosper Epist. ad S. Aug. ubi ait; *Inquiunt vitam æternam iis appendi qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ meritô credulitatis acceperint.* De conversionis desiderio idem affirmat, *Cùm in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis duo sint quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam esse, quàm gratiam, ut initium sanctis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare qui salvat; & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.*

1. Quia admittebant ex nobis fidei initium.

Similiter S. Hilarius Epistolâ ad Augustinum, Semipelagianos, & fidei initium & sanationis desiderium naturæ tribuisse docet, his verbis, *Id conveniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, ut cùm prostratis & numquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio, eô meritô quô voluerint & crediderint à suo se morbo posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis consequantur effectum.* Idem ipsemet docet S. Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum; Cùm enim cap. 1. dixisset Massilienses agnoscere & fateri tum generis humani in Adamo corruptionem, tum gratiæ ad opus bonum tam incipiendum quàm consummandum necessitatem, adeoque in his à Pelagio dissentire; statum quæstionis & controuersiæ cum ipsis Massiliensibus disceptandum aperit cap. sequenti dicens; *Sed nunc eis respondendum esse video qui divina testimonia quæ de hac re adhibuimus* (nempe de fide quâ Christiani sumus, quæque donum Dei est) *ad hoc dicunt valere; ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo, tanquam fides non ab ipso donetur nobis, augeatur in nobis eô meritô quô cœpit in nobis.*

Qualiter autem hunc ipsum errorem adstruerent, aperit S. Prosper Ep. laudata, ubi juxta Semipelagianorum sententiam ait; *Hominem nihil priùs merentem, quia nec existentem liberi arbitrii rationalis gratia Creatoris instituit ut per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei & ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam quâ in Christo renascimur pervenire per naturalem scilicet facultatem petendo, quærendo, pulsando: & ideo accipiat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus, ut ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ opem meruit pervenire.* Quibus verbis indicat Semipelagianos duplicem agnovisse gratiam, nempe *naturalem* quâ Dei beneficiô & gratuita liberalitate conditi sumus, quamque appellabant rationalem gratiam Creatoris, naturalem facultatem, naturæ bonum, gratiam initialem. Alteram verò gratiam *supernaturalem*, seu salvantem quâ in Christo renascimur, ita quòd ab initiali gratia per ipsius bonum usum ad salutem perveniri assererent; juxta illam Christi Domini promissionem, *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.*

Secundus Semi-Pelagianorum error erat, quòd non solùm fidei, sed etiam omnium operum salutis, initium adscriberent libero arbitrio, & bonæ voluntati humanæ, ita ut existimarent nos omne opus bonum priùs incipere, desiderando, petendo, conando per vires liberi arbitrii, & tunc ad perficiendum bonum quod desideramus, nos Dei gratiâ adjuvari: reverà enim negabant omne verum prævenientis gratiæ auxilium, sive ad fidem, sive ad bona opera, non solùm efficax, sed etiam sufficiens. Quòd si eorum quidam interdum faterentur nos ad bona opera Dei gratiâ præveniri, ut infrà constabit de Fausto & Cassiano, præcipuis Semi-Pelagianorum Patriarchis; illud intelligebant de gratia legis atque doctrinæ, & externæ Dei protectionis. Et bonorũ operum.

Quòd autem assererent initium cujuslibet boni operis ex libero arbitrio pendere, colligitur ex S. Augustino lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 2. ubi de Semi-Pelagiana opinione sermonem faciens ait, *Non ergo receditur ab ea sententia quam Pelagius ipse in Episcopali judicio Palæstino, sicut eadem gesta testantur, damnare compulsus est, gratiam Dei secundùm merita nostra dari, si non pertinet ad Dei gratiam quòd credere cœpimus; sed illius potius quòd propter hoc nobis additur ut pleniùs perfectiùsque credamus: ac per hoc initium fidei nostræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis & supplementum ejus, & si*

quid aliud fideliter poscimus. Idipsom apertè indicat S. Prospet advetsus Collatotem, hoe est Cassianum collationum seu conferentiarom sctiptotem, ubi eum sie interpellat cap. 5. *Satis te Pelagianorum calumnias pracavere existimas, si quid in universitate vocatorum sentiendum est, id nobis in portione concedas? sed nec cum hareticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia est. Illi in omnibus justis hominum operibus libera voluntatis tuentur exordia; nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia. Tu informe nescio quid tertium, & utrique parti inconveniens reperisti, quò nec inimicorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentia permaneres. Quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere, quòd velis nolis, convinceris dicere gratiam Dei secundùm merita nostra dari, cùm aliquid pracedere boni operis ex ipsis hominibus propter quod gratiam consequantur affirmas, &c.* Idem docet S. Hilarius Epistola ad S. Augustinum, ubi postquam asseruit Semipelagianos sentire in nobis esse initium aliquid fidei, subdit: *Vnde consequens putant, exhibendam ab eo fidem, cujus natura id voluntate conditoris concessum est; & nullam ita depravatam, vel extinctam putant, ut non debeat vel possit se velle sanari, propter quod vel sanetur quis à sua, vel si noluerit cum sua agritudine puniatur. Nec negari gratiam, si pracedere dicatur talis voluntas, qua tantum medicum quarat, non autem quidquam ipsa jam valeat: Nam illa testimonia ut est illud,* sicut unicuiqoe partitus est mensotam fidei: *Et similia ad id volunt valere ut adjuvetur qui cœperit velle, non ut donetur ut velit, rejectis ab hoc dono aliis pariter reis, & possent similiter liberari, si ea qua pariter indignis praestatur credendi voluntas, etiam ipsis similiter prastaretur.*

Tertius Semipelagiaoorum ettor erat, ad gratiam sanctificantem consetvandam non aliô nos indigete auxiliô quàm qood à natura & libero arbittio inditum erat, vel unà cum gratia tegenerante fuerat adeptum, ot aperit S. Prosper catminibus de ingratis ubi inter cætera ait

Esse autem edoctis istam communiter aquam
Libertatem animis, ut cursum explere beatum
Persistendo queant finem effectumque petitum
Dante Deo ingeniis qui nunquam desit honestis.

Idipsum patet ex sententia Cassiani Collat 13. cap. 14. ubi cùm dixisset Diabolum à Jobo esse victum, *Non Dei, sed Iobi viribus*, subdit, *licet etiam gratia Dei non in toto illi defuisse credenda sit*; & explicans quæ fuetit illa gratia. *Hoc totum*, inqoit, *procuravit Deus ne violentissimus inimicus animam ejus amentem faciens, & impotentem, sensu impari eum atque inique certaminis pondere pragravaret:* Et Collatione 7. cap. 14. explicans illud Apostoli, *Fidelis autem Deus qui non permittet vos tentari supra id quod potestis,* ait: *Non utique obstat ne eos Dominus tentari permitteret; sed ne supra id quod sustinere poterant tentarentur. Illud enim indicat humani arbitrii facultatem, hoc verò Domini gratiam tentationum luctamina moderantis ostendit.* Io hoc autem Massilienses eum Pelagio concordabant. Pelagium enim existimasse unumquemque propriis viribus perseverare docet nos S. Hieronymos lib. 11. eootra Pelagianos, & S. Aogustinus lib. de Perfectione justitiæ, item hætesi 88. ubi ait, *Vt augeatur fides & perseverent in ea homines; non ab ipso accipere, sed à se ipsis habere contendunt.* Juliani quoque verba sunt lib. de Bono constaoriæ: *Hac namque est constantia que maximè asserit arbitrii potestatem ac bonum, ejusque natura & humani animi motus.* Qood autem idem, aut quid simile docuetint Semipelagiani, non obseutè indicat S. Prosper Epist. ad S. August. citca medium ubi ait. *Iam hic proferunt testimonia quibus divinarum Scripturarum cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui ex libero arbitrio aut faciant qua jubentur, aut negligant; & consequens putant ut quia pravaricator ideo dicitur non obedisse quia noluit; fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuisse quia voluit, & quantùm quisque ad malum, tantùm habeat facultatis ad bonum; parique momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes movere, quem bona appetentem gratia Dei foveat, mala sectantem damnatio justa suscipiat.* Inde

Quartus eorum errot etat qoòd opeta bona, quotum initium vitibus liberi arbittii tribuebant, Prædestinationis caosam motivam asseterent; alioquin inquiebaot ot tefet S. Prospet eadem Epistola, *Removeri omnem industriam tollique virtutes, & sub hoc pradestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem; aut diversarum naturarum dici Dominum conditorem si nemo aliud possit esse quàm factus est.* Et paolo ante dixerat eos asserere, *Vniversis hominibus propitiationem sine exceptione esse propositam, ut quicumque voluerint salui esse possint.* Idem affitmat sanctus Hilarius Epistola pariter ad S. Aogustinum ubi ait eos dixisse, *Talem omnibus remansisse voluntatem quâ vel contemnere quis valeat, vel obedire, & sic de compendio rationem reddi Electorum vel Rejectorum, in eo quòd unicuique meritum propria voluntatis adjungitur.* Cum autem ioqoit S. Prosper ibidem, *Innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum, qui utique excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones non sine Dei judicio secernuntur, ut ante discretionem boni ac mali de usu vita istius auferendi, alii per regenerationem inter cœlestis regni assumantur haredes, alii sine baptismo inter mortis perpetua transeant debitores.* Huic argumento ut responderent.

Quintum texuerunt errorem: nempe qoòd quidam parvuli consequerentur gratiam baptismatis, qoia Deus præviderent eos per liberum arbitrium gratiam esse prometituros, si ad adultam petvenirent ætatem; alios verò ideirco baptismum nou fuisse consequutos, qoòd Deus præviderat tale meritum eos non habituros si vixissent. Seu ut loquitur ibidem S. Prosper, *Tales aiunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad adultam servarentur atatem, scientia divina praviderit. Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non praviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere quas ab ea secundùm suam phantasiam non negant esse praventas: sed in tantum quibuscumque commentitiis meritis Electionem Dei subjiciunt, ut quia praterita que non extant, futura qua non sunt futura confingant; novoque apud illos absurditatis genere, & non agenda prascita sint, & prascita non acta sint.*

§. II.

Qui fuerint Semipelagianorum Principes & Magistri?

Cassianus primus Semipelagianismi inventor.

INTER eos primas obtinuisse videtur CASSIANUS priùs sancti Joannis Chrysostomi discipulus, demum eô vita functô, Massiliensis Ecclesiæ Presbyter, quem à scriptis Patrum collationibus collatoris nomine designat & impugnat S. Prosper cap. 2. ubi ait, *Vir quidam Sacerdotalis ordinis* (Cassianum intelligens) *Qui disputandi usu inter eos, quibuscum degit, excellit, Abbatem quendam introducit de gratia Dei & libero arbitrio disserentem, cujus se ostendit per omnia probasse ac suscepisse sententiam:* Unde cap. 3. Cassianum veluti Semipelagiani dogmatis invenrorem & propugnarorem præcipuum ita interpellat, *Sed nec cum Hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia est. Illi in omnibus justis hominum operibus liberæ voluntatis tuentur exordia: nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia: Tu informe nescio quid tertium, & utrique parti inconveniens reperisti, quò nec inimicorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentia permaneres.*

Quæ fuerit ejus mens S. Prosper indicat.

Cassiani autem quæ fuerit erronea sententia apertè satis indicat ipse S. Prosper totô librô adversus Collatorem, ubi inter cætera eum sic interpellat, *Doctor Catholice cur professionem tuam deseris? Cur ad famosam falsitatis caliginem relictâ serenissimæ veritatis luce devolueris? Quos in petentibus, quærentibus, pulsantibusque miraris, cur non eidem gratiæ quæ desideratur adscribis? Vides bonos conatus, pia studia, & dubitas esse Dei bona? Latuerit opus gratiæ, donec fides insita cogitationibus claudebatur arcano, at ubi supplex oratio ubi diligens inquisitio; ubi apparet crebra pulsatio? Quare non ex qualitate operis subministrationem intelligis incitantis.* Quibus verbis S. Prosper apertè designat Cassianum asseruisse in nobis reperiri bonorum operum naturalia semina, nec-non & fidei initium, quæ erat illa ipsa Semipelagianorum sententia.

Eucherius non repurgavit errores Cassiani.

Quoniam autem ipsius scripta pluribus ad virtutem sectandam documentis egregiis referta erant, idcirco ut à fidelibus securo pede tererentur & legerentur, plures utique viri graves & Catholici, ejus scripta repurgare & ad Catholicam veritatem aptare studuerunt: imprimis fuit Eucherius Lugdunensis Presbyter, de quo Gennadius ait, *Sed & Cassiani quædam opuscula lato tersa sermone idem Eucherius angusto verborum resoluens tramite, in unum collegit volumen*: Sed Eucheriū non tam repurgasse errores Cassiani, quàm ipsius librorum Epitômen scripsisse ab erroribus liberam veriùs existimo; si enim Eucherius jam repurgârat Cassianum integrum, quid opus erat denuo hunc laborem suscipi à Victore, qui eum ab erroribus vindicate aggressus fuit, ut indicat his verbis Cassiodorus lib. Institutionum divinarum cap. 22. *Cassiani dicta*, inquit, *Victor Martiritanus Episcopus Afer; ita Domino juvante purgavit, & quæ minùs errant addidit, ut ei rerum istarum palma meritò conferatur: Quem inter alios de Africæ partibus cito nobis credimus esse dirigendum.* Conjicio autem hunc repurgatum Cassianum tunc non habuisse Cassiodorum quando ipse postea hunc laborem suscepisse videtur, sic enim de eo scribit Ado ad annum 425. *Opera illius* (inquit de Cassiano) *à Catholicis cautissimè legenda, maximè de libero arbitrio, & gratia; sed & Encratitarum hæresi incautiùs favit: Errores illius Cassiodorus Ravennatum Senator purgare volens, non ad plenum omni ex parte potuit.* Quod etiam facilè colligitur ex illo ipso Cassiani libro, qui etiam nunc exrat; quidquid enim tanquam erroneum, in Cassiano exagitat S. Prosper, hoc ipsum etiam in illo reperiri; quem doctissimus Ciacconius integritati restitutum, & notis illustratum Romæ in lucem prodire jussit, pluribus demonstrat & colligit Vossius lib. 4. Historiæ Pelagianæ parte prima, ubi disertè demonstrat quidquid à Massiliensibus assertum fuit, & à sanctis Patribus impugnatum, illud ipsum in Cassiani scriptis reperiri.

Neque Cassiodorus.

FAUSTUS RHEGIENSIS.

Quæ scripserit Faustus Regiensis.

F*Austus ex Abbate Lirinensis Monasterii apud Regium Galliæ Episcopus factus*, inquit Gennadius, *vir in divinis Scripturis satis intentus, ex traditione Symboli occasione accepta composuit librum de Spiritu sancto, in quo ostendit eum juxta fidem Patrum, & consubstantialem, & coæternum esse Patri & Filio, ac plenitudinem Trinitatis obtinentem; edidit quoque opus egregium* de gratia Dei *qua salvamur*, & humanæ mentis arbitrio, *in quo opere docet gratiam Dei semper invitare & adjuvare voluntatem nostram, & quidquid ipsa libertas arbitrii pro labore piæ mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum.*

Ex ejus scriptis constat ipsum Semipelagianā in hæresim incidisse.

Quibus verbis significare videtur Gennadius Faustum à Semipelagianorum errore fuisse liberum: nihilominus illum ejusdem erroris esse assertorem præcipuum testantur illius scripta maximè *de gratia & libero arbitrio*, ubi Prædestinatos refellens videtur in contrarium lapsus errorem & Semipelagianam doctrinam apertè tueri, ut testatur Ado Episcopus Ecclesiæ Viennensis in Chronico anno Domini 492. cum de Fausto agit his verbis, *Faustus ex Abbate Lirinensis Monasterij apud Regium Galliæ Episcopus factus Pelagianum dogma destruere conatus in errorem labitur: Vnde qui ejus sensus in hac parte catholicos prædicant (sicut Gennadius de illustribus viris scribens) omnino errant; ita enim liberum arbitrium tam Augustinus quàm cæteri Catholici in Eccesia Dei docent, ut illuminatio virtus & salus illi à Christo & per Christum, & cum Christo sit: Faustus verò iste ita liberum arbitrium docere conatur, ut illuminatio ejus virtus & salus non à Christo, sed à natura sit. Contra hunc scribit lucidissima fide Avitus Viennensis Episcopus ejus redarguens errorem, similiter & Ioannes vir eruditus Antiochenus Presbyter.*

Qua occasione libros ediderit.

Qua autem occasione ipsos libros ediderit, colligimus ex ejus Epistola ad Lucidum Presbyterum Lugdunensem: Cùm enim Lucidus ille sequeretur & propugnaret sententiam Monachorum Adrumetinorum, ita gratiæ omnia tribuentium ut arbitrii libertatem tollerent, & docerent ratione prædestinationis homines necessariò fines sibi à Deo destinaros agi, unde dicti sunt *Prædestinatiani*: Hunc Lucidum ut ab hac

hac sententia abduceret Faustus, Epistolam ad eum misit, in qua Prædestinatianorum dogmata funditus convellit; cui Epistolæ subscripsit Synodus Episcoporum Arelate congregatorum, ut conjicere licet ex ipso Fausto; nec-non & alia Synodus Lugduni celebrata, cui Lucidus ipse suum anathematisans errorem subscripsit, ut ex ejus ad hanc-ce Synodum Epistola cognoscitur.

Significat autem Faustus se ejusdem Concilii postulato librum suum DE GRATIA AC LIBERO ARBITRIO scripsisse; sic enim inter cætera scribit ad Leontium, *Quod pro sollicitudine Pastorali beate Papa Leonti in condemnando Prædestinationis errore, Concilium summorum Antistitum congregatis universis Galliarum Ecclesiis præstitistis. Quod verò ad ordinanda ea quæ collatione publica doctissimè protulistis, operam infirmis humeris curamque mandastis, parum ut reor, tanto negotio, parum sanctæ existimationi vestræ consuluistis, & me iudicio Charitatis nos periculo electionis onerastis. Quia ergo & vestram laborare personam sub imposito nobis fasce cognoscitis, &c.* Nempe quia strenuè se gesserat ut elegantis & acris ingenii vir in Prædestinatorum errore refellendo; idem maximè idoneus visus est qui Synodi sententiam scriptô consignaret. Verùm mandati limites excedens, ea in libello suo inseruit quibus Claudianus Mammertus, & alii præstantissimi viri qui Synodo isti interfuerunt nusquā subscripsissent, inquit Vossius lib. 1. c. 8.

Et reverà quidem; quamquam enim Faustus gratiam in omnibus necessariam esse tueri videretur; nihilominus cum Semi-pelagianis sentiebat, ut notat Joannes Maxentius in responsione ad Epistolam Hormisdæ, cùm de Fausto ait, *Reputans namque callidè ejusdem Pelagii sensum, & quasi exprobrans quod nomine Christi negaverit gratiam; nec-non & illos qui nullis præcedentibus meritis juxta Apostolum gratiam Dei hominibus dari fatentur: ipse quasi sapientissimus & prudentissimus, novus novæ pravitatis Apostolus, gratiam Dei secundùm meritum fidei, & laboris dari nititur edocere, ut iam sic Dei gratia non sit gratia.*

Faustus in album Sanctorum est receptus.

Adverte tamen his non obstantibus ipsum in album Sanctorum esse receptum, quamquam enim Cardinalis Baronius ad *annum* 490. de de ipso scripserit,

» Porrò Faustus ipse cùm ejus fallaciæ detectæ essent quibus conatus est revellere Pelagianas scrobes in lapsum simplicium, abalienavit à se animos Episcoporum atque decessit inglorius: quem miramur ab aliquibus imprudenter sanè scribi sanctum: sed multò magis obstupescimus eundem ab aliis redigi in Classem Monachorum Ordinis sancti Benedicti, cùm antequam idem Sanctus auspicaretur vitam Monasticam, iam Faustus senex ex hac vita decessisset, iam longè antequam idem Benedictus nasceretur creatus Episcopus.

Ut Baronius affirmat.

» Re tamen maturiùs perpensa scripsit in *Appendice ad Tomum 6.* Ista quidem priori editione ex adductis diversorum scriptis affirmasse non indecens quidem fuit; at verò ex postea cognitis & adductis, rursus ad judicium ipsum revocandum, haud existimamus indignum; Cùm tamen de ejus scriptis immotæ maneant sententiæ Patrum. Quod enim usque ad hæc tempora nostra eundem Faustum continuit inter sanctos Martyrologium Gallicanum à quo ipsum Molanus primùm expunxit; quod etiam (ut accepimus) Ecclesia Regiensis in Gallia, ubi ipse sedit Antistes, semper eum ut Sanctum coluerit, celebrans ejusdem natalem *decimâ septimâ Ianuarii*, ibique in ejus memoriam antiquitùs, erecta Basilica ejus nominis titulo insignita, hactenùs ejus cultu à fidelibus frequentetur: quodque tot sæculis, Christiano orbe spectante, Ecclesia Romana tacente, nemine penitus (quod sciatur) contradicente; ista eidem Fausto exhibita intelligantur.

« Opinari non prohibemur de eodem Fausto accidere potuisse quod de multis viris sanctis asseritur, quod delinquens erraverit: cùm autē quæstio illa fuerit auctoritate Sedis Apostolicæ definita, & ejus opinio aliorum Patrum sententiâ condemnata, ipse suum errorem fuerit scriptis contrariis detestatus quæ potuerint, ut alia quàm plurima, periisse: Vel ipsum ante suorum scriptorum factam ab Ecclesia damnationem diem obiisse (incertus etenim ejus obitûs annus) habentem in animo in his sequi quod sequendum doceret Ecclesia. Ita quidem ipsum animo fuisse aliisque innotuisse, inde facilè potest intelligi, quòd semper ut indicant acta Conciliorum Arelatensis & Lugdunensis superiùs recitata, communicationem habuit cum sanctissimis Orthodoxis Galliarum Episcopis. Maneant igitur Fausto integra jura sua, nec ex nostris scriptis sentiat præjudicium, neque judicii novitate liceat convellere antiquitatem. «

Et Andreas du Saussay.

Unde *Andreas du Saussay* in Martyrologio Gallicano 28. Septembris Subdit, *Sancto fine hodie decessit*, FAUSTUS EPISCOPUS REGIENSIS. *multis doctrinæ & piæ conversationis titulis gloriosus, quem ipsa Regiensis Ecclesia, ex antiquo more, cultu sanctitatis honorat. Cuique integra manere sanctitatis sua jura Cardinalis Baronius re tandem maturiùs perpensa confessus est.*

VINCENTIUS LIRINENSIS.

V*Incentius Lirinensis* videtur etiam adhæsisse & favisse Semi-pelagianis, censeturque ab aliquibus scriptor *objectionum Vincentianarum*, quibus S. Prosper respondit. Quod etsi cætera taceant, hoc sufficienter evincit quod eodem modo Cœlestini Papæ Epistolam quâ se Catholici tuebantur adversus Semi-pelagianos, in suas partes sicut & alii Semi-pelagiani adversus Catholicos usurpare non dubitaverit: Quoniam enim Cœlestinus in sua Epistola, quam Gallorum Sacerdotibus misit, arguens eorum conniventiam, quod antiquam fidem silentio destituentes, prophanas vanitates exurgere paterentur; *Meritò, inquit, causa nos respicit si silentio foveamus errorem: ergo corripiantur hujusmodi; non sit iis liberum habere pro voluntate sermonem.* Ex quibus verbis S. Prosper & qui ejus causæ favebant, colligebant S. Augustini adversariis, nempe Semi-pelagianis, imponi silentium. Semi-pelagiani verò adversus Catholicos cum *Vincentio Lirinensi* inferebant per hæc Cœlestini Papæ verba proscribi posteriora S. Aug. Opuscula Semi-pelagianis infensa.

Qualiter Vincentius Lirinensis Semi-pelagianis adhæserit.

Ita namque scribit Vincentius in Opusculo contra prophanas vocum novitates, *Hic aliquis fortè addubitet quinam sint illi quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem: Vetustatis Prædicatores aut Novitatis adinventores; ipse dicat & dubitationem legentium ipse dissolvat: Desinat, inquit, si ita res est, idest si ita est, ut apud me quidem Vrbes & Provinciæ vestræ cri-*

minantur, quòd eas quibusdam Novitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis: Desinat, inquit, *si ita res est incessere novitas vetustatem*. Urgendo tantopere illud (*si*) non obscurè indicat se criminationem Prosperi & Hilarii pro falsa habere.

Sanctus Prosper è contra cap. 43. lib. contra Collatorem cum ex Epistola Cœlestini Papæ hoc Augustini elogium retulisset, *Augustinum*, inquiens, *sanctæ recordationis virum pro vita sua atque pro meritis, in nostra semper communione habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam à meis semper prædecessoribus haberetur: Benè ergo de eo omnes in commune senserant, ut pote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori*. Subjungit, *contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere: & perspicuæ sincerissimæque sententiæ, nubem obliquæ ambiguitatis obtendere: ut scilicet quia in Epistola Papæ librorum, pro quibus actum est, non expressus est titulus: Hinc eos appareat non probatos, & istam in S. Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam*.

Inde commemoratis libris quos adversus Pelagianos scripsit Augustinus subjicit ista. *Agnoscant Calumniatores superfluè se objicere quod his libris non speciale, neque decretum testimonium sit perhibitum quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim Sedes, quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat, & quod judicio jungit laude non dividit. Qui ergo hos proximè libros refutant, anterioribus acquiescant, & iis quæ pro gratia Christiana priùs sunt scripta, consentiant; sed non faciunt, &c.* Quibus liquet quàm diversimodè Cœlestini Epistolam Vincentius & Prosper in suas partes deducerent. Nam Vincentius, vel saltem Adversarii Augustini, ex ea Epistola urgebant illud, quod antiquitati novitas cedere debeat: Unde colligebant si Augustinus in prioribus scriptis consentiat antiquitati, in posterioribus non item; Cœlestini elogia ad priora tantùm Augustini scripta pertinere. Contra Prosper ex eadē Epistola urgebat laudationem Augustini, quæ cùm indiscriminatim à Cœlestino proferatur, non minùs de posterioribus quàm de anterioribus scriptis intelligendam affirmabat, maximè cum eadem in utriusque libris doceantur.

Nihilominùs Catholicus obiit.

Verùm quamquam Vincentius Cassiano collationum Scriptori in quem S. Prosper pugnabat, adhæserit; eum tamen non malè Catholicum esse judicatum indicat S. Eucherius lib. de Eremi laude, ubi de viris sanctissimis Insulæ Lirinensis agens, ita loquitur: *Hæc habuit reverendi nominis* Lupum *qui illum nobis ex tribu Benjamin lupum retulit. Hæc habuit germanum ejus* Vincentium *interno gemmarum splendore perspicuum. Hæc nunc possidet venerabilem gravitate* Caprasium *veteribus Sanctis parem. Hæc nunc habet sanctos Senes illos qui divisis cellulis Egyptios Patres Gallis nostris intulerunt*.

GENNADIUS MASSILIENSIS.

GEnnadius *Massiliensis* Presbyter qui vixit tempore Gelasii Papæ, ad *annum* 490. Semi-pelagianis adhæsisse non immeritò creditur; siquidem lib. de viris illustribus, Cassianum & Faustum laudat eorumque de gratia sententiam Prosperi doctrinæ anteponit, & adeò frigidè

A sanctum Augustinum celebrat, ut etiam multiloquiô non evitasse peccatum dicat, & vix ab hæresi ipsum eximat: Idcirco Gelasius Papa, ejus opera inter Apocryphos libros rejicit: & Baronius ad *annum* 433. *num*. 28. affirmat Gennadium ejusdem esse farinæ cum Cassiano. Et *anno* 140. *num*. 25. dicit eum fuisse unum è Presbyteris Gallicanis, de quibus S. Prosper & S. Hilarius apud Cœlestinum Papam conquesti sunt, quod Augustini doctrinæ adversarentur. *Addit* tamen ipsum Gelasii operâ resipuisse, & in Episcopum Massiliensem assumptum, reverà Orthodoxum ac Catholicum è vivis abiisse.

B Idque Adriani Papæ in Epistola ad Carolum magnum de eodem Gennadio elogium persuadet, quod sic se habet: *Sanctissimorum Pontificum hæc oblata sunt testimonia, idest S. Gennadii Massiliensis Episcopi, qualiter veneranda sunt corpora, & reliquiæ Sanctorum cap. 40. ubi ait Sanctorum corpora, & præcipuè Beatorum reliquias, ac si Christi membra sincerissimè honoranda, & Basilicas eorum nomine appellatas, veluti loca divino cultui mancipata, affectu purissimo, & devotione fidelissima adeundas. Si quis contra hanc sententiam venit, non Christianus credatur sed Eunomianus*.

§. III.

C *Qui fuerint Semi-pelagianorum Impugnatores, & Damnatores?*

VAtii quidem pietate & doctrina viri percelebres, imprimis verò *S. Augustinus*, qui adversus eos maximè scripsit libros de Prædestinatione Sanctorum, & de Bono perseverantiæ: Cui manus dederunt *S. Hilarius Arelatensis*, & *S. Prosper*, qui omnium optimè & acerrimè Semi-pelagianos impugnavit, & omnia illorum argumenta subtilissimè dissolvit, ut liquet ex ejus scriptis.

Pugnatum similiter in eos à *Cœlestino* summo Pontifice, & *Gelasio*, qui libros Cassiani & Fausti inter Apocryphos retulit, quòd prævenientem gratiam negarent. Nec aliud fuit judicium *Fœlicis* quarti.

D Damnati sunt pariter Semi-pelagiani errores variis in Conciliis, maximè verò in Arausicano, cujus præcipuum videtur propositum fuisse Fausti doctrinam condemnare: Nam *primus* Fausti error erat quod negaret necessitatem gratiæ prævenientis: At ea stabilitur Canone 3. 4. 6. 14. 17. & 22. *Alter* error fuit de efficacia hominis cum Deo, non ex potentia superaddita naturæ, sed potentia naturali, quæ sententia damnatur Can. 7. 16. & 22. *Tertius* error erat de justificatione veterum per legem naturæ aut Moisis: quod improbatur Can. 9. & 25. ubi præsertim negatur Abelem Noë, & Abraham salvatos per Legem naturæ. *Quartus* fuit de ortu fidei ex principiis naturæ; qui error rejicitur Can 6. & potissimū 25.

E

DE HÆR. PRÆDESTINATIANORUM.

VT est monstrorum fœcunda parens Hæresis, inde non mirum si illa quæ occasione divinæ gratiæ suborta est, diu non steterit in solis Pelagianis ipsius gratiæ infensissimis hostibus. In eis namque, ubi se sensit impugnatam & profligatam à Catholicæ veritatis propugnatoribus, maximè verò à S. Augustino; illico contrariam viam subiens, regerminavit in *Prædestinatianis*, qui ex ipsius sancti Augustini scriptis pravè conceptis, de divina gratia, & Prædestinatione disputantes, asserebant nec piè

Unde suborta fuerit.

viventibus prodesse bonorum operum laborem, si à Deo ad damnationem præsciti essent ; nee impiis obesse, etiam si improbé viverent, si nempe à Deo prædestinati fuissent ad vitam. Atque ita existimabaot totum salutis nosttæ oegotinm in divinam Electionem, & Prædestinationem solùm esse refundendum : Indeque censebant liberum arbitrium deprimi aut extingui per necessitatem gratiæ, quâ præsente oon posset humana voluntas non beue agere ; eâ verò absente non posset noo malè operari.

Pro illa acertimè pugnant Calvinistæ.

Quam utique hæreticam assertionem cùm toto pectore ebibissent Calvinistæ ; ne pridem sepultæ hæresis excitatores & recoctores viderentor : statueruot historicorum omnium fidem aceusare qui aliquam *Prædestinatianorum* hæresim extitisse scripserunt, pugnaveruntque non alios fuisse Prædestinatianos, quàm sancti Augustini doctrinæ, atque adeo Catholicæ opinioni impensiùs addictos, qui à Semi-pelagianis vexati sunt. Quod præ cæteris audax consilium inivit *Iacobus Vsserius* Hibernorum Calvinistarum antesignanus, in libro quem inscripsit *Gottoschalci & de Prædestinatione controversia ab eo mota historia* : Ubi acriter contendit non alios fuisse *Prædestinatianos*, quàm qui sancti Augustini sententiam adversus semi-Pelagianos propugnarunt : Inde Catholicis scriptoribus insultat, qoòd Prædestinatianorum opinionem è graveolentibus priscorum Hæreticorom bostis ab hodiernis effossam Calvinistis scribant.

Nec non & novi Dogmatistæ.

Hoc ipsum suffugium arripuit novæ opinionis Artifex; scribit enim lib. 8. de Hæresi Pelagiana cap. ultimo, nullam unquam fuisse prædestinatianam hæresim, *Existimo*, ioquit, *nunquam in rerum natura fuisse Hæresim* PRÆDESTINATIANAM, *vel Hæreticos* PRÆDESTINATIANOS ; *sed è contrario doctrinam Catholicam quam S. Augustinus, & Prosper docuerunt sub nomine istius Hæresis, calumniosè à Massiliensibus traductam esse. Itaque Hæretici illi* PRÆDESTINATIANI *non fuerunt alii quàm S. Augustinus, S. Prosper, S. Hilarius, & quotquot eorum Doctrinam sequebantur, quos eo nomine indigitarunt Semi-pelagiani, atque inter Hæreticos nominibus eorum suppressis collocarunt, quibus credula posteritas, quosdam tanquam Hæreticos Prædestinatianos aversata est.* Quæ quantùm à veritate aliena sint ; patebit in sequentibus Paragraphis.

§. I.

An reverà aliquando extiterit Hæresis Prædestinatiana ?

Prædestinatianos Hæreticos extitisse probatur ex S. Augustino.

AFFIRMO, idque imprimis suadeo ex S. Augustino, qui *lib. 2. Retract. cap. penultimò*, refert Monachos Adrumetinos in Affrica consistentes, lecta ejus Epistola 105. *ad Sixtum*, duas in partes & sententias divisos fuisse, quarum una duce Floro, credebat gratiam ab ipso S. Augustino ita prædicari, ut tolleret liberum arbitriom : Altera verò pro liberi arbitrii deffensione ita pugnabat, ut in Pelagianorum Hæresim declinaret. Quam dissensionem S. ille Doctor ut è medio tolleret, duas scripsit Epistolas ad Valentinum Adrumetini Monasterii præfectum ejusdemque Monachos, quæ inter ipsius S. Doctoris Epistolas *num.* 46. & 47. occupant ; totidem libros ad eos direxit, unum *de Gratia, & libero arbitrio* ; alterum *de Correctione & Gratia* : Quibus monet utrumque errorem vitandum esse, & declinatis extremitatibus, mediâ viâ, quam Fides Catholica tenet, incedendum. Itaut neque liberum arbitrium per peccatum Adæ extinctum esse credatur ; sed infirmatum, ac debilitatum : Neque per gratiam impediri aut perimi, sed juvari & sanari : & sic liberum arbitrium, sive ad bonum, sive ad malum nobis inesse non negetur ; nec tamen ei tantùm tribuatur ut sine Dei gratia ad bonum agendum, vel malum vitandum sufficiat. *Ideo*, inquit Epist. 47. *vobis dixit Apostolus* Romanorum 3. NON DECLINETIS IN DEXTERAM, NEQUE IN SINISTRAM, *hoc est, non sic deffendatis liberum arbitrium, ut ei bona opera sine Dei gratia tribuatis : nec sic deffendatis gratiam, ut quasi de illa securi, mala opera diligatis, quod ipsa gratia Dei avertat à nobis.* Quibus cavet non sic esse propugnandum pro libero arbitrio ut in ipsum, salutis nostræ negotium refundatur juxta errorem *Pelagianorum* : nec sic deffendatur divinæ gratiæ necessitas, ut neglectis bonis operibus, Deus solus nostræ salutis artifex existimetur, juxta opinionem *Prædestinatianorum*, qui nempe prædestinatis nec prodesse bona opera, nec mala obesse prædicabant.

Et S. Prospero.

Confirmatur hæc eadem veritas ex S. Prospero Epist. ad S. Augustinum præfixa libro *de Prædestinatione Sanctorum*, ubi ipsum monet nonnullos in Africa (Adrumetinos Monachos hauddubiè intelligit) iam antea turbatos fuisse iis quæ scripserat de Prædestinatione : Sicut multi ceperant iisdem ipsius scriptis hac de re turbari in Gallia. Refert pariter quæ contra illius doctrinam de Prædestinatione objiciebantur, maximè à Presbyteris Massiliensibus ; observatque eos ex illa referre : *Hoc propositum vocationis Dei, quô ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum, & rejiciendorum dicitur facta discretio ; & secundùm quod placuit Creatori alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sunt creati, & lapsis curam resurgendi adimere & sanctis occasionem teporis afferre : Eò quòd in utramque partem superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere ; quoquo enim modo se egerint, non posse aliud quàm Deus deffinivit accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem : Cùm si aliud habeat prædestinantis Electio, cassa sit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tolli virtutes, & sub hoc* PRÆDESTINATIONIS NOMINE FATALEM QUANDAM INDUCI NECESSITATEM. Quibus paret quàm verum sit, aliquos extitisse fatalis Prædestinationis Assertores ex S. Augustini scriptis malè conceptis.

Unde idem S. Prosper Epistolam concludens rogat ipsum S. Augustinum ut explicet, quomodo tantis difficultatibus circa ejus doctrinam excitatis satisfieri possit, ipsumque à suspicione tam sinistræ opinionis vindicare : *Tribue*, inquit, *Pater optime ut quæ in istis quæstionibus obscuriora sunt digneris aperire. Quomodo per istam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium, quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei nemo eorum qui cohortandi sunt impediatur ; nec occasionem negligentiæ habeant, si se Prædestinatos esse desperent.* Quibus constat quantùm à mente SS. Augustini & Prosperi, & à rei veritate aberrent

qui errorem ab Augustino refutatum, & quem S. Prosper ipsi tribui ægrè ferebat, & quomodo illam calumniam refelleret, explicari postulabat; utriusque tamen doctrinam esse persuadere nituntur.

Nec-non ex Gennadio Massiliensi.

SECUNDÒ, Id ipsum probatur ex Gennadio Massiliensi in appendice ad librum sancti Augustini de hæresibus, ubi ad octoginta novem ab ipso sancto Doctore enumeratas hæreses, quatuor postea exortas addidit, *Prædestinatianam* videlicet, *Nestorianam, Eutychianam*, & *Timotheanam*, ut habetur in codice Bibliothecæ S. Victoris; testaturque Hincmarus l. de Prædest. cap. 1. *Sed de hæresibus* 88. inquit, *idem Doctor mirificus Augustinus librum composuit quibus novissimè hæresim Pelagianorum subjunxit. Inde Gennadius Massiliensis Sacerdos valdè Doctus hanc Prædestinatianam nonagesimam hæresim secta Pelagiana supponit: Deinde nonagesimam primam Nestorianam ponit, sicque Eutychianam, & post hanc Timotheanam.*

Insuper ex Hincmaro.

CONFIRMATUR ex Epistola Hincmari ad Nicolaum summum Pontificem quà eum iosfomans de erroribus Gottescalchi ait, *Si vestra sapientia Catholica articulos scire velis quos contra fidem Ecclesiæ docere videtur, & quos ex vetere hæresi Prædestinatorum hausit (qua primùm fuit in Africa impugnata, & postea in Francia, eodem tempore quo hæresis Nestoriana sub Cælestino Papa, tam hujus authoritate quàm curâ & vigilantiâ S. Prosperi convicta fuit) vobis ordine exponam: non omnes articulos quos tuetur, sed tantum quosdam eorum, qui tamen maximi momenti sunt. Dicit igitur id quod antiqui* PRÆDESTINATIANI *etiam dicebant, quòd sicut Deus quosdam prædestinavit ad vitam æternam, sic etiam alios ad mortem æternam prædestinavit.* Constat igitur aliquos extitisse prædestinatianos à S. Augustino & Prospero convictos & impugnatos.

Tandem ex Conciliis in quibus damnati sunt.

TERTIÒ denique idipsum evincitur ex Conciliis in quibus damnata fuit Prædestinatiana hæresis; *Primò* namque ad eam hæresim respexit *Arausicana Synodus secunda* Can. 25. dum dixit, *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus quòd acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptisati Christo auxiliante, & cooperante qua ad salutem pertinent, possint & debeant si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum credimus; sed etiamsi sunt qui tantùm malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.*

Maximè in Arausicano.

Et Arelatensi, in quo approbata fuit Epistola Fausti ad Lucidum.

Expressè verò damnata fuit hæc hæresis in Concilio *Arelatensi* anno ut vult Baronius 490. in quo Epistola Fausti ad Lucidum approbata fuit, & Episcoporum subscriptione munita, quâ Epistolâ exprimuntur & anathematizantur Prædestinatianorum errores, quos innovaverat & tuebatur ipse Lucidus. Nam ut refert Baronius ad annum Christi 490. & ex eo Aluares de origine Pelagianæ hæresis cap. 23. *Post sancti Augustini obitum prodierunt quidam qui ex ejus scriptis malè perceptis complures invexerunt errores, quos sancti Augustini nomine & auctoritate defendere conabantur: Sed eos pro defensione ipsius sancti Augustini agens S. Prosper, validè confutavit. Dicebantur isti (ut Sygebertus notavit* ad annum Domini 415.) HÆRESIS PRÆDESTINATORUM *Sectatores.* Quorum errores ubi perstrinxit, ita narrationem prosequitur. *His autem detentus erroribus fuit Lucidus quidam Magni nominis Presbyter, ad quem Faustus Epistolam illam scripsit, quam ut verè Catholicam ab Episcopis Concilii Arelatensis probatam & subscriptione munitam diximus.* In qua Epistola Faustus Lucidum admonet, *Summos Antistites meditari eum à bonitate suspendere*, nisi errores detestetur: atque ubi ipsa verba ille præscripsit quibus impia dogmata execrari debet, ita minatur, *Quòd si eam Epistolam subscriptam, ut dixi, transmittere nolueris, apertè adhuc te in errore persistere ipso silentio comprobabis: ac proinde jam necessitatem mihi facies ad personam tuam publicis conventibus exponendam.* Hanc autem Epistolam ubi Lucidus excepisset, statim Patribus obtemperans, & ab errore resipiscens, hanc fidei suæ confessionem continentem Epistolam direxit ad Concilium, in qua ejurat omnes articulos erroneos juxta formam in Epistola Fausti præscriptam.

Quibidem suos errores ejurauit.

Notandum porro Lucidi Epistolæ initium, quo Episcopos sic alloquitur. *Correctio vestra salus publica, & sententia vestra medicina est: Unde & ego summum remedium duco ut præteritos errores accusando excusem, & salutifera confessione mea diluam. Proindeque juxta prædicandi recentia statuta Concilii damno vobiscum sensum illum, qui dicit*, HUMANÆ OBEDIENTIÆ LABOREM DIVINÆ GRATIÆ NON ESSE IUNGENDUM: *Qui dicit*, POST PRIMI HOMINIS LAPSUM EX TOTO ARBITRIUM VOLUNTATIS EXTINCTUM: *Qui dicit*, QUÒD CHRISTUS AT SALVATOR NOSTER MORTEM NON PRO OMNIUM SALUTE SUSCEPERIT: *Qui dicit*, QUÒD PRÆSCIENTIA DEI HOMINEM VIOLENTER COMPELLAT AD MORTEM, VEL QUÒD CUM DEI VOLUNTATE PEREANT QUI PEREUNT, *&c.*

Ubi autem integram Lucidi Epistolam Baronius retulit, sic monet, *Hactenus professio Lucidi, secundùm ea qua à nominatis Episcopis in Synodo definita fuerunt, in hoc incumbentibus Patribus ut errores explorarent, illorum potissimùm qui ex doctrina sancti Augustini malè ab ipsis percepta, sive in pravum sensum calumniosè detorta, pravas deduxissent conclusiones.*

Damnati sunt pariter in Moguntino Concilio, & Carisiacensi.

Damnata fuit pariter hæc hæresis in Synodo *Moguntina* coacta ex Episcopis Germaniæ, præside Rabano Moguntiæ Archiepiscopo, in qua eomdamnatus fuit *Gottescalchus* Prædestinatianorum hæresim renovans, nec-non & in Synodo *Carisiacensi*, in qua iterum Gottescalcus damnatus fuit ab Hincmaro & aliis Episcopis, & retrusus in Monasterium, ubi tandem virgis cæsus est, donec librum suum in ignem prope accensum conjiceret, ut pleniùs dicemus infra: sed priùs solvendæ sunt objectiones Novatorum, qui Prædestinatianæ hæresis existentiam impugnant.

§. II.

Quid objiciant Novatores Prædestinatianam hæresim aliquando extitisse negantes?

OBjiciunt primò: Si quæ fuisset Prædestinatiana hæresis, eam haud dubiè inter hæreses annumerasset sanctus Augustinus; illamque apertè impugnasset, aut saltem aliquam istius mentionem fecisset: sed nullum ipsius hæresis ve-

ftigium apud S. August. extat: cùm tamen Sigebertus asserat, ipsam cum Pelagiana originem habuisse circa annum 415. argumentum ergo est ipsam hæresim fictitiam esse & imaginariam.

Nego minorem: Nam ut ex paragrapho præcedenti constat, erroris præcipui sectæ Prædestinatianorum mentionem fecit sanctus Augustinus in *Epistolis* 46. *&* 47. ad Valentinum, & Monachos Adrumetinos scriptis, & in libris *de gratia, & libero arbitrio*. Deque *Correctione & gratia*, quos ad eundem errorem in ipso ejus ortu extinguendum conscripsit.

S. Augustinus PRÆDESTINATIANÆ hæresis mentioné facit pluribi.

Nec refert quòd opinionem illam de prædestinatione, nec *Hæresim*, nec *Prædestinatianam* appellet: cùm enim nondum longè serperet hujus hæreticæ opinionis virus, etiam nondum *Prædestinatianorum* appellationem obtinuerat: Sicut à simili hæresis *Semipelagiana*, quæ licet à sanctis Augustino, Prospero, Hilario acerrimè fuerit impugnata, tamen *Semipelagiana* hæresis ab ipsis non appellatur: sed hoc nomen post eorum sanctorum Patrum obitum, maximè à Scholasticis, sortita est.

Objiciunt 2. Primus omnium qui dogmata Prædestinatianorum texuit & recensuit fuit *Gennadius* Massiliensis Presbyter: sed illi nulla fides, siquidem Semipelagiana hæresi infectus, Augustino & Prospero gratiæ propugnatoribus integerrimis summè fuit infensus. Unde Augustinum *Multiloquio peccantem & errantem* taxat; Prosperum verò dicteriis impetit quòd *Cassiani opuscula salutaria* (inquit ipse) hoc est *errores de gratia*, impugnauerit. *Insuper* in texendo hæreticorum catalogo Prædestinatianos quidē inter hæreticos computat; nullam autem facit mentionem de *Pelagianis, & Semipelagianis*, utpote suis amicis: Qua de causa sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus, cùm librum istum Gennadii vidisset, atque inde plures hæreses iisdem omnino verbis descripsisset: *Pelagianos* à Gennadio prætermissos addidit, & *Prædestinatianos* ab eo positos prætermittit: Ergo signum est hos hæreticos reverà non extitisse.

Ideoque falsum est eos primū à Gennadio fuisse inter Hæreticos deputatos.

Respondeo primò negando majorem: Falsum enim est Gennadium, primum omnium, Prædestinatianos in hæreticorum album reposuisse. Eos namque antea ut hæreticos habuerunt S. Augustinus, & S. Prosper, nec-non & antiquus author Anonymus libri inscripti *Prædestinatus*, in ejus præfatione, ubi refert Cœlestinum Pontificem librum ab ipsis Prædestinatianis vulgatum ementito nomine Augustini, sibique oblatum, ita execratum esse, ut eum perpetuô damnari juberet silentiô. Idem Author primus ex professo ejusdem hæresis refutationē aggressus est, quam & in hæresum Catalogo nonagesimam collocavit, insignatam nomine *Prædestinatorum*: ut fecit etiam *Prosper Tyro*, non quidem ille Aquitanus Episcopus Augustini discipulus, sed alter ejusdem nominis & ætatis, ut constat ex Chronico Pithoëano, seu Pithoëi curâ edito ex codice Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis.

Respondeo 2. Falsum esse Pelagianos à Gennadio amicitiæ & fœderationis causa prætermissos: Primò namque Gennadius nullum ex professo librum de hæresibus conscripsit, sed tantùm hæresum appendicem, ad sancti Augustini librum adjecisse, ut probavimus 9. *superiori* testimoniô Himmari: Insuper in codice Victorino Parisiensi post finem libri sancti Augustini *de hæresibus* jungitur illa appendix Gennadii, & refertur in hunc modum: *Finit relatio sancti Augustini Episcopi de hæresibus. Hæc verò quæ sequuntur à sancto Gennadio Massiliensi Presbytero sunt posita: Nonagesimâ* PRÆDESTINATIANI *sunt qui dicunt quòd Deus, &c. Nonagesimâ primâ* NESTORIANI DICUNT *S. Virginem, &c. Nonagesimâ secundâ* EUTYCHIANI *dicunt Dominum Iesum, &c. Nonagesimâ tertiâ* TIMOTHEANI *dicunt Filium Dei verum quidem hominem ex Virgine Maria natum, &c.* tum deinde subditur, *explicit liber de hæresibus*: Quibus constat Gennadium non ulterius progressum fuisse, sed tantùm has quatuor hæreses S. Augustini catalogo attexuisse.

Secundò, perperam affirmant, Pelagianos à Gennadio prætermissos, cùm nec illos ab Augustino, *octagésimô nonô locô* inter hæreticos enumeratos prætermiserit: nec tanquam illorum erroribus favens prætermittere debuerit Gennadius; quandoquidem in Catalogo *Illustrium Ecclesiæ Scriptorum* PELAGIUM HÆRESIARCHAM apertè nominaverat.

Falsum pariter eum Pelagianos hæreticis non attexuisse.

Tertiò denique, falsum est Prædestinatianos ab Isidoro prætermissos, quòd eos apud Gennadium expressos repererat; quia nec Gennadius Hæreticorum catalogum, sed tantùm appendicem texuit, quem legere posset Isidorus, ut modò diximus, Nec fortè illam appendicem Gennadii legerat; siquidem ubi sermonem habet de Nestorianis & Eutychianis, ne unum quidem apicem à Gennadio mutuatus Isidorus videtur. Quocirca potius asserendum est prædestinatianos ab Isidoro prætermissos, quòd illam Gennadii appendicem non legerat.

Objiciunt 3. Si quod argumentum evincat Prædestinatianam hæresim aliquando extitisse, maximè quia (ut diximus supra) illa damnata videtur à Patribus Concilii Arelatensis, & ejurata à Lucido qui ipsam priùs propugnaverat: sed hoc argumentum leve prorsus ac futile est.

Primò namque nulla esse debet hujus Concilii apud nos authoritas; nihil enim aliud fuit nisi conventus Semipelagianorum vel Antistitum à Semipelagiano, nempe Fausto deceptorum.

Confirmatur, quia Fausti libri *de libero arbitrio*, erroribus scatentes, ab illius Concilii Arelatensis Episcopis approbati fuerunt: quod argumentum est, vel illos Antistites Semipelagianâ hæresi fuisse contaminatos; vel Fausti Semipelagianorum vaferrimi artibus ac præstigiis delusos.

Secundò, Faustus ipse (qui illius Concilii decreta, quibus proscribi dicitur Prædestinatiana hæresis in Epistola sua ad Lucidum concinnavit) non solùm Semipelagianorum Antesignanus extitit, sed & acerrimus eorum propugnator: quæ ergo fides hæreticorum primario, & catholicæ veritatis adversario?

Tertiò, illa Fausti ad Lucidum Epistola, quâ damnatur Prædestinatiana hæresis, Semipelagiana doctrina scatet: Lucidi verò Epistola quâ Prædestinatianam hæresim dicitur ejurare, Pelagianismum apertè sapit: adeoque neutri danda est fides: Ergo nec ex iis asserenda videtur Prædestinatianorum hæresis existentia.

Falsum etiam Concilii Arelatensis Præsules Semi-Pelagianos fuisse.

Nego min. Constat enim illos Antistites qui Arelatensi Coucilio adfuerunt, si unum Faustum excipias, pietate & dustrinâ fuisse percelebres; quod ut evincatur, placet audire Barunium ad *annum* 491. *num.* 25. ubi cùm recensuisset eorum nomina qui Fausti Epistulæ ad Lucidum subscripserant, subdit, *Voluimus hìc Episcoporum recensuisse nomina, quod omnes ferme magna fama Antistites fuerint quorum apud Sidoninm mentio habeatur; nam* Auxianus *primò loco positus, &* Pracmatius *item qui habetur ordine quintus, idemque sanctus, ad quem stant littera Sidonii: fuit iste Episcopus Augustodunensis, idemque notus in Concilio Epaunensi.* Patiens *qui sequitur ordine sextus, & ipse inter sanctos relatus, fuit Episcopus Lugdunensis.* Euphronii *pariter, qui numeratur septimus, memoria apud Sidoninm viget quem sanctum nominat, sicut &* Megetii *loco octavo scripti, ad quem ejusdem Sidonii extat Epistola.* Clauuius *qui ordine sequitur nonus, Episcopus fuit Bisontinus, idemque inter sanctos memoria celebris, &c.* En quos Novatores Semi-pelagianus appellant: quibus an sit danda fides potius quàm tot sanctissimis viris, judicet Lector.

Quorum subscriptiones sunt veræ.

Reponunt Novatores: Illas Antistitum subscriptiones esse suppositicias & falsas: *Tum quia* Heuricus Canisius asserit se vetustissimum manuscriptum codicem illius Epistulæ Fausti ad Lucidum repetiisse in Munasterio S. Galli cui subsctiptiones illæ Episcoporum nun erant annexæ. *Tum quia*, si quis ex Patribus Arelatensis huic Epistolæ subscribere debuisset, maximè *Leontius Arelatensis Archiepiscopus*, & totius Synudi præses: sed ipsius numen cum aliis subscriptis nun legitur: Itaque nun videntur illæ subscriptiones legitimæ.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico Cauisium luqui de unico manuscripto S. Galli, eoque perturbatissimu, quippe qui Fausti Epistolæ; nec ipsius quidem Fausti subscriptionem annexam babet: sed alia quædam inserit prorsus ab instituto aliena; ac tandem post paginas circiter centum & viginti refert Fausti subscriptiunem his verbis conceptam: *Item alia manu, Faustus exemplar Epistolæ meæ relegi, & subscripsi.* Nulli ergu ipsi inordinato codici habenda fides.

Dico secundò, Quod etsi Leuntius, & alii quidam Præsules, non legantur subscripsisse Epistulæ Fausti; non minùs propterea certum est tum fuisse subscriptam ab illis undecim qui in vulgatis illius Epistolæ editionibus nominantur: Nec dubitari potest, quin Epistola Fausti, & doctrina in illa coutenta, ac Lucidu proposita, fuerit à Conciliu approbata: Id enim manifestè constat ex verbis illius Lucidi epistolæ quibus Patres Concilii sic alloquitur, *Correctio vestra salus publica, & sententia vestra medicina est: Vnde & ego summum remedium duco, ut præteritos errores accusando excusem, & salutifera confusione mea diluam. Proinde juxta prædicandi recentia statuta Concilii, damno vobiscum sensum illum qui dicit* humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non esse jungendum, &c. Adde quod in tomo 2. Conciliorum Galliæ pag. 147. Synodus illa Arelatensis hoc titulo muniatur, *Concilium Arelatense à Leontio Arelatensi Episcopo ad condemnandum Prædestinationis errorem congregatum, &c.* Constat ergu huc Concilium adversus Prædestinatianus A fuisse convocatum, & Leontium unà cum aliis ibidem congregatis Episcopis, Prædestinatianorum errores à Lucido renovatos & propugnatos, damnasse.

Ad confirmationem, Fateur equidem Faustum in Epistola nuncupatoria quâ suum illud *de gratia & libero arbitrio* opusculum Leontio dicavit & obtulit, hæc verba scripsisse, *In quo quidem opusculo post Arelatensis Concilii subscriptionem novis erroribus deprehensis, adjici aliqua Synodus Lugdunensis exegit.* Verùm, ut peritè observat Barunius ad *annum Christi* 490. *num.* 10. Illa Arelatensis Concilii subscriptiu, de qua loquitur Faustus, non ad suum opuscu-B lum *de gratia & libero arbitrio pertinet*: sed tantùm *ad Epistolam* quam dedit ad Lucidum Presbyterum numine Concilii Arelatensis, ut huminem in errores lapsum revucaret ad Catholicam fidem: Et sane ex illa ipsa Fausti epistola ad Leontium, unde hæc verba sumpta sunt, liquidò cunstat upusculum istud *de gratia & libero arbitrio*, pust Arelatensem Synodum elaboratum fuisse, adeoque nun potuisse ejus subscriptione comprobari; *Ecce tibi*, inquit, *Epistola initium: Quod pro sollicitudine pastorali Beate Papa Leonti* in condemnando prædestinalionis *errore Concilium summorum Antistitum congregatie universis Galliarum Ecclesiis præstitistis. Quod verò de ordinanda ea quæ* C *collatione publica doctissimè protulistis, operam infirmis humeris curamque mandastis, parum ut reor tanto negotio, parum sanctæ existimationi vestræ consulnisti.* Quibus patet Faustum libros suos *de gratia & libero arbitrio*, post Arelatensem Synodum elucubrasse, postulante Leontiu, ut quæ in illa sancita fuerant, uberiùs exponeret.

Nec officit quod Faustus Semi-Pelagianorum propugnator in eo Concilio plurimùm laboraverit.

Ut autem operi suo (quod præsentiebat Cathulicis ingratum fore; propterea quod Pelagianismum redoleret, & Semi-Pelagianismi semina funderet,) authoritatem aliquam conciliaret; duorum *Arelatensis* nimirum, & *Lugdunensis* Counciliurum monumenta, libris suis affixit: *Insuper* etiam Epistolæ D ad Leontium, ambigua illa verba attexuit, quibus incauti adducerentur ut crederent ejus libros ab Arelatensi Conciliu fuisse cumprubatus. Liceat igitur cùm Severino Binio concludere *Libellum* Pelagianis *erroribus plenissimum quem* de gratia et libero arbitrio *inscripsit, & toti orbi vulgavit; quemque Cæsarius Arelatensis, Avitus Viennensis Episcopi; Ioannes Presbyter Antiochenus contrario scripto refutârunt; quem denique Gelasius Pontifex meritò inter apocrypha retulit: Hunc inquam libellum sacer Episcoporum conventus nequaquam approbavit.*

Suum enim errorem adhuc simulabat.

Ad secundam probationem dicu, reverà quidem Faustum tunc Semi-Pelegianurum An-E tesignanum extitisse: nihilominùs quoniam sub uvina & Cathulica specie, erruneum animum celans, summam fidem apud Patres Concilii Arelatensis invenerat, iuquit Baronius laudatus *num.* 30. quod Lucidum magni nominis virum ad pœnitentiam perduxisset, meruisset que laudem apud sactus Synodales conventus, quibus interfuerunt viri sanctissimi atque doctissimi. *Videre namque erat*, addit Baronius num. 36. *eundem Faustum in conventibus sanctorum Patrum* (Arelatensi nimirum & Lugdunensi) *ut Saul inter Prophetas, Prophetam, & ipsum apparuisse, eadem cum illis sentientem: sed privati-*

postea scriptis doloso arte totam de justificatione hominis destruxisse sententiam, dum captiosè videri volens pugnare contra Pelagium Pelagio favisse compertus est. Nihilominus dum illam ad Lucidum Epistolam scripsit, Catholicum animum adhuc præferre visus est, siquidem nil nisi Catholicam doctrinam redolens ipsi Epistolæ inseruit.

AD TERTIAM PROBATIONEM dico, illas tam Fausti ad Lucidum quàm Lucidi ad Patres Arelatensis concilii Epistolas, *Verè Catholicas appellari*, non solùm à Cardinali Baronio, & Didaco Aluare Episcopo Tranensi; sed etiam à Joanne Maldero Doctore Louaniensi, & Antuerpiensi Episcopo, nec-non à Joanne Brasichellana Magistro sacri Palatii in ea ipsius censura quæ jam Fausti opusculo præfixa est, ubi asseruit Fausti, & Lucidi Epistolas, judicio duarum Synodorum fuisse confirmatas, easque sanas atque Catholicas reverà existere.

Epistolæ Lucidi nil nisi specie tenus Semipelagianismũ redolent.

Adde quòd ea quæ Novatores in illis Epistolis criminantur, nonnisi specie tenus Semipelagianismum redolent, ut latè prosequitur Antonius Deschamps, *Lib. 2. in Iansenium disput. 7. cap. 1. num. 12. & sequentibus*; quod enim maximè vellicant in Epistola Lucidi, dicentis, *Damno sensum illum qui dicit ab Adam usque ad Christum nullum ex gentibus per primam Dei gratiam, id est per legem naturæ in adventum Christi fuisse salvatos, eo quòd liberum arbitrium in primo Parente perdiderint.* Nonnisi putida nimis calumniandi ratione id præstant: ut enim accusationi suæ faciant fidem, post has voces *Legem naturæ*, virgulam inserunt, ut significent Faustum & Lucidum *per primam Dei gratiam* intelligere naturæ legem præcisè sumptam; & ab omni Christi Salvatoris gratia separatam; quæ certè summa cavillatio est: longè enim alia mens fuit Cardinalis Baronii, Didaci Alvaris, Severini Binii & Margarini de la Bigne, qui cùm intelligerent per *primam Dei gratiam* hic designari legem naturæ cum ea gratia, quæ ex futuro Christi adventu in eam redundabat, ut id clariùs pateret uno contextu, ac sine ulla distinctione, hæc verba junxerunt *per legem naturæ in adventum Christi fuisse salvatos.*

Eadem (inquit Antonius Deschamps) inconsulta calumniandi libido eos impulit, ut hæc pariter Lucidi verba in jus vocarent, *Damno sensum illum qui dicit alios deputatos ad mortem, alios prædestinatos ad vitam:* Quibus certè subscribere debent omnes Catholici; neque enim hic alia præscientiæ, aut prædestinationis ratio proscribitur, quàm quæ à Calvinianis modò defenditur, & ab eodem Lucido, antequam errores ejuraret, propugnabatur; sic enim pauló antè illam descripserat Faustus, *Damno sensum illum qui dicit, quòd præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quòd cum Dei pereant voluntate qui pereunt.* Quæ damnatio verè est hominis Catholici.

Objiciunt 4. Omnia quæ Gennadius, Sigebertus & Hincmarus Prædestinatianis adscribunt, sunt ipsissima sancti Augustini dogmata, quæ Semipelagiani tanquam ab eo S. Doctore tradita atque in ejus libris expressa, carpebant & criminabantur; Ergo reverà nulli unquam extiterunt Prædestinatiani hæretici. *Probant antecedens primò*, quia Gennadius ait

A Prædestinatianos suis dogmatibus docere, quòd Deus personas hominum accipiat: quòdque Deus alios etiam invitos post multa bona opera attrahat ad salutem; alios verò post bona rejiciat. Quæ sunt ipsissimæ Semipelagianorum querelæ contra distributionem & operationem gratiæ, sanamque de prædestinatione doctrinam, quam hoc nomine *Prædestinatiana* invidiosè traducebant, nempe quod alii, post multa bona opera interdum evocentur ad salutem; alii verò post multa bona opera aliquando rejiciantur.

Secundò, ex eo quod inter dogmata adscripta Prædestinatianis, nonnulla sunt apertè Catholica, ut quod Deus non det omnibus justis perseverantiam, illis scilicet qui non sunt prædestinati: quodque illi qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiam si in perfidia, vel in omni genere peccati, longo tempore; imò ad finem vitæ usque volutentur, accepturi sint gratiam; adeoque occasionem quâ & credant in Deum & piè sanctèque vivant; quæ doctrina omninò Catholica est: Ergo, &c.

B

Respondeo: Reverà quidem plura dogmata à Semipelagianis fuisse sancto Augustino afficta, quæ tamen longè ab ejus mente aliena erant, ut testatur S. Prosper in præfatione responsionis ad capitula Gallorum, & librô contra

C Collatorem cap. 1. dicit Massilienses, *Suis contra Divi Augustini doctrinam objectionibus trahere ad se multos ineruditos & non habentia spiritum discretionis corda turbare.* Itaque dogmata illa quæ tribuuntur Prædestinatianis, non esse doctrinam sancti Augustini, docet S. Prosper in libris Responsionum ad capitula Gallorum & ad objectiones Vincentianas nec-non & ad excerpta Genuensium.

Ad secundum dico, Gennadium inter dogmata Prædestinatianis asscripta meritò recensere, quòd dicerent, *Non dari omnibus justis perseverantiam*, non enim loquitur nec intelligit de perseverantia in actu secundo, seu in facto es-

D se, quô sensu id verissimum est; sed de perseverantia in actu primo, id est de potentia perseverandi, quam Prædestinatiani solis prædestinatis dari volebant: contra quem errorem pronuntiavit Synodus Arausicana secunda Can. 25. *Credendum esse secundùm fidem Catholicam quod acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*, & consequenter quod perseverandi potestatem habeant.

Quod autem rursus asserit Prædestinatianos docere, quòd *qui prædestinati sunt ad vitam æter-*

E *nam accepturi sint gratiam, &c.* Id intelligit juxta sensum Prædestinatianorum, qui volebant illud fieri ex antecedente necessitate, inducta per ipsam Prædestinationem & Reprobationem: quia scilicet, inquiebant, Deus pro suo mero beneplacito, selegit aliquos ex massa perditionis, quos per media necessitantia salvare decreverit: quique vi talis electionis sint necessariò salvandi, neque possint pessimè mori, quidquid antea mali perpetraverint: Alios è contra in massa perditionis reliquit, & idcirco destituit gratiâ necessariâ, ut sanctè pièque moriantur; licet toto ante acto vitæ tempore laudabiliter vixerint: quam utique sententiam ut hæreticam omnes Catholici

exectatur. Ideo nullum dogma Catholicum A Gennadius Prædestinatianis affingit. Eodem modo accipiendum est quod dicit Gennadius Prædestinatianos suis dogmatibus, *Facere Deum acceptorem personarum*, in hoc nempe quòd censebant Deum quos salvate statueret, invitos licet & diu resistentes tandem necessitate ad conversionem; atque post quæcumque mala opera, ad salutem pertrahere: alios verò post diuturna bona opera tandem subjicere; idque vi solius Prædestinationis eorum aut Reprobationis, quæ sententia prorsus est Hæretica: quid ergo hac de re in Gennadio culpandum?

§. III.

Quinam fuerint Prædestinatianæ Hæresis Restauratores?

Gothescalcus Prædestinatianā hæresim innovavit.

Extinctam pridem Prædestinatianorum hæresim, circa annum octingentesimum quingentesimum sub infestis excitavit *Gothescalcus*, genere Belga, ut Aventino lib. 4. annalium placet, aut Gallus ut Trithemio lib. 3. vitæ Rabani visum est, qui cùm in Orbacensi apud Suessiones Monasterio Religiosæ vitæ se addixisset, talem se in eo loco exhibuit ut videretur, *Habitu Monachus, mente ferinus, quietis impatiens & vocum novitate delectans, ac inter suos mobilitate* C *noxia singularis.* Taodem, *de omnibus quæ in his regionibus perversa tunc temporis sensa cognoverat, quædam sibi elegit capitula, ut novitate vocum, innotesci valeret, atque è Monasterio irregulariter exiens, peragratis regionibus plurimis exitiosa semina sator pessimus seminavit*: Ut refert Hincmarus Epist. ad Nicolaum Papam, qui idipsum audierat ab Abbate & Monachis quibuscum Gothescalcus ille vixerat.

Hoc ipsum testatur Rabanus Moguntiæ Archiepis. & Præses Concilii, in quo damnatus fuit Gothescalcus. *Notum sit*, inquit, *dilectioni vestræ quod quidam Gyrouagus Monachus nomine* Gothescalc. *qui se asserit Sacerdotem in* D *vestra Parrochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam novas superstitiones & noxiam doctrinam de Prædestinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens;* DICENS QUOD PRÆDESTINATIO DEI SICUT IN BONO, SIT ITA ET IN MALO; ET TALES SINT IN HOC MUNDO QUIDAM QUI PROPTER PRÆDESTINATIONEM DEI QUÆ EOS COGAT IN MORTEM IRE, NON POSSINT AB ERRORE ET PECCATO SE CORRIGERE: QUASI DEUS EOS FECISSET AB INITIO INCORRIGIBILES ESSE ET PŒNÆ OBNOXIOS IN INTERITUM IRE. *Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habitâ ab eo audientes, & eum incorrigibilem reperientes, annuente atque* E *jubente piissimo Rege nostro Ludovico decrevimus eum cum perniciosa sua doctrina damnatum mittere ad vos; quatenus eum recludatis in vestra Parrochia; unde primum inordinatè recessit & non sinatis eum amplius errorem docere & seducere populum Christianum, quia jam multos ut audivi seductos habet.*

Ut autem de Gothescalco, solitò mota controversia enucleatè ac dilucidè pertractetur, placet eam tres in particulas distribuere cum *Antonio Deschampt*, Prima contentionis illius exordia complectetur, & Gothescalcum in Mogontino Concilio damnatum exhibebit. *Secunda* grassantem latiùs controversiam persequetur, & eundem in Carisiaca Synodo rursus condemnatum fuisse, atque arcto carceri addictum ostendet. *Tertia* conciliabit Valentini Concilii canones, qui Gothescalco favere videntur & Carisiensi Concilio adversari.

Gothescalcus damnatus in Concilio Moguntino.

Gothescalcum in Synodo Moguntina damnatum fuisse liquet, nedum testimoniô prædictô Rabani Mauri Moguntini Archiepiscopi, sed etiam ex variis Scriptoribus & Annalibus qui eius meminêre, quique summo B consensu non extremum inter Hæreticos Prædestinatianos locum illi tribuunt. Ita maximè annales *Fuldenses*, & *Bertiniani*, *Flodoardus*, lib. 3. Historiæ Remens. *Aventinus*, lib. 4. annalium: *Trithemius* lib. 3. vitæ Rabani, qua de re sic à *Pythæo* editus Francicorum annalium scriptor, qui iisdem temporibus vixit, *Circa Calendas Octobris*, inquit, *Generale placitum* (Rex Ludovicus) *habuit apud Moguntiacum, in quo Legatos fratrum suorum, & Normanorum Sclavorumque suscepit, audivit & absoluit: homines etiam Rabani Episcopi adversus Dominum suum conspirantes publicè convictos cum eo pacificavit. Gothescalcus quoque quidam Presbyter* DE PRÆDESTINATIONE DEI PRAVÈ SENTIENS, ET TAM BONOS AD VITAM, QUÀM MALOS AD MORTEM PERPETUAM, INEVITABILITER A DEO PRÆDESTINATOS ESSE AFFIRMANS, *in conventu rationabiliter ut plurimis visum est, convictus, & ad proprium Episcopum Hincmarum Remis transmissus est, prius tamen juramento confirmans, ne in regnum Ludovici ultra rediret.* Testatur & Hincmarus Epistola ad Nicolaum Papam, ubi de Gothescalco sic ait, *Peragratis regionibus plurimis, & exitiosa semina Sator pessimus seminans; tandem in Moguntina civitate habita Synodo & Rabano Archiepiscopo libellum sui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ Episcopis cum litteris Synodalibus ad Metropolim Remorum, cui jam, authore Domino, præeram, est remissus.*

Quantæ autem authoritatis esse debeat hujus Synodi in Gothescalcum animadversio, testatur inprimis insignis Moguntini Archiepiscopi illius Synodi præsidis pietas, & eruditio. Hic enim est magnus ille *Rabanus Maurus*, quem sanctus Odilo Abbas Cluniacensis vocat, *Fide Catholicum & spirituali scientia ad plenum edoctum*: Hermanus contractus, *divinorum librorum tractatorem egregium*: Joannes Trithemius, *Virum in divinis litteris eruditissimum cui nec Italia similem nec Germania peperit æqualem*: Sixtus Senensis, *virum omnium disciplinarum cognitione absolutissimum cui nullum parem eo sæculo Germania tulit*: Cardinalis Baronius, *Fulgens temporibus istis Germaniæ Sidus, verticem hujus temporis Theologorum & non imparem magnis Doctorem.* In tanti igitur nominis viri decretu & sancita quid mussitare poterunt Novatores? *Testantur idipsum* qui isti Synodo adfuerunt Antistites, idque tantò numerô, ut Hincmarus ad Nicolaum summum Pontificem scribat, Gothescalcum in hac Synodo, *Ab omnibus Germaniæ Episcopis damnatum fuisse.* Quales vero & quanta doctrina ac pietate celebres fuerint illi Pontifices Trithemius

Trithemius in Chronico Hirsangiensi ad annum 848. docet his verbis : *Fuerunt inter alios præsentes ibi celeberrimi viri Episcopi, Helti Archiepicopus Trevirensis, Hildeboldus Archiepiscopus Coloniensis, Alsofridus Episcopus Hildesheimensis, Haimo Episcopus Alberstatensis, Ludericus Episcopus Brennensis, &c. Et multi alii Episcopi & Abbates & Monachi, inter quos complures erant vitâ & doctrinâ famosissimi.*

Quantùm autem hæc in Gothescalcum lata prima sententia, ejus animum exulceraverit, inde patet, quòd deinceps adversus Rabanum Synodi Præsidem furere ac bacchari non cessârit: Neque eum duntaxat atrocissimis laceravit injuriis, sed etiam quos adversantes atque repugnantes expertus est, à Rabani nomine *Rabaniticos hæreticos* appellavit, ut testatur Amolo Lugdunensis Archiepiscopus in ea quam ad ipsum Gothescalcum scripsit Epistola, *Septimo loco*, inquit, *duo prorsus gravia mala in tuis nobis moribus plurimùm displicuerunt : Unum quod Sacerdotes Dei & Rectores Ecclesiarum tantis injuriis & convitiis & maledictis laceras, tanto despectu & contumacia conculcas, usque spiritu erroris & superbia miserabiliter deceptus; ut omnino nihil Christianæ patientiæ, nihil Christianæ reverentiæ habere videaris. Nam inter cætera, omnes qui insaniæ sensuum tuorum zelô fidei resistunt, hæreticos appellare non metuis, eosque à bono & erudito viro, atque Catholico Episcopo* RABANITICOS, *nuncupare præsumis.*

Gothescalcus in Carisiaco Concilio damnatus.

EA est perniciosæ & hæreticæ doctrinæ lues, ut nullo etiam igne, nulloque cœlitùs immisso fulmine purganda videatur. Quod utique Gothescalcus ipse demonstrat; damnatus enim à Patribus Synodi Moguntinæ, non tamen emendatus, à Germania in Galliam profectus est, ut refert Hincmarus Epistola ad Nicolaum summum Pontificem, *Damnatus*, inquit, *Gothescalcus ab omnibus Episcopis Germaniæ, cum litteris Synodalibus ad Metropolim Remorum cui jam authore Domino præeram, est remissus.* Quid autem exinde contigerit, continuò subjicit; *Postea*, inquit, *à Remorum ac Galliæ Belgicæ, & aliarum Provinciarum Episcopis auditus, & inventus hæreticus, quia resipiscere à sua pravitate non voluit; ne aliis noceret, quia sibi prodesse nolebat, judicio præfatarum Provinciarum Episcoporum, in nostra Parrochia, (quoniam Rothaldus Suessionensis Episcopus de cujus Parrochia erat, illi nesciebat resistere, & novitatis amans timebatur à nobis, ne disceret prava sentire, qui noluit sentire recta & docere:) Neve idem Gothescalcus, cum aliis communem vitam ducens, errori suo faceret esse communes, Monasteriali custodia mancipatus est, &c.* Seu ut loquitur lib. de Prædest. cap. 2. *Inde in Synodali conventu in Carisiaco Palatio iterum auditur Gothescalcus ab Episcopis & cæteris quàm plurimis viris Ecclesiasticis, atque Religiosis, qui eidem Synodo interfuerunt*; Aderant autem Archiepiscopi duo *Vuenilo* & *Hincmarus*, ille Senonensium, hic Remorum: Episcopi verò complures, *Fulconius* Morinensium; *Teudericus* Cameracensium, *Rotaldus* Suessionum, *Regenarius* Ambianensium. *Imo* Noviomagesimũ, *Erpoinus* Silvanectensium, *Lupus* Cathalonensium, *Tr. minfridus* Belvacensium, *Pardulus* Laudunensium, *Teutbordus* Lingonensium, & *Gornobrius* Tutonensi in Provincia Episcopus: Chorepiscopi quoque duo *Rigboldus*, & *Vuiraus* ille Remorum hîc Cameracensium: Alii denique doctrina & pietate spectabiles viri aderant; quos inter eminebant *Vuenilo* postea Rothomagensium Archiepiscopus, *Æneas* atque *Isaac*; Deinde Parisiorum, & Lingonensium Episcopi atque ipse *Bavo* Orbacensis Monasterii, adeoque Gothescalci Abbas.

Subdit autem Hincmarus ibidem, *In quorum præsentia sicut & in Moguntina civitate inventus hæreticus atque incorrigibilis, honore Presbyterali quem per Rigboldum Remorum Chorepiscopum, cum esset Suessionissa Parrochiæ Monachus, inscio Civitatis suæ Episcopo usurpaverat potius quàm acceperat, abjectus, & pro sua irrevocabili contumacia secundùm leges & Agathenses Canones, ac Regulam sancti Benedicti, ut improbus virgis cæsus sicut decreverant Germaniæ Provinciarum Episcopi; ne aliis noceret qui sibi prodesse nolebat, ergastulo est retrusus.*

Omnem tamen navavit operam Hincmarus ut Evangelicæ Charitatis via Gothescalcum meliorem in frugem reduceret priusquam eum ad tribunal evocaret: Refert enim Flodoardus lib. 3. cap. 28. quod *Scripsit Hincmarus Gothescalco Monacho, qui erat prolapsus in hæresim, de quibusdam sententiis Authorum, quas ille non benè intelligebat, vel exponebat, maximè Prosperi; quarum sensum Hincmarus per sententias præcipuè Beati Augustini exponit, & cæteros idoneos proponit testes Apostolicæ fidei Doctores: quorum sequendam in omnibus admonet esse doctrinam, ostenditque testimoniis manifestis Deum, & bona præscire, & mala: sed mala tantùm præscire, bona verò & præscire, & prædestinare: Unde præscientia esse potest sine Prædestinatione: Prædestinatio autem non potest esse sine præscientia: & quia bonos præscivit & prædestinavit ad Regnum; malos autem præscivit tantùm, non prædestinavit, nec ut perirent suâ præscientiâ compulit. Cui definitioni subscribere idem Gothescalcus pertinacissimè recusavit.*

Damnatus autem Synodi Carisiensis decretô Gothescalcus & in Altivillari Monasterio inclusus, geminam fidei suæ professionem edidit, *Breviorem* unam, alteram *Prolixiorem*, in quibus suum dogma de Prædestinatione flagitiosè dissimulat, nam id docet unum, *Reprobos ad pœnam prædestinari*; non tamen negat, *eos etiam prædestinari ad culpam*, ut priùs docuerat; quò opinionem sua callidè ac fraudulenter texuit. Nam certum est eum asseruisse Reprobos prædestinari à Deo non tantùm ad pœnam, sed etiam ad culpam; id enim affirmant Rabanus in Epistola ad Heberardum Comitem apud quem conqueritur quod secum manere patiatur, *Quendam Sciolum nomine Gothescalcum*, qui ita Prædestinationem exponat, *Quasi Deus Prædestinatione sua cogat hominem interire*, necnon & Amolo Lugdunensis Archiepiscopus in Epistola ad ipsum Gothescalcum ubi ita scribit; *Quarto loco displicet nobis valdè quia tam durè & indisciplinatè, & immaniter de divina Prædestinatione sentis & loqueris in damna-*

tione Reproborum, ut omnes illos qui ad sinistram ponendi sunt in die judicii & cum Diabolo atque Angelis eius pro malis meritis suis aterno igni damnandi, ita sunt divinitùs ad interitum prædestinati, ut eorum prorsus nullus aliquando potuerit, nullus possit salvus esse. Quod sentire& dicere, quid est aliud quàm in Deum graviter & horribiliter blasphemare? sic illis eius Prædestinatio banc necessitatem irrevocabiliter imposuit, ut omnino quod ad salutem suam proficeret operari non possint. Ut autem lucnlentiùs appareat quæ fuerint pestisera ipsius Gothescalci dogmata, hæc subjicere lubet sub sequenti titulo.

Quinam fuerint præcipui errores Gothescalci?

EOs omnes scribit & recenset Hinemarus Epist. ad Nicolaum Pontificem ubi de Gothescalco ait, *Verùm si vestra sapientia Catholica vult scire qua contra Catholicam fidem, ex veteri haresi Prædestinatianorum (qua primum in Africa postea in Galliis per idem tempus quando & Nestoriana haresis est exorta, & tempore Cælestini Papa ipsius auctoritate, & instantia sancti Prosperi est revicta) dicere videatur de multis pauca vobis numero, sed non pondere capitulatim significamus:* Dicit quod & veteres Prædestinariani dixerunt quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinavit ad mortem.

Dicit quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed tantùm eos qui salvantur: omnes autem salvari quoscumque ipse salvare voluerit: ac per hoc quicumque non salvantur, penitus non esse voluntatis illius ut salventur, quoniam si non omnes salvantur quos vult Deus salvos fieri, non omnia quæcumque voluit fecit; & si vult quod non potest, non omnipotens, sed infirmus est. Est autem omnipotens qui fecit quodcumque voluit, dicente Scriptura omnia quæcumque voluit Dominus fecit in Cœlo & in Terra in mari, & in omnibus abyssis, & item; in voluntate tua Domine cuncta sunt posita & non est qui possit resistere tuæ voluntati si decreveris salvare nos, continuò liberabimur.

Dicit quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quod non pro totius mundi redemptione, id est non pro omnium salute & redemptione Dominus & Salvator noster Iesus Christus sit crucifixus & mortuus, sed tantùm pro his qui salvantur.

Dicit dispari traditione, sed pari errore, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt; exponens sententiam Apostoli Petri, eum qui emit eos Dominum negantes, Baptismi, inquit, Sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit neque mortem pertulit, neque sanguinem fudit: Quod autem Baptismi perceptio redemptio nuncupatur, Doctor gentium manifestè fatetur: Nolite contristari, inquit Spiritum sanctum Dei in quo signati estis in die redemptionis. At illa quæ propria & specialis est solorum omnium Electorum quam eis tantummodo Crucifixus impertivit, pius Redemptor ipsorum sicut à præteritis ita nimirum à præsentibus, natos & nascituros vivos & mortuos, videlicet omnes pariter Electos redemit, eruit, abluitque peccatis. Et idem alibi idem Gothescalcus scribit: absit procul à ment vel illud solummodo velim sommiare, nedum semel susurrare, ut illum eorum perpetualiter secum petiturum antiquus rapere valeat anguis, pro quibus redimendis tam pretiosus Deo Patri Domini nostri Filii sui fusus est sanguis. Amen. Et item loquens ad Deum, claret itaque satis apertè quod nullus tibi perit quisquis redemptus est per sanguinem crucis tuæ.

Quamquam autem pestisera hæc dogmata omnibus Catholicis execranda viderentur; nonnullos tamen habuerunt Propugnatores: Inprimis namque, *Lupus Servatus* Moguntinus Presbyter, pro Gothescalco scripsisse videtur libellum *de tribus quæstionibus*: Nihilominus ipsemet Gothescalcus illum suarum partium omnino esse non putavit, sic enim de eo scribit ad Rattamnum Monachum Corbeiensem.

Gothescalcus varios habuit Patronos.

Nempe tribus horum studui proprium indere sensum
MARCAUDO, IONÆ *atque* LUPO, *rutilantibus ore*
Poscens obnixè satagant ut vera referre,
Nemo sed excepto quid adhuc mihi reddidit uno,
Qui cum sit cautus simul & cautus, & moderatus
Sic jam terna sui liberant responsa libelli
Vt dempto neutri pleno discrimine partè
Congruat.

Fatetur itaque Gothescalcus Lupum sic scripsisse, ut in utramque partem inclinet & neutri plenè congruat. Et certè dum tertiam quæstionem, quæ *de Christi sanguine est*, pertractat (inquit Antonius Deschamps) postquam ostendit multa sacræ Scripturæ testimonia quibus *Christus pro omnibus mortuus* dicitur, sic explicari posse ut de solis prædestinatis accipiantur: Addit etiam illa Scripturæ testimonia de redemptione sufficienti posse accipi, & ad omnes prorsus homines extendi.

Prodierunt etiam libelli aliquot qui pro Gothescalco scribi videntur: At ex iis duo tantùm de divina homines omnes salvandi voluntate fusé pertractant, quorum alter *de tribus Epistolis*, alter *de veritate fidei* retinenda inscribitur. Quis autem eorum librorum fuerit Author adhuc sub iudice lis est; quidam enim eos tribuunt *Remigio* Lugdunensi Archiepiscopo, alii *Floro* ejusdem Ecclesiæ Diacono: quod utique cum fuerit incertum, usus invaluit, ut nomine Ecclesiæ Lugdunensis circumferrentur: Unde *Tomo* 4. Bibliothecæ Patrum hi libelli inseruntur sub hoc titulo, *Ecclesia Lugdunensis contra Ioannem Scotum:* At de his libellis infra pleniorem sermonem faciemus.

Maximè Ecclesiam Lugdunensem.

Prudentius pariter Trecensis Episcopus Gothescalci defensor acerrimus extitit ut constat ex Epistola, quam ad Vvenilonem Senonensem Archiepiscopum scripsit, in qua negat se consensurū ordinationi Æneæ Parisiensis Episcopi, nisi priùs capitulis quatuor subscriberet quæ ipse designat quæq; Carisiacēsibus sunt opposita. Ve-

Et Prudentium Trecensem.

rùm quis fuerit iste Prudentius referunt annales Francorum, seu Bertiniani ad annum 461. his verbis, *Galindo cognomento Prudentius, Tricassinæ civitatis Episcopus, natione Hispanus, apprimè litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gothescalco Prædestinatiano restiterat: post felle commotus contra quosdam Episcopos secum hæretico resistentes, ipsius hæresis defensor acerrimus; indeque non modica inter se diversa & fidei adversa scriptitans moritur.*

Qui tamen Carisiacensi Concilio subscripserat.

Hunc autem reverà Carisiacensibus decretis subscripsisse, testatur Hincmarus lib. de Prædest. cap. 21. *Miramur*, inquit, *cum in præfata Synodo Carisiaca capitulis superiùs memoratis subscripserit* Domnus Prudentius, *& Canonicas Sanctiones atque decreta Apostolicæ sedis Pontificum sufficienter cognita de Synodali subscriptione atque professione habeat, tam inconsultè & inconsuetè sine probabili conlatione contra regularum instituta, hujusmodi scriptum, pro ordinationis consensu Coëpiscopi sui ad Archiepiscopum & Coëpiscopos suos transmiserit.*

Nec refert quòd Prudentius ille inter Sanctos numeretur, ejusque festum celebretur Trecis, & in Martyrologio Gallicano, sexto Aprilis, (quod à doctissimo viro Domino Andrea du Saussay editum est) virtus ejus ac sanctitas commendetur. Idem enim dici potest de ipso, quod de Fausto Regiensi supra diximus, nempe quod circa vitæ finem ejuratâ tandem hæreticâ doctrinâ, & ex charitate ac mutua concordia compositis animis, cum cæteris Catholicis Præsulibus senserit, & eximias virtutes fide integrâ omnibus perspectâ illustraverit.

Eum verò præ cæteris impugnavit Hincmarus.

Oppugnatores autem errorum Gothescalci plures extitere; inter quos non commemorabo *Ioannem Erigenam*, seu *Scotum*, qui licet omni arte & marte in Gothescalcum pugnaverit: variis nihilominus erroribus inquinatus est, ut constabit infra. Præ cæteris autem Gothescalci impugatoribus & damnatoribus enituit *Hincmarus*, qui præter *Epistolas*, & *Apologiam* quam pro fide Catholica contra errorem Gothescalci scripsit ad Nicolaum Papam, etiam plurima alia in lucem edidit, & inter cætera *Collectionem sententiarum Orthodoxorum Patrum*, ad confutandas blasphemias istius Gothescalci, quam filiis Ecclesiæ suæ dedicavit docens Deitatem divinæ Trinitatis non debere dici *Triplicem* cùm in summa Trinitate unitas sit. Item *Poëma eruditissimum* Carolo Regi vovit in quo agitur de gratia & prædestinatione Dei, de Sacramento corporis & sanguinis Christi, de modo videndi Deum, de origine animæ, & de fide sanctæ Trinitatis. Et hoc opus inscripsit *Ferculum Salomonis*. Insuper maximum volumen *de prædestinatione Dei & libero arbitrio* contra quosdam Episcopos reprehensores suos, & præsertim contra dictum Gothescalcum & Ratramnum Monachum Corbeiensem collegit & composuit.

Cuius varia scripta referuntur.

Item alium pulcherrimum librum contra eundem Gothescalcum & alios Prædestinatianos nomine Regis exaravit, & suæ majestati his verbis scripsit: *Domino Carolo Regi, &c.* hæc Baronius ad annum 848. num. 16. & Flodoardus, qui hanc utique controversiã apprimè nosse potuit; fuit enim Canonicus Ecclesiæ Remensis tempore Artoldi, qui quadragesimo octavo post Hincmari obitum in Archiepiscopatu Remensi subrogatus est Fulconi successori Sculfi, cujus prædecessor Henticus, qui paulo post successerat Hincmaro.

Quid egerit Valentina Synodus circa Gothescalci Doctrinam?

Qua de causa coacta fuerit.

Dum motæ à Gothescalco quæstiones tanta utrinque contentione agitantur (inquit Antonius Deschamps) Lotharii Imperatoris jussu trium Provinciarum *Lugdunensis*, *Viennensis*, & *Aretalensis* Præsules *Valentiam* convenerunt, ut civitatis illius Episcopi, qui ob varia crimina pessimè audiebat, causam cognoscerent: eâ autem disceptatâ, statuendum sibi aliquid putaverunt de illis controversiis, quibus tot jam annos Gallia personabat: atque ut in eo conventu nonnulli erant Hincmaro subinfensi, Gothescalci patrocinium quoad licuit suscepêre, & Carisiacæ Synodi decreta, quibus condendis Hincmarus præfuerat, quantum fas fuit oppugnârunt. Sex ea de re sanciti sunt Canones. *Primus* universè præscribit novitates vocum omni studio vitandas esse, & Joannem Scotum sive Erigenam petit; qui contra genuinam Gothescalci Prædestinationem librum ediderat erroribus & profana vocum novitate scatentem. *Secundus* decernit, *nec prorsus ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem ut aliud esse non possit*: Adeoque Gothescalci opinionem in Moguntina Synodo pridem detestatam condemnat. *Tertius* geminam Prædestinationem esse asserit, alteram Electorum ad vitam, alteram Impiorum ad mortem: ac proinde Gothescalco favet in speciem, & verbo tenus discrepat à primo Carisiacensi capitulo, quod ita conceptum erat: *Vnam Dei Prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ aut ad retributionem justitiæ.* Quartus de redemptione sanguinis Christi agit, nec cum decreto Carisiaco re ipsa pugnat; statuit autem, *Quod omnes regenerati à peccatis abluti sint, non tamen omnes salvi fiant*: & illum Gothescalci errorem perimit, quô asserebat solos prædestinatos in baptismo gratiam consequi.

Quot & qui fuerint illius Canones.

Eorũ præcipuus conditor fuit Ebbo.

Hujusmodi autem decretorum præcipuus author extitit *Ebbo*, ut cognosci potest ex præfatione illius Concilii, in qua post Archiepiscopos solus ex Episcopis Ebbo nominatur cum hoc elogio: *Conlaborante eis quam maximè venerabili Ebbone Gratianopolitano Episcopo.* Hic porro occultas cum Hincmaro Remensi Archiepiscopo simultates gerebat; quod Ebbonis illius ex sorore Nepos esset, qui adversus Ludovicum Pium conjuraverat, quique eam ob rem exauthoratus, & Remensi pulsus Archiepiscopatu suam in sedem suffectum Hincmarum gravissimè tulerat. Hunc avunculi sui dolorem ulturus, *Ebbo Gratianopolitanus*, Hincmaro & Carisiacensibus capitulis liberiùs obtrectabat. Cùmque in Valentina Synodo plurimùm posset, atque ejus decreta componeret, hæc illis verba inseruit: *Porro capitula quatuor, quæ à Concilio Fratrum nostrorum minùs prospecta suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati: Sed & alia novendecim syllogismis ineptissimè conclusa; & licet jactetur, nulla sæculari litteratura nitentia, in quibus commentum Diaboli potius quàm argumentum fidei deprehenditur, à pio auditu*

Qui Hincmaro infensus erat.

fidelium penitùs explodimus. Prima parte Carisiaca capitula designantur: Secundâ verò Joannis Scoti placita, qui Gothescalci hæresim impugnare aggressus, in alias impegit nihilo tolerabiliores, & Catholicorum omnium execratione dignissimas. Iniquum verò fuit Carasiaca decreta, quæ à Valentinis in geminæ tantùm prædestinationis assertione, idque verbo tenus discrepant, cum impurissimi scriptoris erroribus conjungi eademque mulctari sententia: Quapropter ipsi etiam Præsules, qui *Valentino* huic *Concilio* interfuerant cùm postea ad *Synodum Lingonensem* convenissent, hæc ipsa Valentina decreta ita probaverunt, ut illam in Concilium Carisiacum notam tolli voluerint, sicut & etiam sublata est in *Tallensi Synodo*: quod argumento est, eam Ebbonis potiùs arte quàm de Concilii sententia appositam fuisse.

Hæc autem Valentinæ Synodi decreta cùm à Remigio Archiepiscopo Lugdunensi excepisset Carolus Calvus Rex, ea tradidit Hincmaro, quatenus vel ea impugnaret, vel eis subscriberet. Hincmarus autem impugnationem illorum capitulorum diu distulit, sperans fortè Valentini Synodi Præsules suam sententiam mutaturos, aut Synodum à Remigio Lugdunensi cogendam, quâ meliùs omnia componi posse arbitrabatur: Tandem triennio post eadem capitula excepta *ad Carolum Regem*, inquit Flodoardus lib. 3. cap. 15. *composuit volumen ingens plures continens libros de Prædestinatione Dei & libero arbitrio, contra quosdam reprehensores suos Episcopos, maximeque contra Gothescalcum atque Ratramnum Monachum Corbeïensem.*

Qui multa in Valentina Synodo acta arguit.

Multa verò in hoc Valentino Concilio reprehendit Hincmarus. *Primum* quòd se absente & ignaro, nec admonito priùs, præter Charitatis fraternæ officium, quatuor capitula Synodica authoritate damnassent, quæ ab ipso & Coëpiscopis in Synodo Carisiacensi fuerant comprobata. *Præterea* quòd dum unà cum Hincmari capitulis Joannis Erigenæ capitula conjungunt, videantur Hincmarum reum agere eorum quæ Erigena scripsisset; cùm tamen ne fando quidem, de iis quicquam accepisset: *Adhuc* quòd quæ scripserat, in aliam detorqueant mentem; ut videre est in ejus Epistola apud Flodoardum, laudatô locô.

Illa tamen Synodus, decreta Concilii Carisiacensis directè non oppugnavit.

Quòd autem reverà Valentina Synodus Carisiaca decreta non solverit, sed benigniùs tantùm illas propositiones Gothescalci interpretata fuerit quàm hæc fecerat, constat ex illiusmet decretis. Quando enim *Valentina* approbat *Deum sicut quosdam ad vitam æternam, sic alios ad mortem æternam prædestinasse*, intellexit quòd ad mortem æternam prædestinaverit consequenter, nempe propter ipsorum peccata prævisa: Non autem quod antecedenti & efficaci voluntate ad mortem æternam, adeoque ad peccatum, quod est ipsius causa prædestinârit. Synodus verò *Carisiacensis* cum Hincmaro, & antea Synodus *Moguntina* cum Rabano, in hunc secundum sensum propositionem illam Gothescalci damnavit, quem veterum Prædestinatianorum sensum fuisse testatur Hincmarus cap. 15. lib. de Prædest. *Veteres*, inquit, *Prædestinatiani reproborum Prædestinationem ad interitum confitentur; quos sicut dicunt à Deo prædestinatos ad interitum, ita etiam ad peccatum. Hoc* MODERNI *Prædestinatiani colorem mutant,*

A *sed odoris, & saporis intelligentia redolent. Dicunt enim; prædestinavit Deus reprobos ad interitum, non ad peccatum; cùm non nisi per peccatum pervenire valeant ad interitum.*

Similiter quando Valentina Synodus approbavit quod aiebat Gothescalcus, *Deum non velle salvare omnes homines, sed eos tantùm qui salvantur: Et Christum pro omnibus non esse mortuum, &c.* Intellexit eum loqui de voluntate salvandi efficaci & absoluta: Non autem conditionata, & per modum beneplaciti: de qua Hincmarus & Synodus Carisiaca non immeritò eum intellexerant: deque morte Christi & redemptione non quoad sufficientiam tantùm, verùm etiam quoad efficacem applicationem, ita ut reipsa illis ad salutem consequendam pro- B fuerit. Quibus constat utramque Synodum tantùm specie tenus ac diversâ intelligentiâ verborum Gothescalci pugnâsse, reverà tamen utramque ejus perversa dogmata damnâsse.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Prædestinatio ad Gratiam fiat ex prævisis bonis operibus liberi arbitrii virtute elicitis?

DUPLICEM Prædestinationis principem effectum Gratiam nempe & Gloriam, ex di- C ctis liquidò constat; quocirca propositam difficultatem ex integro absolvemus, si quæ sint utriusque causæ demonstremus. Quod ut fiat planiùs.

I.

Non eadem fuit Pelagii & Juliani de causis Prædestinationis sententia.

Notandum 1. Quamquam Pelagius, Julianus & Massilienses hunc tetrum in errorem impegerint, quòd aliquam ex parte liberi arbitrii gratiæ causam assererent; eorum tamen non eadem fuit omnino sententia. Siquidem Pelagius, referente S. Augustino, Epist. 107. cùm dixisset lib. 1. de libero arbitrio: *Qui bene utitur arbitrii libertate, ita se totum tradit Deo, omnemque suam mortificat voluntatem, ut cum Apostolo possit* D *dicere*, VIVO EGO IAM NON EGO, VIVIT VERÒ IN ME CHRISTUS; *ponitque cor suum in manu Dei, ut illuc quò voluerit Deus ipse declinet*. Subdit. *Hoc autem tam magnum adjutorium tunc meremur cum sine illo adjutorio nonnisi de arbitrii libertate ad Dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, &c.* Julianus verò & ejus Asseclæ *volunt*, inquit S. Augustinus lib. 2. contra duas Epist. Pelagii cap. 8. *In homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut hujus cœpti meritum, etiam perficiendi gratiam consequatur.* Massilienses verò *inquiunt, vitam æternam his appendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ initio credulitatis acceperint*, ut scribit S. E Prosper Epist. ad S. Augustinum. Itaque Pelagius volebat per bona opera liberi arbitrii viribus elicita nos posse consequi gratiam, non quæ omnino necessaria esset, sed quæ conduceret ad faciliùs virtutes sectandas: Julianus autem contendebat nos ex nobis ipsis habere rectam voluntatem & pium conatum, quibus gratiam ad opus bonum eliciendum necessariam assequeremur: Massilienses verò concedebant nostras voluntates gratiâ præveniri in omni conatu & opere bono; asserebant tamen in nobis esse quædam initia fidei, quibus Deus movebatur ad conferendam primam gratiam auxiliantem. Contra quos omnes sit.

CONCLUSIO UNICA.

II. NVllis naturæ viribus possumus ullatenus gratiam auxiliantem promereri. Hæc est de fide determinata in Conciliis, Arausicano Can. 6. *Si quis sine gratia Dei volentibus, desiderantibus, & pulsantibus, nobis misericordiam dicit conferri; non autem divinitùs ut hæc omnia sicut oportet agere valeamus per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, &c. anathema sit*. Et Tridentino sess. 6. cap. 3. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit*. Et ibidem cap. 5. priùs dixerat; *Ipsius justificationis exordium in adultis à gratia Dei per Christum Iesum proveniente sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur*. Idem omninò definivisse Concilium Palæstinum affirmat S. Prosper adversus Collatorem cap. 10. dicens. *In Orientalium Episcoporum judicio Pelagius, eos qui dicunt gratiam Dei secundùm merita nostra dari, ut Catholicus posset videri, anathematisare compulsus est*.

Non possumus gratiam naturæ viribus promereri.

Vt constat 1. ex Conciliis.

III. Hanc ipsam veritatem pluribus probat S. Augustinus. 1. Quidem exemplô Christi Domini: Christus Dominus fuit exemplar nostræ Prædestinationis, siquidem *prædestinavit nos conformes fieri imaginis Filii sui*, ait Apostolus: Sed unio hypostatica quæ est primatius Christi Domini prædestinationis effectus, fuit omninò gratuita, nam ut loquitur sanctus Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 15. *Respondeatur quæso, ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruerit? Quod ejus bonum qualecumque præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?* Inde concludit, *Eâ gratiâ fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus; quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus*. Et infrà, *Sicut ergò prædestinatus est ille unus, ut Caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus..... Quisquis in Capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit; ipse in nostris membris ejus præcedentia merita multiplicata regenerationis inquirat, &c.*

2. Variis Scripturæ sacræ, & SS. Patrum sententiis.

Maximè S. Augustini.

Secundò idipsum probat exemplô S. Pauli dicentis 1. Corint. 15. *Non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei, &c.* Quæ sic urget S. August. libro de Gestis Pelagii cap. 14. *Sancte Paule Apostole! Pelagius Monachus dignum te dicit fuisse qui acciperes omnes gratias Apostolatus tui, tu ipse quid dicis?* NON SUM DIGNUS VOCARI APOSTOLUS..... *Itane ut deferam honorem Paulo, Pelagio magis de Paulo credere audebo, quàm Paulo? non faciam. Me namque potius onerabo quàm illum honorabo si fecero*. Subdit, *Audiamus etiam cur non sit dignus vocari Apostolus?* Quia persecutus sum, *inquit*, Ecclesiam Dei. *Si sensum sequeremur, quis non istum à Christo damnandum censeret potius quàm vocandum. Quis ita diligat Prædicatorem ut non detestetur persecutorem..... Faciens igitur tantùm mali, unde meruisti tantùm boni? Audiant respondentem omnes gentes*, GRATIA DEI SUM ID QUOD SUM. *Numquid aliter est gratia commendata, nisi quia est indigno* A *data*. ET GRATIA EIUS IN ME VACUA NON FUIT. *Vnde autem probat quod gratia in eo vacua non fuit* NISI *ex eo quòd sequitur*; SED PLUS OMNIBUS LABORAVI. *Proinde non laboravit ut Gratiam acciperet; sed accepit ut laboraret: atque ita ad accipienda debita præmia fieret dignus, gratiam gratis accepit indignus*.

Probat 3. ibidem ex natura ipsius Gratiæ, *Ipsum*, inquit, GRATIÆ *nomen & ejus intellectus aufertur, si non gratis datur; sed eam qui dignus est accipit*. Et serm. 41. de verbis Apostoli. *Ideo* GRATIA, *quia gratis datur; quia non quasi merces redditur post discussionem meritorum; sed donum datur post delictorum veniam*. Unde lib. 1. contra duas Pelagii Epistolas cap. 2. B concludit; *Hæc est intentio quâ Gratiam destruere moliuntur, ut eam dari secundùm merita nostra contendant*. Quibus constat Gratiam ex natura sua requirere quod gratis & nullis præcedentibus meritis donetur. *Nam*, inquit Apostolus ad Rom 11. *si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non esset gratia*.

Gratia necessariò gratis datur.

PROBAT 4. Ex eo quod gratia ipsa sit principium omnis meriti, *Quod est*, inquit Epist. 105. ad Sixtum, *meritum hominis ante gratiam, quò meritô percipiat gratiam? cùm omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia: & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet quàm munera sua*; Et priùs dixerat, *Percipiendæ* C *hujus gratiæ merita nulla præcedunt, quoniam meritis impii non gratia, sed pœna debetur: nec ista esset gratia si non daretur gratuita, sed debita redderetur*.

IV. CONFIRMANTUR hæ omnes probationes ratione Theologica: Nullum opus ordinis naturalis potest aliquid supernaturale promereri: sed gratia est ordinis supernaturalis: Ergo per nullum opus naturæ viribus elicitum eam aliquis potest promereri. *Minor* constat: *Major* probatur: Aliqua debet esse æqualitas, & commensuratio inter debitum & compensationem, laborem & mercedem, certamen & præmium: Sed nulla est inter opus naturale, & gratiam quæ est ordinis supernaturalis; adeoque per opera D naturalia nullus gratiam promereri potest: Unde meritò sanctus Augustinus cap. 14. de gestis Pelagii *Quamvis benè operanti gratiam fides impetret, ipsam certè fidem ut haberemus nulla fide meruimus: sed in ea nobis danda, in qua Dominum sequeremur misericordia ejus prævenit nos*.

Hoc ipsum suadet ratio Theologica.

Objicies 1. Si nulla existente causa nullôque prævio meritô aut demeritô ex parte hominis suam Deus gratiam concederet, vel denegaret, esset personarum acceptor, & non æquus suorum donorum largitor ac distributor: sed hoc directè militat in Apostolum dicentem 2. ad Rom. & 6. ad Ephes. *Non est acceptio personarum apud Deum*: Ergo, &c.

V. E *Nego sequelam majoris*: Solùm enim personarũ acceptio in vitium vertitur, quando quod pluribus æquè merentibus debitum est, uni soli confertur: At gratia divina & quodlibet ordinis supernaturalis donum nulli prorsus debetur, ut patet ex dictis: Ergo Deus uni tribuens gratiam non verò alteri, non est censendus personarum acceptor: *In his enim*, inquit S. Thom. art. 5. ad 3. *quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare cui vult plus vel minus (dummodo nulli subtrahat debitum) absque præjudicio justitiæ; & hoc est quod dicit Pater-familias*

Licet Deus uni tribuat gratiam non autem alteri, non idcirco est Personarum acceptor.

Matth. 20. *Tolle quod tuum est & vade, an non licet mihi quod volo facere?* Quod egregiè confirmat S. Prosper lib. 2. de vocatione Gentium dicens, *De Parentum carnalium judicio conqueri non audemus cum aliquos filios suos ante ullos mores ante aliqua pietatis obsequia indulgentiori complectuntur affectu. In Dominis quoque erga famulos libera est dispositio; neque justè quoque reprehenditur qui de unius conditionis familia quosdam sibi quos benigniùs honestaret & quos liberaliùs erudiret, elegit: Nunquid de summi Patris & veri Domini benevolentissima æquitate causandum est quod in magna domo ejus innumeris differentiis universa variantur?*

Objiciunt 2. Si Deus suam gratiam conferret antecedenter ad voluntatis operationem & meritum, omnino pessundaretur & rueret humana libertas: Sed directè militat in omnes sacras Scripturas liberum hominis arbitrium affirmantes & probantes: Ergo necessum est ut homines gratiam promereantur per congruam & rectam suæ liberæ voluntatis operationem.

Gratia non destruit liberum arbitrium imò perficit.

Nego antecedens: Quamquam enim divina gratia humanas præveniat, & ad opus bonum præparet voluntates, nullisque præcedentibus meritis confeatur: Nihilominus non extinguit, sed potius perficit liberum hominis arbitrium cùm ipsum moraliter tantùm moveat, non autem physicè præmoveat & impellat voluntatem ad consensum & opus. Unde meritò sanctus Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem, cùm dixisset de Pelagianis; *Quod autem sursum deorsum jactitant liberum à nobis arbitrium destrui*: Subdit, *Audiant è contrario eos arbitrii destruere libertatem qui malè eo abutuntur adversus beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium? Ille qui semper Deo agit gratias, & quodcumque in suo rivulo fluit ad fontem refert? An qui dicit; recede à me quia mundus sum non habeo te necessarium: dedisti enim mihi semel arbitrii libertatem ut faciam quod voluero: quid rursum te ingeris ut nihil possim facere nisi tu in me tua dona compleveris?*

Item ibidem, *Injuriam tibi fieri putas & destrui arbitrii libertatem si ad Deum semper authorem recurras, si ex illius pendeas voluntate & dicas:* OCULI MEI SEMPER AD DOMINUM: QUONIAM IPSE EVELLET DE LAQUEO PEDES MEOS: *Vnde & audes linguâ proferre temerariâ unumquemquem arbitriô suô regi. Si arbitriô suô regitur, ubi est auxilium Dei? Si Christo rectore non indiget, quomodo scribit Ieremias*, NON EST IN HOMINE VIA EIUS ET A DOMINO GRESSUS HOMINIS DIRIGUNTUR. Et aliquanto post: *Frustrà blasphemas & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille qui damnat.*

Cui concinit sanctus Augustinus lib. de Spiritu & Littera cap. 30. *Liberum ergo*, inquit, *arbitrium evacuamus per gratiam? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam, non evacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur nisi libero arbitrio: sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum; per gratiam sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio.*

QUÆSTIO SECUNDA.

An Electio efficax Prædestinatorum ad gloriam merita prævisa antecedat vel supponat?

I.

Certum est Prædestinationem coronidem à meritis pendere.

NOTANDUM 1. Citra omnem controversiam apud Catholicos esse, Prædestinationem in ordine executionis à meritis & bonis operibus omnino pendere, maximè respectu adultorum quibus æterna beatitudo confertur, non solùm titulo *Hæreditatis* quemadmodum tribuitur parvulis aqua baptismali renatis & ex hac vita ante rationis usum migrantibus; sed etiam titulo *Præmii, Coronæ, & Mercedis*: Unde sola remanet solvenda difficultas, an ipsa Prædestinatorum Electio ad gloriam, seu intentio & volitio efficax quam Deus habet ab æterno conferendi gloriam Electis, & per quam illos à Reprobis secernit, merita prævisa supponat, & ab illis pendeat tanquam à causa motiva cujus intuitu Deus excitetur & moveatur ad illos præ aliis seligendos; an verò Deus incipiat discernere Prædestinatum à non Prædestinato per Electionem ad gloriam ex sola sua liberalitate & bonitate procedentem, ita quod inde tantùm sequatur Electio ad gratiam & ad media quibus infallibiliter Prædestinatus gloriam consequetur.

Triplex de præsenti Quæstione Authorum sententia.

In cujus difficultatis resolutione triplex laborat Authorum sententia. *Quidam* enim cum Thomistis disertè affirmant Prædestinationem non fieri ex prævisis meritis, nec Prædestinatorum merita prævisa esse causam, sed potiùs effectum Prædestinationis. *Nonnulli* cum Catharino asserunt aliquos eximiè Prædestinatos ab æterno seligi ad gloriam antecedenter ad eorum meritorum prævisionem; aliorum verò electionem merita supponere: *Cæteri* verò cum Alexandro Alensi, S. Bonaventura, Alberto magno, quibus non repugnant Doctores Subtilis & Angelicus cum numeroso celebriorum Doctorum tam veterum quàm modernorum agmine, docent electionem efficacem Prædestinatorum ad gloriam merita prævisa supponere, & ab illis ut à causa motiva dependere: Unde supponunt antecedenter ad prævisionem meritorum, in Deo solam voluntatem complacentiæ dandi gloriam, Prædestinatis & Reprobis communem.

II.

Prædestinatio tripliciter potest usurpari.

Notandum 2. Prædestinationem, quantùm ad præsentem difficultatem spectat, tripliciter usurpari posse: *Primò* quidem pro sola Prædestinatione ad gratiam secundùm se & solitariè sumptam: *Secundò* pro Prædestinatione ad gloriam, præcisè quatenus tantùm gloria est, & seorsum à gratia: *Tertiò* denique pro Prædestinatione ad gratiam simul & ad gloriam conjunctim: aliud enim est prædestinare ad gratiã quæ est primarius Prædestinationis effectus: aliud Prædestinare ad gloriam, quæ est Prædestinationis corona, & aliud simul Prædestinare ad utrumque conjunctim. Certum est autem, & ex præcedenti Quæstione liquet Prædestinationem ad gratiam fieri independenter ab ullis bonis operibus & ex mera liberalitate & misericordia Dei: Certum pariter Prædestinationem ad gratiam & gloriam simul & conjunctim, nulla etiam supponere merita; quia gratia, quæ in ipsa Prædestinatione cum gloria involuitur,

non datur, nec destinatur confereoda ob merita: Sola ergo remaoet solvenda difficultas de Prædestinatione ad glotiam seorsim eonsideratam.

III. *Notandum* 3. Seotentiam asserentem Prædestinationem ad gloriam solitariè & nudè spectatam fieri ante prævisa merita, nihil prorsus commune habere eum erroneа opinione Pelagianorum & Semi-pelagianorum; siquidem Pelagiani (ut dictum est) aut omnem prorsus gratiam prævenienrem, excitantem, & moventem nostras voluntates ad opus bonum negabant; aut eam non esse simpliciter & absolutè necessariam, sed tantùm ad faciliùs operandum affirmabant: Unde B manifestum est quod assererent Prædestinationem ad gloriam fieri oon ex prævisis meritis à gratia Christi, & humana voluntate prouenientibus; sed tantùm ex operibus arbitrii liberi virtute elicieudis. Semi-pelagiaoi veró, eùm contenderent initium fidei, seu primum credulitatis affectum à nobis oriri, oon autem à Deo, nec ab ejus gratia excitante & adjuvante; etiam affirmabant Prædestinatiooem oostram ad gloriam non esse adæquatè & universaliter ex prævisis meritis à gratia, & voluntate humana profectis: Quibus patet illorum opiniooem longè exorbirare à sententia Catholieorum Doctotum affirmantium Prædestinationem nostram fieri ex prævisis bonis operibus à C gratia & humana libertate provenientibus, cum quibus sit.

Hujus quæstionis resolutio nihil commune habet cum Pelagianis & Semi-Pelagianis.

CONCLUSIO UNICA.

ELECTIO *efficax Prædestinatorum ad gloriam fit ex prævisis eorum meritis, quibus inducitur & movetur Deus ad eos præ aliis eligendos & ad æternam beatitudinem destinandos.* Hæc est graviorum & melioris notæ Theologorum aperta sententia, ut infrà constabit; quam utique quatuor momentis probare lobet sequentibus in distinctis patagraphis, ut res clariùs & efficaciùs appateat.

D §. I.

Prima Probatio ex Scriptura sacra.

IV. HANC ipsam Cooclosionem ita disertia verbis Scripturæ sacræ aperiunt, ot nefas uideatur de ipsius veritate dubitare; & primò quidem illam disertè exprimit Christus Matth. 25. ubi Electos ita compellat, *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esurivi enim & dedistis mihi manducare.* Quibus verbis significat Christus regnum gloriæ paratum fuisse Electis ea bonis eorum operibus prævisis; qood patet tum ex E particula eausali *enim*, quæ cùm cooneetatur duobus verbis *paratum & possidete*, demonstrat Regnum Cœlorum nedum io executione cooferri; sed etiam in intentione designari & parari propter bona opera: Tum quia sancti Patres ita præfatum eonteatum ioterpretantur, maximè veró S. Chrysostomus Homilia 80. in Matthæum, *Sciebam*, inquit in persona Christi, *vos antequam nati essetis hujusmodi futuros, hac vobis à me præparata fuere*: Nec-non & S. Augustinus in Psalm. 49. obi expendeos hæc verba, *Venite benedicti Patris mei percipite*, ait: *Quid percipite? Regnum: Pro qua re? Esurivi, & de-*

Prædestinationem fieri ex prævisis meritis suadetur ex Scriptura sacra.

A *distis mihi manducare .... Tanti valet Regnum Cœlorum, &c.* Quibus indicar opera hominum esse motiva justitiæ reddentis Regnum pro operibus. Et Sermone 50. de Tempore, ait; *Quare causa vel tanta mercedis, vel tanti supplicii: Percipite Regnum & ite in ignem æternum. Quare isti percepturi sunt Regnum? Esurivi enim & dedistis mihi manducare: Quare isti ituri sunt in ignem æternum? Esurivi enim & non dedistis mihi manducare.* Quibus apertè indicat causas & motiva gloriæ fuisse opera misericordiæ ab æterno prævisa.

CONFIRMATUR ex sequentibus Christi verbis, ubi reprobos alloquens ait, *Discedite à me* B *maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis ejus: esurivi enim & non dedistis mihi manducare*: Ex quibus sic argumentor: Eodem modo ratiocinandum est de destinatione Iustorum ad gloriam, quomodo de destinatione Reproborum ad gehennam: sed Diabolus & Reprobi ejus asseclæ, non suot ab æterno destinati ad gehenoam, nisi ob eorum prævisa demerita: Ergo nec regnum Justis est paratum, nisi ob eorum prævisa merita. Patet *major*; Utrobique enim est eadem particula causalis, & continua antithesis Electorum & Reproborum, booorum operum & malorum, regni & ignis æterni.

Reponunt Adversarii, Duplex io Deo distin- C guendum esse decretum ante actualem collationem gloriæ, unum quidem *intentionis*, quô Deus gratuitò & sioe prævisis meritis vult eos salvare; alterum est *executionis*, quô Deus vult illos jam Prædestioatos salvare quidem eisque conferre gloriam, sed per merita: De primo, inquiunt, non agitur in præfato teatu, sed tantùm de secundo: Vnde inferunt particulam illam eausalem *enim*, non esse referendam ad dictionem *paratum*, quæ deeretum intentionis significat; sed ad verba antecedentia *venite, & possidete*. quæ designant decretum executivum quod præscientiam meritorum præsupponit.

Contra primò: Illod duplex decretum omni- V.
D no fictitium est, & nedum sanctis Patribus & antiquioribus Theologis, sed etiam Philosophis inauditum, qui præter voluntatem & decretum de fine aliquo comparando, nihil aliud quàm eaecutionem & mediorum applieationem eonsequentem tale decretum agnoveruot. *Secundò*, Illa duo deereta non cohæreot invicem, secundum eoim nedum primum coarctat & restringit, sed etiam omnino immutat & evertit; Siqoidem Primum decretum, quod est intentionis & gratuitum, vel est omninò efficaa & absolutum independenter à Secundo, vel non; si non sit, omninò est inutile, cùm tan- E tùm efficacitatem suam habere deberet à Secundo, a quo tanquam à eonditione dependeret: Si sit, non potest subsistere cum Secundo: Cùm enim Primum decretum sit omninò gratuitum & absolutum, etiam omninò pugnat cum Secundo deeretô, quod est onerosum & conditionatum, qoia dependet ab operibus eliciendis: Impossibile namque est quod idem omninò respectu ejusdem sit gratuitum & onerosum, absolutum & conditioaatum: Hæc enim oon minùs pugnant quàm simplea & compositum, quæ ita sunt impossibilia, ut simul stare oequeant respectu ejusdem.

Non solùm quantùm ad executionem, sed etiam quantùm ad intentionem.

Adde quòd idcirco primum decretum dicitur

gratuitom, quia est de danda gloria simpliciter ex mera Dei liberalitate absque ullo motivo & olla condirione ex parte Prædestinati: Secundùm verò est onerosnm, quia involuit conditionem meritotum & laboris: At gloriam esse dandam absque ulla cooditione, & cum aliqua conditione, ex mera liberalitate & ex debito & mercede, absolutè & cooditionatè, independenter ab aliquo extrinseco & dependenter, sunt omninò pugnantia: Ergo invicem respectu ejusdem subsistere nequeunt.

VI. *Non est in Deo duplex decretum, aliud Intentionis, & aliud Executionis.*

Denique: Nemo negabit quòd si quis promisisset absolutè aliquid alteri se daturum, & vellet postea ut ille alrer cui promisit, rem ipsam mereretur, ant emeret; Nemo, ioquam, oegabit quin per secundum dictum primum revocasset; siquidem primum erat de donatione, secundum verò esset de venditione; Venditio autem & donatio sunt actus oppositi quorum unus alterum revocar, quia donatio est merè gratuita, venditio autem est onerosa: Ergo à pari si Deus haberet duplex illud decretum, quorum priori vellet dare gloriam gratis & ex pora liberalitate, posteriori vero vellet eam conferri tantùm per opera; haud dubium est quin posterius decretum primum revocaret & everteret; adeoque non tantùm Deum inurabilem efficeret, sed etiam divinam ejus bonitatem infinitamque sapientiam probro verteret; quod aptissimo quidem exemplo probari potest & illustrari: Si dives quispiam in animo primo habuisset omnes suos parentes & amicos eximio & opulenti convivio gratis excipere; dum autem lautè & opiparè epulantur, cogitans ipse dives quos quaotosque sumptus fecit in illo parando convivio, apod se decerneret ut unusquisque accumbentium cœnæ partem solveret, eamque exigeret, dicendo quidem se illos primo gratis & ex amicitia invitâsse, at se statuisse demum quod omnes impensas solverent: Quis non meritò invitantis sensa rideret, & succenseret? Item planè prorsus de Deo sentiont Assertores illorum duorum decretorum, quotum primô Deus statuerat Electis ex mere liberalitate & gratuitò conferendam gloriam; Secundô verò decerneret eam non esse largiendam nisi ex præsuppositis operibus bonis quibus illa esset promerenda.

Reponunt Alii non equidem duplex esse decretum, sed ejusdem decreti & voluntatis duplicem connotationem, secundùm rationem intentionis & executionis; ita quòd in primo signo rationis Deus voluerit omnibus suis Electis gloriam efficaciter conferre ex mera sua liberalitate; sed tamen obtinendam per merita infallibiliter futura, & pendentem in executione ab ejusmodi meritis: & ideo in priori signo ordine intentionis, gloria est destinata ante merita; in posteriori verò & ordine executionis non datur Electis nisi ex meritis.

Neque etiam duplex ejusdem decreti connotatio.

Contra: Repugnat aliquid simul esse consequendum ex pura liberalitate donantis & ex labore consequentis, ut dictum est: Ergo pariter repugnat Deum decernere gloriam ex pura sua liberalitate & ex Electorum meritis obtinendam; quod enim omninò gratuitum est, omnem prorsus meriti, laboris, & emptionis rationem excludit. *Deinde* hæc interpretatio directè militat in sanctos Patres supra laudatos & infra referendos, qui præfatum contextum ita interpretantur, ut asserant merita

A Electorum esse causam ipsius præparationis gloriæ; oon autem solùm illius collationis: Ita quòd non aliter præparaverit Deus gloriam Electis præ aliis; nisi qoia isti prævisi sunt bene operantes. *Denique* eadem est ratio præparati regni Electis, ac parati ignis æterni Diabolo & Angelis ejus: sed ordine iotentionis non fuit paratus ignis æternus Diabolo & Angelis ejus ante prævisa illorum demerita: Ergo pariter ordine intentinnis paratum non fuit regnum Electis nisi ex prævisione meritorum ipsorum; adeoque sicut non potest duplex distingui voluntas, exequens scilicet & intendens respectu Reproborum, ita nec assignanda est respectu Electorum.

B *Reponunt* deoique in præfato contextu Scripturæ sacræ reddi quidem rationem cur tradatur possessio æterni regni illis quibus debetur propter opera: Non autem assignari causam quæ Patrem impulerit ut illis potiùs quàm aliis regnum pararet. Idque probant ex verbis illis, *Benedicti Patris mei*, quæ significant Deum sua Prædestinatione fuisse causam totius fœlicitatis Sanctorum; Benedictio quippe divina in sacris litteris non supponit, sed causat booum quod exprimit, sic Genesis 1. *Benedixit eis*, & ait *Crescite & multiplicamini, & replete terram, &c.*

VI. *Reverà Scriptura sacra Prædestinationis decretum ex meritis, tanquam ex causa morali procedere significat.*

C *Contra* 1. Particula *enim* reverà causalis est; non autem tantùm explicativa, ut constat apud omnes Scripturæ sacræ Ioterpretes: Ergo replica nulla. *Secundò* eodem modo causalis esse deber respectu destinationis Electorum ad gloriam, ac respectu designationis Reproborum ad gehennam: sed nemo dixerit illam non esse causalem respectu Reproborum, quibus gehenna tantùm decernitur ob prava eorum merita: Ergo nemo pariter inficiari debet illam esse causalem respectu Electorom. *Denique* illud ipsum postular verborum series & intentio Christi judicis seotentiam illam ferentis, ait namque *possidete paratum vobis regnum, esurivi enim, &c.* quasi diceret, quia mihi tantum bonum D præstitistis, quia mihi in urgente mea meorumque necessitate præsto fuistis; ideo in compensationem beneficii, *Venite, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Dum autem Prædestinati respondent, *Domine quando Te vidimus esurientem, & pavimus, sitientem, & dedimus tibi potum?* Semper Christus suam gratitudinem ostendens, & in præfata ratione compensandi beneficii perstat, dicens, *Amen dico vobis, quandiu fecistis uni de fratribus meis minimis, mihi fecistis:* Quæ proculdubio verba Christi gratitudinem significando, etiam indicant motivum cur fuerit Electis paratum regnum, nempe quia prævisa sunt eorum Charitatis officia.

Ad confirmationem dico, quòd etsi Benedictio E Dei interdum eo sensu usurpetur in Scriptura; frequenter tamen per eam significatur aliquid consequens ad bonum opus creaturæ, propter quod illa à Deo diligitur & benedicitur; sic Genesis 22. Deus Abrahamum allnquens ait; *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti Filio tuo Vnigenito propter me, benedicam tibi, &c.* Hojus verò generis esse benedictiooem de qua loquitur Christus verbis supra citatis ex Matth. 27. ostendit particula causalis proximè subjuncta, *Esurivi enim, &c.*

Probatur 2. ex prima ad Corint. 2. nbi dicitur quod

VII.

Hoc ipsum edocet pluribi S. Paulus.

qood *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit qua praparavit Deus iis qui diligunt illum*; Ubi sermo fit de Prædestinatione: Verbum enim *praparavit* idem sonat ac prædestioavit, nt ibidem explicat S. Thomas: sed hujus prædestinationis, seu præparationis gloriæ profertur caosa ex parte Electorum, nempe *Dei dilectio*, qoæ est causa formalis cur Deus iis præparaverit gloriam, ot constat ex verbis. *Deinde* si illa præparatio non supponeret dilectionem, non congruè diceretur gloria præparari diligeotibus Deum, sed vel inimicis Dei, si Prædestinatio facta sit per originale peccatum, per qood omoes homines Dei inimici constituuntur; vel diceretur præparari omninò indifferentibus, si facta esset ante prævisum peccatum originale, cùm in hoc statu nec amici nec inimici essemos illins: Ergo cum dicitur *preparata diligentibus*, reverà supponit dilectionem, seu statum futorum prævisum in qoo Deum diligimus.

Denique omnis actus sopponit objectum soom, quia objectum est causa actus: sed objectum illius præparationis gloriæ est dilectio hominum: dicitur enim quod *preparatur diligentibus*: Ergo illa dilectio Electorum supponitur ad præparationem gloriæ, estque caosa objectiva illios præparationis.

Nec valet dicere illam præparationem significare executionem, non verò intentionem. Hæc enim replica apertè militat in ipsum textum in quo nullus est sermo de præparatione mediorum ad executionem faciendam: Imo potius supponuntur illa media. Dicitur quippe gloriam *praparari diligentibus*, idest habentibos iam dilectionem, quæ est medium principale ad consequendam gloriam; & consequenter ibi non est sermo de præparatione mediorum, sed de ipsa præparatione gloriæ respectu eorum qui de facto Deum diligere prævidentur, & per hanc dilectionem æternam gloriam promereri.

Probatur 3. ex eodem Apostolo ad Rom. 8. *Quos prascivit & pradestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*, quem textum sancti Patres interpretantur de scientia futurorom, ut directiva est Prædestinationis; adeoque ut supponit merita prævisa ad Prædestinationem. Sic sanctus Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 3. ubi sic habet, *Quos prascivit hos & pradestinavit. quia non ante pradestinavit quàm prascivit: sed quorum merita prascivit, eorum præmia pradestinavit.* Simili modo loquitur Sedolius in Epist. ad Rom. *Hos quos prascivit futuros devotos sibi*, inquit, *ipsos elegit ad promissa premia capessenda*: Et paulo post, *Aliud est prascire, aliud pradestinare: Prascientia itaque gerenda pranoscit, postmodum pradestinatio retribuenda describit; illa pravidet merita; hac pradestinat pramia.* Nec-non & Primasius Augustini discipolus, *Pradestinavit*, inquit, *ut qui done ejus conformis esset in vita, esset conformis in gloria.* Deinde ibidem Apostolus scitè præscientiam præmittit prædestinationi: *Quos prascivit*, inquit, *& pradestinavit*: Quibus significat præscientiam bonorum operum antecedere Prædestinationem meritorum; Inconsultò enim nihil & imprudenter Scriptura sacra loqoitur. *Denique* illud ipsum evidenter colligitur ex antecedentibus & consequentibns verbis; siquidem versu 17. ejusdem capitis Apostolos iocipit hortari fideles ad patientiam à qua velut à conditione necessaria pendere, ait, quod simos futuri hæredes vitæ æternæ; *Si autem filii*, ioquit, *& haredes: haredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: Si tamen compatimur, ut & glorificemur*; Et versu 28. ostendit tribulationes Electis nocere non posse, sed potius illis in bonom cedere ad consequendam scilicet gloriam æteroam: *Scimus*, inqoit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundùm propositum vocati sunt sancti*: Idest secondùm voluntatem antecedentem eos salvandi quæ de conditionata transit in absolotam, supposita prævisione de perseverantia ipsorum in dilectione Dei; unde subdit, *Nam quos pradestinavit*, supple tales fotoros, illos *& pradestinavit conformes fieri imaginis Filii sui in gloria sicut fuerunt conformes in patientia*: Unde subinsert, *ques autem pradestinavit*, mediante scilicet illa scientia, *hos & vocavit* gratiis prævenientibus: *& quos vocavit hos & justificavit*, illns nempe qoi coosenserunt vocationi; *Quos autem justificavit illos & glorificavit*; præsciens videlicet eos perseveraturos io dilectione Dei, & eapropter ad consortium gloriæ Christi efficaciter & absolutè illos prædestinavit.

Probatur 4. Ex illis Christi verbis Matth. 20. obi Zebedæi filios alloquens ait, *Sedere ad dexteram meam & sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*; quasi diceret, æterna gloria non est parata à Patre meo, ot eo modo conferatur qualiter terreni Reges monera soa conferre solent pro libito & mera voluntate suis Parentibos, Amicis & Aulicis: sed qoemadmodum Pater statuit, idest juxta normam & mensuram meritorum, ut ritè expendit S. Aogustinus in Psalmum 126. explicando hunc versiculom, *Vanum est vobis ante lucem surgere*, obi cùm dixisset, *Tales erant filii Zebedai qui antequam humiliarentur secundùm Passionem Domini iam sibi loca eligebant ubi sederent, ubi unus ad dexteram, alter ad sinistram: ante lucem volebant surgere, ideo in vanum ibant. Revocat illos Dominus ad humilitatem &c.* Subdit: *Exurgens ab humilitate pervenis ad regnum; nam si praripis regnum, cadis à regno antequam surgas*: Potestis bibere, *inquit*, Calicem quem ego bibiturus sum, *& illi* possumos, *& ille* Calicem meom bibetis, sedere aotem ad dexteram vel sinistram non est meum dare vnbis, *Aliis* paratum est à Patre meo. *Quid est*, non est meum dare vobis, nisi *non est meum dare superbis, hoc enim adhuc erant; sed si vultis illud accipere nolite esse quod estis.* Aliis paratom est, *Et vos alii estote, & vobis paratum est. Quid est* alii estote? *Prius humiliamini qui iam vultis exaltari.* Qnibus S. Augustinus indicat gloriam æternam non esse paratam nisi bonis operibus.

Colligimt idipsum ex verbis Christi Filios Zebedæi alloquentis.

Ipsi concinunt cæteri Patres eodem modo præfatum contextum interpretantes, sic Epiphaolos hæresi 69. *Hoc*, inquit, *vult ostendere quòd non juxta Personarum acceptionem res ista fiat, sed pro dignitate*: Et iofrà, *Si laboraveritis erit vobis praparatum à Patre meo.* Cyrillus lib. 10. Thesauri cap. 6. *Non est meum dare supremum honorem vobis petentibus qui reservatus est in prascientia Patris illis quos excessus certandi commendaverit*: His adstipulantur Theophilactus in hunc locum, Chrysostomus Hom. 63. nec-non & S. Tho-

mas, ubi ex S. Hieronymo refert, *Non est meum dare, &c. quasi dicat; eminentia dignitatis non datur personæ sed merito, & hoc secundum prædestinationem divinam, &c.* A

Denique: Probatur iis omnibus Scripturæ textibus quibus æterna vita significatur esse danda tanquam merces bonorum operum: Sic Matth. 25. ubi proponitur Parabola operariorum laborantium in vinea; & servorum quibus commissa erat negotiatio, ex acceptis talentis; qui omnes mercedem retulerunt juxta suum laborem: sed nullus Pater-familias decernit alicui operario dandam mercedem nisi præsupposito ipsius labore: Ergo nec Deus decernit dandam gloriam nisi ex prævisis operibus. *Nec refert* quòd ibidem conquerentibus primis operariis quòd Pater-familias pares eis faceret in mercede illos qui minori tempore laboraverant, id referre videatur, non ad serventiorem posteriorum operantium laborem, sed ad suam bonitatem & liberalitatem: Nam id suæ bonitati non tribuit ratione totalis mercedis, sed tantùm ratione excessus mercedis supra laborem præstitum: Non enim dicit simpliciter volo huic dare denarium, sed *volo huic novissimo dare sicut & tibi*, in qua est sola comparatio mercedis unius cum mercede alterius, quæ quidem in utrisque æqualis est: sed videtur superabundans in uno propter scilicet minorem impensum laborem, quam superabundantiam ipse Pater-familias ex pura liberalitate donat. C

Plures sunt alii Scripturæ textus idem insinuantes; sic 2. Petri 1. *Satagite fratres, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*; Quasi diceret, cum vestra electio pendeat ab operibus; quandiu durat hæc vita, quatenus antecedit prævisionem finis, non ita firmiter nos ordinat ad salutem, quin possit eventu frustrari; quapropter *Satagite, &c.* Idipsum confirmatur Apocalypsis 3. *Tene quod habes ne alius accipiat coronam suam*; Quibus constat coronam non ita certò & firmiter decretam ante prævisum vitæ finem, quin ipsa possit amitti: adeoque illa certitudo coronæ quæ fit per electionem efficacem, supponit opera meritoria. Ex his & aliis instâ referendis contextibus patet Scripturam sacram, juxta genuinam SS. Patrum interpretationem pro veritate nostræ conclusionis apertè militare. D

§. III.

Secunda Probatio ex sanctis Patribus.

VIII. Quamquam plures è sanctis Patribus suis oraculis hanc ipsam nostræ conclusionis veritatẽ apertè tueantur, illos tamen præ cæteris audiendos esse censeo, quos in controversia Prædestinationis judices & arbitros appellavit Concilium Valentinum 3. his verbis: *Indubitanter Doctoribus piè & rectè tractantibus Verbum veritatis, ipsisque sacræ Scripturæ lucidissimis expositoribus, idest Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, cæterisque in Christiana pietate quiescentibus reverenter auditum, & obtemperanter intellectum submittimus, & pro viribus quæ ad salutem nostram scripserunt amplectimur.* Quod ut planiùs eaequar, primo eos laudandos censui quos ipse laudavit & commendavit Augustinus. Deinde aperiendum quid ipse S. Augustinus hac de veritate censuerit: Demum E

Quibus in negotio prædestinationis ex SS Patribus maximè credendum.

quæ fuerit Augustini Discipulorum hac de re sententia

SENTENTIÆ PATRUM A S. AUGUSTINO LAUDATORUM.

Sanctus Epiphanius quem S. Augustinus laudat in libro ad Quodvult-Deum, in lib. adversus hæreses hæresi 69. explicans illa verba Matthæi, *Non est meum dare vobis. Hoc*, inquit, *vult ostendere quod non juxta personarum acceptionem res ista fiat, sed pro dignitate &c.* Unde colligit, *Non est meum dare vobis; sed si laboraveritis erit vobis præparatum à Patre meo.* Quibus apertè significat electionem ante B merita per illam præparationem. IX.

Illi omnes post prævia merita eam fieri docēt, maximè S. Epiphanius.

Sanctus Ambrosius quem sanctus Augustinus lib. 1. contra Julianum appellat *Excellentem Dei dispensatorem, quem*, inquit, *veneror ut Patrem, cujus pro Catholica fide gratiam, constantiam & ipse expertus sum, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus*: Is inquam in Commentario Epistolæ ad Rom. (si tamen illius sit) exponens illa verba capitis 8. *Quos præscivit & prædestinavit*, ait, *quos præscivit futuros sibi devotos ipsos elegit ad promissa capessenda*: Et cap. 9. in illud, *Miserebor cujus misertus ero*, ait, *Ejus miserebor cujus præscius eram quod misericordiam daturus essem sciens conversurum illum, & apud me mansurum*: Verùm quia nonnulli hunc librum à S. Ambrosio conscriptum reclamant; idcirco audiendus est ille ipse lib. 5. de Fide cap. 3. ubi exponens laudata verba Matthæi, *Non est meum dare vobis*, ait, *Denique ad Patrem referens addidit* quibus paratum est, *ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est*: *Unde Apostolus ait* quos præscivit & prædestinavit, *Non enim ante prædestinavit quàm præsciret, sed quorum merita præscivit eorum præmia prædestinavit.* Quibus verbis apertè veritatem nostræ conclusionis explicat.

S. Ambrosius.

Sanctus Chrysostomus quem sanctus Augustinus lib. 1. contra Julianum cap. 6. *In Fide Catholica eruditum, & aliot erudientem* pronuntiat; Homi. 80. in Mattheum, exponens illa verba, *Venite benedicti Patris mei*, ait, *O quanta gloria, quanta beatitudinis hæc verba sunt, nec solùm dicit accipite, sed hæreditate, quasi propria, quasi paterna, quasi vestra quæ vobis à principio debebantur: Nam antequam nati sitis quia sciebam vos hujusmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere*: Et Sermone 1. in Epistolam ad Ephesios eundem textum explicans, ait, *Eligi verò & divinæ benignitatis judicium est, & virtutis eorum qui eliguntur; omnino siquidem probatos eligit, &c.*

S. Chrysostomus.

Sanctus Hieronymus cujus nobis eloquium ab Oriente usque ad Occidentem ad instar lampadis resplenduit, inquit sanctus Augustinus libro laudato capite 7. Ille, inquam, in Caput primum Isaiæ explicans illud, *Si volueritis bona terra comedetis*: Sic ait, *Liberum servat arbitrium, ut in utramque partem non ex præjudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit.* Nota (*non ex præjudicio Dei*) Idest ea sententia anticipata, antecedente scilicet examen

S. Hieronymus.

causæ; Idem in capite 1. Malachiæ explicans illud, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, sic habet: *Dilectio & odium Dei vel ex præscientia nascitur futurum, vel ex operibus. Alioqui novimus quod omnia Deus diligat, nec quicquam oderit eorum quæ creavit, antecedenter* scilicet & à se. Denique Epist. 105. ad Hebdibiam quæst. 10. loquens de Reprobis & de Prædestinatis ad gloriam, ait, *Vasa misericordiæ quæ preparavit in gloriam, quæ vocavit, hoc est nos qui non solùm ex Iudæis sumus, sed etiam ex Gentibus, non salvat irrationabiliter, & absque judicii veritate; sed causis præcedentibus* (nempe meritis) *quia alii susceperunt Filium Dei, alii autem recipere sua sponte noluerunt.* Quibus apparet eum loqui de Electione, non verò de sola executione: Item de electione ad Gloriam, non verò ad Gratiam; nam ubique supponit fidem & receptionem Filii Dei in eis de quibus agit.

Reponunt Adversarii, Patres laudatos tantùm esse intelligendos de quadam electione consequente & remuneratoria, quæ fit post prævisa merita; non verò de electione purè gratuita meritis prævisis ratione priori & illa antecedente.

X. *Contra*: Laudati Patres disertè asserunt Deum in præparando efficaciter & sincerè Regnum Cœlorum Electis justitiam servare, non gratiam; non deferre petitionibus, sed meritis, quia non est personarum acceptor; & non ante prædestinasse, quàm præsciret; sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit: Ergo rejiciunt illam electionem efficacem purè gratuitam & antecedentem opera prævisa, in qua non servatur justitia, sed Gratia; nec quicquam defertur meritis, sed ex mera acceptione personarum. *Secundò* SS. Patres affirmant pœnam & præmium, idest reprobationem & prædestinationem, non esse ex præjudicio Dei, idest ex sententia anticipata, & antecedente examen causæ: Itemque dilectionem & odium Dei nasci, vel ex præscientia futurorum, vel ex operibus; quoniam alioqui Deus omnia diligit, ut loquitur S. Hieronymus laudatus: Ergo apertè rejiciunt illam electionem gratuitam, absolutam & efficacem antecedenter ad prævisionem meritorum. *Denique*, iidem sancti Patres apertis verbis excludunt illam electionem antecedentem absolutam & efficacem, dum affirmant electionem fieri ratione operum & præscientiæ prædestinationem antecedentis: Ergo, &c.

Qui omnes de Prædestinationis intentione, non verò solùm de illius executione sunt intelligendi.

Testimonia ipsiusmet sancti Augustini.

XI. VAriæ sunt sancti Augustini rationes ac sententiæ, quibus Prædestinationem nonnisi ex prævisis operibus fieri declarat, præcipuas autem profero.

Hoc ipsum præ cæteris pluribus probat S. Augustinus.

Primò: Quoties S. Augustinus de Prædestinationis ordine loquitur, præponit præscientiam iis omnibus quæ pertinent ad Prædestinationem: Imò ipsam Prædestinationem per præscientiam describit, & utramque ita strictè conjunctam censet, ut plerumque præscientiam pro prædestinatione usurpet: Sentit ergo prædestinationem fieri ex præscientia nostræ cooperationis cum divina Gratia. Patet *antecedens* quantùm *ad primam partem*, nempe quòd præmittat præscientiam prædestinationi, nam lib. de Natura & Gratia cap. 5. loquens de peccatoribus quos Christus venit salvos facere, ait, *Quos præscivit, prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit*: Eundem servat ordinem lib. de Correctione & Gratia cap. 9. dicens, *Illa omnia jam facta sunt, præscivit, prædestinavit, vocavit, justificavit*: Et infrà, *Quicumque ergo in Dei providentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, justificati, glorificati sunt, &c.* Quibus satis indicat quod quemadmodum vocatio justificationem, & justificatio glorificationem antecedit; sic & præscientia prædestinationi præsupponitur.

Qui præscientiam Prædestinationi præsupponi docet.

Patet idem antecedens quantùm *ad secundam partem*, nempe quòd Prædestinationem per præscientiam definiat; nam lib. de Bono perseverantiæ cap. 14. ait, *Hæc Prædestinatio Sanctorum nihil aliud est quàm præscientia, & præparatio beneficiorum quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.* Consequens est ergo quòd præscientia nedum sit intrinseca Prædestinationi, sed etiam ipsi sit præponenda secundùm prioritatem conceptus.

Patet denique quantùm *ad tertiam partem*, nempe quòd S. Augustinus præscientiam istam pro prædestinatione usurpet; nam lib. de Bono perseverantiæ cap. 17. ait, *Hæc Dei dona, si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur à Deo; præsciuntur autem, hæc est igitur prædestinatio, significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus*; Non repulit Deus plebem suam quam præscivit, *Hoc quod ait, præscivit, non rectè intelligitur nisi prædestinavit*; Et in fine capitis subdit, *Sine dubio enim præscivit si prædestinavit; sed prædestinasse est hoc præscìisse quod fuerat ipse facturus.* Quibus patet ex S. Augustini sententia præscientiam ita arctè conjungi prædestinationi, ut tamen secundùm conceptum nostrum eam antecedere censeat.

Et unam pro altera interdum usurpat.

XII. *Reponunt* Adversarii etiam S. Augustinum interdum præponere prædestinationem ipsi præscientiæ; nam lib. de Bono perseverantiæ cap. 10. loquens de bonis operibus & de perseverantia in illis, ait, *Ea esse à Deo præcognita & per hoc prædestinata*: Ergo inquiunt præscientia illa est posterior prædestinatione, cùm ex illa inferatur prædestinatio.

Adversariorum replica.

Contra primò: Quamquam ex laudato loco ab Adversariis id fortè posset colligi; nihilominùs certum est in locis à nobis assignatis S. Augustinum intelligendum esse de Præscientia antecedente Prædestinationem: *Tum quia*, ut diximus, expressè præscientiam Prædestinationi præponit, eamque per præscientiam definit, quasi per aliquid prævium & nullo modo consequens ipsam Prædestinationem: Nam si præscientia esset quid consequens ipsam Prædestinationem; esset pariter et extrinseca, & per consequens impertinens ad ejus definitionem: *Tum quia* ex laudato cap. 18. de Bono perseverantiæ S. Augustinus infert præscientiam ex prædestinatione dicens, *Sine dubio præscivit si prædestinavit*: Ergo non censet præscientiam præsupponere prædestinationem: *Tum quia* lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 10. affirmat *Præscientiam posse esse sine Prædestinatione, non verò Prædestinationem sine Præscientia.* Sentit ergo præscientiam esse priorem prædestinatione saltem in legitima subsistendi consequentia. *Tum denique quia* S. Augustinus lib. de Bono perseve-

Exploditur.

rantiæ cap. 17. 19. 22. affirmat non majorem esse difficultatem in Prædestinatione quam in simplici præscientia; non alia certè ratione nisi quia præscientia prædestinationem antecedit; ita quod in præscientia ut prævia suaviter & benignè Deus disponat dona & auxilia quibus creaturam ordinat & destinat ad gloriam, quò fit ut Prædestinatio eam præscientiam & dispositionem sequens facilè concipiatur: Adeoque ejusmodi præscientiam & ordinationem noverit.

A

Adde quòd in laudato loco ab Adversariis, etiam dici possit Augustinum intelligendum esse de præscientia antecedente, & idcirco inferre prædestinationem ex illa, non quòd censeat prædestinationem esse priorem præscientiâ; sed quia tam arctè cum ea connectitur, ut indiscriminatim una ritè inferatur ex alia; eô scilicet modô, quô lux Solis ex die, & dies ex luce Solis colligitur; sicut enim recta est illatio, Sol lucet ergo dies est, & reciprocè dies est ergo Sol lucet, propter scilicet intrinsecam utriusque connexionem: Ita pariter inferre licet, Deus prævidit se daturum perseverantiam in bono: Ergo prædestinavit eum; & reciprocè hunc Deus prædestinavit: Ergo prævidit perseverantem in bono: quæ quidem vera sunt ratione arctissimæ connexionis prædestinationis cum præscientia, non autem ex eo quòd præscientia prædestinationem antecedat.

B

XIII.

Stricta est prædestinationis cum præscientia connexio.

Reponunt 2. Nedum in locis à nobis assignatis, sed etiam alibi sanctum Augustinum loqui de præscientia bonorum operum quatenus consequitur prædestinationem, & coincidit cum scientia visionis; idem enim ipsi præscientiæ tribuit objectum quod tribui solet scientiæ visionis, nempe rem non conditionatè, sed absolutè futuram; dicit enim, quòd Deus per illam præscientiam scivit quid facturus esset si hoc vel illud accidisset: quod manifestè scientiam absolutam indicat. Inde formari potest hoc argumentum: Illa præscientia consequitur prædestinationem, & eadem est cum scientia visionis quæ habet idem objectum cum ipsis: sed præscientia de qua loquitur S. Aug. habet idem objectum cum prædestinatione & scientia visionis, nempe res quæ reverà futuræ sunt: Ergo, &c.

C

D

Distinguo majorem: Quæ habet idem objectum tam materiale quàm formale, concedo: materiale tantùm: nego: Similiter distinguo minorem: illa præscientia habet idem objectum cum prædestinatione, materiale, concedo: formale, nego: Hæc enim præscientia respicit quidem futurum, quod reverà futurum est, non tamen quatenus est absolutè futurum. Quod ut percipiatur evidentiùs, Advertendum est quòd etsi scientia conditionata secundùm se sit unica & simplex, tamen si consideretur per ordinem ad objectum, duplex potest distingui; nimirum ea quæ versatur circa objectum conditionatè quidem, sed tamen reverà futurum, qualis erat cognitio quâ prænoscebat Deus Saulum esse reverà convertendum, si tali vel tali modo vocaretur: & ea quâ novit Deus quæ futura fuissent, si posita fuisset conditio, quæ cùm non sit ponenda, sic nec futura sunt, qualis erat futura Tyriorum conversio si Christus eis fuisset annuntiatus; quod cùm factum non fuerit, etiam nec ipsi conversi sunt.

XIV.

Duplex distingui potest scientia conditionata.

E

Cùm autem Semipelagiani abuterentur ista præscientia non futurorum, ut suum errorem propugnarent, dicentes quosdam parvulos idcirco ad baptismum deduci ante mortem, quia prævideras Deus quòd si diutiùs vixissent, justè pièque vitam egissent; alios è contra ante baptismum susceptum è vivis excidere, quia prævideras eos futuros impios si vixissent; unde inferebant gratiam baptismatis secundùm merita licet nusquam futura concedi. Quem errorem ut expugnaret S. Augustinus, loquitur solùm de præscientia rerum conditionatè futurarum, quæ tamen reverà futuræ sunt: illam autem præscientiam rerum nusquam futurarum, quæ tamen futuræ fuissent si posita fuisset conditio ad earum futuritionem desideranda, censet S. Augustinus tanquam inutilem esse rejiciendam in negotio prædestinationis: quod ut evincat, pluribi hanc erroneam sententiam Semipelagianorum explodit. Unde lib. de Bono perseverantiæ cap. 9. de tam absurda eorum sententiâ tædium patiens ait, *An eò redituri sumus ut adhuc disputemus quanta absurditate dicatur judicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præscivit eos Deus perpetraturos fuisse, si viverent: quod ita abhorret à sensibus Christianis, aut prorsus humanis, ut nihil etiam refellere queat. Cur enim non dicatur, & ipsum Evangelium cum tanto labore passionibusque Sanctorum frustrà esse prædicatum vel adhuc prædicari; si judicari poterant homines etiam non auditô Evangeliô secundùm contumaciam vel obedientiam quam præscivit eos habituros esse si audiissent.* Concludendum est ergo quòd etsi sanctus Augustinus in præfatis locis, non conditionatè loquatur, non minùs tamen intelligendus est de scientia conditionata & antecedente decretum & prædestinationem.

Una earum abutebantur semi-Pelagiani.

Quam S. Augustinus impugnat.

Confirmantur hæ omnes replicæ, & simul præfata ratio roboratur ex eo quòd sanctus Augustinus asserat Prædestinationem esse effectum divinæ Præscientiæ: Ergo reverà censet prædestinationem ad gloriam, factam esse post prævisa merita. Consequentia patet: Effectus enim semper est posterior suâ causâ, vel instanti *à quo* aut *in quo*, seu posterioritate suppositionis vel durationis.

Probatur antecedens ex libro de Spiritu & littera ubi ait, *Per Spiritum sanctum diffundit Deus Charitatem in cordibus eorum quos præscivit ut prædestinaret, &c.* Quasi diceret præscientiam assumptam esse ut causam ad efficiendam prædestinationem; adeoque censet prædestinationem esse posteriorem ipsâ præscientiâ, & veluti ejus effectum: Quod confirmatur ex simili modo loquendi sancti Augustini de Prædestinatione ad gratiam; in libro namque de Prædestinatione Sanctorum cap. 18. Pelagianos urget ut fateantur gratiam esse priorem bonis operibus, ex eo quòd Apostolus dicat Deum, *Nos elegisse ut essemus Sancti; non verò quia eramus Sancti:* Ergo similiter sanctus Augustinus arguit præscientiam esse priorem prædestinatione ex eo quod ipsemet asserat Deum præscivisse ut prædestinaret; non verò quia prædestinaverat; idem enim est utrobique dicendi modus.

Secunda probatio desumitur ex lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. ubi disertis verbis affirmat Prædestinationem ad gloriam fieri ex prævisis operibus; explicans enim illud Apostoli XV.

dictum ad Rom. 9. *Cùm nondum nati fuissent* A *aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret; non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est; Iacob dilexi, Esaü autem odio habui*: Infert idem S. Augustinus, *Non ergo secundùm electionem propositum Dei manet: sed ex proposito electio: id est non quia invenit Deus bona opera in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis, sed quia illud manet ut justificet credentes, ideo invenit opera quæ iam eligat ad regnum*: Quasi diceret, non quia elegit nos ad regnum Cœlorum voluit nos justificare; imo quia nos justificavit, idcirco elegit ad regnum Cœlorum. Unde subdit. *Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio: Nemo enim eligitur nisi jam distans* (per opera bona prævisa) *ab illo qui rejicitur. Vnde quòd dictum est* elegit nos Deus ante mundi constitutionem, *non video quomodo sit dictum, nisi præscientia; operum scilicet bonorum cùm Dei gratia & perseverantia finali.* Quibus apertè significat idcirco unum seligi præ alio, quia iam ratione præsciti meriti est distans ab eo qui rejicitur: nam ut antea dixerat, *Quomodo est justa aut qualiscumque omnino electio ubi nulla distantia est? Si enim nullo merito electus est Iacob, omninò eligi non potuit nulla existente differentia quâ eligeretur.*

Secunda authoritas S. Augustini profertur ex libro ad Simplicianum.

XV. *Reponunt* Adversarii hanc authoritatem non esse magnifaciendam ex eo quòd hunc librum S. Augustinus scripserit dum esset junior, & ante exortam Pelagianam hæresim, ideoque non ita accuratè quæstiones de Prædestinatione eo in libro enodavit, ut ipse fatetur lib. 2. Retractat.

Contra; Primò falsum est quòd S. Augustinus eos scripserit libros ad Simplicianum dum esset junior: siquidem ipsemet affirmat lib. de Bono persev. se eos scripsisse initio sui Episcopatus, ait enim cap. 1. loquens de Semi-pelagianis, *Videant utrum in primi libri posterioribus partibus eorum duorum quos mei Episcopatus initio antequam Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicia-* D *num Mediolanensem Episcopum scripsi, remanserit aliquid quô vocetur in dubium gratiam Dei non secundùm merita nostra dari: & utrum ibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei; & utrum ex iis quæ dicta sunt non consequenter eluceat, & si non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam nonnisi ab eo donari qui nos prædestinavit in suum Regnum & Gloriam*: Ergo falsum est eos libros ad Simplicianum scripsisse sanctum Augustinum dum esset junior. Similiter apertè falsum eum ipsos libros emendasse in libris Retractationum: Etenim licèt in 2. libro Retractationum cap. 1. agens de prima duarum illarum quæstionum quas enodavit in primo libro ad Simplicianum, fateatur sese deprehendisse postmodum probabiliora quàm ea quæ de priori illa quæstione scripserat; nihilominùs tantùm abest ut in quæstione secunda ex qua excerptus est præfatus textus, quidquam reprehensione dignum repererit; imo eam ibidem commendat tanquam gratiæ congruentissimam: *Posterior*, inquit, *in hoc libro quæstio est ab eo loco ubi ait Apostolus non solùm autem*, sed & Rebecca, &c. *usque ad*, & nisi Dominus sabaot reliquisset nobis semen, &c. *In cujus quæstionis solutione elaboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed dicit*

Quem immeritò parui faciunt Adversarii.

GRATIA DEI, *nec nisi ad illud potuit pervenire, ut liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus; quis te discernit*, &c. Quibus tantùm abest ut S. Augustinus censeat in illa posteriori quæstione ad Simplicianum esse aliquid emendatione dignum; imo eamdem approbat & confirmat in præfato libro Retractationum.

Adde quòd ipsemet Augustinus in lib. de bono perseverantiæ quos scripsit senex, & post iam scriptos libros Retractationum eandem Quæstionem ad Simplicianum approbet; cùm enim dixisset se ante exortam Pelagianam hæresim *prædicasse gratiam quâ nos Deus liberat à malis erroribus & moribus nostris, non præcedentibus bonis meritis nostris faciens hoc secundùm* B *gratuitam misericordiam suam*: Subdit, *quod plenius sapere cœpi in ea Disputatione quam scripsi ad beatæ memoriæ Simplicianum Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ in mei Episcopatus exordio quando & initium fidei donum Dei esse cognovi & asserui.* Insuper Primasius Augustini Discipulus & acerrimus gratiæ deffensor, hos libros ad Simplicianum ita orthodoxos existimavit ut totam partem illam, ex qua desumpta est præfata secunda probatio, in suo Commentario in Caput 10. ad Romanos de verbo ad verbum scripserit, dicens, *Incipit expositio de libro sancti Augustini excerpta è loco ad sanctum Simplicianum de Iacob & Esaü, &c.*

C

XVI. TERTIA PROBATIO desumitur ex Sermone 7. de verbis Domini ubi explicans illud: *Nemo ponens manum suam ad aratrum, & respiciens post tergum aptus est regno Dei*, ait: *In hoc Capitulo discimus quoniam quos voluit Dominus hos elegit: Elegit autem ut dicit Apostolus & secundùm suam gratiam, & secundùm illorum justitiam*: Et infra præmissis illis Apostoli verbis ad Rom. 4. *Reliqui mihi septem millia qui non curvaverunt genu ante Baal*: Subdit, *Quid est reliqui mihi? Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal.* Quibus apertè fatetur Deum aliquos seligere ad Regnum Dei ex sua gratia & illorum præscita justitia, seu ex prævisis justitiæ operibus: Qualiter autem illa electio sit simul secundùm gratiam & secundùm justitiam, ipsemet exponit lib. de Correctione & Gratia cap. 13. nimirum quia bona illa opera propter quæ eligimur efficaciter ad vitam æternam, non sunt ex nobis solis & naturæ viribus elicita, ut volebant Pelagiani, sed ex gratia Dei nos præveniente & adjuvante.

Tertia probatio ex eodem.

XVII. QUARTA DENIQUE PROBATIO desumitur ex Sermone 233. de Tempore, ubi non aliam assignat rationem cur aliqui seligantur ad gloriam, alii verò ab ea rejiciantur, quàm quia prævidentur eorum bona, aut mala opera: E *Multi*, inquit, *scire volunt quare illum vocat Dominus, & illum non vocat, uni subvenit, & uni non: Hunc dignum habet, & illum indignum; istum honorat, & illum cruciat.* Respondet, *Audi homo! hunc dignum habet pro bonis operibus suis, illum habet indignum pro suis operibus malis.* Idipsum confirmat lib. 83. quæstionum, quæst. 68. *Cujus vult miseretur*, inquit, *& quem vult indurat, sed hæc voluntas Dei injusta esse non potest; Venit enim de occultissimis meritis quæ & ipsi peccatores, cùm propter generale peccatum unam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos diversitas: Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quô quamvis nondum sint justificati, digni*

Quarta ejusdem probatio.

efficiuntur justificatione : Et item precedit in aliis peccatoribus quo digni sint obtusione. Quibus verbis quamquam S. Augustinus expreslè agat de conversione & obdurariune peccaroris ; nihilominùs cùm ratio, propter quàm Deus unius miseretur, & alium obdurat, æquè conveniat electioni efficaci aliquorum ad gloriam, & aliorum exclusioni ; nimirum quia Dei voluntas injusta esse nou poreſt ; injusta aurem esset nisi ex parte peccatorum præcederet aliqua differentia in qua fundaretur: Idcirco præfatæ sententiæ veritatem nostræ conclusionis confirmant, & directè in Adversarios militant.

SENTENTIÆ PATRUM AUGUSTINI SEQUACIUM ET DISCIPULORUM.

XVIII. QVÆ fuerit sancti Augustini genuina mens & sententia, patet ex ejus Discipulis & Sequacibus, nimirum Prospero, Fulgentio, Primasio, Anselmo & Bernardo.

Hoc ipsum probant SS. Patres.

S. Prosper.

S. PROSPER disertè asserit pluribi neminem prædestinarum nisi ex præscientia ipsius bonorum operum ; maximè verò in responsionibus ad capita Gallorum ; sic responsione tertia loqoens de peccaroribus à Deo derelictis, ait, *Reliquerunt & relicti sunt ; & ex bono in malum propria voluntate mutati sunt, atque ab hoc licèt fuerint renati, fuerint justificati, ab eo tamen qui illos tales præscivit non sunt predestinati*: Similia babet in responsione ad 7. & 15. objectionem. Item ab objectiones Vincentianas Responsione 12. explicans hæc verba : *Exierunt ex nobis, sed non fuerunt ex nobis : si enim fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum*, ait, *voluntate exierunt, voluntate ceciderunt ; & quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati ; essent autem prædestinati si essent reversuri, & in sanctitate ac veritate mansuri.* Ipsi concinit

S. Fulgentius.

S. FULGENTIUS lib. 1. ad Monimum circa medium, ubi ait, *Ostensurus itaque Deus quid reddendum præsciverit & quid donandum, prædestinavit illos ad supplicium quos à se præscivit voluntatis mala vitio discessuros, & prædestinavit ad Regnum quos ad se præscivit misericordia prævenientis auxilio redituros, & in se misericordia subsequentis auxilio esse mansuros.* Quibus verbis præscientiam operum electioni & reprobationi apertè supponit : unde subdit, *Quia misericors est Dominus & justus, prædestinavit Iustos ad gloriam, & Impios ad pœnam* : Sed clariùs lib. 3. de veritate Prædestinationis & Gratiæ circa finem, air, *Sicut per misericordiam præparavit gratuitum justificationis donum, ita per justitiam præparavit æterna justificationis præmium. Opus itaque gratia in omnibus prædestinatis gratuitâ misericordiâ inchoatur & justa retributione perficitur. Prædestinavit ergo Deus Sanctos suos & ad gratiam vitæ bonæ, & ad gratiam vitæ æternæ, præparatam gratiam donat Deus ut homines justificentur & benevivant, & vitam æternam pro rectè factis accipiant : ideo autem & ipsa vita æterna gratia Dei ab Apostolo dicitur, quia gratis hominibus vita bona datur.* Quibus apertè distinguit præparationem gratiæ à præparatione gloriæ, quòd sit opus solius misericordiæ & omninò gratuita ; Hæc verò opus justitiæ & nostra supponens opera. Loquitur autem non de executione & collatione actuali ; sed de præparatione æterna, adeoque nostram sententiam explicat & firmat.

Primasius.

PRIMASIUS denique acerrimus gratiæ deffensor in Commentario ad Romanos cap. 8. & 11. disertè affirmat Prædestinationem supponere præscientiam, nec-non & 2. ad Timotheum 4. in bæc verba, *Fidem servavi, &c. Fidem*, inquit, *in finem usque per gratiam ejus servavi quam reddet mihi in illa die justus Iudex, qui me novit usque ad mortem pro justitia ejus adjutorio dimicasse.* Quasi diceret idcirco Deus est compensaturus, quia præscivit fidelitatem & merita.

S. Anselmus.

S. ANSELMUS quem ipsi Adversarii non esse postremum Augustinianæ doctrinæ Sectatorem affirmant, edocet Prædestinationem eodem modo se habere ad prædestinatos quemadmodum præscientia ad res præscitas ; scribit enim lib. de concordia Prædestinationis & liberi arbitrii cap. 2. *Sicut præscientia qua non fallitur non præscit nisi verum : ita prædestinatio qua non mutatur non prædestinat nisi sicut est in præscientia, & quemadmodum quod præscitur licèt in æternitate sit immutabile, tamen in tempore aliquando antequam sit mutari potest, ita est per omnia de Prædestinatione* : Unde concludit quòd sicut præscientia nou officit libertati, quia non antecedit futuritionem humanarum actionum, sed eas futuras supponit ; ita censet Prædestinationem quoque idcirco libertati non officere, quia non antecedit futuritionem meritorum, sed eam supponit.

S. Bernardus.

S. BERNARDUS Eximius Augustinianæ doctrinæ deffensor & sequax, sermone 23. in Cantica disertè affirmat eos esse prædestinatos qui præsciri fuerunt conformes imagini Filii Dei ; ait enim ; "Generatio cœlestis æterna Prædestinatio est, quâ Electos suos Deus dilexit & gratificavit in dilecto Filio ante mundi constitutionem ; sic in sancto apparentes sibi ut viderent virtutem suam & gloriam suam, quò ejus forent consortes hæreditatis, cujus & apparerent conformes imagini."

§. III.

Tertia Probatio ex rationibus Theologicis.

XIX. VAriæ Theologiæ rationes ab Authoribus hanc ipsam nostram conclusionem propugnantibus proferuntur, uti videre est apud *Lessium*, Tractatu de Prædestinatione secti. 2. *Albertum Pighium* lib. 8. de lib. arbitrio cap. 2. *Osorium* lib. 9. de Justitia ; *Ricardum* art. 7. *Cardinalem Sadoletum* in cap. 8. ad Rom. *Cardinalem Contarenum* Opusculo de Prædestinatione. *Turrianum* de Electione divina ; *Carthagenam* in suis de Prædest. Opusculis ; *Vasquesium & Gregorium* à Valentia prima parte quæst. 23. *Iosephum Tricassinum* Opusculo de Prædestinatione post prævisa merita ; & nostrum *Pontium* in commentario ad quæstionem 41. primi sententiarum Scoti. Urgentiores autem sunt.

1. Ratio, quia beatitudo decernitur donanda tanquam merces, &c.

Prima: Quod sincerè proponitur obtinendum tanquam merces præmium & corona, illud decernitur propter merita eaque supponit : sed gloria æterna in Scripturis sacris ita proponitur : Ergo, &c. *Minor* patet : etenim Matth. 5. æterna beatitudo proponitur ut merces his verbis, *Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in Cælo*, 1. ad Corint. 9. statuitur ut corona. *Illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam* : Denique propo-

nitur ut præmium Apocalypsis 2. *Qui vicerit dabo ei edere de ligno vitæ*: Et ad Philippenses 3. *Ad destinatum persequor ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Major verò probatur: Omnis effectus justitiæ supponit meritum, alioqui non esset effectus justitiæ; sed vel misericordiæ, vel liberalitatis: at merces, corona, & præmium sunt effectus aut objecta justitiæ; sicut enim reddere justum pretium pro re accepta ab aliquo, est actus justitiæ; ita pariter compensare mercedem operis vel laboris, est justitiæ actus & effectus: quod confirmat Apostolus 2. ad Timoth. 4. *Mihi reposita est corona justitiæ quam reddet mihi in illa die justus judex.*

Adde quòd cùm motivum liberalitatis & gratiæ directè opponatur motivo mercedis & præmii: consequens est quòd cùm motivum gratiæ & liberalitatis sit purus amor, sine ullo respectu ad laborem & opus; ita motivum mercedis, sit ipsummet opus meritorium, nec usquam decernatur præmium, quin videatur meritum aut præsens aut futurum: Unde cùm Scriptura sacra expresè nobis proponat gloriam ut mercedem & præmium; consequens est quòd supponat meritum tanquam motivum à Deo prævisum antequam decerneret præmium.

Reponunt Adversarii, volitionem mercedis præmii & coronæ non ita necessarió supponere prævisionem meritorum, quin aliquando volitio mercedis & præmii sit prior volitione laboris & operis; ut constat exemplo Regis qui ex liberalitate decernere potest aliquod bonum conferendum suis subditis, quod tamen vult ab eis per generosos actus esse consequendum: Nam quod velit eis illud bonũ, provenit ex ejus liberalitate & gratia; quod verò intendat illud esse consequendum per merita, oritur ex aliqua justitia; ita quòd priùs velit illis bonum ut finem, & deinde generosos actus tanquam media conducentia in assecutionem decreti boni.

Contra: Qui intendit præmium, vel illud formaliter & sincerè intendit sub ratione præmii, vel non: Si ita intendat, consequens est ut illud conferre velit tantùm intuitu & ex præsuppositione operum & meriti; præmium enim non habet rationem formalem præmii nisi respectivè ad laborem & merita: Unde licet in intentione ejus qui sperat præmium, priùs sit meritum quàm præmium, quia meritum respicit ut medium; præmium verò ut finem; tamen in intentione præmiaturi secus accidit; præmiator enim priùs intendit meritum quàm præmium, priùs laborem quàm mercedem, priùs pugnã & victoriam quàm coronam, quia per meritum, laborem, & victoriam movetur ad decernendam mercedem præmium & coronam: Si verò ita non intendat, replica non est ad propositum, siquidem Scriptura sacra apertè satis indicat gloriam æternam esse conferendam sub ratione præmii.

Præmium necessariò supponit meritum

Nec quidquam juvat allatum exemplum de Rege; in hac enim hypothesi, Rex non decernit conferre bonum propositum ex formali motivo justitiæ seu quatenus est merces & præmium formaliter: sed vel ex motivo amicitiæ, vel ex motivo magnificentiæ & Regiæ liberalitatis: Nec refert quòd statuat talem circunstantiam, nempe quòd subditus per opera consequatur bonum propositum; hoc enim ideo ordinat ut illa acquisitio sit illustrior subdito, utpote qui ad eam aliquid ex parte sua contulerit.

Reponunt Alii, quòd etsi quandoque in Scriptura sacra repromittatur æterna beatitudo sub ratione præmii coronæ & mercedis, nihilominus etiam interdum promittitur ut hæreditas: sed hæreditas jure ipso, & non ex industria succedit; & solam nativitatem, non autem merita nec laborem supponit: Ergo hac ratione non decernitur ex prævisis meritis.

Respondeo quòd etsi reverà beatitudo promittatur ut hæreditas, non tamen est conferenda jure nativitatis, sed beneficiô solius divinæ adoptionis ad quam adoptionem duo desiderantur. Primum quidem quòd per justificationem in Filios Dei consignemur, uti loquitur Apostolus ad Rom. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis Filiorum Dei*, hoc est, gratiam sanctificantem per quam renascimur spiritualiter & Filii Dei adoptivi constituimur, *Vt justificati gratiâ ipsius*, inquit ad Titum 3. *hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ.* Secundò ad illam adoptionem requiritur, ut eam conservemus, & notam faciamus per bona opera, juxta illud, *Videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum.* Unde illa hæreditas coincidit cum ratione mercedis & præmii; quocirca Apostolus ad Colossenses 3. eam appellat retributionem hæreditatis, *Quæcumque*, inquit, *facitis ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Quibus significat hæreditatem illam non conferri, maximè adultis, nisi per modum retributionis & mercedis: Unde ad Romanos 8. idem explicans ait, *Si autem filii & hæredes; hæredes quidem Dei cohæredes autem Christi, si tamen compatimur ut & conglorificemur.* Quasi diceret, illa divina hæreditas non fundatur in sola gratia justificante, quam quis aliquando habuerit; sed etiam in labore & exercitio virtutum nec-non & in perseverantia in eis; *Qui enim perseveraverit usque in finem hic salvus erit*: Ergo etiam gloria æterna per modum hæreditatis conferenda non decernitur nisi ex præsuppositis meritis.

Duo ad divinam Adoptionem requiruntur.

Secunda ratio formatur hujusmodi. Ille modus prædestinandi est Deo tribuendus, qui judicatur convenientior illius gloriæ hominumque saluti: At prædestinare homines post prævisa eorum merita, magis divinæ gloriæ hominumque saluti congruit, quàm si prædestinatio fieret antecedenter ad illam prævisionem: Ergo, &c. Major patet ex illa præclara sancti Augustini regula lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. ubi ait, *Quidquid tibi vera ratione meliùs occurerit, scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium Conditorem*: Ratione autem suadetur finem ultimum prædestinationis esse Dei gloriam, proximum verò & minùs principalem esse hominum salutem, adeoque modi prædestinandi convenientia sumi debet per ordinem ad majorem Dei gloriam & hominum salutem.

2. Ratio quia hic modus prædestinandi magis in Dei gloriã cedit.

Minor etiam constat quantùm ad primam partem, nempe quòd prædestinatio ex prævisis meritis magis cedat in Dei gloriam: Ex eo nempe summa Dei bonitas & clementia maximè commendatur, quòd quantùm in se est, sincerè velit omnes homines salvari, omnibusque gratias sufficientes præparet ac subministret juxta cujusque statum & conditionem, quibus ad vitam æternam pervenire possint si voluerint;

ita quòd eorum perditio non ex parte Dei, neque ex ejus anticipata determinatione, sed ex prava ipsorum voluntate sit deducenda: Idipsum autem non sequitur ex opposita sententia, ut constat. Patet etiam eadem minor quoad secundam partem, nempe quòd ille modus nostræ saluti magis congruat; exinde nempe omnes omnino homines, ne unô quidem exceptô totis viribus contendere possunt & debent ad gloriam æternam capessendam, utpote cum sciant illius adeptionem sibi ipsis relinqui, nullisq; decretis præviis ex parte Dei ad unum illigari, sicut contēdit opposita sententia: Ergo, &c.

3. Ratio quia ex opposita sententia varia absurda sequuntur.

Tertiò ex opposita sententia varia sequuntur absurda, quæ in Dei gloriam hominumque salutem apertè militant: Primò namque sequitur Deum non velle sincerè omnino omnium hominum salutem: sed istud consequens est absurdissimum: Ergo & antecedens. Minor patet ex innumeris Scripturæ textibus quibus apertè constat Deum velle omnium prorsus hominum salutem, sic 1. ad Timotheum 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire:* Et cap. 4. dicitur Deus *Salvator omnium, maximè autem fidelium*; ex quibus colligitur Deum habuisse ab æterno voluntatem sinceram quantùm ex se est salvandi omnes omnino homines ne uno quidem excepto, quod apertiùs patet ex his locis Matth. 18. *Non est voluntas ante Patrem vestrum ut pereat unus ex his pusillis*: Et 2. Petri 3. *Patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti:* Quod nedum de generibus singulorum, ut inquiunt adversarii, sed etiam de singulis generum est intelligendum: cùm enim verbum *Nolens* contineat negationem, quæ omnia removet & nihil excipit, consequens est quòd nullum prorsus hominem Deus, quantùm in se est, perire velit; & item cum ista particula *Aliquos* sit indefinita, etiam pertinet ad singulos indefinitè sumptos; inde fit quòd si solùm duos excipias ab illa bona voluntate Dei, conseqoens est quòd vult aliquos perire, nempe illos duos quos excipis: hoc autem apertè militat in præfatum textum: Ergo revera Deus nemine excepto vult omnes homines salvos fieri.

1. Quod Deus sincerè non vellet omnium hominum salutem.

Probatur major: Si Deus sincerè velit omnium hominum salutem; cur ante prævisionem futurorum tam paucos eligit, & cæteros omnes non sic Electos ita negligit ut ex eis nemo salvetur? Hic enim defectus salutis ex parte non Electorum refundi nequit in ipsorum demerita, cùm nondum censeantur prævisa, proindeque refundi deberet in ipsam Dei voluntatem nolentem sincerè eorum salutem.

Confirmatur: Ille non vult sincerè salutem omnium hominum maximè Reproborum, sed tantùm simulatoriè & illusoriè, qui tantùm gratiam incongruā eis præparat: atqui ex opposita sententia Deus tantùm Reprobis gratiam incongruam eorum saluti præparat: Ergo non verè vult eorum salutem. Majos patet: Minor pariter: Nam ex adversariis Deus ante prævisionem operum vel status finalis, eligit absolutè & efficaciter quotquot ad gloriā perducendi sunt in individuo, & in tali gradu gloriæ; ita ut omnes illi sint eò perducēdi infallibiliter, & præter illos omnino nullus alius; Unde consequens est quòd Deus in posteriori signo decernat media congrua quibus illi ita electi, infallibiliter ad locum

A & gradum gloriæ destinatum perveniant, & consequenter quod aliis tantùm, qui non sunt electi, incongrua media subministret ne fortè quis eorum gloriam assequatur.

Dices Deum propterea non seligere de industria media incongrua Reprobis seu neglectis; sed dare prout occasio fert, qualemve cursus rerum & opportunitas circunstantiarum postulat, non attendendo sint-ne congrua an incongrua.

Contra: Si res ita sit, incredibile videtur quòd nemo prorsus ex tanta multitudine Reproborum gratiam congruam sortiatur & salvetur; B & è contra quod nullus ex tanta multitudine Electorum sortiatur incongruam & damnetur; Fingantur enim duæ hominū multitudines ingētes hinc inde stantes, & aliquis in medio utriusque ex ingenti arca nummis argenteis partim bonis partim adulterinis plena, his & illis omnibus nummos distribuere: fieri-ne potest quin aliquibus ex utraque multitudine obtingant boni, & aliquibus falsi & adulterini, nisi de industria uni multitudini omnes bonos seligat, alteri omnes adulterinos? Eodem modo si Deus sincerè distribuat omnes suas gratias tam Prædestinatis quàm Reprobis, & non seligat incongruas pro Reprobis; fieri nequit quin aliquibus obtingat gratia congrua, & ita illi salvabuntur: C Ergo vel illa gratia quam Deus Reprobis subministrat non est sufficiens, vel de industria quæsita est ejus incongruitas.

Reponunt Adversarii non minùs Deum habere sincerum amorem & voluntatem salvandi omnes homines quamquam præscíverit multos non esse salvandos: Ergo sicut stat illa sincera voluntas salvandi omnes cum tali præscientia non salvandorum; etiam stare poterit cum eorum non Electione.

Contra: Nulla paritas inter Præscientiam, & Electionem; illa namque pendet quodammodo à rerum eventu, siquidem res non sunt futuræ quia Deus eas prævidit, sed eas prævidit quia futuræ sunt: Unde prævisa Reproborum culpa D non ex parte Dei, sed ex eorum parte est repetenda. Quocirca stare potest in Deo sincera voluntas salvandi omnes homines cum prævisione peccatorum quæ causæ erunt cur illi reprobentur & damnentur. Secus verò est de Electione; illa enim tota est ex parte Dei, si fiat antecedenter ad prævisa merita; adeoque cum illa stare nequit sincera voluntas salvandi eos quos ad æternam salutem Deus non elegit.

2. Quod Reprobi positivè excluderentur à beatitudine.

Secundum inconveniens est quòd ex sententia Adversariorum sequatur Reprobos in illo ipso instanti Reprobationis efficaciter & positivè expelli à beatitudine etiam ante prævisa eorum mala opera: sed hoc alienum est à fide E Catholica, & Calvinismum omnino sapit: Ergo, &c. Minor patet: Eamque ultro admittunt Adversarii. Major verò probatur: Qui vult absolutè & efficaciter totum aliquod ex certis tantùm partibus in individuo cognitis coalescens per modum aggregati perfecti, hóc ipsô excludit omnes alias partes etiam possibiles, & omnes illæ aliæ partes relictæ excluduntur efficaciter & infallibiliter, si intentio illa & determinatio est infallibilis: Atqui Deus ex adversariis, ita se habet, ut quotquot ad gloriam seligit, eos absolutè & efficaciter eligat in individuo: Ergo quemadmodum Architectus mente concipiens ædificium construendum,

dum, ubi aliquos numero & in individuo determinatos lapides ad id seligit, ita quòd non alios nec plures ad id velit seligere & notare, eô ipsô censetur neglectos lapides positivè respuere, quia lapides inservire nequeunt ædificio construendo nisi ab Architecto seligantur, notentur & assumantur: Ita à pari si Deus ab æterno nullis prævisis meritis certum Prædestinatorum numerum seligit tanquam lapides vivos pro construenda cœlesti Jerusalem, ita ut omnes & soli illi Electi huic spirituali structuræ deservire possint, consequens est quòd ii omnes qui ita non destinantur nec assumuntur, positivè reprobentur, etiamsi hæc Reprobatio non intelligatur fieri per actum positivum & actuale decretum quô Deus eos addicat pœnis æternis; sufficienter enim excluditur à gloria, qui non includitur in voluntate eligentis ad gloriam.

3. Quòd homo non esset absolutè liber in operando.

Tertiò, ex illo decreto antecedente sequitur humanam libertatem adimi, quantum ad consecutionem gloriæ: sed hoc est contra fidem, quæ asserit in libertate ac manu nostra esse perdere gloriam si voluerimus, aut eam cum gratia Dei acquirere: Ergo non est admittendum hujusmodi decretum. Probatur sequela majoris: Quia positô illô decretô in sensu composito, impossibile est quòd quis non consequatur vitam æternam; aliàs posset decretum efficax divinum falli, aut frustrari, & creatura esset potentior ad rejiciendam gloriam, quàm Deus ad conferendam: Sed sensus ille compositus esset antecedens & independens à voluntate nostra: Ergo non haberet libertatem respectu consequendæ gloriæ. Probatur consequentia: Quia voluntas non est libera respectu illius ad quod ponendum, vel non ponendum non habet potestatem positis omnibus prærequisitis & antecedentibus suam actionem, quæque ab ipsamet nullo modo dependent: Ergo si decretum efficax, sit antecedens ac independens à voluntate, & eô positô voluntas nequit efficere quin habeat gloriam, non est in manu ipsius habere, & non habere gloriam, nec consequenter habebit libertatem in ordine ad hoc.

4. Quod eaindead vitia laxentur habenæ.

Quartò, ex opposita sententia omnis de consequenda beatitudine & salute firmanda per bona opera sollicitudo tollitur & amandatur; quisque enim apud se ita ratiocinari potest, vel sum ex solo Dei beneplacito Prædestinatus, vel non: Si sim, haud-dubiè quidquid egero salvabor; cùm enim decretum Dei sit efficax & invariabile, frustrari nequit effectu: Si non sim, irrita prorsus ac vana erit mea diligentia de sectanda virtute & bonis operibus eliciendis, cùm illa ad firmandam prædestinationem nihil deserviant, utpote quæ fixa rataque fuerit ab æterno antecedenter & independenter à prævisione bonorum operum, quæ omnia directè militant in illud sancti Petri monitum: *Satagite fratres ut per bona vestra opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

§. IV.

Solvuntur objectiones. 1. Ex Scriptura sacra.

OBJICIUNT Adversarii varios Scripturæ sacræ textus quibus significatur gratuita hominum Electio ex solo Dei proposito & decreto, non verò ex præscitis meritis pendere. Primo quidem illud Lucæ 12. *Nolite timere pusillus grex quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*; ubi per *pusillum gregem*, volunt intelligi Prædestinatos, qui comparatione majoris numeri Reproborum, pusillus grex appellantur. Per verbum *complacuit*, aiunt significari Dei affectum specialem, & voluntatem antecedenter efficacem erga omnes Prædestinatos, quippe quæ illis proponitur ut motivum fiduciæ: Denique per vocabulum *Regni* contendunt designari Electionem ad gloriam, quæ sola regni nomen obtinet: Ergo, &c.

Pusillus Grex non solos prædestinatos significat.

Respondeo 1. Non esse certum per pusillum gregem designari Prædestinatos; Christus enim ad omnes prorsus Apostolos & Discipulos hæc verba dirigebat, qui omnes non erant Prædestinati, siquidem Judas Ischariotes inter eos erat traditor & Filius perditionis: Unde veriùs dicendum arbitror cum Maldonato, præfata verba ad eos dicta, ad quæ superiora directa fuerant, illa autem ad omnes prorsus Auditores, & in eorum persona ad omnes futuros fideles dictata fuerant.

Respondeo 2. Per verbum (*complacuit*) non significari voluntatem efficacem antecedentem: Tum quia voluntas efficax suum assequitur effectum; constat autem ex illo pusillo grege sive omnes Auditores, sive solos Apostolos intelligas, aliquos non fuisse adeptos effectum Prædestinationis, nempe gloriam æternam: Tum quia revelatio talis voluntatis efficacis, nihil conducebat ad stabiliendam fiduciam illam quam in eorum animis Christus excitare intendebat; imò eos ad quandam socordiam & ignaviam concitasset, quippe cogitassent eis ultrò non esse adlaborandum cùm ex efficaci Dei decreto eorum beata sors jam esset peracta: Tum denique quia ad eam fiduciam provocandam, sufficiebat quòd repromissa æterna merces decerneretur consequenter & ex prævisis meritis; intendebat enim Christus Apostolis suadere eos omnem in Dei providentiæ curam & sollicitudinem collocare debere; non solùm quia inquit, qui pascit animalia, homines non deseret impastos: sed etiam ducens argumentum à majori ad minus, si Deus decrevit vobis dare regnum suum quod est maximum, quantò magis temporalia vobis subministrabit; Ad id autem sufficiebat quòd esset decreta gloria æterna hominibus danda; sive interim ante vel post prævisa merita decreta fuerit.

Sed maximè humiles, & Christo obsequentes.

Respondeo 3. quòd etsi per præfata verba significetur voluntas efficax, illa tamen non est purè beneplaciti & per exclusionem meritorum; sed beneplaciti ex motivo justitiæ fundatæ in prævisione meritorum: Tum quia significatur illa gloria danda humilibus ob eorum pusillitatem, quocirca dicitur pusillus grex, *Pusillum gregem*, inquit, venerabilis Beda, *vel*

ob comparationem majoris numeri Reproborum; A *vel potius ob humilitatem nominat*: qualiter etiam Christus Matth. 19. *Sinite parvulos* (id est humiles) *venire ad me, talium enim est Regnum Cœlorum*. Tum quia Christus idipsum ibidem insinuat; cùm enim proposuisset Apostolis propter Dei gloriam negligendas opes, omnem terrenarum sollicitudinem amandandam, imò & spernendam vitam, ut ad gravia hæc æquô animô subeunda excitaret, ait, *Nolite timere*. &c. quasi diceret, hæc vobis dulcia videri debent, siquidem propter horum tolerantiam placuit Patri vestro Regnum Cœlorum in mercedem & præmium decernere. Tum denique quia si verbum *complacuit* significaret Electionem esse omnino gratuitam, etiam & omnino gratuitam executionem & collationem exprimeret; B tota enim illa sententia executionē magis quàm intentionem declarat: siquidem non dicitur placuit *eligere* quod intentionem, sed placuit *dare* quod executionem importat: at nemo dixerit gloriam secundùm executionem gratis conferri: Ergo nec asserere debet illam gratis decerni secundùm intentionem.

Objiciunt 2. Plures sancti Pauli sententias quibus innuere videtur divinam Prædestinationem fieri ex solo Dei absoluto decreto & proposito. Sic ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus, in Charitate, qui prædestinavit nos adoptionem Filiorum per Iesum Christum in ipsum secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ*, &c. C Loquitur autem, inquiunt, de voluntate absoluta, ut patet tum ex verbis *Elegit*, & *Prædestinavit*; tum ex eo quod subdit *secundùm consilium voluntatis suæ*: Similiter agit de Electione gratuita, non enim quia eramus sancti nos elegit, sed ut essemus: Denique de Electione ad gloriam, quia loquitur de iis quos benedixit Deus omni benedictione spirituali in cœlestibus; gratia autem quæ Reprobis & Prædestinatis est communis, nec est omnis benedictio, quippe adhuc superest benedictio gloriæ; nec benedictio in cœlestibus, cum viatoribus in terra tantùm largiatur: Ergo ex sancto Apostolo Prædestinatio fit ex mero Dei absoluto beneplacito, non verò ex prævisis hominum operibus; adeoque præfata nostra conclusio sacræ Scripturæ apertè contradicit. D

Deus nos elegit ex mero beneplacito.

Respondeo negando consequentiam; siquidem ibidem Apostolus intelligendus est de Prædestinatione, non quidem ad gloriam & beatitudinem æternam; sed ad gratiam per exclusionem operum elicitorum naturæ viribus, ut interpretantur sanctus Hieronymus in commentario, & August. libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 19. S. namque August. valdè hunc E locum urget contra Semi-Pelagianos qui cùm assererent initium fidei esse tribuendum viribus liberi arbitrii, & non ex gratia; eos confutat ex eò quòd dicat Apostolus Deum nos elegisse, non quia eramus, sed ut essemus sancti. Unde ipsemet Augustinus ibidem cap. 18. versans eumdem textum ait, *Fecit hoc secundùm beneplacitum voluntatis suæ, ut nemo de sua, sed de illius voluntate glorietur: Fecit hoc secundùm divitias gratiæ suæ, secundùm bonam voluntatem suam quam proposuit in dilecto filio suo, in quo sortem consecuti sumus, Prædestinati secundùm propositum non nostrum, sed ejus qui universa operatur*: Quibus patet eum explicare textum Apostoli de Prædestinatione ad gratiam. Tum quia ipsemet Apostolus hæc indicat per subsequentia verba, *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum .... in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum*, quæ omnia gratiam, non verò gloriam denotant; nam adoptio, redemptio, & peccatorum remissio pertinent ad gratiam justificationis. Tum denique quia hæc verba dirigebat ad omnes Ephesios quos certus non erat Apostolus omnes esse Prædestinatos ad gloriam, cùm ipsemet de sua Prædestinatione non esset securus, sed tremens ac timens dicebat, *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicavero ipse Reprobus efficiar*.

Non ad Gloriam, sed ad Gratiam.

Objicies 3. Illud ad Romanos 9. *Cum nondum nati fuissent*: Jacob scilicet & Esau, *Aut aliquid boni egissent, aut mali; non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei*, Rebeccæ, *quia major serviet minori: sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. Et paulo post: *Igitur non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei: Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat*. Et, *numquid potest figulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem aliud autem in contumeliam*. Hæc autem omnia significant efficacem Dei voluntatem in prædestinandis hominibus antecedenter ad prævisa eorum opera: Ergo Prædestinatio ad gloriam est ex mera Dei misericordia, & non ex prævisis meritis.

Nego sequelam: Primò namque Apostolus quidem dicit quòd Deus dilexerit Jacob antequam quidquam boni fecisset, non autem ait se eum dilexisse priusquam prævidisset quid Iacob aliquando acturus erat; Unde excludit quidem opera jam facta, atque illa non fuisse rationem amoris Iacobi & odii Esaü; non verò excludit opera prævisa: Itaque Deus ab æterno dilexit Iacob cùm nondum aliquid boni fecisset, nempe ab æterno, quia nondum erat; licet prævisus fuisset benè acturus in tempore, quæ prævisio causa fuit cur à Deo diligeretur.

Electio Iacob & Reprobatio Esau significat.

Vel Prædestinationē & Reprobationem post prævisa merita.

Respondeo secundò Apostolum esse intelligendum de Electione ad gratiam, non verò ad gloriam; alioquin inde sequeretur Esaü quoque fuisse Reprobatum & destinatum ad gehennam ante prævisa ipsius demerita: Eodem enim modo de odio Esau & dilectione Iacob Apostolus loquitur dicens, *Antequam quidquam boni vel mali fecissent, Iacob dilexi & Esaü odio habui*: Sed nullus præter Calvinum, dixerit Reprobationem fieri ante prævisa demerita: Ergo nullus pariter asserere debet Iacob fuisse prædestinatum: ante prævisa ipsius merita proindeque hæc Electio intelligenda est non ad gloriam, sed ad gratiam. Non quod reverà Deus voluerit gratiam largiri Iacob & denegare Esau, nemini enim Deus suam gratiam denegat: Sed significare voluit Apostolus Deum dilexisse Iacob, quia contulit ei ampliores gratias quàm ipsius fratri, quē idcirco odio habuisse dicitur, quod minus eum diligendo, etiam minores gratias contulerit; Odium enim in Scriptura sacra interdum minorem amorem significat, sic enim

Vel solam Electionem ad Gratiam.

accipiendum est quod Christus dixit Lucæ 14. *Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem, & uxorem, & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus* : quam sententiam Matth. cap. 10. ita reddit, *Qui amat patrem & matrem plusquam me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.*

Vel intelligitur de Electione ad Fidem.

Respondeo 3. Apostolum loqui de Electione ad fidem; toto namque illo capite docet Judæos rejectos esse à justitia & salute propter infidelitatem, Gentes autem ad eam adscitas esse propter fidem in Christum; quod maximè patet ex vers. 30. ubi totum hoc caput ita concludit: *Quid ergo dicemus? Quòd gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam; justitiam autem quæ ex fide est, Israël verò sectando legem justitiæ*, id est legem veterem justitiæ legalis, *in legem justitiæ*, id est veræ sanctitatis per Christum collatæ, *non pervenit : Quia non ex fide, sed quasi ex operibus; offenderunt enim in lapidem offensionis sicut scriptum est, ecce pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali, & omnis qui credit in eum non confundetur.*

Ut explicāt SS. Patres.

Ita hunc textum interpretantur sanctus Augustinus Epist. 105. & lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. & de Prædestinatione Sanctorum cap. 16. & 19. nec-non & Magister sententiarum lib. 1. dist. 41. cap. 1. imò & sanctus Thomas in hunc locum dicens, *Potest intelligi figuraliter* (prout scilicet sumebat Apostolus) *ut per Maiorem intelligatur populus Iudæorum qui primò adoptionem filiationis* id est, gratiam *accepit : Per Minorem autem figuratur populus Gentilium qui posteriùs est ad fidem vocatus. Major ergo populus serviet minori, in quantùm Iudæi sunt nostri capsarii custodientes libros ex quibus nostræ fidei testimonium perhibetur.*

Et ipsemet textus indicat.

Idipsum quoque apertè satis colligitur ex sequentibus verbis Apostoli, quæ maximè electionem ad gratiam & fidem indicant; *Dilectio* namque gratiam sanctificantem supponit, tanquam motivum divini amoris : *Odium* verò provenit ex privatione gratiæ : Similiter hæc verba, *Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*; non spectant ad Prædestinationem & gloriam æternam; alioquin Apostolus maximam hominibus etiam pietati deditis desperationis ansam ingeminasset, si pro viribus & adjuvante gratia enitentibus ad gloriam, intellexissent nihilominus eam sibi fore denegandam. Significant ergo tantùm concursum seu gratiam Dei actualem in bona opera, ut colligere est ex hoc verbo *Currentis*, quod actualem cursum & contentionem ad æternam beatitudinem per opera bona designat. Ut explicant sanctus Augustinus eodem libro cap. 8. & S. Thomas ibidem. In id pariter collineant hæc verba, *Cujus vult miseretur & quem vult indurat*, non enim Apostolus dicit *Reprobat*, sed *indurat*, quod importat privationem gratiæ efficacis; & per consequens significat miserationem præcedentem ei oppositam esse collationem gratiæ efficacis. Cùm ergo hæc omnia verba tantùm gratiam sonent, consequens est quòd Apostolus ibi Electionem & Propositum usurpet pro Electione ad gratiam aut fidem.

Dices : Saltem ex his verbis, *Vasa misericordiæ quæ præparavit Deus in gloriam*, colligitur Apostolum intendere prædestinationem ad gloriam: Ergo, &c.

Nego antec. Siquidem hæc ipsa verba etiam rectè exponi possunt de Prædestinatione ad gratiam; *Gloria* namque ibi non usurpatur pro gloria cœlesti, sed pro illa Dei gloria extrinseca seu clarificatione & honore in quem Deus Electos ordinavit tamquam vasa in honorem, ut nempe homines videntes eorum opera bona, glorificent & laudent in eis Deum, sicut interpretatur Haymo : Consonat & Græcum, nam verbum δόξα, quod noster Interpres vertit *in gloriam*, propriè significat honorem, famam, splendorem, & nominis claritatem, ut ipsemet exponit sanctus Augustinus tract. 100. in Joannem, *Ipsa*, inquit, *quæ Græcè dicitur δόξα : Unde dictum est verbum δοξάσον, & claritas interpretatur & gloria: gloriâ namque fit quisque clarus & claritate gloriosus, ac per hoc quod utroque verbo significatur idipsum est. Sicut autem definierunt antiqui Latinæ linguæ clarissimi authores, Gloria est frequens de aliqua fama cum laude.*

Duplex est Gloria Iustis à Deo destinata, alia *æterna*, altera *temporalis*.

Objiciunt 4. Illud Actor cap. 13. de Antiochenis, *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Quibus significatur Prædestinationem esse causam fidei & bonorum operum; adeoque illa non fit ex prævisis meritis.

Nego hunc esse sensum contextus, etenim per illam *Præordinationem* nihil aliud significatur quàm prædispositio seu affectus ipsorum Antiochenorum curam & desiderium habentiū suæ salutis beneficiô gratiæ sibi concessæ; idque colligitur ex textu Græco ubi pro *Præordinati* legimus τεταγμένοι id est ordinati, dispositi, bene comparati, quod fit per desiderium salutis: Et quia Deus æternô consiliô id mentibus eorum immiserat, rectè dici possunt præordinati. Hæc autem prædispositio ibidem vers. 46. opponitur malæ dispositioni Judæorum contradicentium ex malitia prædicationi Apostoli; quos idcirco Paulus compellat his verbis, *Vobis oportebat primùm loqui Verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis vitæ æternæ, ecce convertimur ad Gentes.*

PRÆDESTINATIO significat vel internam dispositionem ad Gratiam.

Respondeo 2. Per verbum *Præordinati*, non significari Prædestinationem completam & ad gloriam; sed incompletam seu ad gratiam. Tum quia Prædestinatio ad gloriam est occultissima, nec ulla apparet ratio cur qui essent in Antiochena civitate Prædestinati, Scriptori sacro revelaretur: Tum quia hæc revelatio præbuisset ansam illis, qui tunc crediderunt, deponendi omnem curam suæ salutis; illis verò qui non crediderunt ingeminasset desperationem; si enim omnes qui erant prædestinati tunc crediderunt, consequens est alios non credentes fuisse Reprobos : Tum denique quia non est verisimile in illa urbe celeberrima non alios fuisse Prædestinatos, quàm qui tunc baptisati fuerunt in modico ac parvo numero.

Vel Prædestinationem ad Gratiam.

Respondeo 3. Per illam præordinationem significari posse etiam Prædestinationem ad vitam æternam; non quidem antecedenter, sed consequenter ad prævisionem bonorum operum, quæ idcirco vocatur præordinatio, quia fit ab æterno & antequam opera illa in tempore eliciantur.

Vel prædestinationē ad Gloriam post prævisa merita.

Objiciunt 5. Illud Christi ad Apostolos Joan. 13. *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea: Non de omnibus vobis dico : Ego scio quos elegerim*;

sed ut adimpleatur Scriptura, qui manducat mecum panem levabit contra me calcaneum suum. Quibus inquiunt, solis Apostolis Christus loquitur de electione antecedenti, absoluta & efficaci. Primò, quia Judam excipit è numero Electorum; at electio antecedens conditionata & inefficax est communis omnibus & nullus ab illa excluditur. Secundò, quia Christus affert electionem illam pro causa cur Judam excipiat, cùm ait: *Non de omnibus vobis dico, Ego scio quos elegerim, &c.* At electio antecedens, inefficax tantùm & conditionata, non est causa quempiam excipiendi: Secus autem voluntas antecedens absoluta & inefficax per quam cæteri virtualiter excluduntur: Ergo reverà Christus loquitur de Electione antecedenti quâ prædestinati erant Apostoli, excepto Juda, ex mero Dei beneplacito,

Explicatur textus S. Ioannis de Electione Discipulorum, non ad gloriam, sed ad Apostolatum.

Nego consequentiam: Christus enim ibi non agit de electione ad gloriam, sed ad Apostolatûs munia post ejus mortem obeunda, à quibus quidem muneribus obeundis arceri debebat Judas traditor, tum propter perfidiam, tum propter mortem ejus impœnitentem ante Christum Dominum è morte suscitatum: Ad textum autem dico hunc esse genuinum illius sensum, *Beati eritis si hæc scitis quæ dico vobis*, idest si creditis & si feceritis ea: ut iam de facto creditis, & ea aliquando facietis; *non de omnibus vobis dico*, quia non omnes creditis aut facietis: *Ego scio quos elegerim*: Idest, scio quales estis interiùs quos in Apostolos elegi. Quibus patet de electione ad Apostolatũ dumtaxat sermonem esse.

Dices S. Augustinus hunc textum interpretatur de electione ad Gloriam: Cui etiam expositioni favet illud, *Beati eritis si feceritis ea*, ubi de beatitudine gloriæ sermo est.

Respondeo Interpretationem de electione ad Apostolatum ut magis litteralem ac propriam admitti ab aliis Patribus quos sequuntur Maldonatus & Toletus; de qua etiam intelligendus est illud Christi Joannis 15. *Non vos me elegistis sed ego elegi vos, ut eatis & fructum afferatis.* Dicit *ut eatis*, Ire enim Apostolorum, idest missorum, proprium est: & illud Joann. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi & unus vestrûm Diabolus est?* Addo neque illam explicationem S. Augustini nobis obesse: Esse enim potest hic sensus, *Ego scio quos elegerim* ad gloriam efficaciter, prævidens scilicet & quid facturi sint, quemve statum finalem habituri, ex cujus prævisione illos elegi efficaciter.

Objiciunt 6. Illud Joannis 10. ubi Christus Judæos incredulos alloquens ait, *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis: Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas & sequuntur me, & vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet quisquam de manu mea*: Ex quo inferunt Adversarii Prædestinationem ad gloriam esse causam vocationis ad fidem; nam esse ovem Christo datam, & esse prædestinatum idem est: Ergo reverà prædestinatio ad gloriam fit ante prævisa merita, quippe cùm fiat ante fidem quæ est primum meriti principium.

Nego consequentiam 1. Quia etsi præfatus textus intelligeretur de solis Prædestinatis ad gloriam, exinde tamen non sequeretur eum esse intelligendum de prædestinatione ante prævisa merita; Imo ipsum textum S. Aug. usurpare videtur de prædestinatione post prævisa merita; siquidem lib. de Correptione & Gratia cap.

A 9. ait: *Hi ergo intelliguntur dari Christo, qui ordinati sunt ad vitam æternam, nam illi supponuntur ordinati seu apti facti ad vitam æternam, priùs quàm Christo dentur.*

2. Dico textum præfatum intelligendum esse de Prædestinatione ad gratiam & fidem; alioquin immeritò Christus Judæos arguisset quòd non essent ex ovibus suis, nec in eum credere vellent. Cùm enim decretum absolutum prædestinationis sit immutabile; consequens est quòd si defectus prædestinationis Iudæorum, causa fuisset cur ipsi non crederent; certè ille defectus fidei non esset in illis culpandus, quippe cùm non ex eorum perversa voluntate procederet, sed ex ordinatione Dei qui ipsos non prædestinaverat.

Oves Christo datæ non significant solos Prædestinatos, sed etiam Fideles.

B Itaque sensus loci illius est, quòd cùm Iudæi perverso in Christum essent animo, nullatenus parati erant & dispositi ad credendum ut fierent ejus Oves & Discipuli, idcirco dicit, *Mihi non creditis, quia non estis ex ovibus meis*: Idest non habetis docilitatem ovium mearum, imo verò lupi estis quærentes devorare & perdere Pastorem unà cum ovibus: Unde subdit *Oves meæ vocem meam audiunt*, hoc est, non resistunt verbis meis & gratiis quibus eas ad fidem advoco; sed facilè acquiescunt veritati quam ego ipse anuntio vobis.

Nec refert quod subjiciat *Vitam æternam do eis, &c.* Hæc enim non usurpantur absolutè, C sed sub hac conditione, si consentire velint verbis meis & præceptis obedire; nec enim quemquam Deus cogit ad salutem; sed tantùm invitat & vocat ut liberè & voluntariè consentiat.

Nec pariter obsunt sequentia verba, *Nemo rapiet eas de manu mea*: Ibi enim per *manum*, potestatem significari affirmat S. Aug. Tractatu 48. in Joannem, unde sensus est, quòd Deus ita muniat fideles suis gratiis & auxiliis, ut nemo possit abducere eos ab illo, nisi ex eorum consensu; ita quòd nemo pereat nisi sua propria voluntate, non autem defectu protegentis: Non secus ac si quis confugisset ad cujusD dam Principis palatium ut ibi suam vitam adversus hostes tueretur, eique Princeps dixisset, nemo te rapiet de manu mea, seu abducet è palatio; & interim ille qui ita confugit, sponte sua exiret è palatio & dederet se hostibus suis; certè Princeps argui non posset culpæ aut mendacii. Ita à pari non est arguendus Deus quòd nonnulli ex iis quibus auxiliatricem manum subministrat, à gratiis excidant, quia hæc exorbitatio ex prava eorum voluntate est repetenda, non ex defectu divinæ protectionis.

Comparatio notâda.

Solvuntur objectiones ex Patribus.

E OBjiciunt 1. Illud Cyrilli Alexandrini in Joannem cap. 24. *Ego elegi vos, non vos me: Ego me notum vobis ignorantibus feci humanitate clementiaque commotus: Ego vos adeo roboravi, ut procedere progredique ad tantamcum Deo fiduciam possitis, ut quodcunque petieritis in nomine meo vobis concedatur.* In quibus verbis Adversarii pendunt 1. Electionem Dei præcedere quæ sit causa cujusque virtutis in homine prædestinato. 2. Hinc provenire vim impetrandi in oratione. 3. Hanc gratiam collatam esse à Deo sine præcedentibus meritis sola Dei benignitate & clementiâ.

Respondeo Cyrillum non intelligendum esse

de omnibus Prædestinatis; sed de Discipulis solis, sive Apostolis, deque illorum electione ad Apostolatum, ut ex verbis sequentibus manifestum est, quibus dicuntur Apostoli à Christo electi, scientia instructi, fiducia roborati, &c. Quæ omnia optimè stant absque antecedenti electione ad gloriam. *Adde* quòd tunc Iudas erat inter Discipulos & Apostolos, ad quos hæc verba dirigebantur; constat autem eum non fuisse electum efficaciter ad gloriam; adeoque nec S. Ioannes, nec S. Cyrillus intelligendi sunt de electione ad gloriam, sed ad Apostolicam dignitatem.

Objiciunt 2. Illud S. Chrysost. Homil. 54. in Matthæum; *Quos ante constitutionem mundi suos esse cognoscit, tantis eos laboribus onerat, & tandiù laborare facit, donec digni efficiantur regno cœlesti:* Ergo Prædestinatio causa est cur digni fiant, non autem dignitas eorum est motivum & ratio cur prædestinentur.

Respondeo 1. Hunc textum non esse ipsius S. Chrysost. sed auctoris anonymi. 2. Dico hæc omnia facilé intelligi posse de Præscientia & Electione efficaci facta ab æterno post prævisa merita quæ tamen tantùm fient in tempore; ita quòd non sit antecessio decreti, sed simplex consecutio temporis ad id quod Deus ab æterno vidit & approbavit; priùs enim prævidit opera meritoria, & inde decrevit conferendam gloriam, quàm illa opera de facto fuissent elicita.

Solvuntur objectiones ex sancto Augustino.

OBjiciunt 1. S. Augustinum lib. de Correptione & Gratia cap. 7. ubi sic habet: *Quicumque ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quòd & procuretur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant: & si quando exorbitant correpti emendantur.* Et paulò post: *Hæc omnia operatur in eis qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Ex quibus sancti Augustini verbis colligunt Adversarii ipsum indubitanter sensisse homines Prædestinatos fuisse electos efficaciter ad gloriam citra prævisionem meritorum: Iuxtaque illius mentem hunc ordinem esse statuendum in decreto divinæ voluntatis, ut in primo instanti rationis fuerint prævisi omnes homines in massa perditionis. In secundo Deus aliquos illorum idest omnes prædestinaverit ex hac massa gratuita & efficaci electione ad gloriam. In 3. Elegerit media per quæ infallibiliter perducerentur ad finem destinatum. Elegerit, inquam, vi præcedentis separationis quæ illum adegit ad eligenda media congrua & efficacia.

Respondeo 1. Cum Lessio, Martinone, & Iosepho Tricassino, sanctum Augustinum ibidem intelligendum esse de electione ad gratiam. Scopus enim ejus erat docere qualiter omnia bona opera, & ipsa perseverantia non esset ex nobis, hoc est nudis liberi arbitrii viribus; sed ex gratia & dono Dei: Similiter discretionem è massa perditionis & electionem ad gratiam justificationis, & inde ad gloriam non esse ex operibus, sed ex gratia & gratuita Dei misericordia. Hunc autem esse sensum sancti Augustini patet

A ex ipsomet textu, sic enim habet paulò ante verba laudata; *Discernuntur*, inquit, *non meritis suis, sed per gratiam Mediatoris, hoc est in sanguine secundi Adam justificati gratis, &c.* Quibus patet eum affirmare gratiam justificantem quæ supponit liberum hominis consensum, requiri ad illam discretionem seu Prædestinationem.

Deinde ipsemet ibidem explicat illud, *Non ex operibus*, dum subdit, *Electi sunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum suorum; quia gratia est illis omne meritum:* Idest non ex meritis gratiam præcedentibus, quia omne meritum illorum est ex gratia; itaque illa electio gratuita non excludit merita quæ sunt ex gratia, sed solùm ea quæ non sunt ex gratia.

B *Confirmatur* hanc esse mentem S. Augustini, quia eo in loco, & aliis similibus disputat contra Pelagianos, quorum hæresis in eo non erat quòd putarent gloriam dari propter opera gratiæ; sed quòd dicerent illam dari propter opera facta solis viribus naturæ, ut manifestè patet ex verbis ejusdem Augustini lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 6. ubi exponens illud 1. Timot. 2. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex:* Subjungit, *Cui redderet coronam justus judex si non donasset gratiam misericors Pater? Et quomodo esset ista corona justitiæ si non præcessisset* C *gratia quæ justificat Impium? Quomodo ista debita redderentur, si non priùs illa gratuita donaretur? Sed cum dicunt Pelagiani hanc esse solam secundùm merita nostra gratiam, quâ homini peccata dimittuntur; illa verò quæ datur in fine, idest æternam vitam meritis nostris præcedentibus reddi. Respondendum est eis, si enim merita nostra sic intelligerent ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ea à semetipso habere hominem dicant: prorsus rectissimè respondet Apostolus,* Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non ac- D cepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? *Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur, dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi à teipso non ab illo sunt merita tua.* Hæc S. Augustinus; ex quibus apertè liquet, ejus intentionem tantùm esse docere perseverantiam & electionem efficacem ad gloriam, non ex operibus naturæ, sed ex gratia & operibus gratiæ.

Gloriam æternã solis operibus ex gratia reddendã docet S. Augustinus contra Pelagianos.

Instabis. Sanctus Augustinus ibidem explicans ad quid electi sint ii qui vocati sunt secundùm propositum, ait; *Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, & ad obtinendum Regnum suum.* Ubi nomine *Regni* non intelligit E Ecclesiam militantem, quam plerumque in Evangelio *Regnum Cœlorum appellat.* Nam subdit illos sic vocatos, *Perseverare usque in finem, & ex istis nullum perire.* Quod utique de Ecclesiæ militantis Fidelibus nequit intelligi, ex eis namque multi pereunt; ac proinde ibi solùm loquitur de Prædestinatione ad gloriam ante prævisa merita.

Nego consequentiam: Nam etsi sanctus Augustinus ibi ageret de Prædestinatione ad gloriam, non tamen exinde sequeretur eum intendere illam Prædestinationem fieri ante prævisionem operum; imò contrarium ex eo deducitur. Tum quia ibidem præscientiam Prædestinationi præmittit, loquens enim de iis qui cùm fuerint

Qui Prædestinationem ad Gloriam post prævisa merita constantes edocet.

aliquando justificati, tamen rursus in peccatum lapsi in eo moriuntur ait, *Procul dubio nec in illo tempore quô benè pièque vivunt in isto numero* Prædestinatorum *computandi sunt: Non enim sunt à massa illa perditionis præscientiâ Dei & Prædestinatione discreti, & ideo nec secundùm propositum vocati, ac per hoc nec electi:* Ergo cùm vocatio Prædestinationem, & hæc præscientiam operum ac cooperationis supponat, evidenter sequitur S. Augustinum ibi solùm agere de Prædestinatione post prævisa merita. Tum quia, Prædestinationis certitudinem, & infallibilitatem ab illa præscientia colligit, ait enim, *Si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit quia non fallitur Deus:* Cùm enim infallibilitas hæc non inferat humanæ voluntati necessitatem, sequitur idcirco Deum non falli quia præscit hominum merita antequam quidquam de eorum æterna beatitudine decernat. Tum quia ibi loquitur de Electione Prædestinatorum ad regnum quomodo loquitur de Electione Judæ ad fundendum Christi sanguinem; *Illos ergo*, inquit, *elegit ad obtinendum suum regnum; illum ad effundendum sanguinem suum*: Sed Judas non fuit electus ad tantum scelus perpetrandum ante prævisam ipsius malitiam, *Deus enim intentator malorum est*: Ergo nec Prædestinati electi fuerunt ad gloriam ante prævisa ipsorum merita.

Vrgebis: S. August. nusquam agnovit illam duplicem Prædestinationem incompletam ad gloriam, aut ad gratiam, sed quoties de Prædestinatione loquitur, toties solam destinationem completam ad gloriam & gratiam simul intelligit: Ergo nulla responsio.

Nego antecedens: Illius namque falsitas colligitur ex variis sancti Augustini locis. *Primò* namque lib. de Bono perseverantiæ cap. 17. & 18. affirmat omne donum Dei quod operatur in nobis per gratias excitantes & adjuvantes verè prædestinari à Deo, *Quidquid enim*, inquit, *donat Deus, hoc Prædestinavit ut faceret & donaret*; Atqui fides & justitia etiam in Reprobis sunt dona Dei: Ergo & à Deo prædestinantur: & consequenter sanctus Augustinus agnovit Prædestinationem incompletam ad gratiam, & non solam completam ad gratiam & gloriam simul, nulla namque in Reprobis est Prædestinatio ad gloriam. *Secundò* idem de Prædestinatione Sanctorum cap. 10. *Quando promisit Deus Abrahæ fidem Gentium*, &c. *Non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua Prædestinatione promisit*: Sed non promisit tantùm fidem quæ datur solis Prædestinatis ad gloriam, sed etiam illis qui ex eodem genere Abrahæ non sunt Prædestinati: & consequenter ibi sanctus Augustinus admittit Prædestinationem incompletam ad gratiam. *Tertiò* sanctus Augustinus duplicem agnovit hominum discretionem; unam ad solam gratiam, alteram verò ad gratiam & gloriam: Ergo & duplicem agnovit Prædestinationem, unam incompletam ad solam gratiam; alteram verò completam, ad gratiam simul & ad gloriam. Consequentia clara est, quia discretio & prædestinatio apud sanctum Augustinum idem sonant.

S. Augustinus duplicé prædestinationem ad Gratiam & Gloriam agnovit.

Probatur antecedens ex lib. de Bono perseverantiæ cap. 9. ubi loquens de non perseverantibus, adeoque de non Prædestinatis ad gloriam, ait, *Secundùm hæc*, id est secundùm fidem & justitiam, *erant ex nobis; veruntamen secundùm aliam quandam discretionem non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Quid est hoc secundùm *Aliam quandam discretionem, non erant ex nobis*, nisi secundùm distinctam discretionem, quâ Reprobi secernuntur à Prædestinatis; adeoque datur duplex discretio, cùm detur alia quàm ea quæ sit perseverantium & salvandorum: Sed ea non potest esse nisi prædestinatio incompleta ad gratiam sive ad fidem justitiamque Christianam: Ergo falsum est quòd secundùm sanctum Augustinum nulla detur alia Prædestinatio quàm ea quæ est ad gratiam, & gloriam simul.

Quartò denique, idipsum constat ex pluribus locis ejusdem sancti Doctoris, maximè verò ex laudato libro cap. 17. ubi clarè loquitur de prædestinato incompletè, seu ad aliquam gratiam, abstrahendo à gloria; ait enim ille, *Quem Deus castum futurũ prædestinavit, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit ut castus sit, quoniam Dei dono se audit futurum quod credit.* Et infra, *quod ego dixi de Castitate, hoc de Fide, hoc de Pietate, de Charitate, &c. veracissimè dici potest*: Sed Prædestinatio ad has virtutes quæ comitantur gratiam, est tantùm incompleta: Ergo reverà sanctus Augustinus duplicem agnovit Prædestinationem, nimirum completam ad gratiam & gloriam simul, & incompletam ad gratiam solùm; idem affirmat disertè libro de Prædestinatione Sanctorum capite 6. 9. 15. & 19.

Objiciunt 2. Eundem sanctum Augustinum lib. de Bono perseverantiæ cap. 8. ubi sic ait, *Ex duobus itaque parvulis originali peccato obstrictis, cur iste assumatur, & ille relinquatur; & ex ætate duobus jam grandibus impiis cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei.* Quibus verbis D. Aug. videtur insinuare id ex eo provenire quòd alter sit electus, alter non electus ad vitam; quod apertè docet verbis sequentibus cum ait, *Illud tamen fidelibus debet esse certissimum hunc esse ex Prædestinatis, illum non esse: Nam si fuissent ex nobis ait unus Prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, mansissent utique nobiscum.* Deinde quærit quid sit illud: *Non erant ex nobis:* Et tandem respondet, *Non erant ex eis qui non erant secundùm propositum vocati, non erant in Christo Electi ante mundi constitutionem, non erant in eo sortem consecuti, non erant Prædestinati secundùm propositum ejus qui universa operatur.* Quibus verbis S. Augustinus docet rationem illius vocationis, vel non vocationis repetendam esse ab Electione, vel non Electione ad gloriam: Ergo reverà sanctus Augustinus contendit Electionem seu Prædestinationem ad gloriam esse causam meritorum, non verò merita supponere.

Nego consequentiam: Contrarium enim ex ipsomet textu evincitur: nam vel sanctus Augustinus scivit Prædestinationem ad gloriam esse causam concessionis, aut negationis gratiæ efficacis & perseverantiæ; vel nescivit: Si scivit, cur dicit illa esse inscrutabilia, cùm rationem illorum ipse teneat; illud enim non est inscrutabile cujus causa non latet: Si nescivit, cur ergo cum tanta certitudine affirmat Præ-

destinationem ad gloriam esse causam cur unus vocetur, alius verò non. Cùm ergo in hoc aperta sit contradictio, certò certius est eam non Augustino sed Adversariorum falsæ interpretationi esse tribuendam: Unde meritò S. Bonaventura in 1. dist. 41. q. 2. *Si*, inquit, *non esset alia ratio, quare istum Deus elegit, & non illum, nisi quia ita Deo placet, certè iam non occulta dicerentur divina judicia, sed manifesta; cùm quilibet hanc rationem capiat; nec dicerentur mirabilia, sed potiùs voluntaria.*

Cur ex duobus parvulis, unus baptisetur, alius non.

Dices: Eandem ex nostra sententia suboriri difficultatem, hæc nempe reddi posset ratio, cur hic Parvulus non baptizetur, & iste Pius non perseveret, nempe parentum negligentiam & inconstantem hominis voluntatem: Ergo ex nostra sententia Mysterium hoc non foret inscrutabile.

Dico equidem nonnullas proferri posse rationes cur ex duobus parvulis alteri procuretur baptismus, alteri verò non, nempe communis rerum cursus quem Deus immutare non vult nec tenetur: parentum impietas, vel pietas, quâ Deus movetur ad conferendam gratiam baptismatis, vel negandam, non impediendo rerum seriem & cursum. Similiter proferri posset aliqua ratio ex parte eorum qui convertuntur; nempe quia voluerunt consentire vocationi & auxiliis collatis ad perseverandum. Verùm S. Aug. noluit ad eas rationes proferendas animum adjicere, quò faciliùs proscriberet errorem Pelagianorum qui discrimen inter vocatum & non vocatum repetebant ex parte Adultorum in bonum usum liberi arbitrii; Ex parte verò infantium in bona illorum opera conditionatè futura, si diutiùs vixissent. Totum ergo Prædestinationis arcanum in gratia vocationis situm est, quapropter

Respondeo 2. S. Augustinum ibi non agere de Prædestinatione ad gloriam, sed ad fidem & ad perseverantiam, nihilque aliud intendit quàm quòd vocatio efficax ad fidem & ad perseverantiam sit donum Dei merè gratis concessum; & idcirco inscrutabile esse cur huic conferatur gratia efficax ad fidem, illi verò non; cur huic detur perseverantia, non verò illi: Cùm enim collatio & intentio conferendi gratiam sit Deo merè voluntaria; ideo nullus illius causam detegere potest, quis enim novit sensum Domini? Cùm autem subdit, illud tamen debet esse certissimum quòd hic cui dat fidem & perseverantiam est ex prædestinatis, ille autem cui has non dat, non est ex prædestinatis: per hæc non reddit rationem præcedentium, sed tantùm in illa incertitudine & ignoratione causæ præcedentium asserit id quod est certum, scilicet quòd causa illa qualiscumque sit & quæ nobis est incognita, se tenet ex parte Dei, & non ex parte solius humani arbitrii, ut volebant Pelagiani; nam esse prædestinatum & esse ex Deo idem est apud Augustinum.

Objiciunt 3. S. Aug. lib. de Gratia & lib. arbit. cap. 9. ubi exponens hæc verba Apostoli, *Gratia Dei vita æterna*, ita ponderat, *cum posset dicere Apostolus & rectè dicere*, STIPENDIUM IUSTITIÆ VITA ÆTERNA, *maluit dicere*, GRATIA AUTEM DEI VITA ÆTERNA, *ut hinc intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere*: Quô apertè designat nostra non attendere opera in decernenda prædestinatione. *Insuper* eandem gratuitam Prædestinationem apertè docet lib. 3. Soliloq. cap. 28. ubi Deum alloquens, ait: *Mundas autem de nobis filiis hominum eos in quibus tibi complacuit habitare, quos ab inaccessibilibus profundis secretis judiciorum incomprehensibiliorum sapientiæ tuæ, semper iustorum, licet occultorum, sine eorum meritis prædestinasti ante mundum, vocasti de mundo, justificasti in mundo, & magnificas eos post mundum.*

Respondeo ad 1. S. Aug. Idcirco vitam æternam *gratiam* appellare, quia ut supra dicebamus ex S. Fulgentio, illam consequi non possumus naturæ viribus, sed per opera gratiæ beneficiô elicita: Inde S. August. meritò ait, *Non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere*; quia nempe merita nostra nulla sunt nisi à gratia Dei simul & libero arbitrio procedant; Quòd autem sit hæc genuina S. Aug. sententia, liquet ex verbis; nam si omnino merita etiam à gratia provenientia censeret non deservire ad Prædestinationem, etiam assereret illa non prodesse ad vitæ æternæ consecutionem; magis enim loquitur de assecutione actuali quàm de destinatione ad gloriam; sed consequens illud est hæreticum, adeoque non illa fuit ipsius sententia.

Quare Gloriam æternam S. August. Gratiam appellet.

Ad secundum dico S. Aug. duos tantùm *Soliloquior. libros* edidisse ut ipse memorat lib. 1. Retractationum cap. 4. quocirca Doctores Lovanienses meritò hunc 3. *Soliloq. lib*, unde præfata sententia desumpta est, inter opera falsò S. Aug. adscripta reponendum esse judicant. *Adde* quòd etiamsi quæ esset huic lib. danda fides, nihilominùs Adversariis non faveret; agit enim tantùm de Prædestinatione ad munditiam, seu gratiam sanctificantem, non verò ad gloriam. *Denique* etsi loqueretur de prædestinatione ad gloriam, non esset intelligendus de prædestinatione ad gloriam solam: sed de prædestinatione quæ simul gratiam & gloriam involuit, ut dictum est in 3. Notabili.

S. August. duos tantùm Soliloquiorum libros edidit.

Objiciunt 4. Sententia S. Aug. in materia de Gratia & Prædestinatione erat omninò diversa & totaliter opposita doctrinæ Fausti Regiensis Galliarum Episcopi & Semi-pelagianorum antesignani: Sed Faustus ille in duobus libris editis de Gratia & libero arbitrio asserebat Prædestinationem fieri ex prævisis meritis etiam cum gratia elicitis: Inde S. Augustinum, suppresso tamen illius nomine, tanquam Manichæum & Gentilitiæ superstitionis reum calumniatur, propterea quòd contrarium assereret: Ergo reverà S. Aug. docuit Prædestinationem fieri ante prævisa merita. Probatur *minor* ex lib. 2. ipsius Fausti cap. 6. ubi exponens hæc verba Apostoli, *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Iacob dilexi, Esaü autem odio habui*, sic ait: "His verbis hoc vult intelligi Gentilitiæ superstitionis "impietas, quòd Deus absque ullo inter bonum "& malum Moderatoris examine, non ordine "regentis, sed jure damnantis, illum affectu "dignum reddat, hunc odio: illum recipiat studio, "hunc excludat imperio, &c.

Distinguo minorem: Faustus docebat Prædestinationem supponere præscientiam meritorum provenientium ex prævia dispositione solius liberi arbitrii, concedo: provenientium ex gratiæ adjutorio per exclusionem talis dispositionis quam appellabant initium fidei, nego: Itaque S. Aug. meritò adversabatur sententiæ

Fausti Regiensis & Semi-pelagianorum, qui volebant opera gratiam præcedentia esse rationem cur aliqui vocarentur, alii verò negligerentur, quos expugnat & impugnat affirmans illam vocationem ad gratiam esse merè gratuitam. Unde solùm ipsi lis erat cum Semi-pelagianis de vocatione ad gratiam, non verò ad gloriam: Similiter de operibus sola liberi arbitrii virtute elicitis, non verò de operibus quæ fiunt dependenter ab auxilio gratiæ.

Instant: Plures ex Massiliensibus contra quos agit S. Aug. asserebant electionem ad gloriam esse ex prævisis meritis gratiæ: Ergo nulla solutio. Patet *antecedens* ex Epist. S. Prosperi ad Aug. ubi sic habet. Hæc ipsorum (scilicet Massiliensium) definitio atque professio est, omnem quidem hominem Adamo peccante peccasse, & neminem propter opera sua; sed per Dei gratiam regeneratione salvari. Qui autem credituri sunt, quive in ea fide quæ per Dei gratiam sit servanda mansuri, præscivisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in Regnum suum quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita fine bono discessuros esse præviderit: Ergo non omnes Semi-pelagiani pro causa electionis ad gloriam opera naturæ constituebant; sed aliqui opera prævisa ex gratia, ac proinde Aug. contra illos disputans, utrumque impugnat.

Respondeo equidem nonnullos Semi-pelagianos in ea fuisse sententia quòd Deus solùm eos prædestinaret, quos gratis vocatos, dignos fore per suum consensum & sua opera regni æterni prævidebat: at nego idcirco ab Aug. fuisse reprehensos, non enim mota fuit Aug. inter & Semi-pelagianos controversia de electione ad gloriam, sed ad gratiam, ut videre est in libris de Prædestinatione Sanctorum & de bono Perseverantiæ in quibus totus est in assignanda & astruenda prædestinatione ad gratiam ex pura Dei misericordia proveniente, non autem ex aliqua præparatione ex parte liberi arbitrii, quod ut faciliùs percipias.

Duplex fuit sententia Massiliensium de S. Augustini doctrina.

Observandum est Massilienses duplicem passos esse difficultatem circa doctrinam S. Augustini, unam quidem realem & veram, aliam verò imaginariam & fictitiam: Prior suboriebatur ex ipsamet doctrina de Prædestinatione & Gratia, quæ tam altum, tamque abstrusum mysterium complectitur, ut ipsemet Augustinus meritò dixerit de Gratia Christi cap. 47. *Ista quæstio*, inquit, *ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis. ut quando deffenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Inde factum est quod ipsemet Augustinus priusquam hanc quæstionem accuratiùs ventilasset, versaretur in eodem errore Massiliensium, putans initium fidei esse ab homine & non à Deo, & meritis humanis retribui, non verò gratis concedi; ut ipsemet ingenuè fatetur lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 3. *Neque enim*, inquit, *fidem putabam Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possumus si præcederet præconium voluntatis: Vt autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrũ esse proprium & nobis ex nobis esse arbitrabar; quem meum errorem, nonnulla opuscula mea satis indicant ante Episcopatum meum*, &c. Quocirca mirum non est si Semi-pelagiani vanæ hominum Philosophiæ & doctrinæ nimiùm dediti, & liberi arbitrii assertores, etiam exorbitaverint & vix adduci potuerint, ut assererent liberum arbitrium nihil absque Dei gratia moliri posse.

Secunda verò Massiliensium difficultas erat omninò imaginaria, eò quòd perperam interpretantes verba sancti Augustini de gratia præveniente & de dono perseverantiæ, fingebant S. Augustinum per illa dona efficacia & à solo Deo dependentia, fatalem quandam necessitatem inducere omnemque adimere liberi arbitrii facultatem, cum tamen ipsemet S. Augustinus loqueretur solùm de necessitate extrinseca & consequente, quâ res dum est, non potest non esse; unde certa erat & infallibilis rerum præscientia & futuritio. Nec enim sumebat perseverantiam pro habitu infallibiliter movente & inclinante hominem ad continuandum infallibiliter & immobiliter in gratia: Ita quòd positâ illâ gratiâ cum ea diù vivere posset homo, non posset autem cum ea à virtute deviare, ut isti errantes imaginabantur. Sed gratiam perseverantiæ usurpabat pro illo instanti mortis contingentis in statu gratiæ; ita quòd habere gratiam perseverantiæ in mente sancti Augustini, nihil aliud esset quàm mori in statu gratiæ sanctificantis: Unde ipsos errantes ridet lib de Bono Persever. cap. 6. *Nolunt ut scribitis isti Fratres ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel suppliciter emereri, vel admitti contumaciter possit; ubi quid dicant parum diligenter attendunt: de illa enim perseverantia loquimur quâ perseveratur usque in finem, quæ si data est, perseveratum est usque in finem; Si autem non est perseveratum usque in finem, non est data. .... Non itaque dicant homines perseverantiam cuiquam datam usque in finem, nisi cum ipse venerit finis, & perseverasse cui data est, repertus fuerit usque in finem*, &c. Quibus apertè dicit gratiam perseverantiæ non esse aliquem habitum infallibiliter moventem voluntatem ad perseverandum in gratia usque in finem, sed ipsammet gratiam sanctificantem in qua reperitur prædestinatus in instanti mortis.

Quid per donum Perseverantiæ S. Augustinus intellexerit.

Objiciunt 5. Sanctum Augustinum affirmantem pluribi, maximè verò in Epistola 105. & in libris de Correctione & Gratia cap. 8. nec-non in libro de Prædestinatione Sanctorum, idem judicandum esse de Adultis ac de Parvulis ante rationis usum, & post susceptum Baptisma ex hac vita migrantibus: sed Parvuli non prædestinantur ratione prævisorum meritorum, quippe cùm non sint præditi usu liberi arbitrii, nec proinde meriti proprii capaces: Ergo nec ita prædestinantur Adulti. *Major* patebit legenti prænominatos libros: *Minor* etiam per se est evidens, eamque eleganter inculcat sanctus Fulgentius librô de Incarnatione & Gratia Christi cap. 30. ubi gratuitam Adultorum electionem exemplô gratuitæ electionis Parvulorum colligens, ait; *Vt prolixitatem vitantes omittamus alia quæ possunt pro veritate fidei huic pravæ sententiæ replicari: interim testimoniò confundantur & convincantur, non loquentium hominum, sed tacentium parvulorum in quibus ad evacuandam sapientiam verbi multùm resplendet virtus Christi, qua gratis in omnibus hominibus propria utentibus voluntate eamdem salutem à se ostendit fieri, quàm in infantibus nullam voluntatem habentibus dignatur operari: In eis namque*

nec

nec bona voluntas est, ut æquum sit in volentibus præmium, nec mala ut sit in nolentibus justa damnatio. Si ergo ad salvandos homines sicut isti volunt, non excitat neque mutat, sed expectat hominum voluntates: Quomodo infantibus qui baptisantur & in eadem infantia moriuntur, dat æternam salutem quorum bonam nec expectat, nec invenit voluntatem? Concludit ergo infantium exemplô etiam adultorum salutem à Deo fieri, non expectata neque inventa eorum voluntate; sed potiùs Deum ad salvandos illos excitare & mutare eorum voluntatem, ut loquitur, ita ut prior sit intentio salvandi, indeque oriatur voluntas excitandi & mutandi eorum voluntatem, ac tum demum hujusmodi voluntatis bonum opus inveniatur, seu prævideatur à Deo.

Respondeo 1. S. Augustinum & Prosperum intelligendos esse de operibus sola liberi arbitrii virtute elicitis, ut liquet tum ex verbis, tum ex libris laudatis; siquidem res ipsis sanctis Patribus erat cum Pelagianis & Semi-pelagianis, qui hominum electionem ad fidem, gratiam & gloriam volebant refundi in opera viribus naturæ elicita; quorum errorem ut proscribant gratiæ Deffensores & Assertores, eos urgent exemplô parvulorum, quorum aliqui suscepto baptismate vitam æternam consequuntur; alii verò baptismô negatô reprobantur, absque aliquo merito actuali ab ipsis repetendo. Quòd autem præfati sancti Patres, exinde tantùm colligant gratuitam esse hominum adultorum electionem ad fidem & gratiam, nullamque mentionem faciant de electione ad gloriam: Patet ex ipso S. Fulgentio qui ibidem ita subdit: *Igitur quia Deum justum, bonumque Catholica veraciter credit & confitetur Ecclesia, certissimè credendum est & fiducialiter confitendum unam eamdemque Dei gratiam in majoribus salvandis operari bonæ voluntatis initium, quæ in parvulis sine voluntate operatur salvationis effectum. Ipsa gratia infantes neque volentes, neque nolentes redimit, quæ majores illuminando volentes ex nolentibus, & hoc in parvulis salutis opus sine propriæ voluntatis assensu gratiâ Dei operante perficitur, quod bonæ voluntatis exordio divinitùs dato in majoribus inchoatur, ut opere solius gratiæ voluntas quæ mala fuit bona fiat, & deinceps gratiæ secum operanti servitium obedientiæ cooperatricis exhibeat.* Quibus apertè constat eum solùm agere de vocatione ad gratiam; unde subdit, *Sicut Deus crudelis non est in infantibus damnandis, quibus baptismatis beneficium non tribuit; sic injustus non est in majoribus cùm bonam non donat voluntatem; & sicut illos voluntas sua mala, sic istos jure puniri facit origo damnata, &c.*

Respondeo 2. Infantes quidem suscepto baptismate ex hac vita migrantes prædestinari sine ulla quidem prævisione operum & meritorum propriorum; Prædestinari autem ex meritis Christi qui Baptismum instituere voluit, & proprio suo sanguine virtutem remittendi peccata ipsi conferre ut salubriter applicaretur in remedium peccati tam infantulis quàm adultis, ut quæstione sequenti demonstrabimus.

Objiciunt 6. Evidentiùs detegi non potest quæ fuerit genuina sancti Augustini sententia quàm ex ejus Discipulis: sed ex his constat gratuitam esse electionem adultorum ad gloriam: Ergo &c. Probatur minor: Primò ex S. Prospero cap. 2. ad objectiones Vincentianas, ubi ait: *Quòd multi pereunt pereuntium est meritum; quòd* A *multi salvantur salvantis est donum*; & ad excerpta Genuensium cap. 6. de gratuita hominum electione disserens, ait: *Hæc omnia si non rectè dicta sunt inscrutabilia sunt judicia Dei & investigabiles viæ ejus, nec occultum est quare ille potius quàm iste salvatur; & in se non in Domino gloriabitur qui aliis vitio suo pereuntibus, electione dignus inventus est, ac sic justitia quidem erit quòd plurimi damnantur, sed non erit gratia quòd plurimi liberantur. Absit hac à catholicis cordibus, absit talis impietas, ut quemquam putemus meritis suis erui de potestate tenebrarum, & in regnum Filii Dei debita non gratuita adoptione transferri:* Et infrà, *De universo genere hominum salvat innumeros non secundùm opera nostra, sed secundùm* B *propositum suum & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora æterna.* Secundò ex Fulgentio lib. 1. ad Monimum cap. 13. *Potuit*, inquit, *sicut voluit prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam: sed quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam, quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam.* Quibus cùm opponat Prædestinationem Reprobationi in hoc quòd illa sit gratuita, hæc autem ex justitia, consequens est ipsum censuisse Prædestinationem ad gloriam non esse ex prævisis meritis: Idipsum confirmat de veritate Prædestinationis & Gratiæ pluribus. Tertiò C denique ex S. Bernardo, qui Sermone in illud Sapientiæ 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei*, ait; *Regnum Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur: Conceditur in Prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in justificatione, in glorificatione percipitur..... In Prædestinatione est gratia, in vocatione Potentia, in justificatione lætitia, in magnificatione est gloria.* Ubi cùm ait, in Prædestinatione esse Dei gratiam, intelligit gratuitam electionem: Ergo non ex prævisis meritis.

Respondeo, ex illis omnibus sententiis solùm inferri quòd homines non seligantur ex operibus naturæ viribus elicitis, sed gratiæ beneficiô D factis, quocirca meritò gratuita dicitur electio, quia gratia, quæ est principium illorum operum, gratis conceditur à Deo qui ipsam largitur, quibus & quando vult. Unde idcirco non incongruè S. Bernardus eam gratuitam electionem appellat, quia fit tantùm ex prævisis operibus in gratia & à gratia elicitis.

Solvuntur objectiones ex Theologica ratione.

OBjiciunt 1. Authoritatem & rationem Subtilis Doctoris, qui in 1. *Dist.* 41. *Quæst. unica, num.* 11. Contrariam sententiam amplectitur, eamque firmat hoc argumento: Omnis ordinatè volens priùs vult finem quàm media ad E finem: sed Deus ordinatè vult: ergo priùs vult finem quàm media ad illum: At gloria est finis, & merita sunt media ad illam conducentia: Ergo Deus priùs vult gloriam quàm merita, & consequenter electio ad gloriam non potest esse ex prævisione meritorum.

Nego consequentiam, & ad authoritatem Doctoris respondeo ipsam nobis adstipulari. Cùm enim Doctor ibidem præsentem quæstionem singulari genii sui subtilitate utrimque librasset, diversasque de ea sententias expendisset; tandem concludit his verbis: *De istis opinionibus, quia Apostolus videtur disputans de ista materia ad Rom. in fine quasi totum imperscrutabile* Doctor Subtilis nobis astipulatur.

relinquere, O ALTITVDO, *inquiens*, DIVITIARUM SAPIENTIÆ ET SCIENTIÆ DEI: & QUIS NOVIT SENSUM DOMINI; AUT QUIS CONSILIARIUS EJUS FUIT? *Ideo ne scrutando de profundo secundùm dictum Magistri, eatur in profundum, eligatur quæ magis placet, dum tamen salvetur libertas divina sine aliquâ injustitia, & alia quæ salvanda sunt circa Deum, ut liberaliter eligentem, & qui aliam opinionem tenuerit, respondeat ad ea quæ tacta sunt contra eam.* Quibus apertè significat nostram Conclusionem esse probabilem, omniaque in illam objecta posse dilui.

Secùs autem sentire videtur de opposita sententia. Cùm enim videret eam maximis undique scatere difficultatibus, quarum aliquas solvere nititur, ipsam quidem probabilem affirmat: *Dum tamen*, inquit, *salvetur libertas divina sine aliqua injustitia, & alia salventur quæ salvanda sunt circa Deum ut liberaliter eligentem*: quæ duo sane vix salvari possunt in opposita sententia; maximam quippe contra libertatem, justitiamque divinam Deo necessitatem antecedentem imponit providendi & studendi, ne electi finaliter à gratia excidant: Similiter ut non Electi quantumvis Justi, perfecti, & innocentes fiant per bona opera & Ecclesiæ Sacramenta: nihilominùs tandem labantur in peccatum in illoque statu moriantur, & in æternum pereant; quod sane durissimum videtur & divinæ libertati justitiæque valde injurium. Vix pariter salvari potest summa Dei libertas & benignitas in eligendo; ut quid enim cùm omnes aut saltem plures eligere posset, tam paucos selegit, & innumeros propemodū pereundos deseruit, idque ex mera & sola ipsius voluntate, & nulla in eligendis supposita minima diversitate? Quæ omnia absurda non sequuntur ex nostra sententia, adeoque non leve indicium est illam Doctori Subtili magis placuisse.

Ratio quam affert in oppositum peccat in multis.

Ad rationem, Respondeo primò: Hoc argumentum nimis probare, nedum enim suadet Prædestinationem esse factam ante prævisa merita; sed etiam quòd aliter fieri non potuerit, cùm enim Deus inordinatè nihil velle possit, quia sapientissimus est: Consequens est quòd si ut ordinatè vellet, priùs velle deberet nostram justificationem quàm nostra merita, non posset etiam de potentia absoluta, velle priùs merita quàm glorificationem, quod plane absurdum est, ut fatentur etiam ipsi Adversarii.

1. Quia nimis probat.

Secundò, Respondeo majorem esse tantùm veram respectu proprii finis, & non alieni: Potest enim quis v. g. velle priùs victoriam à milite consequendam quàm præmium ipsi largiendum, licet victoria non sit finis ipsius militis, sed præmium: Itaque cùm glorificatio nostra non sit finis Dei, sed nostri, nec merita nostra sint media respectu Dei, sed nostri: non est necesse quòd Deus priùs velit glorificationem nostram quàm nostra merita, sed rectè & ordinatè velle potest merita antequam velit glorificationem nostram. *Adde* quòd glorificatio nostra habeat quasi rationem medii: Glorificatio autem quasi rationem finis respectu Dei: siquidem ipse nobis gloriam proponit ut ad merita & opera bona nos provocet.

2. Quia est tantùm vera respectu proprii finis, non verò alieni.

Respondeo 3. Majorem esse veram de mediis Physicis, non de moralibus, quæ varia sunt respectu vitæ æternæ: Cùm enim medium morale non realiter, sed impetratoriè tantùm concurrat ad consecutionem finis; cùmque non possit

3. Quia potest tantùm verificari de mediis Physicis, non de moralibus.

A impetratoriè concurrere nisi supponatur esse in ejus cognitione à quo finis est impetrandus, nihil enim movere potest voluntatem nisi sit cognitum, quia nihil volitum quin scitum; adeoque necessum est ut priùs intendantur media moralia quàm finis per ea consequendus.

Respondeo 4. Distinguendo majorem: Ordinatè volens priùs vult finem quàm media, si finis consideretur absolutè & sub formali ratione finis, concedo: Ut sic enim quicumque vult finem efficaciter, ab ipso fine movetur, ut etiam efficaciter velit media ad B ipsius assecutionem conducentia, adeoque priùs vult finem quàm media: si consideretur conditionatè & in ratione præmii; nego. Ut sic enim ordinatè volens, non vult efficaciter dare præmium alicui nisi prævideat antea meritum. Glorificatio autem nostra vocatur merces, corona, & retributio, adeoque nihil mirum si Deus prævideat priùs, & velit merita quàm gloriam.

4. Quia est tantùm vera quando finis consideratur absolutè, non verò conditionatè.

Instabis: Deus reverà priùs intendit finem quàm media: Ergo nulla solutio. Probatur antecedens ex sancto Augustino libro de Dono Perseverantiæ cap. 14. ubi agens de Tyriis & Sydoniis ait eos *Credere potuisse si mira illa Christi signa vidissent: sed quoniam ut crederent* C *non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum*: Quibus verbis indicat Deum priùs eligere ad finem: Deinde concedere media, nempe prædicationem & signa quibus fides comparatur: Vnde factum est quòd cùm Tyrii & Sydonii non essent Prædestinati ad fidem, idcirco non sunt eis concessa media efficacia, ut fidem consequerentur: Ergo, inquiunt, Deus priùs vult finem quàm media.

Nec nobis adversatur S. August.

Nego consequentiam: Tum quia inductio generalis non fit ex unica specie actus; hic autem unica profertur species prædestinationis, nempe Prædestinatio ad gratiam ex qua non licet colligere idem esse dicendum de D Prædestinatione ad gloriam. Tum quia ubi unum colligitur ex alio comparato, necessum est ut inter utrumque intercedat aliqua paritas; Nulla autem est paritas inter Prædestinationem ad fidem, seu gratiam, de quâ solùm loquitur sanctus Augustinus in objectione, & Prædestinationem ad gloriam de qua nunc agimus; illius enim finis est absolutus, quippe cùm fides non pendeat à meritis, sed à sola Dei liberalitate; adeoque omnia merita præcedat; Gloria autem est finis conditionatus dependens à meritis: Vnde cùm repugnet decerni rem aliquam conditionatam ante prævisionem conditionis futuræ, etiam repugnat Deum velle glorificationem nostram quæ E supponit merita priusquam ipsa merita intẽdat.

Qui loquitur tantùm de Prædestinatione ad gratiā.

Objiciunt 2. Effectus est posterior suâ causâ saltem in aliquo signo rationis; sed opera meritoria à Deo volita sunt effectus Prædestinationis: Ergo illa sunt à Deo volita in posteriori signo rationis, adeoque Prædestinatio fit ante prævisa merita.

Nego minorem cum Ochamo, Gabriele, sancto Bonaventura, Faventino, Valentia, Isambetto, Josepho Tricassino, & aliis; unicus enim & proprius effectus Prædestinationis propriè dictæ, de qua nobis sermo est, est ipsa visio beatifica & nostra glorificatio; hæc enim nobis confertur ratione formalis

Opera meritoria non sunt effectus Prædestinationis propriè dictæ.

Prædestioationis, quemadmodum S. Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 10. loquendo de Prædestinatione ad gratiam ipsam, *Prædestinatio*, inquit, *quæ in bono est, gratiæ est ut dixi preparatio; gratia verò est ipsius Prædestinationis effectus.* Ita à simili, dom agimus de Prædestinatione ad gloriam, reverà possumus asserere unicum illius esse proprium effectum, nempe ipsammet gloriam & beatificationem nostram.

Objiciunt 3. Eô modô prædestioatur nostra salus quomodo perseveraotia nostra, ab ea namqoe totaliter & adæquatè salus pendet, juxta illud Matth. 12. *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit:* sed perseverantia nostra actualis prædestinatur à Deo sine ullis meritis, estque gratuitum Dei donum, *Quod quidem aliunde haberi non potest nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere ut perseveranter stet, & eum qui cadit restituere*, inquit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 13. Ergo pariter nostra salus & prædestinatio ad gloriam æteroam ex gratuita Dei voluotate, non verò ex meritis pendet.

Meseri possumus Perseverantiæ donum, non de condigno, sed de cōgruo.

Distinguo minorem: Perseverantia nostra est gratuitum Dei donum quod non potest emereri meritô de coodigno & ex justitia, concedo: meritô de congruo, impetrationis & decentiæ, nego. Perseverantia namque noo ita gratuitum est Dei donum, ut ab illo solo pendeat sine ulla alia nostra cooperatione libera, qualiter ab eo solo pendent primæ gratiæ vocationis quas operatur in oobis sine nobis; sed admittit liberam nostram cooperationem ad consentiendum gratiæ, obediendum Dei mandatis, & resistendum omnibus occasionibus mortaliter peccandi; unde gratiam perseverantiæ adæquatè sumptam Deus non prædefinit absolutè & efficaciter absque prævisione oostræ cooperationis, & idcirco neganda est consequentia.

Instabis: Eô modô loquitur S. Augustinus de Prædestinatiooe ad perseverantiam, quomodo de Prædestinatione ad primam gratiam: sed Prædestinatio ad primam gratiam omne prorsus meritum excludit: Ergo & perseverantia.

Nego majorem: Verùm equidem est ipsum removere quodcunque meritum ad primam gratiam, non sic autem de gratia perseverantiæ: Imò lib. de Bono perseverantiæ cap. 6. Illam gratiam posse emereri pronuntiat: *Hoc ergo Dei donum*, inquit, *suppliciter emereri potest; sed cùm datum fuerit amitti contumaciter non potest*: Unde cap. 16. distinguit gratiam perseverantiæ ab initio fidei, quòd hoc Deus gratis concedat; illam verò interdum orantibus largiatur: *Cùm*, inquit, *constet Deum alia etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus preparasse, sicut usque in finem perseverantiam.* Inde hortatur ad orationem ut illud perseverantiæ donum possimus assequi, non quidem ex merito justitiæ, sed ex merito impetrationis & decentiæ.

Objiciunt 4. Prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis, dicente S. Augustino lib. de bono perseverantiæ cap. 24. *Nullum est illustrius Prædestinationis exemplar quàm ipsemet Salvator, quisquis fidelis vult eam benè intelligere, attendat ipsum, atque in illo inveniat & seipsum*: sed Prædestinatio Christi facta fuit omninò gratis, & absque ullis meritis: Ergo & prædestinatio nostra.

Distinguo majorem: Prædestinatio Christi est exemplar nostræ Prædestinationis ad gratiam, concedo: ad gloriam, nego: & similiter distincta minore Nego consequentiam, nec enim aliud intendit Augustinus; quod nedum constat ex scopo totius libri qui est de Prædestinatione ad gratiam & ad doouin perseverantiæ; sed maximè ex illo ipsomet Capite laudato, ubi post verba in objectione posita coocludit; *Qui ergo hunc fecit ex semine David hominem justum, qui numquam esset injustus sine ullo merito præcedentis voluntatis ejus, ipse ex injustis facit justos sine ullo merito præcedentis voluntatis ipsorum, ut ille Caput, hi membra sint ejus. Qui ergo fecit illum hominem sine ullis ejus præcedentibus meritis, nullum quod ei dimitteretur vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum; ipse nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum quibus dimittat omne peccatum &c.* Patet ergo his verbis Augustinum ibi solùm agere de prædestinatione ad gratiam.

Christus gratis Prædestinatus est ad Incarnationem, sicut & nos ad primam gratiam.

Objiciunt 5. Deus media quædam efficacia prædestinatis confert quibus gloriam assequantur quæ non dat reprobis: Ergo signum est Deum habere voluntatem efficacem conferendi gloriam illis, non istis antecedenter ad prævisa ipsorum merita.

Distinguo antecedens: Dat quædam media quæ sint efficacia ex parte Dei, & ante prævisam hominis coopetationem, nego: ex parte accipientis & cooperantis, concedo. Itaque media seu gratiæ concessæ tam Prædestinatis quàm Reprobis coosiderati possunt quatenus à Deo donantur, vel quateuus ab homine suscipiuntur & applicantur. Priori modô omnes gratiæ sunt efficaces in *actu primo*, quia ex se habent sufficieotem vim assequendi suum effectum si ex parte hominis nulla interveniat oppositio quæ earum efficacitatem præpediat: Posteriori verò dicuntur efficaces vel ineficaces in *actu secundo*, juxta hominis assensum vel dissensum, cooperationem vel repulsam. *Adde* quòd etiam ipsis Reprobis interdum efficaciores gratiæ concedantur quàm Prædestinatis; Judas enim Reprobatorum ille pessimus longe plures & ampliores gratias accepit, quàm rusticus aliquis qui Dei præcepta servaos in statu gratiæ sanctificantis vitam finit, ille tamen damnatur, hic saluatur: Ergo non sequitur Prædestinatos efficaciores habere gratias quàm Reprobos.

Auxilium ad salutem est efficax, vel ex parte Dei donantis, vel ex parte hominis suscipientis.

Instabis: Deus omoibus & solis Prædestinatis elegit & confert media efficacia, quatenus efficacia sunt: Ergo media collata Prædestinatis discrepant à mediis collatis Reprobis; sed illud discrimen aliunde reperi non potest quàm quia Prædestinati eliguntur ad Regnum ante prævisa eorom merita & ante decretum de conferendis efficacibus illis mediis: Ergo reverà Deus eos prædestinat ante prævisa merita, & idcirco eis confert media differentia ab illis quæ prædestinatis tribuuntur.

Respondeo 1. Negando majorem, alioquin sequeretur Reprobos idcirco damnari quia Deus ipsis media sufficientia deoegasset, sicque ipsorum damnatio non pravis eorum operibus, sed absoluto Dei decreto esset tribuenda quod Calvinismum sapit.

Resp. 2. Distinguendo ipsam majorem, Deus seligit & discernit media prædestinatis ut efficacia sunt, nego: ut apta sunt & sufficientia ad finem consequendom, concedo: Itaque quòd illa media sint efficacia & effectum habitura

Primum datur tam Prædestinatis quàm Reprobis; non ita posterius.

pendet ab eventu & libera cooperatione hominis; quem quidem eventum prævidit & approbavit Deus cùm eligeret ipsa media, sed non elegit quia prævidit habitura effectum, quasi illa media non seligeret nisi essent habitura effectum; Sicut ex opposito non elegit Reprobis media inefficacia quatenus inefficacia sunt, licèt ex prava hominis libertate & voluntate ea fore inefficacia præviderit & permittere decreverit: sed elegit ut bona & idonea ad effectum consequendum, si ipsi quibus hæc media collata sunt voluissent.

Vrgebis: Quamquam Deus non elegerit Reprobis media quatenus inefficacia, tamen scienter & liberè elegit media quæ noverat non esse profutura reipsa: Unde non minùs sequitur necessariò eorum damnatio quàm si Deus elegisset illa media quatenus sunt inefficacia: Ergo nostra sententia non magis tuetur & explicat sincerum Dei amorem erga eorum salutem; quomodo enim sincerè & ex animo salvare voluisset eos quibus scienter & liberè elegit media quæ noverat ipsis non esse profutura, cùm tamen posset æquè facilè eligere media quæ prodessent.

Distinguo antecedens: Deus scienter & liberè elegit Reprobis media non profutura, ex defectu efficacitatis mediorum, nego: non profutura ex malitia vel negligentia suscipientium, concedo: Ad sequelam dico, exinde sequitur Damnatio Reproborum, defectu efficacitatis mediorum, nego: defectu negligentiæ, vel malitiæ ipsorum Reproborum & statu peccati mortalis in quo voluntariè moriuntur, concedo: Unde neganda est consequentia; opposita namque sententia refundit eorum damnationem in ipsum Dei decretum antecedens & excludens virtualiter aut æquivalenter eos omnes quos Deus despexit, seu neglexit ante prævisionem operum, & nulla data occasione ex parte ipsorum, adeoque subsistere nequit cum sincero Dei affectu salvandi homines. Secùs autem est de nostra sententia quæ ipsam Reprobationem refundit in prævisa ipsorum mala opera, & in abusum gratiæ ac mediorum, non autem in ipsam Dei voluntatem nisi tantùm consequenter ad illam prævisionem.

Objiciunt 6. Deus elegit aliquos eximiè prædestinatos ad gloriam vel aliquam dignitatem supernaturalem ante omnem prævisionem futurorum, ut constat de Beata Virgine, sancto Ioanne Baptista, Apostolis & aliis eximiè Prædestinatis: Ergo cùm similis sit ratio omnium Prædestinatorum, nullumque occurat motivum excipiendi aliquos ab hoc modo eligendi, affirmandum est omnes sic esse prædestinatos ante prævisa merita.

Eximiè Prædestinati, non eliguntur absolutè independenter à prævisis eorum meritis.

Nego antecedens: Probabilius enim est nullam puram creaturam electam fuisse efficaciter & absolutè ad gloriam, vel dignitatem aliqnam ante prævisa merita, vel conditionem finalem, imò nec Beata Virgo electa fuit non modò ad gloriam, sed neque etiam ad Maternitatem Dei sine præviso ipsius consensu: Unde probabiliter sustinent Theologi ipsam promeritam fuisse divinam hanc suam Maternitatem; quod & indicat Ecclesia, tum in orationcula, *Regina Cœli lætare quia quem meruisti portare resurrexit.* Nec-non, *ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur.*

Adde quòd quidquid sit de Beatissima Virgine cujus privilegia ad nullam aliam puram creaturam extendi possunt, nullatenus evinci potest alios eximiè Prædestinatos electos fuisse ante prævisa ipsorum opera; id enim neque Scriptura docet, neque sancti Patres affirmant, neque aliunde efficaciter colligi potest. Quòd enim S. Ioannes Baptista & Apostoli aliique viri sanctissimi dicerentur eximiè Prædestinati, ad id sufficiebat quòd Deus amplioribus beneficiis & donis supernaturalibus eos cumularet, quibus faciliùs permanerent in gratia, omnesque excluderent occasiones mortaliter peccandi.

Objiciunt 7. Aliqui parvuli rapiuntur statim post Baptismum, alii verò paulò ante susceptum Baptismum etiam adhibitâ omni diligentiâ ut Baptismus eis procuraretur: Unde fit quòd priores ad gloriam prædestinentur, alii verò ad gehennam destinentur: sed hæc sortis diversitas non provenit ab ullis prævisis meritis aut demeritis: Ergo in solam Prædestinationem meritorum est refundenda.

Nego consequentiam: Id enim non est necesse provenire ex tali Electione & Reprobatione quæ omnem futurorum prævisionem antecedat; illud enim accidere potest, vel propter negligentiam aut malitiam parentum, vel propter rerum ordinem ita se habentem ut naturaliter non possit parvulus diutiùs vivere nec proinde ad Baptismi gratiam pervenire; Deus autem habet se permissivè ad hanc privationem, quia non tenetur invertere communem rerum ordinem impedientem hanc Baptismi receptionem, nec vim inferre voluntati parentum qui noluerunt Baptismum parvulo conferri: Spectat enim ad sapientem Dei Providentiam, ut sinat res agere secundùm naturam suam liberas liberè, contingentes contingenter, & non passim miracula facere susque deque omnia vertere propter bonum aliquorum particularium.

Vnde proveniat quod ex duobus Parvulis unus Baptismi gratiam consequatur; alius verò non.

Unde privatio ista Baptismi à parvulo se habet in ordine supernaturali quemadmodum monstra in ordine naturali; & sicut mors illius adulti qui decidit in Amentiam, Apoplexiam, Lethargum post mortale peccatum. Hæc enim omnia permittit Deus, quia cùm sit summus omnium ac sapiens rerum Provisor, non debet immutare rerum ordinem propter aliquod bonum particulare, nisi fortè ad id moveatur parentum vel aliorum precibus. Cum autem immutat cursum rerum ordinarium propter parentum preces, aut vota; hoc non provenit ex Electione absoluta antecedenti, sed ex prævisione talium precum.

Objiciunt denique: Si Electio ad gloriam facta esset ex prævisis meritis, Mysterium Prædestinationis non esset incomprehensibile: Sed hoc est contra Apostolum exclamantem ad Romanos cap. 11. *O Altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ!* Ergo &c. Major patet, mirum enim non videtur quòd Deus decreverit salvare eos quos prævidit benè acturos, & damnare alios quos prævidit malè victuros, sicut nemo miratur si videat à judice puniri noxios, liberari innoxios.

Nego Majorem: Quamquam enim Prædestinatio fiat ex prævisis meritis, nihilominùs maxima remanet ansa exclamationis propter inscrutabilia Dei judicia. Licèt enim omnes vocentur ad gloriam, nihilominus interdum alios vocat vocatione ita congrua ut respondeant,

sicut vocavit Paulum, Magdalenam &c. Alios autem vocat vocatione tantùm ordinaria cui possunt quidem respondere, non tamen respondent: cur autem diversam hanc adhibeat vocationem, illud omnino est inscrutabile, ut apertè declarat sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 95. ubi clarè indicat esse aliquas causas cur parvuli & adulti assumantur ad primam gratiam aut ab illa excludantur; *Quas*, inquit, *noscemus in beatitudine æterna cùm nos lateant in hac vita:* Hinc est quòd cùm quærit has causas diversæ Dei vocationis & administrationis gratiæ; semper recurrit ad inscrutabilia judicia Dei, & non ad meram ejus voluntatem, quia nempe ibi supponit esse aliquam causam, sed nobis incognitam.

Quàm inscrutabilia semper sint Dei judicia sive prædestinatio fiat ante vel post prævisa merita.

QUÆSTIO TERTIA.

An & quomodo hominum Prædestinatio decreta fuit ex prævisis meritis Christi?

I. NOTANDUM 1. Prædestinationem considerari posse dupliciter, nimirum quantùm ad actum Prædestinantis, vel quantùm ad effectum Prædestinationis. *Rursus* actus Prædestinantis spectari potest bifariam, scilicet, vel *Absolutè* & secundùm entitatem; vel *Respectivè* & juxta terminationem extrinsecam ad aliquem effectum Prædestinationis. Similiter Prædestinatio secundùm effectum considerari potest, vel secundùm ordinem æternæ intentionis, vel secundùm ordinem temporalis executionis. Certum est autem Christum Dominum non esse causam nostræ Prædestinationis quoad actum Prædestinantis absolutè spectatum; cùm enim hic divinus actus secundùm entitatem idem omnino sit realiter cum Essentia divina, nullam sui agnoscit causam, physicam, vel moralem, hoc est nec productivam, nec meritoriam: Solùm Ergo remanet discutienda Quæstio de illo ipso divino actu Prædestinationis quatenus terminatur ad aliquem effectum ipsius Prædestinationis nempe ad gratiam vocantem, adjuvantem & sanctificantem, necnon ad gloriam quæ sola propriè effectus Prædestinationis est.

Prædestinatio spectari potest vel penes actum Prædestinantis, vel penes effectum Prædestinationis.

Similiter actus Prædestinantis considerari potest, vel Absolutè, vel Respectivè.

II. *Notandum* 2. Christum Dominum dici posse tripliciter causam nostræ Prædestinationis, nimirum vel *Exemplarem*, quatenus ipsius Prædestinatio est exemplar Prædestinationis nostræ; vel *Finalem*, eo quòd Prædestinatio nostra ordinata sit in ipsius gloriam; vel denique *Meritoriam*, ita ut merita Christi fuerint prævisa & acceptata tanquam rationes Deum moventes ad decernendam nostram Prædestinationem. Certum est autem Christum Dominum esse reverà causam exemplarem nostræ Prædestinationis, siquidem Deus *Prædestinavit nos conformes fieri imagini filii sui*, inquit Apost. ad Rom. 8. Unde sanctus Augustinus, lib. de Bono perseverantiæ cap. 24. ait, *Nullum aliud illustrius est Prædestinationis exemplar quàm Christus Iesus.* Certum pariter eum esse causam finalem ipsiusmet nostræ Prædestinationis, siquidem ut Apostulus ait ad Ephes. 1. Deus, *Prædestinavit nos per Iesum Christum in ipsum*, hoc est, *Propter ipsum*: Unde meritò Tridentinum Sess. 6. cap. 7. loquens de justificatione ait, *Hujus justificationis causa sunt, finalis quidem gloria Dei & Christi:* Idem autem dicendum videtur de Prædestinatione. Solùm itaque restat discutiendum, an reverà Christi prævisa merita fuerint causæ moventes Deum ad decernendam nostram Prædestinationem.

Christus est nostræ Prædestinationis causa Exemplaris, Finalis, & Meritoria.

III. *Notandum* 3. Certum esse Christum Dominum dici causam meritoriam nostræ Prædestinationis & omnium illius effectuum quantùm ad executionem, id nempe apertè satis indicat sanctus Paulus ad Ephesios cap. 1. dicens, *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in Charitate.* Quibus complectitur effectus Prædestinationis, scilicet gratiam vocantem, adjuvantem & sanctificantem nobis propter Christum concessam; quod apertè significat dum subdit, *Qui prædestinavit nos in adoptionem Filiorum Dei per Iesum Christum in ipsum*, id est propter ipsum. Etenim apud Apostolum plerumque synonima sunt hæc vocabula, *Per Christum, in Christo, & propter Christum.* Idipsum clarissimè explicat Concil. Trident. Sess. 6. cap. 5. his verbis, *Declarat præterea* sancta Synodus *ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur, &c.* Suadet etiam aperta ratio: Christi namque merita prævisa fuerunt ante quodcumque donum supernaturale nobis concedendum, est enim *Primogenitus ante omnem Creaturam*: Eccl. 24. adeoque ante illas cum suis meritis & operibus saltem in communi prævisus, & consequenter haud-dubium est, quin eorum intuitu divinus Pater decreverit omnia media ad salutem & gloriam æternam consequendam nobis esse conferenda: Nempe ut ab ipso divino Capite sacer ille gratiæ Spiritus in omnes fideles ejus membra exundaret & efflueret; quod etiam haud obscurè indicat sancta Ecclesia quoties omnia ista munera & dona à Deo exoptat & expostulat *Per Iesum Christum Dominum nostrum.* Tantùm itaque hîc resolvendum superest, an reverà nostra Prædestinatio decreta fuerit ex prævisis Christi meritis secundùm ordinem intentionis, quocirca sit

Est quidem illius causa meritoria quantùm ad executionem.

CONCLUSIO UNICA.

IV. CHRISTUS *est causa meritoria nostræ Prædestinationis, etiam secundùm ordinem intentionis & electionis.* Hæc videtur probabilior.

Et etiam quantùm ad intentionem.

PROBATUR PRIMÒ: Christus quatenus Deus homo prædestinatus fuit & prævisus ante prædestinationem cujuslibet Creaturæ: Ergo prævisa illius merita fuerunt rationes moventes Deum ad decernendam nostram Prædestinationem. Consequentia patet: Si enim in illo ipso signo æternitatis, in quo Deus Prædestinatos elegit, jam habeat præsentia Christi merita futura, evidens est quòd cùm illa merita sint digna quocumque præmio possibili, & Deo Patri offerantur propter hominum salutem & Prædestinationem, etiam divinum Patrem moveant ad decernendas omnes gratias in tempore hominibus conferendas, quibus si voluerint gloriam æternam consequentur.

Et probatur ex Scriptura sacra.

Probatur antecedens illis omnibus Scripturæ

misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

VI. *Denique*: Ex Doctore io 3. dist. 13. Christi humanitas in tantùm extollenda & dignificaoda est quantùm dignificari potest absque ropugnantia, *In commendande enim Christo*, inquit, *male excedere quàm deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere*: Ex quo colligit in Christo admittendam esse summam grariam creabilem, quod utique confirmat per illam senteotiam sancti Augustini de libern arbitrin, *Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, sciat hoc Deum magis fecisse quàm non fecisse*; sed longè magis cedit in Christi gloriam quòd non solùm executivam, sed etiam authoritativam habeat potestatem in his quæ spectant hominum salutem, illudque repugnare nulla ratin suadet; adeoque onn snlùm secuodùm executionem temporalem, sed etiam secundùm æternam prævisionem & destinationem, Christus ratione suorum marirnruo authnritatem habuit circa statuendam oostram prædestinatinnem; conveniebat enim ot qui gratias omnes ex parte sua promereri debuerat per sua merita, etiam aliquam libertatem haberet in suis meritis applicandis, neqoe restringeretur ad snlam executinnem eorum quæ de sali applicatione ab æterno Patre decreta fuerant.

Eius humanitas omnimodè est dignificanda.

Dices 1. Deus nos prædestinavit juxta merum suæ divinæ voluntatis beneplacitum: Ergo non ex Christi meritis. Prnbatur antecedens, ex laudato loco ad Ephes. 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ in laudem gratiæ suæ.* Quibus significat oos esse Prædestinatos per Christom quantùm ad executionem; per propositum antem Dei quantùm ad intentiooem.

VII. *Respondeo* nnn eum esse sensum Apostoli, imò ex eo colligi prædestinationem nostram pendere à meritis Christi etiam secundùm intenrionem, cùm id maximè Cbristi gloriam & excellentiam spectet; dicitur autem prædestinatin facta secuodùm propositum voluntatis, noo ut excludat meritum Cbristi, sed solùm ut significet Christum pro illis tantùm efficaciter merita sua obtulisse, prn quibus cognoscebat Deum velle ut ita offerrentur, nam ut loquitur Doctor in 3. dist. 19. num. 6. *Sicut Verbum prævidit passionem Patri offerendam pro prædestinatis & electis, sic eam efficaciter obtulis in effectu: ita tota Trinitas pro eis passionem efficaciter acceptavit, & pro nullis aliis fuit efficaciter oblata, nec ab æterno acceptata, & ideo tantùm meruit eis primam gratiam ordinantem ad gloriam consummatam.*

Prædestinatio facta secundùm propositum voluntatis non exclodit Christi meritum.

Dices 2. Prædestinati dati sunt Cbristo ut eos custndiret & sanctificaret: Ergo reverà oon meruit eorum prædestinationem. Patet aotecedeos ex illo Joannis 17. *Quos dedisti mihi custodivi.* Consequentia verò prnbatur: Omnis donatio est gratuita, nec supponit merita, inde saoctus Augustinus colligit primam gratiam & fidem noo concedi propter merita, sed gratis donari.

VIII. *Nego consequentiam*, & ad ejus probationem dico dnuatinoē esse gratuitam respectu eius cui fit donatio, coocedo: Respectu illius propter quē fit donatin, nego: Sic Apostolus ad Ephes. 2. ait, *Gratiā estis salvati per fidem, & hoonon ex vobis, Dei enim donum est*: Et tamen saocti Parres oecnon & Cooçilium Trideotinum suprà laudarum affirmant grariam vncarinnis necnoo & fidem ipsam nobis cnocedi propter Christi merita, & consequenter donatio aliqua potest esse simul gratoira respectu illius cui fit, licèt justitiam aliquam supponat ratione illius propter quem fit.

Neque etiā Prædestinatorum donatio ipsi Christo à Patre facta.

Dices 3. Si Christus meruisset prædestinationem, potuisset illam cooferre ex propria sua authoritate: sed falsum consequens: Ergn & antecedens. Probatur sequela ex illo Matth. 20. *Sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.*

Nego sequelam: Etenim, ot diximus, ea verba solùm sigoificant regnum æternum oon esse cnnferendum titulô consanguinitatis, sed tantùm ratione meriti. Unde Christus ooo excludit suam authoritarem circa collatinnem æternæ gloriæ, imò illam statuit ut patet ex illo Lucæ 22. *Dispono vobis regnum sicut disposuit mihi Pater.*

Neque prædestinatis à Patre facièda cœlestis Regni cnllatio.

Dices 4. Deus nos ex mera charitate prædestinauit & elegit: Ergn nnn ex prævisis Christi meritis. Probatur antecedens ex illo Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quia cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.*

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico Apostolum ibi oon agere de prædestinatione ad gloriam, sad de decreto Incarnatinnis Cbristi quæ ex mera Dei liberalitate pendet; nullis namque præcedentibus meritis vel Christi, vel alinrom Deus moveri potuit ad decernendam Incarnationem; sed illam gratuitò, & ex pura Charitate ac Misericordia futuram decrevit. IX.

Incarnatio ex pura Dei misericordia decreta.

Objicies 5. Dnctorem in 3. dist. 19. oum. 6. ubi probans Christum esse priùs prædestinatum quàm alios, huoc statuit prædestinationis ordinem, *Tunc*, inquit, *iste fuit ordo in prævisione divina. Primò enim Deus intellexit se sub ratione summi boni. In secundo signo intellexit omnes alias creaturas. In tertio prædestinavit hos ad gloriam & gratiam, & circa alios habuit actum negativum non prædestinande. In quarto prævidit illos casuros in Adam. In quinto præordinavit sive prævidit de remedio quomodo redimerentur per passionem filii: Itaque Christus in carne sicut & omnes Electi, priùs prævidebatur & prædestinabatur ad gratiam & gloriam, quàm prævideretur passio Christi, ut Medicina contra lapsum, sicut Medicus priùs vult sanitatem hominis quàm ordinet de Medicina ad sanandum.* Ergo censet Dnctor priùs homioes fuisse prædestinatos quàm prævisa fuerint Christi merita, quod confirmat subjiciens, *Sicut priùs prædestinantur electi quàm passio Christi prævideatur ut remedium contra lapsum eorum, ita tota Trinitas priùs ordinavit prædestinatos & electos ad gratiam & gloriam finalem quantùm ad efficaciam, quàm previderit Christi passionem tanquam Medicinam acceptandam pro electis cadentibus in Adam, priùs prædestinatis ad gloriam finalem.* X.

Ordo quem statuit Doctor in decernenda Prædestinatione.

Respondeo Dnctorem esse intelligendum de prædestinatione secundùm ordioem *Executionis*, & quatenos de facto impletur in tempore; nno verò secundùm ordinem *Intentionis*, & qualiter ab æterno decreta fuit; alinquin sibi ipsi contradiceret, docet enim Cbristum esse pri-

Non secundùm intentionem, sed executionem.

mum prædestinatum, *Christi*, inquit, *incarnatio non fuit occasionaliter prævisa, sed sicut finis immediatè videbatur ab eo ab æterno; sicqueChristus in natura humana, cùm sit propinquior fini cæteris priùs prædestinabatur.* Ergo reverà non intendit Christi merita fuisse tantùm prævisa in quinto signo secundùm intentionem, sed secundùm executionem, alioquin ipsius Incarnatio fuisset decreta tantùm occasione peccati, nec ipse fuisset prævisus & destinatus ante omnem creaturam.

XI. Alius enim secundùm intentioné est ordo statuendus.

Vel dicendum eum esse intelligendum de Christo in carne passibili, non verò de eo statu in quo prævisus fuerat incarnandus si Adamus non peccasset.

B

Unde juxta ipsius principia, si ordinem intentionis spectes, hic ordo erit statuendus. In *primo signo* decreta fuit Christi Incarnatio, abstrahendo à carne, vel passibili, vel impassibili, & nihil adhuc decernendo de statu mortali, vel immortali. In *secundo* decretum fuit ipsum fore caput omnium prorsus hominum salvandorum, adeoque pariter decretæ sunt omnes gratiæ conferendæ intuitu ipsius meritorum: In *Tertio* illa ipsa sua merita Christus Patri obtulit pro iis quos prævidebat Deus, & ipsemet Christus noverat benè usuros gratiis & mediis. In *quarto* prævisò Adami peccato tunc decreta fuit Incarnatio in statu passibili; prævisa pariter Christi passio, & ipsius merita oblata pro illis ipsis qui in gratia erant perseveraturi tunc autem absoluté & efficaciter formatū fuit prædestinationis decretum, adeoque simpliciter & absolutè non priùs absoluta fuit hominum prædestinatio secundùm ordinem intentionis quàm prævíderentur Christi merita.

C

Dices denique: Si Christus meruit prædestinationem secundùm ordinem intentionis, etiam meruit Reprobationem derelictorum: Sed consequens repugnat summæ Dei Charitati, & præstantissimo ipsius muneri Redemptoris: Ergo non est dicendum ipsum ita meruisse Prædestinationem.

XII. Quare Christus non dicatur meruisse Reprobationé Impiorum, sicut meruit Prædestinationé Iustorum.

D

Nego sequelam majoris: Quamquam enim Christus meruit Electionem Sanctorum, non tamen meruit Reprobationem aliorum, sicut enim Iustorum merita in die judicii erunt in causa cur ipsi separentur ab Impiis, non tamen erunt causa derelictionis & damnationis Impiorum; ita Christi merita quæ pro prædestinatis oblata fuerunt efficaciter, non fuerunt in causa cur alii relicti fuerint; siquidem illa ipsa sua merita pro omnibus sufficienter obtulit, & Reprobi sibi ipsis causæ fuerunt, propter suam malitiam & negligentiam, cur ipsa Christi merita etiam efficaciter pro ipsis oblata non fuerint, nec eis profuerint.

E

Sectio Tertia.

De effectibus Prædestinationis.

I. Tres sunt Prædestinationis effectus Directi, Subsidiarii & Occasionales.

DECLARATIS & elucidatis divinæ Prædestinationis causis, jam illius effectus detegendi sunt; quos omnes triplicem in ordinem censeo distinguendos: Aliqui namque sunt effectus principes & directi, alii subsidiarii & auxiliantes, cæteri denique occasionales & indirecti. Principes & *Directos* effectus Prædestinationis appello, qui directè à Deo ipso prædestinante intenduntur, & ad ipsum prædestinationis decretum immediatè consequuntur: *Subsidiarii* sunt illa sensibilia & temporalia bona, quæ quidem per se generaliter non intenduntur à Deo, nec conferuntur omnibus omnino prædestinatis, sed tantùm quibusdam quatenus faciliùs gloriam assequi valeant: *Occasionales* denique, dicuntur illa prædestinatorum peccata, quæ ipsis ansam & occasionem præbent pœnitentiam agendi, & ferventiùs suæ saluti invigilandi. Quocirca præsens articulus tribus quæstionibus est absoluendus.

Quæstio Prima.

Quot, & qui sint Principes & Directi Prædestinationis effectus?

NOTANDUM 1. Quatuor desiderari conditiones ut aliquid directus sit Prædestinationis effectus. *Primò* quòd causetur à Deo immediatè; cùm enim Prædestinatio activè sumpta sit ipsamet divina voluntas Dei eligentis Creaturas ad beatitudinem, necesse est ut ab ipso immediatè fiat, quâ ratione peccata & quilibet deffectus Prædestinatorum non possunt effectus Prædestinationis censeri, licèt ad eam stabiliendam interdum conferant; siquidem ab ipso Deo sanctitatis Oceano & gratiæ scaturigine oriri nequeunt. *Secundò* quòd causetur ex intentione efficaci conferendi & tribuendi gloriam, hæc namque intentio est radix & causa ac motivum Electionis, nec-non & collationis & applicationis mediorum omnium quæ ad negotium Prædestinationis concurrunt. *Tertiò* quòd de facto illi effectus per se conducant ad ipsius gloriæ consecutionem; cùm enim ex intentione efficaci dandi gloriam prædestinatis, omnes alii Prædestinationis effectus intendantur, consequens est quòd ipsi effectus reverà ad illam assecutionem per se conferre debeant; voluntas enim Dei efficax, irrita & cassa esse non potest. *Quartò* denique quòd illi effectus Prædestinationis pendeant à meritis Christi, *Non enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* II. Ad directū Prædestinationis effectum quatuor desiderantur.

Notandum 2. Tres vulgò Prædestinationis directos effectus à Theologis numerari, nimirum gratiam vocationis, justificationis, & glorificationis; seu incipiens, continuans, & consummans negotium Prædestinationis. Quos enumerat sanctus Paulus ad Romanos 8. his verbis, *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit*: Nihilominus in hac stabilienda veritate, non omnes conveniunt: siquidem Durandus in 1. dist. 41. quæst. 2. vult solam gratiam: Ochamus autem è contra ibidem contendit solam gloriam: Sanctus autem Bonaventura existimat gloriam & primam gratiam justificantem: cæteri verò Theologi nedum gloriam ipsam; nec solam justificationem, sed & omnes gratias vocantes, cooperantes, & ad justificationem & perseverantiam disponentes, censent inter directos effectus Prædestinationis esse computendas. III. Tres sunt directi Prædestinationis Effectus.

Notandum 3. Duplicem distingui posse Vocationem & Iustificationem. Alia enim est *Vocatio*

IV. Duplex Vocatio & Iustificatio, Efficax nempe & Inefficax.

Vocatio efficax quæ adjunctum habet consensum liberi arbitrii, humanæ voluntatis cooperationem assequitur, & finem ad quem ordinatur obtinet, de qua Job, *Vocabis me & ego respondebo tibi*. Altera verò dicitur *Vocatio inefficax* quæ per Vocati malitiam, adhæsionem, aut negligentiam effectu suo ac fine frustratur, repulsamque patitur: Triplex enim genus hominum gratiam respuit, nimirum negotiis dediti, voluptatibus irretiti, & malitia obcæcati, qui omnes exprimuntur in Parabola invitantis ad nuptias; Alius enim *abiit in villam* ad recreandum animum: Alius *ad negotiationem suam*: Reliqui verò *tenuerunt servos & occiderunt*. De quibus conqueritur Deus, *vocavi vos & renuistis*.

V. Triplex hominum genus gratiam respuit.

Rursus *Vocatio efficax* iterum duplex; aliqua enim habet tantùm effectum temporalem, ut contingit in Reprobis qui interdum vocanti Deo obtemperant pièque vivunt; at cùm finaliter à gratia excidant, illa omnia quæ gesserunt bona opera non proficiunt ad beatitudinem æternam obtinendam: Alia verò habet effectum in vitam æternam; idque vel proximè, ut contingit in iis qui perseverant finaliter; vel remotè ut fit in iis qui cùm à gratia ceciderint, per pœnitentiam resurgunt. Similiter

Insuper Vocatio Efficax alia habet effectum temporalem: Alia in vitã æternam.

Idem de Iustificatione.

Iustificatio est duplex; alia enim habet effectum tantùm temporalem, ut fit in Reprobis, qui interdum Sacramenta frequentant & justificantur, sed rursus præcipites in peccatum dati, pereunt in æternum, nihilque eis præmissa justificatio prodest: Alia verò habet effectum in vitam æternam; idque vel immediatè, qualis est justificatio perseverans finaliter, vel mediatè, dum scilicet prædestinati à justitia deviantes, sed iterum per pœnitentiam cautiores & ferventiores resurgentes, eorum pariter mortificata opera reviviscunt, & prius adeptum jus ad gloriam, quod per peccatum amissum fuerat, iterum sibi vindicant. Quæritur itaque an hæ omnes vocationis & justificationis species inter directos Prædestinationis effectus sint computandæ.

Conclusio Prima.

VI. Vocatio quæ habet effectum in vitam æternam est effectus Prædestinationis.

OMNIS *Prædestinatorum gratia Vocationis, quæ habet effectum in vitam æternam, est reverà directus Prædestinationis effectus.*

Probatur primò: Ex illo Joannis 16. *Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me*. Quod omnes sancti Patres, & sacri Interpretes intelligunt de gratia vocationis: sed nullus ad Christum pervenit, nec cum eo permanet nisi Prædestinatus: Ergo cùm vocatus ad illum perveniat, & cum eo subsistat, consequens est quòd gratia vocationis intendatur à Deo prædestinante, & inter Prædestinationis effectus numeretur. Idem firmatur ex illo ad Rom. 8. *Quos prædestinavit hos & vocavit*. Quem textum egregiè sic expendit sanctus Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum capite 17. Quos enim prædestinavit ipsos et vocavit; *illa scilicet vocatione* secundum propositum, *Non ergo alios*, sed quos prædestinavi, ipsos vocavit: *Nec alios*, sed quos ita vocavit, ipsos et glorificavit; *Nec alios*, sed quos prædestinavit, vocavit, iustificavit, ipsos et glorificavit; *Illo utique fine qui non habet finem*.

Ut ex sacra Scriptura probant. S. Augustinus.

Et S. Fulgentius.

Ipsi concinit sanctus Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 11. ubi disertè affirmat omnes gratias vocationis, justificationis, & glorificationis ad Prædestinationem spectare; cùm enim expendisset hunc locum Psalm. 22. *Misericordia tua subsequetur me*; dixissetque *Prævenit igitur impium, ut fiat justus; subsequitur justum, ne fiat impius; prævenit cæcum, ut lumen quod non invenit, donet; subsequitur videntem, ut lumen quod contulit servet; prævenit elisum ut surgat; subsequitur elevatum, ne cadat: Prævenit donans homini bonam voluntatem, subsequitur benevolentem, operando in illo boni operis facultatem*: Tandem concludit, *Hoc igitur ista misericordia Dei in homine subsequitur quod præveniens ipsa largitur, & ideo non solùm errantem justificando ad viam revocat, sed etiam bene ambulantem custodit & adjuvat, ut ad donum glorificationis æternæ perducat. Hæc autem omnia, id est & vocationis nostræ initia & justificationis augmenta, & glorificationis præmia in Prædestinatione semper Deus habuit, quia & in vocatione & in justificatione & in glorificatione Sanctorum gratiæ suæ opera futura præscivit.*

VII. Probatur etiã Theologica Ratio.

1. Quia omnis vocatio fit ratione decreti Prædestinantis.

Probatur etiam ratione: *Primò* quidquid confertur prædestinato ratione decreti Prædestinationis, est illius effectus: Sed omnes vocationes efficaces, omniaque auxilia præparantia ad justificationem conferunt ratione decreti Prædestinationis: Ergo, &c. Major patet: Nihil enim habet effectum Prædestinationis, nisi ratione illius decreti, quò statuitur prædestinatio, & quod à prædestinante intenditur tanquam medium conducens ad finem. Minor verò probatur ex illo Apostoli 2. ad Timot. 1. *Vocavit nos vocatione sua sancti, non secundùm merita nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam suam*: Ubi disertè affirmat gratiam vocationis esse ex proposito & decreto Prædestinationis. Idipsum firmatur ex illo ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti*: Ubi prædestinatos ex proposito, & decreto vocatos dicit, ut significet vocationis gratiam ratione & vi decreti conferri.

Adde quòd si ex hac sententia S. Pauli nonnulli inferant bona temporalia inter effectus Prædestinationis esse computanda, multò magis omnia divina auxilia, quales sunt gratiæ vocationis, inter effectus directos debent censeri.

2. Quia est unum ex mediis necessariis ad salutem.

Deinde, ex S. Augus. *Prædestinatio est præparatio mediorum quibus certissimè liberantur quicumque liberantur*: Sed vocatio, est unum ex illis mediis, & quidem simpliciter necessarium; quippe initium est sine quo homo nequit credere nec justificari: Ergo reverà est effectus Prædestinationis.

Denique, Prædestinatio ex Doctore *est ordinatio creaturæ intellectualis in vitam æternam*, adeoque requirit consensum ex parte creaturæ, sicut & auxilium ex parte Dei: Sed ille consensus illudque auxilium non subministratur nisi per gratiam vocationis, quâ Deus creaturam intellectualem advocat, & ordinat in illum finem. Ergo illa vocationis gratia à Deo prædestinante intenditur, & ratione decreti Prædestinationis confertur.

Dices 1. Effectus Prædestinationis nequeunt esse communes Prædestinatis & Reprobis: Sed gratiæ vocationis etiam efficacis utrisque communes sunt, multoties enim his sicut

& eis conceduntur; unde *multi sunt vocati, pauci verò electi*: Ergo nequeunt esse effectus Prædestinationis.

VIII. Vocatio in prædestinato non est similis ei quæ est in Reprobo.

Nego minorem: Licèt enim vocatio, & justificatio possint in Reprobis inveniri, non tamen eodem modo, quò in prædestinatis; quia in his inveniuntur cum ordinatione efficaci & perseverantia usque ad consecutionem gloriæ, in Reprobis verò sine illa. Unde non eodem modo se habent.

Instabis: Omnes prædestinati non habent gratiam vocationis: Ergo illa non est censenda directus Prædestinationis effectus. Consequentia patet: Effectus enim directus necessariò sequitur ad positionem causæ, siquidem ex eo arguitur causæ existentia, sicut ignis ex calore & ex illuminatione conspicitur.

Probatur antecedens exemplo parvulorum decedentium post susceptum baptisma; cùm enim rationis & libertatis non sint compotes, etiam sunt incapaces consensus & cooperationis; adeoque & gratiæ vocationis.

Distinguo antecedens: Omnes prædestinati non habent gratiam vocationis immediatè, concedo: mediatè saltem, nego: licèt enim parvuli per se & immediatè non vocentur ad Baptismum; vocantur tamen mediantibus iis qui eorum curam gerunt, & illos ad Baptismum deferunt.

Adde quòd de ratione effectus Prædestinationis non sit, quòd omnibus, & solis prædestinatis conveniat, sed sufficit quòd quando confertur, tantùm tribuatur vi & ratione decreti prædestinantis.

IX. Nulla est Prædestinati vocatio quæ ipsius saluti non deserviat.

Dices 2. Plures sunt vocationes quæ ad prædestinationem non conferunt: Ergo non sunt illius effectus: Patet antecedens in iis omnibus vocationibus quæ per subsequens peccatum fiunt irritæ.

Nego antecedens: Etsi enim illæ vocationes per peccatum mortificentur, nihilominus per subsequentem gratiam justificationis reviviscunt, & ad gloriam consequendam ordinantur & conferunt.

Quæres: *An etiam vocatio Inefficax in Prædestinatis inter Prædestinationis effectus sit computanda?*

Qualiter omnis vocatio Inefficax etiam sit effectus Prædestinationis.

RESPONDEO: Equidem illam saltem remotè & mediatè esse effectum Prædestinationis: Tum quia ut dictum est, *Diligentibus Deum*, id est, *Prædestinatis* ut explicat sanctus Augustinus lib. 1. contra duas Epistolas Pelagii, *Omnia cooperantur in bonum*: Ergo etiam vocationes inefficaces, quæ saltem remotè disponunt ad conversionem, efficiendo ut prædestinatus suam negligentiam & obdurationem tandem aliquando mente revoluens, Deo vocanti promptè respondeat: Tum quia illæ vocationes sunt incentivum & motivum ad humilitatem, gratitudinem, & pœnitentiam; quippe prædestinatus semel iterum & tertiò vocatus, tandem aliquando has vocationes in memoriam revocans, ex animo dolet se illis non consensisse; dolor autem iste conducit ad pœnitentiam actiùs exequendam, nec-non ad majorem curam & vigilantiam salutis: Adeoque etiam confert ad gloriam consequendam.

Dices: Hæ vocationes non conferunt ad

A gloriam nisi occasionaliter: Ergo non sunt inter directos Prædestinationis effectus computandæ: Patet antecedens ex allatis rationibus; consequentia etiam est evidens; aliàs etiam peccatum cùm sit occasio humilitatis, & majoris pœnitentiæ incentivum, diceretur etiam directus Prædestinationis effectus.

Nego antecedens: Nam saltem remotè, & mediatè conducunt ad gloriam consequendam, ut dictum est; non secus ac priores guttæ conferunt ad cavandum & emolliendum lapidem. Ad consequentiam dico non eandem esse peccati & gratiæ vocantis inefficacis rationem; quia peccatum non intenditur à Deo prædestinante sicut ipsa vocatio, quæ ex parte Dei

B semper est efficax, licèt ex parte vocati fiat inefficax propter negatum consensum.

CONCLUSIO SECUNDA.

IUSTIFICATIO *tam perseverans, quàm interrupta, quæ habet effectum in vitam æternam, reverà est effectus Prædestinationis.* X.

Iustificatio perseverans est effectus Prædestinationis.

PRIMA PARS clara est, nec ullus eam in dubium revocat; quippe cùm dixerit Apostolus, *Quos justificavit hos & glorificavit*: Unde sanctus Augustinus lib. de Bono perseverantiæ cap. 14. constanter affirmat gratiam esse Prædestinatio-

C nis effectum, quod utique de gratia perseveranter justificante dictum est, utpote cùm illa subsistat in vitam æternam usque.

Adde quòd huic ipsi justificationi perseveranti apprimè quadret illa Prædestinationis definitio per effectum ibidem à sancto Augustino laudata, *Prædestinatio Sanctorum*, inquit, *nihil aliud est quàm præscientia, & præparatio beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.* Constat enim per ipsam justificationem perseverantem prædestinatos certissimè liberari à quacumque temporali vel spirituali captivitate, utpote cùm hæc illos in libertatem æternam transmittat.

Denique, vocatio efficax, etsi secundùm se

D non perseveret ad vitam æternam usque, reverà tamem est effectus Prædestinationis: Ergo multò magis ipsa justificatio, quæ est præsentis vitæ fœlix clausula, faustumque æternitatis initium.

PROBATUR SECUNDA PARS: *Primò* quidem ex illo sancti Pauli oraculo; *Quos Prædestinavit hos & justificavit*, quod utique SS. PP. & Intepretes de quacumque justificatione, quæ habet effectum in vitam æternam indefinitè accipiunt; ita quod vox illa *Iustificatio* indifferenter comprehendat omnem justificationem, sive acceptam in baptismate, sive reparatam in pœnitentia, sive ad mortem usque in prædestinato perseverantem. XI.

Etiam interrupta quæ habet effectum in vitam æternam.

E *Deinde*, justificatio intermissa per peccatum, Electis tandem efficaciter conducit ad vitam æternam: Ergo reverà est Prædestinationis effectus. Consequentia patet: Etenim prædestinatio, ut mox dictum est, est causa & præparatio omnium beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur quicumque liberantur. Probatur antecedens ex tribus potissimis utilitatibus quas ipsa amissa & reparata justificatio confert ad consequendam vitam æternam.

Primò namque, illa gratia justificans haud dubiè fuit principium alicujus boni operis,

Tres enim habet utilitates. *1. Quia potest revivifcere.*

& vitæ æternæ meritorii; cùm enim sit semen bonorum operum, diu carere non potest aliquo boni operis effectu: Sed meritum, & bona opera in peccato mortificata, per pœnitentiam reviviscunt, & tandem Electis conciliant specialem gloriæ gradum ipsis meritis respondentem: Ergo reverà illa justificatio interrupta confert ad gloriam.

2. Quia potest esse incentivum bonorum operum.

Secundò justificatio amissa & demum reparata ipsis Electis est per pœnitentiam incentivum multorum operum bonorum: Tum quia illos ad vehementiùs pœnitendum provocat: Tum quia in ipsis, ratione præcedentium bonorum operum reliquit optimos habitus morales, aut saltem species intelligibiles quibus homo promptior redditur, nedum ut resurgat à peccato, sed etiam ad benè piéque operandum, statim ac amissam justitiam recuperavit: Tum denique quia Electi mente revoluentes insignem illam & summè lugendam jacturam, quam per peccatum fecerunt, excitantur ad damnum hoc operibus pœnitentiæ aliisque exercitiis pietatis compensandum; & ad cautiùs deinceps in via salutis incedendum. Unde meritò sanctus Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 9. ait, *Talibus Deus, diligentibus eum omnia cooperantur in bonum, usque adeo prorsus* Omnia, *ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum quia humiliores redeunt atque doctiores, discunt enim in ipsa via justa* cum tremore se exultare debere, *Non arrogando tanquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua, non movebimur in æternum.*

3. Quia ei jus confert ad speciale gradum gloriæ.

Tertia denique & potissima utilitas, quam ipsa justificatio amissa & reparata prædestinato confert, est quòd jus ei tribuat ad specialem gloriæ gradum quem non consequeretur, si de facto illam gratiam amissam & reparatam non habuisset; fatentur enim omnes Theologi per salutarem pœnitentiam restitui hominem in pristinum gradum justitiæ ac meritorum; ita quod gratia præcedens, unà cum operibus mortificatis reviviscat sive in individuo sive in altero ejusdem gradus individuo, quod perinde est ad præsens institutum, adeoque recuperat idem jus ad gloriæ gradum quod ante peccatum sibi vindicabat.

Reponunt Adversarii ipsum gloriæ gradum non competere prædestinato ratione gratiæ justificantis deperditæ, utpote quæ ampliùs non subsistit nec eadem numero redit; sed solùm ipsi tribui ratione alterius gratiæ, quæ per succedentem pœnitentiam comparatur: Ergo prior gratia non est causa ipsius specialis gradus gloriæ consequendæ, nec consequenter est effectus Prædestinationis.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico: Non esse necesse ad Prædestinationis effectum, quòd in se maneat usque ad ipsius gloriæ consecutionem; sed sufficere quod in aliquo suo effectu usque ad ultimum effectum subsistat; vel saltem cum intermediis effectibus Prædestinationis connexionem habeat; aliàs prima vocatio efficax non esset effectus Prædestinationis, cùm secundùm se non maneat in gloria; similiter opera meritoria etiam ab hac ratione effectûs removerentur, vix enim imò fere nusquam ad extremum usque perseverant: Tum quia homines in ipsa mortis periodo, aliquandiu destituuntur usu rationis: Tum quia plures post mortem ipsam immediatè gloriam æternam non consequuntur, sed diu in Purgatorio culparum reliquias solvunt & diluunt.

Instant: Ille specialis gradus gloriæ non tribuitur homini prædestinato propter justificationem reparatam, sed propter pœnitentiam: Ergo illa justificatio nullatenus est effectus Prædestinationis. Probatur antecedens: Illud enim jus ad eum specialem gloriæ gradum non extitisset ampliùs nisi pœnitentia successisset: Ergo ipsi pœnitentiæ tribuendum est.

Adde quòd causare supponat esse: sed gratia justificans per peccatum omnino extincta est: Ergo non potest esse causa illius juris ad specialem gloriæ gradum.

XII. *Qualiter vocatio revivifcens pœnitentiæ virtuti tribuatur.*

Distinguo antecedens: Illud jus tribuitur Prædestinato propter pœnitentiam, tanquam causam per accidens & removentem id quod amovebat illud jus, concedo: tanquam causam per se motivam & moralem, nego: restituitur enim illud jus propter ipsammet justitiam pristinam, quæ reverà est causa motiva & moralis, cujus intuitu, ablato per pœnitentiam impedimento, Deus vel priorem gratiam in individuo, vel aliam similem infundit & restituit; in qua gratia jus illud ad specialem gloriæ gradum fundatur. Unde quamquam illa gratia per peccatum Physicè extincta fuerit, nihilominus mansit moraliter in acceptatione & æstimatione divina, ita quod Deus ex mira sua erga justos & amicos benignitate & misericordia velit eos priorem in gloriam restituere, statim ac per pœnitentiam sublatum fuerit peccati impedimentum.

Vrgent: Etiam gratia quam Reprobus amisit, manet in Dei acceptatione, & tamen illa non est effectus Prædestinationis, sed generalis Providentiæ: Ergo neque gratia amissa prædestinati.

Nego consequentiam: Disparitas enim est quòd gratia Prædestinati jus aliquando habuerit ad gloriam infallibiliter consequendam, quod utique gratia justificans interdum Reprobo concessa nusquam sibi vindicavit, tantùm enim ejus effectus temporalis fuit.

CONCLUSIO TERTIA.

XIII. *Glorificatio est effectus Prædestinationis.*

GLORIFICATIO *est reverà effectus Prædestinationis*. Hæc sufficienter patet ex dictis, maximè ex illo ad Rom. 8. *Quos vocavit & justificavit, ipsos & glorificavit*, Vocatio enim & Iustificatio sunt causæ ipsius gloriæ: Sed hæ sunt effectus Prædestinationis: Ergo & illa, nam quod est causa causæ est etiam causa causati.

Quid vocabulu Glorificavit significetur.

Nec refert quòd pro verbo *Glorificavit* versio Græca habeat *Magnificavit*, quam etiam plures sancti Patres retinent, maximè Hieronymus, Chrysostomus, & Ambrosius; Nam præterquam quod vulgata Latina, authoritate pontificia, & Concilii Tridentini recognita, verbum *Glorificavit* jam pridem à sanctis Augustino & Fulgentio expressum, retinendum esse censuit; etiam apertè videtur sanctus Paulus vocabulo *Glorificavit* designare gloriam æternam, non verò claritatem quandam per bonam famam & nominis celebrationem; loquitur enim de gloria quæ est per se debita

justificationi, quæque maximè intenditur à Deo prædestinante : Hæc autem alia oon est quàm æterna beatitudo : Ergo hæc reverà est effectus Prædestinationis.

Adde qood in omni deliberstione & consultatione consecutio finis est ultimus illius effectus, & maximè intentus per applicatiooem mediorum ; quod patet exemplo hominis quærentis & intendentis sanitatem, nam ipsa sanitas qoæ est ipsius finis, est etiam potissimus illius inquisitionis & intentionis effectus : sed gloria æterna est finis ipsius Prædestioationis, & omnium mediorum quæ propter ipsam applicantur: Ergo etiam est ipsius effectus.

XIII. *Prædestinatio tam est de fine quàm de mediis.*

Dicet : Prædestinatio non est de fine sed de mediis quibus pervenitur ad finem; est enim, inqoit S. Aogustious, præparatio mediorum, &c. sed glorificatio est finis, & noo medium: Ergo non est Prædestinatioois effectus.

Nego majorem : Quemadmodum enim finis, licèt in intentione sit caosa mediorum, tamen in executione est eorum effectus, sicut sanitas est caosa finalis Medicinæ, & tameo per Medicinam causatut : Sic gloria æterna licèt in intentione sit caosa præparationis & collatioois mediorum, tamen in executiooe est eorum effectus.

Dices a. Omnis effectus Prædestinatioois debet esse illius objectum : sed glorificatio oon est objectum Prædestinatioois : Ergo nec illius effectus. Probatur *minor*, Objectum Prædestinationis debet esse objectum Electionis, quatenus ab intentione distinguitur; hojus enim objectum est fiois, illius autem est medium : at glorificatio non est medium in Prædestiostiooe, sed illius finis. Ergo non est objectum Electionis, nec proinde Prædestinatioois effectus.

Qualiter glorificatio sit illius objectum.

Distinguo minorem : Non est objectum immediatom, coocedo ; mediatum oego. Et similiter distincta minore probationis, neganda est consequentia. Cum enim finis in inteotione causetur à mediis in executione, ot dictum est; Comqoe media sint immediatum objectum electionis: Consequens est, quòd glorificatio sit objectum saltem mediatom ipsius Prædestinatioois, non qoidem secundùm ordinem intentionis, & quatenus est causa finalis; sed secundùm ordinem executioois, & quatenos ab ipsia mediis causatur ; non eoim comparator glorificatio oisi per vocationem efficacem & justificationem quæ sunt media ad ipsam.

Vel distingue aliter : Glorificatio secundùm suum esse reale non est effectus, sed objectum Prædestinstionis, concedo : Secundùm soam collationem & possessionem, oego : ot sic enim reverà causatur per alios Prædestinationis effectus qui ad ejus consecutionem ordinantur.

Quæstio Secunda.

Vtrum bona naturalia sint Subsidiarii Prædestinationis effectus ?

I. *Bona naturalis sunt quintuplicis generis.*

NOTANDUM 1. Omnia bona oaturalia ad quinque Capita maximè revocari, nimirum *primò* ad esse naturale sub quo comprehenditur substantia, facultates, & oaturales potentiæ ipsius Prædestioati. *Ad secundum* spectant genium perspicax, temperamentum ad virtutem libratum, bona iodoles, & alia ejusmodi naturalia virtutis semina. *Ad tertium* verò redocuntur variæ circunstantiæ ipsius prædestinati vitam spectantes, v. g. quòd nascatur tali tempore, tali loco, à talibus parentibus, quòd citiùs moriatur, aut diutiùs vivat. *Sub quarto* comprehenduntur omnia bona moralia propter solam virtutis honestatem edita. *Ad quintum* denique omnes opes & divitiæ reducuntur.

II. *Tribus modis esse possunt effectus Prædestinationis.*

Notandum a. Illa ipsa naturalia bona tribus modis concipi posse Prædestinstionis effectus, nimirum, *Vel* qoatenus essent causæ meritoriæ, aut dispositivæ ad gratiam & gloriam, qualiter Pelagiani & Semi-pelagiaoi illa esse prædestinatioois effectus affirmabant ; qood damnatum fuit à sanctis Patribus, summis Pontificibos, & Conciliis : *Vel* prout sunt subjectom in qoo cæteri Prædestinationis effectos recipiuotur : *Vel* quatenus sunt materia & virtutum occasiones quibus prædestinatus faciliùs exequitur ea quæ salutem spectant..

III. *Conceduntur per providentiam Generalem aut Particularem.*

Notandum 3. Dupliciter concipi posse bona naturalia hominibus à Deo concedi, oimirum, vel ratione Providentiæ generalis, quæ singulis quibusque media largitur, qoibus destinatom finem assequantut ; sive interim fiois ille sit naturalis, & per sola media naturalia ; sive sopernaturalis & per media supernaturalia obtinendus. Secundò, quòd confetantur ex intentione & decreto Prædestinationis ; ita quòd Deus illa ooo tribueret nisi prævideret fore sobsidia prædestinato, quò faciliùs salutem operetur, & gloriam æternam obtineat. Priori modo dicuntur tantùm per accidens ordinari ad Prædestinationem : Posteriori verò ad eam per se spectant, & dici possunt directi & subsidiarii illius effectus.

Conclusio Unica.

BONA *naturalia prioris ordinis supponuntur ad Prædestinationem, cætera verò dici possunt subsidiarii illius effectus.* Hæc est Doctoris quoad utramque partem ; quarum

IV. *Existentia & naturalis entitas hominis non potest censeri Prædestinationis effectus Subsidiarius.*

Probatur prima : Idque aothoritate Doctoris dicentis in 1. dist. 41. quæst. onica. *Quod in primo instanti Petrus & Iudas æquales voliti à Deo in esse existentia offeruntur Deo, & tunc Deus ita vult gloriam Petro, ut nihil velit Iudæ, sed tantùm sit ibi negatio volitionis gloriæ.* Sentit itaque Prædestinatiooem positivam sicut & Reprobationem negativam, sopponere hominem iam præuisum secundùm esse existentiæ ; adeoqoe esse existens oon est effectus Prædestinationis, sed ad eam præsupponitur. Confirmatur ex eodem in 3. d. 59. ubi dicit, *Hunc fuisse ordinem in prævisione divina, in primo Deum se intellexisse sub ratione summi boni ; in secundo intellexisse Creaturas ; & in tertio prædestinasse hos ad gloriam, &c.*

PROBATUR ETIAM RATIONE : Forma accidentalis suppooit esse sobjecti in quo recipitur ; & coosequenter volitio ejosdem formæ supponit volitionem sobjecti : sed per decretum Prædestioationis Deus vult homini conferre gloriam tamquam accidens illi sopetadditum, illumque non substantialiter sed tantùm accidentario perficiens : Ergo decretum Prædestinationis suppooit decretum productionis subjecti illius, quod quidem subjectum est ipsa oatura & esse substantiale hominis Prædestinati.

Deinde illa voluntas quà Deus vult omnes

homines salvos fieri est prior prædestinatione, siquidē ad omnes omnino homines sese extendit, & comprehendit tam eos qui postmodū ordinantur ad beatitudinem ex prævisis eorum meritis, quàm eos qui reprobantur ex prævisis demeritis: Sed illa voluntas antecedens præsupponit, aut saltem est simul cum esse substantiali hominum: Ergo Prædestinationis decretum supponit decretum productionis, adeoque hoc non est illius effectus.

Denique, si esse naturale hominis prædestinati dici posset effectus illius Prædestinationis, etiam dici posset gratia, & dependere à meritis Christi: Sed hoc utrumque dici vetat S. Augustinus Epist. 105. ad Sixtum, ubi cum pluribus impugnasset errorem Pelagii affirmantis creationem esse gratiam quia Deus gratuitò, & ex pura liberalitate nobis dat esse, non autem ex nostris meritis, tandem concludit: *Abjiciatur à Christianorum cordibus ista fallacia: nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, quâ creati sumus, ut homines essemus: sed quâ justificati sumus, ut homines justi essemus; ista enim est gratia per Iesum Christum Dominum nostrum: Etenim Christus non pro nullis, ut homines conderentur, sed pro Impiis mortuus est, ut justificarentur.* Quibus verbis apertè indicat esse naturale nullatenus inter Prædestinationis effectus computandum, nisi remotè & fundamentaliter, seu quatenus est Prædestinationis subjectum.

V.

Potest verò talis esse naturalis activitas ingenii.

PROBATUR ETIAM SECUNDA PARS: Nempe quòd cætera bona naturalia dici possint effectus subsidiarii Prædestinationis. Quidquid homini prædestinato inservit ad gloriam faciliùs consequendam, est subsidiarius Prædestinationis effectus: sed ita est de præfatis bonis; Ergo, &c. Probatur minor de bonis secundi ordinis: Id quod juvat hominē eique inservit ut promptior fiat ad amplectendam fidem: & ut faciliùs virtutē sectetur, est reverà Prædestinationis effectus: Sed ita est de bonis ad secundum caput spectantibus ut docet S. Augustinus lib. de Bono perseverantiæ cap. 14. *Apparet*, inquit, *habere quosdum in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quô moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiunt verba, vel signa conspiciunt.* Quibus Augustinus sentit illud intelligentiæ munus quod est per se naturale, esse Prædestinationis effectum in Electis.

Patet etiam de bonis tertii capitis. Siquidem Christus ipse Matth. 24. dicit quod, *Nisi breviati fuissent dies isti* (persecutionis Anti-Christi) *non fuisset salva omnis caro, sed propter Electos, quos elegit, breviabuntur dies:* Ergo abbreviatio illa dierum intenditur à Deo prædestinante; & est causa extrinseca, vel conditio sine qua non, salutis prædestinatorum. Idipsum confirmatur ex Sapientiæ 4. ubi de Iusto electo dicitur, *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus.* Quem textum sanctus Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 14. ita interpretatur, *Dictum est secundùm pericula vitæ hujus, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat. Id est quod ei mortem immaturam fuisset largiturus ut tentationum subtraheretur incerto*, & ibidem laudat sanctum Cyprianum lib. de mortalitate dicentem, *Non solùm non esse fidelibus inutilem mortem, verùm etiam utilem reperiri quoniam peccandi periculis hominem substrahit, & in non peccandi securitatem constituit.*

Etiam & mors præmatura.

Idipsum de cæteris circunstantiis temporum, locorum, tentationum, &c. affirmat ipsemet Aug. lib. 50. homil. 23. circa medium ubi ait, *Adulter non fuisti, hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres:* Et explicans qualiter servaverit partim per gratiam paternæ protectionis peccandi occasiones removendo; partim per gratiam internæ motionis, subdit, *Suasor defuit, & ut suasor deesset ego feci: Locus & tempus defuit, & ut deessent ego feci; adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus cui debes & quod non admisisti.* Constat itaque circunstantias locorum & temporum in quibus nascuntur, vivunt, & moriuntur Electi; nec-non conditiones parentum, ex quibus nascuntur, & hominum à quibus edocantur vel cum quibus conversantur, esse effectus Prædestinationis.

Ac circunstantiæ temporis & locorum in quibus vivimus.

VI.

Ordinantur etiam ad eam bona moralia.

Patet eadem veritas de bonis quarti ordinis: Opera namque moralia quæ sine ullo gratiæ consensu fiunt à prædestinatis, ipsis sunt in subsidium ad beatitudinem consequendam: Tum quia conducunt ad gaudium accidentale quod eorum causâ prædestinati percipient in statu beatitudinis: Tum quia conferunt ad vitandum peccatum, si opus quod elicitur præceptum sit, & ordinatum ex lege: Tum quia illa bona opera menti objecta, prædestinato subministrant occasionem laudis & gratiarum actionis: Tum denique quia bona temporalia quatenus esse possunt & de facto futura sunt instrumenta virtutis, reverà inter Prædestinationis effectus numerantur, possuntque cadere sub meritum, ut docet S. Thomas *prima secundæ quæst.* 114. *art. ultimo*: Ergo multò magis boni actus morales propter solam honestatem eliciti, viam enim sternunt ad opera meritoria cum gratia elicienda, & semina quædam virtutum subjiciunt.

VII.

Nec-non & opes ac honores.

Denique idem constat de bonis quinti capitis. Opes enim & divitiæ non modicam prædestinato conferunt utilitatem ut faciliùs salutem operetur, ipsi namque sunt instrumenta virtutum liberalitatis, misericordiæ, eleemosynæ quibus redimuntur peccata, gratiæ comparantur dicente Christo; *Quâ mensurâ mensi fueritis remetietur vobis*, nec-non, *date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis, &c.*

Deinde, etiam ipsi ansam præbent Deo liberiùs & faciliùs inserviendi, nec-non & opera pietatis ac devotionis frequentandi; cum enim divites liberi sint à negotiis quibus eorum vita sustentetur, eis per tempus licet audire sacra, conciones frequentare, & cætera id genus ad salutem maximè conducentia exercere.

Denique, illa ipsa bona conferunt ad opera meritoria, & interdum cadunt sub meritum, ut affirmat S. Thomas mox laudatus: Ergo etiam conferunt ad salutem. Unde etiam in oratione dominica aliisque precibus temporalia bona petimus à Deo in nomine Salvatoris: Ergo possunt illa bona temporalia esse effectus Prædestinationis, reducuntur enim ad ordinem gratiæ aut sunt salutaria & sub objecto Spei infusæ continentur, ut affirmat S. Thomas 2. 2. q. 17. art. 2.

Objicies 1. *contra primam partem*: Quidquid confert efficaciter & influit in Prædestinationis effectus & intenditur in ipsa prædestinatione, est illius effectus: Sed substantia & esse naturale

prædeſtinati influit efficaciter in effectus Prædeſtinationis, eſt enim canſa efficiens actuum quibus homo juſtificatnr & promeretnr gloriam; eſt etiam canſa efficiens ipſius glotiæ & viſionis beatificæ, quam prodncit mediante intellectu per lumen glotiæ elevato; inſuper poteſt eſſe motivum per modnm objecti quô ſcilicet ſtimuletut prædeſtinatus ad referendas Deo gratiarum actiones, pto creationis & conſervationis beneficio: Ergo ſubſtantia prædeſtinati ad prædeſtinationem conducit; adeoque ab illa intenditur.

VIII.

Entitas hominis ſupponitur ad prædeſtinationem, non verò ad eam ſequitur.

Nego majorem: Non enim omne quod concurrit efficienter ad effectum Providentiæ alicujns, eſt effectus talis Providentiæ, ut patet exemplô; qnando enim quis amico providet de eqno ad equitandnm, ipſe amicus non cenſetut talis Providentiæ effectus, licèt efficaciter concnrrat ad equitationem equum aſcendendo, eumque agitando & impellendo.

Vel diſtinguo: Quidqnid confert efficaciter ad prædeſtinationem per modum medii ad finem conducentis eſt illins effectus, concedo: per modum ſubjecti ad formam accidentalem recipiendam, nego: ſubſtantia autem & facultates naturales prædeſtinati non ordinantnr ad gloriam ut finem; ſed ſolùm nt ſubjectum ad formam accidentalem quam recipit & à qoa perficitur, adeoque Prædeſtinationis effectus eſſe nequeunt.

Objicies 2. Bona indoles, & ingenii perſpicacitas ſunt effectus Prædeſtinationis nt dictum eſt: Sed hæc omnia identificantur ſubſtantiæ & facultatibus naturalibus ipſius prædeſtinati: Ergo ſi hæ non ſint effectus Prædeſtinationis nec illæ eſſe poterunt.

IX.

Non idem de bona indole & animi vivacitate.

Reſpondeo 1. Quòd quando diximus bonam indolem, & alia hujuſmodi eſſe Prædeſtinationis effectus, abſtraximns ab illa quæſtione Philoſophica de diſtinctione reali vel formali facultarum & potentiarum rationalium à ſubſtantia animæ cujus ſunt potentiæ. Unde ſuppoſitâ ſententiâ de reali identitate potentiarum intellectualium cum ſubſtantia intellectuali

Diſtinguo minorem: Bona indoles & animi perſpicacitas non eſt Prædeſtinationis effectus quatenns entitativè conſiderantur, concedo: operativè, ſeu qnatenus attenduntut penes operationem & exercitinm, nego: ut ſic enim cum dependeant ab organis corporeis non identificantur cum ſubſtantia animæ, adeoqne poſſunt eſſe media ad gloriam conſequendam licet ipſa anima non ita ſe habeat.

Obicies 3. Naſci tali vel tali tempote, à talibus vel talibus parentibus, eſt effectus Prædeſtinationis, ut dictum eſt: Ergo pariter naſci ſimpliciter & habete eſſe naturale, inter effectus Prædeſtinationis debet computari. Conſequentia patet: Quia eſſe natum, ex talibus parentibus involuit, & ſignificat naturam jam eſſe, & natam eſſe: Ergo quidquid affirmatur de primn negari non poteſt de ſecundo, adeoque ſi primum ſit effectus Prædeſtinationis, & ſecundum eſſe debet.

Neque de circumſtantiis temporis & locorum.

Nego ſequelam: Non enim id magis ſequitur quam ſi diceres, hominem eſſe involuit materiam & animam hnminis eſſe: Ergo ſicut hominem eſſe eſt effectus generationis; ita eſſe materiam & animam hominis eſt effectus generationis, quæ conſequentia eſt erronea &

A ſophiſtica; Anima namqnebominis non eſt generabilis.

Dico itaque meritò negari ſeqnelam, quia qnoties in aliqno toto ſunt plnres partes, rectè poteſt aliquid eſſe cauſa unius partis, abſque eò quòd ſit cauſa alterius; vel eſſe canſa totius abſque eo qnod ſit cauſa partium ſeorſim; reverà enim homo generans concurrit ad productionem corporis & hominis geniti; non verò ad productionem animæ: hinc ut qnod affirmatur de uno etiam de altero poſſit affirmari, neceſſum eſt nt atttributum qnod affirmatnr, utrique conveniat. Unde licet *Natum eſſe ex talibus parentibus* ordinetur tanquam medium ad gloriam, adeoque ſit effectus Prædeſtinationis, non tamen ſequitur quod *natum eſſe*

B *ſimpliciter* debeat eſſe pariter effectus; quippe cum non poſſit habere rationem medii, ſed tantùm ſubjecti reſpectn gloriæ conſeqnendæ.

Objicies 4. Unius hominis nativitas, poteſt eſſe effectus Prædeſtinationis alterius, ſic v. g. Nativitas Beatiſſimæ Virginis fuit effectus Prædeſtinationis Chriſti: Ergo à pari hominis Nativitas poteſt eſſe effectus Prædeſtinationis ejuſdem.

Nego conſequentiam: Et ratio diſparitatis eſt, quod unius hominis nativitas poſſit eſſe medium ad ſalutem alterins hominis, atque ita fieri poteſt effectns Prædeſtinationis alterius:

C Secus verò de nativitate alicujus hominis reſpectu ſui ipſius; hæc enim cum non poſſit eſſe medium ad ipſius ſalutem, ſed pertineat tantùm ad conſtituendnm ſubjectum quod per certa media promoveri debeat ad ſalutem; inde fit qnòd non poſſit effectus Prædeſtinationis dici.

X.

Qualiter bona naturalia habeant proportionem ad gloriam.

OBJICIES CONTRA SECUNDAM PARTEM: Bona naturalia nullam habent proportionem cum gratia & gloria, & conſequenter nullatenus ad eorum aſſecutionem conferunt: Ergo non ſunt effectns Prædeſtinationis.

Nego conſequentiam: Ex hoc enim tantùm ſeqnitur qnòd non ſint diſpoſitiones & cauſæ

D meritoriæ reſpectn gratiæ & gloriæ, qnod ultrò fatemur; non verò ſequitur illa bona non poſſe deſervire ad has obtinendas diſpoſitiones, & gratiam promptiùs ac faciliùs recipiendam & exercendam.

Objicies 2. Prædeſtinatio eſt præparatio donorum gratiæ: ſed iſta bona ſunt naturæ, non verò gratiæ: Ergo non ſunt effectus Prædeſtinationis.

Diſtinguo antecedens: Talia bona non ſunt à Deo ut anthore gratiæ productivè & elicitivè, concedo: imperativè, & ordinativè, nego: producuntur itaque à Deo ut authore naturæ, ſed ab eo ordinantnr ut authore gratiæ ad bea-

E titndinem. *Vel* aliter diſtingno: Sunt bona naturæ, & naturalia ſecundùm ſubſtantiam, concedo: Secundùm modum & operationem ſupernaturalem, nego: Ut ſic autem poſſunt eſſe effectns Prædeſtinationis, ſicut externa prædicatio & miracula, quæ licet naturalia ſint qnoad ſubſtantiam & tantùm ſupernaturalia quoad modnm, nihilominus dicnntur eſſe effectus Prædeſtiuationis à S. Auguſtino lib. de Bono perſeverantiæ cap. 14.

Objicies 3. Effectus Prædeſtinationis ita ſe habent, quòd priores ſint veluti cauſæ reſpectu poſteriorum, ſic enim vocatio ad jnſtificationem, & hæc ad glorificationem conducit: ſed illa bona naturalia non conduennt ad alios

Effectus Directi Prædestinationis supponuntur ad invicem; non ita Indirecti.

effectus Prædestinationis nempe ad gratiam & gloriam, alioquin essent dispositiones quarum intuitu Deus gratiam largiretur, quod est error Semipelagianorum: Ergo, &c.

Respondeo majorem esse veram de effectibus directis & per se; non verò de effectibus indirectis, & per accidens, qualia sunt bona naturalia. Deinde dico non esse necessarium, ut inter omnes effectus Prædestinationis sit illa connexio quòd secundus detur propter primum, tanquam propter meritum aut propter finem proprium; sed possunt illi duo effectus esse duo media ad unum tertium. Sicut enim lumen v. g. & species dantur propter causandam visionem; inter se verò tantùm proportionem & connexionem habent ad complendum principium visionis: ita à pari prædestinatio supponit naturam, & ipsi accommodatur per modum subjecti aut fundamenti, cui ex liberalitate Dei additur auxilium supernaturale quô elevatur, & constituitur quasi integrum principium operis meritorii aut dispositivi ad alios effectus Prædestinationis.

Quæstio Tertia.

Vtrum defectus & mala tam naturæ quàm morum sint occasionales Prædestinationis effectus?

I. Duplex malum aliud Naturæ aliud Moris.

NOTANDUM 1. Duplex solitò malum distingui, nimirum *Naturæ* & *moris.* Malum naturæ, seu naturale est quod ipsi naturæ secundùm sua principia naturalia consideratæ dissentaneum est, eamque malè afficit sive interim sit quid privativum, ut cæcitas, surditas, ignorantia, mors, &c Sive quid positivum, ut dolor, tristitia, error, &c. *Malum moris* dicitur quod est dissentaneum naturæ rationali quatenus est agens liberum, seu quod est contra regulam rectæ rationis, qualia sunt omnia peccata sive commissionis sive omissionis. *Rursus* hoc utrumque malum tam naturæ quàm moris, est duplex: Aliud enim est purum malum & absque ulla admixtione boni, ut quævis privatio boni debiti naturæ, vel rectæ rationi, putà cæcitas, & omissio præcepti; hæc enim etsi necessariò sint connexa rei bonæ, nempe subjecto, quod per se bonum est; tamen per se mala sunt quia puræ sunt negationes tali subjecto disconvenientes, nec in se aliquid entitatis, nec proinde entitativæ bonitatis habent. Aliud non est purum malum, sed habet in se bonitatem entitativam & perfectionem sibi debitam secundùm speciem; sed est alteri malum quatenus per illam ipsam suam entitativam perfectionem est alteri dissentaneum & repugnans, & malè illum afficit, sic dolor dicitur malum animantis quia ipsi disconvenit & ægrè illud afficit.

II. Deus non est causa efficiens mali moralis.

Notandum 2. Deum non esse causam efficientem mali moralis, quatenus purè malum est: Tum quia hoc ipsius divinæ bonitati, & infinitæ sanctitati repugnat: Tum quia malum morale non habet causam efficientem, sed deficientem & deviantē; adeoque non est effectus, sed defectus: Sed tantùm est causa permissiva. Permittere autem idem est quod non impedire cùm tamen facultas impediendi suppetat: unde ut aliquid reverà dicatur permitti, quinque desiderantur: Primò ut displiceat permittenti: Secundò ut sit eventurum nisi illius causa impediatur: Tertiò ut qui permittit sciat eventurum nisi ipsemet impediat: Quartò ut adsit facultas impediendi: Quintò ut voluntariè omittat impedire, sive ut se non opponat rei eventuræ; qui enim se opponit & conatur impedire, non dicitur permittere, etiamsi res eveniat.

III. Permissio actus faciendi, est à Deo decreta.

Notandum 3. Omnem permissionem divinam cadere sub æternum Dei decretum non minùs quàm omnes Dei operationes positivas; sicut enim Deus nihil facit in tempore, nec ullum creaturæ effectum impedit, quin decreverit illud facere, vel impedire ab æterno; ita etiam nihil omnino permittit quin illius permissionem ab æterno decreverit: Itaque nullum committitur peccatum in mundo quin Deus in particulari ab æterno illud permittere statuerit.

Insuper, sicut omnis permissio Dei est bona, & ob eam est laudandus & benedicendus Deus; ita quoque omnes ejus permissiones bonæ sunt, & ipse ob eas laudibus est celebrandus, quamvis ea quæ permittit, detestanda sint & pessima; habet enim justissimas & sanctissimas rationes cur ea permittat: Unde sanctus August. in Enchiridio cap. 96. *Non fit aliquid nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo: Nec dubitamus Deum bene facere etiam mala fieri sinendo: non enim hoc nisi justo judicio sinit.*

Jam dictum est in præcedenti disputatione omnia mala tam naturæ quàm morum à divina Providentia congruos in fines ordinari; solùm itaque restat in præsenti quæstione resolvendum an hoc utrumque malum etiam à divina Prædestinatione intendatur tanquam quid occasionaliter conducens ad ipsius prædestinati salutem.

Conclusio Prima.

IV. Mala naturæ sunt occasionales effectus Prædestinationis.

REVERA *mala naturæ à Deo prædestinante intenduntur ut occasionaliter conducant ad hominum salutem.*

PROBATUR PRIMÒ ex Scriptura ad Philippenses 2. *Vobis datum est pro Christo non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini:* Quibus verbis Apostolus affirmat tribulationes fidelium nedum divinitùs ordinari in eorum salutem, sed etiam intendi à Deo tanquam quid conducens ad gloriam æternam assequendam: Unde sanctus Petrus 1. Epist. cap. 2. constanter affirmat quod *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus:* Si enim inquit sanctus Paulus ad Rom. cap. 8. *Compatimur & conglorificabimur:* Et 2. ad Corinth. 1. *Sicut socii passionum estis sic eritis & consolationis.* Idipsum confirmant omnes Patres in præcedenti disputatione hac in re laudati.

SECUNDÒ PROBATUR RATIONE: Quidquid certissimè confert ad prædestinati salutem, reverà est Prædestinationis effectus: sed mala naturalia & pœnæ hujus vitæ conferunt ad prædestinati salutem: Ergo, &c. Major patet ex dictis. Minor probatur: Tum quia hæc mala Electis ministrant medium & modum satisfaciendi divinæ Justitiæ pro peccatis suis: Tum quia ansam præbent exercendæ fortitudinis patientiæ, & alterius virtutis: Tum quia occa-

ARTICULUS TERTIUS.

De Reprobatione.

I. Articuli distributio.

EXAMINATO, & quantum licuit explicato divinæ Prædestinationis mysterio, iam ipsius affine tremendum Reprobationis arcanum evulgandum auspicamur; ordine quidem congruo, utpote cum utraque divinæ Providentiæ sit ordinata species, quâ Creatura rationalis æternum in finem sibi congruum & debitum ordinatur ac deducitur. Quocirca de Reprobatione sicut & de Prædestinatione tria discutere licet: *Primò*, quæ sint ipsius existentia, natura, & partes: *Secundò*, quas habeat causas: *Tertiò*, qui sint ejusdem effectus.

QUÆSTIO PRIMA.

An quid & quotuplex sit Reprobatio?

II. Reprobationis usurpatio varia.

NOTANDUM 1. Reprobationis nomen idem significare ac exclusionem, vel repudiationem alicujus rei disconvenientis; formatur enim à particula *re*, & nomine *probatio*; Particula autem *re* quandoque contrarium suorum nominum simplicium significat & importat (ut observat Calepinus.) Inde trifariam reprobationis nomen usurpatur in Scriptura sacra. *Primò* quidem latiùs ad designandam cujusvis rei vilis & inutilis repudiationem, sic ad Hebræos 7. veteris legis ablegatio dicitur *Reprobatio præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem*. *Secundò* strictiùs pro rejectione cujuscumque rei malæ & nocivæ, sive in genere entis, sive in genere moris, sic Ecclesiastici 9. *Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt*. *Tertiò* denique pro decreto divino, quo aliqui propter demerita excluduntur à regno cœlesti & deputantur ad pœnam: Reprobatio enim Electioni opponitur: Ergo sicut Electio est voluntas efficax coronandi electos & dilectos Dei: sic Reprobatio est voluntas absoluta projiciendi suos hostes in ignem æternum, & eos excludendi à regno Cœlorum. Sic autem Reprobationis vocabulum usurpasse videtur S. Paulus 1. ad Corint. 9. *Ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*. Inde varia sunt Reproborum in sacris Scripturis nomina, dicuntur enim *vasa iræ*, *vasa furoris*, *vasa in contumeliam*: Itē *projecti*, *expulsi*, *despecti*, *oblivioni traditi*, &c.

III. In Reprobatione tres sunt actus intellectus, & totidem voluntatis.

Notandum 2. In Reprobatione tres inveniri actus intellectus, & totidem voluntatis, ut jam de Prædestinatione dictum est: In intellectu namque divino est actus scientiæ simplicis quô Deus cognoscit possibilitatem culpæ, ac pœnæ; Insuper actus scientiæ conditionatæ quô cognoscit futuram culpam & pœnam si negetur auxilium efficax: *Denique* actus scientiæ visionis quô absolutè & intuitivè futuram culpam, & pœnam deprehendit. Similiter in voluntate primus actus est decretum permittendi peccatum, & perseverantiam in eo usque ad mortem: Secundus voluntas excludendi à gloria propter prævisam indignitatem: Tertius voluntas puniendi pœna æterna sensus propter læsam divinam majestatem.

IV. Duplex Reprobatio, alia à gratia, alia à gloria.

Notandum 3. Duplicem solitò distingui Reprobationem, unam à *gratia*, aliam à *gloria*: Prior dicitur tantùm Reprobatio secundùm quid, quia etiam gratia efficax interdum negatur Prædestinatis, qui tamen idcirco Reprobi non appellantur: Posterior verò dicitur Reprobatio simpliciter, quia omnem omninò exclusionem tam à gratia quàm à gloria importat & significat. Rursus hæc iterum duplex ab aliquibus distinguitur, nimirum *negativa* & *positiva*. Negativa, inquiunt, est voluntas quâ Deus ab æterno eligendo aliquos ante prævisa ipsorum opera alios negligit, absque ulla adhuc demeritorum prævisione: Vnde oritur voluntas negandi gratias efficaces ad vitandum peccatum: Positiva, est voluntas seu decretum æternum quô Deus prævisô hominum quorundam finali peccato, ipsos arcet à regno Cœlorum, & ad pœnam æternam destinat. An autem hæc veritati congruant, resolvetur infra.

CONCLUSIO PRIMA.

V. Reprobationis decretum probatur.

ADMITTENDUM *est in Deo decretum efficax & immutabile quo nonnullos homines & Angelos ab æterno voluit à gloria excludere, & ad pœnam æternam destinare.* Patet primò ex Concilio Valentino canone 3. ubi dicitur, *Fidenter fatemur Prædestinationem Electorum ad vitam, & Prædestinationem Impiorum ad mortem*. Secundò,

1. Ex Scriptura sacra.

idipsum patet omnibus illis Scripturæ textibus, quibus damnati dicuntur à Deo *rejiciendi*, *recessuri*, *projici*, *& mitti in ignem æternum*; Necnon illis omnibus parabolis, quibus damnandi fiunt similes hædis constituendis à sinistris, & inde ejiciendis in flammas; Zizaniis crescentibus usque ad messem, sed postmodum colligendis in fasciculos ad comburendum, nec-non & malis piscibus foras mittendis, Matth. 13. Nam ut inquit Chrysologus Sermo 47. *Similitudo hæc prodit cur in Apostolatum piscatores elegerit Christus, & captores piscium fecerit hominum piscatores, ut divini Iudicii typus arte piscatoria monstraretur. Pisces congregat captura confusos; sed in vasa discretio dat electos: Sic vocatio Christiana justos & injustos, malos, bonosque congregat; sed bonos malosque electio divina discernit.*

VI. 2. Triplici ratione.

PROBATUR IDIPSUM RATIONE: *Primò* quidem Deus nihil quidquam in tempore exequitur quod ab æterno facere non decreverit: sed reverà de facto multos arcet à gloria, & pœnis æternis adjudicat. Ergo illud ab æterno proposuit; tale autem propositum dicitur Reprobatio: Ergo est admittenda.

Deinde: De ratione providentis generalis est, ut permittat aliquas causas secundas ex natura sua defectibiles, interdum deficere à consecutione sui finis; spectat enim ad rationem provisoris universalis, quòd sinat causas particulares agere juxta modum suæ naturæ: sed eo ipso quo agunt juxta modum suæ naturæ deficiunt à fine; quia propter defectibilem illam naturæ inclinationem multa committunt peccata: Ergo ad rationem providentiæ spectat ut patiatur quasdam Creaturas rationales à gloria excidere. Hic autem casus est Reprobatio: Ergo datur.

Denique: Si foret à Deo arcenda Reprobatio, maximè quia defectum aliquem importat & arguit: sed non ita; imò maximè conducit ad evulgandam & magnificandam Dei justitiam, potentiam, bonitatem, & patientiam, quæ non minùs elucent in reprobatione quàm in electione; utraque enim mirabilem Dei potentiam, patientiam & justitiam punientem & remunerantem ostendit: Unde Apostolus ad Rom. 9. *Deus volens ostendere iram & notam facere po-*

tentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum. Infinitæ enim potentiæ & patientiæ, ac bonitatis est quod voluntati ejus serviant quæcumque fiunt contra illius voluntatem; quòd diu toleret impios in multa patientia ut ad pœnitentiam eos provocet; repugnantes autem, & hac patientia abutentes tandem aliquando puniat: Ergo, &c.

Dices 1. Hominum damnatio accidit præter voluntatem Dei; *Vult enim omnes homines salvos fieri*: Item, *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua*: Ezechiel. 11. Ergo non fit per absolutum & efficax decretum reprobationis.

Distinguo antecedens: Accidit præter voluntatem antecedentem inefficacem & primariam, quâ Deus ex infinita sua bonitate omnes homines creat & destinat ad gloriam tamquam ad eorum finem ultimum ante prævisa eorum merita & demerita, concedo: præter voluntatem efficacem absolutam & subsequentem prævisionem demeritorum, quâ ex justitia vindicante ulcisci debet peccata, nego.

Dices 2. Æterna hominum damnatio infinitam Dei bonitatem dedecet; qualiter enim infinitè bonus qui æternæ hominũ miseriæ esset artifex? Ergo illa ab ejus efficaci decreto non provenit.

VII. *Nego antecedens*: Nam ut loquitur Tertullianus lib. 1. adversus Marcionem cap. 25. *Deus de sola bonitate censendus non est*, si enim ut subdit cap. 26. *Neque æmulatur, neque irascitur, neque damnat, neque vexat, ut pote qui nec judicem præstat; non invenio quomodo illi disciplinarum ratio consistat, & quidem plenior; quale est enim ut præcepto constituat non executurus; ut delicta prohibeat non vindicaturus qui non judicaturus; extraneus scilicet ab omnibus sensibus severitatis & animadversionis?* Unde concludit, *Stupidissimus ergo qui non offenditur facto, quod non amat fieri, quando offensa comes sit frustratæ voluntatis; aut si offenditur debet irasci, si irascitur debet ulcisci; nam & ultio fructus est iræ, & ira debitum offensæ, & offensa ut dixi comes frustratæ voluntatis.*

Reprobatio impii, Dei bonitati non adversatur.

Instabis: Ad manifestandam divinam illam justitiam sufficit quòd Deus malum prohibeat, seu ut loquitur Tertullianus ibid. cap. 27. *Quòd judicet malum nolendo, & damnet prohibendo; admittat autem non vindicando, & absolvat non puniendo.*

Nego antecedens: Hic enim justitiæ modus inertem Deum & imbecillem ostendit: unde meritò ibidem exclamat Tertullianus: *O Deum veritatis prævaricatorem, sententiæ suæ circumscriptorem! timet damnare; quod damnat; timet odisse quod non amat; factum sinit quod fieri non sinit: mavult ostendere quid nolit, quàm probare. Hoc erit bonitas imaginaria, disciplina phantasma & ipsa transfunctoria præcepta, secura delicta, &c.*

Dices 3. Perfecta Providentia efficere debet, ut res sibi subjectæ præscriptum finem assequantur: sed divina Providentia est perfectissima: Ergo efficere debet ut homines sibi subditi beatitudinem æternam ad quam ut ad finem ultimum ordinantur, infallibiliter obtineant; adeoque apud illum nulla esse debet Reprobatio.

VIII. *Distinguo majorem*: Perfectissima providentia particularis ita sese gerere debet transeat: Providentia communis & generalis, nego. Quamquam enim ad particularem provisorem spectet quemlibet defectum excludere ab iis qui ipsius ordinationi subjiciuntur, secus tamen est de Provisore universali. Cùm enim hic respiciat bonum commune quod impediri potest & diminui per bona particularium; inde fit ut permittere debeat defectum aliquem in particularibus propter servandum bonum commune totius: Cùm igitur Deus sit universalissimus Provisor, permittere debet defectus singularium ne impediatur bonum totius Universi: si enim omnia prohiberentur & cohiberentur mala, multa bona deessent universo: si enim non esset plantarum & animalium consumptio, nec bruta nec homines viverent; si non esset persecutio tyrannorum, deesset patientia Martyrum. Denique si non esset peccati permissio, non esset pariter divinæ justitiæ, defectibilitatis liberi arbitrii, & necessitatis gratiæ manifestatio.

Nec etiam divinæ Providentiæ generali detrectat: Licet particulari non congruat.

Adde quòd ut diximus de ratione perfectissimæ Providentiæ sit, quòd res sibi subjectas ordinet in finem, juxta modum suæ naturæ, adeoque ut defectibiles interdum sinat à fine deficere, ut exinde naturæ pateat defectibilitas.

Dices 4. Nemo Sapiens aliquid faciens propter finem, illud à fine obtinendo arcere debet, quantùm est ex parte sua: sed Deus omnes homines condidit propter beatitudinem: Ergo ab eadem non debet eos excludere, nec consequenter reprobare.

Distinguo majorem: Si illud necessariò & indefectibiliter ad talem finem ordinet, concedo: Si contingenter ac defectibiliter, nego. Ut sic enim permittere potest quòd aliqua individua deficiant à consecutione finis, tum ad servandam eorum libertatem, tum ad defectibilitatem aperiendam, & suam justitiam manifestandam.

CONCLUSIO SECUNDA.

Reprobatio rectè describitur, *Efficax & absolutum divinæ voluntatis decretum, divinique intellectus judicium de pœna æterna infligenda rationali creaturæ & ipsius à beatitudine exclusione, propter prævisum gratiæ abusum & peccatum finale.* IX.

Reprobationis definitio expenditur.

Patet hujusce descriptionis veritas ex singularium ipsius partium declaratione: Primò namque dicitur *efficax decretum voluntatis*, in quo convenit cum Prædestinatione, quæ est etiam Dei voluntas efficax deducendi homines justos in finem sibi congruum. Additur *absolutum*, ut excludatur illa Reprobatio negativa quam nonnulli authores adstruunt quamque mox impugnabimus. Additur *divini intellectus judicium*, siquidem ad reprobationem tres desiderantur actus intellectus, ut dictum est in secundo Notabili: unde Reprobatio simul dicitur *præscientia & propositum*: Præscientia quidem quatenus est actus intellectus, vel apprehensivus, vel judicativus; apprehensivus, inquam, demeritorũ, & judicativus indignitatis eorum, qui propter demerita judicantur indigni. Similiter, est propositum voluntatis detestantis simul & approbantis: Detestantis, inquam, iniquitatem morientium finaliter in peccato, & approbantis eorum exclusionem ab æterna beatitudine & damnationem ad pœnas: Reprobatio, inquit Alensis. 1. p. q. 29. memb. 2. *Est scientia cum approbatione pœnæ & cum detestatione iniquitatis*; seu ut loquitur magister sententiarum dist. 4. ex S. Aug. Reprobatio est *præscientia iniquitatis quorumdam & præparatio damnationis eorundem.* Additur denique *propter prævisum gratiæ abusum & finale peccatum*: Non enim Reprobatio fit nisi ex prævisis demeritis, ut contra Calvinum probabimus quæstione sequenti: Inde nulla admittenda est ex parte Dei reprobatio negativa ex pura ipsius libertate proveniens, & ante prævisa hominum demerita, ut aperiet.

Conclusio Tertia.

X. *Non est in Deo Reprobatio negativa.* NON *est admittenda Reprobatio negativa*: Hæc sequitur ex dictis, Deus enim non prædestinat nisi ex prævisis meritis: Ergo nec deserit nisi quos prævidet non habituros merita, adeoque nullos deserit absque prævisa causa ex parte eorũ; quod probatur 1. ex Scriptura, Tobiæ 3. *Non delectaris in perditionibus nostris*: Et 2. Petri cap. 3. *Patienter Deus agit propter vos nolens aliquem perire.* Ergo sine causa ex parte Creaturæ nullum Deus reprobat; si enim ex pura liberalitate aliquos seligeret, alios verò despiceret & desereret absque aliqua causa ex parte ipsorum, hauddubiè vellet illos derelictos perire; quippe cùm non vellet illos salvare, & delectaretur in eorum perditionibus, quia illa perditio juxta ipsius voluntatis beneplacitum accideret.

Probatur 1. ex Scriptura.

Deinde ex 1. ad Corint. cap. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, non quidem voluntate consequente, quia reverà vult eos, qui prævidentur morituros in peccato finali esse damnandos: Ergo voluntate antecedente prævisionem tam meritorum quàm demeritorum: adeoque ante illam prævisionem non habet voluntatem negativam respectu salutis quorumdam qui non eliguntur; qualiter enim vellet omnes salvos fieri, si nullam haberet voluntatem salvandi aliquos ex illis omnibus?

2. Ex SS. Patribus. *Confirmatur* ex S. Damasceno lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 29. ubi ait, *Sciendum est Deum antecedenter velle omnes salvari & regno ipsius potiri, non enim ad puniendum formavit nos, sed tanquam bonus ad suæ bonitatis communicationem*; *Peccatores autem vult punire tanquam Iustus.* Hoc ipsum probat S. Prosper in responsione tertia ad objectiones Gallorum, ubi de Reprobis loquens ait; *Quòd ergo hujusmodi in hæc prolapsi mala, sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia Prædestinati non sunt, sed ideo Prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.* Quibus apertè negat Prædestinationem & Reprobationem antecedentem prævisionem operum, adeoque etiam excludit illam reprobationem negativam. Quod rursus confirmat cap. 7. ubi itidem loquens de damnandis ait: *Horum lapsum Deo adscibere immodicæ pravitatis est, quasi ideo ruinæ ipsorum impulsor atque author est, quia illos ruituros propria ipsorum voluntate præscivit: & ob hoc à filiis perditionis nulla prædestinatione discrevit.*

3. Ratione triplici. PROBATUR ETIAM RATIONE: Admissa illa Reprobatione negativa necessariò sequitur non Electos nullatenus posse salvari, & quidquid fecerint infallibiliter damnandos iri: Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens. Probatur sequela majoris; Nemo enim salvatur nisi prædestinatus. Hæc namque certa est Dei lex, alioqui Deus faceret in tempore quod ab æterno non decrevit facere.

1. Quia sic neglecti nunquam potuissent salvari.

Deinde cùm ita certus & determinatus sit prædestinatorum numerus, ut nec augeri nec minui possit, sicut probatum est: Consequens est quòd qui ita non erit electus, nullatenus poterit salvari, sicque salus ipsi omninò erit impossibilis: At hoc est absurdum, alioqui culpandi non essent qui damnantur, quòd salutem suam non fuerint operati; nemo quippe justè culpari potest quòd non fuerit executus, id quod ipsi protsus erat impossibile. Quis enim Rex nisi stolidus, & omninò crudelis ac injustissimus damnaret hominem aliquem ad mortem, propterea quòd non implesset mandatum de extrahendis è Cœlo syderibus, vel mari integro epotando? *Adde* quòd exinde molestissimum illud dilemma Perversus quisque formare potest, ut lubentiùs voluptatibus indulgeat, parumque sit de salute sollicitus: Vel sum, inquiet, ita gratis electus ab æterno; vel non sum ita electus: Si sim electus, certè quidquid egero, infallibiliter salvabor, siquidem Dei decretum omninò est invariabile: Si non sim electus, frustranei sunt omnes mei conatus ad salutem; quia indefectibiliter damnabor, quippe cùm certum sit neminem salvatum iri nisi sit in numero eorum qui gratis electi sunt, quod certè dilemma omnes ad impietatem habenas laxat & solvit.

2. Quia eorum damnatio non foret culpanda.

Denique: Ex admissa Reprobatione illa negativa, ut Adversarii explicant, sequitur damnandos, non solùm negativè, sed etiam positivè exclusos fuisse, saltem implicitè & æquivalenter à gloria æterna, ante prævisa ipsorum demerita & statum finalem injustitiæ: sed hoc Calvini blasphemiam redolet, ut patebit quæstione sequenti: Ergo, &c. Probatur sequela majoris, Qui vult absolutè & efficaciter totum aliquod constans ex multis partibus in individuo cognitis, per modum aggregati perfecti, & cum proportione partium ad invicem, in numero, gradibus, & aliis circunstantiis particularem determinationem significantibus; hôc ipsô excludit omnes alias partes non electas etiam possibiles, ita quòd si illa electio quarundam partium & determinatio sit infallibilis & efficax, etiam infallibiliter & efficaciter excluduntur aliæ partes electæ ad illius totius constitutionem: Atqui Deus ex Adversariis ita se habet, ut Regnum cœleste intendat efficaciter & absolutè illa electione antecedente prævisionem meritorum, velut totum quoddam determinatum quoad personas in numero, qualitate, gradu gloriæ, & aliis circunstantiis; seu (ut ipsi loquuntur) se habet per modum Architecti qui palatium determinatæ magnitudinis ex tot lapidibus in individuo, quantitate, & qualitate destinatis ædificare cogitaret; vel ut Conviva, qui prandium ex certô numero personarum in individuo designatarum vellet instituere. Ergo sicut Architectus reverà reprobat omnes lapides quos non comprehendit sub illo determinato numero, & sicut Conviva excludit à suo prandio omnes illos quos non invitat; etiam Deus vi decreti æterni quô aliqui eliguntur, cæteri verò negliguntur, censetur neglectos excludere.

3. Quia non solùm negativè, sed etiam positivè censeretur damnari ante prævisa demerita.

Consequentia patet, & præcedens ratio confirmatur: Quia quilibet numerus certus & determinatus non minùs excludit illas omnes unitates ex quibus non constat, quàm includit omnes illas ex quibus constat & formatur. *Deinde*, si decretum istud non haberet vim exclusionis, Deus non posset ex eo certò & infallibiliter cognoscere quòd nullus alius præter sic electos, salvandus sit: *Denique* ex illa determinata electione fit, quòd Deus Electis præparet gratias efficaces, quibus salutem infallibiliter assequantur; aliis verò tales gratias non præparet: Sed hæc gratiæ negatio exclusionem positivam arguit, sicut & præparatio gratiæ positivam electionem supponit: Ergo reverà ex Reprobatione negativa sequitur non electos positivè à

gloria excludi ante prævisa ipsorum demerita, quod omnino Calvinismum sapit.

Quæ hanc adversus conclusionem possent objici, jam satis superque soluta fuere ex iis quæ diximus probando prædestinationem fieri solùm ex prævisis meritis; adeoque omnem Reprobationem fieri tantùm post prævisa demerita.

Quæstio Secunda.

An, & quæ sit causa Reprobationis?

Reprobationis sicut & Prædestinationis causa ex duplici capite cogitari potest esse repetenda, nimirum vel ex parte Dei pro nutu & absoluto suo in Creaturas dominio quas voluerit prædestinantis, aut reprobantis; vel ex parte Creaturæ quæ pro suis meritis aut demeritis Deum movet ad Prædestinationem, vel Reprobationem.

I. Quæ fuerit detestanda Calvini de Reprobatione sententia.

Notandum 1. Hanc esse pessimam Calvini sententiam, nec-non & quorumdam ejus sequacium, Deum æterni sui consilii seu decreti ratione priùs quàm prævideret peccatum originale & cujuscumque hominis meritum aut demeritum, destinasse aliquos ad vitam, alios autem ad damnationem æternam. Quoniam autem nonnulli Calvinistæ impudenter jactitant, hunc errorem falsò Calvino suo Patriarchæ affingi, operæ pretium est illud ipsum ex ipsius verbis demonstrare; scribit namque libro 3. Institutionum cap. 21. num. 5. *Prædestinationem*, inquit, *vocamus æternum Dei decretum, quò apud se constitutum habuit quid de unoquoque homine fieri vellet, non enim pari conditione creantur homines, sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædestinatum dicimus.* Et cap. 22. n. 3. *Vbicumque verò regnat hoc Dei placitum, nullam in considerationem veniunt opera*: Et capite 23. num. 4. *Fateor sanè in hanc, quâ nunc illigati sunt, conditionis miseriam, Dei voluntate decidisse universos filios Adam. Atque id est quod principio dicebam redeundum tandem semper esse ad solum divinæ voluntatis arbitrium, cujus causa sit in ipso abscondita.* Et num. 7. *Decretum*, inquit, *horribile fateor: Inficiari tamen nemo poterit quin præsciverit Deus quem exitum esset habiturus homo antequam ipsum conderet: Ideoque præsciverit quia decretâ suô sic ordinaverat.* Quibus verbis & aliis similibus satis apertè patet ejus sententia.

II. Censuit etiam Reprobationis decretò liberum arbitrium extingui.

Notandum 2. Huic impiæ & blasphemæ sententiæ aliam non minùs execrandam Calvinum attexere, nempe quòd illud Dei decretum æternum & immutabile, arbitrii nostri libertatem auferat in negotio Prædestinationis & Reprobationis, imponatque necessitatem inevitabilem Prædestinatis ut salventur, & Reprobis ut damnentur; adeoque juxta pessimam ipsius sententiam Reprobos ad peccandum trahit, impellit, & cogit, estque Author omnium cupiditatum & criminũ quibus subjiciuntur: Sic enim scribit lib. 3. Institutionum cap. 23. numero 8. *Aiunt*, Catholici doctores, *Deo permittente, non autem volente perire Impios: sed cur permittente dicemus nisi quia ita vult? Quamquam nec ipsum quidem per se probabile est, sola Dei permissione, nulla ordinatione hominum sibi accersisse interitum. Non dubitabo igitur cum Augustino simpliciter fateri voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessariò futurum quod ille voluerit.* Et lib. 2. cap. 3. num. 10. *Ac voluntatem movet* (Deus) *non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, ut nostra postea sit electionis motioni aut obsemperare, aut refragari: sed illam efficaciter afficienda. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiare necesse est* QUEM TRAHIT, VOLENTEM TRAHIT.

Et per illud homines fatali necessitate ad interitum rapi.

Et cap. 21. num. 7. affirmat Deum ex intentione perdendi Reprobos omnem illis viam salutis præcludere; *Quosdam*, inquit, *Deus exitio devovet; quosdam damnationi addicit, iisque incomprehensibili judicio vitæ aditum præcludit*: Et cap. 24. num. 12. *Quos in vitæ contumeliam & mortis exitium creavit, ut iræ suæ organa forent, eos ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbi sui facultate privat, nunc ejus prædicationem magis excæcat & obstupefacit*: Et paulò post num. 13. *Ecce vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant: lumen accendit, sed ut reddantur cæciores; Doctrinam profert, sed quâ magis obstupescant; remedium adhibet, sed ne sanentur*: Et lib. 1. cap. 18. num. 2. asserit Dæmonem impelli à Deo ad malè agendum & homines perdendos, *Fateor*, inquit, *interpositâ Satanæ operâ sæpe Deum agere in Reprobis, sed ut ejus impulsu Satan ipse suas partes agat & proficiat quatenus datum est: dicitur etiam idem Satan excæcare fidelium mentes, sed unde hoc, nisi quòd à Deo ipso manat efficacia erroris ut mendaciis credant, qui renuunt parere veritati? Secundùm priorem rationem dicitur*: Si Propheta quispiam loquutus fuerit mendaciter, ego Deus illum decepi. *Secundùm alteram verò dicitur* ipse dare omnes homines in Reprobum sensum, & projicere in fœdas cupiditates, *Quia justæ suæ vindictæ præcipuus est author; Satan verò tantum minister, &c.* Quot & quàm horrendæ ac execrandæ impiissimi Nebulonis blasphemiæ!

III. Triplex de præsenti Quæstione Doctorum Catholicorum sententia.

Notandum 3. Circa præsentem quæstionem tres esse Catholicorum Doctorum sententias, quarum *Prima* disertè contendit utramque Reprobationem tam positivam quã negativam ab ipsis propugnatam supponere præscientiam peccatorum, & ab ea tanquam causa motiva & demeritoria dependere. *Secunda* verò distinguit inter Reprobationem positivam, & negativam, nec-non & inter voluntatem infligendi pœnam & excludendi à gloria ut à beneficio indebito: Unde affirmant priorem voluntatem supponere præscientiam demeritorum, & in illa fundari; Secundam verò docent ex puro divinæ voluntatis beneficio originem ducere: in quo partim conveniunt cum Calvino, partim ab eo discrepant: Conveniunt inquam in eo quòd asserunt Deum aliquos excludere à regno ut beneficio indebito ante prævisa demerita, discrepant autem in eo quòd asserunt sic exclusos ad ignem æternum non destinari nisi post prævisa demerita. Ita docent plures Thomistæ quibus viam præivere Bannes, Zumel, & Aluares disp. 110. de auxiliis num. 8. ubi ait *Reprobatio quâ Deus statuit non dare aliquibus vitam æternam, & permittere peccata eorum non est conditionata, sed absoluta: nec præsupponit in Deo præscientiam vel prævisionem demeritorum ipsius Reprobi aut perseverantiæ in peccato usque ad*

[A] *ultimum vitæ*. Et disput. 109. num. 6. conclusione 3. priùs dixerat, *Actus positivus quô Deus ab æterno voluit non admittere quosdam in suum regnum, non fuit conditionatus, sed absolutus, antecedens in signo rationis præscientiam mali usus liberi arbitrii*. Tertia denique sententia quæ est Granadi tract. 6. disput. 2. fatetur quidem Reprobationem positivam esse posteriorem peccatis conditionatè prævisis, sed unico tamen & eodem actu decerni à Deo peccati permissionem & damnationem Reprobi; adeo ut simul & in eodem signo, permittatur peccatum fieri, prævideatur futurum, & propter illud decernatur hominis damnatio. Quæ autem [B] ex iis sententiis Catholicæ veritati & fidei magis congruat, sit.

Conclusio Prima.

Deus neminem Reprobat nisi ex prævisis demeritis.

DEUS *neminem decernit damnare ad pœnam æternam ante prævisa demerita*. Hæc est de fide.

Probatur 1. ex Concilio Valentino.

PROBATUR PRIMÒ ex Concilio Valentino cap. 3. ubi dicitur, *Fidenter fatemur prædestinationem Electorum ad vitam, & Prædestinationem Impiorum ad mortem; in Electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione verò periturorum meritum* [C] *malum præcedere justum judicium Dei*. Quibus verbis Concilium hoc statuit discrimen inter Prædestinationem & Reprobationem, quòd Reprobatio sit opus justitiæ vindicativæ quæ supponit demerita ex parte Reprobandi: Prædestinatio verò eatenus sit opus misericordiæ, quatenus supponit Dei gratiam prævenientem & cooperantem, quibus adjuvantibus fiunt opera meritoria quæ Deum movent ad formandum Prædestinationis decretum. Et consequenter censet Concilium Deum neminem reprobare nisi ex prævisis illius demeritis.

Dices Concilium esse intelligendum de Reprobatione secundùm executionem, quæ reverà supponit demerita & peccatum finale: non verò secundùm intentionem quæ pro Dei nutu [D] & arbitrio decernitur.

Contra: Concilium opponit Reprobationem Prædestinationi, in hoc quòd illa sit opus justitiæ, hæc verò opus misericordiæ: Sed sic non opponuntur secundùm executionem, utraque enim sic est ex justitia; illa quidem ex justitia vindicativa, hæc ex justitia remunerante: Ergo illa oppositio intelligi debet secundùm ordinem intentionis in quo Reprobatio est purum opus justitiæ, quia supponit hominum demerita; Prædestinatio verò dicitur opus misericordiæ, quia supponit merita quæ à gratia ortum habent.

Et Arausicano.

Confirmatur ex Concilio Arausicano 2. circa [E] finem ubi ait: *Aliquos ad malum divina potestate Prædestinatos esse non solùm non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint cum omni detestatione illis anathema dicimus*. Et ex Conc. Trident. Sess. 6. Cano. 17. *Si quis Justificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.*

Et Tridentino.

Dices Concilia esse intelligenda de malo culpæ, non de malo pœnæ damni.

Contra: Pœna damni est præcipuus terminus [A] & primum objectum Reprobationis, Ergo de ipso Conciliorum sententiæ sunt intelligendæ. *Adde quòd* Concilia loquuntur de pœna æterna à Reprobis subeunda, adeoque de solo malo culpæ non sunt intelligenda.

Et ex SS. Patribus.

PROBATUR SECUNDÒ Conclusio ex SS. Patribus, maximè verò ex Augustino quem sibi suffragantem falsò & impudenter Calvinus iactitat. Itaque S. Augustinus pluribi edocet Deum neminem damnare nisi ex prævisis ipsius demeritis: sed maximè Epist. 106. ubi cùm dixisset, *Quamvis nemo ab illo justificetur meritis præcedentibus, neminem tamen obdurari nisi meritò noverit*: Subdit, *Pie namque & veraciter creditur* [B] *Deus nocentes atque Impios justificando à pœnis debitis liberare; quemquam verò immeritum, & nulli obnoxium peccato, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur*. Hinc lib. contra Julianum cap. 18. ut probet necessitatem Circuncisionis & Baptismi ad delendum peccatum originale & præcavendam æternam damnationem, ait, *Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare quia bonus est, non potest quemquam sine meritis damnare, quia justus est*. Cui concinit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 11. *Deus ex seipso bonus est, ex nobis justus . . . Ita prior bonitas* [C] *Dei secundùm naturam; severitas posterior secundùm causam: illa ingenita, hæc accidens: illa propria, hæc accommodata: illa edita, hæc adhibita; nec natura enim inoperatam debuit continuisse bonitatem, nec causa dissimulatam evasisse severitatem: alteram sibi, alteram reis Deus præstitit.*

Præsertim ab August. *Deus de suo bonus de nostro Iustus.*

Item S. Augustinus lib. 2. contra eundem Julianum cap. 10. ut probet veritatem peccati originalis ait. *Deus autem justus si tanta parvulis mala, quanta nunc dicere non sufficio nihil peccati trahentibus irrogaret, magis appareret injustus*. Quantò magis injustus si eos in æternum absque peccato damnaret? Unde lib. 4. contra eundem cap. 8. disertè pronuntiat, *Certum & immobile teneamus*, inquit, *non esse iniquitatem* [D] *apud Deum quâ quemquam sine malis meritis damnet.*

Denique lib. de unitate Trinitatis contra Manichæos cap. 7. *Non enim injustitia est apud Deum, ut damnet eos qui omnino nihil peccaverunt*. Quibus apertè constat quantùm impia Calvini sententia à sancti Augustini doctrina longè exorbitet. Hæc omnia confirmantur ex iis quæ diximus de mente sancti Augustini circa prædestinationem ex prævisis meritis.

Probatur etiam subtili ratione Doctoris.

Probatur eadem veritas ratione, & quidem à Doctore Subtili in 1. distinctione 41. n. 14. his verbis, *Damnatio non videtur bona quia justa, nam secundùm Augustinum* lib. 11. super Ge- [E] nesim cap. 24. non priùs est Deus ultor quam aliquis sit peccator: *Videtur enim esse crudelitatis punire aliquem non præexistente in eo culpa; igitur à simili non vult Deus priùs aliquem punire, quàm videat aliquem esse peccatorem. Non igitur primus actus voluntatis divinæ circa Iudam est velle damnare Iudam, prout Iudas offertur in puris naturalibus: quia tunc videretur velle damnare sine culpa: sed videtur quòd oportet Iudam offerri voluntati divinæ sub ratione peccatoris antequàm velit ipsum damnari: Ergo cùm Reprobare sit velle damnare, Reprobatio habebit ex parte objecti rationem aliquam, scilicet peccatum finale prævisum.*

Deinde pœna ut pœna videtur esse quoddam bonum ex occasione: sed bonum occasionatum, cùm non ametur nisi occasione mali præsuppositi, necessum est ut qui decernit infligendam pœnam, priùs supponat peccati futuritionem: & consequenter voluntas puniendi & infligendi pœnam, supponit in Deo prævisionem culpæ, & ab ea dependet: Unde sanctus Fulgentius lib. 1. ad Monimum expendens illa verba Pauli ad Rom. 9. *Esau odio habui*, ait *Quæso Monime Charissime ut hunc locum Apostoli diligenter attendas; notum namque est iram Dei dici non posse nisi ubi creditur hominis iniquitas præcessisse:* Et infra, *Quia Deus peccata hominum præscientiâ vidit, sententiam Prædestinationis dictavit.* Concinit sanctus Damascenus lib. 2. de fide cap. 26. *Deus*, inquit, *ex seipso movetur ad miserendum: ad puniendum non nisi ex nostra præsupposita culpa.*

Denique aliquem ad pœnam destinare, est ipsum odio habere, & quidem positivè: sed odium Dei positivum necessariò supponit culpam, juxta illud Sapientiæ 14. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus:* Ergo voluntas quâ Deus homines destinat ad pœnam, necessariò supponit peccati prævisionem. Quæ hanc adversus veritatem ab hæreticis solent objici, rectiùs dissoluet

CONCLUSIO SECUNDA.

Deus non Reprobat positivè ante prævisa demerita

DEVS *ante prævisa peccata neminem positivè decernit excludere à gloria æterna ut beneficio indebito.* Hæc est contra duas posteriores sententias &

Probatur primò illis omnibus Scripturæ textibus quibus indicatur Deum voluntate antecedente velle omnes homines salvos fieri: necnon & iis quibus Deus testatur non esse voluntatis suæ mortem Impii, & perditionem Israël esse ex illa ipsa. *Probatur* etiam authoritate sanctorum Patrum quibus supra demonstravimus eos apertè sentire Deum neminem prædestinare, nisi ex prævisis meritis; adeoque nec aliquem Reprobare nisi ex demeritis suppositis.

Confirmatur insuper ex sancto Augustino Epistola 106. ubi ait, *Cùm per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa massa defluxerit, proculdubio quòd ex ea fiunt vasa in honorem, non ipsius justitiæ quam gratia nulla præcessit, sed Dei misericordiæ; quòd verò in contumeliam, non iniquitati Dei quæ absit ut sit apud Deum, sed judicio deputandum est:* At qui positivè Reprobantur, fiunt vasa in contumeliam: Ergo sicut qui prædestinantur, fiunt vasa in honorem ex misericordia, quæ supponit merita ex gratia per misericordiam Dei largienda; ita qui reprobantur & excluduntur à Regno, fiunt vasa in contumeliam ex divina Iustitia vindicativa quæ supponit culpam. Ipsi concinit S. Prosper Responsione 7. ad objectiones Gallorum ubi de Reprobis ait, *Gratia Dei non priùs eos deseruit quàm ab eis desereretur, & quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione prævidit, ideo in Prædestinationis electione illos non habuit.*

Ratione suadetur.

PROBATUR ITEM RATIONE: Si voluntas excludendi à regno non pendeat ex prævisione peccati futuri, sequitur Reprobum de facto non excludi à regno propter peccatum commissum: sed consequens est hæreticum: Ergo, A &c. Probatur sequela majoris: Homo non potest censeri damnandus propter peccatum commissum, quando damnatio ipsa reverà futura est etiamsi nullum esset peccatum: sed esset futura damnatio Reprobi, quamvis nullum esset ejus peccatum; positô enim Dei decretô absolutô de excludendo Iuda v. g. à gloria ante prævisam ipsius malitiam, implicat ut hæc exclusio non sequatur quamvis nullum sit futurum ipsius Iudæ peccatum; decretum enim Dei absolutum omnino irrefragabile & invariabile est.

Deinde posita illa exclusione positiva à Regno ante prævisa demerita, sequitur Deum non velle sincerè voluntate antecedente salvare omnes homines: sed consequens apertè B militat in Scripturam sacram, ut pluries insinuavimus: Ergo, &c Probatur sequela majoris: Si Deus sincerè velit voluntate antecedente salvare Iudam, tenetur ratione hujus voluntatis reddere Iudæ salutem possibilem: Sed suppositô illô decretô antecedente de excludendo Iuda à Regno æterno ut beneficio indebito, salus non est amplius ullo modo Iudæ possibilis, quia hæc divina voluntas effectu suo frustrari non potest: Ergo, &c.

Denique, si decretum excludendi Reprobos à regno non suppponat eorum prævisa peccata futura, sequitur Reprobos sive benè, sive malè agant invariabiliter esse damnandos: At hæc C divinæ bonitati & Iustitiæ repugnant: Ergo, &c. Probatur sequela majoris: Illud est invariabiliter futurum, quod non potest non evenire: Sed ita est impræsentiarum, quia cum decreto absoluto de damnatione conjungi nullomodo potest negatio damnationis; cùm enim decretum damnationis sit absolutum, etiam est invariabile ante prævisum peccatum Reprobi: Ergo sive ille bene agat, sive malè semper damnabitur.

Dices 1. Sanctus Paulus ad Rom. 9. expressè loquitur de Reprobatione positiva: Sed ibidem affirmat illam fieri independenter à prævisione demeritorum, & à sola Dei voluntare pendere: Ergo reuerà ita fit. Major patet: *Primò* D quia Reprobationem vocat odium; loquens enim de Esau in persona cæterorum Reproborum, dicit Deum odio illum habuisse; odium autem est positiva detestatio rei, & aliquid amplius significat & importat quàm non dilectio: *Secundo* idipsum demonstrat exemplô figuli facientis vas in honorem, & aliud in contumeliam; figulus autem positivè contemnit illam massæ terreæ partem ex qua facit vas in contumeliam. *Tertiò* finem à Deo reprobante intentum docet ibidem sanctus Paulus esse ostensionem iræ seu justitiæ divinæ, justitia autem actum positivum indicat. *Quartò* voluntas E cui opponitur resistentia, est positiva: Sed talem voluntatem significat Paulus esse Reprobationem; dicit enim, *Voluntati ejus quis resistit?* Ergo reverà ibidem agit de Reprobatione positiva.

Obiicitur urgentissima ab authoritate difficultas.

Probatur itaque minor, nempe quòd Apostolus ibidem affirmat illam positivam Reprobationem à sola Dei voluntate, non autem à meritis pendere: Primò quia Esau cùm nondum aliquid mali egisset dictum est, *Esau odio habui*; quod probar subjiciendo, *Igitur non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei:* Idipsum confirmat exemplô Pharaonis, quia in

hoc ipsum excitavi te ut ostendam in te virtutem meam, & ut anuncietur nomen meum in universa terra: Unde concludit Apostolus, *Ergo cujus vult miseretur & quem vult indurat*; Et mox sibi objiciens: *Dicis itaque mihi qui adhuc queritur? voluntati ejus quis resistit?* Non aliud respondet quàm *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* Quasi diceret à sola Dei voluntate Reprobationem pendere. Quod confirmat rursus exemplo figuli, *Nunquid dicit figmentum ei qui finxit se, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Quasi diceret; quemadmodum figulus pro voluntate & arbitrio ex eadem massa ferrea aliud effingit vas in honorem aliud in contumeliam; ita Deus pro sua libertate & voluntate aliquos seligit ad gloriam, alios in contumeliam destinat, & in opprobrium sempiternum.

Et solvitur.

Respondeo 1. Nos huic objectioni jam apertè fecisse satis in Quæstione de Prædestinatione post prævisa merita: Ad hoc solùm addo negandam esse minorem, & ad ejus probationes dico, Esau odio haberi antequam agat aliquid boni, vel mali, quia minùs diligitur & reprobatur à gratia efficaci, quam gratis & ex pura Dei misericordia Iacob accipit: Neque similis est ratio amoris Iacob & odii Esau, quia Iacob amatur propter bona opera, quæ proveniunt ex gratia quam Deus ex pura misericordia largitur, & idcirco *Non est volentis neque currentis* ad hanc gratiam, sed solius *Dei miserentis*: Esau verò non habetur odio nisi propter peccatum quod ab ipso Deo non intenditur nec perficitur, sed prohibetur, & punitur. Similiter cum dicitur Pharao excitatus ut Deus in ipso ostendat virtutem suam, illa *Excitatio* potiùs eventum significat quàm causam finalem: Insuper comparatur Deus *Figulo* facienti aliud vas in honorem aliud in contumeliam, ut significetur eum aliquos equidem destinare ad gloriam, alios autem ad opprobrium æternum, sed post prævisa ipsorum opera; nec enim necesse est ut comparatio in omnibus quadret, sed sufficit quòd in aliquo significationem obtineat.

1 Odium usurpatur pro minori dilectione.

Adde quod ibidem Apostolus solùm loquatur de electione ad gratiam & fidem Christianam quæ ex mera Dei misericordia pendet quamque nulla promereri possunt bona opera naturalia Gentilium nec legalia Iudæorum; ut constat ibidem à *versu* 24. usque in finem capitis: Signanter enim dicit, *Quid ergo dicemus quod Gentes qui non sectabantur justitiam apprehenderunt justitiam, justitiam autem quæ ex fide est: Israël verò sectando legem justitiæ in legem justitiæ non pervenit?*

2. Quia D. Paulus loquitur solū de electione ad gratiam & fidem.

Dices 2. Sanctus Augustinus pluribi asserit non posse proferri ullam rationem Prædestinationis, vel Reprobationis, ait enim tract. 26. in Ioannem, *Quare illum trahat, & illum non trahat noli dijudicare si non vis errare*: Et lib. de Bono perseverantiæ cap. 11. *Cur autem potiùs illis, quàm illis detur, quis cognovit sensum Domini, &c.* Et cap. 12. idem repetens ait, *Cur hunc potiùs liberet quàm illum, iterum atque iterum dicimus: O homo tu quis es ut respondeas Deo!* Sed si peccatum esset causa Reprobationis positivæ, reverà quis absque periculo erroris de hoc judicium ferret Dominique sensum cognosceret: Ergo reverà non ita sit.

A *Respondeo* 1. Rectè in Adversarios posse retorqueri argumentum; si enim illa Reprobatio ex sola Dei volūtate penderet, haud dubiè illius causa non esset ignota, sed quisque affirmare posset idcirco Iudam esse damnatum quia Deus quos vult pro libertate seligens ad gloriam aut destinans ad pœnam; Iudam inter Reprobos computaverat.

Respondeo 2. Cum Doctore in 1. dist. 41. n. 15. quòd Apostolus dicens judicia Dei esse inscrutabilia redarguit præsumptuosos inquirentes illa quorum non sunt capaces: Non autem propter inopiam reddendæ rationis saltem in communi, licèt in particulari nesciatur quod malum prævidet Deus in isto propter quod reprobet eum, & in istis specialibus peccatis prævisis est B altitudo divitiarum, & sunt judicia incomprehensibilia...... Nescit enim homo, nec potest scire in quod peccatum Deus vult permittere istum cadere respectu cujus sit non volitio conferendi gratiam ut sic auferatur tanquam finaliter peccator in illo peccato: & sic propter illud peccatum prævisum reprobetur.

Cur inscrutabile dicatur arcanum Reprobationis.

CONCLUSIO TERTIA.

NON *solùm peccatum originale, sed quodlibet peccatum finale prævisum est causa positiva Reprobationis.* Hæc est Doctoris loco lau- C dato.

Peccatum, tum originale, tum finale prævisum, est causa Reprobationis.

Probatur prima pars: Id quod non est causa damnationis, non est causa positivæ Reprobationis: sed peccatum originale, in multis reprobis non est causa eorum damnationis: Ergo nec positivæ Reprobationis. Major constat; siquidem unicus aut saltem præcipuus positivæ Reprobationis effectus, est damnatio ut patebit infra. Minor probatur: Peccatum semel remissum, non potest esse motivum, & causa damnationis: sed peccatum originale in multis Reprobis est remissum; multi namque remedium peccati originalis recipiunt, & interdum D justè, & sanctè vivunt: Ergo illud non est causa eorum Reprobationis.

Confirmatur ex Concilio Tridentino Sess. 5. Canone 5. ubi ait, *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam quæ in baptismate confertur reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram, & propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantummodo radi aut non imputari, anathema sit: In renatis enim nihil odit Deus quia nihil est damnationis iis qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, &c.* Si autem Deus damnaret Reprobos qui baptisati fuerunt propter aliquando contractum originale pec- E catum, certè odisset illos propter aliquid perseverans post baptismum: Ergo reverà censet Concilium illos non reprobari præcisè propter illud peccatum originale.

Nec refert quod sublato etiam originalis peccati reatu remaneat obligatio ad pœnas aliquas temporales; siquidem renati adhuc subjiciuntur fomiti concupiscentiæ, mortalitati, & cæteris calamitatibus hujus vitæ. Aliud enim est in eis remanere obligationem ad pœnas quibus divinæ justitiæ satisfaciunt & gloriam æternam promerentur; aliud verò remanere aliquid ipsius reatus culpæ quò divinum odium provocent, & damnationem æternam incurrant, hoc enim apertè Concilium damnat,

adeoque nullus absque anathematis periculo oppositum docere potest.

Dices: Sanctus Augustinus pluribi, maximè verò Epistola 105. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. in Enchiridio cap. 94. & lib. de Correptione & gratia cap. 7. apertè docet omnes Reprobos ex uno peccato ire in damnationem, id est ex peccato originali, quod vocat *unum*, hoc est commune omnibus; Unde factum est ut Semipelagiani hunc articulum Augustino adscriberent, quod ab eis qui non sunt Prædestinati ad vitam non auferat perceptâ baptismi gratiâ Originale peccatum, intelligentes nempe Augustinum locis citatis docuisse quod etiam baptisati damnentur propter originale peccatum, adeoque illud non fuisse per baptismatis gratiam expunctum.

Peccatum originale est tantùm remota & radicalis causa Reprobationis.

Respondeo S. August. equidem Reprobationis causam assignasse peccatum originale, non quidem proximam & formalem, sed remotam & radicalem in Adultis; nam propter peccatum originale, ita quosdam permittit Deus cadere in peccatum finale ut id non permisisset si Adamus non peccasset, nec suam posteritatem originali labe infecisset; omnes namque fuissent finaliter justi & saluati ut docet ipsemet S. Augustinus lib. Retractationum cap. 33. Permissio autem illa non est propriè causa peccati finalis, adeoque nec Reprobationis, sed solùm occasio, vel conditio sine qua non, inquit Smisingus noster disput. 6. num. 716.

Hanc autem esse sancti Augustini mentem confirmat S. Prosper responsione ad objectiones Gallorum dicens, quod *Qui recedit à Christo & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in quod remissum est recidit, nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa quæ remissa sunt debebatur. Quod quia Dei præscientiam, nec latuit, nec fefellit, sine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædestinavit, & periturum nunquam ab æterna damnatione discrevit.* Quibus apertè docet Deum reprobare solùm post prævisum peccatum, non quidem originale solùm, sed etiam finale, adeoque nostram conclusionem disertè affirmat.

Patet secunda pars ex illo Eccles. 11. *In quocumque loco ceciderit lignum ibi erit.* Quibus significat in hominis damnatione magis attendi statum finalem quàm primordiale peccatum.

Deinde motivum Reprobationis petitur à peccato, vel originali, vel actuali intermedio, vel finali: Non quidem ab originali ut dictum est, nec etiam ab actuali intermedio: Ergo restat ut illa causa repetenda sit à prævisio finali peccato, sive tandem illud sit originale perseverans & non expunctum, ut contingit in parvulis, qui ante susceptum baptisma moriuntur, vel actuale in quo adultus vitam claudit.

Dices: Causa Reprobationis debet esse æqualis in omnibus, sed multi reprobantur propter originale: Ergo & omnes.

Distinguo majorem: Causa formalis Reprobationis eadem debet esse in omnibus Reprobis, concedo: materialis, nego: causa autem formalis Reprobationis est peccatum finale, sive illud sit originale perseverans, sive actuale.

QUÆSTIO TERTIA.

Quot, & qui sint Reprobationis effectus?

QUAMQUAM juxta nostram sententiam, sola æterna damnatio quantùm ad pœnam sensus & damni, unicus ac proprius sit effectus Reprobationis secundùm intentionem, utpote quæ sola sequatur peccatum finale prævisum, quod Reprobationis causam demeritoriam & motivam supra diximus: Nihilominus quoniam secundùm executionem tribus veluti passibus Reprobus quisque in illam damnationem æternam præceps ruit, nempe gratiarum substractione & expulsione, Excæcatione, & Obduratione: hinc operæ pretium est de singulis quidpiam impræsentiarum delibare.

I. Quid sit Obduratio & unde dicta.

Notandum 1. Ex S. Bonaventura in compendio Theologico. l. 2. c. 31. quòd Spirituum Obduratio, translativè & per metaphoram dicitur juxta quandam proportionem à duritie rerum corporearum. *Duritiam autem corporum* (inquit) *sequitur triplex proprietas. Primum est inhabilitas ad suscipiendam impressionem: Secundum stabilitas ad permanendum in se: Tertium est fortitudo ad resistendum. Unde cor dicitur obdurari tripliciter; unò modò per inhabilitatem ad suscipiendam gratiam: Secundò per firmam adhesionem ad peccatum: Tertiò modò per rebellionem divinarum inspirationum, & mandatorum Dei.* Primum oritur ex vitiatis & per peccatum depravatis animæ facultatibus: Secundum ex assidua peccandi consuetudine quâ fit ut peccator cùm in profundú venerit contemnat. Tertium verò ex ipsius peccatoris inveterata & obfirmata malitia & superbia, quâ Deum spernit, nec minis ejus terretur, nec promissis allicitur, nec gratiis movetur ampliùs.

II. Quid sit Excæcatio & quomodo contingat.

Notandum 2. Excæcationem, gratiæ substractionem & recessum, & Obdurationem, fieri tripliciter, scilicet affectivè, dispositivè, & effectivè, seu causativè: *Primò* namque peccator propter assiduam peccandi consuetudinem, ita circa peccatum afficitur, ut Deo vocanti & invitanti per gratias suas ad conversionem, diu ac pertinaciter resistat, divinis mandatis & minis non attendat, & ad similitudinem incudis ictibus resistat & magis obdurescat; quale erat peccatum Pharaonis, qui tot flagellis & tam crebiò repetitis Dei miraculis non cedebat. *Secundò* peccator habet veluti dispositiones quasdam habituales per quas ob diuturna peccata redditur inposterum inhabilis ad obediendum divinis inspirationibus, ita ut vix illas sentiat vixque attendat ad veritates supernaturales quas proponit. Obduratio enim quæ duos alios effectus complectitur, videtur tribus his contineri, videlicet, *Non cogitare, non penetrare, non sentire* divina beneficia ad pœnitentiam provocantia: Iuxta illud Isaiæ, *Excæca cor eorum, & aures aggrava, & oculos claude ut videntes non videant, &c.* Sicut enim gratia includit illuminationem intellectus, & impulsum voluntatis juxta illud, *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ; vidit, & commota est*: sic Obduratio dicit quamdam cæcitatem in intellectu, & inadvertentiam ad ea quæ Deus loquitur interiùs: includit etiam in voluntate obstinatio-

nem, quâ nec sentit divinos motus nec ab illis tangitur ot efficaciter resipiscat: Juxta illod, *Induraverunt facies suas supra petram & noluerunt reverti.* Tertiò denique hi tres effectus sumuntur causativè & effectivè, ex parte scilicet causæ à qua per accidens hæc dispositio & peccatum obdurationis trahunt originem; illa autem caosa non alia est quàm divinum decretum negandi Reprobo, ptopter peccata præcedentia, gratias congruas quibus cor de facto emolliretur.

Inde sequitur juata triplicem hanc acceptionem quòd Obduratio, Excæcatio, & gratiæ Substractio simul sit peccatum, & causa peccati, & pœna peccati, ab ipso Reprobo magis quam a Deo repetenda.

III.

Triplex est pœna.

Notandum; Ex S. Bonaventura in 1. dist. 40. art. 4. quæst. 1. pœnam distingui posse triplicem: *Est enim*, inquit, *quadam pœna inflicta quadam contracta, quedam acta*: Pœna inflicta *simpliciter est passio qua non repugnat gratia, quales sunt fames, sitis & ægritudo*: Pœna contracta *est fomes & concupiscentia, & hac quidem passio est, & ideo pœna, sed tamen inclinat ad actionem malam: & ideo gratiæ repugnat, non quantum ad substantiam, sed quantum ad inclinationem.* Pœna acta, *est sicut obduratio, & gratia expulsio, & hac quidem pœna est, quia passio est: Sed quia ex mala actione, sive ex peccato est, & illud concomitatur inseparabiliter; ideo opponitur gratia, & ita patet quod quamvis contingat per propriam actionem, nihilominus pœna est, sicut patet in scabiosa qui in scalpendo se delectat, sed postea sentit in carne ardorem.* His ita prælibatis quæritur an gratiæ expulsio & recessus, Excæcatio, & Obduratio contingant potiùs ex parte Dei quàm ex parte peccatoris Reprobi.

CONCLUSIO UNICA.

IV.

Deus neminem deserit nisi deseratur.

GRATIÆ *recessus & humani cordis excæcatio ac obduratio, ex parte peccatoris priusquam ex parte Dei ortum habent.* Hæc est communis sanctorum Patrum ac Doctorum sententia, & constat quidem 1. de recessu gratiæ ex Concilio Tridentino Sess. 6. c. 11. ubi hæc habet, *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit nisi ab eis prius deseratur.* Quod confirmatur ex S. Augustino lib. de Natura & Gratia cap. 26. ubi ait, *Cùm ad perfectam sanitatem, hac est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit si non deseratur ut semper justèque vivatur;* Ipsi concinit S. Prosper responsione 7. ad objectiones Vincentianas, ubi loquens de Christianis qui pietatem Christianæ conversationis & fidei deserentes, in prophanos errores aut damnabiles mores irrevocabiliter transierunt, ait, *Nullô modô credendum est hujusmodi homines in hanc desperationem ex Dei voluntate cecidisse; cùm potius allevet Dominus omnes qui corruunt & erigat omnes elisos: nemo enim nisi illius gratiâ erigitur, nemo nisi illius gratiâ stabilitur. Dei ergo voluntas est ut in bona voluntate maneatur, qui & priùs quàm deseratur neminem deserit, & multos desertores sæpe convertit.*

Idem patet de Obcæcatione cordis, quam peccati pœnam & peccati causam, nec-non & peccatum esse sanctus Augustinus pronunciat l. 5. contra Iolianom cap. 3. his verbis, *Cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & pec-* A *catum est, quo in Deum non creditur; & pœna peccati quâ cor superbum digna animadversione punitur; & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur.* Quam veritatem luculenter expendit lib. de Natura & Gratia capite 22. obi exponens illud Apostoli ad Rom. loquentis de Philosophis, qui *Cùm Deum cognovissent non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*, ait, *Utique ista obscuratio vindicta & pœna jam fuit; & tamen per hanc pœnam, id est per cordis cæcitatem, qua fit deserente luce sapientia, & in plura & gravia peccata collapsi sunt*, dicentes se esse sapientes stulti facti sunt: *Gravis hac pœna est si* B *quis intelligat, & ex hac pœna vide quò ierunt:* Et immutaverunt, *inquit*, gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & serpentium: *Ita fecerunt ex peccati pœna quâ* obscuratum est insipiens cor eorum, *& propter hac tamen quia licet pœnalia etiam ipsa peccata sunt, adjungit & dicit* propterea tradidit illos Deus in desideria cordis illorum in immunditiam...... *Videte etiam ex hac pœna quid faciunt*, ut contumeliis, *inquit*, afficiant corpora sua in semetipsis. *Et quia pœna est ista iniquitatis cum sit & iniquitas, evidentiùs com-* C *mendat dicens*, qui transmutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula amen. Propter hoc, *inquit*, tradidit Deus illos in passiones ignominiæ. *Ecce quoties vindicat Deus & ex eadem vindicta plura & graviora peccata consurgunt, &c.*

Qualiter homo à Deo derelictus in horrenda peccata præceps ruat.

Denique idipsum constat de cordis Obduratione; nam ut ipsemet S. Aug. loquitur lib. de Gratia & libero arbitrio exponens illud Apostoli ad Rom. 9. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat; In eo*, inquit, *quem seduci permittit vel obdurari, mala ejus merita credite; in eo verò cujus miseretur, gratiam Dei non reddentis* D *mala pro malis, sed bona pro malis fideliter & indubitanter agnoscite. Nec ideo auferatis à Pharaone liberum arbitrium quia multis locis dicit Deus:* Ego induravi Pharaonem vel indurabo cor Pharaonis, *Non enim propterea ipse Pharao non induravit cor suum. Nam & hoc de illo legitur quando ablata est ab Egyptiis cynomia dicente Scriptura,* & ingravavit Pharao cor suum, & in isto tempore, & noluit dimittere populum: *ac per hoc, & Deus induravit per justum judicium, & ipse Pharao per liberum arbitrium.* Unde egregiè concludit S. Aug. fideles ad assiduum profectum adhortans; *Certi ergo estote quia non erit inanis labor vester si in bono proposito proficientes perseveretis usque in finem. Deus* E *enim qui modò illis quodlibet non reddit secundùm opera eorum tunc reddet unicuique secundùm opera ejus. Reddet omnino Deus & mala pro malis, quoniam justus est & mitis; & bona pro malis, quoniam bonus est; & bona pro bonis, quoniam bonus & justus est: tantummodo mala pro bonis non reddet quoniam injustus non est. Reddet ergo mala pro malis, pœnam pro injustitia: & reddet bona pro malis gratiam pro injustitia; & reddet bona pro bonis gratiam pro gratia.*

Qualiter fiat cordis Obduratio.

Ipsi concinunt Africani Præsules in Sardinia exulantes in Epistola Synodica circa medium. *Deus*, inquiunt, *obdurare dicitur, non*

quia ad iniquitatem compellit, sed cum ab iniquitate non eripit: quod, quia justus est, justè facit. Deo ergo miserante sine suis meritis homo salvatur; obdurante autem justè recipit quod meretur: Dominus quippe donô bonitatis salvat, judiciô severitatis obdurat. Accioit & sanctus Isidorus lib. de summo booo cap. 5. citea finem, *Sicut,* inqoit, *auferre Deus dicitur homini donum aliquod quod homo non habuit, id est quod accipere non meruit, sic & obdurare dicitur Deus hominem, non ejus faciendo duritiam, sed non auferendo eam quam sibi ipse nutrivit. Non aliter & obcæcare dicitur quosdam Deus, non ut in eis eamdem ipse cæcitatem faciat: sed quod pro eorum inutilibus meritis, cæcitatem eorum ab eis ipse non auferat.*

Quàm lagenda sit humani cordis induratio.

Quàm autem sit logenda hæc cordis duritia disertè aperit sanctus Bernardos lib. 1. de considetatiooe cap. 2. ubi Eugeniom Pontificem alloqoens, eumque interpellaos ut sese subducat à tempoeaneis negotiis, & tedeat ad eor ne fortè paulatim ttahatue ad eot dotum, ait, *Ne pergas quærere quod illud sit: Si non expavisti, tuum hoc est. Solùm est cor durum quod semetipsum non exhorret, quia nec sentis. Quid me interrogas? interroga Pharaonem, nemo duri cordis salutem unquam adeptus est ni quem fortè miserans Deus abstulit ab eo juxta Prophetam cor lapideum, & dedit cor carneum.*

C Deinde ducitiam eotdis egregiè depingit: *Quid ergo cor durum,* inquit? *Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina: Præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens. Ipsum est cui præteritorum præter solas injurias, nihil omnino non præterit; præsentium nihil non perit, futurorum nulla nisi fortè ad ulciscendum prospectio, seu præparatio est. Et ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. En* D *quò trahere te habent hæ occupationes maledictæ, si tamen pergis ut cœpisti ita dare te totum illis nihil tui tibi relinquens; perdis tempus: Et si liceat nunc alterum me tibi exhibere Iethro; tu quoque in his stulto labore consumeris quæ non sunt nisi afflictio spiritûs, evisceratio mentis, evacuatio gratiæ. Nam fructus horum quid nisi aranearum tela?*

APPENDIX

DE LIBRO VITÆ.

I.

Reverà est liber VITÆ in quo prædestinati scribi dicuntur.

QUÆRES 1. an sit admittendus? *Affirmo,* id siquidem Scriptura sacra pluribus in locis diserte indicat: Ptimò quidem Exodi 32. ubi Moises Deum alloquens ait, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis dele me de libro quem scripsisti:* Et ibidem, *qui peccaverit mihi delebo eum de libro meo.* Psalm. 68. *Deleantur de libro viventium & cum justis non scribantur.* Psalm. 138. *In libro tuo omnes scribentur:* Qui contextus quamquam à nonnollis explicentur de Setiptuta sacra, seu libro in quo scribebantur insignia facta jostorum, qui tempore vete-

A ris legis claruerunt, qui liber ideirco appellatur *Liber justorum* Josoë 10. & 2. Regum 1. cap. ita ut ex illo libro Moises potius optaverit deleri, qoàm Deum populo maoere offensum: Nihilominus convenientiùs, & eectiùs intelliguntue de illo libro metaphorico, seu de scientia quam Deus habet de numeto salvandorum vel teptobandotom, ut clatiùs inootescit ex aliis seqoentibus Setiptutæ textibus Daniel 12. *In tempore illo,* inquit, *salvabitur populus tuus omnis qui fuerit inventus scriptus in libro. & multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium ut videant semper.* Qui cootextos intelligi oequit de salvandis salute tempotali, ut quidam B perpetam inteptpetantot; siquidem loquitue Prophera de salute consequenda post eesottectionem mortuorum.

Nec paritee explicari potest de scientia ipsorum salvandorum, siquidem illi ante sententiæ extremæ prolationem, nesciunt qui salvandi siot quive damnandi: Restat etgo qood intelligatur de scientia quam Deus habet de his qui certò salvabuntur aot damnabuotur. Quod confitmatur sequentibus Scripturæ textibus. Apocal. 3. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ:* Et cap. 13. *Adoraverunt bestiam omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni qui occisus est ab origine mundi:* Et cap. 17. *Mirabuntur inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi:* Et cap. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum aut abominationem faciens & mendacium nisi qui scripti sunt in libro vitæ, Agni.* Quæ verba clariora suot quàm ut de alio præter librum scientiæ Dei commodè possint intelligi.

Quæres 2. quid sit liber Vitæ?

II.

Quis sit ille liber expenditur.

RESpondet sanctus Augostinos lib. 20. de Civitate Dei c. 14. quod LIBER VITÆ *est quædam vis divina, quâ fit ut unicuique opera sua vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset scientia conscientiam, atque omnes & singuli ita judicentur: quæ nimirum vis divina libri nomen accepit; in ea quippe quodammodo legitur, quidquid ea faciente recolitur.* Verùm hæc defioitio quadtare non potest cum laudatis Scripturæ textibus; Augustinus enim per *Librum vitæ* intelligit judicandotum conscientias, nec non & ipsos Sanctos & Electos, qui dicuntur aperiendi, quatenus omnia ipsorum opera singulis patebunt ut notificetue etiam Reprobis possibilem fuisse observantiam mandatorum Dei: At hoc sanè conciliari ne- E qoit com præfatis Setipturæ textibus: Tum quia in exemplo, seu vita Saoctorum, non apparent Reptoborum opeta; adeoque in illis appatere nequit scriptum judicium Reptoborum, secundùm opera ipsorum: Tum quia simili tatione Reprobi vocari possent libri, quatenus suô exemplô ostendunt Electis possibilem fuisse observantiam mandatorum; ideoqoe ipsos propter liberam eorum observantiam meritò coronari.

Unde rectiùs videtur definiri liber vitæ *Certa & perspicacissima Dei cognitio, quâ numerum*

salvandorum, tum in specie, tum in individuo intuitivè conspicit. Hæc autem cognitio idcirco metaphoricè dicitur *Liber vitæ*, quia sicut Scriptura liber est signum eorum, quæ facienda sunt; ita Dei notitia & memoria quâ firmiter novit se aliquos prædestinasse, est signum apud ipsum, eorum qui sunt perducendi ad vitam æternam, juxta illud ad Timotheum 2. *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc: novit Dominus qui sunt ejus.* Hinc sequitur primò librum vitæ esse veluti cognitionem consequentem decretum Prædestinationis, & ab eo formaliter distingui; siquidem illud supponit, & decretum Prædestinans sine hac sequenti cognitione adequatè & formaliter potest concipi. *Sequitur secundò* librum istum propriè spectare vitam gloriæ & finem supernaturalem; ita ut sit conscriptio quædam sive notitia electorum ad vitam gloriæ æternæ; quia illud ad quod eligitur aliquis & conscribitur, habet rationem finis: sicut miles, non eligitur aut conscribitur ut armetur, sed ut pugnet. *Tertiò* denique sequitur quòd cùm liber vitæ sit conscriptio ordinatorũ in vitam æternam, & aliquis ad illam ordinetur ex duobus, videlicet ex prædestinatione divina, & ex gratia sanctificante; quicumque enim habet Prædestinationem divinam, ex hoc ipso dignus est vitæ quia illa numquam deficit; secus verò secundùm posteriorem, quia multi deficiunt à gratia per peccatum mortale, de quibus intelligi potest illud Psalmi 68. *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur:* Priores dicuntur simpliciter in libro vitæ: Posteriores verò dicuntur scribi tantùm secundùm quid. Ut explicat Alensis noster 1. p. quæst. 23. memb. 3. art. 4. *Dicitur*, inquit, *aliquid scribi in libro vitæ dupliciter, simpliciter & secundùm quid; simpliciter ibi scribuntur illi qui habent perseverantiam finalem in gratia: secundùm quid verò dicuntur ibi scribi reprobi cum habent præsentem justitiam.*

Quæres 3. An reverà sit etiam liber Mortis in quo describi dicantur Reprobi?

Est etiam Liber Mortis pro Reprobis.

AFfirmo: Sicut enim prædestinationi respondet liber vitæ, ita dici potest reprobationi respondere metaphoricè librum mortis, id est notitiam & memoriam Dei quâ firmiter novit & retinet se aliquos propter peccatum finale morti æternæ addixisse; certum enim est habere Deum, præscientiam indelebilem eorum omnium qui pereunt, æquè ac habet eorum omnium qui salvantur; adeoque sicut illa notitia vocatur *Liber vitæ*, sic ista verè potest appellari *Liber mortis.* Quem loquendi modum probare videtur Ecclesia, siquidem in officio defunctorum sic canit, *Liber scriptus proferetur in quo totum continetur unde mundus judicetur.* Colligitur etiam ex Apocalypsi 20. *Libri aperti sunt, & alius liber apertus est qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex iis quæ scripta erant in libris secundùm opera illorum, & qui non est inventus scriptus in libro vitæ missus est in stagnum ignis:* Unde sanctus Basilius in caput 4. Isaiæ exponens illud Jeremiæ 17. *Recedentes à te in terra scribuntur*, ait, *Duæ intelligi debent descriptiones: Una quidem est eorum qui ad vitam: Altera autem eorum est qui scribuntur ad perditionem.*

Nihilominus memoria prædestinatorum convenientiùs dicitur *Liber vitæ*, quàm memoria reproborum appellatur *Liber mortis*: Tum quia inquit Alensis laudatus, *Deus habet proprium quod ipsum est, scilicet salvare & præmiare, ex ipso verò propriè sive secundum ipsum non est punire, sed ex nobis ipsis.* Tum quia liber scribitur ut ante oculos scribentis versetur, & ad perpetuam rei memoriam: At Deus potiùs obliviscitur quodammodo reproborum, qui æterna memoria indigni sunt, juxta illud Oseæ 1. *Oblivione obliviscar eorum:* Contra verò *In memoria æterna erit justus*, Psal. 3. Item quia sicut in scriptura dicitur Deus magis specialiter scire ea quæ approbat, & nescire quæ reprobat Matth. 25. Lucæ 13. & Corinth. 14. sic liber dicitur magis specialiter ille, qui continet nomina Electorum de quibus dicitur, 2. Timoth. 2. *Novit Dominus qui sunt ejus:* Iuxta probabilem multorũ interpretationem. Quo sensu Euthym. in Psal. 68. sic ait, LIBER DEI *est summa ejus scientia:* SCRIPTURA *verò perpetua memoria. In libro igitur divinæ scientiæ omnes scribuntur tam justi quàm peccatores; verùm hic divinæ scientiæ liber magis est universalis; Est etenim alius liber scientiæ Dei magis privatus* (id est magis proprius) *in quo solo justi scribuntur ex ratione quod eos tantùm cognoscere hoc est approbare dicitur juxta id quod scriptum est* NOVIT DOMINUS VIAS IUSTORUM.

Non tamen ita propriè dicitur ac LIBER VITÆ.





TRACTATUS TERTIUS, DE ADORANDO DIVINÆ TRINITATIS MYSTERIO.

PRÆFATIUNCULA.

ABYSSUS *reverà* abyssum invocat, *&* nox nocti indicat scientiam; *cùm ab ardua Deitatis essentialiter in se subsistentis & operantis investigatione, ad ineffabile Trinitatis arcanum lustrandum & illustrandum dogmata Theologica methodus evocat & inducit. Enimverò adorandam Trinitatem,* mysterium Divinitatis in fastigiis, *non immeritò dixit S. Cyrillus; quia ut scitè sapienterque loquitur mysticus Dionysius,* nullibi sublimior, nullibi profundior Deïtas esse potest, quàm cùm distribuitur unicè, dividitur singulariter, & efficitur multiplex, non recedens ab uno. *Inde cap. 13. libri de divinis Nominibus colligit grande hoc mysterium esse prorsus mortalium obtutibus impervium:* Nulla enim, *inquit*, monas aut trias, neque numerus, neque unitas, aut fœcunditas, neque quidquam aliud eorum, quæ aut sunt, aut cognita sunt, arcanum illud summæ omniaque superantis Divinitatis, quod rationem omnem mentemque vincit enuntiat: Nec ejus nomen est, neque ratio; sed in iis ad quæ aditus non patet secreta est. *Hinc egregiè S. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 3 pronuntiat,* Vbi quæritur unitas Trinitatis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur.

Satius itaque nobis adhuc mortalibus esset cœlestes illos Seraphinos in terris adumbrare, qui divinam Trinitatem mystico sanctitatis Trisagio æternùm quidem inclamant: at quid illa sit, quibusve præcellentiis fulgeat, ne verbulô quidem aperiunt, Sufficeret equidem credentibus Dei sermo, *inquit S. Hilarius lib. 2. de Trinit.* qui in aures nostras Evangelistæ testimoniô cum ipsa veritatis suæ virtute transfusus est, cùm dicit Dominus EUNTES NUNC DOCETE OMNES GENTES BAPTISANTES EOS IN NOMINE PATRIS, &c..... sed compellimur Hæreticorum blasphemantium vitiis illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcussa præsumere, & cùm sola fide expleri quæ præcepta sunt oporteret, adorare scilicet Patrem & venerari cum eo Filium, sancto Spiritu abundare; cogimur sermonis nostri humilitatem ad ea quæ inenarrabilia sunt extendere, & in vitium vitiô coarctamur alienô. *Inde quibusdam interpositis religiosè non minùs quàm eleganter infert,* Perfecta scientia est sic Deum (*Trinum in unitate*) scire ut licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias; credendus est, intelligendus est, adorandus est, & his officiis colendus est.

Vnde etiam in explicando divinæ Trinitatis arcano ea nobis non est mens, ut claram illius notitiam assequi, & cæteris expendere tentemus: inanis enim esset præsumptio & irritus labor: sed ut face fidei præeunte aperiamus quid de eo Scripturæ sacræ referent, quid Oecumenica Concilia doceant, quid sancti Patres loquantur; tum Latini, maximè S. Hilarius *libris 12.* S. Augustinus *libris 15.* S. Fulgentius *adversus objectiones Arianorum:* S. Anselmus *lib. de Processione Spiritus sancti:* Richardus Victorinus *libris sex: Tum Græci, in primis* S. Athanasius *ubique,* S. Basilius *in lib. contra Eunomium,* S. Nazianzenus *in quatuor Orationibus de Theologia;* S. Nyssenus *quatuor Orationibus de Trinitate:* S. Cyrillus *lib. 7. Dialogorum:* S. Chrysostomus *Homiliis quinque de visione Isaiæ, &* Damascenus *lib. de fide. Quid demum scholastici Doctores, maximè Franciscanæ familiæ lumina, nempe irrefragabilis Alensis, seraphicus Bonaventura, & subtilis Scotus unanimi consensu probaverint & docuerint.*

Hoc autem ut compendiô seu perspicuâ methodô impleamus, præsentem Tractatum quatuor Disputationibus absolvemus, quarum prima divinarum Personarum existentiam, originem & principia referet. Secunda, earum principia constitutiva, distinctiva & notificativa explicabit. Tertia, proprios cuique divinæ Personæ characteres aperiet: Quarta denique communes earum proprietates explanabit.

At fœlicem auspicati laboris successum ut à Deo bonorum omnium largitore consequi mereamur, priùs interpellandus est, & in auxilium advocandus, illis ipsis verbis quibus eum inclamavit S. Dionysius lib. de mystica Theologia dicens, Trinitas, Essentia, Divinitate ac Bonitate superior ac præstantior Christianorum Theologiæ dux! Dirige nos ad ignotissimum splendidissimumque, ac summum mysticorum scriptorum divinorum cacumen, in quo simplicia & absoluta, immutabiliaque Theologiæ mysteria abstrusa sunt, præfulgente silentii obscura docentis caligine. *Addit S. Hilarius circa finem libri primi de Trinit.* Tuum est oratum tribuere, & quæsitum adesse, & patere pulsatum. Torpemus enim quodam naturæ nostræ pigro stupore, & ad res tuas intelligendas intra ignorantiæ necessitatem ingenii nostri imbecillitate cohibemur: sed Doctrinæ tuæ studiū ad sensum nos divinæ cognitionis instituit, & ultra naturalem opinionem fidei obedientia provehit. Expectamus ergo & trepidi hujus cœpti exordia incites, & profectu accrescente confirmes, & ad consortium vel Prophetalis, vel Apostolici spiritus voces: ut dicta eorum non alio, quàm ipsi locuti sunt sensu apprehendamus.... Tribuas ergo nobis verborum significationem, intelligentiæ lumen, dictorum honorem, veritatis fidem: & præsta ut quod credimus, & loquamur, &c.

Vt autem appareat qui fuerint hujus adorandi mysterii Impugnatores infensissimi, quique strenuissimi Propugnatores, sequentem Hæreticorum adversus sacrosanctam Trinitatem militantium indicem: Nec-non & Conciliorum tam Generalium quàm Provincialium divinum hoc mysterium asserentium & explanantium appendicem, jam ab aliquibus non vulgaris nominis Theologis selectam, novissimè verò à nostro Baronio (viro utique de litteris & ordine Seraphico ob ingentem eruditionem & insignem pietatem bene merito) hic adscribere placuit: quatenus hujus adorandi mysterii investigator è limine conspiciat quas vitare syrtes, quaque tramite tuta currere debeat.

INDEX

HÆRETICORUM ADVERSUS ADORANDUM TRINITATIS Mysterium insanientium.

1 ANNO CHRISTI 57 SIMON cognomento pariter & exercitio magus, princeps hæreticorum, inter alia dicebat se esse DEUM qui in Samaria apparuit ut Pater, in Iudæa ut Filius, in Gentibus ut Spiritus sanctus. *Act. 18. Irenæus lib. 1. c. 20.*

2 167 GNOSTICI authore Carpocrate, vel, secundum alios, Nicolao, juxta aliquos etiam Valentino, docuerunt dualitatem, non Personarum, sed naturarum in Divinis. *Iren. c. 24. Aug. hæres. 6.*

3 180 MONTANI è contra asseruerunt in DEO unitatem non Essentiæ tantùm, sed Personæ. *Hier. Epist. ad Marcell.*

4 200 PRAXEAS unum Deum non aliter putavit credendum, quàm si ipsum eundémque & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum dicat. *Tert. contra Praxeam.*

5 219 HERMOGENES in Deo unam duntaxat Personam posuit. *Idem lib. contra Hermog.*

6 220 MONTANUS PHRYX, (unde Cataphrygæ) docuit & jactavit se esse Paracletum: & (quod mireris) tantam insaniam tanto viro, Septimio Tertulliano persuasit.

7 230 ARIUS DIACONUS Alexandrinus docuit Filium Dei esse creaturam; non esse coæternum Patri, non coëssentialem; idémque à fortiori de Spiritu sancto. *Conc. Nic. I. Athan. disp. cōtra Ariū.*

8 250 NOETUS negavit numerum personarum, eundem dicens Patrem, Filium, & Spiritum sanctum in carne passum, & genitum. *Epiph. Damasc.*

9 350 DONATISTÆ, quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen Patre Filium, & Spiritum sanctum dicebant. *Aug. hær. 66.*

10 360 MARCELLUS & PHOTINUS docuerunt Deum singularem, & more Iudæorum, non esse tres Personas, sed unam duntaxat, licet tria sint nomina. *Vincent. Lyrinen. cōtra hær. Theod. l. 2 hær. Fab.*

11 361 MACEDONIUS docuit Spiritum sanctum esse creaturam; nihil habere commune cum Patre vel Filio, sed tantùm esse ministrum ipsorum. *Basil. Epist. 78. Epiph. hæres. 69.*

12 370 EUNOMIANI crediderunt in Trinitate tres esse diversas substantias, & qualitates, ut auri, argenti, & æris; Et Patrem quidem fecisse Filium, atque iterum Filium, qui sit creatura, fecisse Spiritum sanctum. *Philast. de Eunomian.*

13 375 APOLLINARIS LAODICENUS poësi aptior & tropis quàm Theologiæ, docuit divinas Personas esse inæquales, magnum videlicet esse Spiritum sanctum, majorem Filium, maximum Patrem. *Epiph. hæres. 77. Aug. hær. 55.*

14 400 FAUSTUS MANICHÆUS. *Unum*, inquit, *sub triplici appellatione numen colimus, sed Patrem credimus lucem incolere summam & innaccessibilem; Filius in hac secunda luce consistit, cujus virtus in Sole, sapientia in Luna habitat: sedem Spiritus sancti omnem Mundi ambitum fatemur.* *Aug. lib. 20. contra Faustum cap. 2.*

15 430 THEODORUS MOPSUESTENUS, & NESTORIUS dum impiè negant Dei Filium de Virgine natum, nec tamen negant Filium Patri consubstantialem, aut verum hominem assumpsisse, quaternitatem pro Trinitate inducunt. *Quinta Syn. Oecum. Maxent. in conf. fidei.*

16 500 ANASTASIUS Imperator edixit non Trinitatem, sed quaternitatem adorandam esse, ob quod sacrilegium fulmine percussus interiit. *Paulus Diacon. Pōpon. Lat.*

17 570 CHILPERICUS Rex Franciæ Sabellianam hæresim promulgare volens, scripsit Galliarum Episcopis ut Trinitate abjectâ unum tantum Deum dicerent, asserens eundem esse Patrem, qui & Filius, & Spiritus sanctus. *Greg. Tur. lib. 5. hist. Franc.*

18 600 IOANNES PHILOPONUS Tritheitarum author, docuit tres divinas Personas tres Deos esse. *Nicephor. lib. 18. c. 26.*

19 620 SEVERITÆ dicunt alium esse Patrem, alium Filium, & alium Paracletum, Spiritum videlicet sanctum: non esse autem horum quemque per seipsum naturam, sed habere communem Deum sive Deitatem in eis existentem, atque de ea Deitate indivisibili modo participantes quemlibet esse Deum. *Idem ibid. c. 49.*

20 630 MAHOMETES ponit unum Deum Universi authorem, qui neque genitus, neque generaverit. Negat in unitate Trinitatem, & solum binarium numerum confitetur, scilicet ipsam divinam essentiam & animam ejus. *Damasc. de hær. Author simul. contra Sarac.*

21 1000 LOYSIUS & HÆRIBERTUS dicebant deliramenta esse quidquid in veteri ac novo Testamento de Trinitate & unitate Dei est scriptum. *Glaber Rudolphus l. 3. cap. 8.*

22 1049 Ante hunc annum quasi ducentis retrò, tempore Nicolai Papæ I. cœperunt GRÆCI schisma, sed circa hoc tempus apertè & palàm à Romana Ecclesia se diviserunt, & errorem de processione Spiritus sancti à solo Patre, spargere cœperunt. *S. Antonin. Summæ Historial. parte 3.*

23 1050 BOGOMILES, qui ab Alexio Comneno Imperatore in theatro exustus fuit, docebat non esse in Deo Trinitatem. *Euthym. in Panop. p. 2. tit. 23.*

24 1140 PETRUS AIBALARDUS & ARNOLDUS BRIXIENSIS docebant gradus esse in divinis inæquales; Deum Patrem plenam esse potentiam tam in generando quàm in discernendo: Filium quandam potentiam in discernendo per sapientiam, Spiritum sanctum nullam esse potentiam, sed benignitatem. *S. Bern. Ep. 190. Otto Frising. cap. 49.*

25 1190 IOACHIM ABBAS docuit quòd Pater, Filius, & Spiritus sanctus sit una essentia; verum unitatem hujusmodi non propriam & veram, sed quasi collectitiam & simi- *Guido de hæres.*

ANNO CHRISTI

litudinariam esse, sicut multi fideles sunt una Ecclesia, ita ut essentia esset quarta res.

26 1198 MARCELLI, PHOTINI, & SOPHRONII Sectatores non confitentes S. Trinitatem, sed Spiritum solum Deum appellantes, ejus sermonem dicebant esse efficaeitatem, quæ in prognato ex semine David habitasset, non substantiam quæ suam habeat hypostasim. *Cõstantinus Harmenopolus de epinienbus hæreticis.*

Ad nostros hæreticos accedens qui non paulò magis prioribus sunt petulantes, ipsorum etiam verba producam, ne quis dubitet eos in has blasphemias contra Deum & sanctissimam ejus Trinitatem prorupisse.

27 1520 Igitur ERASMUS ROTERDAMUS qui plerisque locis maluit Catholicus videri quam esse, dicit Arianos, id est assertores imparitatis divinarum Personarum, non tam hæresim fecisse quàm schisma, *quùm essent illi* (inquit) *nostris numero pares, eloquentiâ doctrinâque superiores.* *Eras. præfat. in tom. 2. S. Hier.*

28 1530 MARTINUS LUTHERUS: *Si odit anima mea vocem* homousion, *& nolim eâ uti, non ero hæreticus. Nec est quòd mihi objectes illud adversus Arianos receptum; non fuit receptum.* *In confut. Latomi.*

29 1540 MICHAEL SERVETUS: tres illas res incorporeas in unâ Deitate distinctas, negat posse consistere; omnes qui Trinitatem statuunt in essentia Dei Tritheitas & atheos vocat, qui nec Deum, nisi tripartitum & aggregatum habeant. Imò teste Theodoro *Patrem, Filium, & Spiritum sanctum Cerberum tricipitem* appellavit. *Lib. 1. cõtra Trinitat. Theod. Beza Epist. 1.*

30 1545 IOANNES CALVINUS: *Vtinam sepulta essent nomina Trinitatis, Persona, Consubstantialis.* Et alibi: *Vnus Deus, id est Trinitas: Creditis in Deum, id est in Trinitatem: hoc non modo tanquam insipidum, sed ut profanum quoque repudiamus.* *Lib. 1. instit. cap. 13. Idem Epist. ad Polonos.*

31 1550 VALENTINUS GENTILIS: *Confusio trium in unum & eundem numero spiritum, fundamentum & origo omnium errorum fuit. Qui enim unum Deum in tres Personas distinguit, vel sibi præstigias facit, vel necessariò unius Dei substantiam dividit ac discerpit.* *Prothesi 58.*

32 VVOLFGANGUS MUSCULUS: *Nollem coram Ethnicis Patrem, Filium, & Spiritum sanctum dicere tres Personas, ne viderer dicere tres Deos: vocabulum hoc* persona *non ita necessarium est ad fidem Christianam, quùm illud primi Christiani ignoraverint.* *VVlff. Muscul. prima antatochlao.*

33 1560 THEODORUS BEZA: *Verbum Dei clarè nos docet quòd ista essentia divina est distincta realiter, & secundum veritatem, & ab æterno in tres Personas.* *In magnâ confess. Gallicâ.*

34 LAMBERTUS DANÆUS: *Oratio illa quâ dicimus in Litania*, S. Trinitas unus Deus miserere nobis; *est inepta, insana, à Patribus malè inventa, atque periculosa.* *Lib. advers. Genebrard.*

35 GEORGIUS BLANDRATA: *Symbolum Athanasii symbolum Sathanasii* vocat. *Petrus Carolin. & Georg. maj.*

36 1570 CHRISTIANUS FRANCUS: *Quales fuerint illi à quibus avidissimè receptum, comprobatum & proseminatum est Trinitatis dogma, nemo ignorat: eos enim maximè omnium constat imbutos consuetudine colendi multitudinem Deorum; cùm majorum ut Apollinis, Martis; tùm minorum, ut Castoris, Pollucis. Ex hoc uberrimo Deorum fonte & innumeri Sancti tanquam minores invocandi Dii, & tres etiam divinæ Personæ velut majores Dii adorandi in Orbem Christianum profluxerunt.* *Lib. contra Trinit. Cracovib.*

37 1582 THEODOSIUS SCHIMBERGIUS: *Manifestum est Trinitatem, & divinitatem Filii non esse articulos fidei veros, quia sunt impossibilia mentis. Ideo in rei veritate sunt blasphema dogmata & horrenda, ex imo Orco per filium perditionis virtute Sathanæ Ecclesiis obtrusa. Falsus* Deus *& fictus à filio perditionis est* Deus unus *& trinus; hic enim nomine tenus* Deus est, *re autem ipsâ, idolum.* *Epistola præfixa scriptis Ioan. Sommeri.*

38 1590 THEODORUS DORSCHIUS: *Falsus hic & fictus* Deus *ab homine peccati est Trinus & unus: nam hic nomine tantùm Deus, reverà autem idolum est de quo Paulus*, ait: quod nihil sit. *Nam impossibile omninò est quòd talis aliquis existens qui unus & Trinus sit, possit aut debeat verus esse* Deus. *Nam verus* Deus *non est tantæ potentiæ ut possit facere esse eas res reverà quæ sunt impossibilia menti.* *Lib. Germanico pro Francisco Davide.*

39 FRANCISCUS DAVIDIS: D*ico ergo Christum hominem non esse illum altissimum Iesum, sed Filium ejus: Patrem* Deum *altissimum solum ab ipso* Deum *dicimus; Filium verò dicimus* Deum *communicatione.* Idem alibi: *Si Christus adorandus & invocandus est, Christus erit ille solus verus* Deus *propositus.* Deut. 6. *At illud jam olim per nos negatum & destructum est. Non ergo dicere & affirmare possumus Christum adorandum & invocandum esse nisi prævaricatores esse velimus.* *In disputat. albanâ act. tertia diei. Item in defens. non invocand. Christ.*

40 Denique FAMILIA AMORIS negat Christum esse æqualem Patri. Dicit Spiritum sanctum non esse Deum, & phantasma esse quidquid Papistæ de Spiritus sancti vel essentiâ, vel Deitate credunt.

Sunt & plures alii minùs vulgari nominis Tenebriones qui adorandum Trinitatis mysterium suis deliriis & erroribus offuscare tentârunt. Quos perpetuo silentio dignos lubens reticeo.

APPENDIX
CONCILIORVM
TRINITATIS MYSTERIVM ASSERENTIVM & explanantium.

CONCILIVM ALEXANDRINVM.


UUM Orientales non solùm fidei, sed & animorum dissentiooe ita laborarent, ut io sola Antiochiæ sede tres Episcopi sedereot, Eosebius Vercelleosis Alexandriam veniens, Coneiliom Episeoporum convocavit, in quo præter alia actum est de *οὐσία* & bypostasi, eo quòd Hosius Episc. Cordubeos. ad convincendom Ariom, dum Sabellii dogma explodere connatetur, ἢ ὑπόστασις, id est essentiâ ἀντὶ οὐσίας, id est personâ dispotavit; unde materia alteri contentioni soppeditata est. Et verò, (ut notavit accuratè S. Basilius,) ipsa Nicæna Synodus fomitem huic liti mioistravit illis: *Si quis verò ex alia essentia vel hypostasi, id est substantia, Filium Dei esse dixerit, hunc anathemate rejicit Catholica & Apostolica Ecclesia.* Ubi vides discrimen à Concilio positum inter *essentiam* & *hypostasim*, hoe est substaotiam; si enim haberet illa pro syoonimis, ooo poneret otrumqoe seorsim. Et qoidem hujus Concilii acta ferè interierunt; ponemos nihilominus qood ad propositum facit Epistolæ Synodalis ejus. *Illis enim qui nonnullos incusabant, ut* TRIUM HYPOSTASEON *affirmatores, cùm hujusmodi voces in Scriptura non reperirentur, ac proinde suspecti videri possent, Auctores fuimus ne amplius in Nicænam Confessionem inquirerent. Sed tamen de istis ob pervicaciam rixandi quæstio est habita: interrogatique sunt, num pro Arianorum sententia alienas, peregrinasque, ac diversa à se invicem personas substantia esse velint, & vnamquamque hypostasin per se ac seorsim esse, pro ratione cæterarum, creaturarum eorumque qui ex hominibus nascuntur, existiment? An sic intelligant diversas res quale est aurum, argentum, æs? An ut alii hæretici sub istis vocibus tria principia, & tres maximos Deos constituant? Cæterum illi affirmabant se ita nec dixisse, nec sensisse. Percunctantibus autem nobis quâ ratione ista dicerent, aut cur omninò istis vocabulis uterentur? Responsum dederunt, sese in Trinitatem credere, non qua nomine tenus Trinitas, sed quæ verè Trinitas esset & subsisteret: Et Patrem ut qui verè esset & subsisteret, & filium, ut existentem & subsistentem; & Spiritum S. ut subsistentem & existentem agnoscere: Non tamen se dixisse tres Deos, aut tria principia, imò non toleraturos quidem si quis tale quidpiam aut dicat aut sentiat: sed se scire esse S. Trinitatem, ut tamen una sit Deitas & unum principium: & Filium se agnoscere esse coëssentialem Patri suo, ut dixerunt Patres: & Spiritum S. non creaturam neque alienum, sed proprium & indisgregatum ab essentia Patris & Filii.*

Approbata igitur istiusmodi & interpretatione & excusatione, vicissim quoque & eos examinavimus, qui ab istis in culpâ devorabantur, quasi dicerent esse unam hypostasim, sciscitantes ab illis: num pro Sabelliano dogmate eâ mente loquerentur, ut sublatos vellent in Trinitate Filium & Spiritum S. quasi Filius essentiâ careat, aut Spiritus S. non subsisteret? Qui & ipsi quoque affirmarunt, neque ita se dicere, neque ita sensisse unquam, sed ὑπόστασιν *eos intelligere idem esse cum* οὐσία*: unam autem ideo sese hypostasin intelligere, partim quia Filius ex essentia Patris sit, partim quia in tribus sit identitas naturæ, unam enim sese Deitatem, & unam naturam credere, neque aliam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus S. esse naturam. Quinimò & illi qui eo crimine postulati erant quòd tres hypostases inducerent, cum istis in eandem sententiam convenerunt, vicissimque illi qui unam hypostasim asseverarent, istorum interpretationi acquieverunt, & ambæ factiones pariter Arium execratæ sunt, ut Christi hostem; Sabelliumque & Paulum Samosatensem, ut impios; Valentinum item & Basilidem, ut alienos à veritate; Manichæum quoque ut malorum machinatorem. Omnes denique Dei gratiâ post hujusmodi verborum interpretationem optimam & exactissimam, quæ Nicææ Patres instituissent, fidei esse approbarunt, ejusdemque fidei verba sufficere, ac ante omnia in usum esse deducenda, constituerunt.*

CONCILIVM NICÆNVM.

QUIA hæreticorum vix uuus de persona Patris, aot ejus Deitate dobitavit, quod is apertè Atheismus esset, proindè oulla de hoc convenerunt Concilia: Unde primom fuit de Deitate Filii, cujos historiam texam, partim verbis Coneilii Chaleed. partim historiæ ipsius Nicænæ. Igitur Beatissimo Silvestro io vrbe Roma Apostolicæ Sedis Antistite, Constantino Augusto, & Licinio Cæsare, coosulato Paulini & Juliaoi virorum clarissimorum, ab Alexandro, millesimo trigesimo, vel (ut alia editio) 1306. anno, 13. cal. Julii: meosis secundùm Græcos τοῦ die 19. quod est 13. cal. Iolii, io Nicæâ metropoli Bythyniæ, sedit Synodus 318. Patrum, quamvis alii paueiores conveoisse eò dicaot: Eusebius tantùm 250. Sed inseriptiones & nomina singulorum Patrum exhibent rectè eommoniter receptum numerum 318. quem etiam Sancti aliqui notaot mysticom esse & præfiguratum in exercitu Abrahæ qui eonstabat 318. militibus. Hanc autem quamvis oon solùm generalem syoodum, sed generaliom primam, postposui Alexandrinæ, eò qood tempore posterior fuerit, cùm coostet ex Epistola Iulii Papæ ad Athan. acta Alexandri-

næ in Nicæna esse producta. Itaque in hoc solemni conventu, omnis Ecclesiæ jaculo confossa est
Ambros. 14. impietas Arii, & Eusebianorum ponentium Filium Dei esse minorem Patre, imò & creaturam ejus, hôc æternô symbolô toties deinde ratô ac firmatô.

Symbolum Nicænum.

CRedimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium invisibiliumque factorem. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum, homousion, hoc est, consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt, & quæ in cælo & quæ in terra. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & incarnatus, & homo factus est, passus, & resurrexit tertiâ die, & ascendit in cælos, & inde venturus est judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum S. Dicentes autem: Erat quando non erat, *aut;* Non erat antequam fieret, *quia ex non extantibus factus est, ex altera substantia dicentes esse; aut* creatum aut convertibilem Filium Dei, *hos tales anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.* Iam, ut historiam Concilii prosequar, hujus deffinitionis ac tenoris causa fuit, quòd *quum* (inquit Athanasius) *Synodus in hoc esset, ut Arianorum impia vocabula tolleret, & voces adhibere velles, quæ sine controversia Sacrarum Litterarum essent; nimirum, eum Filium esse, & nequaquam ex non entibus esse, sed Deo, eumque Verbum esse, & Sapientiam, ac nequaquam creaturam aut facturam, sed germen proprium sui Patris: Eusebiani pro inveterata sua & prava consuetudine volebant, illud,* ex Deo esse, *commune esse, & ad homines quoque pertinere, neque quicquam Christum eo nomine à nobis differre:* Et paulo post; *Ibi Patres animadversa eorum fraude & impietatis vafricie, coacti sunt clarioribus verbis exponere, quid sit;* ex Deo esse, *& scribere Filium ex substantia Dei esse: ne,* ex Deo esse, *& commune & æquè ad Filium & creaturas pertinere existimaretur:* Et inferius. *Episcopis rursum affirmantibus, & hoc quoque scribi debere.* Eum veram esse potentiam, & imaginem Patris, & similem Patri, & immutabilem per omnia, & inconvertibilem, & æternum, & indivisum in Patre subsistere, nunquam enim non erat, sed semper erat, subsistebatque perpetuò apud Patrem ut splendor lucis: *Ista quidem eatenus sustinebant Eusebiani, nihil ausi contradicere, ob probrum, quod in dictis suis refutatis passi erant; sed ita tamen ut deprehenderentur inter sese mussitare, nutus conferre, oculisque sibi invicem applaudere. Quasi illud,* simile esse, & in Deo esse, & ejus potentiam esse, *communia Filio nobiscum essent, neque obstaret quidquam quò nobis ea ipsa quoque adaptarentur, eo quod de similitudine nostra cum Deo scriptum habetur,* hominem esse & imaginem & gloriam Dei: Et paulò post: *Cæterum* (inquit) *Episcopi, considerata illorum hypocrisi & vafricie (prout Scriptura dicit;* Dolos in cordibus fabricantium mala), *ipsi quoque necessitate coacti sunt sententiam eorum rerum ex Scripturis colligere, & quæ priùs dixerant, apertioribus verbis repetere, & scribere, Filium esse consubstantialem Patri, ut non solum similem similitudine, sed eundem, eâ voce quâ* ex Patre esse *dicitur, significarent,* multa de
1. Cor. 11. his ibi Athanasius. De qua quidem voce Marius Victorinus cum pluribus agit, hæc ait: *Hoc uno, id est, ὁμοούσιον omne venenum Ariani dogmatis interneeatur. O docti Episcopi, ô Sancti, ô fidem spiritu*
Prov. 12. v. 20. *confirmantes, ô Verbum verè verbum Deo, quo Deus & λόγος ostenditur ex æterno, & semper, eademque substantia. Dictum igitur latinè est ὁμοούσιον, unde etiam necessariò græcè ponendum atque tractandum.* Hæc ipse.

CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM.

CONVOCATUM est Damaso Pontifice, & Theodosio Seniore Imperat. partim ob causam similem jam tactæ de Episcopo Constantinopolitanæ sedi assignando; partim etiam sed principaliùs ad statuendam Catholicam veritatem contra Macedonianos, nempe Pneumatomachos, ut loquitur idem Concilium, id est Spiritus sancti Adversarios. Ut enim constat ex sexta Synodo, *Macedonius Spiritui negabat Deitatem & dominium, eumque conservum prædicabat; sed maximus Theodosius Imperator, & Damasus fidei adamas obstiterunt.* Est autem sciendum Concilium hoc fuisse, esseque Oecumenicum, ex iis quatuor quibus Græci, atque etiam S. Gregorius Papa tanquam 4. Evangeliis deferunt: tametsi numero Episcoporum aliis, etiam non generalibus, cesserit: fuerant enim 150. sed ideo tam pauci quia aliud interim in Occidente & urbe Roma celebratum à Damaso Papa, eodem sensu ac sententia de eodem argumento; ut proinde non duæ Synodi illæ, sed duæ partes ejusdem censeantur. Hoc autem Concilium ratam & certam habuit fidem Nicænæ Synodi, illis: *Ne rejicitor, reprobatorve fides trecentorum decem & octo Patrum, qui in Nicæa Bithinia convenerunt, sed maneto ea firma ac rata. Et extremâ execratione ac detestatione damnator omnis heresis, perversaque & impia opinio, præcipuè Eunomianorum, sive Anomæorum. Item Arianorum sive Eudoxianorum. Item Semiarianorum, sive Pneumachomathorum, Sabellianorum, Marcellianorum, Photinianorum, & Apollinariorum.* Hæc Canon. Deinde suum addidit Symbolum quod à Nicæna vix in alio diversum, quod majori claritate & descriptione super personâ Spiritus sancti, hîc addo.

Symbolum Constantinopolitanum.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum, homousion Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et Incarnatus est de Spiritu S. ex Maria virgine: homo factus, passus est sub Pontio Pilato, ac sepultus, & tertiâ die resurrexit: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris; inde venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum S. Dominum & vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui loquutus est per prophetas. Et vnam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum; exspectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri sæculi. *Amen.*

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre ante omnia sæcula, Deum verum de Deo vero, natum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & salutem nostram descendit de cœlis: Incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & inhumanatus est. Et crucifixus est pro nobis sub Pontio Pilato. Et sepultus est. Et resurrexit tertia die. Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris. Iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos: Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum: Qui loquutus est per sanctos prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum: Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi.

Amen.

CONCILIUM EPHESINUM.

Equidem reputo non nimis ad propositum meum facere, cùm constet Nestorii hæresim contra quam Concilium congregatum est, non tam fuisse de Trinitate quàm de Incarnatione, & de Christo homine magis propriè quàm de Deo Verbo: *nusquam enim Dei Verbi substantiam peremit* (ait Cassiodorus lib. 12. cap. 4.) Quia tamen authores nonnulli miscent has hæreses, quæ etiam reverà vicinæ sunt, & ipse Nestorius fundamentum aliquale præbuit, verbis saltem suspicioni: hæc enim est ipsius vox apud Cassiodorum citatum. *Noli gloriari Iudæe, non crucifixisti Deum.* Apud Socratem etiam leges cap. 2. quòd *quamplurimi Deum fatentur esse Iesum. Ego* (inquit Nestorius) *bimembrem & trimembrem nequaquam confiteor Deum.* Unde qui circa Cyrillum erant homilias Nestorii quas de hâc quæstione protulerat, sæpius relegentes, & ex ipsis judicantes eum, veluti blasphemantem Dei Filium, damnaverunt. Quidquid sit, Concilium coactum fuit Ephesi, authoritate Cœlestini Papæ, petente & favente Theodosio Iuniore. Convenerunt Episcopi plusquam 200. ex Oriente, anno Christi 430. Cœlest. 5. Theod. 29. Damnata est in eo dicta hæresis dicti Nestorii præsidente S. Cyrillo Alex. vice & nomine Cœlestini Papæ. Et quia Cyrillus 12. capitula contra totidem Nestorii blasphemias conscripserat, inter quæ Spiritum S. dicebat esse Patris & Filii, & à Patre ac Filio procedentem, Theodoretus contradicens scripsit Spiritum sanctum, non procedere à Patre & Filio, nec à Patre per Filium, occasio sumpta est ex Theodoreti verbis, ut Græci longo post tempore negaverint Spiritum S. ex Patre & Filio procedere, quamvis contra Theodoretum semper tenuerint eum procedere ex Patre per Filium.

Cæterùm doctrina fidei, sive definitiones hujus Concilii non aliæ sunt, quàm quæ in Epistola ejusdem ad Nestorium continentur. *Subdimus* (inquit) *his nostris quæ te sentire oporteat & docere, & ea à quibus abstinere conveniat.* Subdit autem Symbolum Nicænum, sic.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium, & invisibilum conditorem. Et in unum Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei, natum de Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum, homousion Patri, hoc est, unius cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt in cœlo & in terra. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est, & homo factus, passus est: Et resurgens tertiâ die, ascendit in cœlos, indè venturus est judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem, qui dicunt: *Erat tempus quando non erat*: &: *Antequam nasceretur, non erat*, &, quia ex nullis extantibus factus est, aut ex alia substantia, esse dicunt, aut convertibilem vel commutabilem Dei filium, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

Subdit deindè duodecim Capitula seu Canones, ex quibus hùc utcunque spectant. I. *Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, & propterea Dei genitricem sanctam Virginem, anathema sit.*

IX. *Si quis unum Dominum Iesum Christum glorificatum dicit à Spiritu S. tanqam qui alienâ virtute per eum usus fuerit, & ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiritus, posse etiam coram hominibus divina signa facere, ac non potiùs proprium fatetur ejus spiritum per quem divina signa explevit, anathema sit.*

CONCILIUM CHALCEDONENSE
Generale Quartum.

PRoprius ad rem nostram accedit, quùm hæresis, quam illud damnavit, destruat Deitatem ipsam ab Incarnatione Verbi deinceps. Si enim ex duabus naturis in Incarnatione facta sit una, jam non ex illa sincera in Verbo saltem. Cæterum Synodus congregata est Leone I. Pontifice & Marciano Augusto; Consulatu ejusdem Marciani, ut ipsum Concilium testatur Act. 1. Indictum est contra errorem Eutichetis Presbyteri seu Archimandritæ, qui in Christo dicebat post Incarnationem fuisse unam tantùm naturam, non quòd unâ ex duabus demptâ altera remanserit, sed quòd ex duabus facta sit una tertia seu mixta. Quâ occasione monendos esse duxi Lectores, quòd post Concilium V. Generale ortum sit dissidium inter Catholicos: Plurimi enim Concilium Chalcedonense recipere nolebant propter tria capitula edita in V. Concilio Generali. Primùm de Theodoro Mopsuesteno Episcopo, cujus impia scripta ibi damnantur; Et tamen Theodorus in Concilio Chalcedonensi non est damnatus. Secundùm de Theodoreto, cujus scripta adversus 12. Capitula Cyrilli ibi reprobantur; Et tamen Concilium Calcedonense Act. 8. Theodoretum suæ sedi restituit. Tertiùm de Epistolâ Ibæ Episcopi Edesseni scripta ad Marim Persam, quæ S. Cyrillum Alexandrinum vocat hæreticum, & Nestorium laudat; & tamen Ibas Episcopus in Concilio Chalcedonensi est receptus. Hoc autem totum neminem movere potest, nisi eum qui historiæ ignorantiâ laborat: nam Concilium Chalcedonense non recepit doctrinam horum, sed personas, quia nimirum illos deindè pœnituit, doctrinam Catholicam amplexos; Et V. Concilium non personas, sed doctrinam damnavit. Cæterùm definitio fidei ab hoc Concilio edita, in propria specie vix est alia quàm explicatio Symbolorum Nicæni & Constantinopolitani quæ innovant Patres *communi judicio dogmata expellentes erroris, & inenarrabilem Patrum renovauimus* (inquiunt) *fidem, Symbolum* 318. *omnibus prædicantes: Et eos ut proprios Patres etiam adscribimus qui posteà in magna Constantinopoli congregati sunt* 150. *& eandem fidem ipsi quoque confirmaverunt. Definimus igitur, ordinem, & omnes formulas custodientes, quæ de fide sunt constitutæ: Et nos ejus Synodi, quæ quondam in Ephesо facta, cujus præsides fuerunt beatissimæ memoriæ Cœlestinus Romanorum, & Cyrillus Alexandrinorum Antistites: Præfulgere quidem rectæ & immaculatæ fidei expositionem Sanctorum* 318. *Patrum, qui in Nicæa temporibus piæ memoriæ Constantini Imperatoris congregati sunt: Servari autem & ea quæ apud Constantinopolim à Sanctissimis* 150. *Patribus decreta sunt, ad expellendas quidem omnes germinantes hæreses, & ad confirmationem ejusdem Catholicæ & Apostolicæ nostræ fidei symbolum Nicænum trecentorum decem & octo Patrum*: Credimus in unum Deum, *&c. Item centum quinquaginta SS. Patrum, Constantinopoli congregati sunt: CREDIMUS in unum Deum Patrem omnipotentem*, &c. Quia tamen in eodem Concilio recipitur doctrina S. Leonis Papæ miris laudibus ab ipso celebrati, placuit ejusdem capitula aliqua, quæ sunt quasi Canones de fidei definitione, his inserere ex Epistola illius ad Turbium Asturicensem; *Qui* (ut scribit in prologo capitum Pontifex) *damnatas olim opiniones 16. capitulis comprehendit*: Et subdit: *Nos quoque strictim omnia retractemus, ne aliquid harum blasphemiarum aut tolerabile videatur, aut dubium.*

" Primò itaque capitulo demonstratur, quàm impiè sentiant de Trinitate divinâ, qui & Patris, " & Filii, & Spiritus sancti unam atque eandem asserunt esse personam, tanquam idem Deus, " nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus S. nominetur: nec alius sit qui genuit, alius qui geni" tus est, alius qui de utroque processit, sed singularis unitas in tribus quidem vocabulis, & non " in tribus sit accipienda personis. Quod blasphemiæ genus de Sabellii opinione sumpserunt, cujus " discipuli etiam Patripassiani meritò nuncupantur. Quia si ipse est Filius qui à Patre, crux Filii " Patris est passio, & quidquid in forma servi Filius Patri obediendo sustinuit, totum in se Pater ip" se suscepit. Quod Catholicæ fidei sine ambiguitate contrarium est, quæ Trinitatem unitatis sic " homousion confitetur, ut Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum sine confusione indivisos, " sine tempore sempiternos, sine differentia credat æquales, quam unitatem in Trinitate, non ea" dem persona, sed eadem implet essentia.

" In secundo capitulo ostenditur ineptum vanumque commentum, de processionibus quarun" dam virtutum ex Deo, quas habere cœperit, & quas essentiâ suâ ipse præcesserit: in quo Ariano" rum quoque suffragantur errori, dicentium quòd Pater Filio prior sit, quia fuerit aliquando " sine Filio, & tunc Pater esse cœperit, quando Filium genuerit. Sed sicut Catholica Ecclesia illos " detestatur, ita & istos qui putant, unquam Deo id, quod ejusdem est essentiæ, defuisse; quem " sicut mutabilem, ita & proficientem dicere nefas est. Quàm enim mutatur quod minuitur, tam " mutatur etiam quod augetur.

CONCILIA V. VI. VII.

ET hæc Græca fuerunt, duo priora Constantinopoli celebrata, tertium Nicææ in Bithyniâ, ubi primum suprà: sed non prosequor ea, quia de personis magis quam de causis processerunt. Nec deest qui V. Synodum non modo non Oecumenicam, sed nec ratam fuisse aliquando dicat: quod mirari quis vellet *Baronio* venisse in mentem, quùm expresè illa recipiatur in septima, seu Nicæna secunda. Cæterùm ideo harum nonnullæ huc faciunt: quia quæque confirmat priores Synodos, de quo videri potest fusè disserere *Marc. Ephes.* Concilii *Ferar.* Act. 6. Et quoniam princeps controversia in materia Trinitatis est cum Græcis de processione Spiritus S. ex Filio producam ex VII. Synodo fidei Symbolum, in quo à 350. Patribus expresè proclamatum est, & tanquam dogma fidei traditum quòd Spiritus S. à Patre Filioque procedat.

Symbolum

Symbolum VII. Synodi, sive secundæ Nicænæ.

Credimus in unum Deum Patrem, omnipotentem, Creatorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri ante omnia sæcula, per quem cuncta facta sunt: qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de Cœlis. Et Incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus: Et resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas: Et ascendit in Cœlos, sedens ad dexteram Patris: Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. In unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expectamus resurrectionem mortuorum; & vitam venturi sæculi. Amen.

Verum est Græcos in Concilio Florentino negasse Latinis Symbolum ita se habere, & allegasse suos codices in quibus particula *Filioque* non legebatur. Sed (ut habent Acta ejusdem sess. 5.) Latini quemdam vetustissimum librum in medium attulerunt, in quo eadem ipsa definitio, Sanctumque Spiritum ex Patre Filioque procedere scriptum erat, &c. Ex quibus est, librum ipsum statim cum Græcorum libris in cæteris omnibus convenisse. Et præterea Iulianus Cardinalis qui partes Latinorum agebat, protulit similem authorem, hoc est historicum antiquom, qui inter alia testabatur ipsum Symbolum in VII. Synodo hoc tenore lectum fuisse. Ex quibus quisque videre poterit, & admirari Ecclesiam, queribundus cum Salomone: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens pulchra, ut Luna?* Planè enim illa ut Luna paulatim impleta est ad orbicolaritatem seu perfectionem reducta. Planè quasi aurora, cum tempore luminis incrementa suscepit, in hoc negotio summè arduo ut summè sancto. Etenim in primâ synodo & cæterarum principe Nicænâ primâ, de Spiritu sancto solùm definita est Deitas, nec nimis claré, illis: *Credo in Spiritum sanctum.* In Constantinop. primâ addita est processio: *qui ex Patre procedit.* In Nicænâ autem secundâ quæ ordine VII. definita est processio ejus ab alterâ etiam persona, adeoque ab utràque, ibi: *qui ex Patre Filioque procedit.*



CONCILIA GENERALIA OCCIDENTIS.

I. BARENSE.

Mitto octavum quod de juribus personarum celebratum est in causâ Photii, cujus suasu & operâ Græci cœperunt contra primatum Romani Pontificis sentire, & Latinos tanquam anathemate adstrictos devitare, ob additum Symbolo; *Filioque.* Undè ampliùs non sunt celebrata Concilia in Oriente: nec in Occidente ex utràque Ecclesiâ communiter, nisi illa in quibus Græci Orientales se Romanæ Ecclesiæ denuò conjunxerunt, aut certè de conjunctione est actum. Ex his autem primum occurrit Concilium Barense ab Vrbano II. celebratum anno 1097. in quo inter Græcos illuc vocatos & Latinos agitatæ sunt controversiæ diutiùs & anteriùs ventilatæ de processione Spiritus sancti. Etsi verò hujus inclyti Concilii Acta historicorum neglectu perierint, constat tamen ex *Edinero* actum cum Græcis de jam dictâ processione, Græcosque confutatos.

Quod totum liberiùs describit *VVilhelmus Malisburiensis*, qui non solùm agitatam controversiam sed & definitam pro Latinis ab Vrbano Papa refert, istis. *Vt ergo ventum est ad Concilium, Apostolicus ante corpus S. Nicolai constratus, tapetibus & palliis, ipsâ casulâ & pallio amictus, tribunal ascendit, cæteri cum cappis sedebant. Omnibus ergo suum locum ex antiquo vendicantibus, Anselmus humilitate summus, quo poterat, assedit. Exciderat animo Summi Pontificis ingruente tumultu, ut ei locum delegaret. Sed erroris admonitus est quæstionis necessitate à Græcis proposita, probare volentibus Spiritum sanctum, non nisi à Patre procedere. Hanc ergo quæstionem dum expedire tentans magis involveret, Græcis contra non improbabiliter occurrentibus, Anselmi recordatus, exclamat: vivida vocis tonitruum adis capacitas, & turba multiplicitas ingeminant: Pater & Magister Anselme Anglorum Archiepiscope ubi es? Ille, ubi se vocari audivit, in pedes constitit. Quem Apostolicus compellans: Nunc (inquit) Magister, opus est scientiâ, opus eloquentiæ tuæ operâ. Veni ascende huc, & defende matrem tuam Ecclesiam, quam Græci labefactare conantur. Succurre ergò quasi à Deo huc missus. Continuò cuncti adstantes & assidentes, oculos & ora in eum conversi, percunctari quis esset? annitentibusque proximis ad consessum Apostolici levatur, sedere jussus juxta Romanum Archidiaconum, cui ante Papam sedere moris est: Includamus (inquit) hunc in orbe nostro, quasi alterius Orbis Papam. Nec mortalibus omnibus expositi palam, qui genus? unde domo? cujus scientia, cujus facundia, quàm religiosus, quanta pro fidelitate Romanæ Sedis passus esset. Dilatusque in posteram diem quæstionis tractatus, quamvis Anselmus statim respondere non dubitaret. Sed sequenti die solito maturiùs cœtu coacto,*

promotus in editum, ita tractavit quæstionis latera, ita penetravit & enubilavit intima, ut Latini clamore testarentur gaudium, Græci de se præbere dolerent ridiculum: nullus porrò inops & inanis scientiæ discederet. Sensus illius sermonis procedente tempore luculenter digessit in libro de processione Spiritus sancti facto. * *Tunc ubi verbum absolvit, omnes in eum oculos & ora conversi, hic laudare fidem, ille scientiam, omnes eloquentiam. Sedato fragore quem laus ejus suscitaverat, intendens in eum summus Pontifex, ait: benedictum sit cor tuum, & spiritus tuus, os, & sermo oris tui benedictus.* Nec mora, cum consensu omnium roboratus, in aliter sentientes fulmen excommunicationis intorsit.

* Vide Appar. sup.

CONCILIUM LATERANENSE sub Innocentio III.

HAbitum est anno 1215. dicti Pontificis 18. celeberrimum & frequentissimum omnium quæ in Europâ coïverunt. Quippe cui præfuit ipse Innocentius Pontifex; adfuerunt duo Patriarchæ Orientales, Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus: Antiochenus morbo impeditus suos legatos misit, quod etiam fecit Alexandrinus ab Ægyptiis præpeditus. Archiepiscopi tum Græci tum Latini 70. Episcopi 400. Abbates 120. Priores Conventuales 800. simul omnes Patres 1285. Legati Romani & Græci Imperatorum; Oratores Regum Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Hierusalem, & Cypri. Actum in eo de Hierosolymâ recuperandâ; &, ad rem nostram, de divinâ unitate ac Trinitate, definita sunt sequentia.

Firmiter credimus & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, æternus & immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: Pater à nullo: Filius autem à solo Patre, ac Spiritus sanctus ab utroque pariter, absque initio semper & fine. Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens: consubstantiales & coæquales, coomnipotentes & coæterni, unum universorum principium, Creator omnium invisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, qui suâ omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deindè humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam: Diabolus etiam & dæmones alii à Deo quidem naturâ creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo verò diaboli suggestione peccavit. Item cap. 2. *Damnamus & reprobamus libellum sive tractatum, quem Abbas Ioachim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de unitate seu essentiâ Trinitatis, appellans hæreticum & insanum, pro eo quod in suis dixit sententiis, quomodo quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus S. & illa non est generans, neque genita, nec procedens. Vnde asserit quod ille non tam Trinitatem quàm quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam quasi quartam, manifestè protestans, quod nulla res est quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus S.* * *Sunt una essentia, una substantia, unaque natura: verùm unitatem hujusmodi non veram & propriam, sed quasi collectivam & similitudinariam esse fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi fideles una Ecclesia, juxta illud:* a multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.

* Hic deest quidpiam.

Nos autem sacro & universali Concilio approbante, credimus & confitemur cum Petro, quod una quædam res est, incomprehensibilis quidem & inæstimabilis, quæ veraciter est Pater, *& Filius, & Spiritus sanctus tres simul personæ, ac singulatim quælibet earumdem: Et ideo in Deo Trinitas est solummodò, non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quæ sola est universorum principium, præter quam aliud inveniri non potest; & illa res non est generans, neque genita, neque procedens, sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus qui procedit; ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, aut* Filius, *aut Spiritus S. non tamen aliud; sed id quod est Pater, est Filius, & Spiritus S. id est omninò, ut secundum Orthodoxam & Catholicam fidem, & consubstantiales esse credantur. Pater enim ab æterno Filium generando suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur:* a Pater quod dedit mihi majus omnibus est; *ac dici non potest, quod partem suæ substantiæ illi dederit, & partem retinuerit sibi, cum substantia Patris indivisibilis sit, utpotè simplex omninò. Sed nec dici potest quod Pater in Filium transtulit suam substantiam generando, quasi sic dederit tam Filio quod non retinuerit eam sibi, alioquin desiruisset esse substantiæ. Patet ergò quod sine ullâ diminutione Filius nascendo substantiam Patris accipit, & ita Pater & Filius habeant eandem substantiam, & sic eadem res est* Pater, *& Filius, & Spiritus sanctus ab utroque procedens.*

a Act. 10. v. 4.

CONCILIUM LUGDUNENSE.

ANno Christi 1271. Michaël *Paleologus* Græcorum Imperator metuens sibi oppidò à *Carolo* Siciliæ & Neapolis Rege, cui *Balduinus* secundus Latinorum Orientis Imperator filiam despoderat dote Imperii Constantinopolitani, si eo illius ope potiretur, inter alia præsidia regni tuendi, adhibuit religionem, & ad *Gregorium* X. tum recèns electum Pontificem legatos misit de ineundâ Orientalium cum Occidentalibus Romanis concordiâ, modò is à se Caroli expeditionem averteret. Gregorius avidè amplexus oblatum, & ipse Constantinopolim ad Paleologum Imperatorem Legatos suos vicissim, Fratrem *Hieronymum ab Asculo* qui postea Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, & deniqueejusdem summus Pontifex fuit, Fratrem *Remundum Berengarii*, Fratrem *Bonagratiam* Dalmatam, & Fratrem *Bonaventuram Mugellitanum* omnes quatuor Seraphici Ordinis S. P. N. Francisci professores, destinavit. Qui cum pro voto negotium confecissent persuasâ Græcis concordiâ, & ductis secum ad Pontificis pedes proceribus aliquot Græcorum, Gregorius Lugduni Concilium Generale celebravit anno 1274. in quo ad mentem ipsius & Concilii definitionem Græci fidei Catholicæ professionem emiserunt in hâc formâ: *Ego Gregorius Acropolita, & magnus Logotheta, Nuntius Domini nostri magni Imperat. Græcorum Michaëlis Angeli, Ducas Comneni, Paleologi, habens ab eo sufficiens ad infrascripta mandatum, omne schisma prorsus abjuro, & subscriptam fidei veritatem, prout planè lecta est, & fideliter exposita, nomine dicti Domni nostri, veram, sanctam, Catholicam & Orthodoxam fidem esse cognosco, eam accepto, & corde & ore profiteor: ipsamque prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacro-sancta Romana Ecclesia, ipsam inviola-*

biliter observaturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum, quoquo modo deviaturum, vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam, nomine ipsius & meo, spontaneus veniens, pro ipso & pro me fateor, recognosco, accepto, & sponte suscipio, & ipsum omnia præmissa, tam circa fidei veritatem, quàm circa ejusdem Ecclesiæ primatum, & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam, & perseverantiam facturum, præstito in animam ipsius, & meam corporaliter juramento promitto & confirmo: Sic ipsum & me Deus adjuvet, & hæc SS. Evangelia.

Ad eum modum Gregorius, pro Michaële juravit. Ex eadem formula alius Nuncius, pro Andronico, & reliquis Græcis, præcipuè verò pro Metropolitis professus est. Sex enim & viginti Metropoles, (si ejusdem Andronici litteris fidem adhibere par est,) Catholicæ fidei sacris sanctionibus obtemperaturas, & primatum Romanæ Ecclesiæ agnituras se, promittebat. Quantum ad professionem fidei attinet, eam hunc in modum contra errores Græcorum Patrum, in primis Pontifex, præscripserunt. *Fideli ac devota professione fatemur, quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio; non duabus spirationibus, sed unâ spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, hoc prædicavit & docuit, hoc firmiter tenet & prædicat, & profitetur: & docet sacro-sancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium & magistra. Hoc habet Orthodoxorum PP. atque Doctorum, Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis, & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmissæ veritatis ignorantiam in errores varios prolapsi sunt; Nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, hoc sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere: sive etiam ausu temerario asserere quòd Spiritus sanctus ex Patre & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedat.*

Sancitis iis quæ ad fidei confessionem & unitatem Ecclesiæ spectabant, Orientales, factis Pontifice in Ecclesia operante, assistentes, symbolum fidei cum additione, *Qui ex Patre Filioque procedit*, in confirmationem omnium, quæ coram Patrum consessu dixerant & subscripserant, maximâ totius Ecclesiæ exultatione decantârunt, & ex manu summi Pontificis sacram synaxim susceperunt. Multò tamen uberiùs idipsum continetur in litteris ipsius *Paleologi* quas ad Pontificem per dictos instituti *Franciscani* Apostolicæ sedis Nuntios transmisit.

CONCILIUM FLORENTINUM.

ITa loquor (inquit Baronius noster) aliorum phrasi magis quàm meo sensu: Cæterùm enim *Ferrariense* est Concilium tam auspiciis & indictione, quàm cessionum multitudine: quæ cùm in toto fuerint 26. sed Ferrariæ habitæ harum sunt 15. ubi etiam indicta & cœpta est Synodus, Florentiæ solummodo 10. ubi duntaxat desiit. Adfuit ei Ioannes *Paleologus* Imperator Orientis; Præfuit *Eugenius* IV. Papa anno 1438. Et quamquam in eo actum sit de pluribus, & quidem gravissimis caussis, summâ potestate Papæ, Purgatorio, Consecratione *in & absque* fermento, tamen princeps articulus, & qui plurimis ac maximis, examine, morâ, dissidio constitit Concilio, fuit ille de processione Spiritus sancti à Filio; negantibus Græcis, quæ erat ipsorum levitas, ne dicam pertinacia, postquam de hâc inter ipsos & Latinos jam conventum esset in Conciliis Lugdunensi, Barensi, &c. Ego doctrinam fidei hujus Concilii proferam paulò aliter ac quidam alii ex Theologis [a] etiam non malæ notæ; Inprimis enim teneo non nimis ex fide referri quod in eo convenirent utraque Ecclesia, ut Græci more suo dicerent Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere: nam definitio Concilii recepta est ab utrisque, & in eâ expressè asseritur Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere. Præterea verò ut appareat quâ fide citetur hoc Concilium in præsenti materiâ, maximè ab adversariis Theologiæ Subtilis, qui flores pro fructibus vendunt, & velitationes militum jactant pro victoriâ ac triumpho, dabo doctrinam omnem hujus Concilii seorsim; primò per partes: Deinde conjunctim, cum utraque pars esset [b] *labii unius & sermonum eorumdem.*

[a] *Laur. Berr. ling.*

[b] *Genes.* 11, *v.* 1.

CONFESSIO LATINORUM.

IGitur post longum examen & acre dissidium partium sess. 25. & ultimâ Florentiæ, Latini, contendentibus Græcis sententiam suam litteris mandaverunt in hunc modum. *Quoniam Græci nos calumniantur, ac nobis objiciunt, duo principia vel duas causas in sanctâ & consubstantiali Trinitate ponere, idcircò professionem nostram his litteris mandamus. Credimus in unum Deum Patrem, & in unum Filium unigenitum & ex Patre natum: Et in unum Spiritum sanctum ex Patre quidem habentem essentiam, quemadmodum etiam Filius, verùm ex Filio quoque procedentem, quandoquidem Patrem unicam filii sanctique Spiritus causam profitemur; illius quidem per generationem, hujus verò per processionem. Porrò autem ne identitatem conjunctionemque divinæ substantiæ distribuere, ac ipsam eandem substantiam re, non autem solâ ratione, ab hypostasibus & personis differre, credere videamur: nec non ne quispiam credendo sanctum Spiritum ex solo Patre procedere, tres in partes unicam illam divinam substantiam dividi mente concipiat, idcircò verbum* ex Filioque *necessarium in symbolo duximus esse, profitentes sanctum Spiritum ex Patre Filioque, tanquam ab unico principio procedere.*

CONFESSIO GRÆCORUM.

SUpradictas litteras cùm Græci accepissent, toto biduo attentissimè expenderunt: dumque nollent ullâ ratione concedere, quod Filius Spiritus sancti causa esset, ipsi quoque sententiam suam litteris commissam ad Latinos hoc tenore transmiserunt. *Cùm Latini profiteantur, Patrem unicam Filii sanctique Spiritus causam esse, ac à nobis contendant, ut nostram sententiam, quidquid hâc in re sentiamus, nostris litteris declaremus, idcircò Patrem Filii sanctique Spiritus fontem & radicem;*

Filium verò & S. Spiritum, secundùm primam Oecumenicam Synodum, & magnum Basilium; & Cyrillum, divina germina profitemur esse, nec-non Spiritum à Filio scaturire, hauriri, prodi, emitti, ac profundi. Ex quibus (inquit Baronius) cæci videns, frustrà & quasi temerè torqueri à quibusdam tanquam definitionem Concilii sententias has, ut cum contendunt essentiam divinam à personis non distingui formaliter sive ex naturâ rei, sed solâ ratione: vel, quùm pari impetu exigunt sibi concedi quod Spiritus S. non distingueretur à Filio si ab eo non procederet. Nam, ut demus ista omnia hîc haberi, non faciunt fidem, quia non sunt Concilii definitiones; sed sententiæ partium hinc inde explicatæ. Apparet ergo quàm parum in fonte prospiciant quidam contenti solâ aurâ & ratione Concilii, non attento ubi allegata habeantur, in disputatione an in definitione, quæ hujusmodi est.

BULLA DEFINITIVA EUGENII
IN CONCILIO FLORENTINO.

EUGENIUS Episcopus servus servorum Dei, *ad perpetuam rei memoriam. Lætentur cœli & exultet terra, sublatus est enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque Ecclesiam dividebat, & pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Christo, qui fecit utrâque unum, vinculo fortissimo charitatis & pacis, utrumque jungente parietem, & perpetuæ unitatis fœdere copulante ac continente, postque longam mœroris nebulam, & dissidii diuturni atram ingratamque caliginem, serenum omnibus unionis optatæ jubar illuxit. Gaudeat & mater Ecclesia, quæ filios suos hactenus invicem dissidentes, jam videt in unitatem pacemque rediisse, & quæ anteà in eorum separatione amarissimè flebat, ex ipsorum modò concordiâ cum ineffabili gaudio Omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles ubique per Orbem, & qui Christiano censentur nomine, matri Catholicæ Ecclesiæ collætentur. Ecce enim Occidentales Orientalesque Patres, post longissimum dissensionis & discordiæ tempus, se maris ac terræ periculis exponentes, omnibusque superatis laboribus, ad sacrum Oecumenicum Concilium desiderio sacratissimæ unionis, & antiquæ charitatis redintegrandæ gratiâ, læti alacresque convenerunt, & intentione suâ nequaquam frustrati sunt: Post longam enim laboriosamque indaginem, tandem Spiritûs S. clementiâ ipsam optatissimam sanctissimamque unionem consequuti sunt. In nomine igitur sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus S. hoc sacro universali approbante Florentino Concilio deffinimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur ac suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quia Spiritus S. ex Patre Filioque æternaliter est, & essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio, & unicâ spiratione procedit: Declarantes, quod, id quod sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum S. ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundùm Græcos quidem* CAUSAM, *secundùm Latinos verò* PRINCIPIUM *substantiæ Spiritus S. sicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus S. procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est. Deffinimus insuper explicationem verborum illorum,* Filioque, *veritatis declarandæ gratiâ, & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuisse appositum.*

Quæ confessio celebris Concilii, Græcis ac Latinis litteris uno eodemque folio sic descripta est, una parte dextrâ Latinè Occidentalium Patrum subscriptionibus ac summi Pontificis sigillo; ab alterâ verò parte Græcè cum Græcorum item subscriptionibus & ipsius Imperatoris sigillo legerentur.

CONCILIA PROVINCIALIA.
TOLETANUM I.

CHRISTI anno 405. Innocentii Papæ anno 4. Honorio & Arcadio Imperatoribus Stilicone Consule secundùm, Toleti in Hispaniâ Tarraconensi celebratum Concilium 19. Episcoporum, qui pleraque ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia statuerunt 20. capitibus comprehensa. Vigesimo autem primo Canonem fidei Catholicæ, ex cujus titulo intelliges ambiguum esse quod hic posui de tempore, & Principibus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus sub quibus celebratum est, de quo videri possunt *Ambrosius Morales*, & *Ioannes Mariana*, ac post utrumque Card. *Baronius* tom. 5. Sed quidquid demum de his, hoc tenore ibi ponitur.

SYMBOLUM TOLETANUM.

CRedimus in unum verum Deum, Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum sanctum,
visibilium & invisibilium factorem, per quem omnia facta sunt in cœlo & in terra; unum Deum,
& unam esse divinæ substantiæ Trinitatem. Patrem autem non esse Filium ipsum, sed habere Filium,
qui Pater non sit, Filium non esse Patrem, sed Dei Filium de Patris esse naturâ. Spiritum quoque esse
Matth. 17. *paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed à Patre Filioque procedens. Est ergo ingenitus Pater,*
v. 5. *genitus Filius, non genitus Paracletus: sed à Patre Filioque procedens. Pater est cujus vox hæc audita*
Ioan 16. *est de cœlis:* Hîc est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, ipsum audite: *Filius est qui*
v. 28.
Ibid. v. 27. *ait:* Ego à Patre exivi, & à Deo veni in hunc Mundum: *Paracletus est Spiritus, de quo Filius ait:*
Nisi ego abiero ad Patrem, Paracletus non veniet. *Hanc Trinitatem personis distinctam, substantiâ*

unitam, virtute & potestate & majestate indivisibilem, indifferentem; præter hanc nullam credimus Divinam esse naturam, vel Angeli, vel spiritus, vel virtutis alicujus quæ Deus credatur.

CONCILIUM TOLETANUM III.
Nationale.

NON enim ex unius Provinciæ Episcopis, sed etiam ex totius Hispaniæ congregatum est: imò & Galliæ Narbonensis, ut ex Episcoporum subscriptionibus apparet. Incidit autem in annum Domini 589. Pelagii II. Papæ 12. Mauritii Imperatoris 4. Reccaredi etiam Regis 4. sub quo post martyrium S. Hermenegildi fratris ejus natu majoris, gens Gothorum ab Arianismo conversa est ad fidem Catholicam, quod etiam de seipsis Episcopi fatentur, qui fidem suam in hoc verborum tenore ibidem satis clarè sunt attestati; inquiunt enim: *Omnis ergo qui fidem & communionem ab Ario venientem, & usque ad nos retentam, adhuc tenere desiderat, & de tota cordis intentione non damnat, anathema sit. Quicumque* Filium *Dei, Dominum Iesum negaverit à paterna substantia sine initio genitum & æqualem Patri esse, vel consubstantialem, anathema sit. Quicumque Spiritum sanctum non crediderit à Patre & Filio procedere, eumque non dixerit coæternum esse Patri & Filio, & coessentialem, anathema sit. Quicumque in Patre &* Filio *& Spiritu sancto & personas non distinguit, & unius divinitatis substantiam non agnoscit, anathema sit. Quicumque Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum sanctum juxta Deitatem esse Patre minorem asserverit, & gradibus separaverit, creaturamque esse dixerit, anathema sit. Quicumque Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unius substantiæ, omnipotentiæ, & æternitatis esse non crediderit, anathema sit. Quicumque nescire* Filium *Dei, quod Deus Pater sciat, dixerit; anathema sit. Quicumque initium* Filio *Dei, & Spiritui sancto deputaverit, anathema sit. Quicumque Filium Dei secundum Divinitatem suam, visibilem aut passibilem ausus fuerit proferre, anathema sit. Quicumque Spiritum sanctum sicut Patrem &* Filium*, verum Deum & omnipotentem esse non credit, anathema sit. Quicumque alibi fidem & communionem Catholicam, præterquam in Ecclesia universali, quam Nicæni & Constantinopolitani, & primi Ephesini & Chalcedonensis Concilii decreta tenent pariter & honorant, anathema sit. Quicumque Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum honore & gloriâ & Divinitate separat aut disjungit, anathema sit. Quicumque* Filium *Dei & Spiritum sanctum cum Patre non crediderit esse glorificandos & honorandos, anathema sit.*

CONCILIUM TOLETANUM IV.

SIMILITER ab omnibus Episcopis Hispaniæ & aliis Galliæ Narbonensis celebratum est (proinde à Patribus in eo collectis generale appellatum) anno Christi 633. Honorii Papæ 8. Heraclii Imperatoris 24. Sisenandi Regis 4. Episcopis 70. præsidente sancto Isidoro Episcopo Hispalensi. In eo præter alia de fide Catholica hæc constituta sunt. *Secundùm divinas Scripturas & doctrinam, quam à sanctis Patribus accepimus, Patrem, &* Filium*, & Spiritum sanctum unius Deitatis atque substantiæ confitemur. In personarum diversitate Trinitatem credentes in divinitate unitatem prædicantes; nec personas confundimus, nec substantiam separamus. Patrem à nullo factum vel genitum dicimus;* Filium *à Patre non factum, sed genitum, asserimus. Spiritum verò sanctum, nec creatum nec genitum, sed procedentem ex Patre Filioque profitemur. Ipsum autem Dominum Iesum Christum, Dei Filium & creatorem omnium ex substantia Patris ante sæcula genitum, descendisse ultimo tempore pro redemptione Mundi à Patre, qui nunquam desinit esse cum Patre. Incarnatus est enim ex Spiritu S. & gloriosâ sanctâ Dei genitrice Virgine Maria, & natus ex ipsa, solus idem Dominus Iesus Christus, unus in sancta Trinitate, anima & carne perfectus, sine peccato suscipiens hominem, manens quod erat, & assumens quod non erat: æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, habens in una persona duarum naturarum proprietatem. Naturæ enim in illo duæ, Deus & homo. Non autem duo filii, & duo Dii, sed idem una persona in utraque natura.*

CONCILIUM TOLETANUM VIII.

CELEBRATUM est in eadem urbe anno Christi 653. Martini Papæ 5. Constantis Imperatoris 12. Reccesuinthi Regis Hispan. 5. æra 691. interfuerunt Episcopi 52. Abbates 22. Vicarii Episcoporum absentium 10. Cætera aliò, huc spectat sequens fidei confessio.

Symbolum Concilii.

CRedimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum ex Deo, lumen ex lumine Deum verum ex Deo vero, genitum non factum, homousion Patri, hoc est ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo & in terra. Qui propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, homo factus; & passus sub Pontio Pilato, ac sepultus tertia die resurrexit. Ascendit in cælos, sedet ad dexteram Patris, inde venturus est in gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus & in Spiritum sanctum vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum: qui loquutus est per prophetas. Et unam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri sæculi. Amen.

CONCILIUM TOLETANUM. XI.

Dignum in quo hic Synodorum census desinat, propter egregiam fidei confessionem quam hîc subnectam, & hodie usque Scholastici doctores in veneratione & usu habent. Habitum est annô salutis 675. *Adeodati* Papæ VII. *Constant. Pogon.* Imp. 8. ærâ 713. Statuit nonnulla; sed plura docuit celeberrimo hoc Symbolo, quod non modò fidem Trinitatis, sed quasi ejus commentarium continet.

Symbolum Concilii.

„ Confitemur, & credimus, sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unum Deum naturaliter esse, unius substantiæ, unius naturæ, unius quoque majestatis atque virtutis. Et Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur. Ipse enim à nullo originem ducit, ex quo Filius nativitatem, Spiritus S. processionem accepit. Fons ergo & origo totius Divinitatis, ipse est: Ipse quoque Pater essentiâ quidem ineffabilis, substantiæ suæ Filium ineffabiliter genuit: nec tamen aliud quàm quod ipse est, genuit, Deus Deum, lux lucem. *Ab ipso*, ergo, *est omnis paternitas in cœlo & in terra.* (Ephes. 3. v. 15.) Filium quoque de substantia Patris sine initio ante sæcula natum, nec tamen factum esse fatemur: quia nec Pater sine Filio, nec Filius sine Patre aliquando extitit. Et tamen non ut Filius de Patre, ita Pater de Filio, quia non Pater à Filio, sed Filius à Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, sed non de Filio. Ille autem Filius Patris & Deus de Patre: æqualis tamen per omnia Filius Deo Patri, quia nec nasci cœpit aliquando nec desiit. Hic etiam unius cum Patre substantiæ creditur, propter quod & homousios Patri dicitur, hoc est unius cum Patre substantiæ; ὁμὸς enim Græcè unum, οὐσία verò substantia dicitur: quod utrumque conjunctim, sonat, una substantia. Nec enim de nihilo, neque de alia aliqua substantia, sed de Patris utero, id est, de substantia ejus, idem filius genitus, vel natus esse credendus est. Sempiternus quoque est Dei filius, quoniam si pater semper fuit, semper habuit filium cujus pater esset, & ob hoc filium de patre natum sine initio confitemur. Nec enim eundem filium Dei, pro eo quòd de patre sit genitus, desectæ naturæ portiunculam nominamus: sed perfectum Patrem, perfectum Filium, sine imminutione, sine desectione genuisse asserimus: quia solius Divinitatis est, inæqualem filium non habere.

„ Hinc etiam Filius Dei, naturâ est filius, non adoptione, quem Deus pater nec voluntate, nec necessitate genuisse credendus est, quia nulla in Deo necessitas cadit, nec voluntas sapientiam prævenit. (Prævenit, sed tantum natura.) Spiritum quoque sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum atque æqualem cum Deo patre & filio credimus esse Deum, unius substantiæ, unius quoque esse naturæ: non tamen genitum vel creatum, sed ab utrisque procedentem, amborum esse spiritum. Hic etiam Spiritus S. nec ingenitus, nec genitus creditur: ne aut, si ingenitum dixerimus, duos patres dicamus; aut si genitum, duos filios prædicare monstremur: qui tamen nec patris tantum, nec filii tantum, sed simul patris, & filii spiritus dicitur. Nec enim de patre procedit in filium, vel de filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul ab utrisque processisse monstratur, quia charitas sive sanctitas amborum esse agnoscitur. Hic ergo Spiritus sanctus missus ab utrisque creditur, sed minor Patre & Filio non habetur, sicut filius propter assumptam carnem, minorem se patre & Spiritu S. esse testatur.

„ Hæc est sanctæ Trinitatis relata narratio, quæ non triplex, sed Trinitas (Trina.) & dici & credi potest. Nec rectè dici potest ut in uno Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas. In relativis verò personarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem; Spiritus S. ad utrosque refertur, quæ cùm relativè tres personæ dicantur, una tamen naturalis substantia creditur. (Natura vel.) Nec sicut tres personas, ita tres substantias prædicamus: sed unam substantiam, tres autem personas. Quod enim pater est, non ad se, sed ad filium est; & quod filius est, non ad se, sed ad patrem est. Similiter & Spiritus S. non ad se, sed ad patrem & filium relativè refertur, in eo quod Spiritus Patris & Filii prædicatur. Item cùm dicimus, Deus, non ad aliquid dicitur, sicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus S. ad Patrem & Filium, sed ad se specialiter Deus dicitur. Nam si de singulis personis interrogemur, Deum necesse est fateamur. Deus ergo Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. singulariter dicitur; nec tamen tres dii, sed unus est Deus. Item & Pater omnipotens, & Filius omnipotens, & Spiritus S. omnipotens singulariter dicitur, nec tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens, sicut & unum lumen, unumque principium prædicatur. Singulariter ergo unaquæque persona unus Deus confitetur, & creditur una illis & indivisa atque æqualis Deitas, majestas, atque potestas. Nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus: quia nec minus aliquid habet cùm unaquæque persona Deus singulariter dicitur: nec amplius, cùm totæ tres personæ unus Deus enunciantur. Hæc ergo S. Trinitas, quæ unus & verus est Deus, non recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur, in divinitatis verò substantia, quid enumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt; & in hoc, numero carent, quod in se sunt. Nam ita sanctæ huic Trinitati, unum naturale convenit nomen, ut tribus personis non possit esse plurale.

CONCILIUM ANGLICANUM.

Quadriennio post præcedens XI. & ultimum *Toletanum*, hoc est anno 679. celebratum est est in *Anglia* aliud à Venerabili viro *Theodoro* Britanniæ Archiepiscopo: (ut refert Beda in


Lib. 4. cap. 16. historia Anglorum (unà cum eo sedentibus cæteris Episcopis Britanniæ insulæ, præpositis sacrosanctis Evangeliis, &c. quorum confessio hæc est.

Credimus constanter, & confitemur secundùm sanctos Patres, propriè & veraciter Patrem & Filium, & Spiritum sanctum Trinitatem, & in unitate consubstantialem, & unitatem in Trinitate, (hoc est) unum Deum in tribus subsistentiis vel personis consubstantialibus, æqualis gloriæ & honoris. Et post multa hujusmodi, quæ ad rectæ fidei confessionem pertinebant, hoc quoque sancta Synodus suis litteris addit: *Suscipimus sanctas & universales Synodos, beatorum & Deo acceptabilium Patrum, id est, qui in Nicæa congregati fuerunt, 318. contra Arium impiissimum, & ejusdem dogmata: Et in Constantinopoli 150. contra vesaniam Macedonii & Eudoxii, & eorum dogmata: Et in Ephesino primo 200. contra nequissimum Nestorium, & ejus dogmata: Et in Chalcedone 630. contra Euthychen & Nestorium, & eorum dogmata: Et iterum in Constantinopoli quinto congregati sunt Concilio in tempore Iustiniani iunioris contra Theodorum & Theodoretum, & eorum dogmata contra Cyrillum.* Et pauló post: *Et Synodum quæ facta est in urbe Roma in tempore Martini Papæ beatissimi, Indictione 8. imperante Constantino piissimo anno 9. Suscipimus & glorificamus Dominum nostrum Iesum Christum, sicut isti glorificaverunt, nihil addentes vel subtrahentes. Et anathematizamus corde & ore quos anathematizaverunt: Et quos susceperunt suscipimus, glorificantes Deum Patrem sine initio, & Filium ejus unigenitum ex Patre generatum ante sæcula, & Spiritum S. procedentem ex Patre & Filio inenarrabiliter.* Hæc illi: in quibus notâ dignum est hunc Archiepiscopum & Concilii præsidem, qui tam asseveranter pronuntiavit Spiritum S. à Patre Filioque procedere, idque secundùm mentem & fidem SS. Patrum & Synodorum, Græcum fuisse, ad majorem eorum pudorem qui deinde illud negare ausi sunt, & oppositum prædicant à Patribus sibi traditum, quùm ille propior antiquis tam Græcis quàm Latinis, utrosque pro hoc citando produxerit.

CONCILIUM GENTILIACUM.

Ne quid in hoc genere indictum dimittam, statui etiam hanc qualemcunque Synodum succenturiare; ex parte enim egit de Spiritus S. processione, ut referunt *Ado*, & *Abbas Vespergensis.* Coactum quidem videtur primariò ad decidendam causam de cultu sacrarum imaginum: At enim hi ambo sunt cognati errores, & Græcis etiam familiares, maximè tempore Concilii quod incidit in Annum Domini 767. Factum est olim occasione cujusdam legationis *Constantini Copronymi* Græcorum Imperatoris ad *Pipinum* Galliarum Regem: Cùm autem Constantinus esset iconomachus acer, & jam exisset ab eo edictum contra sacras Imagines, ob quod ille malè audiit apud Orthodoxos, videtur voluisse hâc legatione famam suam apud Pipinum recuperare, eo item argumento usus, quod si ipse errasset in impugnandis imaginibus, tale etiam Latini peccassent in additamento *Filioque.* Quamobrem Concilium coactum est pro hoc etiam articulo processionis Spiritus S. à Patre Filioque, decidendo; nec dubium quin ad eum assertivè responderit, licèt Acta Concilii non exstent. Nam & de imaginibus contra Constantinum, sic decisum est, ut colligi videtur ex Synodo *Rom.* sub *Stephano* Papa.

Referre possem alias Synodos in quibus recta ac sancta de divina Trinitate fides nedum expressè tradita, sed & lucidè ac clarè expressa fuit, si per alios assumptos labores liceret: sed quoniam per tempus & otium non juvat, idcirco Lector hæc ex Nostro Baronio excerpta, & ob tuam gratiam hîc inserta tibi sufficiant.



DISPUTATIO PRIMA.

DE EXISTENTIA, ORIGINE, ET PRINCIPIIS DIVINARUM PERSONARUM.



VARIE Diabolus æmulatus est veritatem; affectavit illam aliquando defendendo concutere, inquiebat Tertullianus initio libri adversus Praxeam: Et reverà quidem; hoc enim, etsi tacerent cætera, satis superque probaret adorandum Trinitatis mysterium, quod astutissimus ille Divinitatis æmulus quibus potuit armis impugnavit, ut illius fidem ac lucem erroris caligine infuscaret & extingueret. Quocirca operæ pretium est tanti mysterii explanationem auspicari ab ipsa divinarum Personarum Existentia, Origine, & Principiis productivis. Quod utique tribus in sequentibus Articulis suscipio evulgandum.

Diabolus veritatis æmulus.



ARTICULUS PRIMUS,

De Existentia trium divinarum Personarum in unitate essentiæ.

Quadruplex hominum status circa divinæ Trinitatis existentiam cœcutit & titubat, nimirum Judæi, Gentiles, Hæretici, & Catholici rudes ac ignari. Judæi illud mysterium omnino respuunt, quòd in Scriptura sacra exaratum non advertant: Gentiles verò deprædicant, quòd naturali rationi repugnare censeant: Hæretici autem plurimi idcirco impugnant, quòd illud capere velint nec valeant. Catholici

Quadruplex hominum status circa Trinitatis existentiam cæcutit.

denique nonnulli detrectant, quòd quid de tanto mysterio credendum dicendumque sit, vix norint. Quapropter censui quatuor è limine discutiendas esse sequentes quæstiones, ut omnibus ipsis tenebriosibus divinæ veritatis lux affulgeat.

Quæstio Prima.

An & quomodo Trinitas & æqualitas Personarum in unitate divinæ Essentiæ probari possit adversus Iudæos?

I.

Tria maximè docet fides de mysterio Trinitatis. 1. Unitatem essentiæ. 2. Personarum distinctionem. 3. Earum in omnibus æqualitatē.

NOTANDUM 1. Veritatem Catholicam de mysterio Trinitatis tribus maximè Capitibus contineri, videlicet in unitate Essentiæ, Personarum distinctione & omnimoda æqualitate. Unitatem Essentiæ impugnarunt Gentiles Philosophi, propterea quòd hæc adversari videatur omnibus naturalis discursûs principiis, necnon & ipsi rationis dictamini: Personarum diversitatem & realem distinctionem, idcirco respuerunt Iudæi quòd ipsa Deitatis multiplicationem inducere videretur, pluresque Deos inferre. *Denique* Personarum æqualitatem Hæretici varii ideo fuerant insectati quòd eam cum processione unius ab alia conciliare non possent. Philosophos & Hæreticos impugnabimus in sequentibus: Nunc cum Judæis est pugnandum.

II.

Triplex lumen quô veritas detegitur. 1. Demonstratio. 2. Authoritas. 3. Suasio.

Notandum 2. Triplex solitò affulgere lumen quô veritas aliqua detegi possit & firmari, nempe Demonstrationem, Authoritatem, & Suasionem. Demonstratio scientiam, Authoritas fidem, & suasio opinionem, nec non & credulitatem generat: Demonstratio principiis evidenter notis, Authoritas dignitate, & probitate dicentis; Suasio denique conjecturis & rationibus, ac similitudinibus nititur, & firmatur: Demonstratio tota naturalis est, Authoritas supernaturalis, maximè circa veritates præternaturales manifestandas. Suasio denique partim naturali medio, partim supernaturali confici potest. Demonstratione opus est ad convincendos Philosophos, Suasione ad alliciendos & inducendos rudes & ignaros: Authoritate denique ad Judæos & Hæreticos de veritatibus fidei persuadendos. An autem hoc triplex lumen affulgeat in probando divinæ Trinitatis mysterio determinandum est in sequentibus. Hac autem in quæstione maximè contra Judæos & Hæreticos divina Scripturarum authoritate pugnandum est.

III.

Veritates divinæ innotescunt, vel per Scripturam sacram, vel per Traditionem.

Notandum 3. Veritates divinas duplici maximè ex fonte esse hauriendas, nempe ex Scriptura sacra & constanti firmaque traditione: Scriptura namque armarium est & musæum, quibus divinæ veritates continentur nedum, sed etiam propugnantur: Unde S. Paulus 2. ad Timotheum 3. *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*: Hæc autem duplici Testamento distribuitur, Veteri nempe & Novo. Ex hoc itaque duplici divinæ veritatis promptuario; nec non & constanti Synagogæ & Ecclesiæ Doctorum traditione, Trinitatis personarum in unitate essentiæ fides est stabilienda.

Conclusio Prima.

IV.

Divinæ Trinitatis mysterium haud obscurè deducitur ex veteri Testamento adversus Iudæos. 1. Quidem ex illo Genesis *faciamus*.

NON *obscurè divinæ Trinitatis mysterium ex veteri Testamento adversus Iudæos colligitur & probatur.* Hæc est communis inter Doctores Catholicos. *Suadetur primò*, ex illo celebri Genesis Oraculo 1. cap. ubi Deus rerum omnium conditor ita loquitur, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: Et post pauca, *Formavit igitur Dominus Deus hominem*: Et iterum, *Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: Insuper, *Faciamus ei adjutorium simile sibi*: ubi verbum (*faciamus*) & pronomen *nostram*, Personarum multitudinem inducit; Essentiæ verò unitatem vocabula *Dominus & Deus* designant.

Reponunt 1. Judæorum moderni Doctores, Deum ita loquutum in plurali numero more scilicet Principum & Regum ad ostendendam suam authoritatem & potentiam. At id apertè falsum colligitur ex Scriptura ipsa, quæ ferè semper, ut rectè notat Theodoretus q. 19. in Genesim, singulari numero utitur, vix verò in plurali sermonem facit, unde plerumque singularem numerum geminat & reperit ut pluralem exprimat. Oportet ergo hujus inusitati discriminis aliquod esse mysterium: non aliud certè, quàm ipsa trium Personarum divinarum significatio, in quarum invocatione per Baptisma aliquando regenerandus erat homo, qui tunc formabatur.

Reponunt 2. Deum præfatis verbis alloquutum fuisse Angelos ut suam operam homini creando navarent, formando scilicet illius corpus, dum ipse animam crearet, & vitæ spiritum infunderet.

Contra: Scriptura sacra prioribus his Genesis capitibus, quibus continetur & explicatur hominis formatio, eam soli Deo tribuit, affirmando constanter quòd ipse formaverit, creaverit, fecerit hominem: Ergo præfatus sermo ad Angelos non dirigitur.

Deinde ad eos directus est sermo ille pluralis, *faciamus*, ad quorum similitudinem formatus est homo: at homo non est conditus ad imaginem & similitudinem Angelorum, sed ad imaginem & similitudinem solius Dei, ut patet tum cap. 1. *Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam ad imaginem Dei creavit illum*: Tum cap. 5. *In die quâ creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.* Ergo præfatus sermo ad Angelos non est directus, sed tantùm ad tres divinas Personas quarum similitudinem exprimit & refert hominis anima, ut infra patebit.

Denique reponunt Deum loquentem secum, & se ad agendum excitantem dixisse, *faciamus*. At inepta prorsus replica: *Quis enim*, inquit S. Basilius Homil. 9. Hexameron, *Faber, aut ærarius, aut lignarius, aut certè coriarius sutor solus ipse quidem, nec alio quodam sibi cooperante stipatus, interque sua artis instrumenta desidens: Quis, inquam, sibi soli admurmurat dicens, faciamus gladium, aut compingamus aratrum, aut conficiamus calceamentum; ac non potius silentio suam, cum libuerit, accommodatam ad artem exequitur operationem? Sunt enim insignes profectò nugæ unum aliquem invenire qui sibi imperet.*

SECUNDÒ, Personarum divinarum pluralitas colligitur

V. colligitur ex illo Genesis 11. *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*: Ex quo sancti Patres Nyssenus lib. de Trin. Basilius lib. 5. contra Eunomium Personarum Trinitatem inferunt; maximè verò Chrysostomus Serm. de Trinit. ubi præfata verba sic ponderat; *Dicendo*, venite, *pares honore exhortando vocat, neque enim si Angelis imperasset dicere debuit*, venite: *sed imperando ite: Vide autem obsecro quomodo Patris vox Filium, & Spiritum sanctum vocet, nam si ad unum solum hoc dictum esset, debebat dicere* veni, & descendamus, *quia autem dixit*, venite, *unius est vox ad duos homines æquales*.

2. Ex illo Genesis undecimo, *venite, descendamus, &c.*

VI. Tertiò idipsum suadent sancti Patres ex illo Genesis 18. ubi dicitur quòd Abrahæ *apparuit Dominus*, subditur deinde, *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cùm vidisset cucurrit in occursum eorum de ostio Tabernaculi & adoravit in terram, & dixit: Domine si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, &c.* Quibus verbis constat Abrahamum intellexisse Deum in illis tribus sibi apparuisse; ideoque numero singulari ad unum tantùm, quasi ad Deum preces direxit: Unde S. Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 12. ait. *Quòd tres viri visi sunt nec quisquam in eis, vel forma, vel ætate, vel potestate major cæteris dictum est: Cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis æqualitatem atque in tribus Personis unam eandemque substantiam*: Idipsum expendit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Julianum circa medium: *Tres quidem fuisse, inquit, qui apparuerunt, substitisse aut propriis subsistentiis, singulos sermone consubstantialitatis in unum comprehensos, & ita deditâ operâ colloquia inter se miscuisse*.

3. Suadetur ex illo Genesis 18. *Apparuerunt ei, &c.*

VII. Quartò probatur ex illo Deuteronomii 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus unus est*, in Hebræo autem pro illa voce, *Dominus* ponitur nomen *Tetragrammaton*, quô designatur Essentiæ divinæ unitas; Trina verò repetitio Personarum Trinitatem designat. Idipsum confirmatur ex illo Psalmi 67. *Benedicat nos Deus*, quibus significatur Pater: *Deus noster*, quibus denotatur Filius, qui per incarnationem datus est nobis & noster factus est; *Benedicat nos Deus*, quibus insinuatur Spiritus sanctus: Frustranea enim videretur trina repetitio, si mysterium aliquod non involveret; nec aliud certè quàm adorandam Trinitatem Personarum in unitate essentiæ.

4. Colligitur ex Deut. 6. *Audi Israël Dominus, &c.*

VIII. Quintò probatur ex illo Psalmi 32. *Verbô Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*: Siquidem per nomem *Domini* designatur *Pater*, qui per Verbum operatur; secunda verò Persona nempe Filius significatur nomine *Verbi*, per quod omnia facta sunt: Tertia denique Persona dicitur *Spiritus oris Dei*, seu *Spiritus sanctus*, cui peculiariter appropriatur virtus & perfectio divinorum operum: quoniam verò ipsis divinis Personis eadem assignatur operatio totius universi, manifestatur identitas potentiæ atque divinæ naturæ, ut nedum omnes pene sancti Patres interpretantur, quos in longum refert Ruiz Disp. 36. sessione 5. sed & sapientiores ex Rabbinis, ut probat Galatinus noster lib. 2. de Arcanis cap. 4.

5. Probatur ex Psal. 32. *Verbo Domini, &c.*

IX. Sextò probatur divinarum Personarum Trinitas, ex illo Trisagio Seraphinorum, qui ut refert Isaias cap. 6. *Clamabant alter ad alterum* A *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*; Etenim ut eleganter ponderat S. Ambrosius lib. 2. de Fide ad Gratianum cap. 4. *Quid sibi vult sub uno nomine sanctitatis trina repetitio? si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater, & Filius, & Spiritus S. sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret: Non bis, ne Spiritum sanctum prateriret: Non quater, ne Creaturas conjungeret, & ut ostenderet Trinitatis unam esse Deitatem cùm ter dixisset* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *addidit singulariter*, Dominus Deus sabaoth: Hũc eundẽ B textum ita pariter interpretati sunt Judæorum Doctores, maximè verò Rabbi Simeon dicens; *Sanctus hic est Pater; Sanctus hic est Filius; Sanctus hic est Spiritus sanctus*, ut refert noster Galatinus laudato loco; Subditque eam ob rem veteres Talmudistas statuisse, ut ab uno quoque Judæorum præfatum illud Trisagium ita explanatum, bis saltem in die, mane scilicet & vespere diceretur: Unde etiam factum est ut utraque Ecclesia tam Græca quàm Latina, illud inter solemnes orationes usurpaverit, ut testatur Antheon Episcopus Arsinoïs, Epistolâ ad Petrum Antiochenum quæ ponitur in Concilio Constantinopolitano sub Fœlice III. in C causa Petri Fullonis, qui idcirco refutat hæresim ejusdem Petri quòd præfato trisagio, subjungeret nomen crucifixi, dicens, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, sanctus & immortalis crucifixus*; quô significabat crucifixum esse Spiritum sanctum, vel aliam quartam Personam divinam.

6. Constat ex Seraphinorum Trisagio.

X. Denique hæc eadem veritas deducitur ex illo Isaiæ 48. *Ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus misit me & Spiritus ejus*, quod S. Hieronymus ita exponit, *Quando fiebant omnia à Patre, ipse*, scilicet Filius *erat cum eo cui adgaudebat, qui etiam nunc dixit, Ego qui semper eram cum Patre, & in Patre, & sine Patre nunquam eram: Etiam nunc loquor & juxta* D *fragilitatem carnis assumpta dico quòd* Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus: *Brevique versiculo Trinitatis nobis ostenditur Sacramentum.*

Denique ex illo Isaiæ 48. *Et nunc Dominus misit me & Spiritus ejus.*

Inde patet quàm verissimè Christus Dominus Joannis 5. Judæos alloquens dixerit, *Scrutamini Scripturas, illæ enim testimonium perhibent de me*; Quibus nedum se verum esse Messiam designat, sed etiam verum se Dei Filium demonstrat. *Confirmari* hæc omnia possent ex ineffabili nomine *Tetragrammaton*, quô passim Scriptura utitur; nam ut observat Galatinus noster lib. 2. cap. 10. *Rabbi Haccados*, scribens mysteria hujus nominis Antonio Consuli urbis Romæ affirmat illud significare Deum generantem, & quia non potest esse generans sine E genito; nec uterque sine amore procedente; idcirco hoc nomine comprehenditur divina Trinitas. Unde vulgò dicitur apud Hebræos *nomen expositum*, explicaturque per duodecim litteras Hebraicas quæ simul junctæ Latinè significant & efficiunt, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus*: Vel dicitur nomen quadraginta duarum litterarum, quod idem Rabbi Haccados ita interpretatur, *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus; Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate.* Quibus constat quæ fuerit veterum Rabbinorum de divina Trinitate sententia, quàmque longè à suis Patribus exorbitent recentiores Judæorum Doctores dum huic constantissimæ veritati rantopere repugnant.

Confirmatur ex nomine Tetragrammaton.

rum penitus occultavit in antiquis enim Scripturis perfectioris Theologiæ materiam quasi semina quædam dispersit.

Quæstio Secunda.

An mysterium Trinitatis detegi & probari possit ratione naturali à Philosophis?

I. Vetus Testamentum obscuriùs, Novū clariùs proposuit Trinitatis mysterium.

NOTANDUM 1. Præsentem difficultatem non moveri de inclinatione & nativa capacitate intellectus ad cognoscendum hoc mysterium undequaque illius cognitio ingeratur, sive per revelationem, sive per demonstrationem. *Certum enim est*, inquit Doctor, quæst. 1. prologi, *quòd cùm intellectus possibilis quacumque cognitione naturaliter perficiatur, etiam ad quamcumque naturaliter inclinatur; quælibet enim potentia passiva naturali pondere fertur in id quod sui perfectivum est, adeoque naturaliter intellectus creatus propendet in cognitionem cujusque veritatis, maximè autem veritatis præstantissimæ qualis est essentiæ divinæ unitas, & personarum Trinitas & æqualitas.* Nec etiam præsens movetur quæstio de incomplexa & imperfecta horum terminorum *Deus* & *Trinus* activa cognitione: Constat enim, inquit Doctor, *quæst. 14. quodlibetica art.* 1. quemlibet creatum intellectum solo nativo lumine cognoscere posse Deum ut primam causam, adeoque unitatem essentiæ posse detegere: Insuper attendens ad numerum ternarium, & ad significationem nominis personæ, etiam percipere poterit quid significet Trinitas personarum, dum illam ab aliquo propositam audierit. Sed tota difficultas est, an per innatam intelligendi & discurrendi virtutem possit aliquis Philosophus detegere Trinitatem Personarum in Deo, sicut cognoscere potest unicum esse Deum per discursum naturalem.

Status & sensus quæstionis elucidatur.

II. Quinam ex Gentilibus Philosophis Trinitatem aliquatenus agnoverint?

Notandum 2. Reverà plures Philosophos aliquam mysterii Trinitatis notitiam adeptos fuisse, ut copiosè probant, *Iustinus martyr* in Oratione ad Gentes, *Clemens Alexandrinus* lib. 5. Stromatum; *Cyrillus* lib. 1. & 2. contra Julianum, maximè verò *Eugubinus* lib. 1. & 2. de perenni Philosophia. In primis enim divinus Plato variis locis posuit summum Deum; *Deinde* asserit ab hoc genitam mentem per quam is alia fabrefecit: Tertium denique quem vocat animam mundi. Unde Claudianus Mamertinus apud Eusebium, lib. 11. de Præparatione Evangelica de Platone ait, *Qui tantis seculis ante puerperium Virginis, ante prædicatam summæ Trinitatis in Gentibus unitatem ineffabilem, unum tres in divinitate Personas laudabili ausu, mirabili ingenio, non imitabili eloquio quæsivit, invenit, prodidit:* Similiter Mercurium Trismegistum, id est ter maximum, propiùs ad Christianam veritatem collimasse refert: Siquidem in lib. cui titulus *Pymander*, ait: *Lumen illud ego, mens, Deus hujus sum ante naturam humidam quæ ex tenebris luxit. Quod autem ex mente humidum verbum* Dei Filius *est*: Et infrà, *mens autem Deus Ambisexus existens vita & luminis, ut author peperit verbo alteram mentem opificem quæ Deus ignis est & Spiritus.* Addi potest Zoroastes Chaldæus qui scripsit, *Monas genuit duadem, & in toto mundo lucet Trias*; Cui quadrat illud vulgatum Trismegisti, *Monas genuit monadem, & in se suum reflexit amorem:* Hinc S. August. lib. 7. Confessionum cap. 9. de Platonicorum libris ait, *Legi ibi non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis & multipliciter suaderi rationibus quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud* Deum, *& Deus erat Verbum.* Quo autem ex fonte hanc notitiam hauserint isti Philosophi, non levis est apud Theologos controversia hac in quæstione dirimenda.

Plato.

Trismegistus.

Zoroastes.

III. Triplex Theologorum sententia circa præsentem difficultatem.

Notandum 3. Circa præsentis difficultatis resolutionem, triplicem esse Theologorum sententiam. Quidam enim affirmant Trinitatis mysterium ita humani genii captum excedere, ut nulla vi naturali possit detegi; imò ipsius notitiæ consequendæ discursûs omnia principia ita adversari, ut si quis sola ratione ducatur, illud mysterium omnino impossibile esse judicet: Nonnulli verò, quibus facem prætulit Raymundus Lullius, extremè oppositam viam aggressi affirmant nedum hoc mysterium rationi naturali non repugnare, sed evidenter per eam demonstrari posse. Raymundus enim in libro quem vocat *Apostrophem*, & in libris sententiarum contendit tria hoc mysterium spectantia naturali lumine posse demonstrari. Primò quod plures in Deo sint Personæ. Secundò, quod nec plures nec pauciores sint quàm tres. Tertiò, quod hæ tres Personæ sint Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Notat tamen harum veritatum demonstrationes non esse à priori nec à posteriori, sed æquiparentiæ: Vocat autem demonstrationes æquiparentiæ quæ nec per causam nec per effectum, sed ab æqualibus fiunt. Cæteri denique mediam, utpote tutiorem sententiam amplexati docent Trinitatis mysterium, nec rationi naturali repugnare, nec per eam posse demonstrari, nec detegi seclusa divina revelatione, quibuscum sit.

Conclusio Prima.

IV. Nullus intellectus creatus seclusa revelatione cognoscere potest evidenter mysterium Trinitatis. Ut suadent Scripturæ sacræ.

NULLUS *intellectus creatus seclusa divina revelatione sibi comparare potest certam & evidentem mysterii Trinitatis notitiam.* Hæc videtur esse de Fide, eam nempe suadent Scripturæ sacræ: etenim Matthæi 11. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Quod expressiùs legitur Lucæ 10. *Nemo scit quis sit Filius nisi Pater, & quis sit Pater nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*: Quos contextus profert Nicænum Concilium lib. 2. ad probandum divinæ generationis mysterium esse penetratu impossibile: Vnde etiam Synodus Antiochena 1. tempore Dionysii Papæ celebrata in professione Fidei ait: *Notionem Dei utcumque mediocrem si habemus revelante Filio ejus sicut ait:* Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui Filius revelaverit, *contenti esse debemus.* Cui concinit S. Epiphanius Hæresi 76. dicens; *Omnia prætervolant & excedunt, & omnem causam syllogisticam relinquunt doctrinali illi ex divina Scriptura sententiæ,* nempe nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi Filius, & cui is revelârit. *Revelat autem per Spiritum Sanctum non his, qui de ipso per syllogismos ratiocinantur: sed qui in ipsum legitimè ac perfectè credunt.*

Confirmatur ex eodem Matthæo cap. 16. *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus:* Nomine autem carnis & sanguinis non solùm comprehenditur & exprimitur omnis cognitio à sensibus emendicata, sed etiam naturæ viribus comparanda, ut intelligit sanctus Cyrillus Alexandrinus in Oratione de Verbi incarnatione

quam habuit in Ephesina Synodo dicens, *In ipsam rem curiosius noli inquirere: non enim per Græcorum sapientiam aut mundanum sensum percipitur, sed ab utroque est aliena.* Beatus es Simon Barjona, *inquit Dominus*, quia caro & sanguis, &c. *nam Filii Dei cognitio cœleste divinaque inspirationis donum est.* Confirmari potest etiam illis omnibus Scripturæ locis quibus prohibemur scrutari profundiora Divinitatis mysteria, cujusmodi est illud Iob. 28. *Sapientiam Dei unde invenies? latet enim ab oculis hominum, & à volucribus cœli absconsa est.*

V. Sancti Patres.

Probatur 2. Authoritate sanctorum Patrum maximè verò Dionysii lib. de diuinis nominibus cap. 13. ubi ait, *Divinitas, quæ omnia superat Vnitatis & Trinitatis nomine celebrata, non est Vnitas & Trinitas, à nobis aut ab aliquo alio eorum quæ sunt, cognita*: Rationem eam subjicit quam assignavimus in præfatiuncula. Ipsi alludit sanctus Nazianzenus Oratione de Theologia num. 67. ubi de Deo Trino sermonem faciens ait, *Ducem potiùs fidem quàm rationem sequamur, si modò ingenii tui imbecillitatem in propinquioribus didicisti, rationisque id esse cognovisti, ut quænam sint ea, quæ rationis humanæ captum excedunt cognoscas: Ne alioqui prorsus terrenus sis, ipsam quoque ignorantiam tuam ignorans.* Unde meritò dixit sanctus Hieronymus in prœmio lib. 18. in Isaïam *Trinitatis recta confessio est ignoratio scientiæ*, nam inquit sanctus Hilarius lib. 1. de Trinit. *Respuit captiosas, & inutiles Philosophiæ quæstiones fides constans, neque humanarum ineptiarum fallaciis succumbens spolium se præbet veritas falsitati.* Inde sapienter, & doctissimè illa verba Ioannis cap. 6. *Sunt quidam in vobis qui non credunt*, ponderans sanctus Augustinus ait Evangelistam non dixisse, *Sunt quidam in vobis qui non intelligunt, sed causam dixit quare non intelligunt*: Sunt enim quidam in vobis qui non credunt, *& ideo non intelligunt quia non credunt, Propheta enim dicit*, Nisi credideritis non intelligetis.

VI. Nec-non & ratio multiplex.

Tertiò denique hæc ipsa veritas ratione probatur. Omnis notitia certa & evidens alicujus rei paritur per demonstrationem: sed nulla est demonstratio quæ seclusa revelatione Trinitatis divinæ notitiam certam, & evidentem ingerere possit: Probatur, omne medium demonstrationis, vel est causa vel effectus, vel quid æquivalens; Omnis namque demonstratio, vel est à priori, vel à posteriori, vel æquiparentiæ: Sed in rebus naturalibus nullum medium affulget intellectui cujus ductu possit ad evidentem Trinitatis notitiam ascendere. Primò enim tale medium nequit esse *causa*, cùm divina personarum Trinitas omni causa careat, & omnino sit independens à quolibet extrinseco artifice. Neque etiam *effectus*: si quis enim effectus ducere posset in cognitionem Dei Trini, maximè creaturæ quæ cognoscuntur à Deo ipso conditæ: sed creaturarum notitia, non potest manu ducere in cognitionem divinæ Trinitatis, quia creaturæ non manant à Deo quatenus est Trinitas in personis; sed quatenus est unus in essentia: Ergo ex creaturarum notitia, non possumus cognoscere Trinitatem personarũ, sed solùm unitatem Deitatis. Minor probatur: quia creaturæ emanant ab omnipotentia Dei: & omnipotentia est attributum essentiale, & commune Trinitati.

Deinde non potest sciri illud de causa per effectum (inquit Doctor quæst. 14. quodlibetica art. 1.) quô circumscriptô remanet in causa quidquid est necessarium ad causandum: Sed circunscripta per impossibile divina Trinitate haberetur adhuc quidquid necessarium est in Deo ad causandam creaturam; si enim per impossibile unica esset divina persona, haberet vim infinitam producendi quidquid optaret: Ergo ex cognitione creaturæ à Deo procedentis non potest cognosci ipsa divina personarum Trinitas.

Denique quilibet intellectus, sive Angelicus, sive humanus etiam omni vivacitate ac intelligendi subtilitate nativa donatus, ex evidenti cognitione quam haberet de personalitate creata, solùm colligere posset in Deo unicam esse personalitatem absolutam: Etenim non posset concipere Dei personalitatem, nisi ad modum suæ personalitatis, vel ad modum personalitatis alterius præstantioris Angeli; quantùm enim capere potest nativa vis intelligendi, tota ratio subsistendi videtur esse ad se, & quid absolutum; non verò quid respectivum, & dicens ordinem ad aliud: Ideoque omnis ratio subsistendi quæ ab illo Angelo conciperetur esset omnino absoluta, nullatenus autem relativa: Ergo tantùm abest ut illa cognitio personalitatis creatæ duceret in cognitionem plurium divinarum personarum, imò longè ab ea revocaret; & consequenter neque per demonstrationem à priori, neque per demonstrationem à posteriori colligi potest ipsa certa & evidens divinarum personarum Trinitas.

Sed nec eam inducere potest illa demonstratio quam Raymundus Lullius appellat *æquivalentiæ*, quod sic evinco. Per id non probatur evidenter divina personarum Trinitas, quod vel eam supponit, vel in eam directè militat: sed omnes rationes quas profert Lullius, vel divinam personarum Trinitatem supponunt, vel eam impugnant, & solvunt. Probatur, ad hoc collimant omnes Lullii rationes ut demonstret: *Primò* plures esse in Deo personas. *Secundò* tantùm esse tres: *Tertiò* quod illæ tres personæ sint Pater & Filius & Spiritus sanctus. *Primum* verò sic probare nititur: Vbicumque est concordia & æqualitas, ibi est pluralitas: at in Deo est concordia & æqualitas, agentis & acti in ipso actu, seu ut ipse loquitur bonificativi, & bonificabilis, in actu bonificandi: Ergo est in Deo pluralitas personarum. Probat minorem: Ubi est actus, ibi est concordia agentis: sed in Deo est actus bonificativus: Ergo est concordia & æqualitas bonificativi, & bonificabilis; adeoque sunt plures in Deo personæ. VII. Non convincit demonstratio Raymundi Lullii.

Verùm hæc ratio nec demonstrativa est, nec alicujus momenti. Non quidem *demonstrativa*, quia supponit illud quod nullatenus est evidens, quodque sola fide divina percipitur, nempe in Deo esse actum productivum ad intra; quamquam enim ratio naturalis ostenderet Deum esse operativum per intellectum & voluntatem, non tamen aperiret illam operationem esse productivam alterius personæ; imò nisi fides contrarium suaderet, diceret quis actum intelligendi & volendi in Deo non aliud esse præter ipsam infinitam illius substantiam, quæ à nobis concipitur per modum operationis & actus. Nec pariter illa ratio est *alicujus momenti*; siquidem supponit omnem productionem divinam esse bonificationem, adeoque solùm fieri per voluntatem, quod reverà 1. Quia non rectè probat in Deo esse plures personas.

fidei adverſatur, Filius enim divinus producitur per intellectum, & ſolus Spiritus ſanctus procedit per voluntatem.

Secundò : Illam perſonarum pluralitatem eſſe trinam probare nititur idem Author, quia illa eſſentia quæ eſt in majoritate actionis, id eſt, quæ perfectiſſime agit, non requirit niſi unicam actionem bonificativam, unam paſſionem bonificabilem, & unicum actum bonificare; id eſt, illa eſſentia eſt perfectiſſima in agendo, in qua tantùm reperitur unicum agens ſeu producens, unicum productum, & unicus actus; ſi enim eſſent plures, unus limitaret alium: ſed Deus eſt in majoritate actionis : Ergo in Deo eſt unicum producens, unicum productum, & unicus actus.

B Eandem veritatem probat à ratione diſtinctiva: Illa eſſentia eſt in majoritate diſtinctionis, in qua eſt unicus diſtinctivus, generativus, ſeu productivus, unicus etiam diſtinguibilis, & generabilis ſeu producibilis, & unicum diſtinguere per ſpirare, & amare: Sed bonitas eſt in majoritate diſtinctionis : Unde concludit quòd *Eſt unicus diſtinctivus, & generativus reſpectu filii, & hic eſt Pater; & unicus diſtinguibilis, generabilis, & producibilis reſpectu Patris, & hic eſt Filius; & unicum diſtinguere per ſpirare, & amare, & hic eſt Spiritus ſanctus.*

Nec rectiùs evincit illas eſſe tantùm tres.

Verùm hæ probationes longè ab intento fine exorbitant: Tum quia hic Author ſupponit quod eſſet probandum, nempe illam eſſentiam eſſe in majoritate actionis in qua eſt ſolùm unicum producens, unicum productum, & unicus actus : imò ratio naturalis ſuadet illam cauſam eſſe perfectiorem quæ multiplicem habet virtutem & plures effectus producit: Tum quia, inde infertur, in Deo eſſe unicum actum nempe *ſpirare*, adeoque excluditur actus intellectus divini, nempe *intelligere*; hoc autem eſt hæreticum, & à ratione alienum: Tum denique quia ex his rationibus plura ſequuntur abſurda contra Trinitatis myſterium. *Primum* quidem quod una perſona per aliam diſtinguatur, quod eſt reverà falſum; etenim perſonæ divinæ diſtinguuntur invicem per proprios ſuos caracteres.

Deinde, cum tres perſonæ ſint realiter invicem diſtinctæ, non ſolùm eſt unicum diſtinguibile, & unicum diſtinctivum, ſed tres ſunt diſtinguibiles nempe tres perſonæ, & tria diſtinctiva, nempe tres proprietates perſonales. Sequitur denique ex illa doctrina plures eſſe perſonas divinas quam tres; etenim de fide eſt duos eſſe actus productionis in Deo, nimirum *generare*, & *ſpirare* : & conſequenter in Deo eſſet generativum, generabile, & generare, & ſic tres erunt perſonæ : Deinde ſpirativum, ſpirabile, & ſpirare, & ſic aliæ tres erunt etiam perſonæ, adeoque erunt ſex.

Nec denique probat illas eſſe Patrem, Filium & Spiritum ſanctum.

Tertiò denique : Illam perſonarum Trinitatem, quam evidenter ſe demonſtraſſe exiſtimat Lullius, conatur pariter evidenti ratione oſtendere eſſe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, ſic autem ratiocinatur. Id omne in divina bonitate concedi debet, per quod bonificativum eſt in majoritate actionis, & bonificabile in majoritate paſſionis; id eſt, Deo tribuendum eſt, id quod habet perfectiorem modum producentis, & producti : hoc autem fit per paternitatem, & filiationem: Ergo in Deo ratione producentis, & producti eſt Pater & Filius. Minorem probat; Quia perfectiſſimus modus

A producendi, eſt Patris reſpectu Filii; hic enim de tota ſua ſubſtantia filium generat. Quod etiam debeat eſſe Spiritus ſanctus, ſic probare nititur. Illud omne concedendum eſt in divina bonitate, per quod bonifacere eſt in majoritate actus, id eſt per quod eſt perfectiſſimè actus bonificantis, & bonificabilis: hoc autem fit per amare: Ergo in divina bonitate admittendum eſt amare quod appellamus Spiritum ſanctum. Minorem probat, quia aliàs bonificare, ſive amare, non eſſet infinitum; ac proinde non eſſet perfectiſſimum, nec in majoritate actus.

Verùm quàm infirma hæc ſit probatio, nullus eſt qui non videat; licet enim concederemus in Deo productionem perfectiſſimam, & in majoritate paſſionis & actionis, non inde ſequeretur illam eſſe inter Patrem & Filium, quamvis eſſet de tota ſubſtantia producentis: Etenim generatio Filii in humanis eſt vera generatio, nec tamen eſt de tota ſubſtantia, ſed de parte ſubſtantiæ generantis : Qualiter ergo Lullius colligere poteſt productionem de tota ſubſtantia, quæ tantùm reperitur in divinis, eſſe appellandam generationem Filii, maximè cum Spiritus S. ſit etiam de tota ſubſtantia, & tamen non ſit Filius : Ergo reverà ſecluſa divina revelatione demonſtrari nequit divinum Trinitatis myſterium.

C *Dices* 1. Evidens effectûs cognitio evidentẽ cauſæ notitiam parit : ſed creaturæ à nobis evidenter cognitæ, ſunt effectus divinæ Trinitatis; nam tres divinæ perſonæ, quæ habent eandem omnipotentiam & virtutem creandi, per ſe concurrunt ad omnes effectus creatos: Ergo ex creaturarum cognitione poterit homo divinam Trinitatem detegere. VIII.

Diſtinguo majorem : Si cognoſcatur neceſſaria connexio & dependentia effectus à cauſa, concedo : ſecus, nego. Similiter diſtincta minore, nego conſequentiam; homo enim poterit quidem cognoſcere creaturã ut eſt effectus Dei, D & ex hac cognitione inferre virtutem divinam productivam neceſſariò eſſe in aliquo ſuppoſito; actiones enim omnes cenſentur eſſe ſuppoſitorũ; adeoque naturaliter cognoſcere poterit eſſe aliquam divinam perſonam quæ creaturarum ſit productiva. Ex hac tamen notitia non poteſt naturaliter pluralitatem perſonarum in divinis colligere, quia creaturæ connexionem neceſſariam habent cum Deo uno ut unus eſt; non verò ut trinus eſt : Etenim ſi per impoſſibile in Deo eſſet unica perſona, non minùs in ea eſſet infinita virtus productiva, ſicque non minùs ab ea dependerent.

Dices 2. Cognita imagine cognoſci poteſt IX.
E illius Prototypus: Sed homo eſt reverà imago ſanctiſſimæ Trinitatis: Ergo ex ſui ipſius cognitione aſſurgere poterit in notitiam divinæ Trinitatis.

Diſtinguo majorem : Si cognoſcatur ratio formalis imaginis & habitudo illa quam habet ad Prototypum, concedo : ſecus nego : Non enim poteſt cognoſci relatio niſi cognito utroque extremo. *Ad minorem* dico hominem non poſſe cognoſcere ſeipſum ſub ratione imaginis per ingenitum ſibi rationis lumen, ut optimè explicat ſanctus Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 24. ubi expendens illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate*, dicit, *Non ait, Apoſtolus videmus nunc ſpecu-*

lum, sed per speculum. Unde concludit: *Qui ergo vident suam mentem, quemodo videri potest, & in ea Trinitatem istam ..... Nec tamen eam credunt, vel intelligunt esse imaginem Dei; speculum quidem vident, sed usque adeo non vident per speculum eum qui est per speculum nunc videndus ut nec ipsum per speculum quod vident sciant esse speculum, id est imaginem.*

X. *Dices* 3. Plures Philosophi satis apertam divinæ Trinitatis notitiam obtinuerunt ut observavimus in 2. ootabili: Sed illam aliunde noo fueruot adepti quàm ex ipso Philosophiæ promptuario, & ingenita virtute ratiocinandi: Ergo ita comparari potest cognitio mysterii Trinitatis.

Vnde Philosophi notitiam Trinitatis habuerint.

Nego minorem: Primò oamque illam notitiam excipere potuerunt ab ipsa traditione quæ ab Adamo usque ad Noë, & ab hoc usque ad Abrahamum hæreditario jure propagata fuit: Abrahamus autem & Moïses illam ipsam ootitiam disseminaverunt apud Philosophos Ægyptios, à quibus quotquot fuerunt sapientes Græci, maximè verò Orpheus, Pitagoras, Plato, edocti sunt, ut affirmant sancti Patres Justinus & Cyrillus laudati. *Subdit* Clemens Alexandrinus lib. 5. stromatum Platonem aliosque Philosophos plurima didicisse ad Hebræis & Chaldæis apud quos derivata & propagata fuerat primævis Patriarchis revelata divinitùs sanctissimæ Trinitatis notitia.

Ab Hebræis & Chaldæis

Addo iosuper Philosophos talem cognitionem fortè excepisse à Sybillis quarum *Insigne fuit virginitas, & virginitatis præmium divinatio*, inquit sanctus Hieronymus lib. 1. cootra Iovinianum: Unde concors est Christianorum sententia ut liquet ex Lactantio lib. 1. cap. 6. Sybillas diuino instinctu plura vaticinatas fuisse de sancta Trinitate, maximè verò de Filio Dei, & humanitate per illum assumenda: Unde tota hæc Philosophorum de Trinitate notitia revelationem supponit.

A Sybillis.

Denique Philosophi aliquam divinarum personarum notitiam assequi potuerunt per oracula Dæmonum quibus hoc mysterium ante eorū lapsum revelatum fuerat: Nam ut refert Eugubinus, lib. 2. de Perenoi Philosophia cap. ultimo Apollo delphicus rogatus à Sacerdote de vera religiooe, hæc inter alia respondit

Nec non & Dæmonum oraculis.

Ne me scisciteris de Sancto ac divino Genitore
Et Sobole chara rebus magni Induperantis
Et Flatu qui mundū astrictum continet omnem.

Simile quid refert Vivès in 10. lib. de Civit. cap. 23. de Serapide qui consultus à Tule Rege Ægypti, quisnam esset beatior, respondisse fertur.

Principio Deus est, tum Sermo, & Spiritus illi
Additur, æqueva hæc sunt, & tendentia in Vnum.

Nec mirum videri debet Dæmooes fuisse tanti mysterii præcooes; ad id enim urgeri potueruot, vel à bonis Angelis, vel à Deo ipso, qui interdum jubet veritatis lucem de tenebris falsitatis affulgere. Adde quod ipsimet Dæmones ad id stimulari potuerunt ut Divinitatis fidem labefactarēt: Trium enim divioarum Personarum notitiam ingerentes, iode tres esse Deos faciliùs suaserunt, hinc etiam omnis ea notitia quam Philosophi de Trinitate habuerunt infinitis propè erroribus admixta fuit: Vnde non immeritò Plato ipse dicitur *Prodromus Arianorum*; tres enim ponebat Deos, videlicet summum Deum, Demiurgum & animam, sed duos posteriores asserebat esse creatos ac summo Deo longè inferiores, quod penè fuit Arii commentum: Vnde Tertullianus Philosophos maximè Platonicos, *Hæreticorum Patriarchas* optimo jure dixit.

Ut inde tres esse Deos faciliùs suaderent.

XI. *Instabis*: S. Athanasius pluribi, sed maximè in disputatione contra Arium quæ legitur in Concilio Nicæno & oratiooe 2. contra Arrianos affirmat Ethnicos Philosophos fuisse inexcusabiles eo quod Verbi divinitatem non agnoverint ex Creaturis, ait enim oratione illa secunda: *Iure Paulus incusat Græcos quod congruentiam inter se partium ordinemque rerum natura contemplantes, nihil cogitaverint de naturæ ratione sive Verbo. Res enim cognita conditorem ostendunt, ut per eas verum Deum intelligant. Additumque est ab eodem Paulo* ÆTERNA QUOQUE POTENTIA ET DIVINITAS, *ut filium significaret*: & oratione tertia ait; *In operibus indita est sapientiæ effigies ut mundus per eam agnosceret suum opificem, rationem videlicet sive Verbum & per Verbum Patrem, &c.* Ergo reverà Philosophi per ingenitum rationis lumen detegere potuerunt Trinitatem Personarum.

Respondeo S. Athanasium his & similibus verbis subintellexisse auxilium supernaturale gratiæ excitantis, quo illustrati Philosophi res creatas contemplantes obscuram saltem divinæ Trinitatis ootitiam assequi potuerūt, nam idem Athanasius Orat. 1. cootra Arrianos ait: *Gratia ejus in nos collata magna hauddubiè sunt & supra hominem, & quod transcendit sua excellentia omnia charismata Patris illa ipsiusque Verbi cognitio & donatio sancti Spiritus*; Quibus apertè fatetur cognitionem Verbi & Spiritus sancti esse supra hominem, adeoque naturales humani intellectus vires transceodere.

XII. ROGABIS 1. Vtrum Raymundus Lullius reverà censuerit evidentem Trinitatis notitiam comparari posse absque ulla illustratione supernaturali, an verò revelationem supposuerit?

Raymundus censuit omnes Articulos fidei demonstrari posse.

Respondeo verisimiliùs esse eum censuisse evidenter demonstrari posse divinarum Personarum Trinitatem independenter ab aliqua supernaturali illustratione. Tum quia ipsemet pluribi affirmat omnes articulos fidei probari posse per rationes necessarias demonstrativas & evidentes: Ergo noo ceoset ad illas Demonstrationes fidem & revelationem prærequiri; Tum quia refert Eymericus in Directorio inquisitorum parte secunda q. 9. Lullium professum fuisse ad ejusmodi demonstrationes fidem non esse necessariam, inquiebat enim, *Fides est necessaria hominibus insciis, rusticis, ministralibus, & non habentibus intellectum elevatum, qui nesciunt cognoscere per rationem, & diligunt cognoscere per fidem, & homines grossi ingenii, & illiterati, & inscii diligunt cognoscere articulos fidei per fidem, & non per rationem, & faciliùs trahuntur ad veritatem Christianorum per fidem quàm per rationem: sed homo subtilis faciliùs trahitur per rationem quàm per fidem.*

XIII. ROGABIS 2 Num saltem lumine naturali Trinitatis mysterium possit in suspicionem venire?

Respondeo: Probabilius videri inquisitionem & suspicionem tanti Mysterii seclusa divina revelatione nusquam in intellectu creato excitari posse: Tum quia nullum est naturale objectum quod talem dubitationem aut inquisitio-

nem ingerere possit: Tum quia si fortassis apprehenderet tres Personas esse tres Deos, nec posset cogitationem suam ab hac apprehensione revocare; sicut modo illam revocamus ubi nostris mentibus sese ingerit propter firmiorem rationem, nempe propter supremam authoritatem Dei revelantis & dicentis tres esse Personas in unitate Deitatis.

CONCLUSIO SECUNDA.

XIV.

Non potest naturali ratione demonstrari impossibilitas mysterii Trinitatis.

SICUT *ratione naturali probari non potest divinæ Trinitatis existentia, ita nec demonstrari potest illius impossibilitas.*

Probatur: Si quæ ratio naturalis suadere posset divinæ Trinitatis impossibilitatem, maximè quia hæc repugnat Principiis Metaphysicis universalissimis & notissimis; vel quia militat in receptissima principia discursus & syllogisticæ artis; vel denique quia Personarum Trinitas in unitate essentiæ pugnat cum ipsis intimis Dei prædicatis: Sed neutrum dici potest. Ergo, &c.

1. Quia non repugnat Principiis Metaphysicis.

Probatur minor quoad primam partem: Principia Metaphysica in quibus nititur omnis omninò veritas, sunt ea maximè, *impossibile est aliquid esse simul & non esse*: Hoc est, affirmatio & negatio de una & eadem re simul & semel non potest enuntiari, quod tamen impetere videtur mysteriū Trinitatis: Nam essentia divina quæ est realiter eadem cum personalitate, cōmunicatur, non verò personalitas: Ergo eadem entitas communicatur realiter & non cōmunicatur realiter: Similiter Pater & Divinitas sunt unica res, & tamen Pater generat realiter; Divinitas autem non generat realiter: Ergo eadem res indivisibilis generat & non generat. *Denique* eadem res singularis est & communis, Deitas enim est essentialiter hæc & tamen est communis pluribus: Ergo simul est communis & non communis, adeoque mysterium Trinitatis videtur militare in receptissima Metaphysicæ principia & apertas contradictiones involvere.

Sed contra: Vt vera & manifesta sit contradictio, non sufficit quòd fiat affirmatio & negatio de eadem re secundùm suam entitatem realem, sed etiam oportet quòd fiat secundùm unam eandemque formalitatem: Verum enim est quòd homo discurrit, quatenus est rationalis, & non discurrit quatenus est sensitivus, nec inde sequitur aliqua contradictio; quia discurrere & non discurrere non enuntiantur de homine penes idem principium eandemque virtutem; Diversa enim est formaliter virtus sensitiva à virtute rationali: Ita à pari nulla in Deo sequitur contradictio quòd essentia communicetur, non verò Personalitas: Item quòd Pater generet, non verò essentia; quia licet Paternitas & Personalitas sint idem realiter cum essentia, ab ea tamen discrepant formaliter, quod sufficit ad salvandam & solvendam contradictionem, ut probavimus agendo de distinctione formali attributorum, tum ab invicem, tum ab Essentia divina.

XV.

2. Quia non militat in principia artis syllogisticæ.

Probatur etiam minor quoad secundam partem: Nempe quòd mysterium Trinitatis non pugnet cum principiis syllogisticis quæ maximè tria sunt. Primum est, *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*: Secundum, *Dici de omni*: Tertium, *Dici de nullo*, hoc est, quidquid affirmatur aut negatur de aliquo superiori, affirmatur etiam & negatur de omnibus quæ sub ipso continentur: Unde sic formari potest difficultas. Paternitas, & Filiatio sunt realiter idem cum Essentia divina: Ergo etiam debent idem esse realiter inter se, si nempe verum sit illud principium *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, & sic nulla erit realis personarum distinctio.

Deinde essentia est eadem res realiter cum Paternitate, & est eadem realiter res cum Filiatione: Sed Paternitas & Filiatio sunt duæ res: Ergo essentia est etiam duæ res; alioquin falsum erit principium *dici de omni*.

Verùm hæ difficultates facilè diluuntur; omissis enim variis aliorum responsis, duo respondet Doctor in 1. dist. 2. quæst. 7. num. 47. *Primò* quòd ex hoc principio solùm inferre liceat extrema non aliam habere invicem identitatem, quàm habeant cum tertio: Unde cùm personalitates non habeant identitatem formalem cum essentia divina; sic non invicem habere possunt illam identitatem formalem. Quoniam verò posset aliquis instare quod cùm personalitates habeant identitatem realem cum essentia, sic etiam deberent invicem esse eædem realiter; quia *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se* illa ipsa identitate quâ sunt eadem in tertio:

Respondet 2. illud principium universaliter solùm habere locum, quando extrema quæ conveniunt in tertio habent ex suis principiis & sua ratione formali, quod etiam inter se ita conveniant. Quando autem quæ identificantur tertio, ex propria sua ratione formali nequeunt ita identificari, tunc non sequitur necessariò ex eorum identitate cum tertio, quòd etiam realiter identificentur inter se. Personalitates autem divinæ ex sua ratione formali habent quòd non possint invicem identificari, quia sunt distinctarum personarum constitutivæ.

XVI.

2. Quia non implicat ex propriis Dei prædicatis.

Denique probatur tertia pars minoris. Si personarum pluralitas repugnaret Deo ex propriis ipsius prædicatis, maximè quia videtur officere ejus Vnitati, Aseitati, & Infinitati; Vnitati quidem, quia cum Deus sit primum ens non minùs debet esse solus ratione personæ quàm ratione essentiæ: Aseitati verò quia Deus est ens à se: Ergo cùm Filius sit productus à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio, non possunt habere rationem Divinitatis: Infinitati denique quia si dentur plures personæ erunt plura infinita, quod repugnat.

Verùm hæc facilè diluuntur. *Primum* quidem quia primitas entis negat multitudinem Deorum: Sed hæc non asseritur per Trinitatem; siquidem tres personæ sunt tantùm unus Deus: *Secundum* pariter, quia Aseitas, ut diximus in disputatione de Attributis, negat solùm dependentiam, non verò productionem; licèt autem Filius & Spiritus sanctus producantur, eorum tamen productio est omnimodè independens. *Tertium* denique quia Personarum Trinitas non importat pluralitatem infinitorum, quia ut probabitur infra, personalitates nec perfectionem nec imperfectionem important, & consequenter nullo ex capite evinci potest divinæ Trinitatis impossibilitas.

Quæstiu Tertia.

An, & quomodo supposita divina revelatione probari possit divina Trinitatis Mysterium adversus repugnantes Philosophos?

I. Quid sit Revelatio? & quotuplex.

NOTANDUM 1. Revelationem esse objecti propositionem factam per testificationem alicujus personæ dicentis, sive fiat in intellectu per Deum, sive in imaginativa facultate per Angelum, sive tantommudo exteriùs per doctrinam hominom aut per voces & visiones ab Angelis formatas: Iode duplex revelatio; alia creata & naturalis, quæ fit Angelorum vel hominum beneficio; alia verò supernaturalis & divina, quæ solitò dicitur lumen interius supernaturaliter infusum efficaciter inclinans voluotatem & intellectum ut revelatis assensum præbeat; de qua Matth. 16. *Sanguis & caro non revelavit tibi, sed Pater meus.* De bac autem revelatione quærimus in præsenti, utrum per eam ita illustrari & confortari possit humaous intellectus, ut orgentia inveoire valeat argumenta naturalia quibus Trinitatem evideoter demonstret, aut saltem probabiliter suadeat.

II. Efficaciter probari non potest impossibilitas mysterii Trinitatis.

Notandum 2. Certum esse quòd prævia fide supernaturali intellectus homanos innata sibi discurrendi virtute efficaciter probare non possit impossibilitatem mysterii Trinitatis: Tum qoia omnia principia oaturalia quæ hane impossibilitatem suadere possent sumuntur à rebus finitis & limitatis, quarom cùm nulla sit ad res divinas & iofinitas proportio; ita nee esse debet comparatio, adeoque ipsa naturalis ratio docet in Deo esse aliquid quod intellectus creatus viribus propriis attingete nequit: Tum quia omnia argumenta quæ Trinitatem oppugnare possunt, ratiu naturalis fide illustrata probabiliter soluit & diluit, ut patebit in hujus Tractatus decursu: Tum denique qoia ratio naturalis aliqoas inquirit, & ministrat similitodines & congruentias quibus manu ducitur intellectus ad assentiendum huie mysterio, & rationes quæ illius impossibilitatem suadere videbantur, ita dissoluit ut vix aliqoid roboris habeant: Restat ergo solùm difficultas de possibilitate & existentia istius mysterii, num videlicet per argumenta naturalia à Christiano Philosopho efficaciter persuaderi possit Ethnico & infideli.

III. Duplex circa præsenté Quæstioné opinio.

Notandum 3. Circa præsentis Quæstionis resolutionem duas esse maximè upposiias Theologurum senteorias. Primæ facem prætulit Richardus Victorious asserens lib. 5. de Trinitate cap. 8. *Manifesta ratione probari, imò multiplici demonstratione convinci, quod sicut perfectio unius persona est causa alterius, ita perfectio gemina est causa tertia in Trinitate*: Unde loquens de rationibus à se positis ad probandam Trinitatem divioarum personarum cap. 11. subdit, *Vt superiùs evidenter ostendimus multiplex ratio personarum pluralitatem convincit*: Et cap. 13. *Ecce quod constat luce clarius tres in tribus proprietatum distinctionibus invenimus.* Quibus contendit divinæ Trinitatis mysterium efficaciter & evidenter probari posse, ubi semel illius notitia per revelationem illuxerit; loquitur enim de rationibus quæ fidem supponunt: nam lib. 1. cap. 1. ponderat illud Isaiæ cap. 7. *Nisi crediderit is non intelligetis*: Et cap. 4. ait; *Ad ea quæ credimus, non modo probabiles, sed etiam necessarias rationes adducere possumus.* Secondam senteotiam omnino oppositam oonnulli Theologi propugnant, asserentes divioæ Trinitatis mysterium, ita esse fidei proprium, ut nulla naturalis ratio illod probare, imò nee ulla tenus soadere queat; qoibuscum sentire videtur sanctos Thomas io 1. dist. 33. artic. 1. ad 2. ubi ait, *In nulla re creata invenitur aliquid simile divinæ simplicitati, ut habens sit id quod habetur: omnia enim similia quæ possent induci, vel de punctis, vel de differentiis existentibus in genere, plus habent de dissimilitudine quàm de similitudine; Et omnino magis abducunt à veritate, quàm in verum intellectum inducunt.* Has autem extremitates ut declinemus, mediam amplectimor sententiam, duoque hîc resoluenda suscipimos. Primum quòd etiam prævia fide & revelatione nullæ proferri possint convincêtes rationes, quæ Trinitatem evideoter persoadeant. Secundum verò quòd aliquæ saltem proferri possint congruæ ratiunes & similitudines, quibus emolliatur difficultas intellectus infidelis, & ad illius mysterii fidem & assensum dispooatur.

Conclusiu Prima.

IV. Intellectus creatus enim fide divina illustratus non potest demonstrare mysterium Trinitatis.

INTELLECTUS *creatus quacumque etiam divina revelatione illustratus non potest evidenter & certò demonstrare mysterium divinæ Trinitatis.*

Probatur 1. Authoritate sanctorum Pattum, maximè verò Justini in expositione fidei de Trinitate, *Quamvis*, inquit, *mens pura nobis sit insita, per quam sæpe celsiora nobis ratiociuando apprehendimus; tamen compare carne gravata hebescit ad evidentem perceptionem rerum majorum...... Nullo igitur modo, cum simus homines, possumus penetrare ad illam primam ac beatam essentiam, quid dico divinam Essentiam? imò nec ad mysteria quidem ejus; nihil enim divinum manifestum est hominibus.* Cui cuncinit sanctus Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 1. *Afferimus*, inquit, *aliquando rationem non quam petunt, cum de Deo quærunt quia ipsi eam non valent sumere, nec nos fortasse vel apprehendere vel proferre, sed quâ demonstretur eis quàm sint inhabiles minimèque idonei percipiendo quod exigunt.* Adstipulatur sanctus Hilarius lib. 8. de Trinit. ubi mysterium hoc rationem naturalem transcendere affirmans, ait, *Hoc enim Ecclesia* (fide) *intelligit, hoc Synagoga non credit, hoc Philosophia non sapit, unum ex uno, & totum à toto Deum, & Filium, neque per nativitatem Patri ademisse quod totus est, neque hoc ipsum totum non secum nascendo tenuisse.*

Probatur etiam ratione: fides aut revelatio, efficere nequit ut effectus purè naturales & sensibiles connexionem necessariam habeant cum Trinitate personarum: Ergo nee efficere potest ut per eorum effectuum evidentem notitiam, divina Trinitas evidenter demonstretur. Consequentia patet: non enim potest causa evidenter cognosci per effectum nisi pariter inootescat connexio necessaria quam habet eum illo effecto.

Deinde fides efficere nequit ut ratio naturalis, sois tantùm viribos innixa feratur ultra suam sphæram: sed mysterium Trioitatis est extra sphæram luminis naturalis: Ergo attingi nequit ab ipsa ratione naturali.

Denique

Denique supposito etiam lumine fidei, omnes discursus naturales manent intra sphæram luminis naturalis, quod non potest aliquid divinum ostendere nisi beneficiô creaturarum: Sed creaturæ ex se potiùs inducunt in assensum impossibilitatis hujus mysterii quàm in assensum illius existentiæ: Ergo reverà quamvis aliquis per revelationem & fidem noverit mysterium Trinitatis, non tamen excogitare potest rationes naturales, quæ illud mysterium alteri non credenti evidenter persuadeant.

PROBATUR 2. Ex infirmatione omnium rationum quæ proferri possent ad hoc mysterium demonstrandum. Si quæ rationes evidenter probare possent divinam Trinitatem, maximè quinque sequentes: Sed nulla ex eis est demonstrativa.

V. Solvuntur rationes quæ proferri solent in contrarium.

Prima namque ratio sic formari posset ex Doctore in 1. dist. 2. quæst. 7. n. 3. Quicumque habet à se & sine imperfectione principium productivum sufficiens ad producendum, potest producere: Sed aliqua persona divina habet à se & sine imperfectione principium productivum sufficiens respectu alterius personæ divinæ: Ergo potest producere alteram personam divinam.

Prima deducitur ex fœcunditate divini intellectus & divinæ voluntatis

Probatur minor. Primò namque constat esse unam personam, eadem ratione quâ constat esse Deum, siquidem Deitas debet esse personata ut agere & producere possit: Secundò illa divina persona habet memoriam fœcundã, hoc est intellectum infinitum, & objectum infinitum præsens & applicatũ in ratione intelligibilis: Insuper habet hanc memoriam infinitè fœcundam à se, quia est improducta; & illam habet sine imperfectione, nulla enim imperfectio in Deo est invenienda: sed illa memoria infinitè fœcunda est principium productivum alicujus infinitè perfecti; non quidem alterius Dei, quia Deorum pluralitas repugnat: Ergo alterius personæ divinæ. Probatur minor: Memoria fœcunda ex ratione sua formali est productiva notitiæ genitæ: Ergo memoria fœcunda personæ divinæ improductæ est productiva notitiæ genitæ sibi proportionatæ, adeoque infinitæ: Sed notitia illa infinita non est accidens, quia hoc Deum dedecet: Ergo est quid subsistens, & consequenter quid spirituale vivens vita intellectuali, aliàs non esset proportionatum principio productivo; adeoque est persona divina: Ergo memoria fœcunda in Deo producit aliam personam divinam; sicque iam duæ sunt divinæ personæ, una producens, alia producta.

Quòd autem tertia possit similiter cognosci, patet; nam illa divina persona improducta, habet voluntatem à se infinitè perfectam; voluntas autem infinitè perfecta est productiva amoris infiniti & sibi proportionati: infinitus autem ille amor productus debet esse divina persona, aliàs principio producenti non esset proportionatus: Ergo ratione naturali probari potest evidenter divina illa personarum Trinitas.

Sed facilè solui potest.

Verùm quamvis hæc ratio omninm urgentissima videatur aliquibus, nihilominus eam facilè diluere posset Philosophus Ethnicus. *Primò* negando minorem, affirmandoque Deum non intelligere nisi per intellectionem realiter identificatam, non verò à se distinctam, propterea ejus intellectionem non esse realem productionem termini realiter distincti, sed solùm operationem. *Secundò* reponere posset intellectum producere quidem aliquid immanens, sed inhærens, non verò aliquid subsistens, adeoque ex eo non liceret inferre Verbum à Deo productum esse aliquid subsistens: *Tertiò* denique quamvis concederet intellectum divinum esse productivũ Verbi subsistentis, & realiter à principio producente distincti, non tamen idcirco teneretur admittere tres personas; imò ansam haberet asserendi esse infinitas divinas personas productas; cùm enim Verbum & Spiritus sanctus habeant intellectum, & voluntatem, eorum quilibet posset alterum Verbum & Spiritum sanctum producere, & illi iterum alios, & sic in infinitum.

Secunda infertur ex communicabilitate infiniti boni.

Secunda ratio sic formari potest. Quod est summè ac infinitè bonũ, est summè ac infinitè communicabile: Sed Deus naturaliter cognoscitur esse summum ac infinitum bonum: Ergo summè ac infinitè debet communicari: Atqui extra se non potest sic infinitè ac summè communicari, quia nequit produci creatura summè infinita: Ergo necessum est ut intra se infinitè communicetur: sed illa communicatio fieri non potest, nisi per intellectum & voluntatem: Ergo oportet quòd Deus sese communicet per operationem intellectus & voluntatis alteri intra se; non quidem alteri secundùm essentiam, quia non possunt esse plures Dii: Ergo secundùm personam; adeoque tres erunt personæ divinæ, nimirum una quæ sese communicat, & duæ aliæ quibus communicatur; uni quidem per intellectum, alteri verò per voluntatem.

Sed ex ea nihil evincitur.

At responderet Philosophus, primò negando majorem, quoniam actualis communicatio nullam infert perfectionẽ in causa communicante, sed tantùm in effectu producto, actualis enim illuminatio non est perfectio existens in Sole, sed in corporibus illuminatis.

Responderet secundò communicationem infinitam repugnare Deo, quoniam illa videretur non posse fieri absque divisione essentiæ & productione alterius Dei, quod implicat. *Tertiò* denique distinguere posset majorem, infinitè bonum est infinitè communicabile; sincategorematicè, ita ut semper magis possit communicari concedet: categorematicè verò ita ut possit habere simul communicationem sibi adæquatam, negabit.

Tertia colligitur ex divina fœlicitate quæ consortium videtur exigere.

Tertia ratio: Deus naturaliter cognoscitur fœlicissimus: sed fœlicitas non potest esse unius solitarii; exigit enim consortium: Ergo consortem habere debet: Sed creaturæ cùm sint dissimiles, & ab æterno non fuerint, non possunt Deo veram & perfectam societatem tribuere: Ergo necesse est quòd Deus habeat consortem qui non sit creatura: at ille non potest esse alius Deus, quia plures Dii repugnant: Ergo oportet habeat alias divinas personas. Unde Tertullianus contra Praxeam: *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi mundus, & locus, & omnia, solus autem quia nihil extrinsecùs præter illum: cæterùm ne quidem tunc solus; habebat enim in semetipso rationem suam scilicet Verbum suum, Filium suum, & suum Spiritum S.*

Sed Divina persona beata esse posset etsi unica.

Verùm Philosophus negaret ad fœlicitatem entis infinitè perfecti requiri consortium alterius; sibi namque Deus plenè sufficit, utpote cùm sit bonorum omnium maximum & centrum.

Quarta ratio petitur à summa Dei Charitate.

Quarta ratio peti potest à summa Dei Charitate. Ubi est summa bonitas, ibi est perfecta Charitas, quæ nece[ssa]riò est ad alterum; & summa Charitas non est nisi erga alterum sum-

mè bonum: Sed in Deo est summa bonitas: Ergo summa Charitas, quæ sit erga alium summè bonum, non quidem erga creaturas, quæ non sunt summè bonæ: neque erga alium Deum, quia plures Dii repugnant: Ergo oportet ut sit erga aliam personam divinam, adeoque plures personæ divinæ probari possunt ratione naturali.

Sed nullo negotio solui potest. *Verùm* Philosophus negaret minorem, non enim ubi est summa bonitas ibi necessariò debet esset perfecta Charitas, habens rationem amicitiæ; sufficit enim amor infinitus quem Deus habet erga seipsum.

Quinta denique formari posset ex Dei perfectione colligenda ex Creaturis. *Quinta denique ratio* sic formari posset: Cognoscimus naturaliter nullam perfectionem esse Deo denegandam: Sed producere sibi simile in natura, est summa perfectio: Ergo cognoscitur non esse Deo deneganda.

Verùm illatio prorsus nulla. *Verùm* refellere posset Philosophus: *Primò* distinguendo minorem: Nempe quòd producere sibi simile sit summa perfectio in entibus corruptibilibus ut nempe suam speciem servare possint; non verò in entibus corruptionis expertibus, ut patet in Angelis qui alios Angelos non procreant; adeoque cùm Deus sit omnis corruptionis expers, non esset in eo perfectio producere sibi simile.

Secundò responderet illam productionem Deo repugnare; quia ut verè produceret sibi simile, deberet producere alterum Deum, quod implicat.

Tertiò si sit summa perfectio producendi sibi simile, cùm personæ divinæ quæ producerentur essent infinitè perfectæ, etiam alias personas divinas deberent producere; sicque esse deberent numero infinitæ personæ divinæ.

Constat itaque nullam posse proferri rationem naturalem quæ mysterium Trinitatis infideli ita evidenter persuadeat, ut ei non possit suum denegare assensum. Solùm itaque suaderi potest hoc mysterium probabiliter per illas præfatas rationes; nec-non & per quasdam similitudines rerum naturalium in quibus exaratur adorandæ Trinitatis vestigium & imago, ut apetiet.

Conclusio Secunda.

VI. Variæ ex rebus naturalibus similitudines quibus mysterium Trinitatis explicatur. Prima quidem ex Sole.

PROBABILITER *suaderi, & explicari posse mysterium Trinitatis ex rebus naturalibus, in quibus quodammodo illius vestigia & imagines apparent & elucent, constans est sanctorum Patrum sententia.* Idque suadent variis similitudinibus.

Primò quidem in *Sole* Trinitatis imaginem expressam inveniunt sanctus Athanasius quæst. 4. & Nazianzenus oratione 45. eò quòd unum illud sit sidus in quo tria tamen distincta sunt, nempe orbis solaris, radius, & lumen, *Quemadmodum enim*, inquit Athanasius, *Sol constat tribus subsistentiis, ita & unus Deus tribus personis. Typus enim Patris est orbis solaris: Typus Filii est radius: Typus Spiritus sancti est lumen solis. Proinde sicut in Sole orbis radius & lumen, non dicuntur tres Soles, sed unus Sol: similiter & in Deo Pater, Filius, & Spiritus sanctus unus Deus & non tres:* Unde compendiaria expositio fidei quæ tribuitur Cyrillo Alexandrino, habet, *Sol est Pater, radius Filius, splendor ignitus est Spiritus sanctus.*

2. Ab igne. *Secundò* eandem Trinitatis imaginem insefrunt sancti Patres ab elementis; primò quidem ab igne: nam ut ait sanctus Athanasius supra laudatus; *Tres sunt subsistentiæ unius ignis, scilicet subjectum ignis, & urens, & lucens: & tamen una est natura ignis. Sic Pater est ignis, Filius est urens, Spiritus S. est vis illuminans.* Subsistentias autem hîc appellat res individuales quamvis sint accidentia. Ipsi concinit Isidorus lib. 2. de differentiis Spiritualibus cap. 2. *Sicut ignis*, inquit, *candor & calor tria quidem vocabula, sed res una: ita in relatione personarum Trinitas est, in substantia verò natura unus Deus.*

Tertiò ab elemento *Aeris*, in quo Iridem pinxit Deus, ut in ea veluti triumphali curru sancta Trinitas cerneretur: Sicut enim in una Iride tres colores ita conveniunt ut visus nequeat discernere qua in parte color unus terminetur & distinguatur ab alio: sic in sancta Trinitate divinæ personæ, ita in Deitate conveniunt ut sint unicus Deus. 3. Ab aere.

Quartò ex elemento *Aquæ*, nam fons efficit fluvium, & rivum quasi triplex aqua & tamen unica: Unde Nazianzenus oratione 37. oculum fontis appellat Patrem, fontem verò Filium & fluvium Spiritum sanctum. Tertullianus verò librô contra Praxeam capite 8. Patrem Fonti, Filium Fluvio, Spiritum Rivo assimilat. 4. Ab aqua

Quintò ab elemento *Terræ* quòd in ea sit Radix, Truncus, & Rami quæ omnia unicam arborem formant; ut expendit supra laudatus Tertullianus ibidem nec-non & sanctus Augustinus lib. de fide, & Symbolo cap. 9. 5. A terra.

Sextò illud ipsum colligit ex omnibus creaturis sanctus Augustinus 6. de Trinitate capite ultimo, *Oportet*, inquit, *ut Creatorem per ea quæ facta sunt, intellectum conspicientes Trinitatem intelligamus, cujus in creatura quomodo dignum est, apparet vestigium.* Quod vestigium postmodum explicans subdit: *In illa enim Trinitate summa origo est omnium rerum, & perfectissima pulchritudo, & beatissima delectatio:* Hoc ipsum etiam colligit libro 4. super Genesim ex eo quòd Deus Sapientiæ 11. dicatur, *Omnia fecisse in numero, pondere, & mensura; mensura*, inquit, *omni rei modum præfigit: numerus omni rei speciem præbet, & pondus ad quietem ac stabilitatem trahit.*

VII. Maximè autem consistit in Vnitate Specie ac ordine creaturarũ in quibus vestigium Trinitatis elucet.

Doctor Subtilis in 1. distinctione 13. quæstione 5. numero 6. addit Trinitatis vestigium quod in creatura elucet, maximè consistere in unitate, specie, ac ordine ipsarum, idque colligit ex sancto Augustino 6. de Trinitate capite 10. dicente, *Hæc igitur omnia quæ arte divina facta sunt & unitatem quandam in se ostendunt, & speciem & ordinem.* Unitas autem reperta in creatura repræsentat summam unitatem primi principii quæ appropriatur Patri, & species creaturæ repræsentat summam pulchritudinem quæ attribuitur Filio, ordo denique creaturæ repræsentat operationem perfectissimam Dei quæ est beatitudo ejus, & appropriatur Spiritui sancto.

7. Denique imago SS. Trinitatis repetitur ex homine.

Septimò denique illam suam imaginem sancta Trinitas in homine pinxit, meritòque dixit *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: Nam ut docet Doctor in 1. distinct. 3. quæstione 9. numero 6. quemadmodum in Trinitate est eadem natura divina, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui sunt tres personæ realiter inter se distinctæ, & identifi-

catæ in eadem natura divina : ita præter animam in nobis reperitur memoria fœcunda quæ est intellectus cum objecto aut specie illius, & hæc correspondet Patri.

Deinde in nobis reperitur intellectus informatus notitia actuali quæ correspondet Filio: & danique reperitur volnntas informata à volitione quæ respondet Spiritui sancto.

Insuper sicut Pater & Filius & Spiritus S. distinguuntur realiter inter se, & tamen identificantur Essentiæ divinæ; ita memoria fœcunda & intellectus ut afficitur intellectione, & voluntas ut afficitur volitione, distinguuntur realiter inter se, & tamen idem sunt realiter cum anima, quatenus nempe intellectus & voluntas considerantur in actu primo & ut sunt facultates ipsius animæ formaliter solùm ab illa distinctæ.

B Hæc omnia luculenter explicat sanctus Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 20. *Quisquis* (inquit) *hac tria, scilicet memoriam, intelligentiam, & voluntatem in sua mente naturaliter divinitùs instituta vivaciter perspicit, & quàm magnum sit in ea unde potest etiam sempiterna immutabilisque natura recoli, conspici, amplecti. Reminiscitur per memoriam, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem : profectò reperit illius summa Trinitatis imaginem: Ad quam summam Trinitatem, reminiscendam, videndam, diligendam, ut eam recordetur, eam contempletur, ea delectetur totum debet referre quod vivit.*

C

Quæstio Quarta.

An revera tres tantùm sint divina persona realiter distincta & unicus Deus?

Tres hæreticorum classes in præsenti materia.

NOn unus est, sed multiplex à veritate deviantium error : inde vix recenseri possunt quot & quales hæresum tenebriones circa veritatum omnium maximam, nempe divinam Trinitatem exorbitaverint: eos tamen omnes triplicem in ordinem decet distinguere. Alii namque plures divinas personas quàm tres asseruerunt: D Aliqui verò unicam in Deitate personam triplici officio aut nomine solùm distinctam fabulati sunt: Cæteri denique tres divinas personas non esse unicum Deum, sed triplicem dixerunt, qui errores ut faciliùs appareant & refellantur.

I.

Qui Trinitatem fuerunt insectati?

Notandum 1. Varios fuisse hæreticos qui divinarum personarum Trinitatem multipliciter fuerunt insectati : in primis namque Anastasius Imperator edixit, *Non Trinitatem, sed quaternitatem adorandam esse*, & idcirco divinitùs eum fuisse fulmine percussum, referunt Paulus Diaconus, & Pomponius Lætus apud Cellium E lib. 1. de Trinitate art. 4. Cui errori subscripsisse videtur quidam Clericus Gallicus, qui ut refert sanctus Anselmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 1. & 13. tres divinas personas realiter ab Essentia divina distinguebat, dicebatque, *Si in Deo tres persona, sunt una tantùm res, & non sunt tres res, unaquaque per se separata, sicut tres Angeli, aut tres anima, ita tamen ut potentia & voluntate omnino sint idem : Ergo Pater & Spiritus sanctus cum Filio est incarnatus.* Nec longè abfuit Gilbertus Porretanus, nam ut refert Matthæus Paris in Historia Anglicana ad annum 1119. Tertia illius assertio erat, *Proprietates personarum relationes quadam aterna sunt qua non sunt quidem quod ipsa persona, sed divisa numero, & divisa substantiâ & habent tres unitates, & sic multa aterna sunt quorum nullum sit Deus.* At longè enormior fuit multiplicatio personarum, quam ita damnat Concilium Braccarense primum Cano. 2. dicens, *Si quis extra sanctam Trinitatem, alia nescio qua divinitatis nomina introducit; dicens quod in ipsa divinitate sit Trinitas Trinitatis, sicut Gnostici, & Priscilliani dixerunt, anathema sit.*

II.

Nonnulli unam in Deo personam fabulati sunt.

Notand. 2. Aliquos fuisse hæreticos prioribus summè oppositos, qui ex unitate omnimoda essentiæ inferebant unitatem etiam personæ divinæ ; ita ut quæ distinctionem personarum B in Scriptura designant, non ad personarum ipsarum diversitatem, sed ad officiorum & actionum ejusdem personæ differentiam referrent; dicerentque quòd eadem persona prout est ingenita & creaturarum productiva, nominetur *Pater*; quatenus verò incarnata, dicatur *Filius*; prout verò sanctificans creaturam appelletur *Spiritus sanctus*; quasi una eademque persona in diversos effectus officiaque distincta distribuatur. Cui errori facem prætulisse videtur *Praxeas* qui ut loquitur Tertullianus in libro quem adversus eum scripsit, *Vt de unico heresim faciat, ipsum dixit Patrem descendisse in Virginem, ipsam ex ea natum, ipsum passum:* Subditque, C *Praxeas duo negotia Diaboli Romæ procuravit, prophetiam expulit, & heresim immisit. Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit.* Unde Optatus Milevitanus lib. 5. adversus Parmenianum, Praxeam *Patri-passianum* appellat quòd Patrem divinum crucifixum & passum fuisse assereret : Ipsi subscripserunt *Noëtus*, qui ut refert sanctus Epiphanius hæresi 57. dicebat unum Deum esse eundem Patrem, Filium, & Spiritum sanctum in carne passum & genitum: Faverunt & Montani discipuli, quamquam enim sanctus Epiphanius hæresi 48. dicat, *Montanus de Patre, & Filio, & Spiritu S. similiter sentit velut sancta Catholica Ecclesia;* nihilominus sanctus Hieronymus Epistola ad Marcellam quæst. 54. de Montani discipulis, D ait, *Trinitatem in unius persona angustias cogebant :* Unde Nicephorus lib. 4. Historiæ cap. 22. *Montanus*, inquit, *de divina Trinitate, & mundi creatione eadem nobiscum docuit, nonnulli tamen ex sectatoribus ejus postea tres Divinitatis substantias, unam esse sunt opinati.*

Cui errori initium dedit Praxeas.

Huic subscripserunt Noëtus & Montanistæ.

Quem postea excitavit Sabellius.

Verùm hunc errorem penè sepultum ab inferis denuò excitavit Sabellius Afer Pentapolitanus, qui ut refert sanctus Anastasius orat. contra Gregales Sabellii dicebat, *Dilatari Patrem in Filium sumendo carnem, & in Spiritum sanctum sanctificando homines* : Unde Pa- E trem in Filium, & Spiritum sanctum non tres personas, sed eandem tribus nomenclaturis apppellabat; inde ejus discipuli *Patri-passiani* dicti sunt, eo quòd Patrem incarnatum, passum, & mortuum fuisse assererent. Cui errori postmodum adhæserunt Paulus Samosatenus, Deinde Photinus Syrmiensis Episcopus, necnon & plures Moderniores hæretici ut jam dictum est.

Vnde Patripassiani.

III.

Notandum 3. Alios hæreticos per extremum prædictis opposítos distinctionem personarum in Deo quidem agnovisse; verùm negasso uni-

Essentiæ unitatem impugnarunt Origenes. Arrius.

tatem essentiæ qui duos adhuc in erroris rivulos distribuuntur; quidam enim negaverunt consubstantialitatem Filii cum Patre, quibus præivisse fertur *Origenes*, tamen hic error *Arrio* tanquam authori tribuitur, quia ab eo ita propagatus ac disseminatus fuit, ut per universum orbem venenum suum effuderit. Eo autem extincto, & in morem Iudæ in secessu effusis ejus visceribus; suborta est *semi-Arrianorum* secta, qui errorem Arrii ut cumque temperantes, Filium Patri similem eique coæternum, non tamen consubstantialem & æqualem asserebant: Vocem *Omousion*, quæ consubstantialem significat, quasi emollito rigore, in *Omiousion* hoc est similem in substantia commutantes: ita ut ipsa similitudine vocis & consonantia plerosque fallerent, quasi voce Catholica utentes. Ipsis annumerari solent *Macedoniani* qui Spiritum sanctum verè Deum esse negabant, dicebantque eorum aliqui *Patrem esse omnipotentem, Filium semipotentem, Spiritum verò sanctum nullipotentem.* Alius autem ipsis oppositus excrevit error *Tritheitarum*, qui tres asserebant naturas & substantias per omnia similes, quorum dux fuit *Phyloponus*, ut refert Nicephorus lib. 18. cap. 49. de quibus Dionysius Romanus apud Athanasium in Epist. de Decretis Nicænæ Synodi ait: *Isti quodammodo tres Deos constituunt, dum in tres substantias alienigenas sanctam unitatem dispartiuntur.*

Semi-Arriani.

Macedoniani.

Tritheitæ.

Quæstionis partitio.

Hinc operæ pretium est inpræsentiarum tria resolvere: 1. Tantùm tres esse divinas Personas: 2. Eas realiter invicem distingui: 3. Illas esse verè unicum Deum. In sequenti autem quæstione Personarum consubstantialitatem probabimus.

CONCLUSIO PRIMA.

IV.

Admittitur in Deo Personarum Trinitas.

REverà *tres sunt divinæ Personæ realiter invicem distinctæ.* Quòd tres sint satis superque constat tum Veteris tum Novi Testamenti Oraculis supra relatis: quòd verò invicem realiter distinguantur iisdē sacris probatur textibus: sed insuper confirmatur idipsum ex variis illis locis in quibus Scriptura sacra Generationem, Paternitatem, & Filiationem in Deo commemorat, quæ sine reali Personarum distinctione verificari nequeunt: *Nam*, inquit S. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 1. *nulla omnino res est quæ seipsam gignat ut sit:* Et Tertullianus contra Praxeam: *Omne quod prodit ex aliquo secundùm ejus sit necesse est de quo prodit, non ideo tamen est separatum; Secundus autem ubi est, duæ sunt, & Tertius ubi est, Tres sunt: Tertius enim est Spiritus sanctus à Deo & Filio, sicut tertius à radice, fructus ex frutice, & tertius à fonte, rivus ex flumine, & tertius à Sole, apex ex radio,*

Non solùm *Pater & Filius* denotant diversa officia.

Sed etiam diversas entitates.

Nec dicas cum Sabellianis hæc vocabula *Patris & Filii* solùm denotare in Deo distinctionem Personarum, non entitativè & realiter; sed penes diversa officia, quæ unica divina Persona gerit & exequitur, dicaturque *Pater* ratione creationis, *Filius* ratione incarnationis, & *Spiritus* sanctus ratione justificationis: Nam ut rectè replicat Tertullianus adversus Praxeam cap. 10. *Fieri nullo modo possunt ut Pater se sibi Filium faciat, & Filius se sibi Patrem præstet: quæ instituit Deus, etiam ipse custodit, habeat necesse est Pater Filium, ut Pater sit, & Filius Patrem, ut Filius sit; aliud est autem habere, aliud esse, v.g. ut maritus sim habeam oportet uxorem, non ipse mihi ero uxor; sic etiam ut Pater sim, Filium habeo non ipse mihi ero Filius, & ut Filius sim, Patrem habeo, non ipse mihi ero Pater: Quæ enim me faciunt, si habuero; tunc ero Pater, si Filium habeam: Filius ero, si Patrem:* Porro *si ipse ero quid eorum, jam non habeo quod ipse ero, nec Patrem, quia ipse ero Pater, nec Filium, quia ipse ero Filius; in quantum autem alterum ex his habere me oportet, alterum esse in tantum, si utrumque fuero, alterum non ero dum alterum non habeo: Si enim ipse ero Filius qui & Pater, jam non habeo Filium, sed ipse sum Filius: Non habendo autem Filium, dum ipse sum Filius, quomodo Pater ero? habere unum Filium debeo ut Pater sim, &c.*

Ut constat ex Scriptura pluribus.

Præterea idipsum constat, ex illis ipsis Scripturæ verbis Ioannis 8. quibus Filius affirmat, *Ego ex Deo processi*: & ibidem, *solus non sum, sed Ego & qui misit me Pater.* Et cap. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Nam procedens debet realiter distingui ab eo à quo procedit, & missus ab eo à quo mittitur, & rogans ab eo quem rogat: Cùm idem non possit à seipso procedere, nec seipsum mittere aut rogare, ut rectè urget ibidem Tertullianus, nec-non S. Athanasius Orat. contra Gregales Sabellii.

Denique Scriptura sacra disertè pronuntiat, *Filium Dei ante Luciferum genitum*, & divinam Sapientiam *prodiisse ex ore altissimi ante omnem Creaturam*: & Verbum *esse in principio apud Deum, & per illud omnia esse facta*: Ergo reverà intra ipsum Deum admittenda est realis Personarum distinctio, & non solùm ex diversa connotatione & respectu ad effectus in Creaturis producendos. Adde quòd hæc divina veritas iis firmetur principiis quibus eam convellere nituntur Sabelliani; etenim

Objiciunt 1. Varia Scripturæ loca quibus Dei unitas prædicatur, unde inferunt unicam esse Personam: Sic Deuteron. 6. *Audi Israël Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Et cap. 4. *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter ipsum.*

Trina repetitio Trinitatem insinuat.

Verùm tantùm abest ut verba hæc Personæ unitatem indicent, imo Trinitatem significant, & denotant distinctionem: Mirabili enim Dei instinctu factum est ut Moyses, & cæteri Veteris Testamenti Scriptores, ipsam Dei unitatem trina repetitione significarent, ut nempe tres Personas in unitate Divinitatis designarent, ut colligunt sancti Patres, præsertim Athanasius in libris de Trinit.

V.

Objiciunt 2. Illud Ioannis 14. *Ego in Patre & Pater in me est*; unde inferunt Patrem & Filium unicam esse Personam duobus tantùm nominibus distinctam; confirmant ex illo Isaïæ 45. & 45. *Tantùm in te Deus, & non est absque te Deus, verè tu es Deus absconditus.*

In quo est Deus, Deus est.

Verùm ex eis textibus Personarum distinctionem colligunt sancti Patres, maximè Athanasius Dialogo 3. de Trinit. & Hilarius lib. 4. qui illa verba Isaiæ sic ponderat: *Habitantem ab eo in quo habitat discernens Isaias, Personæ tantùm distinctionem non generis; Deus enim in eo est, & in quo est Deus, Deus est; non enim Deus in diversa atque aliena à se natura habitaculo est.*

VI.

Objiciunt 3. Illud Ioannis, *Ego & Pater unum sumus.* Verùm contextus ille in eos militat;

Nam ot notat S. Augustious, Tract. 36. in Joannem; *Si nanm, non ergo diversum: si sumus, ergo & Pater & Filius: sumns enim noa diceret de uno, sed anam non diceret de diversis*: Uode Nazianzenus lib. de Fide: UNUM, inqoit, *ad unitatem Divinitatis refert*; SUMUS *autem personis assignat.* Simili modo Tertullianus lib. 4. contra Marcionem pooderat illud 1. Ioannis cap. a. *Tres sunt qui testimonium dant in Calo, Pater, Verbam, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*; aitqne, *Qai tres*, inquit, *anum snnt, non unus, quomodo dictum est, Ego & Pater nnam snmns?* Respoodet, *ad substantia unitatem non ad nameri singularitatem.*

Objiciunt. 4. Omnia quæ Pater habet, Eilius pariter obtinet: Ergo nihil est per quod Filius à Patre realiter possit distingui: Antecedeos probant ex Matth. 11. *Omnia mihi sradita sunt à Patre meo*: Et Ioannis 16. *Omnia qna habet Pater, mea sunt*: Et cap. 17. *Omnia mea tua sunt, & taa mea snnt.*

Omnia Pater dedit Filio præter esse Patrem.

Verùm ex illis ipsis verbis colligunt sancti Pattes persooarum distinctionem, oporter enim inter daotem & accipientem, sit realis distinctio; Vnde communiter præfatos cootextus ioterpretantur quòd Pater omnia dederit Filio præter esse Patrem. Hinc Coocilium Florentioum in litteris unionis ait: *Omaia qaa Patris sunt, ipse Pater anigenito Filio suo gigneado dedit, preter esse Patrem*: Cui concinit illud Nazianzeni Orat. 44. io sanctam Pentecosten: *Omnia*, inquit, *quacumqae Pater habet sant Filii, preterquàm ingenitus non est*: *Omaia quacumque Filius, Spiritus sancti sunt si geaerationem exceperis.* Quod autem prædicta exceptio implicitè contineatur in ipsis Christi verbis, docet Athanasius Orat. 4. contra Arriaoos dicens: *Sed ne quis videns Filium habere omnia quacumque Pater habet, ex indiscreta similitadiae eorum qna habentur, Sabelliano more deceptas impiè seatiat; Existimetque Filium etiam Patrem esse: ea de causa hoc Verbum prolatum est: Datam est mihi, & accepi & traditam est mihi, nulla alia de causa qaàm ut ostenderet se Patrem noa esse &c.* Et paulo inferiùs illud Joanois 5. *Quemadmodum Pater habet vitam ia semetipso: ita qaoque Filio dedit, vitam habere in semetipso.* Ita pondetat: *Nam ex hac voce* DEDIT *indicat sese Patrem aoa esse, ex ipso autem dicto* ITA *Filii similitudinem proprietatemque cum Patre significat.*

Inter dantem & accipientem realis est distinctio.

VII. *Objiciunt* 5. Scriptura sacra affirmat Deum esse solum, Psal. 85. *Ta es Deas solus*; Et 1. ad Timotheum 1. *Regi saculorum immortali & invisibili soli Deo*: Ergo & solitarius est: sed solitudo non stat cum consortio triom Persooarum: Ergo tres Personæ oon suot in Deo admittendæ.

Respondent saocti Patres etiam Scripturas docere Patrem non esse solum, sed Filium esse cum ipso; nam Christus ipsemet Ioannis 8. disertè pronuntiat, *Sòlus non sum: sed ego & qui misit me Pater. Et in Lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est: Ego sam qai testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me qui misit me Pater*; Quæ verba S. Athanasius contra Gregales Sabellii ita ponderat: *En tibi duas Personas, & nisi dicas verè daos esse, cum hac loquitur, noa permittis testimoniam verum existere; id enim testimonium confirmat, sed si non ab uno, sed à duobus perhibeatar.* Idcirco Scripturæ ita conciliandæ sunt, ut priores non excludant Trinitatem Personarum, & posteriores noo indocant pluralitatem Deorum.

Pater non est solus, sed Filius cum ipso.

Respondent secundò, quòd Deus dicatur *solas*. per exclusionem Deorum aliorum; oon verò per exclusionem Divinarum Persooarum, hæcque expositio firmatur ab ipsa Scriptura sacra, nam Ioannis 17. legimus: *Hac est vita aterna, ut cognoscant te solum Deam verum*: Additur, *Et quem misisti Iesum Christum.* Insuper de Filio dicitur Isaïæ 45. *Non est absqae te Deus: verè tu es Deus absconditus, Deas Israël Salvator*: Et Baruc 3. *Hic est Deas noster, & noa astimabitur alius adversus eum*: Subditur autem, *Post hac in terris visas est*, ut significet priora verba de Filio Dei esse intelligenda; oec tamen sequitur inde quòd Pater ooo sit reverà Deus & Dominus; adeoque particula *solus* noo est exclosiva Personarum, sed Deorum inanium.

Deus non dicitur solus per exclusionem Personarũ, sed plurium Deorum.

Respondeo 3. Cum Doctore io 1. dist. a. q. unica, vocabulum *solus* sumi posse dupliciter, nimirum vel categorematicè vel syocategorematicè: Categorematicè sumptum idem est ac *solitarius*, idcirco locum non habet in divinis: unde falsæ sunt istæ enunciationes, *Deus est solus*, *Pater est solus*; id est solitarius. Syncategorematicè verò sumi potest quatuor modis: Vel enim determinat subjectum essentiale respectu prædicati essentialis, & sic vera est hæc propositio, *Tu Deus solus et verus Deus*: Vel determioat subjectum personale respecto prædicati essentialis, & sic falsa esset propositio, *solus Pater est Deus*, unde cum de Patre dicitur Ioannis 17. *Ut cognoscant te solum Deum verum*, Particula *solus* non se tenet ex parte subjecti nempe Patris, sed ex parte prædicati, nempe veri Dei, ut sic hic sensus, *Ut cognoscaat te Pater qui es verus Deus solus.* Tertio sumi potest *solus*, quatenus determinat subjectum personale respecto prædicati personalis, & sic vera est propositio, *Solus Pater generat, solus Filius generatur.* Quartò denique determinat subjectum personale respectu prædicati notionalis communis pluribus personis, & sic non rectè jungitur subjecto importanti onam duntaxat persooam: sed debet jungi subjecto importanti utramque, non enim rectè diceres, *Solus Pater spirat*, sed dicere debetes, *solus Pater & Filius Spiraat.*

Nomen *solus* sumi potest vel Categorematicè, vel Syncategorematicè.

Syncategorematicè quatuor modis.

Objiciunt 6. Nonoulla sanctorom Patrum testimonia, quibus affirmare videntur divinas Personas solis nominibus, & consideratione intellectus esse distinctas: Sic S. Greg. Naz. Orat. 13. postquam tria supposita divina distinxit caracteribus propriis, subjungit: *Deum unumquodqae si seorsim coasideretur, mente videlicet ea qua separari nequeunt separante*: Idem Orat. 35. *Vaam qaoqae Dei essentiam, & naturam, & appellatioaem esse; tametsi per cogitationes quasdam distinctas nomiaa quoqae simul distinguantur.* VIII.

Verùm ipsemet S. Nazianzenus hanc injuriam longè à se proscribit, oam Orat. 49. ostendens se in prioribus opusculis professum fuisse veram Personarum distinctiooem realem, ait: *Quippe cum & hanc sectam*, idest Sabellianam, *in eodem libello damaaverim & personarum distinctioaem secundùm vocabulam scripserim, nam & nemo pro naa persona potest (unum saas) dicere, & naisatem generis nisi personis assigaare*: Unde Orat. 35. *Paris impietatis est*, ioquit, *vel Sabellii more personas connectere; vel Arrii instar, naturas di-*

Immeritò objicitur S. Nazianz.

stinguere ac separare. Ergo quando dicit unam personam, seorsim ab alia consideratam, intellectione distingui; ita est intelligendus, quòd vix intellectus noster possit reverà unam personam ab alia seorsim concipere & sejongere; nam à parte rei quælibet persona habet in se manentes duas alias personas per circomincessionem, & quantum ad essentiam, est idem cum ipsis, adeoque non potest ab illis realiter separari.

IX. *Objiciunt* 7. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: Sed Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt iidem essentiæ divinæ: Ergo sunt eidem inter se.

Distinguo majorem ut iam distinxi: quæcumque aliqua identitate sunt eadem alicui, pari identitate sunt eadē inter se, concedo: unde cùm Personæ divinæ non sint eædem personaliter & suppositaliter, sed tantùm essentialiter in tertio: sic nec esse debent inter se eædem personaliter, sed tantùm essentialiter.

Objiciunt 8. Implicat aliquid unicum esse simul & multiplex: Sed Deus unus & Trinitas est divisa ac multiplex: Ergo Deus non est Trinitas.

Vnum non potest esse unum & multiplex sub eadem ratione, benè verò sub diversa.

Distinguo majorem: Sub eadem ratione quâ unum est non potest esse divisum & multiplex, concedo: sub alia ratione quâ non est unum, nego: Sic ergo Deus est unus in essentia, & multiplex in personis; adeoque non est unus & divisus & multiplex sub eadem ratione, sed sub diversa.

Objiciunt denique: Nihil est admittendum in Deo quô sublatô Deus maneret infinitè perfectus: Sed seclusa Trinitate personarum, Deus remanet infinitè perfectus, nam esse infinitum est de essentia ipsius Deitatis: Ergo, &c.

X. *Negat minorem* Doctor, in 1. dist. 2. quæst. 53. sublatâ enim unâ personâ non manebit alia infinitè perfecta, non quòd una persona constituat perfectionem essentiæ, aut alterius personæ, sed quòd omnes personæ realiter identificentur essentiæ, & sic realiter essentialiter etiam invicem identificentur; implicat autem quòd D aufferatur unum identificatum realiter alio subsistente: aliàs idem realiter esset ablatum & non ablatum, quod implicat.

Seclusa Trinitate Deus non esset infinitè perfectus.

Vel distinguo minorem: Sublata Trinitate personarum Deus remaneret infinitè perfectus, si illa conditio esset possibilis, concedo: Si sit impossibilis, uti reverà est, nego.

Instant: Ex infinitate divinæ naturæ colligimus divinitatem esse unam & immoltiplicabilem: Sed persona divina ut distincta formaliter ab essentia non minùs est infinita: Ergo nec minùs una & immultiplicabilis.

Natura divina est immultiplicabilis quia est infinita simpliciter & in omni genere.

Distinguo majorem: Ex infinitate simpliciter & absolutè, concedo: ex infinitate secundùm quid & in certò ac determinato quodam genere, nego. Similiter distinguo minorem: Persona divina non minùs est infinita simpliciter & absolutè, nego: infinita secundùm propriam suam rationem formalem transeat. *Vel* aliter, nego minorem: Persona enim formaliter ut persona est, nec infinita est nec finita, nec imperfecta, nec perfecta, ut infra probabimus.

CONCLUSIO SECUNDA.

XI. IN *Deo tres tantùm sunt divinæ Personæ, nec plures, nec pauciores esse possunt.* Hæc est de A fide definita in pluribus Conciliis quorum omnium doctrinam colligit, & iterum probat Concilium Lateranense capite *Damnamus* his verbis, *Credimus & confitemur quod una quadam summa res est, quæ veraciter est Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac sigillatim qualibet earum...... Qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina....... Et illa res non est generans neque genita, nec procedens, sed est Pater qui generat & Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis & unitas in natura. Licèt igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud, sed id quod est Pater, est Filius, & Spiritus S. idem omnino ut secundùm Orthodoxam & Catho-* B *licam fidem consubstantiales esse credantur.*

Tres tantùm personæ sunt in Deo.

Vt probat Concilium Lateranense.

Hoc ipsum apertè tradit sanctus Athanasius in Symbolo: *Vnus ergo, Pater non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus S. non tres Spiritus SS.* Probant pariter omnes Scripturæ sacræ contextus quibus in priori quæstione sanctam Trinitatem hoc est tres esse divinas personas insinuavimus. Insuper ipsæ Scripturæ sacræ apertè unicum esse *Patrem* pronunciant, dum singulari nomine, Deus Pater exprimitur: Sed & disertè explicant unicum esse Filium & unicum Spiritum sanctum; etenim Filium unigenitum appellant, sic Ioann. 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris:* Et infra, *gloriam quasi Vnigeniti à Patre:* Et cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum ut Fi-* C *lium suum unigenitum daret.* Similiter de Spiritu sancto 1. Corinth. 12. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus:* Et infra, *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus:* Et rursus, *in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptisati sumus.* Sed evidentiùs hoc ipsum loquitur Ioannes Epist. 1. cap. 5. dicens, *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum & Spiritus S.* Licèt autem hæc propositio exclusionem non exprimat directè & explicitè; nihilominus implicitè illam designat & importat: Iuxta communem sanctorum Patrum interpretationem.

S. Athanasius.

Confirmatur ex Scriptura.

XII. D *Probatur eadem veritas ratione:* Primò quidem, si plures quàm tres essent divinæ personæ, plures pariter essent Dii, non verò unicus Deus: Sed implicat plures esse Deos: Ergo etiam implicat plures esse divinas personas quàm tres. Probatur major: Ideo plures personæ efficiunt unicum Deum, & non habent distinctam Divinitatem & essentiam, quia Pater eandem Divinitatem indivisim Filio communicat per generationem: Quam prætetea Pater, & Filius communicant Spiritui sancto per Spirationem: Sed talis communicatio ejusdem Di- E vinitatis, in Deo foret impossibilis si plures essent Patres, plures Filii, aut plures Spiritus S. Ergo, &c. Minorem probant SS. Patres qui ex ea communicatione unicum esse Deum fatentur; inprimis sanctus Ignatius Epistola ad Philipenses colligit: *Vnus ergo Deus Pater, & non duo vel tres, unus scilicet qui est, & non est præter eum solum verus, Dominus enim inquit Deus unus est..... Vnus quoque Filius Deus Verbum:* Et paucis interpositis pro unitate Spiritus sancti concludit: *Iterum ergo neque tres sunt Patres, neque tres Filii, sed neque tres Paracleti: Sed unus Pater, & unus Filius, & unus Paracletus.* Quibus Ignatius observat pertinere ad unitatem Dei quòd non sint plures Patres, nec plures

Ratione suadetur.

1. Quia si plures essent personæ quàm tres plures essent Dii.

Filii, nec plures Paracleti. Ipsi concinit sanctus Basilius lib. 3. contra Eunomium, *Sic*, inquit, *in Trinitate unitatis ratio conservabitur, si unum Patrem profiteamur, unum Filium, unum Spiritum sanctum*: Subscribit & Epiphanius hæresi 64. *Pater*, inquit, *& Filius, & Spiritus S. unus Deus, Trinitas in veritate & Monas, propterea enim unus Deus, quoniam nec duo Patres, neque duo Filii, neque duo Spiritus sancti.* Unde sanctus Fulgentius in responsione ad primam objectionem Arrianorum, rem totam concludit, *Si ambo*, inquit, *vocarentur Patres, essent profectò naturâ dissimiles, unusquisque enim ex semetipso constaret & communem substantiam cum altero non haberet, nec Deitas una esset, quibus una natura non esset*: Idem ad objectionem 5. dicit de Filio, *Duo quippe Ingeniti*, inquit, *non possunt unam habere naturam, ubi nec unus in uno veram ex se generationem invenit, nec unus ex uno verè in se substantiam nativitatis agnoscit*, &c.

2. Quia potest esse tantùm una improducta & duæ productæ.

Probatur 2. Tot sunt, & non plures divinæ Personæ, quot improductæ & productæ: sed unica tantum est & esse potest persona improducta, & duæ productæ: Ergo tantùm tres possunt esse divinæ Personæ. *Major* clara est: *Minor* verò probatur quoad primam partem à Doctore in 1. dist. 2. q. 7. num. 37. Si plures esse possent personæ improductæ, essent necessariò infinitæ; sed implicat esse infinitas personas in Deo: Ergo & plures personas improductas. *Minor* patet: Illæ enim infinitæ personæ improductæ, vel essent ejusdem speciei & solô numerô distinctæ; vel diversæ: Non primum, quia implicat esse plura infinita, solô numerô diversa, ut probavimus demonstrando unitatem Dei. Non etiam diversæ, quia sic nulla earum esset infinita; quippe cùm non haberet perfectiones personæ alterius speciei, sicut homo non habet omnes perfectiones brutorum, nec bruta perfectiones hominis obtinent; adeoque non esset infinitè perfecta, quippe cùm non haberet omnes perfectiones possibiles.

Alioqui daretur infinitas suppositorum in divinis.

Probat minorem Doctor: Quidquid potest esse in pluribus suppositis, & non determinatur ad certum numerum suppositorum per aliquid à se distinctum, ex ratione sua potest esse in infinitis; & si sit ens necessarium, de facto est in infinitis, nam ut loquitur Aristoteles 4. phys. textu 32. *In perpetuis non differunt posse & esse*: sed Persona divina improducta, si posset esse in pluribus suppositis, non posset determinari ab aliquo, ut esset in certo & determinato numero suppositorum; quia determinari ab alio, ut sit in supposito, est contra rationem personæ improductæ: Ergo ex se posset esse in infinitis; & sic de facto essent infinitæ personæ productæ; sed hoc implicat: Ergo & illud unde sequitur.

Nulla est necessitas admittendi plures personas improductas.

Probat. 2. eandem partem minoris, nunquam pluralitas ponenda est sine necessitate, sed nulla est necessitas admittendi plures personas improductas; neque enim illud spectaret productionem personæ improductæ, neque juvaret quidquam ad perfectionem personarum productarum: Ergo nequeunt esse plures. *Tertiò*, quia essentia una actu existens, non potest ex se habere diversos modos existendi sine productionibus: Unde enim repetenda esset illa existendi diversitas: Ergo persona improducta non potest esse multiplex.

Nec plures productas quàm duas.

Probatur eadem minor quoad secundam partem, A Nempe duas tantùm esse personas productas ab eodem Doctore ibidem numero 18. tot sunt, & non plures personæ productæ, quot sunt principia productiva adæquata, & sufficientia diversæ rationis in persona improducta: sed illa principia sunt tantùm duo; nempe intellectus & voluntas: Ergo & duæ tantùm personæ productæ. Minor patebit in Disputatione sequenti, ubi demonstrabimus duas tantùm esse admittendas divinas processiones & productiones; adeoque tantùm duas personas productas.

Idque triplici ratione firmat S. Bonaventura.

Hanc ipsam veritatem probat S. Bonaventura ex sufficienti combinatione quam triplicem confert in 1. *dist.* 2. *art.* 1. *q.* 4. PRIMAM quidem sic format. Prima Persona quæ est innascibilis & inspirabilis generat & spirat: B Secunda verò Persona, quia inspirabilis, sed genita, non generat, sed spirat: Tertia Persona, quia spiratur, & procedit à generante nec generat, nec spirat, & ideo impossibile est esse plures personas quàm tres.

SECUNDAM verò sic format cum Richardo à sancto Victore lib. 3. de Trinit. & 20. ex triplici amore: Triplex enim est amor, videlicet gratuitus, debitus & ex utroque permixtus: Ergo tantùm debent esse tres divinæ Personæ, una quæ tantùm dat, in qua est amor gratuitus; alia quæ tantùm accipit in qua est amor debitus, & media quæ dat & accipit, in qua est C amor permixtus ex utroque: TERTIAM verò colligit ex origine; nam, inquit, contingit intelligere personam, quæ est principium personæ, & non est principiatum: & rursum personam quæ est principiatum, & non principium personæ, & tertiò modô personam quæ est principiatum & principium: Quartus autem modus quod nec sit principium, nec principiatum est omninò impossibilis, nec intelligibilis.

XIII.

Dices 1. In rebus creatis, generatio ex naturæ fœcunditate procedit: Ergo similiter in Deo præter duas processiones, quarum una est per intellectum, & alia per voluntatem, admittenda est alia ex naturæ fœcunditate proveniens; D & per consequens alia persona procedens distincta à Verbo & Spiritu sancto.

Natura seorsim sumpta non est principium distinctum ab intellectu & voluntate.

Respondet Doctor ibidem num. 21. distinguendo consequentiam, ponenda est in Deo productio ex naturæ fœcunditate tanquam ex principio adæquato, negat; ex inadæquato & partiali, concedit: Principium enim adæquatum & totale productionis Filii, includit intellectum & essentiam divinam, quorum quodlibet partialiter concurrit ad illam productionem: Idem dicēdum de voluntate divina respectu productionis Spiritus sancti. Unde quamvis essentia divina concurrat ut principium *quo*, E ad productionem Filii & Spiritus sancti, non habet exinde rationem principii distincti adæquati & per se productivi alicujus Personæ divinæ, sed tantùm quatenus concurrit cum intellectu & voluntate; adeoque cùm sint tantùm duo adæquata principia productiva Personarum divinarum, etiam duæ tantùm sunt divinæ Personæ productæ.

Instabis. Vnius & ejusdem principii adæquati possunt esse plures productiones & distincti termini: Ergo quamquam in Deo sint tantùm duo principia productiva, exinde non sequitur duas tantùm esse personas productas. Probatur antecedens, Intellectus creatus, v. g. est principium adæquatum uerbi mentalis: sed plura

verba totalia & adæquatè distincta potest producere: Ergo, &c.

Principium producit unum dumtaxat terminum adæquatum.

Distinguo antecedens: Si termini producti non sint adæquati tam intensivè quàm extensivè, hoc est, si non adæquent omnimodam perfectionem principii producentis tam in essendo quàm in operando, concedo: Si sic, nego: Idcirco autem intellectus creatus potest producere plura distincta verba mentalia, quia nullum eorum verborum adæquat perfectionem intellectus in essendo: Hic enim est substantia, illud verò accidens; nec in operando, quia intellectus qui concurrit cum una specie impressa ad productionem unius verbi, potest iterum concurrere cum alia specie dissimilis objecti repræsentativa ad productionem alterius verbi. Secùs autem est in divinis, Verbum enim divinum adæquat omnimodam perfectionem sui principii productivi, tam in essendo, quia est consubstantiale Patri, quàm in operando, quia omnem intellectus divini fœcunditatem exhaurit & adæquat, adeoque neganda est consequentia.

Subsumes: Atqui ejusdem principii productivi possunt esse distincti termini adæquati tam in essendo quàm in operando: Ergo licèt duo tantùm sint principia adæquatè productiva in divinis, non minùs plures esse possunt personæ productæ. Probatur antecedens: Ignis productus adæquat omnem perfectionem ignis producentis, est enim ejusdem omnino naturæ & activitatis cum eo: sed ab eodem igne possunt alii duo ignes produci ex duabus distinctis materiis diversimodè applicatis: Ergo, &c.

Maximè quando est infinitus.

Distinguo antecedens: Si aliunde non repugnet, nempe si terminus adæquatus non sit infinitus, concedo: Si sit, nego: Vnde cùm unius principii productivi finiti possint esse varii termini etiam finiti, quia plura entia finita ejusdem rationis non repugnant, cùm unum non debeat involuere perfectionem alterius; Idcirco potentia finita non obstante sua limitatione potest extendere se ad duos terminos simul quos seorsim posset producere. Secus autem accidit dum terminus productus est infinitus, quia duo infinita ejusdem omnino rationis existere repugnat, vel enim unum involveret perfectiones alterius, vel non: si sic, ergo non essent diversa, nec consequenter duo: si non, ergo neutrum esset infinitè perfectum, cùm non haberet eas perfectiones quas aliud infinitum complecteretur. Ideoque neganda est consequentia.

Vrgebis: Sicut se habet potentia finita ad effectum & terminum finitum, ita & infinita ad infinitum: sed finita potest habere plures terminos adæquatos finitos: Ergo multò magis potentia infinita poterit habere varios terminos adæquatos infinitos. Probatur antecedens, Si quod intercederet discrimen, maximè vel quia effectus infinitus exhaurit fœcunditatem potentiæ productivæ: Vel quia est incompossibilis cum alio effectu infinito ejusdem rationis: At hoc non officit. Non quidem primum, quia non apparet ratio cur effectus adæquatus infinitus magis exhauriat fœcunditatem potentiæ infinitæ, quàm finitus exhauriat fœcunditatem potentiæ finitæ; at hic non ita fœcunditatem suæ potentiæ exhaurit, ut illa non possit ultro producere alterum terminum adæquatum, ut patet allatô exemplô ignis: Ergo nec unus terminus infinitus ita exhaurit fœcunditatem potentiæ infinitæ, ut ipsa ulteriorem terminum producere non possit. *Non etiam secundùm*; Tum quia cùm effectus sit posterior causâ, non impedit causæ fœcunditatem: Tum quia omnia Attributa divina & tres divinæ Personæ sunt plura infinita ejusdem rationis in ratione Attributi & Personæ, licèt aliunde discrepent: Ergo etiam plures esse poterunt termini infiniti Intellectus divini: licèt proprios habeant particulares caracteres quibus distinguantur.

Distinguo majorem: Secundùm aliquam proportionem, concedo: secundùm omnimodam, nego. Verum quidem est quòd licèt potentia finita exigat terminum finitum adæquatum, ita & infinita debet habere aliquid infinitum pro termino suo adæquato: at falsum est quòd sicut finita facultas habere potest successivè varios terminos adæquatos finitos, ita infinita poterit habere varios infinitos, unde neganda est consequentia.

Repugnat duos adæquatos terminos ab infinita potentia produci.

Ad probationem dico varietatem terminorum infinitorum ejusdem divinæ potentiæ utrimque repugnare, nimirum *Primò*, quia unicus terminus exhaurit & adæquat fœcunditatem suæ facultatis; si enim aliquid ultrò posset illa facultas producere, jam non infinitè ageret in productione primi termini, siquidem omnem omnino perfectionem non tribueret isti priori termino, si alium æquè perfectum & similibus præcellentiis donatum posset producere. Repugnat *secundò*, quia implicat duo esse infinita ejusdem rationis propter tam expressas implicantias. Nec illud evincunt allata exempla, etenim personalitates divinæ formaliter consideratæ, nec infinitæ sunt, nec finitæ, ut patebit infra: Similiter attributa formaliter considerata, nec sunt finita, nec infinita, ut sic enim distinguuntur formaliter, tum ab infinitate formali, quæ est modus divinæ essentiæ: Tum ab infinitate radicali, quæ est ipsius divinæ essentiæ differentia constitutiva & distinctiva. Unde non sunt infinita formaliter, sed tantùm realiter, quatenus nimirum identificantur ipsi divinæ Essentiæ; adeoque non sunt plura infinita, sed unicum, quia non habent rationem infiniti ut sunt distincta, sed solùm ut sunt identificata.

Dices 2. Tot sunt divinæ Personæ quot sunt XV.
principia earum constitutiva: sed hæc sunt quatuor: Ergò & illæ. *Major* patet: *Minor* probatur, Principia divinarum Personarum constitutiva sunt relationes oppositæ: at hæ sunt quatuor, videlicet Paternitas & Filiatio, spiratio passiva & activa: Ergo, &c.

Spiratio activa non constituit distinctam Personam.

Nego minorem: & ad probationem illius distinguo majorem; Relatio uni tantùm Personæ conveniens est illius principium constitutivum, concedo: quæ convenit pluribus Personis, nego: Spiratio autem activa convenit Patri & Filio qui indivisim Spiritum sanctum spirant, ideoque non est alicujus divinæ Personæ constitutiva; imò Patrem per Paternitatem, & Filium per Filiationem jam constitutum supponit.

Instabis: Sicut se habet generari & spirari, sic se habet generare & spirare: sed generari & spirari quæ significantur per relationes Filiationis & Spirationis passivæ, constituunt distinctas Personas: Ergo pariter generare & spirare

spirare quæ explicantur per Paternitatem & Spirationem activam duas distinctas Personas debent constituere.

Nego majorem: Nam generari & spirari opponuntur saltem mediatè, & ideo constituunt diversas personas, nempe Filium & Spiritum sanctum: Generare autem & spirare non opponuntur ullô modô, ideoque non debent diversas Personas constituere.

XVI. *Dices* 3. In ente summè necessariò idem est esse ac posse: at Filius divinus potest alium Filium producere: Ergo eum reverà producit.

Gravis difficultas ex verbis S. Augustini proponitur.

Probatur *minor* ex sancto Augustino lib. 3. contra Maximinum asserentem Filium Dei non esse Patri æqualem, quem cùm Augustinus ita perstrinxisset cap. 7. *Prorsus ad hunc articulum res colligitur ut Deus Pater æqualem sibi gignere Filium aut non potuerit, aut noluerit: Si non potuit, infirmus: si noluit invidus invenitur: sed utrumque hoc falsum est: Patri ergo Deo Filius verus æqualis est.* Tandem cap. 12. ita concludit, *Absit autem ut quomodo putas, ideo sit potentior Pater Filio, quia Creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit Creatorem* (hoc est alium Filium:) *neque enim non potuit, sed non oportuit:* Ergo reverà censet S. Augustinus Filium Dei alium Filium sibi similem potuisse gignere, quem tamen non genuit ne fortè plures essent divini Filii.

Confirmatur: Ibi S. Augustinus totus est, ut probet, quòd si Pater divinus non potuit generare sibi Filium æqualem fuit impotens; & C quòd è converso si sit omnipotens debuit generare sibi Filium æqualem: Ergo à pari si Filius non possit generare alium Filium non erit omnipotens, nec consequenter Deus; adeoque ex mente S. Augustini reverà Filius divinus potuit alium filium gignere.

Et solvitur quia severa non censuit Filium Dei alium sibi similem potuisse gignere.

Respondet Doctor in 1. *dist.* 20. *quæst. unic. n.* 12. negando minorem. Ad consequentiam verò S. Augustini dicit eam valere solùm per locum extrinsecum, ita ut si Pater non gigneret sibi Filium æqualem, reverà non esset omnipotens; non quòd omnipotentia sit principium & ratio cur Pater possit alterum Filium produ- D cere; aliàs cùm Filius & Spiritus sanctus sint pariter omnipotentes, etiam Filios generare deberent: sed quòd si Pater Filium non posset sibi æqualem producere, illa impotentia argueret in eo aliquem defectum qui certè alius esse non posset quam defectus omnipotentiæ, cùm nihil aliud esset in Patre quod Filii æqualis productionem præpedire posset. At non est eadem ratio de Filio; siquidem negatio productionis alterius filii, non potest refundi in defectum illius omnipotentiæ, sed in aliam rationem, nempe ex eo quòd duo termini adæquati & in- E finiti ejusdem facultatis omninò repugnent. Et consequenter non idcirco Filius divinus alterum filium non produxit, quia non potuit, seu quia non est omnipotens; sed quia non oportuit, seu quia duorum Filiorum productio repugnat ex seipsa.

Sed ibi arguit ad hominem.

Respondeo 2. S. Augustinum ibi arguere ad hominem, cùm enim Maximinus concederet simul Filium Dei esse naturalem Filium, & tamen esse factum & creaturam: inde seqnebatur quòd aliquis Filius Dei fuit factibilis qui foret æqualis Patri: Ergo Pater non fuit Omnipotens, si non potuit facere hunc Filium æqualem & factibilem. Hanc autem fuisse S. Au- A gustini mentem colligitur ex sequentibus verbis; subdit namque, *Immoderata esset divina generatio, si genitus Filius Nepotem gigneret Patri, quia & ipse Nepos nisi Avo suo pronepotem gigneret, secundùm vestram mirabilem sapientiam impotens diceretur: Similiter etiam ille si Nepotem non gigneret Avo suo, & pronepotem Avo suo, non à vobis appellaretur omnipotens, nec impleretur generationis series si semper alter ex altero nasceretur, nec eam perficeret ullus, si non sufficeret unus omnipotens. Itaque omnipotentem genuit Filium, quoniam quæcumque Pater facit, hæc & Filius facit similiter.*

CONCLUSIO TERTIA.

XVII. Tres *divinæ Personæ sunt unus numerô Deus.* Hæc est de fide determinata in Conciliis B Nicæno lib. 2. ubi sancta Trinitas *individua, & indivisa* prædicatur: Toletano 6. cap. 1. *In Trinitate tanta est unitas substantiæ ut pluralitate careat & æqualitatem teneat, nec minor in singulis quàm in omnibus, nec major in omnibus quàm in singulis personis manet:* Et Toletano 11. *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus singulariter dicitur:* Et infrà: *Singulariter ergo unaquaque persona unus Deus affirmatur & creditur;* Quæ omnia Lateranense cap. firmiter complectitur, dicens, *Quod unus solus & verus Deus..... Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tres quidem Personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omninò, Pater à nullo, Filius à Patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab utro-* C *que: Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens.*

Tres divinas Personas esse unum numero Deum. Probatur 1. Conciliis.

Hoc ipsum constantissimè tuentur sancti Patres: In primis verò Damasus Papa in professione Fidei, ubi anathematisat eum, *Qui diviserit Deum Patrem, & Deum Filium, & Deum Spiritum sanctum, affirmans Deos dici & non Deum propter unam Deitatem ac potestatem quam esse credimus Patris, & Filii, & Spiritus sancti;* Unde signanter S. Epiphanius in anchorato advertit, quòd Seraphim apud Isaïam dicant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* non verò, *Sancti, Sancti, Sancti, quò singulare celebre pro-* D *nuntient, neque trium numerum occultent, sed ter quidem dant sanctificationem, uniformiter autem & singulariter proferunt sermonem, ne multitudinem* Deorum *nominent.*

Ex SS. Patribus.

Hanc ipsam veritatem plurimis rationibus probant sancti Patres. *Primò* quidem à Simplicitate Dei: Simplicitas enim Divina non esset strictissima, si non esset unica & indivisibilis essentia, ut constat exemplô naturæ humanæ, quæ in omnibus hominibus non est propriè & verè simplex; quia constat multis naturis realiter & numero distinctis. Hanc rationem atti- E git S. Dionysius lib. de divinis Nominibus cap. 1. *In omnibus,* inquit, *fermè sacris libris advertimus* Divinitatem *sanctè prædicari ut singularem quidem, atque unicam, ob simplicitatem atque unitatem illius excellentis individui.* Ipsi concinit S. Gregorius Nyssenus in fine libri ad Ablabium: *Quoniam igitur,* inquit, *hypostases quidem sanctæ Trinitatis causa ratio discernit, aliud quidem absque causa, aliud verò ex causa esse postulans;* Divina *autem natura, & variationis, & divisionis per omnem considerationem expers esse deprehenditur: Idcirco propriè una* Deitas, *& unus* Deus *est, & alia omnia* Deo *convenientia nomina singulariter efferuntur:* Confirmat S. Athanasius Dialogo primo de Trinitate contra

Et ex con rationibus.

XVIII.

1. Quidem petitur ex Dei simplicitate.

Anomeum: *Essentia*, inquit, *neque proprietatem habet, non communem hypostasibus, quæ essentiæ subsunt. nec numeri multiplicationem admittit cùm sit unica & singularis.*

2. Ex infinitudine. *Secundò* probant ex infinitudine divinæ essentiæ; Essentia enim infinita aliam consortem non patitur, quia careret perfectione alterius quæ possibilis esset in eadem specie, quapropter unaquæque essentia creata numerica circumscribitur & finitur, nec admittit perfectionem alterius: *Quod autem non circumscribitur*, inquit Nyssenus laudatus; *non numeratur, & quod non numeratur, in multitudine considerari non potest:* Vnde cùm Essentia divina non circumscribatur nec finiatur, nequit esse multiplex. Inde sancti Patres inferunt divinam Essentiam non plus aut minùs perfectionis habere in tribus personis quàm in unica. Quod egregiè expendit S. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 4. 5. & 6. ubi cùm varias proposuisset rationes cur tres personæ humanæ sint tres homines; tres verò divinæ Personæ non sint tres Dii; tandem cap. 6. concludit: *Non tantum est unus homo quantum tres homines simul: & plus sunt aliqui homines duo quàm unus homo; & in statuis æqualibus plus auri est tres simul, quàm singulæ statuæ, & minus auri est una quàm duæ: at in Deo non ita est; non enim major essentia, est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus simul quàm solus Pater, aut solus Filius: sed tres simul illæ substantiæ sive personæ, si ita dicendæ sunt, æquales sunt singulis.* Ipsi concinit S. Bernardus Epistola 190. ad Innocent. *Totum*, inquit, *est Pater, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; totum Filius quod ipse & Pater & Filius, & Spiritus sanctus; totum Spiritus sanctus quod & ipse, & Pater, & Filius; & totum unum est totum; nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis, nec enim verum summumque bonum quod sunt inter se particulariter dividunt, quoniam nec participialiter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt.*

3. Denique ex summa unitate. *Tertiò* denique probant sancti Patres à summa Dei Unitate & Uniformitate: *Nam*, inquit S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 1. *Vnus Deus Trinitas ipsa non esset, si quemadmodum Pater, Filius, & Spiritus sanctus personarum sunt ab invicem proprietate distincti, sic fuissent naturarum quoque diversitate discreti.* Vnde subdit: *Ob hoc ergo tres unum rectè credimus & dicimus Deum, quia una prorsus æternitas, una immensitas, & una numeraliter est trium Personarum divinitas.* Hoc ipsum egregiè expendit S. Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 1. ubi solvens hanc objectionem Arianorum dicentium, *Si unius substantiæ Patrem & Filium confitemini; non unum Deum, sed duos Deos inducitis, quia qui unius substantiæ sunt, non unus Deus, sed duo Dii videntur, sicut duo homines &c.*

Respondet autem: *Dominicis eloquiis approbamus, quia ubi plures sunt, ibi aut naturæ, aut voluntatum, & operationum est differentia: Denique ut suis ipsis testimoniis revincantur, duo homines dicuntur, quia licèt unius naturæ sint, jure nascendi tamen, & tempore, & cogitatione, & opere, & loco distant; & ideo non potest unus homo dici in significatione, & numero duorum; quia non est unitas ubi est diversitas. Vnus autem Deus dicitur, & Patris, & Filii, ac Spiritus sancti gloria & plenitudo signatur.*

Hìc non retexam omnes illas rationes scholasticas, quas satis superque inculcavi probando Deorum pluralitatem esse impossibilem, adeoque divinitatis unitatem esse numericam & singularem; nihilominùs hìc explicandi sunt aliqui sancti Patres, qui inter divinas Personas asserere videntur tantùm intercedere unitatem speciei. Itaque

Dices: Sancti Patres affirmant divinas Personas invicem convenire in unitate Divinitatis, quomodo duo homines conveniunt in unitate humanitatis: Sed duo homines ita conveniunt in unitate specifica, suntque reverà duo homines invicem numero distincti: Ergo pariter tres divinæ Personæ tantùm conveniunt specificè, eruntque tres Dii numero distincti. XIX. Non censuere Patres Personas divinas convenire tantùm specificè sicut duo homines conveniunt in natura humana. Probatur major, nam S. Gregorius Nyssenus lib. de Fide ad Simplicium ait; *In divinis dogmatibus nullam naturæ differentiam efficit genitum esse, sed quemadmodum in Adamo & Abele una humanitas sive natura humana, eodem modo in Patre quoque ac Filio Deitas seu divina natura una est.* Item S. Justinus in expositione fidei, *Sicut Adam, inquit, quamvis non eodem quò ipsius posteri modo genitus, tamen communem cum eis habet essentiam; sic nulla ratio cur propter ingeniti nomen divellatur essentia communis Patri, & Filio, Spirituique sancto.* Similiter S. Athanasius contra Macedonium Dialogo primo, *Vt Paulus, Petrus, ac Timotheus tres sunt*, inquit, *putant hæretici non esse Filium Patri consubstantialem, quoniam neque Pater, & propter differentiam personarum, substantiarum quoque differentiam inducunt, quomodo Abel & Adam consubstantiales dici poterunt, cùm neque Abel possit esse Adam; neque Adam Abel; quod si differentia personarum, identitatem naturæ non destruit in hominibus: quomodo non erit impium ea de causa putare supernaturalem Dei substantiam diversificari.* Quibus patet sanctos Patres asseruisse inter divinas Personas reperiri solùm unitatem specificam, non verò numericam; adeoque illos dici posse tres Deos numero distinctos.

Nego minorem: Non enim ea fuit laudatorum Patrum sententia, ut omnimodam paritatem inter tres divinas Personas, & tres homines instituerent: sed cùm agerent adversus hæreticos, dicentes Filium esse substantiam diversi generis à Patre, & consequenter inæqualem; sicut creatura diversi generis est & inæqualis Creatori, hos ita sancti Patres redarguebant, si verè & & propriè Filius naturalis est, necessariò debet esse æqualis, & ejusdem substantiæ cum Patre, sicut homo generans & homo genitus sunt ejusdem substantiæ & essentiæ: Ergo cùm vos admittatis Verbum esse Filium Dei, etiam necessariò debetis confiteri divinas Personas esse ejusdem substantiæ: Prudenti autem consilio, nihil tunc pronuntiarunt Patres de numerica & reali unitate naturæ divinæ, cujus mentio, haud dubiè occasionem dedisset Adversariis plurium Sophismatum, quibus argumentorum vim retunderent. Satis itaque judicarunt Patres eò disputationem deducere, ut negare non possent Adversarii specificam identitatem & æqualitatem substantiæ inter divinas Personas, quô semel admissô ipsis facillimum erat probare identitatem numericam, illis rationibus jam à nobis adductis. Quod autem hæc reverà sit laudatorum Patrum sententia satis superque colligitur, tum ex dictis, tum ex dicendis: in quibus patebit eos asserere tres divinas Personas unicum numero Deum esse. Sed agebant adversus hæreticos.

QVÆSTIO QVINTA.

An Filius & Spiritus sanctus reverà sint Deus, & Patri æterno consubstantiales?

EX præcedenti Quæstione liquet varios hæreticos circa trium divinarum personarum æqualitatem turpiter errasse: at omnium pessimè à vero exorbitavit Arrius qui plures habuit sui erroris præcursores & sequaces; quod ut pateat evideotiùs.

I. *Notandum* 1. Arriani erroris facem maximè prætulisse Tertullianum; is namque censuit Verbum Dei tunc à Patre genitum ac Filium esse factum, quando res omnes creatas è nihilo fabricatus est, ad idque sermone est usus: Ita testatur cap. 7. contra Praxeam. *Hac est*, inquit, *nativitas perfecta sermonis* (quâ nimirum sermonem ipsum specie ornatuque suo protulit cùm dixit, fiat lux) *Dum ex Deo procedit conditus ab eo primum ad cogitatum nomine Sophia*: DOMINUS CONDIDIT ME IN INITIUM VIARUM SUARUM *dehinc generatus ad effectum: cùm pararet cœlum aderam illi simul: Exinde eum parem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est primogenitus, ut ante omnia genitus; & unigenitus ut solus ex Deo genitus propriè de vulva cordis ipsius.*

Tertullianus facem prætulit Arrianis.

C Non minùs falsa imò etiam absurdiora contra æternitatem Filii & æqualitatem adstruit *Lib. contra Hermogenem cap.* 3. ubi Deum asserit fuisse quidem ab æterno ac semper Deum, non tamen semper fuisse Patrem, *Pater*, inquit, *Deus & Iudex, Deus est: non tamen ideo Pater & Iudex semper, quia Deus semper; nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Iudex ante delictum: fuit autem tempus cùm & delictum & Filius non fuit, quod Iudicem & qui Patrem Dominum faceret*. Quæ verba eundem continent errorem quem postea Arrius disseminavit quod ex ejus libro quem *Thaliam* inscripsit, sanctus Athanasius demonstrat librò de Synodis *Principium*, inquiebat Arrius, *constituit Filium eorum quæ facta sunt, ille qui principio caret, eumque protulit ac sibi adoptavit in filium: proprium nihil habet Dei secundùm proprietatis hypostasim; non enim æqualis est, sed neque consubstantialis*, ... *Alienus est à Filio Pater secundùm substantiam, quoniam principii est expers. Intellige Monadem initiò fuisse* nempe Patrem; *Binarius verò*, nempe Filius & Spiritus sanctus, *non erat antequam existeret: sanè Filio non existente Pater Deus est: denique Filius cùm non esset, Paterna voluntate extitit, &c.*

II. *Notandum* 2. Arrium ex Libyia, ea videlicet quæ Ægypto vicina est oriundum, quòd Meletiani Schismatis esset particeps, à Petro Alexandrino Episcopo communione primò interdictum, ut ex actis ejusdem Petri Martyris probat Baronius ad aonum 30t. sed postea Ecclesiæ reconciliatum, ab eodem Petro Diacooum factum fuisse. Verùm cùm denuo idem ad schisma rediisset, iterum communione privatos est: Quin & Petrus in Maximini persecutione comprehensus, cùm in vinculis esset, à Christo didicit desperatum esse Arrium, quocirca Achillam & Alexandrum, quos divinitùs ooverat sibi destinatos successores, monuit ne Arrium in communionem usquam reciperent. Nihilominus cùm simulasset pœnitentiam, Præsule Ale-

Qualiter Arrius hæresim suam disseminavit.

A xandro Presbyter factus est, & eidam Ecclesiæ sive Parochiæ cui oomen *Baucalis* erat, in urbe Alexandrioa Curatus præfectus est. Cum autem Alexander ille in quodam conventu Clericorum de mysterio Trinitatis disputans subtiliùs exponeret quemadmodum esset *Vnitas in Trinitate*, Arrius adversùs illum contendere cœpit & Sabellianum errorem illi impingere. Quò factum est ut circa anoum 317. ut notat Orosius lib. 7. cap. 28. suam hæresim disseminare ac propugnare cœpit: Cui initiò adhæserunt septè Presbyteri, Diaconi duodecim, Episcopus unus, nempe secundus Pentapolitanus, nec-non B virgines septiogentæ ut docet Epiphanius Hæresi 69. quos omnes àb Ecclesia ejecit Alexander. Inde scripsit Epist. encyclicas ad singulos Episcopos oumero septuaginta: quibus acceptis, Episcopi pro suo quisque ingenio, ac moribus variè rescripserunt, Alii factum probantes, & ut in ea perseveraret hortantes; Alii è contrra Fautores Arrii se palam profiteri, & ut ejectos in gratiam reciperet admonere cœperunt, inprimis Eusebius Nicomediensis, cui demum adhæsit Eusebius Cæsariensis & Patrophilus Scythopoleos, qui Synodos cogentes, Arrium in integrum restituerunt, ut narrat Sozomenus libro 1. capite 15.

Quinam & quot fuerint eius primi Asseclæ?

Inde factum est ut eotinuis altercatiooum, C ac jurgiorum flabellis in oriente excitatum incendium majora per dies incrementa caperet; ac jam Christiana ipsa Religio & sacro-sancta fidei mysteria io contemptum ac ludibrium apud Gentiles venetaot, eademque per scenas ac theatra publicè traducebantur ut refert Eusebius *Lib.* 2. *de Vita Constantini*. Quæ dissidia ut componeret Constantinus Imperator primum Litteris ad Alexandrum & Arrium datis per Osium Cordubæ in Hispaniis Episcopū hortatus est eos ad concordiam; Quibus cùm nihil proficeret Osius, Synodum ut in mandatis habebat, coegit Alexandriæ adversus novos suborientes Hæreticos. Verùm cùm recuperandæ pacis & D concordiæ nulla superesse videretur spes, Constantinus Litteris ad Episcopos ubique missis, Nicææ in Bithynia primam Syoodum Oecumenicam coegit anoò Christi 325. ad quam convenerunt Episcopi 318. & in qua damnatus est Arrius ejusque error proscriptus, & edita fidei professio, quâ Filius Patri *Consubstantialis* asseritur.

III. *Notandum* 3. damoatam in Synodo Nicæna, & ab Arrio ejusque discipulis recantatam hæresim paulatim sumptis viribus non spatiis modò regionum atque hominum numero longè latèque diffusam; sed in varias etiam Sectas factionesque divisam esse, maximè verò in tres E factiooes quarum: Prima fuit *Anomæorum* qui apertè Filium creaturam esse dicebant, nec ullare Patri similem, nedum parem & æqualem; quæ Arrii ipsissima fuit hæresis: Altera *Semi-Arrianorum*, qui Filium qoidem Patri consubstantialem esse minimè asserebant, sed tantùm in substantia similem: Tertia denique inter ambas interjecta Nonnullorum extitit, qui neque consubstantialem Filium, neque substantiâ similem, sed tantummodo similem esse statuebant & eundem creaturam ex cæterarum ordine esse, vel negabant, vel apertè profiteri nou audebant, ut referunt Epiphanius, Athanasius, Hilarius, &c. Seu ut scribit Rufinus lib. 1. historiæ cap. 25. triplex hoc sectæ Arrianæ divor-

Qualiter Arriana hæresis post Concilium Nicænum tres in factiones abiit.

1. Anomæorum.

2. Semi Arrianorum.

tium triplici diverso nomine notabatur; nam alii erant Eunomiani & Anomæi qui nulla re prorsus similē facerent Filium; alii Arriani qui similem esse dicerent largitate gratiæ, non proprietate naturæ: Cæteri Macedoniani qui per omnia similem asserebant; qui Macedoniani etiam dicti sunt *Pneumatomachi*, hoc est sancti Spiritus impugnatores, eò quòd illius divinitatem negarent, & illum esse puram creaturam assererent. Duo itaque maximè in hac quæstione stabilienda sunt, nimirum probanda divinitas Filii & Spiritus S., & eorum cum Patre consubstantialitas propugnanda, idcirco sit.

5. Macedonianorum. Seu Pneumatomachorum

Conclusio Prima.

VI. Filius est Patri consubstantialis & unus Deus.

Filius *est reverà Patri consubstantialis, & verus Deus.* Hæc est de fide determinata in variis Conciliis & expressa in omnibus fidei professionibus Catholicis, eamque inprimis probant omnia testimonia veteris & novi testamenti in præcedenti quæstione exarata ad probandam personarum pluralitatem in Deo.

Ut probatur manifestè ex novi Testamenti oraculis.

Probatur insuper manifestis novi Testamenti oraculis, quorum primum est præclara illa Petri confessio Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi*; asserendo enim eum esse Filium Dei vivi, naturalem Filium Dei esse professus est. Adde quòd etiam Filius ille divinus alibi dicitur, *Unigenitus* Joannis 3. & *Proprius* ad Rom. 8. si autem solùm esset Filius Dei adoptivus, ut reponebant Arriani, nec unigenitus, nec proprius diceretur; multi namque sunt Filii adoptivi: Insuper si Petrus solùm Filium Dei adoptivum Christum pronunciaret, non esset cur ejus confessio cæteris præferretur, & ob eam beatus à Christo prædicaretur, nam qui ipsum putabant esse Eliam aut unum ex Prophetis, etiam Filium Dei adoptivum confitebantur: Oportet ergo Petrus agnoverit eum reverà Filium naturalem: sed si Christus sit Filius Dei naturalis, necessariò debet esse in eadem natura seu ejusdem naturæ cum suo principio; in qualibet enim alia nonnisi adoptivus esse posset.

1. Quia dicitur unigenitus & proprius.

Confirmatur: Ex eo quòd Christus ipsemet se Filium Dei verum & naturalem pluribi contestatus fuerit: Unde Judæi Joannis 19. ipsum accusabant quòd Filium Dei se fecisset aut prædicasset, *Nos*, inquiebant, *legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori quia Filium Dei se fecit.* Unde Joannis 5. *Magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solùm solvebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum; æqualem se faciens Deo:* Christus autem nusquam se excusavit quòd dixisset se Deum vel Filium Dei: imò illô ipsô capite subdit. *Amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam nisi quod viderit Patrē facientem, quæcumque enim ille fecerit, hæc & similiter facit.* Quibus verbis non solùm non respondet Iudæis quasi calumniatoribus, sed potius seipsum iterum asserit Filium Dei & eandem cum Patre habere operationem & potentiam.

2. Quia Christus nusquam excusavit quòd dixisset se Filiū Dei, eique æqualem.

Reponunt Arriani Christum se excusavisse apud Iudæos volentes eum lapidare, quòd Filium Dei se dixisset, nam cùm dixissent Iudæi Ioann. 10. *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum*, sese autem excusat testimoniô illô Scripturæ: *Ego dixi Dii estis.* Unde intulit, *Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est*,

Arrianorū replica.

A nempe Prophetas & Patriarchas, cur potiori jure non dicitur Filius Dei, *Quem Pater sanctificavit & misit in mundum?* Quô argumentô Christus se nominat Filium Dei eô modô quô justi & Prophetæ; adeoque solùm Filium adoptivum se probavit.

Verùm non ea fuit Christi ratiocinatio, ut optimè notavit Hilarius 7. de Trinit. imo potiùs argumentabatur à minori ad majus hôc modô: Si Iusti & Prophetæ Filii Dei vocari possunt, quantò magis ille quem Pater peculiari modo in unitate personæ divinæ, seu per humanitatem à Verbo assumptam sanctificavit.

Præcluditur.

Addit Chrysostomus Christum respondisse hæc quidem primùm Iudæis, ut verbo tenus B eorum calumniam retunderet dicendo; frustrà dicitis me blasphemasse nominando me Filium Dei, siquidem idem nomen tribuitur eis ad quos sermo Dei factus est, quos tamen viros justos & sanctos habetis: Sed rejectâ calumniâ postmodum ostendit ex operibus se non solùm adoptivum, sed etiam verum Deum his verbis, *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, & ut cognoscatis quia ego in Patre & Pater in me est.*

Adde quòd Iudæi steterunt semper in eadem opinione quòd se æqualem Deo fecisset, nam subdit Evangelista, *Quærebant eum apprehendere*, ob eamdem certè causam propter quam eum C priùs lapidare volebant; animum autem haud dubiè deposuissent si solùm se Filium adoptivum asserere judicassent, cùm hæc appellatio cuilibet justo à Scriptura tribuatur.

Confirmatur 2. Filius verus est idem quod Filius naturalis: Sed Christus dicitur verus Filius Dei 1. Ioann. ultimo, *Ut simus in vero Filio ejus hic est verus Deus:* Ergo est Filius naturalis.

3. Quia vocatur verus Dei Filius.

Deinde Moïses, utpote vir justus & sanctus, fuit Filius Dei adoptivus; & tamen Paulus ad Hebræos 8. illum servum appellat per comparationem ad Christum quem Filium nominat; *Moïses*, inquit, *quidem fidelis, in tota domo ejus tanquam famulus, Christus verò tanquam Filius in domo sua:* Ergo Christus non erat Filius D Dei ratione adoptionis & justificationis, sed ratione æternæ ac naturalis generationis.

Denique Angeli propter eminentem suam sanctitatem Filii Dei interdum appellantur in veteri Testamento: sed Christus alia ratione dicitur Filius ac Angelus, *Cui enim*, inquit Paulus ad Hebræos 1. *Dicit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Quod tamen ad Christum dictum est. Consequens est ergo quòd sit Filius verus & naturalis per propriam generationem natus.

Probatur 2. Ex illo Ioannis 10. *Ego & Pater unum sumus*, illud enim *Unum* in neutro genere sine alio substantivo nomine, idem significat E quod *Unum ens*; unius autem entis unica est essentia: Cùm ergo Pater & Filius non sint unum accidente, quia Deus accidentis sicut & mutationis est incapax; nec sint unum relatione, imò relationibus personaliter & realiter distinguantur; meritò infert sanctus Augustinus librô de Trinitate capite 2. eos esse unum substantiâ.

4. Quia dicit se & Patrem unum esse.

Reponunt Arriani tam veteres quàm novi, nempe Transsylvani, Patrem equidem & Filium unum esse non essentiâ sive substantiâ, sed animorum consensu, & unanimi voluntatum concordiâ. *Confirmantque* ex Ioan. 17. ubi Christus orat ut fideles omnes *Unum sint sicut tu Pater*

Non solùm affectu & voluntaris concordiâ.

in me & ego in te; ut & ipsi in nobis unum sint: Et rursus, *Ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut & nos unum sumus*: sed fideles inter se, & cum Christo Domino non sunt unum substantiâ & essentiâ, sed consensu fidei & concordiâ charitatis: Ergo ex prædicto Oraculo Pater & Filius non probantur esse unum essentiâ, sed voluntatum concordiâ.

Sed eâdem natura atque essentiâ.

Contra reponunt sancti Patres quotquot de divina Trinitate scripserunt, Primò quòd in sacris litteris quoties plura sic dicuntur unum, ut non addatur quale sint unum, significatur eadem natura atque essentia, quia ut notat S. August. citatus cap. 3. *unum* & *ens* convertuntur: Unum ens autem idem est quod unica essentia quæ est abstractum entis, cujus significationis fundamentum usurpat ex 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur*; non dixit *unum* absolutè, sed *unum corpus*: Et rursus, *Qui autem adhæret Domino unus Spiritus est*, non dicit *unum* simpliciter, sed *unus Spiritus*: Nec aliquis reperietur locus in quo plura dicantur esse simpliciter unum, non explicando quale sint unum, nisi sint unum substantiâ & essentiâ. Nec refert quod ibidem de fidelibus dicatur *ut sint unum*, non addendo quale unum, sufficienter enim intelligitur quòd illa unitas & identitas sit solùm per consensum & mutuam concordiam, tum invicem, tum cum Deo, cùm dicitur *Ut omnes sint unum*, & *ut ipsi in nobis unum sint*; Apertè enim constat quòd fideles non possint invicem esse unum unitate essentiæ, nec cum Deo; unde hæc unitas non potest intelligi de unitate essentiæ, sicut intelligenda venit unitas Christi cum Patre.

Unum quippe solitariè positum in Scripturis naturæ unitatem significat.

Addo quòd illô ipsô contextu volebat Christus probare quòd eandem cum Patre haberet potentiam, nec idcirco posset quis oves de manu sua rapere, quia ipse & Pater unum sunt, & nemo potest de manu Patris rapere: unde necessariò sequitur quòd unius & ejusdem sint naturæ atque voluntatis. Ita ratiocinantur S. Chrysostomus Hom. 60. Hilarius lib. 7. de Trinit. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 18. Augustinus Tract. 48. in Joannem. Confirmantque ex eo quòd si Christus Dominus intellexisset non unum secundùm potentiam, sed tantùm unum secundùm concordiam, inde probare non posset neminem posse suas oves de manu sua rapere sicut nec de manu Patris; Unitas enim concordiæ æqualitatem potentiæ non constituit.

5. Quia tres qui testimonium dant in Cœlo unum sunt.

Probatur 3. Ex illo primæ Joannis 5. *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt: Et tres sunt qui testimonium dant in Terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, & hi tres unum sunt*: Quibus verbis significat S. Joannes in Cœlo tres esse testes, non quidem Angelos; plures enim sunt quàm tres, sed divinos testes, nempe Personas Trinitatis quæ unum sunt, scilicet una Divinitas, essentia & substantia, ut interpretantur omnes sancti Patres.

Non solùm testimoniô.

Reponunt Arriani: Primò verba illa *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo*, à solo sancto Hieronymo legi: Sed apertum mendacium est, nam ita quoque legerunt, Higinius Papa Epist. 1. & Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ, &c.

Reponunt 2. Quòd eodem modo Pater, Filius, & Spiritus sanctus dicantur unum à sancto Ioanne sicut Spiritus, Aqua, & Sanguis: atqui hæc tria non sunt unum essentiâ, sed solùm testimoniô, quia idem testificantur, nempe Christum Dominum non naturali & humana, sed divina virtute tormenta sustinuisse, *Spiritus* quidem, quia fortiter exclamans post tot cruciatus expiravit, *Aqua* pariter & *Sanguis* quæ ex ejus latere ipsô mortuô fluxerunt; quare Centurio hæc videns & audiens meritò exclamavit Marci 15. *Verè hic homo Filius Dei erat*: Ergo etiam Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tantùm unum unitate testimonii, non verò unum unitate substantiæ & essentiæ.

Sed etiam substantiâ.

Respondeo 1. Quòd illud *& hi tres unum sunt*, cùm sermo est de Spiritu, Aqua & Sanguine, in aliquibus exemplaribus non legi. Secundò quòd in Græco idiomate non legatur simpliciter, *& hi tres unum sunt*, sed *& hi tres in unum sunt*; scilicet in unum testimonium: de tribus autem cœlestibus testibus simpliciter legitur, *hi tres unum sunt*, quô significaret eos unum esse unitate essentiæ & substantiæ.

6. Quia Deus ab æterno erat Verbum.

Probatur 4. Illis omnibus Scripturæ textibus quibus Filii divinitas disertè exprimitur, sic Ioannis 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: Vnde S. Ambrosius lib. 1. de Fide Trinitatis; *His quatuor aut quinque verbis omnes hæreses excludit Piscator noster, quod enim erat in principio non includitur tempore, non in principio prævenitur: Ergo Arrius conticescat qui Filium Patri coæternum negat. Quod autem erat apud Deum, non commixtione confunditur; sed manentis Dei apud Patrem solida perfectione distinguitur; ut Sabellius & Photinus obmutescant, qui nullam in personis divinis distinctionem agnoscebant. Si verò Deus erat Verbum sempiterna divinitatis in Patre & Filio inseparabilis unitas & consubstantialitas est; ut erubescant Eudoxius & Eunomius: Ecce quomodo intra unum rectè omnes conclusit, ut faceret inhabiles fraudi, quamvis essent inutiles captioni.*

Confirmatur ex illo Isaiæ 45. *Te adorabunt, teque deprecabuntur; tantùm in te est Deus, & non est Deus absque te: verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator*: Quibus apertè Christi divinitas significatur. Secundò ex illo Baruch 3. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum*; Subdit autem, *Post hæc in terris visus est, &c.* Tertiò ex illo ad Philippenses 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*: Ergo reverà ipsi erat æqualis. Quartò ad Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Plures alios Scripturæ contextus Filii divinitatem insinuantes sparsim proferemus in hujus operis decursu. Quoniam autem Arriani impudenter jactitarunt neminem ex S. Patribus ante ortam de Filii divinitate & consubstantialitate controversiam, illius meminisse, operæ pretium est nonnullos Ecclesiæ nascentis Patres proferre, qui trium divinarum Personarum divinitatem & consubstantialitatem professi fuerint: Hi sunt autem in primis *Clemens Romanus* lib. 8. Constit. Apostol. *Ignatius* in Epistola ad Antiochenos, ad Philadelphos, ad Philippenses: *Dionysius Areopagita* lib. de mysterio Theolog. cap. 2, & lib. de divinis Nominibus cap. 1. *Iustinus* lib. de Fide, & in Apologia ad Antoninum, & in Dialogo cum Tryphone. *Irenæus* lib. 3. cap. 8. 9. 16. 19. 20. & lib. 4. cap. 11. *Clemens Alexandrinus* lib. 1. Pædag.

Quinam Patres ante Arianam hæresim exortam Filii divinitatis meminerint.

c. 6. & lib. ult. c. ult. *Tertullianus* l. contra Praxeam. *Cyprianus* lib. 2. ad Quirinum cap. 6. & alii priorum sæculorum Scriptores Orthodoxi ante Concilium Nicænum; post quos tam multi Doctores pro hac veritate scripserunt, ut longum & inutile foret eos recensere.

V. *Objiciunt* Arriani primò varios Scripturæ sacræ contextus, quibus Filius divinus dicitur creatus & creatura: Sic Proverbioru 8. græcè legimus de Sapientia, *Dominus creavit me in initio viarum suarum in opera sua*, similiter ad Colossenses cap. 1. Christus dicitur *Imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creatura*, id est primaria, & præcellentissima omnium creaturarum ut interpretantur Arriani: Ergo reverà non est Deus, neque æterno Patri consubstantialis.

Nego consequentiam & ad primum contextum Respondeo 1. quòd versio Hebraica hoc in loco non videatur concordare textui Hebraïco, qui loco *Creavit me* habet *Possedit me* ut exprimit vulgata nostra: *Inter possessionem autem* (inquit Hieronymus Epist. 139. in qua eundem locum pertractat) *& creationem multa diversitas est; possessio enim significat quòd semper Filius in Patre & Pater in Filio fuerit: creatio autem ejus qui priùs non erat, conditionis exordium*: Hinc Basilius Seleuciensis Orat. 1. de Adamo in Paradisum translato ait, *Factus est homo possessor eorum quorum non fuerat creator*,

Quædam conveniunt Christo secundum unam naturam quæ non conveniunt ei secundum alteram.

Respondeo secundò quòd cùm in Christo duæ sint naturæ humana scilicet & divina; quædam ipsi tribuuntur secundùm unam naturam quæ non competunt alteri: itaque secundùm naturam divinam reverà est increata Sapientia, secundùm humanam autem dici potest Sapientia creata ut interpretantur sancti Patres plurimi, Maximè Athanasius Orat. 3. ubi hunc locum tractans, *Dominus creavit me*, ait: *Non sic existimare debemus totum Verbum natura suapte creaturam esse; sed creaturam induisse corpus, ac propter nos illum à Deo creatum fuisse.* Vel ut inquit Ambros. lib. 3. de fide cap. 5. *Arriani velut Iudaïci caupones miscent aquam cum vino, quia divinam generationem humanamque confundunt, ad divinitatem referentes quod de carne sit dictum.* Quapropter sanctus Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 11. hanc regulam commendat intelligendarum Scripturarum de Filio Dei, *Vt distinguamus quid in eis sonet secundùm formam Dei in qua æqualis est Patri, & quid secundùm formam servi quam accepit à Patre.* Similiter respondeo ad 2. contextum quòd Christus, ut Sapientia incarnata dicitur primogenitus, quia priùs fuit à Deo destinatus, omnia enim propter Christum; & ejus incarnatio facienda motivum Deo fuit hominis & mundi fabricandi.

Objiciunt 2. Illos Scripturæ textus quibus Filius dicitur Patri inferior & subditus, sic Ioannis 14. *Pater major me est*: Et Matth. ultimo, *Data est mihi omnis potestas in Cælo & in Terra*: Et ad Philippenses 1. *Factus obediens usque ad mortem*: Ergo reverà non erat Patri æqualis secundùm divinitatem, authoritatem, & potentiam.

Respondeo 1. hæc omnia quidem esse vera secundùm humanitatem assumptam, non verò secundùm divinitatem, seu ut loquitur sanctus Athanasius in Symbolo, *Æqualis Patri secundùm Divinitatem, &c.* Humanitatem enim induendo etiam servitutem induit: Unde cùm dixisset Apostolus, *Non rapinam arbitratus est*

A *esse se æqualem Deo*, subdit, *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, &c.* Et hoc modo verificari potest quòd Patri subditus fuerit, & quòd ipsi donata fuerit authoritas in Cœlo & in Terra, quam jure humanæ nativitatis sibi non vendicabat.

Qualiter Filius dicatur minor Patre etiã secundùm divinitatem ab Hilario.

Resp. 2. quòd Filius etiam ab aliquibus Patribus dicatur minor Patre secundùm divinitatem, quatenus nempe principium habet à Patre, qui idcirco dicitur major quia caret principio: Sic sanctus Hilarius, etsi præfatum locum de humana natura assumpta exponat. 9. lib. de Trinit. tamen etiam de divinitate interpretatur di- B cens, *Major itaque Pater Filio est; & planè major cui tantum donat esse, quatenus ipse est*; Vel ut breviùs habet Sebadius lib. contra Arrianos, *Pater*, inquit, *major me est, meritò major quia solus hic author sine authore est.* Sed omnium clariùs rem exponit sanctus Augustinus lib. de Fide & Symbolo. dicens Christum hæc dixisse, *partim propter administrationem suscepti hominis; partim propterea quòd Filius Patri debet quod est; hoc etiam utique debens Patri quod eidem Patri æqualis, aut par est: Pater autem nulli debet quidquid est.*

VII. *Objicies* 3. Vera divinitas non patitur defectum scientiæ: Sed in Filio talis scientiæ defe- C ctus & ignorantia reperitur; ut constat ex illo Marci 13. ubi Christus loquens de die judicii, *De die autem illo, vel hora nemo scit, nec Angeli in cœlo, neque Filius nisi Pater.*

Quomodo Filius dicitur ignorare diem judicii?

Respondeo 1. sanctum Ambrosium lib. 5. de Fide cap. 7. credidisse falsatos codices Evangelii ab Arrianis, quoniam à veteribus abest illud, *Neque Filius*: Hieronymus quoque in commentario ad cap. 24. Matthæi, ait, in quibusdam Latinis codicibus additum est *Neque Filius* cùm in Græcis & maximè Adamantii, & Pierrii exemplaribus non habeatur.

Secundò dico hanc restrictionem scientiæ pe- D nes Filium esse intelligendam de eo secundùm humanitatem specificativè, non reduplicativè, id est, non negando quòd humanitas Christi prædictum diem cognoverit; sed quòd non cognoverit scientiâ humanâ; illum enim non scivit nisi per scientiam divinitùs infusam, seu per revelationem: Unde Athanasius Orat. 4. ubi fusè hoc oraculum expendit, ait, *Manifestum est, & finis universitatis horam ut Verbum est eum cognoscere: ut autem homo est ignorare, est enim proprium hominis ignorare & ista præsertim: Verùm id Salvatoris nostri benignitati peculiare est: nam postquam homo factus est non eum puduit propter carnem ignorantem dicere,* NON NOVI, *ut ostenderet se, ut Deum scientem, nescire carnaliter.* Ita pariter plerique sancti Patres maximè Hilarius, E Augustinus, &c.

VIII. *Objiciunt* 4. Varias sanctorum Patrum sententias; inprimis sancti Ignatii, Epistolâ ad Magnesianos ubi de Christo ait, *Vnum & solum verum Deum Patrem suum annuntiavit*: Ergo inquiunt solus Pater est verus Deus, non ita Filius. Secundò Epistola ad Tharsenses ubi de Christo pariter ait, *Non est ipse ille qui est super omnia Deus, sed Filius ipsius.* Tertiò ejusdem Epistola ad Philippenses, ubi probat Patrem esse unum Deum illô Deuteronomii 6. *Dominus Deus tuus Deus unus est*, & circa medium introducit Christum loquentem cum Sathana tempore tentationis in hæc verba, *Scio eum*, scilicet Deum, *novi unum solum cui non-*

denego servire à quo tu Apostata factus es, non sum Antitheus, hoc est contratios Deo, *Confiteor ejus eminentiam*. Ex quibus colligunt Atriani solùm Pattem esse Deum eni servitus debeatur.

Sancti Patres non excludunt alias persanas cum solumPattem Deum nominant.

Respondeo his & aliis similibus Ignatii verbis ab eo non excludi alias persooas a consortio Divinitatis cum Patre; imò ipse apertè Filii Divinitatem affirmat in Epistola citata ad Tarsenses; subdit enim de Christo: *Quomodo ergo hujusmodi homo est purus ex Maria demum habens initium ut esset, non potius Deus Verbum, & Filius unigenitus de quo dictum est* IN PRINCIPIO ERAT VERAUM: Unde etiam in prioribus verbis consultò oon dixit Iguatius, *Quia non est Deus super omnia*, sed *quia non est ille qui est super omnia Deus*; ita ut pronomen *ille*, designaveris personam Filii distioctam à Patte qui ideo præcipuè dicitut super omnia, quia nimitum est fons totius Divinitaris: Cæteras Atrianorum Cavillationes & objectiones solvemus in hujus Tractatus decursu.

CONCLUSIO SECUNDA.

IX.

Spiritus sanctus est verus Deus

SPIRITUS *sanctus est verus Deus, ac proinde Patri & Filio consubstantialis*. Hæc ioferrur ex præcedenti, & specialiter probatur, illis Scripturæ textibus.

Vt Scriptura sacra & sancti Patres non obscurè significant.

Primò quibus præcipitur confeteodum baptisma, *In nomine Patris Filii & Spiritus sancti*: Matth. ultimo, & ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti*: Ex quibus colligit sanctus Gregorius Nazianzenus, *Si non est Deus adorandus Spiritus sanctus quomodo me Deum per baptismum efficit?* Quasi diceres si per baptismum sanctificor, & per Spirisus sancti invocationem participatione divinæ sanctitatis efficior Deus: Ergo ille est Deus adotaodus quia oemo remittere potest peccata nec saoctificare oisi solus Deus: *Secundò*, Actorom 5. ita Petrus alloquisur Ananiam, *Cur tentavis Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto*, mox cui mentitus sit declarat, *Non es mentitus hominibus, sed Deo*, obi Epiphanius Hæresi 74. *Deus ergo de Deo est, & Deus Spiritus sanctus*, inquit, *cui mentiti sunt qui de agri pretio interverterant*.

Ratione suadetur.

1. Quia Spiritus sanctus est finis ultimus creaturæ.

Probatur 2. Habere templum & esse creaturæ rationalis beatitudinem, ac finem ultimum, soli vero Deo conveoit: Sed hæc in Scriptura sribuuotur Spiritui saocto; de primo eoim dicitur 1. ad Corinth. 6. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* De altero verò primæ Petri 1. *Spiritu sancto misso de cælo in quem desiderant Angeli prospicere*, Ille autem io quem desideraot Angeli prospicere est eorum Beatitodo ac finis ultimus: Ergo, &c.

2. Quia ipsi conveniunt divinitatis opera & proprietates.

Tertiò; Ille verè Deus est cui conveniunt Divinitatis operatiooes, & proprietates: Sed illæ omnes conveniunt Spiritui saocto: Primò oamque Divinitatis proprietas est esse ubique; at Sapientiæ primo *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*: Secundò creatio est opus solius Dei; sed Spiritui Sancto tribuitur Psalm. 53. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur*: Iodith 16. *Misisti Spiritum & creata sunt, &c.* Tertiò resuscitare, & vivificare mortuos est operatio propria Dei, ut constat ex illo Ioannis 5. *Sicut Pater suscitas mortuos & vivificat, sic Filius quos vult vivificat*: Sed hæc virtus convenit Spiritui

A saocto, oam ut loqoitur sanctus Paulus ad Rom. 8. *Qui suscitavit Iesum Christum à mortuis vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.*

Denique solius est res futuras per Prophetas prædicere & annunciare: Sed ex 2. Petri 1. cap. *Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines*: Ergo Spiritus sanctus est verus Deus quippe cum habeat operationes Deo proprias; noo per ministerium solùm ut olim dicebant Macedoniani, sed per aothoritatem; nam inquit Paulus 1. ad Corioth. 10. *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.*

Eximia S. Fulgentii de Divinitate Spiritus sancti sententia.

Unde inferendum est cum saocto Fulgentio B lib. 3. ad Trasimondum cap. 25. *Dicatur igitur*, inquit, *si cælorum virtutem potuit firmare qui non est Deus: si potest in baptismatis regeneratione sanctificare qui non est Deus: si potest Charitatem tribuere qui non est Deus: si potest in credentibus habitare qui non est Deus: si potest gratiam dare qui non est Deus: si potest templum membra Christi habere qui non est Deus; & dignè Spiritus sanctus negabitur Deus...... Si autem hæc creatura possibilia numquam fuerunt & inveniuntur in Spiritu sancto quæ tamen soli competunt Deo, non debemus naturaliter diversum à Patre Filioque dicere quem in operum potentia diversum non possu-* C *mus invenire, ac sic ex unitate operis unitas est agnoscenda virtutis.*

X.

Spiritus sanctus non est factus.

Objiciunt Macedoniani: *Primò* illud Ioannis, *Omnia per ipsum facta sunt*, nempe per Verbum: Ergo etiam Spiritus sanctus per ipsum factus est: *Secundò* illud ad Rom. 8. *Spiritus postulat pro nobis*: At si esset Deus, non postularet, sed daret: Ergo non est verus Deus: *Tertiò* Ioan. 16. *Quæcumque audierit loquetur & annuntiabit vobis*: At qui audire debet & instrui, ut aliis loquatur, non est Deus: Ergo, &c.

Respondeo ad 1. cum Nazianzeno Orat. 5. de Theologia non omnia facta esse per Verbum, sed quæcumque sunt facta, Spiritum autem D sanctum esse extra ordinem earum rerum quæ factæ sunt, nam alioquin & Pater etiam factus esset per Verbum.

Ad secundum dico cum sancto Augustino Epistola 121. Paulum asserere quòd Spiritus sanctus postulat pro nobis quia nempe facit nos postulare adjuvando suis gratiis & auxiliis infirmitatem nostram ut postulemus: Unde Paulus ad Galatas 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba Pater.*

Ad tertium dico cum sancto Basilio libro 1. contra Eunomium, Spiritum sanctum audire à Patre & Filio ea quæ loquitur & annuntiat non per instroctionem & disciplinam emendicatam à Sapientiore & Doctore, sed per communi- E cationem ipsius essentiæ & scientiæ divinæ quam à Patre & Filio per æteroam processioonem accepit.

APPENDIX

An Vnitas trium divinarum Personarum Consubstantialitatis *vocabulo à sanctis Patribus rectè explicata fuerit?*

XI.

Vox homousios

VOX *Homousios* seu *Consubstantialis* usurpata fuit à sanctis Patribus, maximè verò in Nicæna Synodo ad exprimendam trium

usurpata fuit in Concilio Nicæno contra Sabellium & Arrium.

personarum unitatem essentiæ, & substantiæ; hæc enim vox tam Sabellium condemnat quàm Arrium; Sabellium quidem, quia cùm idem sibi ipsi non sit consubstantialis, si Pater, Filius, & Spiritus sanctus essent una persona, non essent consubstantiales: Arrium verò quia si Pater, Filius, & Spiritus sanctus essent distinctæ personæ, non essent homousii sive consubstantiales, sed ad summum juxta Arrium essent *Homiousii*, sive similis substantiæ; & juxta Sabellium *Synusii*, seu unius substantiæ: Unde Epiphanius Hæresi 69. *Ut serpens*, inquit, *bituminis odorem refugit, aut cerna halitum, aut gagatæ lapidis, aut styracis suffitum. Sic Arrius & Sabellius illam veritatem constantem consubstantialis professionem exosam habent.* Quocirca Marianus Victor in opusculo de voce *Homousios* affirmat illam *Divinitùs inventam fuisse*: Et sanctus Athanasius lib. de Synodo Ariminensi appellat eam *Columnam*, vel *Cippum in quo illorum nempe Arrianorum impietas proscribitur, ac velut trophæum de ea superata prostrataque statuitur.* Concinit & Liberius Papa Epist. 11. ad Orientales circa medium de fide Nicæna ubi sic loquitur, *Quæ nomine consubstantialis comprehensa tanquam propugnaculum firmum & inexpugnabile omnes impetus & machinas Arii retundit, & reprimit.*

Quam longè ante hæretici quidã usurpaverant.

Non solùm autem Catholici eam vocem usurparunt, sed etiam Hæretici Nicæna Synodo antiquiores. Refert enim sanctus Athanasius in libro de Synodis Ariminensi & Seleuciensi Paulum Samosatenum, qui Christum asserebat non esse à Deo ab æterno genitum, sed tantùm in tempore ex Maria ortum habuisse, eo usum fuisse argumento, quod nisi ita esset; consequens foret illum esse Patri consubstantialem; adeoque tres esse substantias, unam primariam, & duas ex illa derivatas. Interpretabatur nempe consubstantialitatem, eò modò quò in creaturis & corporeis rebus, in quibus videlicet ab una substantia diversa & separata, altera propagatur. Unde affirmat idem sanctus Athanasius in fine ejusdem libri Episcopos qui numero septuaginta, vel ut scribit sanctus Hilarius octoginta convenerant Antiochiæ, adversus Paulum Samosatenum decrevisse Filium non esse *Homousion*, id est consubstantialem Patri, eò videlicet sensu, quô Paulus Samosatenus intellexerat: Unde sanctus Hilarius lib. de Synodis versus finem, *Malè Homousion*, inquit, *Samosatenus confessus est; sed nunquid meliùs Ariani negaverunt? Octoginta Episcopi olim respuerunt: sed trecenti decem & octo nuper receperunt. Illi contra hæreticum improbaverunt; & probando & improbando unum utrique statuerunt. Quid bene constituta convellimus?*

Quæ causa Patres Nicænos impulit ut illa voce uterentur?

Hujus autem sanciendi & usurpandi vocabuli à Patribus Nicænis hanc causam fuisse prodit sanctus Athanasius lib. de decretis Synodi Nicænæ, quod cùm Episcopi Catholici in Synodo Nicæna inter se deliberarent quanam verborum formula veram fidei professionem conciperent, ut Arianam perfidiam extinguerent: Primum eis venit in mentem dicere, *Filium esse Deum de Deo unigenitum*; sed cùm Eusebius Nicomediensis qui Arianorum partes tuebatur & fovebat, gregales suos admonuisset non esse quòd huic determinationi assentiri vererentur propterea quòd res omnes creatæ similiter essent ex Deo: id animadvertentes Patres

A addiderunt, *Ex substantia Patris esse Filium*: Cum autem hæc additio etiam Arianis placeret subjunxerunt Filium *Esse potentiam & imaginem Patris eique per omnia similem, & immutabilem*: Videntes autem quod Ariani ne huic quidem subscribere detrectarent, tunc ad labefactandam & conterendam eorum hæresim usurparunt nomen *Homousion*, affirmando *Filium esse consubstantialem Patri*, ut non solùm ei similis, sed etiam ejusdem omnino cum illo naturæ ac substantiæ crederetur.

Hujus vocabuli præbuit ansam Eusebius Nicomed.

Hujus vero vocabuli usurpandi ansam præbuit ipsemet Eusebius Nicomediensis, ut affirmat sanctus Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7. siquidem delata fuit ad Patres una ex ejus Epistolis quam ad suos gregales dirigebat, in qua B cavebat ne Filium verum faterentur quoniam hoc erat Patri consubstantialem confiteri quod judicabat suæ sententiæ summè contrarium: *Nam*, inquit sanctus Ambrosius, *cur Homousion Patri nolint Filium dicere, nisi quia nolunt verum Dei Filium confiteri? Sicut author ipsorum Eusebius Nicomediensis Epistolâ suâ prodidit dicens, si verum inquit Dei Filium & increatum dicimus, Homousion cum Patre incipimus confiteri. Hæc cum lecta esset Epistola in Concilio Nicæno, hoc Verbum in Tractatu fidei posuerunt Patres quòd id viderunt adversariis esse formidini ut tanquam evaginato ab ipsis gladio ipsorum nefanda caput Hæresis amputarent.* Unde meritò notat S. Nazianz. Orat. 49. Arianos omnia C alia admisisse vocabula quibus Divinitatem Filii profiteri simularent præter *Homousion*, *Potuissent*, inquit, *Homousion sicuti & cætera verbo tenus nominare, si habuissent quomodo illud ad aliam intelligentiam suo sensu perverterent. Sed cum viderent se in hoc verbo concludi, nullam omnino mentionem hujus rei fieri voluerunt; ut aut professendo crederent, aut credentes professi viderentur, subtili ingenio excusantes quod aut scriptum non esset aut Deum in substantia dici non oporteret, ne corporeus crederetur, &c.* Vel ut addit sanctus Athanasius lib. de Synodo Ariminensi, *Vocis*, inquit, *istius exquisita ratio, cum omnium ipsorum simulationem, siquidem illum dicant ex Deo* D *esse, redarguit, tum eorum argutias quibus simplices circumveniunt excludit. Sanè quum omnia Sophisticis calumniis adulterare & immutare possint ad arbitrium: solam hanc dictionem ut quæ ipsorum convincit hæresim reformidant; quam quidem Patres pro munimento & arce contra omnia illorum impia commenta scriptam objecerunt.*

XII.

Totis viribus contenderunt Ariani ut illam dictione abolerent.

Itaque machinas omnes & impetus ad illam abolendam dictionem adhibuerunt Ariani; etenim objiciebant primò hanc vocem esse novum commentum antiquis Patribus & Apostolis ignotum, nec inventum in Scriptura; adeo- E que respuendum quoniam monet Sapiens Proverbiorum 22. *Ne transgrediaris terminos Antiquos*; Et Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates*: Ergo, &c. Ad quæ

At sancti Patres constanter retinuerunt.

Respondebant sancti Patres 1. hoc argumentum esse retorquendum adversus Arianos, *Nam si penitus excludenda putant vocabula omnia non scripta*; ait sanctus Athanasius lib. de Synodis, *Cur Arius tantùm acervum dictionum, quæ nusquam in Scripturis occurrunt accumulaverit quales sunt, ex non extantibus; & non erat Filius antequam gigneretur; & erat quando non*

erat;

erat, & mutabilis est, & ineffabilis ast, *atque invisibilis Pater suo Filio : & Filius ne suam* quidem noverit substantiam : *Et cætera quæ in ridiculo impioque commentario suo Arrius evomuit ex opinione sua, non illi contradixerunt ?* Vel ut eleganter scripsit Hilarius lib. contra Constantiũ Augustum qui & Arrianus erat, *Non novitates vocum, sed prophanas devitari jubet Apostolus tu cur pias excludis, cùm præsertim ab eo dictum sit* OMNIS SCRIPTURA DIVINITUS INSPIRATA UTILIS EST; *innascibilem scriptum nusquam legis numquid & hoc negandum erit quia novum est? Decernis similem Patri Filium : Evangelia non prædicant. Quid est quòd non refugis hanc vocem? In uno novitas eligitur, in alio submovetur. Ubi impietatis occasio patet, novitas admittitur : ubi autem religionis maxima & sola cautela est, excluditur.*

Quippe cum iam antea usurpatum esset à Tertulliano, Prochoro.

Et S. Martiali.

Respondebant 2. Reverà nomen *Homousion* & consubstantiale non esse novum; siquidem usurpatum fuerat à Patribus Antiquis, nempe *Tertulliano* lib. 4. contra Marcionem; *Prochoro* in vita sancti Joannis: sancto *Martiali* Epist. 1. ad Burdegalenses cap. 10. &c. Quod ipsimet Arriani agnoscebant, nam refert sanctus Athanasius Epistolâ ad Africanos Episcopos quòd Eusebius Episcopus Cæsariensis, cùm priùs suffragaretur Arrianæ Sectæ, postea tamen Nicæni Concilii decretis subscripsit, & apud suos idipsum propriis litteris affirmavit; cujus hæc sunt verba : *Novimus quosdam ex priscis eruditos & præclaros Antistites aliosque Scriptores cùm de Patris & Filii Deitate loquerentur, voce* CONSUBSTANTIALIS *usos esse*, exemplar autem hujus Epistolæ est apud Theodoretum lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 12.

Adde quòd hoc nomen Scripturis etiam sacris inseratur, utpote cùm Scripturæ sacræ disertè affirment Patrem, & Filium esse unum; & Filium ex utero Patris genitum, & æqualem, &c. Unde sanctus Augustinus libro 3. contra Maximinum capite 14. *Quid est* HOMOUSION *nisi ego & Pater unum sumus ?*

Respondebant 3. Quòd novis morbis suborientibus, nova essent adhibenda remedia, & adversus nova dogmata etiam novas fidei formulas conscribendas, nam ut rectè reposuit sanctus Athanasius in disputatione Laodiceæ habita coram Probo : *Ecclesiastica semper moris est disciplina si quando hæreticorum nova doctrina exurgit, contra insolentes quæstionum novitates rebus immutabiliter permanentibus nominum vocabula mutare, & significantiùs rerum naturas exprimere, quæ tamen existentiam causarum virtutibus congruam, & quæ magis easdem antiquitatis fuisse demonstrent.*

Quomodo Constantinus Imperator vocem Homousion reprehenderit.

Objiciebant 2. Quòd Constantinus piissimus Imperator reprehenderit vocabulum *Homousion* ut novum & inutile in Epistola quam per Osium Cordubensem scripsit ad Alexandrum & Arrium in quâ ait, *Valde exilis & nequaquam tanta contentione digna visa est* : Et post pauca, *De inani quadam quæstionis particula sciscitaberit* : Et paulò inferiùs : *De rebus hujusmodi, nec omnino rogetis, nec ad rogatum respondeatis : Tales enim quæstiones quales nulla lex, Canon-vè Ecclesiasticus necessariò præscribit, sed inanis dissoluti otii certatio proponit.*

Respondebant Sancti Patres quòd nimius zelus componendi turbas in Ecclesiis excitatas, pium Imperatorem impulerit ut facilè crederet deceptoribus affirmantibus de sola voce dissidium esse Arrianorum à Catholicis, sed ut scriptum legimus libro 2. Concilii Nicæni paulò ante subscriptiones in fragmento; Concilii Nicæni definitione certior factus, *Laudabat Deum cùm divina hæc audisset dogmata, & gaudens de nostrorum Episcoporum concordia, exultabat spiritu : studebat enim neminem, neque magnum, neque parvum ab hac confessione dissentire.* Unde Epistolas scripsit orthodoxas adversus Arrium quæ referuntur libro 4. Concilii Nicæni.

Objiciunt denique quòd vox *Homousion*, & consubstantialis proscripta fuerit & damnata à Conciliis, Ariminensi, & Sirmiensi. Verùm.

In Ariminensi Concilio nihil decretum fuit contra nomen *Homousion*,

Respondeo quòd quamquam Ariminensis, utpote faventis hæresi Arrianæ, authoritatem plurimi respuant; tamen in Ariminensi, quatenus Synodi rationem habuit non solùm nihil decretum fuit contra nomen aut rem CONSUBSTANTIALIS; sed potiùs veritas Catholica de hac re iterum definita fuit, & Valens & Ursatius Arrianorum Fautores cum suis quinquaginta aut octoginta asseclis, qui Synodo intererant, à trecentis & pluribus Patribus fuerunt condemnati, atque ita Synodus fuit dissoluta: At cùm ejus definitio missa fuisset ad Constantium Imperatorem Arrianis addictum, hic coegit aliquos ex illis Patribus, & compulit confessioni ab Arrianis fabricatæ subscribere; quocirca Ariminensis Synodus ab aliquibus damnatur : Quamquam solùm damnari debeat illa subscriptio facta post Synodum à Patribus morantibus Arimini & expectantibus responsum Imperatoris. Quantum ad Sirmiense Concilium; constat nihil omnino in eo liberè & rectè factum fuisse; sed tantùm coactè & per vim; utpote præsente & urgente Constantio Imperatore Arriano : nec refert quòd Liberius & Osius ei subscripserint, hoc enim fecerunt tædio exilii ut fusiùs demonstrabimus in Tractatu de Conciliis.

ARTICULUS SECUNDUS,

De Origine, & Processione divinarum Personarum.

INGENTEM reverà difficultatis Oceanum enavigandum hoc in Articulo suscipimus. Quis enim capiat, qualiter in Deo Processiones sint, & nullus motus; fluxu quodam æterno, & omninò immutabiles; semper antiquæ, semper novæ; semper compleantur, semper incipiant : producant terminum, non verò causent effectum? Quis aperiet qualiter Filius, & Spiritus sanctus à principio procedant, nec ipso sint posteriores : Non sint ex subjecto, nec tamen sint ex nihilo : ab alio sint, & non dependeant : in alio, & non recipiantur : ad aliud, & in se subsistant? Quomodo tandem sine corruptione sit fœcunditas; sine divisione pluralitas; sine inferioritate unius ab alio emanatio? Unde meritò sanctus Ambrosius libro 1. de fide, *Si Paulus, ea quæ audivit raptus in tertium Cœlum, ineffabilia dicit; quomodo nos exprime-*

re possumus Paternæ generationis arcanum, quod nec sentire potuimus, nec audire. Quocirca hujus mysterii curiosum indagatorem meritò ita carpit Nazianzenus Oratione 5. de Theolog. *Quæ ergo est hæc processio, inquies? Dic tu quæ Patris ingenitura sit, & ego Filii generationem, & Spiritus processionem explicare aggrediar, ut ambo mentis vesaniâ præcipites agamur in Dei mysteria oculos injicientes.* Nihilominus quoniam doctrinæ Theologicæ ratio postulat, ut qui de pluralitate divinarum personarum hactenus disseruimus, etiam & modum quô illæ multiplicantur per productionem & processionem aperire debeamus: Idcirco quatuor sequentes quæstiones proponimus ventilandas 1. An sit admittenda vera & realis in Deo processio unius personæ ab alia. 2. Quotuplex sit. 3. Quid & quales. 4. Qualiter invicem discrepent processiones Verbi & Spiritus sancti.

Quæstio Prima.

An sint reales in Deo Personarum Processiones?

II. Processio duplex immanens & transiens.

Notandum 1. Processionis nomen in creaturis usurpari præcipuè ad significandam originem, seu emanationem unius ab alio, tanquam à principio vel causa: Inde duplex emanatio, seu processio distinguitur, nimirum *Immanens & transiens.* Prior est cujus terminus intra principium suum vel causam permanet, qualis est productio verbi mentalis residentis in intellectu producente: Transiens verò est cujus terminus exit extra suum principium vel causam à qua producitur, qualis est processio caloris ab igne in aquam. In divinis autem *Processionis* vocabulum, significat veram & realem emanationem unius personæ ab alia, quæ non exeat extra Deum in Creaturas; sed maneat intra entitatem divinæ substantiæ, & velut in sinu personæ producentis æternùm subsistat, de quo illud Joannis 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris.*

III. In quo conveniant & differant processio, productio, origo, & emanatio.

Notandum 2. Quod etsi ad explicandum ineffabile mysterium unius divinæ personæ ab alia procedentis, Theologi indiscriminatim usurpent nomina productionis, processionis, originis seu emanationis: Nihilominus *Productionis* vocabulum propriè significat velut actionem personæ aliam producentis: Cætera verò unius personæ ab alia exitum, vel emanationem rectiùs exprimunt: Unde duplicem distinguunt processionem non secus ac ipsam originem, nimirum *activam*, & *passivam*. Processio activa est ipsa actio personæ producentis: Passiva autem est emanatio personæ productæ. Advertendum insuper quòd licèt *Processio* ex usu Ecclesiæ significet emanationem Spiritus sancti, qui in Symbolo sancti Athanasii dicitur, *Non genitus, sed procedens*: Ejus tamen significatio latiùs patet apud Theologos; illo namque vocabulo utuntur solitò ad exprimendam utriusque divinæ Personæ emanantis originem.

IV. Actio productiva in

Notandum 3. Actionem productivam in Creaturis variam, sed maximè triplicem habere imperfectionem adjunctam: Siquidem efficit in effectu dependentiam, contingentiam, & entitatis diversitatem à principio producente. Dependentiam inquam, quia cùm effectus, qui producitur, transeat à non esse ad esse; certò certiùs est quòd ante sui productionem erat nihil; ideoque totum esse quod obtinet, debet causæ producenti, & consequenter ab ea pendet quantùm ad suam entitatem, quam nonnisi ex causæ producentis fœcunditate mutuatur. Insuper contingentiam importat; cùm enim ante sui productionem fuerit nihil, evidens est quòd non habeat necessitatem essendi, nec proinde sit ens necessarium, sed tantùm contingens. — Creaturis triplicem habet imperfectionē adiunctam.

Denique diversam numero saltem habet essentiam à suo principio, quia ens creatum propter suam finitatem communicari nequit absque sui divisione. Unde si detur aliqua actio productiva, in qua res producta ita sit simpliciter necessaria ut non possit concipi non esse, habeatque eandem numero essentiam cum principio producente; certò constabit eam esse ab his imperfectionibus liberam. An autem in Deo sit aliqua actio hujusmodi absque ulla imperfectione, productiva divinarum personarum: An verò divina Essentia ex se determinetur ad tres personas sicut ad primam absque ulla productione, ut volunt quidam hæretici qui idcirco dicti sunt *Autotheani*, quòd omnes divinas Personas à seipsis & non ab aliis esse assererent; hac in Quæstione est determinandum.

Conclusio Prima.

Fide *sancitum est esse in divinis realem processionem ad intra, secundùm quam una persona procedit & producitur ab alia.* Colligitur: *Primò* ex variis Scripturæ textibus quibus Verbum divinum dicitur à Patre procedere. — V. De Fide certum est dari processionem in divinis.

Maximè verò ex Joannis 8. *Ego ex Deo processi.* Et capite 7. *Ego scio eum quia ab ipso sum.* Quos contextus etsi Origenes, Euthymius, & Theophilactus explicent de processione temporaria, seu de missione temporali Filii à Patre, ut veniret in mundum; inde tamen etiam probatur intentum, quia missio unius personæ ab alia non fit nisi ratione processionis ab ea à qua mittitur, ut probabitur infra.

Deinde Eccles. 24. Verbum divinum, seu divina Sapientia dicitur, *Ex ore Altissimi*, hoc est ex intellectu Patris, *Prodiisse primogenita ante omnem creaturam.* Et Sapientiæ 7. vocatur *Emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera.* Et Micheæ 5. dicitur, *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* — Tum Filii à Patre.

Denique hoc ipsum probant ea omnia oracula quibus Filius dicitur accepisse à Patre 1. *Vitam*, sic Joannis 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* 2. Potestatem, Joannis 17. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* 3. Authoritatem, Matthei 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo,* &c. Cùm enim Essentia divina has omnes divinas perfectiones realiter contineat, & ab eis sit indistincta, consequens est Patrem dedisse essentiam cui prædictas perfectiones contulit. — Tum Spiritus sancti abutroque.

Idipsum de Spiritu sancto eadem sacra Scriptura testatur, nam Joannis 15. legimus cum

venerit Paracletus quem mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit: Et cap. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.* Accipit itaque Spiritus sanctus scientiam à Filio, & consequenter essentiam & alia attributa. Ponitur autem Verbum *Accipiet*, in futuro, quia effectum ejusdem Spiritus sancti in Fideles futurum indicat; neque id repugnat processioni quæ cùm sit æterna, omnia tempora complectitur: Insuper Spiritus sanctus ad Romanos 8. dicitur *Spiritus Christi*: Actor 16. *Spiritus Iesu*: Ad Galatas 4. *Spiritus Filii*: Non potest autem una persona dici alterius, nisi quia ab ea procedit. Constat ergo ex Scriptura sacra duas esse in Deo ab æterno processiones divinarum personarum productivas.

Vt Scriptura sacra.

Secundò: Hæc eadem veritas definita fuit in variis Conciliis, maximè verò Nicæno, Constantinopolitano, Lateranensi & Florentino, habeturque in omnibus fidei Symbolis ab Ecclesia probatis, præsertim Nicæno ubi de Filio dicitur, *Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus non factus.* De Spiritu sancto autem, *Qui ex Patre Filioque procedit*: Et in Constantinopolitano hæc adduntur, *Credimus in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, & ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum.* His concinit sanctus Athanasius in suo Symbolo in quo legitur: *Filius de Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Adstipulatur & præclarè cuncta edocet ac complectitur Concilium Toletanum 11. celebratum anno 675. in expositione fidei in qua legimus, *Confitemur & credimus sanctam atque ineffabilem Trinitatem Patrem Filium & Spiritum unum Deum naturaliter esse...... Et Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur; ipse enim à nullo originem ducit, ex quo & Filius nativitatem, & Spiritus sanctus processionem accepit*, &c.

Concilia.

VI.

Et SS. Patres apertè indigitant

Tertiò: Hanc ipsam veritatem sancti Patres unanimi calculo probant & confirmant; idque maximè ex illo Joannis 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Quem locum sic expendit sanctus Ambrosius lib. 4. de fide cap. 5. *Quis non advertat*, inquit, *ad unitatem vitæ quod eadem Patris & Filii vita sit esse referendum?* sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso, *Dedit per unitatem.* Ipsi concinit sanctus Hilarius lib. de Synodis ad Canonem 4. Orientalium ubi eundem textum explicans ait, *Quod in utroque vita est, in utroque significatur essentia...... Non enim aliud habet quàm dedit, & sicut vitam habet, ita habendam dedit vitam.* Ipsis adstipulatur sanctus Augustinus lib. 15. de Trinitate capite 26. eundem locum tractans, *Sicut Filio*, inquit, *præstat essentiam sine initio temporis, sine ulla mutabilitate naturæ de Patre generatio; ita Spiritui sancto præstat essentiam sine inito temporis, sine ulla mutabilitate naturæ de utroque processio.*

Probant similiter ex eo quòd Essentia divina communicetur per Patrem Filio & Spiritui sancto: Sic Cyrillus lib. 2. Thesauri cap. 1. *Divina*, inquit, *substantia ineffabili quadam supremaque natura constituta, Filium ex Patris hypostasi genuit: non enim potest esse perfecta Deitas nisi Filium habeat & fructum ex se pariat.* Unde sanctus Athanasius in 3. sermone Gestorum Concilii Nicæni reprehendit Arrianos quia dicebant, *Sterilem & infructuosam esse naturam paternam*: Concinit sanctus Hilarius lib. de Synodis circa medium, *Naturam*, inquit, *Filio dedit ex impassibili & non nata substantia perfecta nativitas.* Plura his similia ubertim proferemus in sequentibus.

VII.

Nec-non multiplex ratio confirmat.

1. Quia Filius & Spiritus sanctus procedunt ab unico principio.

Probatur 4. ratione eaque multiplici à Theologis. Quarum prima colligitur ex sanctis Patribus, qui idcirco tres personas non esse tres Deos, sed unum Deum colligunt quia Filius & Spiritus sanctus procedunt ab unico principio, videlicet Patre qui suam eandem essentiam Filio, & Spiritui sancto commmunicat per originem, quâ sublatâ sequeretur Filium esse debere alterius essentiæ: Ita namque ratiocinatur Nazianzenus Orat. 37. *Nobis*, inquit, *unus Deus est quoniam una Deitas atque ad unum ea quæ ex eo sunt referuntur*: Similiter sanctus Hilarius eodem modo colligit unicam esse personam improductam, alias verò duas productas: *Cùm ergo* (inquit lib. de Synodis circa medium) *Vnus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt: cum idcirco Deus unus sit, cum Pater Deus sit, & Filius Dei Deus sit; quoniam innascibilitas sola penes unum est.* Subscribit sanctus Fulgentius ad quintam objectionem Arrianorum, *Duo quippe*, inquit, *Ingeniti non possunt unam habere naturam, ubi nec unus in uno veram ex se generationem invenit; nec unus ex uno verè in se substantiam nativitatis cognoscit.*

2. Quia non potest esse realis distinctio personarũ sine reali productione.

Secunda ratio: De fide est dari tres personas realiter invicem distinctas in unitate essentiæ: sed realis personarum in unitate essentiæ non potest esse distinctio sine reali productione, & processione unius personæ ab alia: Ergo reverà est admittenda. Probatur minor: Cessante processione cessat oppositio: Sed ubi non est oppositio, ibi nequit esse personarum distinctio: Ergo, &c. Minor est evidens: Siquidem natura divina propter suam infinitatem identificat sibi omnia cum quibus non habet oppositionem. Probatur major: Essentia divina non potest habere oppositionem nisi propter relationes oppositas; omnia enim in divinis sunt idem ubi non obuiat relationis oppositio: Sed non est in Deo ulla relationis oppositio nisi propter processionem: quod sic probo. Omnis relatio fundatur, vel in mensura, vel in unitate, vel in productione: sed in ente infinito locum habere non potest ratio mensuræ; infinitum enim est immensurabile quia est interminabile: similiter relatio unitatis in Deo repetiri nequit, quia summa unitas naturæ divinæ omnem omnino distinctionem naturæ excludit: Ergo sola relatio originis in Deo reperiri potest.

3. Quia in Deo est intellectus habens objectum præsens, cuius proinde gignit notitiam.

Tertiò: Hanc eandem veritatem probat Doctor in 1. dist. 2. quæst. 7. Quidquid de ratione sua formali est principium productivum sufficiens, in quocumque est à se, in eo reverà est principium perfectè productivum: Sed intellectus habens objectum actu intelligibile sibi præsens & debitè proportionatum, ex ratione sua formali est ptincipium productivum notitiæ genitæ: Ergo ubicumque erit, producet notitiam genitam, idque secundùm proportionem suæ perfectionis. *Subsumit*: Sed in Deo, est intellectus habens objectum actu intelligibile sibi præsens & proportionatum, nempe

essentiam divinam: Ergo & in Deo intellectus est principium productivum notitiæ genitæ, non qualiscumque, sed sibi adæquatæ; omne enim principium perfectum potest producere terminum sibi adæquatum; & consequenter cùm intellectus divinus sit infinitus, est productivus notitiæ genitæ infinitæ. *Insuper*, cum nullum infinitum possit existere in alio; notitia illa genita, necessariò erit per se subsistens. *Rursus* cùm extra Deum nihil sit per se subsistens infinitum, consequens est quòd intellectus divinus debeat producere notitiam genitam subsistentem, quæ reverà sit Deus. A

Quod idem de voluntate dici debet.

Idem argumentum formari potest de voluntate divina. Voluntas habens objectum amabile sibi proportionatum, est productiva amoris sibi proportionati: Sed voluntas divina infinita habet Essentiam divinam sibi adæquatè proportionatam: Ergo poterit producere amorem infinitum: Amor autem infinitus est persona divina producta: Ergo, &c. Quamquam autem hoc argumentum non sufficiat ad probandum mysterium Trinitatis demonstrari & cognosci posse naturaliter, ut diximus quæstione 3. præcedentis articuli; nihilominus efficax est ut prævio fidei lumine evincatur necessariò admittendas esse reales in Deo productiones ad intra. B

Eandem rationē affert S. August.

Simili ratione eandem veritatem probat sanctus Augustinus libro 9. de Trinitate cap. 11. *Loquendo tenendum est*, inquit, *quòd omnis res quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui: ab utroque enim notitia paritur, à cognoscente & cognito. Itaque mens cùm seipsam cognoscit sola parens est notitia sua; & cognitum enim, & cognitor ipsa est.* Unde concludit: *Est quædam imago Trinitatis ipsa mens & notitia ejus, quod est proles ejus, ac de seipsa Verbum ejus, amor tertius; & hæc tria unum, atque una substantia, nec minor proles dum tantam se novit mens quanta est: nec minor amor dum tantùm se diligit quantum novit, & quanta est.* Ut autem præfata ratio efficacior appareat ex ejus impugnationum solutione, sic eam Doctor

VIII.

Quæ variè à Doctore Subtili impugnatur.

Impugnat 1. Tunc solùm intellectus est productivus notitiæ genitæ, quando debet per illam notitiam genitam intelligere, aut per eam debet perfici; Sed intellectus divinus non potest perfici neque intelligere per notitiam aliquam distinctam à se realiter: Ergo licet habeat objectum sibi adæquatè proportionatum, inde non sequitur quòd sit productivus notitiæ genitæ.

Confirmatur 1. Deus per notitiam ingenitam sufficienter intelligit omnia intelligibilia, & per eam perficitur: Ergo ad id prorsus esset frustranea notitia genita.

Confirmatur 2. Notitia ingenita est adæquata intellectui divino: Ergo non potest habere aliam notitiam genitam. Patet consequentia: Idcirco enim dicimus Verbum divinum non esse productivum alterius verbi, quia divinus intellectus habet terminum adæquatum in productione unius tantùm verbi.

Confirmatur 3. Intellectus, cùm sit potentia activa non verò factiva, non potest aliquid producere nisi in se: sed notitia genita, si quæ esset, non esset producta in intellectu: Ergo non potest producere per ipsum, & consequenter intellectus non est productivus notitiæ genitæ.

Et defenditur.

1 Quia ratio activi non dependet per se à ratione passivi.

Negat majorem Doctor, quia ratio activi non dependet per se à ratione passivi, seu perfectibilis; sed est per accidens quòd intellectus creatus sit productivus notitiæ quâ intelligit & perficitur; cùm enim non possit intelligere per aliquam notitiam ingenitam, opus est ut producat notitiam genitam per quam intelligat & perficiatur; ideoque illam producit ex indigentia. Unde duplex in eo est distinguenda ratio; una quidem quatenus est receptivus notitiæ genitæ; altera quatenus est ejusdem productivus: Prior imperfectionem denotat quia involuit potentialitatem & perfectibilitatem; altera verò nullam imperfectionem importat, imò summam dicit perfectionem, nempe fœcunditatem & activitatem. Idcirco prior non reperitur in intellectu divino, sed tantùm posterior. Unde sequitur quòd intellectus divinus potest producere intellectionem quamvis non possit eam recipere, & consequenter non solùm memoria fœcunda potest producere notitiam genitam quando potest per eam intelligere & perfici, sed etiam quando nec per eam intelligit, nec perficitur.

2. Quia non omne agens agit ut perficiatur.

Ad primam confirmationem negat consequentiam: Falsum enim est, quòd omne agens idcirco agat, ut per suam productionem perficiatur: Imò plura sunt agentia quæ operantur ex plenitudine perfectionis & fœcunditatis; & ideo ab Avicenna 6. metaphysicorum cap. ultimo, dicuntur *Agentia ex liberalitate.* C

3. Quia notitia ingenita non est adæquata in ratione notitiæ genitæ.

Ad secundam confirmationem distinguit antecedens: Notitia ingenita est adæquata in ratione notitiæ ingenitæ, & quasi productæ, concedit antecedens: adæquata in ratione notitiæ reverà genitæ & productæ, negat antecedens & consequentiam. Imò ex hoc retorquet argumentum: non habet intellectus divinus omnem notitiam adæquatam correspondentem sibi absque notitia genita: Ergo habet notitiam genitam.

4. Quia Verbum divinum non recipitur in intellectu cùm per se subsistat.

D *Ad tertiam confirmationem* negat activum & factivum esse differentias potentiæ accidentales, cùm possit eadem potentia esse activa, & factiva ut constat de intellectu Angelico. Quòd autem omnis intellectus creatus requirat subjectum in quod agat, vel efficiat intellectionem, hoc fit ex imperfectione creatæ intellectionis, quæ cùm sit accidens, ideo requirit subjectum cui insit, seu in quo recipiatur connaturaliter: Unde cùm in divinis notitia producta sit per se subsistens, reverà potest intelligi esse producta absque eo quòd intelligatur esse recepta in ipsomet intellectu.

E *Rursus* objici potest adversus præfatam rationem: Si hæc ratio quidquã concluderet, sequeretur quod Filius & Spiritus sanctus etiam producere possent notitiam genitam, & amorem productum, & sic darentur plures personæ divinæ quàm tres: Hoc autem fidei repugnat: Ergo præfata probatio nulla est. Probatur sequela majoris: Filius enim & Spiritus sanctus tam habent intellectum & voluntatem divinam cum Essentia divina adæquatè proportionata in ratione intelligibilis, & amabilis, quàm Pater: Ergo si hac ratione possit Pater producere notitiam genitam & amorem productum, idem poterunt Filius & Spiritus sanctus.

Cur Filius & Spiritus sanctus non

Nego sequelam, & consequentiam probationis. Siquidem non eadem est ratio de Patre, ac de Filio & Spiritu sancto: Doctor enim in

producant notitiam genitam licèt habeant intellectű?

majori sua posuit, *Vbicumque est principium productivum sufficiens à se:* Hoc est, non ab alio, *Poterit producere:* Quæ ratio non potest applicari Filio & Spiritui sancto; non enim habent principium productivum à se; ipsi enim habent suum esse à Patre.

Adde quòd, non sit eadem ratio de Patre ac de aliis personis, quia Pater cùm sit à se, non præsupponit notitiam genitam adæquatam memoriæ suæ fœcundæ; imò ipsi præsupponitur, & idcirco ipsi non repugnat productio talis notitiæ: Filius autem, cùm sit ipsamet notitia genita adæquata tam intensivè quàm extensivè principio productivo, idcirco non potest aliam notitiam genitam producere: similiter Spiritussanctus cùm habeat esse à Patre & Filio, præsupponit utrumque, & consequenter nequit producere notitiam genitam.

IX. Ens à se non agnoscit causam

Objic. 1. contra veritatem conclusionis: Ens à se non potest habere originem ab alio: Sed quælibet divina persona est ens à se, aliàs non esset Deus: Ergo originem habere non potest. Major constat, habere enim originem, est esse ab alio.

Benè verò principiű.

Distinguo majorem: Ens à se non potest habere originem ab alio, ut à causa extrinseca, & principio diversæ naturæ, concedo: Ut à principio ejusdem naturæ & omnem dependentiam, causalitatem, & contingentiam excludente, nego: Ens enim à se dupliciter sumi potest. Primò ut excludit principium extraneum & alterius naturæ; & sic reverà omnes divinæ personæ sunt à se: Secundò ut excludit reale principium quod sit ejusdem naturæ, & sic solus Pater divinus est à se.

Instabis: Quod ab alio procedit debet habere distinctum esse, diversamque saltem numero naturam ab eo à quo procedit: Sed personæ divinæ in eadem numero natura subsistunt, suntque unus Deus ut probavimus: Ergo una non potest ab alia procedere.

Processio in Deo fit in unitate naturæ.

Distinguo majorem: Quod procedit ab alio processione finita, corporea & materiali, debet aliam habere diversam ab eo naturam, concedo majorem: processione infinita, intellectuali & spirituali, nego majorem. Cùm enim infinitas omnia sibi identificet quæ oppositionem non habent; cùmque nulla sit oppositio inter naturam, quæ est in Patre, & Filio, & Spiritu sancto; idcirco licèt Filius & Spiritus sanctus à Patre procedant, non propterea debent esse numerò distinctæ naturæ divinæ.

X.

Objic. 2. Quod procedit ab alio, recipit aliquid ab eo à quo procedit; adeoque est indigentis & imperfectioris naturæ; indigentis quidem, nisi enim indigeret non reciperet: imperfectioris verò, quia juxta illud Actorum 20. *Beatius est magis dare quàm accipere:* Sed inter divinas personas cùm summa sit æqualitas, nulla reperiri potest indigentia & inferioritas: Ergo nec processio.

Produci ab alio summè necessariò non est inferioris aut indigentis naturæ.

Distinguo majorem: Produci ab alio liberè & contingenter ac per communicationem diversæ naturæ, est esse indigentis & inferioris naturæ: concedo: produci ab alio summè necessariò & per communicationem ejusdem naturæ infinitæ, est indigere & esse inferioris naturæ, nego: Priori modo, beatius est magis dare, quàm accipere; non verò posteriori, ut disertè explicat S. August. lib. 3. contra Maximinum cap. 14. post medium: *Beatum est magis dare quàm accipere*, inquit, *sed in hac vita ubi est inopia, quâ utique melior est copia; melior est enim habere, quàm egere; & melius est donare, quàm accipere; erogare quàm mendicare. Vbi autem qui dedit gignendo dedit, & qui accepit nascendo accepit, non inopi subventum est, sed ipsa copia generata est. Nec potest qui accepit ei qui dedit, esse inæqualis, quia & hoc accepit ut esset æqualis.*

Objicies 3. Nullum productum est ex se necessarium: Sed omnis persona divina est ex se ens necessarium, utpote cùm sit Deus: Ergo nulla est producta. *Probat majorem* Doctor in 1. dist. 2. quæst. 7. num. 1. quod est ex se necessarium, est necessarium seclusô quôcumque aliô: Sed quod est necessarium ab alio non est necessarium eô circumscriptô: Ergo nequit esse necessarium ex se, & esse ab alio. *Probat secundò:* Omne productum est possibile produci, seu habet potentiam receptivam ipsius esse quòd accipit, aliàs non posset produci, nec consequenter esset productum, aut sequeretur quòd impossibile produceretur: Sed quod est possibile produci, non est ens necessarium: Ergo, &c. *Probat tertiò:* Per productionem Essentia divina habet productum, quod non haberet sine productione: Ergo per productionem reverà mutatur, quia de non habente productum fit habens, & consequenter non est ens necessarium. *Probat quartò:* Productio per intellectum esset vera generatio: Ergo si una ex divinis personis produceretur per intellectum, verè generaretur: sed omnis generatio est essentialiter mutatio: Ergo reverà in divinis esset mutatio si daretur productio: At omnis mutatio in Deo implicat: Ergo implicat pariter in Deo omnis productio.

Respondet Doctor ibidem numero 9. negando majorem ad cujus *primam probationem* distinguit majorem: Nihil potest esse necessarium ex se formaliter & simul esse formaliter necessarium ab alio, concedit: Nihil potest esse formaliter ex se necessarium & simul esse necessarium ab alio efficienter, seu productivè, negat. Nam in sententia veterum Philosophorum qui censebant creaturas produci à Deo necessariò, opus erat ut assererent illas creaturas habere entitatem quâ formaliter essent necessariæ, licèt illam entitatem acciperent à causa necessariò producente: Unde patet in eorum sententia Philosophorum aliquid posse simul esse in se necessarium formaliter, & simul necessarium ab alio productivè. Major tamen est necessitas essendi tam formaliter quàm productivè in Filio divino, v. g. quàm esset in Creaturis si producerentur necessariò; quia creaturæ acciperent diversam essentiam à causa producente. Filius autem habet eandem omninò essentiam cum principio à quo producitur: Unde concludit Doctor, *Si Pater creaturam naturaliter produceret & necessariò, produceret eam formaliter necessariam; tamen non esset tunc necessaria tanta necessitate, quanta est Filius necessarius.* Vel breviùs *distinguo majorem*, quod est ex se necessarium, per exclusionem tam contingentiæ quàm productionis esset necessarium seclusô quocumque aliô, concedo: quod est ex se necessarium tantummodo per exclusionem contingentiæ, non verò per exclusionem principii producentis, esset necessarium quocumque circumscriptô, seu seclusô illô principiô

Aliquid potest esse necessariű ex se formaliter, & ab alio productivè

Quippe Philosophi qui censuerunt Creaturas produci à Deo necessariò, eas proinde formaliter ex se, & efficienter à Deo necessarias sentire debuerunt.

productivô; maximè ubi habet eandem omnino entitatem cum ipso principio producente uti habenr Filius & Spiritus sanctus cum Patre divino, nego.

Persona divina habere potest potentiam Logicam, non verò Physicam.

Ad secundam probationem distinguit majorem Doctor num. 10. Omne productum est possibile produci, vel possibilitate Logica, quæ dicit tantùm non repugnantiam, ut aliquid producatur; ita ut illi termini *possibile & produci*, possint absque contradictione invicem componi per conceptum intellectus; vel possibilitate Physica & reali, quæ dicit aptitudinem, vel ad recipiendum aliquod accidens, vel ad accipiendam entitatem diversam à principio productivo, concedit: Est tantum possibile produci possibilitate physica, negat. Minorem similiter distinguit, quod est simpliciter necessarium non habet potentiam ut producatur, physicam & realem, concedit: Logicam & intentionalem, negat. Itaque Persona divina non potest habere potentiam physicam ad esse, quia oporteret eam esse priùs in potentia quàm esset in actu, quod repugnat enti summè necessario: Potest verò habere potentiam Logicam, quia cùm de facto producatur, non repugnat eam posse produci. *Vel* breviùs & clariùs; quod necessarium est non habet potentiam ad recipiendum esse distinguo: Si illud esse quod accipit per productionem non sit summè necessarium & idem essentialiter cum principio producente, concedo: Si recipiat esse quod sit summè necessarium, & idem omnino essentialiter cum principio producente, nego: Personæ autem productæ in divinis, habent idem omnino esse essentialiter & summè necessarium cum principio producente; unde licèt sint ab alio, non minùs sunt ens necessarium.

Essentia divina non mutatur per productionem Personarū.

Ad tertiam probationem negat consequentiam, quia ad mutationem non sufficit quod aliquid ita habeat esse mediante aliquo, ut sine eo reverà non esset: sed ultrò requiritur quòd illud esse potuerit non habere, & insuper quòd illud accipere potuerit ab alio quàm ab eo à quo accipit: Essentia autem divina nunquam fuit sine productione, nec sine persona quam mediante productione habuit, nec potuit esse sine utraque ex illis; & consequenter non fit de non habente habens, ideoque non mutatur.

Generatio non importat semper mutationē.

Ad quartam denique probationem negat minorem: Licèt enim generatio in creaturis duo importet, nempe productionem & mutationem, nihilominùs essentialiter est productio, & tantùm per accidens mutationem involvit: Unde potest esse vera generatio ubi est vera productio in similitudinem naturæ, etsi mutationem non importet ut fit in divinis.

XII. *Objicies* 4. Omnis productio importat dependentiam producti à producente: Sed in divinis nulla potest esse dependentia; omnia namque summè sunt æqualia: Ergo nec productio. Probatur *major*, Si productum non dependeret à producente, utrumque ex æquo haberet naturam, & consequenter productum non exigeret, ut producens priùs haberet naturam, quatenus illam ab eo acciperet, quod est contra rationem formalem productionis: Ergo, &c.

Nec dependentiam.

Negat majorem Doctor ibidem num. 12. & illius probationem distinguit: Si persona producta non dependeret à producente, utraque ex æquo haberet naturam, hoc est, haberet absque ulla dependentia reali unius ab alia, concedit: Haberet utraque à seipsa non verò una ab alia: negat: Quamvis enim una Persona divina non dependeat ab altera, nihilominùs exigit ut persona producens priùs habeat naturam divinam ad se determinatam prioritate originis, quàm determinetur ad productam: Hæc autem præexigentia magis est præsuppositio unius personæ ad aliam quàm dependentia unius ab alia, ut fusiùs explicabimus agendo de consubstantialitate & æqualitate divinarum Personarū.

Objicies 5. Plures mutationes quæ tantam imperfectionem non involuunt quantam involuit generatio, nequeunt esse in divinis: Ergo multò magis in divinis nequit esse generatio: sed si nulla sit generatio in divinis, nulla etiam poterit esse spiratio: Ergo in divinis nulla erit productio. Probatur antecedens, nec latio, seu mutatio localis, nec alteratio, hoc est mutatio ad qualitatem, possunt esse in divinis: sed hæ mutationes non tantam involuunt imperfectionem quantam generatio importat, ut patet ex eo quòd plura entia perfecta, v. g. Cœli & Angeli moveri possunt localiter, quæ tamen non possunt generari. XIII.

Generatio reperitur in Deo seclusa omni imperfectione.

Distinguit consequens Doctor ibidem: Non potest esse generatio in divinis quatenus dicit imperfectionem, concedit: quatenus dicit productionem, negat: Generatio enim considerari potest, ut jam diximus, vel secundùm rationem mutationis, quæ connotat transitum à non esse ad esse, vel secundum rationem productionis quæ connotat substantiam productam: Priori modo æquè repugnat in divinis ac cæteræ mutationes, non verò posteriori; quia persona producta non transit à non esse ad esse, sed per sui productionem accipit idem omninò esse cum principio producente.

Objicies denique Sanctos Patres, primò quidem sanctum Epiphanium hæresi 69. qui Filium vocat *Autotheon*, quod hæretici *Autotheani* interpretantur à seipso essentiam habere. Deinde S. Augustinus in Psal. 109. & Cyrillus lib. 7. de Trinit. dicunt *Patrem & Filium esse unum principium*, ex quo videtur sequi Filium carere principio; ac proinde non à Patre, sed à seipso esse. Tertiò, Filius dicitur *Iehova*, sicut Pater; hoc autem nomen significat ipsum esse fontem essendi: Ergo à seipso habet essentiam, & consequenter non producitur. XIV.

Quomodo Filius dicatur *Autotheos*.

Nego consequentiam, & ad primam probationem dico, S. Epiphanium tantùm intendere quòd Filius Dei sit verè & propriè Deus; non verò suppositiitius nec fictitius, nec habeat Divinitatem quasi alienam & indebitam, sed propriam & debitam sibi non minùs quàm Patri, qui eam communicavit; nam *auto*, sive in compositione, sive extra, aliud ferè nihil notat, quàm *propriè & per se*, quemadmodum ex Platone & Aristotele notat Genebrardus lib. 1. de Trinit. ut observat Ruiz Disp. 1. Sect. 2. n. 4.

Sine principio.

Et Iehova sicut & Pater.

Ad secundum dico, quòd cùm sancti Patres Filium Dei, *principium* appellant, intelligendi sunt comparativè & respectivè, vel ad Spiritum sanctum, vel ad Creaturas; ita quòd cum Patre sit unicum principium Spiritus sancti ad intra; & cùm Patre & Spiritu sancto sit unicum principium Creaturarum ad extra. Simili modô solvitur *Tertia instantia*: Filius enim dicitur *fons essendi*, quia scilicet per fœcunditatem amoris communicat esse divinum

Spiritui sancto, & per fœcunditatem potentiæ tribuit esse creatum omnibus entibus ad extra.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quot sint divinæ Processiones, & qualiter invicem distinguantur?

I. *In Deo nulla est distinctio specifica, nec numerica.*

NOTANDUM I. Quæstionem procedere de Processionibus tum ejusdem rationis, tum diversæ; num videlicet plures sint in Deo processiones, numerô & specie distinctæ. Quamquam enim juxta Doctorem in 1. *dist.* 17.*num.*3. in divinis non sit propriè genus nec species, nec differentia specifica; quia hæc partem & compositionem, adeoque imperfectionem redolent; unde propriè inter divina non est assignanda distinctio specifica: Nihilominùs in Deo sunt aliqua, quæ cùm plusquam numerô distinguantur & diversas habeant rationes formales, idcirco dici possunt quasi specie distincta; plus enim differunt, v.g. Generatio & spiratio activa, quàm different duæ generationes, & duæ spirationes activæ, si totidem darentur. Resolvendum itaque an divinæ Processiones plures sint specie diversæ, pluresque ejusdem rationis solô numerô distinctæ.

Sunt tamen quæ quasi plusquam numerô distinguuntur.

II. *Processiones sunt activæ, vel passivæ.*

Notandum 2. Singulas Processiones distingui à Theologis in *activas & passivas*, unde invicem comparari possunt quadrifariam: *Primò* quidem Processiones activæ conferri possunt inter se, putà generatio cum spiratione: *Secundò* una Processio passiva cum alia, ut generari cum spirari: *Tertiò*, activa conferri potest cum passiva sibi correspondente, ut generare cum generari: *Quartò* denique activa comparari potest cum passiva sibi disparata, ut generare cum spirari. Certum est autem Processiones passivas inter se realiter distingui, hoc enim necessarium est ad instituendam realem Personarum divinarum distinctionem & constitutionem, ut patebit Disputatione sequenti. Certum pariter spirationem activam distingui à passiva sibi correspondente; inde namque colligitur distinctio realis inter personam producentem & productam, nec-non à passiva disparata, ut patebit dum probabimus quòd etiamsi Spiritus sanctus à Filio non procederet, non minùs ab eo distingueretur realiter: Unde remanet inpræsentiarum solvenda difficultas qualiter Processiones activæ invicem distinguantur.

III. *Distinctio rerum concipi potest, vel quoad se, vel quoad nos.*

Notandum 3. Distinctionem rerum concipi posse duobus modis, nempe vel *quoad nos*, vel *quoad se*. Res dicuntur differre quoad nos, dum earum distinctionem conjicimus ex quibusdam rationibus tantùm extrinsecis, cùm aliunde nos lateat intrinseca ratio ex qua repeti posset illarum discrepantia: Dicuntur verò differre quoad se, dum ex propriis & formalibus rationibus intrinsecis, differre cognoscuntur. Idque iterum duobus modis, videlicet adæquatè seu primò; & inadæquatè, seu non primò. Priori modo invicem discrepant quæ se totis differunt, ut differentiæ individuales. Posteriori modo illa differre dicuntur quæ in aliquo principio intrinseco conveniunt, & per aliud sibi intrinsecum discrepant, ut species & individua, quæ in ratione generica vel specifica invicem conveniunt; discrepant autem per differentiam specificam aut individualem.

IV. *Quæstionis tres in partes distributio.*

His præmissis triplex est solvenda difficultas; Prima quidem num reverà duæ sint & non plures duabus processiones formaliter & quasi specie distinctæ. Secunda, an ejusdem rationis seu numerô plures Processiones esse repugnet. Tertia, ex quibus principiis repetenda sit earum processionum diversitas & distinctio. Prima resolutio militabit adversus Raymundum Lullium qui, si quæ Eymerico fides habenda sit, non sibi constans, modò unicam, modò plures & innumeras propè divinas Processiones affirmavit: Unicam quidem, nam pluries asseruit intra Deum tantùm unum esse actum *bonificandi*, idest, communicandi bonitatem & essentiam divinam; quia, inquit, si essent plures actus, quilibet eorum esset finitus & limitatus, hoc autem enti undequaque infinito summè repugnat. Plures verò itidem divinas Processiones admisit, nam lib. 1. sentent. quæst. 2. sic loquitur, *In divinis essentia non est otiosa, sed essentiat, & natura naturificat, bonitas bonificat, & infinitas infinitificat, & æternitas æternificat, &c.* Quòd autem prædictis verbis non intellexerit solummodo constitutionem formalem & denominationem attributorum, sed reverà etiam voluerit esse varias operationes ad intra, uti sunt *intelligere & amare*, colligitur ex eodem: *Sicut Deus*, inquit, *naturale habet intelligere & amare intrinsecè; ita intrinsecè habet naturale bonificare, æternificare, possificare, & vertuificare:* ut loquitur lib. de centum Dei nominibus. Secunda verò difficultas solvenda erit adversus Theologos, qui invicem non consentiunt in assignandis principiis, unde repetenda sit divinarum Processionum distinctio.

CONCLUSIO PRIMA.

REVERA *duæ sunt & non plures divinæ Processiones formaliter, & quasi specificè invicem distinctæ.*

V. *Duæ sunt & non plures in Deo processiones.*

Prima pars, Jam satis superque probata manet ex dictis hactenus, & patebit evidentiùs ex dicendis in Articulo sequenti, in quo probabitur ulteriùs intellectum & voluntatem divinam in Deo esse duo distincta principia divinarum Personarum procedentium; unde solùm incumbit probanda.

Formaliter & quasi specificè ab invicem distinctæ.

Secunda pars, quam sic probat Doctor in 1. *dist.* 2. *q.* 7. *num.* 18. Tot sunt, & non plures Processiones in divinis diversæ rationis, quot sunt principia productiva distincta: sed hæc duo tantùm sunt, nempe *memoria fœcunda, & voluntas fœcunda*, quarum una productiva est per modum naturæ; alia verò per modum libertatis seu voluntatis: Ergo tantùm sunt duæ Processiones diversæ rationis. *Major* patet; Cùm enim Processiones sint à principiis productivis, consequens est quòd earum diversitas & multiplicitas ab his principiis sit repetenda. Probatur *minor* quoad primam partem, nempe quòd illa duo principia productiva sint distincta. Principium agendi naturaliter, & principium agendi liberè, habent oppositum modum agendi: Ergo non potest dari unum principium cui hic diversus agendi modus unicè conveniat; vel enim inquit Doctor, *Illud principium productivum ageret ex se determinatè, & sic per modum naturæ; vel ageret non ex se determinatè, sed liberè, & ita per modum voluntarii:* At hi modi agendi cùm invi-

cem directè opponantur, in unicum principium refundi non possunt: Ergo, &c. Neque etiam reduci possunt ad aliquod Tertium, quia oporteret quòd tertium istud principium haberet etiam illos diversos modos agendi, nempe per modum naturæ & per modum voluntarii: Insuper etiam unum illorum ad aliud reduci non potest, tum propter eandem rationem, tum quia cùm illa principia sint æquè perfectè productiva, non esset potior ratio cur unum reduceretur ad aliud, quàm illud ad alterum: Tum denique quia, nihil reducitur ad aliud, nisi minùs perfectum ad perfectius; in Deo autem non reperitur perfectionis inæqualitas: Ergo si in Deo necessariò sint duo principia productiva, & non plura; etiam duæ tantùm sunt Processiones.

VI. *Objicit primò* Doctor: Diversus modus principiandi refundi potest in unicum principium: Ergo quamvis principiare per modum voluntatis, & per modum naturæ, sint oppositi modi principiandi, inde non licet inferre duo esse principia distincta; nec consequenter duas processiones, neque duos procedentes. Patet antecedens; nam principiare necessariò, & principiare contingenter, sunt oppositi modi principiandi: Sed illi competunt eidem principio, nempe voluntati divinæ respectu diversarum productionum; nam respectu productionis ad intra principiat necessariò; respectu verò productionis ad extra, principiat contingenter: Ergo diversus modus principiandi refundi potest in unicum principium.

Modi principiandi per modum naturæ & voluntatis non possunt reduci ad unicum principium.

Respondet Doctor supra laudatus, num. 23. distinguendo antecedens. Diversus modus principiandi refundi potest in unicum principium, quando duo illi modi nullam important imperfectionem, negat: Quando aliquis eorum imperfectionem vel minorem perfectionem connotat, concedit. Necesse est enim quòd omne imperfectum ad perfectum reducatur; unde cùm modus principiandi contingenter imperfectionem connotet, quia omnis contingentia mutabilitatem & defectibilitatem importat: Hinc reduci debet ad principium necessarium. At modi principiandi per modum naturæ, & per modum voluntatis nullam admixtam habent imperfectionem, adeoque neuter eorum debet ad alium reduci.

Vel distinguo consequentiam: Ex diverso momo operandi quomodocumque non licet colligere principiorum diversitatem, concedo: ex diverso modo operandi qualem habet memoria fœcunda & voluntas divina, nego consequentiam. Evidens enim est quòd intellectus divinus non habeat eundem modum operandi quem habet voluntas; ille namque agit naturaliter, hæc verò voluntariè: Evidens pariter est quòd nulla alia in Deo sit potentia cui hic uterque oppositus modus operandi convenire possit: Ergo ex illis diversis modis operandi rectè colligitur diversitas principiorum productivorum in Deo; & consequenter etiam ritè infertur divinarum Processionum diversitas & distinctio.

VII. *Objicit* 2. Natura divina, in quantùm natura, non minùs est principium productivum quàm intellectus & voluntas: Ergo si ex diversitate principiorum justè colligatur processionum diversitas, tres necessariò sunt admittendæ; quippe cùm tria sint in divinis principia A productiva, nempe natura, intellectus & voluntas.

Respondet Doctor ibidem, distinguendo antecedens: Natura divina est principium productivum seorsim ab intellectu & voluntate considerata, negat: Conjunctim cum utraque divina facultate, concedit: Memoria enim fœcunda, quæ est principium adæquatum & totale productionis Filii, v. g. includit intellectum & essentiam divinam, quorum quodlibet partialiter concurrit ad illam productionem. Idem dicendum de voluntate respectu productionis Spiritus sancti. Unde natura divina cum intel- B lectu & voluntate constituit duo principia integra & adæquata divinarum productionum, cujus rationem profert Doctor quòd notitiæ intellectivæ & amoris principium adæquatum non sit objectum solum, sed objectum cum potentia intelligendi & volendi; unde cùm natura divina concurrat ad generationem Filii & processionem Spiritus sancti tanquam objectum ad dictionem Verbi mentalis, & expressionem amoris subsistentis; hinc est quòd essentia seu natura divina constituat duo solùm productionis principia adæquata; non verò sit aliquod principium adæquatum ab eis distinctum.

Natura divina est quidem principium sed non seorsim.

Objicit 3. Doctor. Potentiæ distinguuntur per actus: Ergo cùm ex duplici potentia essentiali C in Deo, sint duo actus essentiales, nempe intelligere & velle essentiale, non possunt illis assignari alii duo actus notionales, nempe generatio & spiratio, & consequenter ex duabus illis potentiis divinis non rectè infertur dualitas divinarum processionum. Patet sequela, quoniam ab eodem distinctivo nequeunt distinctiones diversarum rationum reperi: Distinctio autem actuum notionalium, & distinctio actuum essentialium sunt distinctiones diversarum rationum: Ergo illa utrorumque diversitas à duobus illis eisdem principiis repeti nequit. VIII.

Negat sequelam Doctor ibidem num. 22. Nec-non & consequentiam probationis ejus; D quamvis enim una potentia non possit habere plures actus adæquatos distinctæ rationis, eodemmodo se habendo circa illos actus, ita quòd quemlibet habeat productum, aut quemlibet improductum; tamen habere potest plures actus diversæ rationis, se habendo diversimodè circa illos; ita quòd se habeat ad unum per modum principii operativi, seu emanativi, ad alterum verò se habeat per modum principii productivi: Sic autem se habet memoria fœcunda, v. g. ad notitiam essentialem improductam, & ad notitiam genitam, quia ad primam se habet per modum principii operativi, non verò productivi, ad secun- E dam autem, se habet per modum principii productivi, non operativi.

Actus essentiales & notionales non exigunt distinctas potentias.

Objicies 4. Non solùm potentia est principium processionis divinæ, sed etiam objectum, nempe essentia divina: arqui licèt in divinis dentur plures potentiæ, non tamen dantur plura objecta; est enim unicum intellectus & voluntatis objectum, nempe essentia divina: Ergo licèt sint duæ potentiæ, non tamen inde sequitur quòd sint duæ diversæ processiones & productiones. IX.

Distinguo minorem: In divinis non sunt distincta objecta, quasi materialia, concedo: formalia, nego. Eadem enim essentia divina, cùm sit intelligibilis & amabilis, habet diversam

Essentia divina est idem objectum materiale, non formale.

ſam formalitatem; adeoque diſtinctam rationem objecti formalis, quâ diverſimodè attingitur ab intellectu in ratione intelligibilis, & à voluntate in ratione amabilis.

X. *Objicies* 5. In divinis eſt unica tantùm actio: Ergo & unica proceſſio. Patet conſequentia, Proceſſio enim vel eſt activa, & ſic eſt ſynonima actioni; vel paſſiva, & ſic eſt correlativa actionis, adeoque juxta ejus multiplicationem tantùm multiplicari poteſt. Probatur antecedens, Activa enim ſpiratio & activa generatio in Patre divino identificantur realiter, ut infra probabimus: Ergo ſunt unica actio realiter.

Spiratio & generatio eſt quidem una res, non verò una actio.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico, equidem ſpirationem & generationem eſſe quidem unam rem, non verò unam actionem: Si enim non obſtante identificatione reali relationum cum eſſentia divina, non minùs ſunt plures relationes diverſæ & diſtinctæ, quidni pariter non obſtante identificatione reali ſpirationis & generationis potuerunt eſſe diverſæ actiones? Adde quòd ſi identificatio realis officeret multitudini productionum ſeu proceſſionum, Filius & Spiritus ſanctus non eſſent plures aut diſtincti, quia nimirum intellectus & voluntas à quibus procedunt non diſtinguuntur realiter.

Inſtabis: In divinis nihil eſt diſtinctum ab alio, niſi ſecundùm originem & relationem, ſeu quatenus unum procedit ab alio: ſed una proceſſio, vel productio, non procedit ab altera: Ergo nec ab ea diſtinguitur.

Licet una proceſſio non oriatur ab alia, non minùs ab ea diſtinguitur.

Diſtinguo hanc majorem: Si aliunde non habeat principia quibus diſtinguatur quàm per rationem originis ab illo à quo diſtinguitur, concedo: Si habeat, nego. Probabimus enim infra quòd etiamſi Spiritus ſanctus à Filio non procederet, non minùs ab eo diſtingueretur realiter; quia ſpiratio paſſiva per quam conſtituitur, eſt diſtinctum principium conſtitutivum & diſtinctivum à filiatione, ſeu generatione paſſiva, quâ Filius conſtituitur: Ergo à pari licèt una proceſſio ab alia non oriatur, non minùs ab ea diſtinguitur, ex eo quòd ſint diverſi modi operandi, nempe procedere naturaliter & voluntariè; procedantque à diſtinctis & diverſis principiis, nimirum intellectu & voluntate quæ ſufficiunt ad diſtinguendas illas proceſſiones.

XI. *Objic.* 6. Pater divinus producendo Filium, vel totam & totaliter vim & fœcunditatē ſuam impendit, vel non: Si primum, non poteſt aliam perſonam producere, nam ultra totum nihil eſt: Si non, ſequitur terminum per ipſam productū non eſſe infinitum; ideo enim creaturæ non ſunt infinitæ, quia licèt Deus in earum productione totam vim ſuam impendat, virtus enim illius non habet partes quarum unam occupare poſſit, aliam verò reſervare; ſed omnino indiviſibiliter, ideoque illam totam impendit, quando occupat: Creaturæ, inquam, non ſunt infinitæ, quia Deus non totaliter occupat vim ſuā in illis.

Filius exhaurit totam & totaliter divini intellectus non item voluntatis fœcunditatē.

Reſpondeo: Deum, dum Filium generat, occupare totam vim ſuam & totaliter, quantùm ſcilicet illam occupare poteſt per unam potentiam, nimirum per intellectum; ita namque intellectus divini fœcunditatem impendit Pater in productione Filii, ut non poſſit alterum Filium producere, ſicut patebit in concluſione ſequenti: Hoc autem non impedit quominus ſimul exire poſſit in actum, etiam totaliter per voluntatem, quia eſt quaſi alterius ſpeciei termini productiva, & per productionem quaſi ſpecie diſtinctam à productione quæ fit per intellectum. *Vnde in forma*: Pater divinus totam & totaliter vim ſuam impendit in productione Filii, ita quòd illa productio adæquet & velut exhauriat omnimodam fœcunditatem divini intellectus, concedo; ſermo namque eſt ſolùm de generatione Verbi ſive termini intellectivi: ita quòd adæquet & exhauriat omnimodam fœcunditatem Divinitatis, ſic ut non poſſit per aliam potentiam, nempe voluntatem exire in actum productivum alterius perſonæ divinæ, nego.

Inſtabis. Virtus divina impenſa in productione Filii eſt omnimodè infinita: Ergo non ſolùm totaliter adæquat fœcunditatem intellectus divini, ſed etiam ipſius Deitatis. Patet antecedens, Si enim non eſſet omnimodè infinita, eſſet in aliquibus limitata, & ſic non produceret terminum omnimodè æqualem principio producenti. Conſequentia pariter eſt evidens, illud enim quod eſt omnimodè infinitum, complectitur id omne quod eſt ejuſdem generis, adeoque virtus infinitè productiva continere debet omnē omnino excogitabilem vim productivā.

Diſtinguo antec. Eſt omnimodè infinita in ratione virtutis divinæ intellectivæ & productivæ notitiæ genitæ, concedo: in ratione virtutis divinæ ſimpliciter, nego. Licèt enim ad quamlibet proceſſionem requiratur infinita perfectio, ſeu virtus productiva, quæ in proceſſione qualibet adæquatum habet actum in ratione formalitatis actus; non tamen habet adæquationem extenſivam & ſecundùm rationē omnium actuum quos ad intra habere poteſt: Sicut enim ad producendam quamlibet creaturam ex nihilo requiritur infinita virtus Dei, ut volunt aliqui, & nihilominùs non quælibet creatio eſt adæquatus actus illius poteſtatis; ita à ſimili licèt ad productionem Filii requiratur infinita perfectio & fœcunditas naturæ divinæ, illa tamen non exhauritur per illam ſolam proceſſionem, quia non eſt adæquata omnimodè virtuti communicativæ divinæ eſſentiæ, quæ non ſolùm per intellectum viâ generationis & notitiæ, in ratione cognoſcibilis; ſed etiam per voluntatem, viâ ſpirationis & ut amabilis communicari poteſt. Unde unaquæque earum productionum eſt adæquata ſuo principio, & idcirco non poteſt numerô multiplicari, ut aperiet

Virtus quippe impenſa in productione Filii non eſt infinita in ratione virtutis divinæ ſimpliciter, ſed tantùm in ratione virtutis intellectivæ.

CONCLUSIO SECUNDA.

XII. **D**E *fide eſt plures numerô ſolùm diſtinctas & ejuſdem rationis proceſſiones non eſſe de facto, nec eſſe poſſe.* Probatur illis omnibus momentis, quibus jam oſtendimus, eſſe tantùm tres divinas perſonas, non verò plures. Patet inſuper illis omnibus Scripturæ textibus, maximè Joannis 1. & 3. quibus Filius Dei *unigenitus* dicitur, ex quo conſtat Deum unicum tantùm Filium habere; adeoque in divinis non ſunt duæ generationes, & multominùs plures. Idem firmatur ex omnibus Symbolis, quibus credimus in Ieſum Chriſtum Filium Dei unigenitum & unicum; unde in Symbolo ſancti Athanaſii expreſsè profitemur, quòd ſit *unus Filius, non tres filii, unus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.*

Nec ſunt, nec plures eſſe poſſunt in Deo proceſſiones ejuſdem rationis.

Probat hanc veritatem Doctor q. 2. quodlibetica art. 2. hac ratione Theologica. Si in divinis poſſunt eſſe plures productiones ejuſdem rationis: Ergo eſſe poterunt infinitæ, & conſequenter neceſſariò erunt infinitæ; in ente enim ſummè neceſſario idem eſt eſſe ac poſſe: Sed conſe-

1. Quia forent infinitæ.

quens est falsum: Ergo & antecedens. *Minor* patet, Nullus enim hactenus ita ineptè desipuit ut assereret divinas Personas esse numerò infinitas: Hancque veritatem S. Bonaventura in 1. dist. 2. art. 1. q. 3. probat quadruplici argumento, nimirum ex distinctione, ordine, connexione, & completione. *Primò* quidem ex distinctione. Ubi est, inquit, distinctio, non est confusio: sed ubi est infinitas, ibi est confusio: Ergo cùm inter Personas divinas sit distinctio, non erit confusio, nec proinde infinitas. *Secundò*, ubi est ordo, ibi est terminatio & mediatio: sed ubi est terminatio, non est infinitas, quia infinitas terminum nescit: Ergo si in divinis est ordo, non est infinitas. *Tertiò*, ubi est connexio, necesse est quòd omnes personæ procedant ab una; nam si una ab alia, & ita consequenter; tunc est infinita distantia inter primam & ultimam: At hoc est inconveniens: Ergo omnes ab una procedunt. *Denique* ubi est summa completio, non est infinitas, completio enim fit in beatitudine: Sed si essent personæ infinitæ, impossibile esset aliquem beatificari à Deo: Cognitio enim cujuslibet personæ confert ad beatitudinem: Ergo anima beata debet omnes Personas divinas cognoscere; sed non posset cognoscere infinitas; cùm virtus ejus finita sit: Ergo absurdus esset Personarum divinarum infinitus numerus.

Majorem probat Doctor. *Primò* quidem authoritate S. August. qui ita argumentatur contra Maximinum, lib. 3. cap. 12. *Immoderata*, inquit, *esset divina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri, quia & ipse nepos nisi Avo suo pronepotem gigneret, secundùm vestram mirabilem sapientiam impotens diceretur.* Subdit deinde, *Nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero gigneretur; nec etiam ullus perficeret eam, si non sufficeret omnipotens unus.* Quasi diceret, quòd si una persona producta non sufficiat ad complendam totam productionem unius actionis, pariter nec alia sufficiet, nec iterum alia, sicque necessariò admittendæ erunt processiones & personæ ejusdem rationis numerò infinitæ.

2. Quia non potest determinari ad certam pluralitatē.

Probat 2. Doctor hac ratione. Omne multiplicabile in plura ejusdem rationis, non determinatur ex se ad certam pluralitatem, sed si ita determinatur, necessum est ut determinetur ab alio: At divina processio, si est multiplicabilis in plures processiones ejusdem rationis, v.g. in plures generationes, non potest ab alio determinari ad certā pluralitatem: Ergo si est multiplicabilis in plures processiones ejusdem rationis, nullomodo determinatur ad certam pluralitatem, sed necessum est ut illa divinarum processionum series fiat infinita. *Major* patet Exemplò entis creati, quod cùm sit multiplicabile in plura entia creata ejusdem rationis, inde fit quòd non determinetur ex se ad certam pluralitatem, & nisi ab agente extrinseco aut circunstantiis ad certū numerum determinaretur, ejus productiones possent esse infinitæ syncategorematicè.

Minor probatur: Si divina processio ad certam pluralitatem determinaretur ab alio, maximè vel ab aliquo posteriori, vel ab aliquo priori: Sed à neutro fieri potest. Non quidem ab aliquo posteriori ipsâ, nullum enim ens habet suam entitatem ab aliquo ente posteriori se: Ergo nec habere potest suam unitatem: Neque etiam ab aliquo priori: Hoc enim vel esset principium formale divinæ processionis, nempe memoria & voluntas fœcunda; vel esset principium producens, nempe persona divina: Sed à nullo horum

A divina processio determinaretur ad certam pluralitatem si esset multiplicabilis in plures processiones ejusdem rationis: Nam productionis principium formale seu *quo*, & producens seu *quod*, si possit habere plures productiones ejusdem rationis, non potest seipsum determinate ad certum numerum productionum; unde si ita determinaretur, necessariò determinari deberet ab alio: Hoc autem dici nequit. Tum quia nihil est in Deo præter memoriam & voluntatem fœcundam, à quo intelligi possit hæc determinatio fieri: Tum quia quidquid illud sit, de eo redit eadem quæstio an sit prius vel posterius; non

B posset autem esse posterius, quia ut dixi nihil accipit unitatem nec pluralitatem à posteriori se; nec etiam posset esse prius, quia illud erit etiam necessarium, & sic non poterit alterum determinare ad certum numerum, nisi illud rursus ab alio determinetur, & sic fiet progressus in infinitum in illis processionum divinarum determinationibus; quòd cùm implicet, etiam implicat plures esse ejusdem rationis & solô numerô distinctas divinas processiones.

3. Quia intellectus & voluntas habent terminum sibi adæquatū.

Probat 3. etiam hac ratione. Potentia quæ habet actum adæquatū, interim dum illum habet, non potest alium habere: Sed potentia generativa divina, habet actum sibi adæquatum in gene-

C ratione Filii, seu Verbi de facto: Ergo non potest alium simul habere; alioquin actus ille esset, & non esset ei adæquatus. Probatur *minor*, Filius enim est terminus infinitus, sicut & intellectus: ergo reverà est ipsius terminus adæquatus.

Dices. Illa adæquatio vel intelligitur de actu adæquato extensivè, vel de adæquato intensivè. XIII.
Si primum, petitur principium; hoc enim idem est ac habere actum ultra quem alius haberi non possit, cujus veritas & probatio non patet. Si secundum, illud videtur apertè falsum; nam anima Christi, v.g. habet creatam Verbi visionem sibi adæquatam intensivè, & tamen præter

D illam habet adhuc alias visiones: Similiter divinus intellectus habet visionem divinæ essentiæ sibi adæquatam intensivè, nihilominùs etiam ultra habet visionem rerum aliarum à se. Unde Doctor in Reportatis lib. 1. dist. 2. q. 7. adducta eadem ratione subdit, *nec hæc ratio valet*; quod probat argumentô nunc factô: Ergo, &c.

Tum intensivè, tum extensivè.

Respondeo: Præfatam rationem intelligendam esse de adæquatione intensiva: Explicat enim Doctor hanc adæquationem per infinitatem perfectionalem principii productivi & termini producti; repugnat autem terminum infinitum multiplicari secundùm eandem rationem, quia infinitum de se hoc est ens, ideoque reverà repugnat plures filios esse infinitè perfectos. Sic autem sumpta adæquatione

Christus non habet unicam visionem sibi adæquatā.

E *Respondeo* exempla in objectione posita non urgere, nam nec intellectus Dei, nec intellectus animæ Christi habent plures visiones sibi adæquatas intensivè, sed divinus quidem intellectus una visione sibi adæquata divinam essentiam, & in ea omne visibile intuetur: Intellectus autem animæ Christi licèt habeat plures visiones, tamen non habet plures visiones adæquatas suæ totali virtuti intelligendi; habet namque unam visionem Verbi & quarundam rerum in Verbo sibi adæquatam quatenus est instructus lumine gloriæ: habet quoque aliarum rerum extra Verbum seu in proprio earum genere visiones proportionatas & fortè adæquatas, prout est instructus & informatus aliis comprincipiis intelligendi, ita ut, inquit Smisingus

noster Disp. 3. num. 109. nec creata visio Verbi A rerumque in Verbo, nec visiones extra Verbum seorsim spectatæ sint in Christo adæquatæ oni totali virtuti intelligendi quæ in ipso est. Instantiæ quæ contra hanc solutionem formari possent, jam solutæ sunt Quæst. 3. præcedentis Articoli.

XIV. *Dices* 2. Præfata ratio supponit quòd potentia divina generativa sit in perpetuo usu & acto generationis: Sed hoc videtur falsum, quid enim vetat Deum genito Filio suo à generatione ipsius cessasse, ut sic alium iterum produceret? Si quid enim obesset, maximè quia Dei actiones mensurari debent æternitate, nec in præteritum transire: At hæc ratio videtur infirma; etenim ut legimus Genesi 2. *Cessavit ab omni opere quod patrarat:* Insuper Deus jam non B producit dies præteritos, aut ea quæ cum illis diebus transierunt: Denique illa ipsa divina generatio dicitur transisse in præteritum, legimus enim Psal. 2. & 109. *Ex utero ante Luciferum genui te:* Ergo, &c.

Deus est in perpetuo actu generationis.

Nego minorem: Deus enim est in perpetuo actu generationis Filii sui, idque necessariò & indefectibiliter; Pater enim divinus est in perpetua sive inceptione, sive conservatione sui esse; atqui illius esse est actualis generatio, seu ratio Paternitatis per quam constituitur, ut infra patebit: Ergo semper Filium necessariò generat. Idem à paritate, dicendum est de Spiritu sancto; Si enim Deus semper sit in actuali generatione, nec ipsa transeat in præteritum; C eadem ratione debet esse in perpetua spiratione.

Ad confirmationes dico, Deum esse in perpetua creatione, seu conservatione creaturarum quandiù illæ sunt; unde cùm Filius divinus semper sit, oportet etiam sit necessariò continua ejusdem generatio. Ad Scripturam autem: Respondeo præteritum quidem verè dici de illa generatione; at non præteritum nostrô modô concipiendi, hoc est quod sit purè præteritum; sed ita præteritum, ut involvat omnia tempora, sicut dicitur Apocalypsis primô, *Qui est qui erat & qui venturus est:* imò idipsum colligitur ex eisdem verbis Psalmi secundi, *Ego hodie genui te*; nam sicut *genui* dicit præteritum, ita *hodie* præsens denotat.

CONCLUSIO TERTIA.

XV. PROCESSIONES *divinæ seipsis formaliter distinguuntur.* Hæc est Doctoris in 1. dist. 13. n. 18. *Nam ut*, inquit ibidem, *generatio formaliter seipsâ est generatio, & spiratio seipsâ formaliter spiratio; & ex rationibus formalibus earum impossibile est generationem esse spirationem, circumscripto per impossibile quocumque alio, ita quòd non oportet quærere quibus distinguuntur, quia tota ratio formalis unius est non eadem toti rationi formali alterius.*

Processiones divinæ seipsis formaliter distinguuntur, ut egregiè probat Doctor Subtilis.

Tum authoritate Augustini.

Probat autem primò authoritate sancti Augustini libro 15. de Trinitate capite 27. ubi E cùm declarasset difficultatem summam explorandi differentiam inter generationem Verbi & spirationem Spiritus sancti, quam utique dicit solùm per visionem beatificam detegendam, ait: *Attolle oculos in ipsam lucem, & eos in eam fige si potes, sic enim videbis quid distet* NATIVITAS *Verbi divini à* PROCESSIONE *Dei, propter quam Filius unigenitus non de Patre genitum, alioqui Frater ejus esset, sed procedere dicis Spiritum sanctum:* Et paulò infra affirmat voluntatem de cognitione procedere, non tamen esse cognitionis imaginem, dicens: *Quam quidem voluntatem de cognitione procedere, nemo enim vult quod omninò quid vel qualis sit, nescit: Non tamen esse cognitionis imaginem, & ideo quandam in hac re intelligitur nativitatis & processionis insinuari distantiam, quoniam non hoc est cogitatione conspicere quod appetere.* Quibus apertè fatetur S. Augustinus processiones illas divinas ex intrinsecis suis principiis ab invicem distingui: Siquidem ex processionum distinctione concludit Personarum procedentium distinctionem. *Confirmat* Doctor ex eodem lib. 5. de Trinit. cap. 9. & 14. ubi S. Augustinus inquirens cur Spiritus sanctus non sit Filius, cùm tamen à Patre exeat, solvit dicens: *Exit enim non quomodo natus, sed quomodo datus:* Quibus compertum B sit S. Augustinum insinuare Personarum divinarum distinctionem esset repetendã ex distinctis earum emanationibus; ideoque inferendum est eum docere divinarum Personarum emanationes seipsis esse distinctas; etenim si earum distinctio alio ex capite esse repetenda, etiam ex eodem capite personarum distinctionem repetendam esse S. Augustinus affirmaret.

Probat 2. Illa per se primò differunt, quæ se totis formaliter & adæquatè discrepãt: Sed tales sunt divinæ processiones: Ergo seipsis differunt & distinguuntur formaliter. *Major* patet: Siquidem aliunde differentiarum individualium discrepantia (quas omnes Philosophi seipsis C ultrò differri fatentur) repeti non potest. Probatur itaque *minor*: Illa seipsis formaliter differunt, quæ discrepant per formam sibi intrinsecam, quæque sunt rationes formales distinctionis aliorum: Sed tales sunt generatio & spiratio; ab eis namque divinarum personarum productarum differentia reperitur, illæ verò propria sua ratione formali distinguuntur invicem: Ergo, &c.

Tum etiam ratione.

XVI. *Dices* 1. Processiones hujusmodi conveniunt in pluribus prædicatis, putà in ente, in Divinitate, spiritualitate, & ratione procedendi unius divinæ Personæ ab alia. Ergo non se totis, nec seipsis formaliter differunt.

Convenientia generica non obest quominùs seipsis primò differant.

Respondent aliqui Scotistæ hanc convenientiam genericam, & veluti transcendentalem, D non obesse quominus illæ divinæ processiones formaliter & adæquatè seipsis primò differant: Si enim per intellectus præcisionem considerentur sub propria ratione formali generationis & spirationis, & quatenus abstrahunt à præfatis prædicatis veluti transcendentalibus, evidenter apparebit quòd sint primo diversæ; quia nullum prædicatum spectans ad generationem, ut generatio est, clauditur in definitione spirationis ut spiratio est; non sic dicendum de iis quæ specificè conveniunt, homo enim ut homo est v. g. involvit in se prædicatum quod est commune bruto ut brutum est, nempe con- E ceptum animalis, seu vitæ sensitivæ: unde homo & brutum non per se primò, nec se totis differunt.

Respondent alii, idcirco divinas processiones se totis differre, quia nullam involvunt realitatem communem quæ per proprias differentias sit contrahibilis ad utramque. Hæ quidem solutiones optimæ sunt, nihilominùs *Tertiam* subjicio, nempe quòd generatio & spiratio oppositum significent modum procedendi; generatio enim significat modum procedendi naturaliter, spiratio verò modum procedendi libe-

Nec realitas communis per differentias non contrahibilis.

rè: Sed procedere naturaliter, & procedere liberè sunt modi procedendi seipsis diversi: Ergo etiam tales sunt illæ divinæ processiones.

XVII. Ex his *collige* 1. prædictas processiones à nobis quidem colligi esse distinctas ex diversitate principiorum, idest intellectu & voluntate, à quibus oriuntur, non verò ab ipsis suam habere distinctionem formalem: ab eo enim habent distinctionem à quo habent esse formaliter; at non habent esse formaliter à principiis, sed tantùm principiativè: Ergo nec ab eis suam habent rationem formalem, sed tantùm originationem.

Habent à seipsis suam distinctionem formalem.

XVIII. *Collige* 2. Illam diversitatem non esse repetendam ex eo quòd una persona sit ab unica, alia verò à duabus, quia ut inquit Doctor in 1. dist. 13. quæst. unica. Unitas & pluralitas suppositorum, non causat diversitatem rationis in formis vel quasi formis quæ sunt in ipsis, vel ab ipsis, v. g. quia Albedo de ratione sua, & ex se est immutativa visus, non variat hanc rationem, ex eo quòd sit vel in pariete, vel in carta, vel in aliis subjectis: Ergo à simili, generatio & spiratio invicem non differunt, ex eo quòd sint in diversis suppositis, quorum unum emanat ab unico, nempe Filius à Patre; aliud verò à duobus, nempe à Patre & Filio; maximè verò cùm Spiritus sanctus ex ratione sua formali non desideret pluralitatem suppositorum ad sui productionem & spirationem, ut patebit infrà.

Adeoque non est repetenda ex eo quòd una sit ab unica, alia verò à duabus personis.

XIX. *Collige* 3. Hanc diversitatem processionum non etiam esse ex eo repetendam quòd una origine debeat esse prior alterâ, nempe generatio prior spiratione, neque ex eo quòd una originetur ab altera, nempe spiratio passiva à generatione passiva, seu filiatione: Dum enim aliquid est prius alterô, meritò quæritur ratio talis prioritatis & originis; unde præcisè non distinguuntur aliqua primò ratione talis prioritatis aut posterioritatis, quæ inter ea est invenienda: Ergo neque emanationes illæ divinæ per hanc rationem prioris & posterioris etiam primò distinguuntur. Insuper etsi Spiritus sanctus non procederet à Filio, non minùs propterea ab eo distingueretur realiter, ut infrà docebimus: Ergo tametsi non originaretur à generatione passiva, non minùs ab ea distingueretur realiter, adeoque illorum diversitas non est repetenda ratione originationis unius ab alia. Consequens est ergo quòd illa ipsa divinarum processionum diversitas repetatur ex ratione formali earum.

Nec-non quòd una origine debeat esse prior alterâ.

QUÆSTIO TERTIA.

Quid & quales sint divinæ processiones?

I. CONVENIUNT penè omnes Theologi, si Durandum & paucos alios ejus asseclas excipias, divinas processiones esse intellectûs divini & divinæ voluntatis operationes: quæ autem & quales sint operationes, non invicem consentiunt. Nonnulli siquidem affirmant eas esse quasdam resultantias, seu emanationes intellectûs & voluntatis divinæ; ita ut Personæ divinæ productæ procedant ex alia, eô ferè modô quô proprietates ab essentiis, non per veram actionem, sed per simplicem emanationem effluunt. Ita sentire videtur Suares lib. 1. de Trinit. cap. 8. Unde lib. 6. cap. 1. docet solam relationem personæ producentis esse totam processionem activam, seu actionem productivam. Aliqui Thomistæ docent duplicem esse distinguendam intellectionem, unam essentialem communem tribus divinis Personis; aliam notionalem Patri propriam & Verbi productivam. Alii verò hanc distinctionem ut doctrinæ Angelici Doctoris contrariam respuunt, affirmantque in Deo esse unicam intellectionem essentialem, quæ est Verbi divini productiva, quatenus modificata est relatione Paternitatis, & habet rationem dictionis & veræ actionis productivæ. Cæteri verò cum Doctore Subtili in 1. *d.* 2. *q.* 7. *n.* 13. & *distinctione* 29. *quæst. unica*, & *quodlibeto* 14. contendunt nedum divinas processiones esse veras actiones, sed etiam ex æquo & totaliter distinctas ab actibus essentialibus intelligendi & volendi; ita quòd dictio non includat formaliter intellectionem, nec activa spiratio volitionem essentialem, quô fit ut licèt *intelligere* & *velle* sint operationes communes omnibus personis, non tamen dicere & spirare. Quæ sententia uti verior & constantior ut propugnetur evidentiùs & efficaciùs:

Processiones divinæ non sunt simplices emanationes.

Sed veræ actiones.

II. *Notandum* 1. cum Doctore locis laudatis maximè in 1. d. 2. quæst. 7. n. 22. duos distingui posse actus divini intellectûs, scilicet *intelligere* & *dicere*, & totidem divinæ voluntatis, scilicet *amare* & *spirare*, quorum primus est operativus, & alter productivus; qui duo actus formaliter distinguuntur invicem: Implicat enim unum & eundem actum esse naturâ suâ productivum & non productivum termini realiter à principio producente distincti. *Insuper* actus productivus necessariò supponit operativum; *Operans enim & producens per idem principium*, inquit Doctor, *priùs est operans quàm producens:* Adde quòd fateantur omnes Theologi perfectiones essentiales nullum involventes respectum ad creaturas esse priores quocumque notionali: Unde cùm intellectio divina sit quid essentiale, dictio verò quid notionale; hæc illam præsupponit; non quidem tanquam principium *quo*, sed solùm tanquam conditionem sine qua non; non ex indigentia, sed ex conditione principii, quod priùs determinatur ad operationem quàm ad productionem, ut ibidem observat Doctor: Hinc fit quòd Pater divinus priùs concipiatur intelligens & cognoscens seipsum & suam essentiam, quàm producens & dicens Verbum.

Duplex intellectûs actus, *dicere* & *intelligere*.

Principium operans priùs est naturâ quàm producens.

III. *Notandum* 2. Intellectionem nostram non esse actionem formaliter & propriè: Tum quia omnis actio propriè dicta, habet semper aliquem terminum productum; intellectio verò non est termini productiva, sed est ipsemet ultimus actus, ultimaque perfectio potentiæ intellectivæ: Tum quia, *Intelligere non est agere; sed quoddam pati*, inquit Philosophus 3. de anima cap. 4. Unde formalis intellectio, est receptio illius qualitatis, nempe verbi mentis quod producitur per dictionem, & recipitur in ipsomet intellectu. Hinc inchoativè & effectivè intellectio consistit in ea intellectûs operatione quâ producitur illa qualitas, seu Verbum mentis; consummativè autem & formaliter in ejusdem qualitatis receptione. Cùm enim illa qualitas seu Verbum, sit rei intellectæ expressa similitudo; procul-dubio intellectum informando, & ei

Intellectio creata non est actio formaliter & propriè dicta.

adhærendo illum objecto cognito assimilabit, ac proinde complete intelligentem efficiet. Quòd si interdum intellectio vocetur actio, id noo est interpretandum de actione propriè dicta, sed quia se habet ad modum actionis, cùm semper sit in fieri, & respiciat terminum, non qoem producat, sed circa quem negotietur nempe circa objectum enjus est viva & perfecta expressio.

IV. *Notandum* 3. Ex Doctore in 1. distinctione 27. quæst. 3. num. 12. quòd, *Verbum mentis est actus intelligentiæ productus à memoria fœcunda, non habens esse sine actuali intellectione repræsentans Verbum divinum.* Cujus definitioois omnes particulas colligit Doctor ex saucto Augustino.

Verbum ment. a quâliter à Doctore definatur.

Dicitur itaque primò *actus intelligentiæ*, qnia est forma actuans intellectum, eumqne efficieos formaliter & actu intelligentem, sicut calor constituit aquam formaliter calidam: Colligitur autem hæc particula ex S. Augustioo lib. 9. de Trinit. cap. 12. & 13. ubi expresse probat solum intellectum, non autem voluntatem, producere Verbum sui perfectivum & informativum. Additur *productus à memoria fœcunda*; idest ab intellectu insormato, & quasi gravido specie iotelligibili, nam ut loqnitur S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 10. *Formata cogitatio ab ea re quam scimns Verbum est*: Et cap. 14. *Verbum nostrum de nostra scientia nascitur*: Et cap. 26. ait: *Verbum esse expressum de scientia memorabili*, idest ab intellectu habente scieotiam habitualem quasi semen objecti. Subditor *non habens esse sine actuali intellectione*; Cùm enim Verbum intellectum informet, & illum actualiter iotelligeotem denooinet, quamdiu subsistit, tandiu permanet actualis intellectio: Unde S. Augustinos lib. 9. cap. 8. ait: *Conceptam rerum veritatem notitiam, tanquam Verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignitur, nec à nobis nasceudo discedit.* Subjicitur denique, *repræsentans Verbum divinum*: S. enim Augustinus lib. 9. divini Verbi originem & naturam ex quadam similitndioe eum Verbo nostro investigat; unde cap. ultimo ait: *Est quadam imago Trinitatis ipsa mens & notitia ejus, quæ est proles ejus, ac de seipsa Verbum ejus, & amor tertius.*

Quæstionis distributio.

His prælibatis tria sunt resolvenda: *Primò*, quòd processiones divinæ sint veræ actiones, non verò tantùm emanationes, & quasi resultantiæ unius personæ ab alia: *Secundò*, quòd non sint actus essentiales intelligendi & volendi: *Tertiò*, qnòd sint dictio & spiratio ex æquo ab intellectione & amore distinctæ.

CONCLUSIO PRIMA.

V. PROCESSIONES *divinæ sunt verè & propriè actiones vitales, & non purè ac simplices emanationes.* Hæc videtur esse gennina sancti Thomæ, & Subtilis Doctoris sententia; ille oamque prima parte q. 40. Art. 2. ait; *Origo activè significata significatur ut progrediens à persona subsisteute: Vnde præsupponit eam; origo autem passivè significata ut nativitas, significatur ut via ad personam subsistentem & nondum ut eam constituens*: Et q. 41. art. 2. ad secundom; *Remoto*, inquit, *motu actio nihil importat quàm ordinem originis, secundum quod à causa aliqua vel principio procedit in id quod est à principio.* Quibus disertè pronuntiat originem, seu processionem divinam, esse modum aliquem velnti medium

Processiones divinæ sunt veræ & propriæ actiones in quo sanctus Thomas cum Doctore Subtili consentit.

A inter personam producentem & productam, adeoque non esse simplicem resultantiam immediatam unius personæ ab alia.

Ipsi concinit Doctor in 1. dist. 28. q. 3. n. 3. dicens: *Origo ut origo non est propria forma, nec persona in qua est, nec persona ad quam est, sed est quasi via; & tunc neque prima persone est forma, sed quasi præsupponit eam.* Quasi diceret originem formaliter consideratam viam esse inter personam producentem & personam productam; adeoqoe noo esse formam propriam constitutivam illius ex ipsis, sed præsupponere personam prodncentem jam propriâ suâ formâ constitutam, & esse rationem quâ persona producta recipit snum esse: At hoc est veram B habere ratiooem actionis: Ergo reverà illi censent divinas processiones esse veras ac propriè dictas actiones; non verò simplices emanationes & resultantias metaphysicas. Hæc ipsa veritas firmari potest illis omnibus saoctorum Patrum seotentiis, quas infrà referemus, ut probemus Verbum divinnm à Patre procedere per veram & propriè dictam generationem, sicut & Spiritum sanctum à Patre & Filio per activam spirationem; generatio enim & spiratio sunt veræ actiones: Ergo tales dicendæ sunt divinæ processiones.

Probatur etiam hæc ipsa veritas ratione Theologica. *Primò* quidem: Aliter essentia divina determinatur ad Filium & Spiritum sanC ctum quàm ad Patrem: Sed ad Patrem determinatur per simplicem resultantiam: Ergo ad Filium & Spiritum sanctũ determinari non debet per simplicem resultantiam; sed per realem & propriè dictam actionem. *Major* patet: Siquidem essentia divina non determinatur ad Filium & Spiritom sanctum nisi quateoos dicuntur produci; Pater autem à nullo prodocitur: Ergo aliter ad eum quàm ad alias personas essentia divina determinatur. *Minor* etiam est evidens: Siquidem ratio formalis constitutiva primi suppositi non ab aliquo producitur, sed ab ipsomet divinæ naturæ oceano quasi proprietas ab essentia effluit. *Deinde* simplex resultanD tia est ab ipsa natura substantiali immediatè; Proprietates enim metaphysicæ ab ipsomet essentiæ sioo immediatè effluunt: Ergo si processio Filii & Spiritus sancti sit simplex, resultantia erit immediatè à natura divina; quod tamen Suarez ipse cum aliis Theologis negat & impugnat contra Durandum, ut patebit Articulô sequenti. *Denique* persona subsistens debet produci per veram actionem: Sed divinæ processiones sunt productivæ personarum subsistentium, ut fide compertum est: Ergo illæ sunt veræ actiooes.

Ratione suadetur.

Objicies 1. In rebus creatis relationes non E fiunt per veram & propriam actionem, sed resultant ex positis fundamento & termino; unde Aristoteles io prædicamentis cap. *de relatione* affirmat, ad relationem non dari per se motum: Ergo similiter relationes personarum divinarnm constitutivæ non producuntur per veram actionem, sed per simplicem resultantiam & emanationem. Consequentia videtur aperta, à creatis enim ad divina cum proportione procedere, & ratiocinari licet.

Nego consequentiam, & ratio disparitatis est quòd cùm relationes creatæ sint *accidentia exigua & diminuta entitatis*, inqoit Doctor, non

Relationes divinæ possunt esse

lectione & amore illo essentiali.

Et præcluditur.

Contra: Vel illa modificatio addit aliquid reale intellectioni & amori essentiali, vel nihil: Si nihil addat: Ergo non est ratio cur in una persona producat terminum, non verò in alia: Idem enim manens omnino idem, semper natum est facere idem, ut solitò loquuntur Philosophi. Si addat aliquid, maximè vel aliquid essentiale vel notionale. Non primum, quia recurrit eadem difficultas; essentialia enim sunt communia tribus personis: Non etiam secundum, nihil enim est notionale præter relationes constitutivas personarum; Relatio autem ut diximus, nec est formaliter intellectio, nec eadem formaliter cum intellectione; nam totum esse relationis est ad aliud se habere; totum verò esse intellectionis est percipere objectum & illud repræsentare; quæ duo sunt formaliter distincta. Adde, si illa modificatio addat aliquid essentiali intellectioni quod sit ab ea vel modaliter vel formaliter distinctum; jam intellectio non erit productiva termini ut intellectio essentialis est, sed tantùm ut est intellectio notionalis; falsum est autem distinguendas esse duas intellectiones quarum una sit essentialis, alia verò notionalis: Ergo, &c.

Neque enim illa modificatio addit aliquid essentiale aut notionale.

Ad confirmationem dico nullam esse paritatem; aliud enim est posse principiare, & aliud principiare de facto; potest enim separati actualis principiatio seu productio à potentia à qua oritur; non tamen principiatio potest à seipsa sejungi; fieri enim potest Verbi gratiâ, ut ignis seu calor non calefaciat; fieri verò nequit quòd calefactio actualis non calefaciat, quia ejus essentia tota est in actu secundo, seu in actuali productione caloris: Si ergo actualis productio personarum sit ipsa intellectio & volitio essentialis; implicat ut sint in aliqua persona, nec in ea producant terminum.

Reponunt cæteri, intellectionem & volitionem esse productiones & processiones personarum, non ut actus, sed ut actiones *Dicendi* ac *Spirandi*.

Intellectio à dictione formaliter distinguitur.

Contra: Intellectio est quid formaliter distinctum à dictione: Ergo non sunt unum & idem, & malè confunduntur ab Adversariis. Probatur antecedens: *Intellectio* enim est quid absolutum in divinis, *Dictio* verò est quid relativum; seu quod idem est, *Dictio* est quid notionale, *Intellectio* verò quid essentiale: Sed clarum est essentialia à notionalibus distingui, & eôdem modô analogicè in divinis se habere, quô apud nos substantia & accidens, vel essentiale & accidentale.

Dicere opponitur relativè *Dicto*.

Deinde *Dicere* opponitur relativè *Dicto*, seu Verbo quod dicitur: Sed *Intelligere* non opponitur ipsi Verbo; alioquin distingueretur ab eo realiter: Ergo dicere & intelligere non sunt unum & idem.

Denique Paternitas ipsa formaliter est dictio; sed illa non potest esse intellectio, ut jam diximus: Ergo intellectio & dictio non sunt unum & idem formaliter.

Reponunt aliqui, dictionem non esse quidem formaliter intellectionem, benè verò realiter: At hoc nihil aliud est quàm apertè transire in sententiam Scoti qui dictionem tantùm formaliter ab intellectione essentiali, sicut & ab essentia censet esse distinguendam; sicque sola supererit disputatio de nomine, quâ nempe Thomistæ appellant intellectionem realiter, quod nos formaliter dictionem appellamus. Nihilominus in hoc etiam videntur multùm à vero exorbitare, si enim sufficiat realis identificatio Dictionis cum intellectione, vt dictio appelletur intellectio; jam volitio erit processio Filii, nam volitio, seu amor est realiter dictio: Tum essentia erit etiam productio sibi, nam etiam essentia est realiter dictio.

Reponunt 2. aliqui *Dicere* quidem esse aliud ab *Intelligere*, sed tantùm sicut includens ab incluso. Sicut enim homo est aliud ab animali, quia nimirum includit animal & ei addit aliquid aliud, nempe rationale; ita à pari actus notionalis præter ordinem quem actus essentialis dicit ad objectum cognitum, addit ordinem ad terminum productum per ipsum; intellectus enim divinus, inquiunt, simul intelligit objectum producendo terminum, & producit terminum intelligendo objectum.

Dictio non se habet per modum includentis, & intellectio per modum inclusi.

Respondeo quòd *Dicere* divinum non includat intellectionem essentialem sicut homo includit animal; quia homo addit rationem aliquam & differentiam perfectivam animali, nempe rationalitatem: Unde rationalitas est quædam animalitas, *Sicut fissio pedum est pedalitas* inquit Aristoteles lib. 7. metaph.: Sed dictio non includit aliquid intellectionis in suo conceptu, aliàs persona dicens plus intelligeret, quia haberet aliquam intellectionem, quam non habet persona quæ non dicit, adeoque una esset sapientior alterâ, quod implicat.

Deinde dictio, ut probatum est, formaliter est actio: Intellectio verò non est actio, sed operatio: Ergo una aliam non includit formaliter, sunt enim disparati generis & omnino diversi.

Denique illud quod adderet dictio supra intellectionem, Vel esset intra lineam & rationem intellectionis, & sic esset quid essentiale & proinde commune sicut & ipsa intellectio: Vel esset quid distinctum, adeoque aliquid notionale, & sic dictio reverà erit formalitas distincta ab intellectione essentiali, quod intendimus.

X.

Si Filius produceretur per intellectioné, Pater non esset beatus ante generationem.

Probatur 2. *Conclusio*: Si productio Verbi divini esset formaliter intellectio essentialis, sequeretur Patrem non communicare essentiam perfectè beatam Filio, nec Patrem esse beatum ante productionem Filii: Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens. Patet sequela majoris: Quia beatitudo consistit potiùs in actu voluntatis quàm in actu intellectus; beatitudo enim est fruitio, quæ est formaliter actus voluntatis: Sed intellectio præcedit actum voluntatis, adeoque præcedit ipsam fruitionem in qua formaliter consistit beatitudo: Ergo si Verbum divinum produceretur per intellectionem, Pater conciperetur eum producere antequàm esset beatus, & sic Filius reciperet essentiam nondum perfectè beatam. Quæ si ita sint, aut Filius deinceps est beatus, & sic habet aliquid non acceptum à Patre; aut non est beatus, & ita non erit Deus, qui est ipsamet beatitudo.

XI.

Vel saltem aliquid notionale priùs esset aliquô essentiali.

Nec refert quòd reponant Thomistæ beatitudinem non consistere formaliter in actu voluntatis, sed intellectus; nam quamvis hoc esset verum, quod tamen falsum esse demonstravimus in Philosophia, attamen præfata ratio eos semper urget. Inde enim etiam sequitur quòd aliquid notionale esset prius aliquô essentiali cujus contrarium receptum est apud Theologos:

Patet sequela: Quia productio verbi, si fiat per intellectionem, erit prior amore essentiali; intellectio enim amorem præcedit.

Confirmatur: nam si intellectio est actualis productio, pro quocumque instanti erit intellectio essentialis, etiam erit productio Verbi: Sed intellectio necessariò præcedit amorem essentialem: Ergo sequitur quòd si Verbum producatur per intellectionem essentialem, ejus productio præcedit eum amorem, adeoque aliquid notionale est prius essentialibus, quod repugnat.

Pater non est sapiens sapientiâ genitâ.

Tertiò denique probatur eadem Conclusio: Si Verbum esset terminus divinæ intellectionis, ut intellectio est, sequeretur Patrem esse formaliter intelligentem Verbô; atque ita formaliter sapientem sapientiâ genitâ: Sed consequens est contra sanctos Patres & Doctores: Ergo &c. Patet sequela majoris: Quia Pater est intelligens formaliter, atqui intelligens formaliter intelligit intrinsecô terminô suæ intellectionis, quando talem terminum sibi vindicat intellectio; idcirco enim Thomistæ affirmant à nobis produci Verbum per intellectionem, ut per illud intelligatur objectum. Minor patebit infra & sufficienter probatur per S. August. lib. 15. de Trinit. cap. 7. *In illa Trinitate*, inquit, *quis audeat dicere Patrem nec seipsum, nec Filium, nec Spiritum sanctum intelligere nisi per Filium? ..... Si enim ibi solus Filius intelligit, ut intelligentia sit & sibi & Patri & Spiritui sancto, ad illam reditur absurditatem, ut Pater non sit sapiens de seipso, sed de Filio, nec sapientia sapientiam genuerit, sed eâ sapientiâ Pater dicatur sapiens esse quam genuit. Ubi enim non est intelligentia, nec sapientia esse potest, ac si per hoc Pater non intelligit ipse sibi, sed Filius intelligit Patri, profectò Filius Patrem sapientem esse facit.*

XII. *Objiciunt primò* Thomistæ varias sanctorum Patrum authoritates quibus insinuare videntur nos intelligendo & cogitando dicere in corde, & producere verbum mentis; ex quo Verbi divini similem productionem colligunt: In primis sanctus Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 10. *Etsi*, inquit, *verba non sonent, in corde suo utique dicit quid cogitat.* Quod utique probat variis Scripturæ textibus, maximè verò Sapientiæ 2. DIXERUNT APUD SE COGITANTES NON RECTÈ *Matth.* 9. DIXERUNT INTRA SE HIC BLASPHEMAT, *qua dictio statim explicatur cùm subditur,* CÙM VIDISSET IESVS COGITATIONES EORUM: *Item cap.* 15. COGITABAT INTRA SE DICENS: *Et Luca* 5. CEPERUNT COGITARE DICENTES. Ex quibus concludit S. Augustinus: *Quædam ergo cogitationes loquutiones sunt cordis*: Et infra *Intus cùm cogitamus loqutio & visio unum est.. .... Formata quippe cogitatio ab ea re quam scimus Verbum est quod in corde dicimus.* Asserit autem ibidem hoc esse transferendum ad Verbum divinum dicens, *Quisquis hoc intelligere potest, nempe nos cogitando dicere verbum mentale, jam potest videre per hoc speculum atque in hoc Ænigmate aliquam Verbi illius similitudinem de quo dictum est* IN PRINCIPIO ERAT VERBUM. Ipsi concinunt S. Fulgentius l. 1. ad Monimum cap. 7. *Sic est*, inquit, *Verbum apud Deum, sicut est in mente Verbum, sicut in corde consilium: cùm enim mens apud se Verbum habet, utique cogitando habet, quia nihil aliud est apud se dicere, quàm apud se cogitare*: Nec-non & sanctus Anselmus in Monologio cap. 28. *Hæc*, inquit, *ipsa locutio nihil aliud potest intelligi quàm ejusdem Spiritus intelligentia quâ cuncta intelligit, quid enim est aliud illi rem loqui aliquam hôc loquendi modô quàm intelligere?* Quamvis statim in eodem capite & sequenti 29. restringat hanc locutionem ut sit ipsum Verbum genitum. Rursus cap. 34. *Idem est*, inquit, *summo spiritui scire quod intelligere, seu dicere*: Et cap. 46. circa med. *Rem cogitare cujus memoriam habemus, hoc est mente eam dicere.*

Cæteri Patres præter unicum Augustinũ non ita exactè expenderunt naturam Verbi mentalis

Respondeo SS. Patres his & similibus loquendi modis nihil aliud velle, quàm quòd dicamus & loquamur mentaliter quando aliud cogitamus, sive interim illa cogitatio sit illa actio quâ producitur Verbum mentis, sive illius verbi in intellectu formalis receptio. Quod non ita exactè expenderunt præter unicum Augustinum, qui hæc subtiliùs inquirens etiam Doctori Subtili ansam præbuit, ut Verbi productionem à simplici cogitatione distingueret. Itaque cæteri Patres arbitrantes ad explicationem hujus mysterii sufficere, quòd sicut nos quando cogitamus intra nos effingimus rei cogitatæ imaginem, quæ Verbum mentis appellatur; sic Deus Pater suam essentiam concipiendo efformat Verbum sibi consubstantiale, quam Verbi conceptionem impropriè cogitationem & intellectionem appellant; ita quòd simplicem cogitationem cum vera dictione interna confundunt. Quam etiam sermonis improprietatem notavit S. Thomas 1. part. quæstione 34. art. 1. ad secundum & tertium, & apertè colligitur ex ipsomet S. Anselmo locô laudatô; nam cap. 58. ait, *Sicut Pater est intelligens, & Filius est intelligens, & Spiritus Sanctus est intelligens; ita Pater est dicens, & Filius est dicens, & Spiritus sanctus est dicens.* Quibus apertè confundit dictionem cum intellectione simplici; certum est enim quòd Filius & Spiritus sanctus sint reverà intelligentes sicut Pater, intellectione videlicet essentiali, non verò sunt dicentes dictione productiva Verbi.

Dictio & Verbum spectari possunt vel in fieri vel in facto esse.

Ad sanctum Augustinum autem dico eum esse intelligendum de dictione & locutione quasi in facto esse, ita quòd quemadmodum Verbum exteriùs prolatum his vocabulis, locutio, dictio, dictum, Verbum tanquam Synonimis appellatur, licèt propriè locutio & dictio, sint expressio seu productio Verbi, & quasi Verbum in fieri; ita locutio interna sumitur aliquando pro cogitatione quasi in facto esse, quæ cogitatio sic usurpata, est ipsum Verbum productum: Unde sanctus Augustinus post verba superiùs laudata subdit: *Formata cogitatio ab ea re quam scimus Verbum est.*

Objiciunt 2. Omnis operatio intellectus est intelligere: Sed dicere seu loqui mentaliter est formaliter operatio intellectus: Ergo dicere seu loqui mentaliter est intelligere. XIII.

Distinguo majorem: Est intelligere vel radicaliter vel formaliter, concedo: formaliter tantùm, nego: Itaque omnis operatio intellectus dici potest intellectio radicaliter & denominativè, quia provenit à potentia intellectiva, non verò formaliter quasi esset reverà intellectio & formalis cogitatio; duplicem enim intellectus habet operationem, nempe dictionem productivam Verbi & intellectionem, quæ in creatis, est ipsa formalis Verbi producti receptio.

Urgebis:

Vrgebis: Si actio illa quam dictionem appellamus, non sit formaliter intellectio; non erit ab intellectu formaliter seu quatenus intellectus est, sed solùm quatenus potentia productiva est, & sic Verbum divinum tantummodo velut materialiter procedet ab intellectu, hoc est à principio quod realiter tantùm est intellectus, non verò formaliter: Sed consequens est falsum; si enim Filius non proveniat ab intellectu quatenus est formaliter intellectus, sequitur quòd ex vi suæ processionis non possit propriè appellari, *Verbum mentis Paternæ*, neque *procedere de memoria Patris*, neque *esse sapientiam de sapientia*, & *visionem de visione*, ut loquitur sanctus Augustinus libro 15. capite 7. & 13. Ergo, &c. Probatur major; intellectus enim non est intellectus formaliter, nisi quatenus sese explicat in actum intelligendi, qui est actus adæquatus intellectui quatenus intellectus est.

Verbum procedit ab intellectu quatenus intellectus est saltem radicaliter.

Distinguo majorem: Non erit formaliter ab intellectu quatenus intellectus est seu quatenus producit actum qui sit formaliter intellectio, concedo: quatenus producit actum qui sit intellectio saltem radicaliter, nego. *Probationem* similiter distinguo: adæquatus actus intellectus est intellectio, vel formaliter, vel radicaliter, concedo; formaliter tantùm, nego. Adde quòd retorqueri possit in Adversarios argumentum; nam intellectio, ut intellectio est formaliter, non est dictio: at ipsi fatentur Verbum divinum non procedere ab intellectione divina quatenus intellectio est formaliter; hæc enim communis est tribus divinis personis; Sed tantùm quatenus modificata est in primo supposito, & appellatur *Dictio*: Ergo præfatum argumentum magis in eos quàm in nos militat. Nec inde sequitur Filium non rectè Verbum, neque sapientiam, & visionem de visione, &c. appellari; imò suam Verbi appellationem habet à memoria fœcunda Patris à quo per dictionem producitur, & rectiùs nominatur Verbum quàm si fieret per intellectionem; sic enim non Verbum prolatum, sed tantùm cogitatio vel intellectio Patris esset dicendus: Verbi autem appellationem sequuntur cæteræ præfatæ ipsius denominationes quæ Verbo sunt synonimæ.

Filius rectiùs nominatur Verbum à dictione quā ab intellectione.

XIV. *Objiciunt* 3. Divinæ processiones non solùm sunt personarum productiones, sed etiam communicationes naturæ actuumque essentialium: Processio enim debet continere in fieri quidquid terminus per eam productus continet in facto esse: At Verbum productum continet naturam & actus essentiales: Ergo illius processio etiam divinam naturam, & actum essentialem intelligendi debet continere, adeoque non alia debet esse quàm ipsamet divina intellectio.

Respondeo equidem divinam processionem in fieri continere & veluti communicare essentiam, & actus essentiales; sed nego exinde sequi eam propterea esse debere formalem illum actum intelligendi, hac enim ratione filii productio etiam dici posset actus volēdi; etenim in Filio non solùm est Essentia divina, & actus essentialis intellectus Paterni, sed est etiam actus essentialis voluntatis ejusdem: Si ergo ad hoc ut Filius habeat actum illum intellectus Paterni vi suæ processionis, opus est ut ipse actus in ejus processione formaliter includatur; etiam opus

Licet processio communicet essentialia, non tamen ipsa est actus essentialis.

A erit ut actus voluntatis in ea formaliter includatur, utpote cùm habeat totam essentiam, & essentialia vi suæ processionis. Idem dici potest de Spiritu sancto. Non itaque idcirco essentialia Filio communicantur quia ejus processio est actus essentialis, sed quia essentia ipsa est alterum comprincipium *quo* hujus partus & productionis.

Sed tantùm essentia est comprincipium *quo* huius productionis.

Adde quòd si vera esset Adversariorum illatio, etiam concluderet Essentiam divinam formaliter in dictione includi, quia Filius ex vi processionis suæ non minùs habet Essentiam divinam, quàm divinam intellectionem: hanc autem sequelam nullus Theologorum admittit: Ergo nec admittere debet antecedens.

B XV. *Objiciunt* 4. Si intellectio præsupponeretur dictioni, & esset quid commune tribus personis, sequeretur quòd Pater non magis seipsum cognosceret in Verbo, quàm ipsum Verbum & Spiritus sanctus, dicerentur intelligere se in Verbo: at hoc est contra communem assertionem Theologorum dicentium Verbum repræsentare essentiam Patri, quò fit ut illius imago appelletur: Ergo, &c. Patet sequela, quia si Pater intelligit intellectione essentiali quæ non sit dictio formaliter, jam aliæ personæ erunt ipsi pares; siquidem etiam intellectione essentiali divinam essentiam intelligent, & sic cognoscent in Verbo, &c.

C *Distinguo sequelam:* Non magis Pater diceretur seipsum cognoscere in Verbo, ratione operationis, concedo: ratione repræsentationis, nego: Etenim quando dicitur quòd Pater divinus seipsum cognoscat in Verbo, non est sensus quòd per productionem Verbi suam cognoscat essentiam, aliàs esset sapiens sapientiâ genitâ; quod falsum esse supra dictum est ex S. Augustino: Sed sensus est quòd Pater dederit Filio vim repræsentandi illam essentiam tanquam suum Verbum, non verò Verbum aliarum personarum. Quemadmodum ergo Verbum creatum ipsi loquenti exprimit objectum; D ita in divinis, licet Verbum non sit in dicente per modum informātis sicut est in creatis, habet tamen ab eo peculiarem habitudinem, quâ fit ut magis ipsi quàm cæteris personis divinam essentiam repræsentare dicatur.

Quomodo Pater seipsum cognoscat in Verbo.

XVI. *Objiciunt* 5. Idcirco Doctor Subtilis distinguit dictionem ab intellectione essentiali, ne scilicet Verbum dicatur procedere per operationem essentialem intelligendi tribus personis communem: Sed recurrit eadem difficultas admittendo actum in intellectu divino, ab intellectione essentiali distinctum: Ergo incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. Probant minorem: Illa actio formaliter ex natura rei ab essentiali in- E tellectione distincta, est in ratione actionis actus absolutus, sicut est intellectio ipsa: Ergo in ratione actionis communis est, & essentialis, sicut & ipsa intellectio. Consequentia patet, antecedens probatur: Actio illa in ratione actionis ab intellectu dimanantis non est formaliter relatio, hæc enim nec productiva est nec per modum actionis egreditur ab intellectu, cùm sit terminus divinæ naturæ ipsam in ratione personæ constituens: Ergo talis actio sub conceptu actionis, est quid absolutum sicut & intellectio; nam in Deo quidquid non est relativum, est absolutum & pertinet ad essentialia, ac proinde sequitur ex sententia Scoti quòd Pater per actum absolutum tribus personis communem

Dictio non est actus absolutus in ratione actionis.

suum Verbum producat, quidni ergo idem posset concedere de ipso intelligere essentiali, ne frustrà multiplicentur actiones in Deo.

Nego minorem: Nec-non & majorem illius probationis: *Dictio* enim divina est reipsa illa formalitas constitutiva primi suppositi; adeoque ipsamet relatio Paternitatis: non quidem quatenus consideratur sub præcisa ratione relationis referentis unum ad aliud, sed prout est illa ipsa operatio divina quâ primum suppositum suam existentiam & essentialia sua communicat secundo supposito, ad quod propterea refertur tanquam generans ad genitum: Unde actio generativa in divinis dici potest formaliter relatio secundùm adæquatam entitatem, etsi non sit formaliter relatio secundùm inadæquatam entitatem, & diversam connotationem; unica enim & eadem formalitas constitutiva primi suppositi varias sortitur appellationes propter diversam connotationem terminorum, & varia munia: Primò namque constituit primam personam subsistentem incommunicabiliter: Deinde constituit principium potens producere, ut *quod*: Tertiò tribuit activam generationem sive dictionem, ac denique Patrem constituit actualiter & quasi prædicamentaliter relatum ad Filium.

Dictio est constitutiva Patris.

Quæ varias sortitur appellationes propter diversos respectus.

Conclusio Tertia.

XVII.

REvera *Verbum divinum procedit per* DICTIONEM, *& Spiritus sanctus per* SPIRATIONEM ACTIVAM. Hæc est Doctoris Subtilis sententia, *Locis laudatis in priori conclusione*: Et veritas hujus sequitur ex præcedenti; etenim si Verbum & Spiritus sanctus non procedant per actus formales intellectionis & amoris essentialis sive formaliter, sive modificatè consideratos, consequens est quòd necessariò procedere debeant per actus dicendi & spirandi; alii namque in divinis excogitari non possunt.

Verbum divinum procedit per dictionem & Spiritus sanctus per spiratione.

Probatur insuper Conclusio à Doctore in 1. d. 2. q. 7. n. 15. primò quidem authoritate S. Augustini docentis ubique Verbum tam divinum quàm nostrum produci à memoria fœcunda, non verò ab intelligentia: Sed memoria fœcunda productiva est per dictionem, non verò per intellectionem: Ergo ex sententia S. Aug. Verbum divinum reverà procedit per dictionem distinctam ab intellectione. Major patet, nempe quòd Verbum tam divinum quàm nostrum à memoria fœcunda procedere doceat S. Aug. id enim expressè habet lib. 15. de Trinit. c. 10. ubi de Verbo à nobis producto ita loquitur: *Necesse est cum Verbum loquimur ex ipsa scientia quam memoria tenemus nascatur Verbum: formata quippe cogitatio ab ea re quam scimus Verbum est quod in corde dicimus:* Dixerat autem paulò ante ex hac nostri Verbi similitudine detegi posse productionem Verbi divini: *In hoc speculo*, inquit, *atque in hoc ænigmate videri aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum est* IN PRINCIPIO ERAT VERBUM: Utrumque verò tam divinum quàm nostrum Verbum à memoria fœcunda procedere satis apertè indicat ibidem cap. 14. *Verbum nostrum*, inquit, *illud quod non habet sonum, inde utcumque simile est in hoc ænigmate illi Verbo Dei quod etiam Deus est, quoniam sic & hoc de nostra scientia nascitur, quemadmodum & illud de scientia Patris natum est.*

Vt pluribi docet S. August.

Minor similiter est evidens: Intelligentia enim circa objectum percipiendum, memoria verò fœcunda circa Verbum producendum versatur;

A illa in simplici objecti visione, hæc in termini sui productione detinetur; illa sola est operatio divinitatis quâ personæ divinæ suam essentiam & seipsas comprehendunt, hæc est dictio & productio quâ Pater Filium generat sibi omnino æqualem vi suæ processionis & productionis. Quæ hanc adversus conclusionem possent objici, jam soluta sunt in præcedenti & solventur in sequentibus.

Rogabis an actus intelligendi præsupponatur ad actum dicendi in divinis?

Affirmant communiter Scotistæ: Tum quia id perspicuè videtur asserere Doctor Subtilis in 1. dist. 2. q. ultima, ut jam observatum est in primo notabili: Tum quia essentialia priora sunt B quàm notionalia, intelligere autem est quid essentiale, dicere verò quid notionale: Tum denique quia ex ratione principii perfecti est ut priùs habeat suam ultimam perfectionem quàm producat: Intelligere autem & velle videntur esse ultimæ perfectiones Deitatis, ideoque prius oportet quod persona divina sit intelligens & volens quàm ex fœcunditate naturæ producat Verbum. Secus autem contingit in creatis ubi dicere præcedit intelligere, quoniam intellectus creatus non est formaliter intelligens nisi per receptionem Verbi producti per ipsam dictionem. XVIII.

C Nihilominus reclamant aliqui, quibus subscribit Baronius noster Apolog. 2. act. 4. circa finem, affirmans in Patre priorem esse dictionem intellectione & volitione; quia inquit dictio est constitutivum Patris, nihil autem est prius in aliquo quàm sit id per quod constituitur; nihil enim potest esse in aliquo priusquã illud sit, nec potest illud esse priusquàm in esse constituatur, nec potest constitui nisi per principium sui constitutivum; adeoque nihil potest esse in Patre priusquàm Pater constituatur in suo esse Patris: Non constituitur autẽ in illo esse nisi per dictionem, quæ ut supponitur est ipsamet generatio activa: Unde concludit quod quamvis absolutè in Deo prius sit intelligere quàm dicere, tamen in Patre prout in Patre reduplicativè prius est D dicere quàm intelligere; sicut quamvis animal sit prius quàm rationale, tamen prout est in homine prius est rationale quàm animal; unde cùm Pater constituatur in esse Patris per dicere, necessum est quòd priùs dicat quàm intelligat, quia prius est Patrem esse quam intelligere.

Nonnulli Scotistæ affirmant dictionem in Patre priorem esse intellectione.

Verùm reclamant cæteri Scotistæ cum Rada prima parte Controvesiâ 12. art. 3. Tum quia ex Doctore Subtili Pater priùs est beatus quàm generet: Beatitudo autem vel est in intellectione, vel in volitione, vel in utroque: Ergo prius intelligit essentiam suam Pater divinus quàm dicat & producat Verbum suum. Tum quia quoties aliqua necessarium ordinẽ servant inter se, E eundem necessariò servant ubicũque inveniuntur: Sed intelligere secundùm se est prius quàm dicere: Ergo etiam in Patre intellectio dictionem præcedit; nec juvat exemplum animalis. Falsum enim est quòd in homine prius sit rationale quàm animal; nam utrumque concurrit ad constitutionem hominis; animal quidem ut prædicatum superius, rationale verò ut prædicatum inferius: Ita à pari intelligere & dicere simul constituunt Patrem; intelligere quidem ut prædicatum superius, dicere verò ut prædicatum ultimum, ideoque hoc illud supponit. Tum denique quia quidquid sequitur ad prædicatũ notionale XIX.

Sed alii tertiùs negant.

non communicatur aliis personis; est enim proprius personæ divinæ character : Sed intelligere divinum communicatur pluribus, & transit ad omnes personas divinas : Ergo non supponit dictionem quæ est prædicatum notionale, sed præcedit.

Quæstio Quarta.

An, & quæ Processio in Divinis sit generatio ?

I.

Fide constat in Deo esse generationem.

Vt indicat S.Scriptura

Fide divina certum est in divinis admittendā esse generationem; id enim clamant Scripturæ utriusque Testamenti, quibus ipsa divina generatio expressè asseritur. Sic Psal. 2. *Ego hodie genui te:* Psal. 109. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Isaiæ ultimo, *Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam ?* Confirmant & omnes illi textus, maximè novi Testamenti, quibus attribuitur Deo Filius; Filiatio namque infert certissimè generationem. Suadent & omnia illa divina oracula, quibus Christus Dominus *Filius Dei vivi* pronuntiatur; & ipsemet Deum *Patrem suum* constanter appellat. Itaque de veritate generationis divinæ non est relictus ambigendi locus : Sed grandis gravisque remanet solvenda difficultas an utraque divina processio tam Verbi quàm Spiritus sancti vera dicenda sit generatio; an-ve sola Verbi emanatio veræ perfectæque generationis nomen sibi vindicet. Quocirca

II.

Qualiter autem fiat, est explicatu difficilimum ut SS. Patres constanter edocent.

Tam Græci, præsertim

Athanasius

Nazianzenus

Notandum 1. Eam fuisse veterum Patrum sententiam, reverà quidem in Deo admittendam esse aliquam generationem, quâ verè propriéque *Pater* sit & appelletur ille qui genuit; & qui genitus est, reverà sit & nominetur *Filius*. Qualiter autem fiat illa generatio, & qua de causa unica ex divinis personis productis *Filius* appelletur; censuerunt non esse accuratiùs explorandum : *Indecorum enim est*, inquit sanctus Athanasius Orat. 3. *quærere quomodo ex Deo Verbum existat, aut quomodo sit Dei splendor, aut quomodo generet Deus & quis sit modus generationis Dei. Insanus enim sit qui talia audeat, cùm inexplicabilem rem, ac divinæ naturæ propriam, solique ipsi & ejus Filio cognitam oratione sua declarare conetur.* Ei concinit Nazianzenus Orat. 1. de Filio, *Quomodo genitus est,* inquit, (*idem enim indignabundus repeto*) *Dei generatio honoretur silentiô : Abundè tibi magnum est scire eum esse genitum: Quo autem modo genitus sit, ne ipsis quidem Angelis nedum tibi intelligere concesserim, vis declarem quomodo ? Vt sit Pater qui genuit & Filius qui genitus est. Quod supra hæc est, nube tegitur, & hebetudinem tuam effugit.* Ipsi præiverat Irenæus capite 48. qui illud usque adeo ignotum esse dicit, ut id sciant, *Neque Angeli, neque Archangeli, neque Principes, neque Potestates, nisi solus qui generavit Pater, & qui natus est Filius. Inenarrabilis itaque generatio ejus cùm sit, quicumque nituntur generationes, & prolationes enarrare, non sunt compotes sui, ea quæ inenarrabilia sunt enarrare promittentes.*

Irenæus.

Quàm Latini.

Præcipuè

Ambrosius.

Eadem fuit Patrum Latinorum sententia. Nam sanctus Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 5. dicit, *Impossibile esse generationis istius scire secretum :* Et rursus, *Licet scire quòd natus sit, non licet discutere quemadmodum natus sit : illud negare mihi non licet; hoc quærere metus est.* Et ibidem hanc inquisitionem nominat *quæstionum tormenta.* Ei subscribunt sanctus Augustinus plutibi, maximè verò libro 3. contra Maximinum cap. 14. & 15. de Trinit. cap. 27. & Tractatu 99. in Joannem ubi ait, *Quid illic intersit inter* PROCEDERE *&* NASCI, *longum est quærendo differere; & temerarium cùm differueris definire, &c.*

Augustinus

Nihilominus pium est & utile humiliter ac sobrié disputando quærere rationem discriminis, quô generatio Verbi à processione Spiritus S. distinguitur; dummodo illa ipsa disputatio Fide primariò nitatur, & secundariò clarior appareat naturali ratione, quæ fidei serviat ut ancilla; eoque consiliô disputatio suscipiatur ut palam fiat vanas & Sophisticas esse contra hoc mysterium Hæreticorum objectiones. Unde meritò sanctus Justinus martyr in expositione fidei de Trinitate postquam ostenderat, *Nullô modô nos posse penetrare ad divinam Essentiam nec ad ejus mysteria :* Subdit, *Non debemus tamen in totum ab ea quærenda desistere; sed pro sua quisque portione accepta à Domino scientia strenuè rem examinet, certus non quidem exactè se percepturum; profuturum tamen per hujusmodi contemplationem accedendo ad illum propiùs.*

III.

Generatio viventium triplex.

Notandum 2. Generationem viventium triplicem distingui posse; accipitur enim *Primò*, pro cujuslibet viventis productione sive interim talis productio fiat à vivente sive non; sive à causa ejusdem naturæ cum effectu, sive à diversa, & sic productio animalium è putri materia Solis aut ignis beneficiô, dici potest generatio. Sic formatio Adami ex limo terræ & Evæ ex costa ipsius Adæ generationis nomen sortiri potest, terminus enim talium productionum est substantia vivens.

Quatuor ad generationem desideranda.

Secundò, Strictiùs generationis nomen accipitur, scilicet pro productione viventis à vivente, qualiter accepta solito describitur : *Origo viventis à vivente medio principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ.* Quæ descriptio quatuor involuit particulas ad generationem desiderandas. 1. Ut sit *Origo viventis* quia nativitas pertinet tantùm ad viventia. 2. *A Principio vivente* ut à perfecta generationis acceptione arceantur productiones viventium ab igne, Sole & aliis causis vitæ expertibus. 3. *A Principio vitæ conjuncto*, id est, ut id per quod genitum producitur, fuerit aliquando generanti viventi conjunctum; genitum enim fit per semen à generante vivente decisum : Qua ratione productio Adæ dici nequit generatio; quia licèt fiat à Deo vivente, non tamen fit per substantiæ divinæ decisionem & communicationem. 4. *In similitudinem naturæ* non quidem individuæ; genitum enim aliquando genitori suo in perfectionibus tum substantialibus cùm accidentalibus prorsus absimile cernitur : Sed in similitudinem naturæ vel genericæ, scilicet animalis ab animali, qualis est generatio muli ex equo & Asina; vel specificæ, qualis est generatio hominis ab homine.

Tertiò denique : Generatio viventium spiritualium strictissimè sumpta describi potest: *Origo viventis intelligentis à vivente vitâ intelligentiæ mediante principiô vitæ intelligentiæ conjunctô.* Quibus comprehenditur generatio omnium hominum, & excluditur animantium, ac plantarum productio; Hanc autem genera-

tionis descriptionem Verbi divini productioni congruere probat Doctor in primum *dist.* 5. *q.* 1. *num.* 3.

IV. *Notandum* 3. Duplicem maximè differentiam assignati posse inter actum intellectus & voluntatis: Prima est quòd omnis actus voluntatis sit liber, saltem libertate essentiali, quæ consistit in ordine quem dicit actus ad principium se se eligibiliter & delectabiliter determinans ad actum: Actus autem intellectûs non sit liber sed naturalis, quæ naturalitas consistit in eo quòd actus proveniat à principio naturâ suâ determinato ad actum; quod quidem discrimen statuit Doctor in 1. dist. 10. ut fusiùs patebit infra dum expressè agemus de libera Spiritus sancti processione.

Duplex differentia inter actum intellectus & voluntatis.

Secunda differentia est quòd actus intellectûs habeat rationem imaginis & similitudinis repræsentantis suum objectum, quod est ejusdem actus principium, cum ipso intellectu; Per objectum enim, vel per speciem ab objecto, quasi ejus semen exceptam, intellectus redditur fœcundus ad concipiendum Verbum mentale, quod est imago objecti: Actus autem voluntatis non habet illam rationem imaginis & similitudinis repræsentantis objectum suum, sed habet rationem inclinationis & propensionis in objectum, ut observat S. Thomas 1. p. q. 27. art. 4. Quam quidem amoris propensionem explicat similitudo unionis seu vinculi quô amans dicitur conjunctus amato, vel esse in illo, & quasi pondere quodam in illud ferri, unde S. Dionysius cap. 4. de divinis Nominibus amorem appellat *virtutem unitivam*, cui concinit S. August. lib. 8. de Trinit. cap. 10. *Quid est amor*, inquit, *nisi quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens amantem scilicet, & quod amatur?* Et lib. 13. Confessionum, cap. 9. *Pondus meum amor meus; eò feror quocumque feror*: Subscribit & S. Bernardus serm. 83. in Cantica, ubi de Charitate ait: *Verè spiritualis sanctique connubii contractus est iste: Parum dixi contractus: complexus est, complexus planè ubi idem velle, & nolle idem, unum facit Spiritum de duobus*, &c.

Quæstio tripartita. His ita prælibatis tria maximè hac in quæstione sunt resolvenda: 1. Quòd Verbi divini productio sit vera generatio. 2. Quòd processio Spiritus sancti non sit dicenda generatio. 3. Inquirenda est hujus discriminis causa, & proferenda genuina ratio quare Filii processio, non ita Spiritus sancti, appelletur generatio.

CONCLUSIO PRIMA.

V. VERBI *divini processio est verè ac propriè dicta generatio*: Hæc est de fide quoad utramque partem; id namque apertè definitum est in Conciliis Nicæno, Ephesino, Toletano, &c. in illis confessionibus fidei, quibus secunda divinæ Trinitatis persona *Filius*, *genitus*, & ab æterno Patre *natus*; non autè factus nec creatus asseritur. Colligitur pariter ex variis Scripturæ sacræ locis, quibus, ut supra diximus, nedum in divinis probatur esse vera generatio; sed etiam illa ipsa divini Verbi processioni tribuitur; sic Psalmo 2. *Filius meus es tu: Ego hodie genui te*, quem quidem textum S. Paulus Epist. ad Hebræos explicat de æterna Christi Domini generatione.

Verbi divini productionem esse veram generationem

Probatur ex Conciliis.

Scriptura sacra.

Insuper ex illo Psalmo 109. *In splendoribus Sanctorum ante Luciferum genui te.* Quod quidem divinum Oraculum non de temporali Christi Domini nativitate interpretandum venit, ut quidam rentur; qualiter enim ante luciferum genitus diceretur, qui solùm in medio temporum natus est; sed de illa ipsa divina generatione, cujus æternitas character & principium illô ipsô Oraculô exaratur: *Character* quidem cùm dicitur *in splendoribus Sanctorum*, quô designetur eum esse genitum per fœcunditatem luminis seu divini intellectus Deitatis cognitione fœcundati; unde etiam in Symbolo Nicæno rectè dicitur *lumen de lumine*, Æternitatem verò explicant sequentia verba *ante Luciferum*; Hoc est, non solùm ante creaturæ cujusque productionem; sed etiam ante earum æternam ordinationem & decretum de ipsis condendis: Hinc divina illa Sapientia, Prov. 8. de seipsa dicit, *Ab æterno ordinata sum, antequam quidquam faceret à principio; nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram*: Principium denique illius originis & nativitatis designatur per sequentia verba *ex utero genui te*; scilicet ex memoria fœcunda, per cujus actum Pater communicat substantiam suam Filio: Unde quidam non immeritò arbitrantur his in verbis latere mysterium, videlicet Patrem divinum propter summam generationis perfectionem, tam Patris quàm Matris officio fungi: Matris quidem, ut indicat hæc particula *ex utero*; Patris verò, ut significat ista *genui te*: Unde eum Synesius doctè sapienterque *Patri-Matrem* appellat, hoc est, Patris & Matris vices agentem in productione sui Filii.

VI. *Probatur etiam ratione*: Illa processio verè propriè que dicenda est generatio, cui tres ad perfectam generationem desiderandæ conditiones congruunt: At illæ omnes conveniunt æternæ Verbi productioni; Primò namque processio Verbi divini *est processio viventis à vivente*, Filii scilicet habentis vitam in semetipso à Patre vivente sibi communicatam, juxta illud Joannis 5. *Sicut Pater habet vitam à semetipso, ita dedit & Filio vitam habere in semetipso*: Ubi quidem D. Augustinus Tract. 22. in Joannem distinguit duos modos habendæ vitæ, primus est *à semet-ipso*, qui soli Patri convenit; sicut enim est à se, ita habet vitam non tantùm in semetipso, idest subsistentem, sed etiam à semet-ipso, & non ab alio: Secundus est habete vitam *in seipso* subsistentem & non à seipso, & hic convenit Filio habenti vitam à Patre. Secundò procedit *à principio vivente vitâ intelligentiæ*: Siquidem Deus Spiritus est, cujus vivere intelligere est; Verbum autem procedit per vim intellectivam, sive per intellectum fœcundum, adeoque verè & propriè dicitur procedere à principio vivente vitâ intelligentiæ.

Nec-non & ratione. Quia scilicet processio Verbi habet omnes conditiones ad veram generationem requisitas.

Præterea eadem processio est *à principio conjuncto*; Principium enim productivum Verbi manet ipsi conjunctum, cùm totam in ipsum Pater effundat naturam & substantiam suam, quod significatur his verbis *ex utero*; Nam ut inquit S. Augustinus lib. 2. contra Maximinum *Ideo nasci dicitur ex ejus utero quia de seipso, hoc est, de substantia sua Deus Deum genuit: sicut ex utero Matris quando natus est, homo hominem genuit: ut intelligeremus in utraque generatione non diversas ejus qui natus est & eorum de quibus natus est, esse substantias.* Quam veritatem luculenter etiam sic expendit Victor Episcopus in professione fidei ad Huneticum, quæ stat Tomô 4. Bibliothecæ Pattum. *Profitemur itaque Pa-*

trem, inquit, *de seipso, hoc est de eo quod ipse est sempiternè atque ineffabiliter Filium genuisse, non extrinsecùs, non ex nihilo, non ex alia genuisse materia, sed ex Deo natum esse; & qui de Deo natus est non aliud est quàm idquod Pater est.* Concinit & Conc. Toletanum 11. dicens. *Nec enim de nihilo, neque de aliqua substantia; sed de Patris utero, idest de substantia ejus idem Filius genitus vel natus esse credendus est.*

Denique eadem processio est *in similitudinem naturæ*, eamque perfectissimam, nam ad Colossenses primò Filius dicitur *Imago Dei*: Et ad Hebræos primò appellatur *Splendor Patris & figura substantiæ ejus.* Imò nedum est in similitudinem specificam, qualis est perfecta generatio viventium; sed & numericam & identicam; Siquidem Pater divinus eandem numerò suam naturam æterna generatione Filio suo communicat; unde meritò Joannis 2. Filius ipse pronunciat, *Ego & Pater unum sumus*, non quidem unitate Personæ, ut dictum est, sed unitate substantiæ & Divinitatis.

VII. *Dices* 1. Processio Verbi divini fit per intellectum: Sed intellectus ex ratione sua non est generativus, imò est non generativus; nec enim Angeli neque homines per intellectum sibi similes procreant: Ergo divini Verbi productio non est generatio.

Licet intellectus creatus non sit generativus, secus tamen in divinis.

Distinguo minorem: Intellectus non est generativus in creatis, concedo: in divinis, nego: Cùm enim Verbum creatum sit tantùm accidentale, minimèque sit consubstantiale intellectui fœcundo illius productivo; adeoque non sit univoca ejus conceptio: Inde fit quòd nec propriè, nec realiter, sed solùm similitudinariè & intentionaliter sit quædam generatio; quatenus nempe producit terminum qui sit imago quidem objecti, sed imperfecta propter scilicet intellectus producentis limitationem & finitatem, ratione cujus non habet virtutem eliciendi adæquatam omnino & perfectam objecti similitudinem. Secus autem est de Deo; cùm enim intellectus diuinus sit infinitus & illimitatus, non potest non producere Verbum, intellectui ipsius fœcundo, hoc est conjuncto cum essentia divina primario ejus objecto, per omnia adæquatum & consubstantiale; adeoque nedum similitudinariè, sed etiam verè & realiter Verbi productio est generatio.

VIII. *Dices* 2. Ut aliqua productio veræ generationis nomen obtineat, debet producere terminum similem producenti ex vi actionis quâ ipsum producit: Sed Pater æternus id non præstat producendo Filium; Verbum enim ab eo productum, non fit ei simile in natura ratione actionis productivæ nempe dictionis; sed ratione objecti concurrentis ad eam productionem cum intellectu, cujus quidem objecti Verbum productum est expressio & similitudo.

Productio Verbi intellectui potius quàm objecto est tribuenda.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico: Quòd licèt duo concurrant ad integrandam memoriam fœcundam, nempe intellectus & objectum, tamen intellectus ipse cùm sit agens, seu producens, dicitur formare similitudinem objecti dum Verbum producit; adeoque illa productio magis ipsius actioni, quàm concursui objecti, tribuenda est.

Instabis: Ut Filius divinus assimilaretur verè Patri producenti, deberet omnes ejus proprios characteres participare, adeoque deberet habere Paternitatem; hæc enim proprius est Patris character, qui eum in esse Patris constituit: sed id non obtinet; imò habet constitutivum, non solùm disparatum, sed oppositum; scilicet Filiationem: Ergo tantùm abest ut sit principio producenti similis, imò est omnino dissimilis, adeoque non est reverà genitus.

Ut Filius assimiletur Patri, non debet habere Paternitatem.

Distinguo majorem: Deberet habere proprios Patris characteres essentiales & compossibiles cum Filiatione, concedo: Notionales & incompossibiles cum Filiatione, nego. Nec enim necesse est ad perfectam generationem quòd genitus per omnia & in omnibus assimiletur genitori. Constat enim Filium in humanis, nedum habere Filiationem oppositam Paternitati, sed etiam suppositum & differentiam individualem, quâ realiter & personaliter à principio producente distinguitur. Ut ergo Verbum divinum principio sui productivo verè dicatur simile, non est necessum quòd omnes ejus characteres obtineat, sed sufficit quòd eandem cum eo habeat essentiam easdemque essentiales perfectiones.

IX. *Dices* 3. Idcirco divini Verbi productio diceretur reverà generatio, quia illum à Deo genitum esse Scriptura affirmat: Sed exinde colligere non licet eum esse verè genitum & productum de substantia Patris, & per communicationem illius ejusdem essentiæ: Ergo nec ejus productionem veram esse generationem affirmare licet. *Major* patet ex dictis. *Minor* probatur: Siquidem non solùm Verbum à Deo genitum, sed etiam homines eadem Scriptura pronuntiat, Deuteron. 32. *Deum qui te genuit dereliquisti*: Quod utique non significat homines fuisse productos de illa Dei substantia, nec eorum productionem esse veram generationem.

Deus non dicitur hominum genitor sive Pater, nisi latè & impropriè.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico: Verbum *generandi* in Scriptura sacra, sicut & apud Philosophos trifariam usurpari, scilicet latiùs, strictiùs & strictissimè, ut observatum est in 2. Notabili: Unde hominum productio dici potest generatio sumpta latiùs, quatenus nimirum est origo viventis à vivente in similitudinem saltem accidentalem naturæ: Verbi autem productio dicitur generatio strictissimè sumpta, siquidem fit per communicatam sibi divinam naturam quæ ad eum derivatur per principium naturaliter productivum, nempe per intellectum divinum; quocirca unus & verus est Deus cum Patre: *Tenet enim naturæ veritas proprietatem*, inquit S. Hilarius, *ut quod ex Deo est Deus sit, & nec demutatio sit nativitas nec diversitas; dum & Filius non in naturam externam, ac dissimilem Patri Deo subsistit; nec Pater alienum quid à se nativitati Unigeniti acquirens, sed universa potius quæ sua sunt sine damno impertiens indulsit.* Vel ut subdit lib. 11. *Nativitas Dei neque aliunde, neque aliud est: quæ si aliunde est, non nativitas est: Si verò aliud est, non Deus est. Cùm autem ex Deo Deus est, per id Deus Pater Deo Filio, & nativitatis ejus Deus est, & naturæ Pater: quia Dei nativitas & ex Deo est, & in ea genitus est natura quâ Deus est.*

Conclusio Secunda.

X. Sola *Filii productio, non item Spiritus sancti est vera generatio.* Hæc etiam est de fide, determinata in Conciliis Toletano 1. & 11. necnon & Nicæno pauló post medium, ubi ait: *Unus ingenitus Deus & Pater, unus ex eo genitus Filius, Deus, Verbum: Sicut non est alter Deus cum Deo & Patre ingenitus; ita neque congeni-*

Spiritus sancti productio non est vera generatio.

Ut constat 1. ex Conciliis.

tus, *neque prior nec posterior Filius diversus à Deo unigenito Filio ejus.* Secundò idipsum firmatur ex omnibus Symbolis: Primò quidem Apostolico, ubi Christus dicitur *Filius Dei unigenitus:* Nec-non & Nicæno quò credimus *in Iesum Christum Filium Dei unigenitum.* Item in Symbolo sancti Athanasii ab Ecclesia recepto, ubi solus Filius dicitur genitus; *Spiritus* autem *sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Et fidei Symbolis.

Firmatur etiam Scripturis sacris, nam si Spiritus sancti processio foret generatio, sequeretur Spiritum sanctum esse Filium genitum: Sed hoc apertè militat in Scripturam sacram, in qua Verbum divinum plerumque Filius Dei unicus & unigenitus prædicatur; sic Joannis ep. 1. c. 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit nobis:* Et 3. c. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*, & iterum, *Quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*: Nec refert quòd Joannes primo cap. pronuntiet se vidisse gloriam Verbi divini, *Quasi Vnigeniti à Patre*, illud enim *quasi*, non minuit gloriam; sed potiùs denotat veritatem & æqualitatem secundùm phrasim Hebraïcam; ac si diceret, tanta erat ejus gloria, quanta decebat unigenitum Filium Dei.

2. Ex Scripturis sacris.

3. Ex sanctis Patribus.

Confirmant eodem argumentò omnes omninò sancti Patres, qui Spiritum sanctum non esse genitum disertè pronuntiant. Sic S. Basilius lib. 3. contra Eunomium circa finem: *Spiritus sanctus*, inquit, *nec ingenitus, nec genitus quia unus Vnigenitus.* Idem habet Nazianzenus Oratione quinta de Theologia, *Nec Spiritus est Filius*, inquit, *quia ex Deo est, unus enim Vnigenitus*: Subscribit & Athanasius Dialogo 3. de Trinitate, *Dicitur*, inquit, *unigenitus quoniam solus ex essentia genitus est . . . . Nec enim scriptum est: Spiritus ex me genitus est, sed ex me procedit.* Hæc ipsa veritas firmatur ex dictis conclusione præcedenti, & patebit ampliùs ex dicendis in conclusione sequenti, in qua genuinam subjiciemus rationem cur Spiritus sancti processio non sit dicenda generatio.

XI.

Christus quatenus Deus & homo dicitur primogenitus negativè, non positivè.

Dices 1. Filius Dei plerumque in Scripturis sacris dicitur Primogenitus: Ergo alium habet posteriorem genitum, scilicet Spiritum sanctum; adeoque Spiritus sancti processio etiam dicenda erit generatio.

Respondeo ad antecedens aliquem dici posse Primogenitum duobus modis, scilicet negativè & positivè: *Negativè* quidem cùm negatur aliquis alius primogenitus nulla facta comparatione ad posteriores, seu non attendendo an sint aliqui posteriùs geniti: Sic autem Christus nedum quatenus Deus, sed etiam ut homo dicitur primogenitus tam ex Patre quàm ex Matre quia nullum habet natu priorem, licèt etiam nullum habeat posteriorem: Sic Matth. 1. Virgo sacra dicitur peperisse Filium suum primogenitum. *Positivè* verò is dicitur primogenitus qui nullum quidem habet priorem, habet tamen alios fratres natu minores; qua ratione Christus dici non potest primogenitus.

Instabis: Nedum Scriptura sacra affirmat Filium Dei esse primogenitum negativè, sed etiam positivè: Ergo nulla solutio. Probatur antecedens ex sancto Paulo ad Rom. 8. ubi Filius Dei dicitur *Primogenitus in multis fratribus:* Ergo, &c.

Respondeo aliquem dici posse primogenitum A positivè duobus modis, scilicet propriè vel metaphoricè: *Propriè* quidem cum posteriores geniti sunt fratres qui eandem cum natu majore fratre habent naturam ab eisdem parentibus communicatam: Qua ratione Christus Dominus dici non potest primogenitus nec secundùm temporalem, nec secundùm æternam generationem, quia nec Deus Pater, nec Virgo Mater alios Filios posteriores ita genuerunt. *Metaphoricè* verò, cùm scilicet posteriores fratres impropriè generantur & appellantur; suntque fratres non quidem per naturam, sed per adoptionem: Quo sensu Christus dicitur primogenitus in multis fratribus; habet enim plures B posteriùs genitos per gratiam adoptionis, quos propterea *Non confunditur vocare fratres*, inquit idem Apostolus ad Hebræos 2.

Nisi impropriè & metaphoricè.

Hanc ipsam veritatem luculenter explicat Concilium Ephesinum cap. 4. dicens: *Filius Dei nuncupatus est primogenitus & unigenitus; primogenitus comparatione ad Filios adoptivos, & unigenitus per exclusionem alterius Filii naturalis.* Unde August. lib. de fide & Symbolo cap. 4. sic habet: *Secundùm id quod unigenitus est non habet fratres, secundùm id autem quòd primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes qui post ejus primitias in Dei gratia nascimur per adoptionem Filiorum.*

XII.

C *Objicies* 2. Si quid suadeat Verbum divinum solum esse Dei Filium, maximè quia ut diximus, tum à Scriptura sacra, tum à Conciliis Unigenitus affirmatur: Sed inde colligere non licet eum non habere alios fratres etiam reverà & propriè genitos: Ergo, &c. Probatur minor ex illo Proverbiorum 4. ubi Salomon dicit se Unigenitum matris suæ, cùm tamen quatuor fratres habuerit: Nam 1. Paralipomenon cap. 3. dicitur quòd Davidi nati sunt in Jerusalem quatuor de Bersabee, qui 2. Regum cap. 5. dicuntur filii David: Ergo ex eo quòd Filius divinus dicatur unigenitus, non propterea sequitur illum propriè non habere fratres.

Salomon non dicitur absolutè unigenitus.

D *Respondeo* Salomonem non dici absolutè unigenitum Matris suæ; sed coram matre sua, seu dilectum in facie matris suæ, ut vertunt septuaginta Interpretes, quia nempe ab ea diligebatur tanto affectu, ac si unicus & unigenitus Filius fuisset: hoc autem sensu Filius Dei dici non potest unigenitus, quia Spiritus sanctus æquè diligitur à Patre ac Filius. Necessum est ergo ut idcirco dicatur unigenitus quòd unica vera generatione sit à Patre genitus.

XIII.

Dices 3. Quidquid est, aut est genitum, aut ingenitum: Sed Spiritus sanctus non est ingenitus, talis enim est solus Pater divinus: Ergo est genitus: Hinc Eunomiani & Macedoniani E Spiritus sancti Divinitatem oppugnabant hoc dilemmate. Aut Spiritus sanctus est Deus genitus, aut ingenitus: Si est ingenitus, erunt duo Dii originis expertes & ingeniti: Si verò est Deus genitus, Vel genitus à solo Patre sicut Verbum, & tunc erunt duo gemelli fratres: Vel Spiritus sanctus erit Filius natu posterior quàm Verbum: Vel Spiritus sanctus genitus est à solo Filio, & sic erit nepos Patris, & Pater erit Avus: Vel denique genitus est à Patre & Filio, sicque fiet alterum parentem esse Masculum & Patrem, alterum verò fœminam & matrem. Quam argumentationem referunt & refellunt Nazianzenus Orat. de Theologia & Athanasius Epistola ad Serapionem.

Lepidum, sed ineptũ Eunomianorum dilemma.

Ingeniti nomé duobus modis apud SS Patres usurpatur.

Respondeo: Ingenitum apud Patres usurpari duobus modis: Primò, quatenus idem significat, ac id quod à nullo priocipio producitur; quô sensu solus Pater, non verò Spiritus sanctus dicitur iogeoitus. Secundò verò strictiùs pro quacumque re quæ non procedit per geoerationem propriè dictam; quô sensu Spiritus sanctus appellatur ingenitus ab aliquibus SS. Patribus, impropriè tamen; oam ut ait S. Aogustinos Serm. 3. infra Octavam Epiphaniæ: *Spiritus sanctus nec ingenitus, nec genitus alicubi dicitur, ne si ingenitus diceretur, sicut Pater, duo Patres in sancta Trinitate intelligerentur: aut si genitus diceretur sicut Filius, duo itidem Filii in eadem æstimarentur esse sancta Trinitate.* Cui concinit Concilium Toletanum 11. in confessione fidei dicens: *Hic etiam Spiritus sanctus nec ingenitus dicitur, nec genitus creditur, ne si aut ingenitum dixerimus duos Patres dicamus, aut si genitum, duos Filios prædicare demonstremus.*

Conclusio Tertia.

XIV.

Ratio proxima cur processio Verbi non item Spiritus sancti sit generatio, est quia Verbum producitur naturaliter & Spiritus sanctus voluntariè.

RATIO *proxima & immediata cur processio Verbi divini sit generatio, non autem processio Spiritus sancti, est quia Verbum procedit & producitur naturaliter, & non voluntariè: Spiritus sanctus verò producitur voluntariè, & non naturaliter.* Hæc est genuina Doctoris Subtilis sententia, quam edocet pluribi, maximè verò in 1. dist. 10. num. 13. & dist. 13. num. 20. dicens: *Quòd generatio sumitur uno modo pro generatione substantiæ, vel alio modo specialiter pro productione vivi ex vivo, & hoc modo dicitur animal generari & non ignis; & ibi communiter concurrit ex parte agentis inclinatio naturalis, sive forma naturalis quæ est principium generandi, & hoc modo ultimo videtur esse generatio in divinis.*

Ut Subtiliter docet Scotus.

Idem edocent Alensis 1. part. q. 33. memb. 1. nec non & Seraphicus Bonaventura qui pluribus in locis, maximè in 1. d. 6. q. 2. ait. *Si voluntas est principium cum communicante natura, sic est processio Spiritus sancti, qui procedit per modum amoris, tamen similis in natura: Si verò natura est principium cum communicante voluntate, sic est generatio filii, qui producitur ut omninò similis & per modum naturæ:* Et in compendio Theologico lib. 1. cap. 7. affirmat, *Proprium Filio procedendi modum esse instar naturæ.* Nec refert quod dist. 13. art. 1. q. 2. ad 3. discrimen hoc assignet, nempe quòd *Spiritus sanctus procedat ut amor, Filius verò ut imago:* Hæc enim ratio taotùm mediata est; immediata verò ratio cur Filius sit imago sive expressio similitudinis est, inquit dist. 38. art. 1. q. 2. in corpore articuli: *Quia exit per modum naturæ, & ita per modum Verbi & speciei & per modum similitudinis expressæ.*

Idque probat ex S. Augustino.

Probatur Conclusio 1. Authoritate S. Augustini, qui lib. 5. de Trinit. cap. 9. & 14. inquirit: *Cur Spiritus sanctus non sit Filius cum tamen à Patre exeat?* Et solvit dicens: *Exit enim non quomodo natus, sed quomodo datus.* Quod idem est ac si diceret, Spiritum sanctum idcireo non esse Filium, quia oon exit naturaliter sicut secunda persona, quæ non exit *quomodo natus*, seu per modum naturæ, sed procedit *quomodo datus*, videlicet voluntariè & per modum inclinationis bonæ voluntatis, sive instar amoris qui est primum inter dona quæ à voluntate donantis procedunt. Si autem requiras ab eodem Aug. cur Filius exeat *quomodo natus, & Spiritus S. quomodo datus*, rationem non sortiret, ut minùs verè dicit Vasques quasi improbabilem hanc sententiam censeret; imò reponit lib. 9. de Trinit. cap. 12. rationem hujus discriminis esse quòd Filius procedit per intellectum, cujus est inquirere & reperiendo veluti parere: *Nam inquisitio*, inquit, *est appetitus inveniendi, quod idem valet si dicas reperiendi, quæ autem reperiuntur quasi pariuntur; unde proli similia sunt, ubi nisi in ipsa notitia? ibi enim quasi expressa formantur.* Subdit autem, *Partum enim* mentis *antecedit appetitus quidam, quò id cognoscere volumus quærendo & inveniendo, nascitur proles ipsa notitia: ac per hoc appetitus ille concipitur pariturque notitia, partus & proles rectè dici non potest, idemque appetitus quo inhiatur rei cognoscendæ, fit amor cognitæ dum tenet; atque amplectitur placitam prolem, idest notitiam, gignentique conjungit.* Quasi diceret non aliam assignandam esse tationem cur Verbum sit Filius genitus quàm quia procedit per intellectum, cujus est inquirere veritatem & agere naturaliter secundùm omnes, & non voluntariè; Spiritus sanctus verò procedit per voluntatem, cujus est agere voluntariè, & non naturaliter.

XV.

Qui aliud etiam discrimen profert, sed planè coincidit cum priori.

Ad id etiam teduci potest alia ratio hujus discriminis, quam profert ipsemet S. Augustinus lib. 15. cap. 27. ubi asserit, secundam Personam esse Filium, quia procedit ab una sola persona; Spiritum sanctum verò non esse Filium, quia procedit à duabus: *Quoniam*, inquit, *si etiam ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod absurdissimum est, Filius quippe nullus est duorum nisi Patris & Matris; absit autem ut inter Deum Patrem & Deum Filium aliquid tale suspicemur.* Hanc autem rationem subjicit tanquam à posteriori, ex eo namque quod Filius procedat ab una persona, colligitur quòd procedat naturaliter & per intellectum; & consequenter quòd sit Filius; ex eo autem quòd Spiritus sanctus procedat à duabus Personis, infertur quòd producitur voluntariè, non autem naturaliter. Hæc etiam aperta videtur esse seotentia S. Athanasii in Epist. de decretis Synodi Nicænæ dicentis: *Quod enim naturaliter ex aliquo nascitur, & est simile in natura, neque aliunde adoptatur, id pro Filio agnoscit natura, & eam vim significationis vocabulum præ se fert.* Ex quibus formatur hæc ratio: Omnes alii Filii producuntur naturaliter: Ergo etiam idcirco secuoda persona diuinæ Trinitatis dicitur Filius, quòd reverà producatur naturaliter, seu per intellectum naturaliter determinatum ad ageodum.

Deinde: Vera generatio est origo viventis à vivente per modum naturæ & similitudinis: unde vox *natura* primitùs dicta videtur à *nascendo*, & imposita ad significandam originem actualem viventis à viveote, quæ nunc appellatur *nativitas*: Ergo illa processio dicenda est generatio quæ censetur opus naturæ: sed productio Verbi censetur opus naturæ, quia est per intellectum qui dicitur agens naturale & opponitur agenti per voluntatem, per quam fit processio Spiritus sancti, quæ idcirco dicitur voluntaria, non autem naturalis: Ergo, &c.

Denique constat apertè productionem voluntariam & non voluntariam esse summè oppositas; constat pariter productiones volunta-

non majorem habet virtutem producendi aliquid simile in natura producenti, quàm voluntas divina: Ergo hac ratione processio Verbi per intellectum, non magis dicenda est generatio, quàm processio Spiritus sancti per voluntatem. Patet *minor*; Tam enim voluntas quatenus divina producit Personam divinam non solùm similem, sed & omnimodè æqualem producenti quàm intellectus ipse divinus.

Reponunt. Quòd voluntas divina non sit tam assimilativa quàm intellectus, eò quòd intellectus divinus sit assimilativus, & quatenus intellectus est, seu secundum rationem genericam, quia omnis intellectus producit & exprimit similitudinem objecti; & quatenus intellectus divinus est, quia ut sic producit personam omnino similem & æqualem principio producenti: Voluntas autem divina non est assimilativa secundùm rationem genericam, seu quatenus est voluntas divina.

Major similitudo generica nihil confert ad generationé.

Verùm hæc replica nulla est; Tum quia similitudo quæ desideratur in generatione perfecta, attenditur tantummodo penes naturam, maximè specificam: Ergo quòd intellectus sit in genere magis assimilativus quàm voluntas, non magis confert ad generationem si voluntas sit assimilativa in natura, qualis est voluntas divina.

XIX. *Quarta denique sententia* est, quòd ideo Verbum sit Filius, non autem Spiritus sanctus; quia licèt utrique ex vi processionis communicetur divina natura, & consequenter uterque procedat ut similis suo principio producenti; tamen Spiritus sanctus non procedit per modum imaginis, quod ad rationem Filii & generationis requiritur.

Quarta denique affirmat Verbum esse Filium, quia procedit per modum imaginis.

Contra: Hæc sententia obscurum per obscurius explicat; non enim evidentiùs apparet cur secunda persona sit imago primæ personæ quàm quòd sit Filius, nisi fortè, quia procedit ut similis principio producenti ex vi suæ processionis: Sed ita est etiam de Spiritu sancto, ut mox dictum est: Ergo, &c.

Sed meritò rejicitur & exploditur.

Deinde: Quando Filius dicitur imago Patris, vel intelligitur quòd sit ei similis in natura, vel quòd speciales ejus characteres referre debeat & exprimere: Si primum, tam Spiritus sanctus erit Filius, quàm Verbum, est enim æquè similis in natura principio producenti, ac ipse Filius: Si secundum autem, dici nequit; quamvis enim homo genitus non referat proprios gignentis charácteres, non minùs ejus Filius censetur: Ergo ad veram rationem generationis nihil aliud requiritur, quàm quòd genitum assimiletur producenti in natura, adeoque cùm hanc similitudinem habeat Spiritus sanctus non minùs quàm Filius, sequitur hanc rationem non sufficere ad distinguendas illas divinas processiones.

XX. Fateor tamen duas has postremas rationes conducere ad illam distinctionem notificandam, quasi à posteriori; siquidem id habet speciale Verbum divinum ratione suæ processionis, quòd sit perfecta similitudo & imago Patris, *Brevis enim & compendiosa facilisque Paterna naturæ declaratio est Filius*, ait S. Nazianzenus Orat. 4. de Theologia: *Omne enim quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit*: seu ut loquitur S. Basilius homil. 16. *Verbum est imago genitoris totum in se monstrans genitorem*: Unde S. Athanasius Epistola de decretis Nicenæ Synodi, *Si eum imaginem nomines, Filium hoc ipso esse judicaveris.* Nec abnuit Doctor, siquidem in 1. d. 10. quæst. unica, num. 13. ait; *Quod Spiritus sanctus non producitur ut similis ex vi productionis suæ; & verum est, quod non est imago Patris sicut Filius, qui ex vi productionis suæ procedit ut similis Patri.*

Duæ tamen hæ postremæ rationes distinctionem, saltem à posteriori notificant

Verùm hæc ratio est tantùm à posteriori; ideo namque Filius procedit ut similis & quatenus imago; quia principium unde oritur, intellectus nempe, est potentia naturalis, adeoque cùm natura feratur in productionem sui similis, dum potest, cùmque intellectus divinus sit infinitus, adeoque capax producendi terminum perfectè sibi similem, hinc est quòd ad ejus productionem naturaliter determinetur.

ARTICULUS TERTIUS.

De Principiis, Objectis, & Terminis divinarum Emanationum.

Exploratâ & quantùm licuit explanatâ divinarum Emanationum existentiâ & essentiâ; ad exactam & evidentiorem earum intelligentiam superest ut earum principia, objecta, & terminos investigemus & aperiamus. Cùm enim ex sua formali ratione sint actiones verè productivæ, necessum est quòd habeant principia ex quibus oriantur, objecta à quibus formantur, & terminos suæ fœcunditatis fœtus & partus. Quocirca præsens Articulus tribus maximè quæstionibus absolvetur: In quarum *Prima* patebit quænam sint immediata principia formalia divinarum Emanationum: In *Secunda*, ex quibus objectis formentur; num scilicet Verbi generatio, & Spiritus sancti processio, Creaturarum notitiam & amorem supponat & exigat: In *Tertia* denique, An earum Emanationum terminus, sit vel Natura divina, vel Relatio & Suppositum, aut denique ipsamet Persona divina ex natura simul & Personalitate veluti coalescens.

Tres in Quæstiones Articuli distributio.

Quæstio Prima.

Quænam sint immediata principia Emanationum divinarum?

I. Notandum 1. Revera in divinis esse verum ac reale principium productivum Personarum; ubi enim est vera productio, & terminus verè productus, etiam debet esse verum principium productivum. Hoc autem solitò duplex distinguitur, nimirum *principium quod*, estque ipsa persona ipsumque suppositum operans & producens: Unde vulgare effatum, *actiones sunt suppositorum.* Alterum appellatur *principium quo*, estque illa formalis ratio quæ immediatè concurrit ad actionem; seu virtus quâ mediante suppositum suam actionem elicit. Hoc autem iterum est duplex, nimirum radicale, seu *remotum*; & formale seu *proximum*; ut compertum fit in illuminatione, seu diffusione luminis: Lumen enim est principium *quo* illuminationis; Virtus autem illuminativa, quæ in Sole substantialis est, dicitur ejusdem illuminationis principium *quo* remotum.

Duplex in divinis principium *principium quod*, & *principium quò.*

Principium quò iterum duplex, *remotum* & *proximum.*

II. *Notandum* 2. Certum esse, nec essentiam divinam, nec intellectum & voluntatem esse principia *quod* divinarum Personarum: Hanc enim

rationem sibi vendicant personæ Patris & Filii, Patris quidem respectu generationis Filii, Patris autem & Filii respectu spirationis; quod enim realiter procedit ab aliquo tanquam à principio productivo *quod*, etiam realiter ab eo distinguitur: Constat autem Personas divinas productas non distingui realiter ab essentia, neque ab intellectu & voluntate, sed solum à personis producentibus: Ideoque illæ solùm habent rationem principii quod divinarum personarum. Præsens itaque difficultas movetur tantùm de principio *quo*: num videlicet Filius & Spiritus sanctus immediatè procedant à natura divina, vel remotè tantum, seu mediante intellectu & voluntate.

Nec essentia, nec intellectus & voluntas possunt esse principium quod divinarum Personarum.

III. *Notandum* 3. Quòd cùm in Patre generante Filium, & in Patre & Filio producentibus Spiritum sanctum, sint perfectiones absolutæ & essentiales, nimirum essentia ipsa divina unà cum attributis, modis & potentiis, seu facultatibus intellectus & voluntatis, nec-non & relativæ, seu notionales, videlicet relationes & Personalitates divinæ: Inde circa præsentis quæstionis resolutionem, triplex maximè opposita videtur esse Authorum sententia. Durandus enim in 1. dist. 6. q. 2. affirmat naturam divinam præcisam, & formaliter, aut virtualiter distinctam ab intellectu & voluntate, esse nedum radicale & remotum, sed etiam proximum & immediatum principium *quo* divinarum emanationum: S. Thomas in 1. dist. 11. q. 1. art. 3. docet emanationes oriri immediatè ab ipsis relationibus; ait enim: *Generatio non egreditur ab essentia in quantum essentia, sed in quantum est Paternitas: & si ista duo scilicet essentia & Paternitas differrent in divinis, egrederetur ab utraque generatio, sed à Paternitate immediatè & ab essentia sicut à primo principio.* Cum autem alibi asserat essentiam, & paternitatē distingui virtualiter, consequens est, quòd generationem immediatè à Paternitate virtualiter oriri propugnet. Nihilominùs jam communis est Thomistarum sententia Emanationes divinas oriri immediatè non ab essentia, nec à relationibus: sed ab intellectu & voluntate ad personam Patris & Filii per relationes Paternitatis & Filiationis determinatis. Quod ut fiat evidens, sit

Multiplex Authorum circa præsentem quæstionem sententia.

B C D

CONCLUSIO UNICA.

IV. NATURA *divina ut formaliter distinguitur ab intellectu & voluntate non est principium quo proximum & immediatum divinarum processionum, sed intellectus & voluntas hanc formalem rationem sibi vendicant.* Hæc est communior & verior apud Theologos recepta sententia, & probatur primò illis omnibus Scripturæ textibus, quibus Filius Dei *Verbum* appellatur; Sic Joann. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum &c.* Et 1. Joann. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* Apoc. 19. *Nomen ejus Verbum Dei.* Verbum autem est terminus productus per intellectum, & formatus per dictionem quæ est operatio intellectus; unde S. Cyrillus lib. 1. in Joann. cap. 5. *Filius*, inquit, *appellatur Verbum, ac Sapientia, quoniam ex intellectu immediatè atque indivisibiliter est*: Cui concinit Basilius hom. 16. in Joann. *Cur Verbum*, inquit? *ut quòd ex mente procedat ostendatur*: Concinit & Athan. in Epist. de sent. Dion. Alex. contra Arianos dicentis, *Verbum veluti Filius mentis, quod ut ante mentem extiterit impossibile est, ita nequaquam sine ea, sed unà cum ea extitit,*

Solus intellectus & voluntas sunt principium *quo* divinarum processionum.

Ut Scriptura sacra & sancti Patres satis indicant.

Dum Filium Dei, Verbum.

E

A *& ab illa progerminatum est; eodem quoque modo Pater maximus, & in solidum mens Filium suum Verbum interpretem & nuntium sui habet*: Unde colligit Athan. quòd Dionysius *Verbum proprium substantia Patris esse doceat, idque eadem ratione quâ Verbum ex mentis substantia.* His subscribit Damasc. lib. 1. de Fide cap. 8. *Verbum est naturalis mentis motio secundùm quam movetur, intelligit & cogitat, veluti lux ipsius existens atque splendor.* His itaque Scripturæ & Sanctorum Patrum Oraculis apertè constat Filium Dei idcirco *Verbum* appellari, quoniam procedit immediatè per intellectum, cujus est verbum dicere, ut satis superque supra probavimus.

V. Idipsum etiam inferri potest de Spiritu sancto, qui dicitur *charitas* & *amor* productus, eò quòd a divina voluntate oriatur; sic 1. Joannis 4. *Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est*, quæ verba de Spiritu sancto explicat S. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 17. *Adde* quòd plura attribuuntur Spiritui sancto sive propriè, sive per appropriationē quæ non possunt a natura provenire, imò opponuntur naturali productioni: Ille enim est *donum*; at nihil minùs competit dono quàm esse naturale: Donum enim est liberum, naturale verò necessarium; ille est *sanctus*, at sanctitas cùm sit laude digna opus est non naturæ, sed libertatis; *ob naturalia* namque *nec laudamur nec vituperamur*, inquit Arist. 3. Ethic. cap. 1. Denique ille est *amor*; at amor fœtus est voluntatis non naturæ: Ergo non à natura, sed à voluntate immediatè procedit.

Et Spiritum sanctum charitatem, amorem & donum appellant.

Reponit Durandus Filium Dei equidem dici *Verbum* & Spiritum S. *Amorem*, at non propriè, sed metaphoricè; nimirum per quandam proportionem & similitudinem ad res creatas, nempe quòd sicut intellectus est prima proprietas naturæ intellectualis & voluntas secunda; ita Filius *Verbum* dicitur, quia primò procedit; Spiritus verò sanctus appellatur *amor*, quia oritur secundò, & Filii originem præsupponit.

Non quidē metaphoricè.

Contra: Hæc replica sapit errorē Alogianorum, qui cùm negarent Verbum divinum esse personam distinctam à Patre, etiam contendebant illud tantùm metaphoricè à Scriptura sacra divinæ personæ appropriati. *Deinde*: Si *Verbum* à S. Joanne toties usurpatum primo Capite impropriè & metaphoricè dictum liceret explicare; Pari audacia, & temeritate licebit etiam nomen *Dei* & *Filii* metaphoricè & impropriè dicta asserere, nec-non & illud *omnia per ipsum facta sunt*, non de vera creatione, sed de metaphorica & apparenti, vel accōmodatitia: Et illud denique *Verbum caro factum est*, de incarnatione metaphorica usurpari. Quòd cùm sit absurdum & intolerabile, debeantque cætera omnia sumi in sensu proprio; debet pariter nomen *Verbi* propriè sumi. Quare meritò Cyrill. lib. 7. Thesauri cap. 1. fere initio, sic ait, *Verbum Ioannes appellat Filium, & hoc nomen quasi proprium, & ipsius esse Filii maximè significativum elegisse videatur &c. Vides quomodo ipsum esse Filii secum naturam, hoc nomen significat?* Denique certum est S. Joannem eo loco suscepisse explicandam Christi Divinitatem contra Cerinthianos & Ebionitas, ut fatentur omnes Interpretes: Quis autem nisi à veritate alienus dixerit eum uti verbis impropriis & metaphoricis ad explicāda duo præcipua fidei mysteria, nempe distinctionem divinarum personarum & incarnationem unius ex illis: Unde Cyrillus supra laudatus: *Frustrà*, inquit, *miramur Evangelistam*,

Hoc enim sapit errorem Alogianorum.

Sed propriè sicut nomē Dei & Filii.

& quasi magnum quid proprium tonasset, tonitrui Filium appellamus, nisi Verbum *quasi proprium, mirabile, & inauditum pronunciasset.*

VI. Et roboratur.

Confirmatur hæc responsio simul & Conclusio probatur. Fide cautum est duas esse, easque solas processiones in divinis, quarum prior est Filii à Patre solo: posterior est Spiritus sancti à Patre & Filio; adeoque illa est prima, hæc secunda: Cùm enim Filius sit principium Spiritus sancti, debet esse priùs origine productus quàm Spiritus sanctus: Constat pariter primam processionem esse generationem, secundam verò non ita: Sed hæc processionum & personarum diversitas non potest aliunde repeti, quàm ex eo quòd Filius procedat per intellectum, Spiritus sanctus verò per voluntatem. Probatur, Nam posito quòd Filius non procedat immediatè per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem, nulla potest reddi ratio efficax cur sint duæ processiones: Si enim immediatè à natura divina orirentur, dicere posset aliquis quòd natura divina totas suas vires effunderet in unam personam, & sic nullus esset locus alterius divinæ personæ productioni: Nulla pariter proferri posset ratio cur productio Filii sit à Patre solo, & Spiritus sancti ab utroque; neque cur illa sit prior origine, hæc posterior; nec denique cur illa sit generatio, hæc spiratio. Ergo horum omnium ratio non potest aliunde reddi & repeti, quàm ex eo quòd Filius procedat immediatè per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem: Ergo, &c.

VII.

Objicies 1. Sanctos Patres, quorum aliqui Patrem æternum etiam *Verbum* appellant: Sic S. Ambrosius lib. unico de Filii divinitate cap. 50. *Sive lumen de lumine dicas, sive Verbum de Verbo, sive Spiritum de Spiritu, sive Dominum de Domino, quodcumque de eo dixeris, unius tamen essentiæ Patrem & Filium credas.* Similiter Basilius lib. 5. contra Eunomium cap. 11. *Dei quidem Verbum*, inquit, *Filius est, Filii autem Verbum Spiritus:* Portans enim ait Apost. Hebræor. 1. *Omnia Verbo virtutis suæ & quoniam Verbum Filii per Deum, &c.* Sed ex eo quòd Pater & Spiritus sanctus appellentur *Verbum*, non licet inferre eos procedere per intellectum: Ergo nec exinde colligere licet processionem Filii immediatè fieri per intellectum.

Sancti Patres nomen *Verbi* latiùs interdum extendunt.

Respondeo: Sanctos Patres interdum nomen *Verbi* latiùs extendere ad impropriam & inusitatam acceptionem, ut nempe significent, nedum loquentis operationem quæ est in Patre, sed etiam omnem appropriatam sancto Spiritui actionem & communicationem erga creaturas; nihilominùs præfati Patres etiam nomen *Verbi* in propria sua significatione usurpant, ut per illud Filium divinum significent, nam sanctus Ambrosius ibidem ait: *Hoc Verbum nuncupatur, quia ex proprio divino ore processit, & nihil Pater sine eo, aut jussit aut fecit:* Et S. Basilius ibidem circa medium, etiam Verbi nomen Filio proprium esse significat, dicens; *Pater Filii genitor, ut mens Verbi Pater, ut sapiens qui sapientiam genuit:* Adeoque ex præfatis textibus nihil quidquam adversus veritatem Conclusionis urgere licet.

VIII.

Objicies 2. SS. PP. asserentes Filium ex natura divina procedere: Sic sanctus Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 20. ait. *Verbum per quod omnia facta sunt esse Filium Dei naturâ:* Item Damascenus lib. 1. de fide cap. 8. vocat pro-

A cessionem Filii *opus naturæ:* Sed ita ritè non posset appellari, nisi Verbum immediatè à natura, non autem ab intellectu procederet: Ergo, &c.

IX.

Nego minorem: Non enim est ea laudatorum Patrum sententia; disputant enim ibi contra Arrianos, qui dicebant Verbum divinum esse creaturam, atque adeo processionem ejus, non à natura, sed à voluntate divina oriri; quod ut refellant sancti Patres, asserunt illam esse *opus naturæ*, hoc est necessarium & naturale, non verò liberum & voluntarium. *Vel distinguo.* Processio Verbi procedit à natura, tanquam à principio proximo & immediato, nego: Remoto & radicali, concedo.

B

Objicies 3. Si Filius & Spiritus sanctus procederent immediatè ab intellectu & voluntate, maximè per intelligere & velle: sed hoc dici nequit: *Primò*, quia productiones personarum sunt actus notionales, & non essentiales: sed intelligere & velle sunt actus essentiales, non autem notionales. *Secundò*, quia cuicumque convenit actus per quem persona producitur, eidem competit producere personam ad quam actus ille terminatur: sicut cui convenit generare, etiam convenit producere Filium: Sed intelligere & velle competunt omnibus Personis divinis: Ergo etiam omnibus competit producere Filium & Spiritum sanctum: *Tertiò*, quia productiones personarum differunt realiter: Generatio enim activa differt à filiatione, sed intelligere & velle non differunt realiter; Ergo, &c.

Validum Durandi cōtra Thomistas argumentum.

C

Respondeo. Hoc argumentum Durandi nullatenus in nos militare; non enim affirmamus processiones fieri per actus essentiales intelligendi & volendi, sed per notionales actus dicendi & spirandi.

Sed nullatenus in nos militat.

X.

Objicies 4. Eodem modo servata proportione competit fœcunditas creaturis & Deo: Sed fœcunditas productiva in creaturis, eis non convenit per intellectum & voluntatem: Creaturæ enim purè spirituales, alias non producunt, ut patet in Angelis, licèt præstantissima intelligendi & volendi facultate donentur: Creaturæ autem corporales & mixtæ, qualis est homo, constans corpore & spiritu, non per intellectum & voluntatem, sed per aliam facultatem generant sibi simile: Ergo vis productiva divinæ Personæ non convenit Deo ratione intellectus, sed ex ipsa naturæ fœcunditate immediatè procedit.

D

Respondeo 1. Retorqueri posse argumentum in Durandum, si enim proportionaliter convenire debeat fœcunditas Deo & creaturis, sequitur quòd nec Deus possit communicare suam substantiam & essentiam alteri personæ, quia nulla persona spiritualis creata potest suam substantiam communicare alteri, non solùm per intellectionem & volitionem, sed neque per ullam fœcunditatem naturæ; adeoque si proportio illa sit exactè servanda, etiam natura divina nullam habebit fœcunditatem seipsam communicandi, quod tamen Durandus asserit.

Non eodem modo fœcunditas Deo & Creaturis competit.

E

Respondeo 2. Ad minorem. Fœcunditas in creaturis spiritualibus nulla est per intellectum, distinguo, fœcunditas quæ sit productiva termini substantialis, concedo: Termini saltem accidentalis, nego: Productio enim Verbi creati est quædam spiritualis generatio, ut diximus; ab objecto enim & potentia paritur omnis

Productio Verbi creati est quædam spiritualis generatio.

notitia: Partus autem generationem significat. A

Idcirco autem per intellectum creatum producitur tantùm Verbum accidentale, quia, inquit Doctor in 1. *dist.* 3. *q*, 8. intellectus creatus non est productivus intellectionis, nisi concurrente partialiter specie intelligibili, quæ cùm sit accidens, erit tantùm productiva accidentis; quia nullus effectus est perfectior suâ causâ: Intellectus divinus autem concurrit ad productionem notitiæ genitæ simul cum essentia divina; quæ duo sunt adæquatè substantialia, proindeque mirum non est si sint productiva substantiæ.

XI. *Ex his collige primò:* Divinam essentiam esse, non quidem proximum, sed remotum saltem & radicale principium *quo* processionum divinarum. Quod patet primò ex sanctis Patribus, B inprimis namque Cyrillus lib. 1. Thesauri cap. 7. dicit, *Generativam virtutem esse essentiam Dei:* Et Damascenus lib. 1. de Fide cap. 8. *Generatio*, inquit, *est naturæ non sicut generantis, sed sicut ejus quô generat:* Quibus concinit S. Anselmus in Monologio cap. 52. ubi de Spiritu sancto ait, *Pater & Filius non ex relationibus suis quæ plures sunt: sed ex ipsa essentia quæ una est, emittunt tantum bonum:* Hinc S. Dionysius lib. de divinis Nominibus cap. 2. Filium & Spiritum sanctum appellat, *Fœcundæ Divinitatis gemmas & germina.* Secundò, hoc ipsum suadet ratio: Principium enim *quô* & radicale generationis, est in quo genitum generanti assimilatur: Sed id in quo Filius divinus genitus C cum Patre generante convenit, non est relatio, sed natura divina: Ergo hæc est principium *quò* primum & radicale generationis Verbi; non quidem simpliciter & absolutè considerata, sed quatenus modificata & determinata ad primũ suppositum per relationem Paternitatis.

Natura divina est remotum principium *quo* processionum divinarum.

XII. *Collige* 2. Principium *quô* proximum generationis Verbi & productionis Spiritus sancti, esse quidem intellectum & voluntatem Dei, sed quatenus modificantur & determinantur per relationes Paternitatis & Filiationis. *Tum quia* eodem modo intellectus & voluntas sunt principia proxima, quomodo essentia divina D est principium remotum divinarum processionum: Sed essentia divina, ut diximus, talis est quatenus est determinata per relationes personales: Si enim talis esset absolutè spectata, sequeretur eam formaliter esse principium generationis in Filio, & generationis ac spirationis in Spiritu sancto: Siquidem est in eis formaliter: Ergo pari ratione intellectus & voluntas divina sunt principia divinarum processionum, quatenus etiam determinantur per easdem relationes personales. *Tum quia* potentiæ non habent rationem principii proximi, nisi quatenus sunt in suppositis, unde actiones sunt suppositorum: Ergo intellectus & voluntas E divina non erunt pricipia proxima, nisi quatenus determinantur ad personam Patris & Filii. *Tum denique quia* sanctus Athanasius Dialogo 1. de Trinit. ait, *Pater hypostasi gignit;* Et Ambrosius lib. 4. de Fide cap. 4. *Generatio*, inquit, *Paternæ proprietatis est, non potentiæ:* Et S. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 5. ait, *Eo ipso Patrem dici & esse Patrem quod est ei Filius:* Ergo cùm Pater non habeat Filium nisi ex vi potentiæ generativæ determinatæ per Paternitatem; etiam neque gignit principio *quô*, nisi per hypostasim & relationem personalem determinato.

Intellectus autem & voluntas sunt quidem principia proxima, sed quatenus modificantur per relationes.

Quæstio Secunda.

Cujusnam objecti cognitionem & amorem divinæ Processiones præsupponant?

Aliter proponi solet à Thomistis præsens quæstio; cùm enim doceant Verbum divinum per intellectionem, & Spiritum sanctum per amorem procedere; inde non immeritò quærunt ex cujusnam objecti cognitione & amore, hæc utraque divina Persona procedat. Nos verò Subtilis Doctoris vestigiis inhærentes, cùm asseramus illas divinas processiones supponere quidem cognitionem & amorem essentialem, at esse actiones dicendi & spirandi ab illis essentialibus operationibus distinctas: Consequens est quòd inquiramus & resolvamus cujusnam objecti notitia & amore divinus intellectus divinaque voluntas fœcundetur, ut ille Verbum per actum dicendi; hæc Spiritum sanctum per actum spirandi producat: Adeoque præsens difficultas (quidquid nonnulli reclament) utriusque Scholæ Sectatores spectat, quamquam diversa sit ejus propositio, variusque eam solvendi modus. I.

Præsens Quæstio aliter à Thomistis proponitur cur.

Notandum 1. Quòd cùm divinæ notitiæ divinique amoris objectum distingui possit quadruplex: Nimirum 1. Essentia divina omnibus suis absolutis perfectionibus, attributis nempe, modis & facultatibus intelligendi & volendi prædita: 2. Personæ divinæ suis relationibus, hypostasibus, & personalitatibus constantes: 3. Creaturæ possibiles ab omni futuritione & existentia præscindentes: 4. Denique omnes Creaturæ vel actu existentes, vel aliquando futuræ: Etiam circa præsentis quæstionis resolutionem quadruplex est maximè opposita Theologorum sententia. Prima affirmat Verbum procedere ex notitia, & Spiritum sanctum ex amore eorum omnium objectorum, etiam creaturarum futurarum: Ita *Ruiz* Disp. 63. Sect. 4. & 5. &c. Aliqui contendunt removendas esse quidem creaturas futuras è numero eorum objectorum ex quorum amore & notitia divinæ Personæ procedunt: At volunt Verbum divinum procedere ex cognitione Creaturarum possibilium, nec-non & trium divinarum Personarum & essentiæ divinæ; ita communis est *Thomistarum* Sententia. Omnes *Scotistæ* unà cum Doctore Subtili docent Verbum divinum nullam Creaturarum notitiam ad sui productionem supponere. *Vasquez* Disp. 142. vult illud quidem procedere ex notitia Patris & suiipsius, non verò Spiritus sancti. Sunt etiam qui asserunt illud procedere non quidem ex cognitione Creaturarum & divinarum Personarum, sed solius essentiæ divinæ, quibus maximè favere videtur Doctor locis infra proferendis. Omnes autem conveniunt divinas illas processiones, vel esse notitiam & amorem divinæ essentiæ, vel saltem utrumque supponere, eisque esse posteriores. II.

Quadruplex divinæ notitiæ divinique amoris objectum.

Unde quadripartita circa præsentem quæstionem Theologorum opinio.

III.

Notandum 2. Illam suppositionem aut prioritatem, quâ divinus Pater dicitur priùs cognoscere suam essentiam, aut Personas divinas, aut Creaturas, quàm Filium aut Spiritum sanctum producat, non esse prioritatem existentiæ & rei; sed tantùm signi; non quidem *in quo*, ut loquuntur, sed *à quo*; Hoc est, non

In divinis non est prioritas durationis, seu rei, sed tantùm signi, & quidem *à quo*, non verò *in quo*.

A importare ordinem durationis in qua unum sit non existente altero; siquidem in adoranda Trinitate, *Nihil est prius aut posterius* duratione videlicet, *sed totæ tres personæ coæternæ sunt*, ait S. Athanasius in Symbolo; quod enim est duratione prius alterô, non potest esse illi coæternum; æternitas namque nihil prius aut posterius agnoscit. Sunt itaque tantùm signa *à quibus*, hoc est, præexigentiæ unius ad aliud, vel secundùm ordinem *Naturæ*, vel *Originis*, vel *Præsuppositionis*. Ordo naturæ attenditur non secundùm causalitatem quâ causa est prior suo effectu, quia in divinis nulla est vera causalitas, nullusque verus & propriè dictus effectus: Sed tantùm secundùm subsistendi consequentiam; quô pactô inquit Aristoteles B prædicamentô cap. de modis prioris: *Unum duobus est prius; nam si sint duo, & unum consequitur esse: At si unum sit, non necessariò sequitur duo esse: quare unô positô, non convertitur consequentia ut duo sint.* Ordo originis est ille quô alter est ex altero; idque duobus modis, nimirum, vel origine secundùm quid, qualiter attributa dicuntur emanare ab essentia divina: Vel origine perfecta & adæquata, qualiter persona producta emanat à producente: Denique ordo præexigentiæ est ille quô unum præconcipitur alterô, ipsique præsupponitur. *Ordo naturæ*, est inter essentialia, tum inter se, tum cum C notionalibus comparata; quia intellectis notionalibus & divinis attributis, necesse est essentiam divinam intelligi ut radicem eorum; intellectâ verò essentiâ, non est necesse illa concipi: Est ergo inter ea ordo naturæ secundùm subsistendi consequentiam.

Ordo originis solùm est inter personas divinas, quarum una procedit ab altera: Denique *Ordo præexigentiæ* vel præsuppositionis, est inter Patrem & essentiam divinam, quia essentia divina præsupponitur tanquam radix Paternitatis, necnon & omnium proprietatum sive absolutarum, sive relativarum in Deo.

IV.

Sicut varia instãtia naturæ in eodem instanti temporis

Notandum 3. Quòd quemadmodum in eodem instanti temporis possunt esse varia instan- D tia naturæ, inquit Doctor in 2. dist. 1. quæst. 1. num. 13. nam Angelus v. g. in primo instanti temporis in quo creatus est, potuit producere in se cognitionem & amorem, quæ licèt nullum habeant ordinem quoad durationem temporis, quia in eodem instanti producta sunt; tamen habent plura instantia naturæ, quia naturâ priùs productus est Angelus quàm cognitio, prius que cognitio quàm amor; siquidem Angelus productus fuit à solo Deo, cognitio à Deo & intellectu Angelico; amor verò à voluntate præsupponente intellectũ Angelicum & concursum divinum; priùs enim naturâ potentia intellectiva debet operari, quàm voluntas: Quemad- E modum (inquam) varia instantia naturæ distingui possunt in eodem instanti temporis; sic etiam varia instantia originis distingui poterunt in eodem instanti naturæ; siquidem in illo ipso instanti naturæ in quo intellectus & voluntas divina respiciunt objectum suum primarium, nempe essentiam divinam, reperitur totus ordo originis; nihil enim requiritur ad productiones personarum præter illas potentias, & objectum primarium: Unde in illo ipso instanti naturæ distingui possunt tria instantia originis. Primum quidem, in quo Pater habet esse à se, hæc autem origo est tantùm secundùm quid.

Sic varia instantia originis distingui possunt in eodem instanti naturæ.

Secundum verò à quo Filius habet esse à Patre: Tertium verò à quo Spiritus sanctus habet esse à Patre & Filio: quæ duo posteriores origines sunt reales & completæ.

Imò unum instans naturæ subdividi potest & distingui in plura minutiora instantia, ut colligere licet ex Doctore in 2. dist. 1. quæst. 13. ubi duo solùm assignat naturæ instantia. *Primum* quô Deus seipsum cognoscit & vult cognitione & volitione essentiali, & quô per intellectum & voluntatem fœcundam intra ipsum est duplex processio personarum, duplexque ordo originis, quem asserit in illo primo naturæ instanti contineri: *Alterum* quô Deus unus & trinus cognoscit & vult creaturas; ita quòd in primo instanti comprehendat omnia quæ conveniunt Deo ad intra; in secundo verò complectatur Deo quæ conveniunt ad extra. Unde illud primũ instans naturæ dividi potest in alia septem instantia minutiora, ita ut Primum instans naturæ in divinis sit illud quô essentia intelligitur esse sub ratione hujus essentiæ: Secundum quô intelligitur habere suos modos intrinsecos: Tertium quô intelligitur habere sua prima attributa: Quartum quô intelliguntur hæc attributa habere suos primos modos intrinsecos. Quintum quô intelligitur habere sua alia attributa, in primis attributis fundata: Sextum quô hæc attributa intelliguntur habere suos proprios modos intrinsecos: Septimum quô intelliguntur processiones personarum; post quæ sequitur Octavum quô creaturæ intelliguntur in esse possibili, &c. His ita prælibatis duo sunt resolvenda: Primum processiones divinas præsupponere cognitionem & amorem non solùm naturæ divinæ, sed etiam personarum divinarum. Secundum eas nullatenus præsupponere notitiam & amorem creaturarum tam futurarum quàm possibilium.

Imò unum instans naturæ subdividi potest in alia minutiora instantia.

CONCLUSIO PRIMA.

V.

GENERATIO *Verbi, & spiratio Spiritus sancti non supponunt amorem & cognitionem creaturarum tam futurarum quàm possibilium, nec ex illis tanquam ex objectis fœcundantibus intellectum & voluntatem divinam oriuntur.* Hæc conclusio quoad utramque partem est Doctoris in 1. dist. 18. quæst. unica numero 4. & 5. & in 2. jam laudatum, nec-non & quodlibeto 14.

Processiones nullatenus præsupponunt notitiam & amorem creaturarũ tum futurarum, tum possibiliũ.

Probatur 1. à Doctore in 2. dist. 1. q. 1. n. 9. Divinus intellectus divinaque voluntas priùs terminantur ad essentiam divinam, quàm ad creaturas sub esse possibili vel futuro: Sed in illo instanti priori utraque illa potentia divina est fœcunda ad productionem Verbi & Spiritus sancti: Ergo Verbum & Spiritus sanctus procedunt ab intellectu & voluntate terminatis ad essentiam divinam priusquàm sese extendant ad cognitionem & amorem creaturarum. Patet major, essentia enim divina est objectum primarium & adæquatum divini intellectus, divinæque voluntatis: insuper ea est quæ movet utramque facultatem divinam ad notitiam & amorem creaturarum; creaturæ verò sunt tantùm objectum secundarium: Sed intellectus & voluntas priùs terminantur ad objectum primarium, quàm ad secundarium, maximè quando primarium per se necessariò movet ad notitiam & amorem secundarii: Ergo, &c. Minor est etiam evidens: Intellectus enim &

1. Quia divinus intellectus & divina voluntas à sola natura divina tanquam ab objecto primario & adæquato fœcundantur.

voluntas fœcundantur ab objecto perfectè adæquatu: Sed essentia divina est objectum perfectè adæqnatum intellectui & voluntati divinæ; illa namque omnimodè est infinira in ratione objecti, sicut & illæ facultates infinitæ sunt in ratione potentiæ prodnctivæ: Ergo illæ potentiæ omnimodè fœcundantur ab ipsa terminatione ad divinam essentiam, neque ad id opus est quòd ad objecta secundaria terminentur.

Confirmatur: Tnne opus non est quòd facultas terminetnr ad objectum secnndarium ut ex eo suam completam fœcunditatem hauriat, quando omnis illa perfectio in objecto secundario reperienda, præstantiori modo est in primario, quàm in secundario: Sed omnis ratiu entis & perfectionis præstantiori modo est in essentia quàm in creatnris, sive possibilibus, sive futuris: Ergo ut divinns intellectus divinaqne vulnnras fiant fœcundæ ad prodnctionem Verbi & Spiritus sancti, non opus est quòd terminentur ad Crearnras, sed sufficit eas terminari ad essenriam divinam tanquam ad objectum primarinm.

2. Priùs producuntur Personæ divinæ quàm Creaturæ habeant ullum esse.

Probat 2. ibidem numeru 8. Priùs producnntur divinæ Personæ qnàm Creatnræ habeanr esse possibile vel fnturum: Ergo Personarum divinarũ prodnctiones supponere non possunt notitiam & amorem Creaturarnm. Consequentia est evidens: Si enim in illo ptiori Creaturæ nullum habeant esse, etiam nullatenns poterunt cognosci nec amari. Probatur antecedens: Priùs producuntur divinæPersonæ, si priùs sit earnm ptincipinm productivum: sed reverà priùs est principium productivum divinarum Personarum quàm sir ptincipium productivnm Creatnrarum maximè in esse futnritionis, quod sic probat Doctor. Principium productionis necessariæ prius est quàm principium prodnctionis contingentis: Sed principinm productivum Personarum est necessarium; Principium verò productivumCreaturarum est contingens: Ergo hoc debet illud præsupponere. Probat majorem: Omnis productio egrediens à supposito, præsupponir suppositum à qno egreditnr: sed prodnctio Creaturarum egreditur à tribus personis divinis. Ergo deber illas præsnpponere: adeoque illatum productiones necessarias, & conseqnenter earum ptiucipia productiva necessaria.

VI.

3. Priùs movetur essentia divina ad terminum infinitum quàm ad finitum.

Probat. 3. Quodlibeto 14. Motio essentiæ divinæ ad terminum infinitum prior est quàm ad terminnm finitum: Sed processio Verbi & Spiritus sancti est terminus infinitus: At verò esse Crearurarnm in esse cognito est terminus finitus: Ergo priùs præsupponuntur productiones Personarum qnàm esse Crearurarum possibilium: Major probatnr, Nam infinirum simpliciter non potest præexigere finitum, sed potius finitum præexigir infinitum: Ergo cognitio Creaturarum non præcedit productionem personarum. Er cunfirmatut; Nam sublato prioti tollitut posterius, & non è eontra: Ergo ablato enre finito, nempe esse creatutarum possibilium nõ aufertur pruductio Verbi. Ergo prior est productio Verbi quàm esse finitum ereaturarum.

Sublatis Creaturis non minùs Personæ divinæ subsisterent.

Confirmatur 1. Illnd per se ad prodnctionem Verbi & Spititns sancti non concurrit, quô sublarô non minus illæ divinæ personæ subfisterent: Sed si non adesser Crearurarum tam futurarum quàm possibilinm cognitio & amor, non minùs illæ divinæ personæ producerentur & subsisterent: Ergo earum productio Creaturarum amorẽ & notitiam non præsnpponit. Majur patet. Minur veto probatur 1. ex S. Anselmo in Monol. cap. 30. nbi ait; *Sive Deus cogitetur nulla alia existeute essentia, sive aliis existentibus, necesse est Verbum illius coaternum illi esse cum ipso:* Er cap. 31. *Si uihil unquam aliud esset nisi summus ille Spiritus, ratio tamen cogit Verbum illud quô se dicit ex necessitate esse.* Quibns apertè docet Anselmus qnòd etsi nnllæ essent Creaturæ vel possibiles, vel fnturæ, nihilominùs Verbum divinum omnino invariatum subsisteret: At si nullæ essent Creaturæ possibiles nec futuræ, nulla pariter esset in Deo cognirio: Ergo sublara Creaturarum cognitione Verbum divinum omninò invariatum snbsisteret: Idem dicenum de Spiritu sancto. *Secundò*, ridiculum & absurdum videtur asserere, idcirco Deum esse, & Verbum divinum idcirco procedere, qnia musca aur formica, v. g. est possibilis: Ergo etiam ridiculum est dicere quòd si hæc vel illa creatnra quæ possibilis est impossibilis redderetur, Verbum divinnm intrinsecè invariatum non manerer. *Tertiò*, magis necessarium à minùs necessario dependere non potest: Sed necessitas processionis Verbi, est major necessitate possibilitatis Creatutarum, cùm sit necessitas entis à se; hæc verù necessitas entis dependentis ab alio: Ergo Verbum in sui productione à possibilitate Creaturarum dependere non potest: Ergo nec ex illarum cognitione procedere.

VII.

Thomistarum replica.

Reponunt Thomistæ: Quòd etsi Verbum divinnm à cognitione Creaturarum possibilium procedat per se, non sequitur inde quòd ab illis dependeat, seu quòd illis indigeat, sed solùm quòd cum illis necessariò connectatnr.

Inepta ostenditur & insulsa.

Contra. Eô ipsô quòd Verbum divinnm ita necessariù cum possibilitate Creatutarum connectitur, nt sine illa subsistere nequeat, à Creaturis dependet: Illa enim mutuò inter se dependent quæ mutnò sese inserunt & ansferunt: Sed admissa necessaria connexione inter productionem Verbi divini & Creaturarum possibilitatem sese mutuò inferrent & aufferrent: Ergo si Verbum divinnm sine Creaturis procedere & subsistere nun possit, sequitur quòd ab illis dependeat.

VIII.

Maximè ubi de creaturis futuris agitur.

Confirmatur 2. Maximè de Creatutis futuris: Verbum divinum est simpliciter necessarium: Ergo ejus processio est simpliciter necessaria, adeoque oritur ab intellectu divino fœcundato per objectum summè necessarinm: sed Creaturæ futuræ non sunt necessariæ, imò sunt omninò contingentes, qnia Dens potest pro libito decernere vel non decernere earnm futuritionem: Ergo non possunr supponi tanquam objectum prærequisitum, & influens ad generationem Verbi.

Sequitur enim scientiam liberam prius esse in Deo quàm Verbum producatur.

Deinde si Verbum divinnm supponeret cognitionem Crearurarnm futurarnm, seqnererur scientiam liberam priùs esse in Deo quàm Verbum produceretur: sed hoc est absurdum. Si scientia libera esset in Deo ante productionem Verbi, etiam & decreta libera illam productionem Verbi antecederent prioritate naturæ: Scientia enim libera supponit decretum, atque ita si scientia libera est prior, etiam decretum est prius: Sed decreta non sunt in Deo priusquàm Verbum generetur: Tum quia in Deo naturalia snnt priora liberis: Ergo generatio Verbi qnæ est naturalis, prior est decretis

liberis. Tum quia si decreta essent in Deo ante A generationem & spirationem, necessariò communicarentur, ut Verbum in ipsa generatione: Sed hoc implicat, quia sic decretum non esset liberum respectu Verbi cui communicatur; nam ille actus non est liber Verbo ad quod Verbum non se liberè determinat: sed si recipit decretum à Patre in sua generatione, non se determinat ad illud, adeoque respectu illius decretum non esset liberum: Tum denique quia opera Dei quæ concernunt creaturas sunt indivisa opera Trinitatis; sed illa decreta de futuritione creaturarum sunt opera Dei concernentia creaturas: Ergo indivisim spectant adorandam Trinitatem, adeoque eam supponunt, & consequenter personæ producendæ non sup- B ponunt illam creaturarum futuritionem, nec proinde creaturæ sunt objecta ex quibus fœcundatur divinus intellectus divinaque voluntas in productione Verbi, & Spiritus sancti.

IX. *Objicies* 1. Verbum divinum, expressivum est eorum omnium quæ repræsentantur in scientia Dei: Ergo eorum cognitionem supponit: Sed creaturæ omnes repræsentantur in essentia Dei. Ergo, &c. Probatur major authoritate sancti Augustini lib. 15. de Trinit. cap. 14. *Non enim*, inquit, *seipsum integrè perfectèque dixisset si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo quàm in ipso: Quidquid enim in ea scientia est de qua genitum est in ipso est; quod autem in ea non est, nec in ipso est. Novit itaque omnia Deus Pater* C *in seipso, novit in Filio; sed in seipso tanquam in seipso; in Filio autem tanquam Verbo suo quod est de omnibus quæ sunt in seipso.* Et Zeno Veronensis sermon. 1. de æterni Verbi generat. *Nascitur de toto totus, de perfecto perfectus totum Patris habens, nihil derogans Patri.* Minor etiam constat ex eodem sancto Augustino qui pluribi edocet, creaturas repræsentare & esse in essentia divina tanquam in entitatis Oceano: Unde de Trinitate cap. 10. *Vocat Verbum perfectum cui non desit aliquid, & artem quandam omnipotentis, plenam omnium rationum viventium, & commutabilium, & omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno cum quo unum; ibi novit omnia Deus quæ fecit per ipsum.*

Verbum divinum est expressivũ omnium repræsentabilium.

Distinguo majorem: Pro eo instanti quo repræsentabilia sunt, concedo: ante: nego. Quia ergo creaturæ non sunt repræsentabiles in eodem instanti, quia nondum concipiuntur possibiles aut futuræ in illo priori instanti originis quô producitur Verbum, sed tantùm in aliquo instanti posteriori; ideo in illo priori instanti creaturas nec repræsentare nec exprimere dicitur. *Minorem similiter distinguo*: Creaturæ repræsentantur in Essentia divina in illo priori instanti originis quô producitur Verbum, nego: in posteriori, concedo: *Vel aliter.* Creaturæ sunt in essentia Dei secundùm suum esse virtuale, quatenus nempe essentia divina est fons & Oceanus cujuslibet entitatis tam increatæ quàm creatæ, concedo: secundùm suum esse formale, & proprium, nego: Unde quamvis supponantur creaturæ ad productionem Verbi secundùm illud esse virtuale, non propterea dici possunt concurrere ad illam productionem in ratione objecti, quia illud esse virtuale nihil aliud est quàm ipsamet essentia divina.

Sed pro illo instanti quo repræsentabilia sunt, non ante.

Instabis: Verbum divinum est infinitum in ratione Verbi: Ergo etiam infinitè repræsentativum, & expressivum; & consequenter exprimere & repræsentare debet omne prorsus repræsentabile pro quocumque instanti quô est Verbum: Sed in illo priori instanti originis producitur Verbum sub ratione formali Verbi, adeoque repræsentare debet quidquid est repræsentabile, & consequenter cùm creaturæ sint repræsentabiles, eas exprimere debet, adeoque earum cognitionem pro eo instanti suæ generationis debet supponere.

Distinguo sequelam majoris: Debet repræsentare omne quod est repræsentabile pro illo priori instanti quô est Verbum, concedo: debet repræsentare quod nondum est repræsentabile pro illo instanti, nego: Ergo cùm creaturæ non sint possibiles aut futuræ pro omni instanti quô est Verbum formaliter, sed tantùm in instanti sequente processiones divinas; etiam non debet eas repræsentare pro illo priori instanti, sed tantùm in instanti consequente.

Nec id officit illius infinitati.

Vrgebis: Verbum ex ratione formali Verbi non potest repræsentare nisi ea à quibus procedit: Ergo vel Verbum divinum nullatenus repræsentat creaturas pro quolibet instanti posteriori, vel ab eis procedit: Sed asserere Verbum divinum non repræsentare creaturas, est apertè contra sententiam sancti Augustini supra laudatam: Ergo, &c.

Distinguo antecedens: Verbum creatum propter suam limitationem non potest exprimere nisi ea à quibus procedit; quia nempe illa omnia quorum est Verbum, concurrunt ad ejus formationem, concedo: Verbum divinum non potest repræsentare, nisi ea à quibus procedit, nego. Cùm enim habeat infinitam vim repræsentandi, exprimere potest quidquid est repræsentabile pro eo instanti quô repræsentabile est. Unde congruè dicitur *Speculum* Sapientiæ 7. Scimus enim quòd specula possunt repræsentare etiam quæ non sunt, non quidem quando non sunt, sed postea quando sunt: Hinc Verbum divinum exprimit & repræsentat creaturas secundùm earum esse virtuale in priori instanti originis; in posteriori verò repræsentat eas se- D cundùm illarum esse formale, scilicet postquam completus est ordo divinarum processionum.

Verbum creatum non exprimit nisi ea à quibus procedit, non item increatum.

Objic. 2. Verbum divinum procedit ex cognitione comprehensiva divinæ essentiæ & omnipotentiæ, & consequenter ex cognitione eorum omnium sine quibus omnipotentia cõprehendi non potest: Sed omnipotentia comprehendi nequit non cognitis creaturis sub ratione saltem possibilium: Ergo illarum cognitionem supponit. Major patet. Minor verò probatur: Virtus causæ comprehendi non potest nisi cognoscantur omnes effectus à tali causa oriundi, & in ea virtualiter contenti: Sed omnipotentia est virtus operativa Dei in qua continentur omnes creaturæ possibiles: Ergo illis non cognitis com- E prehendi non potest. X.

Distinguo majorem: Proce[illegible] ex cognitione comprehensiva, hoc est quæ intensivè est infinita & adæquata objecto infinito per se moventi & fœcundanti intellectum divinum ad productionem Verbi, concedo: hoc est, quæ in illo ipso priori instanti originis quô producitur Verbum debeat terminari ad omnia objecta secundaria, quæ tantùm habeant esse in instanti posteriori, nimirum postquam completus est ordo divinarum processionum, nego: Sufficit

Cognitio ex qua Verbum divinũ procedit non est comprehensiva extensivè, sed solùm intensivè.

enim ad perfectam Verbi rationem, quòd procedat ex objecto infinitè perfecto & virtualiter continente in omnipotentia sua tanquam in radice omnia objecta fecundatia, nec requiritur ab eis objectis fecundatiis formaliter, & actu cognitis procedat.

Adcomprehensionem potentiæ sufficit ut cognoscatur secundùm omnes gradus quos habet, non quos habere potest.

Ad majorem dico, quòd ad comprehensionem alicujus potentiæ non requiratur necessariò quod cognoscantur formaliter & actu omnes effectus & omnia objecta ad quæ sese extendere potest, sed sufficit quòd cognoscantur virtualiter & habitualiter, seu quòd cognoscatur omnimoda vis illius potentiæ secundùm omnes gradus activitatis si tales gradus habeat; certum est autem quòd in illo ipso priori instanti originis in quo Pater divinus producit Filium, etiam cognoscit omnipotentiam suam esse infinitæ virtutis & activitatis, adeoque illam comprehendit.

XI.

Pater eum generat non concipitur cognoscere creaturas.

Objicies 3. Aut Pater æternus in instanti generationis Filii cognoscit creaturas, aut non cognoscit. Si cognoscit: Ergo cùm in eo instanti Filius procedat, illæ creaturæ objiciuntur intellectui divino; adeoque ex illis Filius procedit. Si non cognoscit: Ergo aliquid addiscit in generatione, quod in priori instanti nesciebat.

Respondeo dici posse, quòd in illo priori instanti generationis Pater equidem nondum concipiatur cognoscere creaturas, nec eas ipsius intellectui objici, sed tantùm ubi omnimodè completæ sunt divinæ processiones. Nec exinde sequitur absurdum, sicut ex eo quòd in illo priori instanti generationis, nondum concipiatur producere Spiritum sanctum qui producitur tantùm in posteriori signo originis.

Instabis: Quidquid Verbum habet, accipit à Patre per æternam generationem juxta illud Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: Et Joannis 7. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt*, & istud, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris*: Sed Verbum divinum habet cognitionem creaturarum: Ergo eam accepit à Patre per æternam generationem, & ex vi suæ processionis; adeoque in instanti generationis Filii, creaturæ percipiuntur ab intellectu divino, & consequenter Filius procedit ex cognitione illorum omnium.

Omnia quæ habet Filius accipit à Patre, vel formaliter vel identicè.

Distinguo majorem: Quidquid Verbum divinum habet, accipit à Patre vel formaliter, & ex vi suæ processionis; vel concomitanter & identicè, ratione scilicet communicatæ sibi naturæ divinæ cum omnibus suis attributis & potentiis infinitè operativis, concedo: accipit tantùm ex vi suæ generationis, nego. Similiter minorem distinguo: Verbum divinum habet cognitionem creaturarū quam accipit ex vi & ratione formali suæ generationis, quasi Pater æternus creaturas cognosceret in illo ipso instanti generationis, nego; eam habet concomitanter & identicè quatenus nimirum in sua generatione recepit naturam divinam, & intellectum divinum infinitè cognoscitivum; & proinde qui possit sese extendere ad omne cognoscibile pro eo instanti, quò cognoscibile erit, concedo.

XII.

Adde quòd quamvis concederemus quòd Pater divinus cognosceret creaturas in illo priori signo quò Verbum generat, non inde tamen sequeretur in nostra sententia quòd Verbum procederet ex creaturarum notitia, siquidem supra probatum est Verbi processionem non esse intellectionem, sed dictionem: Unde quamvis creaturæ essent objecta divini intellectus in illo priori signo in quo generatur Verbum; non idcirco conferrent ad productionem Verbi; non enim quodlibet objectum fœcundat divinum intellectum, ut sit productivus Verbi, sed id solùm præstat objectum motivum & adæquatum, quales non sunt creaturæ respectu divini intellectus, sed sola natura divina; ideoque præcedentes & aliæ similes objectiones in nostram assertionem directè non militant.

CONCLUSIO SECUNDA.

XIII.

Processiones divinæ nedum supponunt cognitionem & volitionē essentiæ divinæ;

PROCESSIONES *divinæ nedum supponunt cognitionem, & volitionem essentiæ divinæ & omnium perfectionum attributalium, sed etiam trinm divinarum personarum.* Hæc videtur esse genuina Doctoris Subtilis sententia quoad utramque partem: de priori quidem nulla est difficultas, conveniunt enim omnes Theologi utriusque Scholæ & Angelicæ & Subtilis, essentiam divinam unà cum omnibus suis perfectionibus absolutis, adeoque cum intellectu ac voluntate, & scientia ac volitione perfectissima terminata utique ad ipsam essentiam ejusque perfectiones esse priorem processionibus & relationibus, adeoque priùs cognitam, & amatam quàm producatur Verbum & Spiritus sanctus.

Sed etiam trium divinarum personarum ut sentit Doctor Subtilis.

Quòd autem censeat Doctor etiam personas divinas in illo priori signo cognosci pariter & amari, colligo ex variis ejus dictis. Primò namque in 1. dist. 6. q. unica. num. 5. ait, *Pater hoc modo gignit Filium volens, quia Pater in primo signo originis intelligit formaliter: & tunc etiam potest habere actum volendi formaliter: In secundo signo originis gignit Filium, nec tantùm vult illam gignitionem volitione sequente illam gignitionem; sed volitione habita in primo signo originis, qua volitione Pater formaliter vult, præsupposita aliquando intellectione quâ Pater intelligit, non autem gignitione Verbi. Sic ergo dico quòd Pater volens generat, non tantùm voluntate consequente, sed voluntate antecedente:* Quasi diceret quòd Pater volens generat Filium volitione quæ antecedit & terminatur etiam ad ipsam generationem, antequam sit Filius prioritate aliqua rationis, vel originis; qualiter eum explicant & propugnant Faber, & Smising disput. 3. num. 164. Rada Controversia 12. circa quartam conclusionem; ubi dicit esse Scoto conformius asserere, quòd cognitio, & simplex complacentia divinæ voluntatis erga Filium generationem ejus antecedat in Patre: Estque eadem ratio cum proportione de processione Spiritus sancti; ita ut eam in Patre & Filio antecedat cognitio simplexque volitio & dilectio Spiritus sancti.

Cujus mens evincitur.

Tum in eo quòd asserat Patrem priùs esse beatum quàm generet.

2. Doctor in 1. dist. 1. quæst. 2. num. 5. asserit Patrem divinum esse beatum priùs origine quàm Filium generet, quia nullam perfectionem sibi intrinsecam habet à persona producta; Beatitudo autem est perfectio intrinseca personæ beatæ, hæc autem Beatitudo fit per visionem essentiæ, vel absolutè seu quatenus est essentia, vel inquit, *Vt est in una persona præcisè*: Ergo censet essentiā divinam videri posse ut est in persona Patris, priùs origine quàm generetur Filius: Sed ita videri nequit, quin pariter videatur Filius; non enim videri potest intuitivè essentia,

essentia, ut est in Patre, quin simul videatur Paternitas constituens Patrem; nec potest Paternitas videri quin videatur Filiatio, quia correlata sunt simul naturâ & cognitione: Ergo ex mente Doctoris visio & amor Filii ac Spiritus sancti præcedunt instanti originis eorum productionem.

Tum ex eo quòd censeat personas procedere ab objecto primario, sub quo personas etiam comprehendit

3. Fatetur Doctor pluribi, maximè in 2. *distinctione* 1. *quæstione* 1. *numero* 14. Personas divinas procedere ab intellectu & voluntate fœcundatis per objectum divinum primarium: Sed ibidem *numero* 3. docet nedum essentiam & attributa, sed etiam divinas personas comprehendi sub objecto primario; ibi enim duo distinguit naturæ instantia, in quorum primo continentur divinæ productiones & operationes ad intra; in secundo verò operationes intellectus & voluntatis divinæ circa creaturas tanquam circa objecta secundaria, *Quæ*, inquit, *non sunt ex se objecta, sed producta per intellectum & voluntatem in esse objecti*: Ergo censet divinas processiones supponere cognitionem & amorem nedum Essentiæ divinæ, sed etiam divinarum personarum.

Tum denique quia contrarium proponit alibi tantùm problematicè.

Nec refert, quòd in 1. dist. 10. quæst. unica num. 14. dicat Spiritum sanctum antecedenter ad sui productionem non esse cognitum, *Oportet*, inquit, *Essentiam divinam cujus amor spiratur, esse præcognitam Patri & Filio adhoc ut spirent: Sed non oportet in isto instanti originis concedere Spiritum sanctum qui est amor spiratus esse præcognitum Patri & Filio.* Hæc enim non dixit resolutivè & assertivè; sed quasi dubiè & problematicè, unde subdit, *Aliter posset dici quòd in illo priori signo originis, antequam intelligatur Spiritus sanctus spirari, Pater & Filius cognoscunt Spiritum sanctum ut intuitivè, licèt non ut existentem in se, quia cognoscunt Essentiam divinam quæ est ratio cognoscendi intuitivè quodcumque objectum intelligibile.* Hoc est, cognosci potest Spiritus sanctus à Patre & Filio antequàm concipiatur productus, nimirum in ipsa Essentia divina in qua Deus cognoscit intuitivè res etiam creatas antequam existant.

Ex iis itaque constat Doctorem Subtilem hac in resoluenda quæstione aut esse omnino problematicum, aut in nostram sententiam propendere; adeoque videri potest quantùm allucinentur Recentiores quique Theologi qui sententiam oppositam Doctori adscribunt, quasi eam assertivè docuerit & propugnaverit.

IVX.

Vlteriùs suadetur Conclusio.

Probatur insuper Conclusio 1. Pater divinus priùs cognoscit & diligit seipsum quàm generet Filium: Ergo etiam priùs cognoscit & diligit Filium. Patet antecedens, quia in illo priori signo originis Pater divinus est adæquatè constitutus in sua personalitate: Erat ergo sub illa ratione cognoscibilis & diligibilis in illo priori signo, unumquodque enim eô modô quô est, etiam cognoscibile & diligibile est: Ergo sub illa ratione sese actu cognoscit, & diligit pro illo signo; infinita enim cognitio & dilectio, qualis est divina, non potest non attingere omne cognoscibile & diligibile juxta modum suæ cognoscibilitatis & diligibilitatis. Probatur consequentia,

1. Quia priùs cognoscit & diligit seipsum quàm generet Filium.

Eodem actu quô Pater cognoscit & diligit seipsum sub ratione Patris, etiam cognoscit & diligit Filium sub ratione Filii; cùm enim totum esse Patris, quà Pater est, sit relativum; nec possit quis cognoscere, aut velle relativum quà tale, nisi eodem actu, saltem in obliquo, cognoscat

A & velit correlativum: inde fit quòd Pater divinus in priori signo originis quô cognoscit, & diligit seipsum, etiam cognoscit & diligit Filium. Eadem ratio est de Spiritu sancto; si enim aliqua esset ratio ob quam non posset pro illo signo cognosci & diligi Spiritus sanctus, maximè quia in illo priori signo nundum Spiritus sanctus intelligitur esse; nihil autem fit intelligibile & diligibile, nisi dum habet esse: At eodem modo, nec Filius pro primo signo intelligitur esse, & tamen pro illo signo necesse est eum diligi & cognosci à Patre, quia Pater in quantum Pater non potest intelligi sine Filio: Ergo, &c.

2. Quia Verbum nascitur ex cognitione cõprehensiva Essentiæ divinæ adeoque & personarũ.

B *Deinde* Verbum supponit cognitionem comprehensivam divinæ Essentiæ: Sed Essentia divina non potest comprehendi nisi in illa cognoscantur personæ divinæ: Ergo, &c. Major patet. Minor probatur: Essentia divina comprehendi non potest, nisi cognoscatur pariter quidquid est ipsi intrinsecum & omnimodè identificatum; sed personæ divinæ identificantur cum essentia: Ergo non potest cognosci sine personis.

3. Quia essentia divina necessariò cognoscibilis est ut fœcũda.

Denique Essentia divina comprehendi nequit, nisi pariter cognoscatur ut fœcunda & tribus personis communicabilis: Sed ut sic cognosci nequit non cognitis ipsis personis divinis: C Ergo, &c. Major est nota: Nam essentiam esse communicabilem tribus personis est prædicatum absolutum illius divinæ Essentiæ: Ergo implicat essentiam Dei comprehendi nisi ut communicabilis tribus personis cognoscatur. Minor etiam patet: Nam essentia ut communicabilis tribus personis essentialiter cum illis connectitur & realiter identificatur: Implicat autem cognosci comprehensivè id quod essentialiter cum alio connectitur & identificatur non cognitô terminô essentialis connexionis, sicut nec relatio sine termino, nec cognitio sine objecto comprehendi possunt: Ergo, &c.

XV.

Dices 1. In illo signo non possunt cognosci & D diligi Filius, & Spiritus sanctus, in quo non sunt cognoscibiles nec diligibiles: Sed in illo priori signo, nec sunt cognoscibiles, nec diligibiles. Probatur: Vel enim sunt cognoscibiles abstractivè, vel intuitivè: Sed neutrum dici potest. Non quidem *abstractivè*: Tum quia talis cognitio esset imperfecta, & non commensurata objecto quod præscindere non potest ab existentia, quia est ens necesse esse: Tum quia personæ divinæ, sunt actus puri, illa autem abstractio objectiva esset quædam potentialitas, quæ actui puro repugnat. Non etiam *intuitivè*, quia intuitiva cognitio terminatur ad rem existentem, vel futuram; personæ autem divinæ E in illo priori signo non concipiuntur existentes; nec dici possunt futuræ in posterioribus signis; futuritio enim, repugnat actui puro & enti summè necessario, quales sunt divinæ personæ: Ergo earum cognitio non præsupponitur ad processiones divinas.

Personæ productæ eodem instanti cognoscuntur quô personæ producentes.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico personas productas eodem instanti cognosci, quô producentes. Potest enim aliquid priùs esse altero secundùm originem, & tamen esse simul cum altero secundùm cognitionem; quia prioritas originis non est prioritas *in quo*; sed tantùm prioritas *à quo*, simultas autem cognitionis sit in instanti *in quo*: Licèt ergo Filius & Spiritus sanctus, sint Patre origine posteriores, tamen quia sunt cum illo simul dura-

tione, naturâ, & subsistendi consequentiâ: Inde eodem instanti, *in quo*, sunt cognoscibiles cum Patre. Non itaque ut futuræ vel abstrahentes ab esse; sed solùm ut præsentes & ut ens necesse esse, sicut & ipse Pater. A

Cognitio quippe intuitiva supponit objectum suum existens.

Instabis: Cognitio intuitiva supponit objectum suum existens: Sed in illo priori signo, in quo divina intellectio terminatur ad essentiam, Verbum non supponitur existens, quia nundum supponitur productum: Ergo in illo priori signo notitiam intuitivam terminare non potest, & consequenter, nec abstractivè, nec intuitivè cognosci potest in illo signo; adeoque in eo nullô modô est cognoscibilis.

In instanti reali naturæ vel durationis non originis & emanationis.

Distinguo majorem: Supponit objectum suum existens in instanti reali naturæ, vel durationis, concedo: originis & emanationis, nego. Minorem similiter distinguo in illo priori signo originis Filius non concipitur productus, concedo: reverà non est productus, nego. Prioritas enim originis dicit tantùm Filium esse à Patre; non autem Patrem esse existentem aliquo instanti, in quo non sit Filius; in illa enim adoranda Trinitate nihil est prius aut posterius.

Nec inde sequitur quòd Verbū procedat à seipso aut à Spiritu S.

Vrgebis: Si Verbum supponat cognitionem sui ipsius & Spiritus sancti, sequitur ipsum procedere à seipso & Spiritu sancto, nec-non & esse posteriorem seipso & Spiritu sancto: Sed utrumque est absurdum: Ergo, &c.

Nego sequelam majoris: Nam ut dictum est, illa prioritas originis non infert anterioritatem unius ad aliud secundùm existentiam: Sed tantummodò secundùm terminationem cognitionis, ita quòd priùs operatio simplex divini intellectus divinæque voluntatis terminentur ad essentiam, & ad personas divinas, quàm dictio & spiratio concipiantur terminari ad Verbum & Spiritum sanctum quatenus sunt productiones, adeoque non sequitur personas productas esse priores aut posteriores seipsis: sed tantùm quod possint concipi & cognosci antequàm producantur; non prioritate durationis; sed conceptus.

Dices 2. Si productio Verbi supponeret cognitionem Spiritus sancti, esset ejus imago; sed hoc dici nequit; est enim imago solius Patris, ut dicemus infra. Patet sequela majoris: est enim imago, & expressio illius cognitionis quam ejus productio sequitur.

Filius est tantùm imago illius à quo producitur, non objecti quod repræsentat.

Nego sequelam majoris: Nec-non ejus probationem, Filius enim est tantùm imago illius à quo producitur, quia ut sic vendicat sibi duplicem respectum imaginis, nempe respectum principiati ad principium per quod producitur, & respectum similitudinis seu repræsentantis ad repræsentatum: Unde cùm Spiritus sanctus non sit principium productivum Verbi, sed tantùm terminus illius cognitionis divinæ quam Verbi productio supponit: Inde dici non potest quòd sit imago Spiritus sancti: Tum quia Spiritus sanctus non est objectum motivum ad illam cognitionem præviam, sed solùm essentia divina quam divinus Pater habet à se, non verò à Spiritu sancto. Tum quia ad Spiritum sanctum, non habet respectum principiati ad principium: Ergo, &c.

QUÆSTIO TERTIA.

Qui, & quales sint divinarum processionum termini?

I.

In creatis duplex est terminus actionis productivæ, terminus scilicet à quo & terminus ad quem.

NOTANDUM I. quòd cùm divinæ processiones veræ sint actiones productivæ, etiam necessariò requirunt terminum, sicut & proportione servata omnes actiones creaturarum productivæ. Duplex autem actionis productivæ in creatis distinguitur terminus, nimirum *à quo* & *ad quem*; actio enim productiva est veluti tendentia ab uno ad aliud. Terminus à quo iterum duplex, nimirum propriè & impropriè dictus: Prior ex Aristotele lib. 1. Physicorum cap. 5. & sequentibus, nihil aliud est quàm privatio illius formæ quæ per novam productionem, seu mutationem acquiritur; quô fit ut productâ formâ, terminus *à quo*, seu illius formæ privatio desinat: Posterior verò dici potest id unde aliquid oritur & producitur, sic natura divina dici potest terminus à quo generationis Filii quia nempe est principium actionis productivæ Filii. Similiter terminus *ad quem* duplex distinguitur, nimirum formalis, & totalis: Prior est ratione cujus actio refertur ad totalem: Posterior verò est ipsa persona producta secundùm totum suum esse tam essentiale quàm personale. B C

II.

In divinis nullus est terminus à quo propriè dictus.

Notandum 2. In divinis nullum esse terminum *à quo* propriè dictum, siquidem terminus à quo est privatio illius formæ vel rei, quæ producitur, quæ desinit eodem instanti quô forma producitur; nulla autem in divinis est personarum productarum privatio, nihilque est quod per productionem divinarum personarum extinguatur, & cesset esse in Deo, sicut extinguitur privatio illô ipsô instanti quô forma producta incipit esse. Difficultas autem est de termino à quo secundùm quid & impropriè dicto, an scilicet admittendus sit in divinis, dicique possit personas divinas de substantia producentis emanare. D

III.

Quomodo una persona sit de substantia alterius, non consentiunt Theologi.

Notandum 3. Quòd etsi omnes Catholici Doctores consentiant Filium oriri de substantia Patris, & Spiritum sanctum de substantia Patris & Filii; non tamen conveniunt in modo quô persona producta, est de substantia seu essentia personæ *à qua* procedit. *Durandus* enim in 1. dist. 5. quæst. 2. & *Henricus* ibidem censent Filium dici esse de substantia Patris eò quòd essentia Patris Filium constituat tanquam materia, seclusis tamen his materiæ imperfectionibus, nempe quòd inquit, *Materia sit potentia pura, quæ non sit actu nisi per aliquam formam sibi advenientem*, item *quòd transmutetur de privatione ad formam*, & quòd *acquirendo unam formam amittat aliam, &c.* Perfectiones autem materiæ convenientes essentiæ divinæ tres assignat Durandus, nempe quòd, *Materia præexistat producendo & inexistat producto*: quòd *cùm forma constituat totum*: quòd *in se recipiat formam & sit generationis subjectum*: Inde concludit Durandus essentiam divinam habere quasi rationem materiæ respectu Filii & Spiritus sancti, nam essentia divina quôdam ordine naturæ præexistit personæ procedenti in divinis, & productæ inexistit. Item cum proprietate relativa, quæ est forma personæ, constituit totam personam producentem. Denique eandem relationem in se reci- E

pit, estque veluti subjectum generationis divinæ: Unde fit ut fit de essentia personæ producentis quasi materia. Verum contra hanc sententiam reclamant omnes pene alii Doctores Catholici, asserentes divinam essentiam nec esse materiam, nec quasi materiam divinæ processionis: Sed tantùm esse principium formale subsistens, in quantum videlicet essentia Patris, Filio per generationem communicata, in eo subsistit.

Quæstionis tres in partes distributio. His prænotatis tria sunt in præsenti Quæstione resolvenda: *Primò* an persona procedens verè sit de substantia ejus à qua procedit; *Secundò* an essentia divina sit terminus à quo processionum per modum materiæ, vel formæ. *Tertiò* an terminus ad quem divinarum processionum sit vel essentia vel relatio, vel utrùmque.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. REVERA *processiones divinæ sunt de aliquo, scilicet de Essentia divina*. Hæc est omnium penè Theologorum &

Processiones divinæ sunt de aliquo. *Probatur primò* authoritate Conciliorum; nam, Concilia Toletana 3. 4. & maximè undecimum in Confessione fidei ita loquitur, *Filius non ex nihilo, aut ex alia substantia, sed ex utero Patris id est, ex substantia genitus credendus est*: Ubi imitatur illud Patris ad Filium in Psalmo, *Ex utero*

Idque constat 1. ex Conciliis. *ante Luciferum genui te*: Quo etiam testimonio utitur Concilium Hispalense 2. Can. 13. Concilium Nicænum in Confessione fidei, & Ephesinum in Epistola ad Nestorium, *Credimus* (inquit) *in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei natum ex Patre, hoc est, ex substantia Patris, Deum de Deo.*

Denique idem habet Concilium Florentinum sess. 19. dicens: *Hanc nobis doctrinam Doctores omnes tradiderant, orationes has exponentes*: FILIUS EST EX SUBSTANTIA PATRIS, ET SANCTUS SPIRITUS EX PATRIS FILIIQUE SUBSTANTIA, constat etiam ex Symbolis in quibus Filius dicitur, *Deus de Deo, lumen de lumine, &c.* maximè verò in Symbolo sancti Athanasii ubi legimus, *Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus.*

Probant hoc ipsum omnes sancti Patres, maximè vero S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. *Aut de aliqua substantia*, in-

2. Ex sanctis Patribus. quit, *natus est Dei Filius, aut de nulla: Si de nulla ergo de nihilo; quod vos Arriani non dicere jam tenemus; si de aliqua, nec tamen de Patris, non verus est Filius: si de Patris, unius ejusdemque substantiæ sunt Pater, & Filius*: Et cap. 15. eandem probationem cum proportione extendit ad Spiritum sanctum dicens, *Spiritus sanctus non est de nihilo, sed inde est unde procedit.* Simili argumento eandem veritatem probat idem ipse, vel potiùs alter in lib. contra Fœlicianum cap. 6. *Nativitatem*, inquit, *Filii Dei omnemque rimantibus, hæc nisi fallor occurrunt; id est, ut aut ex Patre sit; aut ex nihilo, aut ex altero, aut ex seipso. Horum quasi consequentiam videamus, si ex seipso, non rectè Filius dicitur qui non natus, sed ingenitus prædicatur: si ex nihilo; creatura cum cæteris, non creaturæ author ostenditur. Si ex altero; non ejus cui credimus, sed nescio cujus incogniti Patris Filius prædicatur. Quod si præter hæc quatuor non potest inveniri quintum; nec de his propter evidentem blasphemiam tria prædicari penitus possunt; restat ut substantialiter de Patre sit genitus.*

2. Ex ratione. Probatur insuper Conclusio. Filius divinus

A non est de nihilo productus, alioqui esset creatus & creatura, igitur est de aliquo præexistente: sed nihil aliud præexistit, quàm ipse Pater: Ergo oriri debet de Patris substantia.

Secundò. Omnis Filius habet in se aliquid Patris; non enim Filius est id quod producitur de externa materia, aliàs Claves & Tunicæ cæteraque artefacta essent Filii fabrorum, sutorum, & artificum: Ergo Filius etiam divinus debet in se habere aliquid Patris; at non habet Paternitatem: Ergo habet essentiam ex qua oritur.

Denique si non esset de substantia Patris, non posset ei dici consubstantialis: at consequens est absurdum & contra fidem: Ergo, &c. V.

Dices 1. Essentia, & substantia divina est simB pliciſſima & indivisim communis Patri, Filio, & Spiritui sancto: Ergo si Filius, v. g. oriatur ex essentia divina, qua ratione dicitur esse de substantia Patris, eadem dicitur esse de substantia propria, nec-non & de substantia Spiritus sancti: Sed consequens hoc est absurdum: Ergo, &c.

Nego sequelam majoris: Cum enim Filius dicitur esse de substantia Patris, nihil aliud significatur, quàm quòd eadem essentia, & substantia quæ est in Patre in primo signo originis, communicetur Filio in secundo signo originis: Filius autem in illo priori signo originis, non rectè dicitur habere essentiam quæ C illi communicatur in secundo signo; nec ille sibi ipsi propriam substantiam communicat; ideoque dici non debet de sua substantia, sed de substantia Patris. Qualiter Filius dicatur esse de substantia Patris, non de propria. VI.

Dices 2. Si Pater divinus genuit Filium de sua substantia: Ergo Verbum dici poterit Filius substantiæ Patris: Sed hoc est absurdum, dicitur enim tantùm Filius respectu correlativi, nempe Patris; at essentia divina non habet rationem Patris neque correlativi ad Filium: Ergo nec Filius dici potest de ea genitus.

Nego sequelam majoris: Quamquam enim S. Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 19. explicans illud ad Colossenses 3. *Qui eruit nos de potestate tenebrarum & transtulit in Regnum Filii Charitatis suæ*, dicat, *Filium Charitatis esse Filium substantiæ Patris, seu Filium qui de substantia ejus est genitus*; Nihilominus hæc locutio est impropria; Filius enim propriè non dicitur per respectum ad principium *quo* producitur, sed per respectum ad principium *quod*: Unde Verbum divinum dici non debet propriè Filius substantiæ Patris, sed potiùs Filius de substantia Patris ut ipsemet S. Augustinus exponit ibidem, nec-non & cap. 12. vel 13. *Tale est quod dico*, inquit, *de Patris scientia vel de Patris essentia, ac si expressiùs dicerem de Patre scientia, vel de Patre essentia.* Nec tamen Filius substantiæ Patris nominetur.

D

CONCLUSIO SECUNDA.

E PERSONÆ *procedentes sunt de substantia producentium, non per modum materiæ, sed per modum formæ.* VII. Substantia seu essentia divina non gerit vi ces materiæ sed formæ.

PROBATUR 1. Authoritate sanctorum Patrum, qui maximo consensu affirmant, causam materialem esse removendam à processionibus divinis: Ita sanctus Hilarius lib. 12. de Trinitate, *Hic ergo*, inquit, *ingenitus ante omne tempus ex se Filium genuit, non ex aliqua subjacente materia, quia per Filium omnia; non ex nihilo, quia ex se Filium*: Similiter S. August. lib. 3. contra Maximinum cap. 14. *Vos autem*, inquit, *nec Filium* Vi evincunt primò sanctorum Patrum oracula.

de substantia Patris genitum vultis; & tamen eum nec ex nihilo, nec ex aliqua materia, sed ex Patre esse conceditis, nec videtis quàm necesse sit ut qui non est ex nihilo, nec aliqua re, sed ex Deo, nisi ex Dei substantia esse non possit. Unde meritò colligit Doctor in 1. dist. 5. q. 2. num. 11. quòd *Omnes Doctores antiqui qui à tempore Augustini usque ad istum* (nempe Henricum) *non sunt ausi in divinis nominare materiam, nec quasi materiam. Cùm tamen omnes concorditer dicant cum Augustino quòd Filius generatur de substantia Patris.*

1 Quia Essentia divina est terminus formalis generationis.

Probat autem Conclusionem Doctor ibidem num. 5. Primò quia essentia divina est terminus formalis productionis genetativæ Filii: Ergo non est quasi materia ejusdem. Consequentia patet: Quod enim est materia vel quasi materia in generatione, est in potentia, vel quasi in potentia ad terminum formalem; non potest autem idem esse in potentia ad seipsum: Ergo idem non potest esse terminus formalis, & quasi materia generationis: Igitur si essentia divina est terminus formalis divinæ generationis, non est ejusdem quasi materia. Probat autem antecedens; Primò authoritate, nam Ioannis 10. Filius ait, *Pater meus quod dedis mihi majus omnibus est:* Majus autem omnibus non est nisi aliquid infinitum, adeoque est essentia divina quam Pater dedit Filio. Deinde S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 26. *Sicut Filio*, inquit, *præstat essentiam sine initio temporis, sine ulla mutabilitate naturæ de Patre generatio; ita Spiritui sancto præstas essentiam sine ullo initio temporis, sine ulla mutabilitate naturæ de utroque processio.* Secundò, terminus formalis est id quod perfectius est in generatione: Sed essentia est perfectior in personis productis, quia relationes personales non dicunt perfectionem: Ergo est etiam terminus formalis. Addit quòd in creatis natura est terminus formalis generationis, non autem proprietas individualis: Ergo idem dicendum in divinis. Denique generatio in divinis non esset univoca, si essentia divina non esset terminus formalis, quia ad generationem univocam requiritur quòd generans & genitum conveniant in termino formali; non convenirent autem personæ productæ cum producentibus, si essentia divina non esset terminus formalis: Ergo, &c.

Est enim quid perfectissimum in generatione.

2. Quia non habet rationem subjecti.

Probat 2. Quia si Filius generaretur de essentia, ut de quasi materia; vel essentia sic accepta esset quid absolutum & commune tribus Personis, vel quatenus est in primo supposito. Si primum: Ergo Filius procedit de seipso, quia procedit de essentia, ut est communis tribus Personis. Si secundum: Ergo essentia ut est in Patre, erit Filius; quia ut est in Patre, recipit relationem Filiationis tanquam formam Filii constitutivam.

3. Quia Spiritus sanctus non est de essentia, ut de materia.

Tertiò, quia Spiritus sanctus est de essentia æquè ac Filius, & tamen ex mente Henrici non est de Essentia tanquam de Materia, aliàs ejus productio esset naturalis: Ergo nec ex ea debet esse Filius tanquam de Materia.

Tamen non est omninò improbanda Henrici sententia.

Quamquam autem hic communior Doctorum loquendi modus, & ad Catholicam veritatem magis sit accommodatus, nihilominùs non omninò improbanda est Henrici sententia: Si nempe ille sit sensus quòd quemadmodum materia præsupponitur rei quæ fit ex ea, & reperitur & subsistit cum illa re quæ est for- A ma determinativa & constitutiva; ita essentia divina Patris præsupponitur in priori signo originis Filio, qui de ipsa generari dicitur, & intrinsecè includitur in Filio simul cum relatione filiationis, quæ est veluti forma constitutiva Filii: Unde hæc quæstio tota penè est de nomine. Certum enim est quòd in divinis non sit propriè forma, sicut nec materia: Sed utraque Deo tribuitur tantùm per metaphoram & quandam proportionem, quam essentia divina habere potest cum forma & materia in creaturis: Nihilominus *Materiæ* nomen Deum magis dedecet quàm *Formæ*: Siquidem cùm sit substantia spiritualis & purus actus; hæc utraque appellatio directè militat cum materiæ B vocabulo, non ita cum nomine formæ.

Conclusio Tertia.

Terminus totalis ad quem processionum divinarum est persona producta, formalis verò est essentia communicata.

D*ivinarum processionum terminus totalis ad quem, est tota persona producta; terminus verò formalis est ipsamet natura divina communicata Personis productis à producentibus:* Hæc Conclusio duas habet partes, quarum

Probant sancti Patres.

Probatur prima: Primò quidem à sanctis Patribus qui Filium Dei totum de toto originatum & productum esse pronunciant; sic Nazianzenus Orat. 50. Filium appellat, *Perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno*; Et infrà, *In Patre totum quod inest totum genuit Filium*: C Subscribit sanctus Ambrosius de Filii divinitate cap. 7. *Tantus est Filius*, inquit, *quantus videbitur esse Pater, totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecto, consummataque virtute, & sicut Apostolus dicit in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Concinit & Hilarius lib. 7. de Trinit. *Vnum*, inquit, *ex uno, & totum à toto Deum & Filium neque per nativitatem Patri ademisse quod totus est, neque hoc ipsum totum non secum nascendo tenuisse.* Idem habet S. Augustinus pluribi, maximè Sermone 125. de Tempore: *Genuit Filium*, ait, *totum à toto, perfectum à perfecto, plenum à pleno.* Idem pari ratione dici debet de Spiritu sancto, unde Concilium Florentinum sess. 18. D communi consensu Latinorum & Græcorum per Ioannem & Marcum statuit: *Processionem esse quâ Spiritus sanctus accipit esse, ac illud totum quô est, quôque propriè Spiritus sanctus nuncupatur.* His itaque constat Filium & Spiritum sanctum secundùm se totos, idest, quatenus constant essentia divina & relatione Personali, non autem secundùm præcisam relationem filiationis aut spirationis, esse terminos totales divinarum processionum.

Nazianzenus. Ambrosius. Hilarius. Augustinus. Concilium Florentinum.

Ratio confirmata à S. Hilario.

Secundò, Persona producta non est composita, sed omninò indivisibilis: Ergo tota producitur; maximè cùm productio terminetur E ad rem quatenus existit à parte rei. Hanc rationem ita urget S. Hilarius lib. 9. de Trinit. *Dum*, inquit, *non ex portione compositus est* (Filius) *sed ex simplicitate perfectus est: necesse est ut secundùm quòd est Pater, ipse sit omnium suorum ei, quem ex se genuit, Pater totus; dum eum Patrem ex suis omnibus nativitas Filii perfecta consummat*: Quasi diceret cùm Persona producta sit omninò simplex, etiam & simpliciter dici debet producta.

Secunda pars probatur.

Secunda pars est Doctoris in 1. dist. 5. q. 2. & dist. 13. num. 12. ubi loquens de productionibus divinis ait: *Productio ista non est fluxus*

aliquis, neque forma fluens, neque est ejusdem A *rationis cum forma, quia terminus formalis productionis est aliquod essentiale.* Censet ergo Doctor relationem constitutivam personæ productæ non esse terminum formalem productionis. Probatur *primò*, Natura est terminus formalis in productione Creaturarum, non autem personalitas aut suppositalitas: Ergo idem pariter est in divinis, à plena paritate rationis. *Secundò*, Ille est terminus formalis productionis, qui est forma conferens illud esse quod primò & per se intenditur in productione: sed essentia divina confert illud esse quòd primò & per se intenditur in productionibus divinis, nempe quòd Persona producta sit Deus: Ergo essentia dici debet B terminus formalis productionis.

Triplici ratione.

1. Quia natura est terminus formalis in productione Creaturarum.

2. Quia natura divina primò & per se intenditur

Confirmatur. Quoniam generatio tendit ad hoc ut Filius perfectè assimiletur Patri in essentia ex vi formalissima suæ generationis; & Spiritus sanctus ex identitate essentiæ sibi communicatæ: Sed illam similitudinem & identitatem confert, non relatio sed essentia: Ergo hujus communicatio primariò intenditur in productione divina. *Tertiò* denique, Si relatio, non verò essentia, esset terminus formalis processionum divinarum, sequeretur illas non esse univocas, sed æquivocas: At falsum consequens: Ergo & antecedens. Patet sequela majoris; Univoca enim sunt *Quorum nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accom-* C *modata omninò eadem*, ut docet Aristoteles in Ante-prædicamentis: Sed si relationes Personarum constitutivæ essent termini formales earum productionum; nec personæ productæ invicem & cum producentibus haberent nomen commune; Filius enim non dicitur Pater; nec formale significatum per nomen esset eis commune; quod significatur enim per filiationem, non est commune Patri nec Spiritui sancto, & consequenter non essent univocæ, sed æquivocæ. Hoc autem est absurdum; sequeretur enim eas esse diversæ speciei & naturæ. Quod implicat, æquivoca namque sunt diversæ naturæ, adeoque diversæ D speciei.

3. Quia si relatio esset terminus processionum, non essent univocæ.

Nec refert quòd personæ adæquatè sumptæ, non sint ejusdem rationis; quia habent relationes oppositas & disparatas: Nam ad univocationem, inquit Doctor in 1. dist. 13. n. 23. non requiritur quòd univocata adæquatè sumpta, sint omninò ejusdem rationis; aliàs Petrus & Paulus non essent univoci, quia includunt Petreitatem & Pauleitatem quæ sunt primò diversæ: Sufficit ergo quòd conveniant in univocatione essentiæ.

Dices 1. Terminus formalis productionis debet esse productus: Sed essentia non est producta. Ergo, nec est terminus formalis pro- E ductionis. Minor constat, Essentia enim divina nec producit, nec producitur. Probatur minor, quia *propter quod unumquodque tale & illud magis:* Sed terminus totalis, qui dicitur productus, ita denominatur propter formalem terminum: Ergo hic magis debet dici productus: Minor patet; Terminus enim formalis productionis est ratio formaliter constituens productum in esse producti. Ergo, &c.

Nego majorem: Anima enim rationalis in productione & generatione hominis, est terminus formalis dans esse formale homini genito, illa tamen non producitur ab homine generante, sed sufficit quòd communicetur ex exigentia naturali illi corpori ab homine genito; sic etiam beatissima Virgo dicitur *Deigenitrix*, non quòd Verbum genuerit, aut hypostaticam unionem effectivè produxerit, sed quòd physicè concurrerit ad productionem naturæ humanæ exigentis naturaliter suppositum, vel proprium, vel divinum. Ergo à simili sufficit quòd essentia divina communicetur personis productis & det eis esse divinum, ut dicatur terminus formalis productionis.

Anima rationalis est terminus formalis productionis, tamen non est genita.

Ad probationem respondeo: Illud axioma propter quod unumquodque tale & illud magis, non verificari in omni genere causæ, maximè in causa formali, nam propter animam rationalem Petrus est homo, nihilominùs anima non est magis homo, quàm Petrus. *Adde* quòd nec in Creaturis, nec in Deo terminus formalis rei productæ sit ratio formaliter constituens eam in esse producti, imò in Creaturis hæc ratio est de prædicamento actionis aut passionis, adeoque accidentalis est; qualis certè non est forma substantialis producta.

Illud axioma *propter quod unumquodque tale*, &c. non est semper verum.

Dices 2. Terminus qui producitur, accipit suam realitatem formaliter ex vi termini formalis: Sed Filius non accipit formaliter suam realitatem ex vi essentiæ; sed ex vi filiationis, quæ est sua personalis proprietas: Ergo essentia non est terminus formalis divinæ productionis.

Distinguo minorem: Non accipit suam realitatem personalem ex vi essentiæ, concedo: Essentialem & divinam, nego. Per essentiam enim sibi communicatam Filius accipit esse divinum, in quo imbibitur divina filiatio, & sine quo illa nihil esset: Itaque Filiatio est quasi forma constituens eum in esse Filii & personæ; quæ forma pertinet ad terminum totalem, qui producitur ut *quod*. Terminus autem *ut quo* est ipsamet essentia.

Filius accipit realitatem personalem ex vi Filiationis, & essentialem ex vi essentiæ sibi communicatæ.

Dices 3. Ille est terminus formalis, qui in termino totali habet rationem formæ constitutivæ & distinctivæ: Sed sola relatio personalis hoc habet in persona producta: Ergo illa sola est terminus formalis. Major patet ex mox dictis. Probatur minor. Relatio est quæ constituit personam, & efficit distinctionem inter producens & terminum productum; non enim invicem distinguuntur realiter per essentiam: Ergo essentia non est terminus formalis.

Distinguo priorem partem minoris ut priùs: Relatio habet rationem formæ constitutivæ in esse personali, concedo: Substantiali, nego. Unde essentia divina se habet quidem ut forma dans esse divinum: Relatio verò ut modus, seu terminus essentiæ tribuens esse personale.

Relatio est forma constituens in esse personali, non verò in esse substantiali.

Ad posteriorem minoris partem dico, equidem terminum formalem in creatis productis, statuere ordinem & realem distinctionem inter producens & formalem terminum productum, quoniam terminus ille formalis in creatis ordinariè producitur: Secus autem in divinis, ubi terminus ille formalis non producitur, sed tantùm communicatur. Unde quantùm ad hanc partem neganda est paritas.

Terminus formalis in creatis efficit distinctionem realem, quia producitur; non autem in divinis.

Instabis. Essentia, ut diximus, est terminus formalis *quo*, saltem impropriè dictus: Ergo non potest esse formaliter terminus *ad quem*; Patet consequentia; terminus enim *quo* & *ad quem* opponuntur.

Essentia divina in diversis personis est simul terminus formalis quò, & ad quem.

Nego consequentiam: Sicut enim non repugnat eandem essentiam, quæ est in Patre, per generationem communicari Filio; ita etiam non repugnat eandem essentiam esse principium formale *quo*, & terminum *ad quem* quatenus consideratur in diversis suppositis & personis.

Filius recipit à Patre eandem numero essentiam, sicut & Spiritus sanctus à Patre & Filio.

Ex his colligit 1. Doctor in 1. dist. 5. quæst. 2. num. 13. Filium divinum (idem dicendum de Spiritu sancto) non esse de nihilo, ex eo quòd fit de substantia Patris, hoc est, quia recipit à Patre eandem numero naturam; quemadmodum enim inquit, illa non fiunt ex nihilo quæ præsupponunt materiam suam; ita nec illa dici debent fieri ex nihilo quæ præsupponunt formam suam: Sed Filius præsupponit essentiam divinam in Patre quasi formam sibi communicatam: Ergo non est dicendus fieri ex nihilo.

Talis naturæ divinæ communicatio sufficit ad verã & perfectã generationem.

Colligit 2. Quòd hæc totalis divinæ naturæ communicatio sufficit ad veram & genuinam generationis rationem, non minùs, imò multò perfectiùs quàm si fieret per substantiæ generantis decisionem; sicut enim inquit homo generans verè censetur Pater, ex eo quòd suæ substantiæ partem decidat, eamque ad Filii formationem subministret; multò perfectiùs sibi Patris nomen vendicare debet divinus Pater, *Non decidendo aliquid sui, sed totam essentiam suam communicando, & hoc ut formalem terminum illius productionis .... Quemadmodum enim si Pater creatus immediatè decideret à se Filium, verè esset Pater, quia illud quod esset, de se verè esset terminus actionis*: Sic multò magis æternus Pater perfectè filium generare dicitur, non solùm partem, sed totam naturam suam indivisim ei communicando.

Verbum divinum producitur per communicationem indivisibilẽ naturæ divinæ.

Colligit 3. Verbum divinum produci non per decisionem substantiæ divinæ, nec per illius destructionem; sed per communicationem indivisibilem ejusdem omnino, non solùm identitate reali, sed etiam formali essentiæ divinæ; ut decernitur cap. *Damnamus* de summa Trinit. nimirum, *Dici non posse quòd partem substantiæ sua Filio dederit Pater, & partem ipse sibi retinuerit, cùm substantia Patris indivisibilis sit; utpote simplex omnino.*

Quares: An eodem modo & indiscriminatim uti liceat propositione ex & de *ad significandam consubstantialitatem personæ procedentis cum principio producente?*

Præpositionibus *de*, & *ex* indiscriminatim usi sunt sancti Patres ad significandam consubstantialitatem personæ productæ, & producentis.

RESpondeo 1. Has duas præpositiones *ex* & *de* vix apud linguarum Græcæ & Latinæ peritos & interpretes discrimen habere: Unde etiam indiscriminatim utrisque plurimi ex sanctis Patribus utuntur, ad denotandam consubstantialitatem personæ productæ cum producente; sic sanctus Chrysostomus tom. 3. de Spiritu sancto probat ejus Divinitatem, & consubstantialitatem cum Patre ex Verbis Apostoli 1. Corinth. 2. *Spiritum qui ex Deo est. Ex Deo autem*, inquit, *nihil dicitur nisi quod est ex substantia ejus*: Sic utraque particula utitur Nazianzenus Orat. 2. de fide Nicæna ubi sic legimus, *Deus de Deo, lumen de lumine, vita ex vita, perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno.* Sic denique Ecclesia Latina Nicænum Symbolum effert, *Ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo*, & de Spiritu sancto, *Qui ex Patre Filioque procedit.*

Licet præpositio *de* sit aptior ad illam significandam.

Respondeo 2. Præpositionem *de* aptiorem esse & frequentiùs usurpari ad significandam consubstantialitatem producti, & producentis; præpositio enim *ex* secundùm vim suæ significationis, importat tantùm ordinem producti ad producentem, non significando consubstantialitatem: at vero præpositio *de* significat præterea consubstantialitatem rei productæ cum principio producente, ut explicat sanctus Augustinus lib. de natura boni contra Manichæos cap. 26. *Ex ipso*, inquit, *non hoc significat quod de ipso; Quod enim de ipso est, potest dici ex ipso, non autem omne quod ex ipso est rectè dicitur, de ipso. Ex ipso enim Cœlum & Terra quia ipse fecit ea; non autem de ipso, quia non de substantia sua; sicut si aliquis homo gignat Filium, & faciat domum, ex ipso filius, ex ipso domus; sed filius de ipso, domus de terra & ligno.* Hinc etiam Arriani, ut refert Theodoretus lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. & ut legitur in actis Concilii Nicæni cap. 2. circa finem ut simularent se Catholicæ fidei consentire, concedebant Filium ex Deo esse. Etenim inquiebat Eusebius Nicomediensis eorum Princeps, *Nos quoque ex Deo sumus; nusquam Deus ex quo omnia*; sed Catholici Episcopi, *Fraudulento conatu exploratè cognitô planius explicarunt illud*: Ex Deo esse, *Verum creatura propterea quod non ipsa ex se aut sine causa orta sint; sed principium ortus sui habeant ex Deo esse dicantur: Tum Filius solus existimetur ex Patris essentia constare: hoc enim unigeniti & veri Verbi Dei Patris proprium est; quod autem ab Episcopis scriptum est, ex Patris essentia, hac causa fuit*: Sic insidiosa Arrianorum vocabula notavit Nazianzenus Orat. 49. ubi Arrianum ita carpit, *Quia lumen Pater, & lumen Filius, rectè lumen de lumine credimus. Tu autem non lumen de lumine, sed lumen ex lumine, ita asseris quasi à Patre qui verè lumen est aliud lumen sit factum, quod de ipsa Patris substantia non sit, sed sicut aliud quodlibet lumen quamquam à Deo sit factum longè tamen aliud sit ab eo qui fuerit: & ideo lumen ex lumine, non de lumine dicis.*

Sic August.

Præpositione *ex* usi sunt Arriani ad decipiendos Catholicos circa præsentem materiam.

Particula *de* non significat semper consubstantialitatem.

Nec refert quòd particula *de* etiam videatur interdum non significare consubstantialitatem principii & principiati, ut colligit Driedo lib. 3. de Regulis, & Dogmatibus sacræ Scripturæ, ex illo Matth. 1. *Quod in ea natum est de Spiritu sancto est*, & ex Symbolo Apostolorum, *Conceptus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine*, & in Symbolo Nicæno. *Incarnatus est de Spiritu sancto*: Quæ verba Christi humanitatis formationem indicant, secundùm quam non est consubstantialis Spiritui sancto.

Sed tunc idẽ significat ac præpositio *ex*.

Respondeo enim particulam *de* idem ibi significare ac præpositionem *ex*: Tum quia ita præfatum Matthæi contextum explicat S. Athanasius Dialogo 3. de Trinit. circa finem *Inventa est*, inquit, *gravida ex Spiritu sancto*: Tum quia Maldonatus, & Salmeron eundem contextum exponentes, affirmant præpositionem *ex* magis ad Verbum respondere Græco: Tum denique quia sanctus Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto cap. 5. exponens illud Matthæi 1. *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, observat quòd licèt plerique habeant de *Spiritu*; Græcus tamen unde transtulerunt Latini, dicit *Ex Spiritu sancto*, quod enim inquit, *ex aliquo est, aut ex-*

substantia ejus est, aut ex potestate ejus; ex substantia, sicut Filius, qui ait, Ex ore altissimi prodivi: *sicut Spiritus sanctus* qui à Patre procedit; *ex Patre autem sicut illud est: unus Deus Pater ex quo omnia*: Ex quibus infert Mariam sanctissimam genuisse ex Spiritu sancto, non ex substantia, sed ex potestate; adeoque supponit præpositionem *de* consubstantialitatem determinatè significare, quam præpositio *ex* solùm indeterminatè declarat.

Quæstio Quarta.

Quomodò fiant divinæ Processiones an liberè vel naturaliter?

Quadruplex operandi modus, liber, naturalis, contingens, & necessarius.

NOTANDUM 1. Quatuor à Philosophis distingui operandi modos, nimirum *liberè, naturaliter, contingenter, & necessariò*: Quorum duo priores ita invicem opponuntur, ut simul subsistere non possint in eodem principio & respectu ejusdem effectus; sicut nec duæ differentiæ dividentes idem genus inesse possunt eidem speciei. Etenim quodlibet agens, vel determinatur ad agendum, & sic agit naturaliter; vel seipsum determinat, & sic liberè: Posteriores verò duo operandi modi, non sic invicem opponuntur; eadem enim facultas agere potest *necessariò*, simul & *contingenter*. Actio namque dicitur necessaria, quæ non potest non subsequi, undecumque proveniat necessitas, sive ex libera determinatione facultatis, sive aliunde: Actio verò contingens ea est, quæ potest non esse, sive impediatur ab extrinseco, sive suspendatur ex libera determinatione voluntatis; quó fit ut contingentia & necessitas stare possint cum modo operandi naturaliter & liberè: Ex eo enim quòd aliquid sit liberum, non sequitur illud non esse necessarium; imò quó major est libertas, eó major est necessitas; nam ut inquit S. Anselmus lib. de libero arbitrio cap. 5. *Qui sic habet quod decet & expedit ut hoc amittere nequeat, liberior est, quàm ille qui sic habet hoc ipsum ut possit perdere*: Unde subdit, *Liberior igitur est voluntas quæ à rectitudine declinare non potest.* Idem docet S. Augustinus in Enchiridio cap. 105. loquens de summa libertate, qua fruetur homo post hujus vitæ miserias: *Sic oportebat*, inquit, *priùs hominem fieri ut & benè velle posset & malè*; idest, ut haberet libertatem contradictionis & contrarietatis: *Postea verò sic erit ut malè velle non possit: nec libero carebit arbitrio, multò quippe liberius erit arbitrium quòd omnino non poterit servire peccato: Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est aut libera dicenda est quâ beati esse sic volumus, ut esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam velle possimus.*

Quadruplex libertas, Contradictionis, Contrarietatis, Complacentiæ, & Essentialis.

Notandum 2. Multiplicem distingui libertatem sed maximè quadruplicem, nimirum *Contradictionis*, quæ est ad positionem, vel non positionem actus, v. g. ad velle vel non velle. 2. *Contrarietatis*, quæ est ad actus contrarios & positivos respectu alicujus objecti, cujusmodi sunt nolle & velle, amare & odisse. 3. *Complacentiæ*, quâ voluntas sibi complacet in aliquo, etiam si respectu illius non habeat rationem causæ, nec aliquem actum positivum eliciat. 4. denique *Essentialem*, seu simplicem, quæ consistit in ordine actus ad principium sese eli-

A gibiliter & delectabiliter determinans ad actū.

Necessitas pariter quadruplex, violentiæ, coactionis, immutabilitatis, & omnimodæ inevitabilitatis.

Similiter quadruplex est necessitas. 1. *Violentiæ*, quæ accidit reluctante natura, sic grave violenter fertur sursum & leve deorsum: 2. *Coactionis*, quæ accidit reluctante voluntate; dum quis, v. g. aliquid facit aut patitur, contra propriam inclinationem. 3. *Immutabilitatis*, quâ fit ut oppositum non possit evenire, licèt res absolutè posset non esse: sic Deus necessariò dicitur facere quidquid faciendum decrevit, alioqui mutaretur, potuit tamen non decernere rem illam non faciendam. 4. Denique est necessitas omnimodæ *Inevitabilitatis*, quando B nimirum aliquid ita est, ut absolutè non possit non esse: Sic Deus se amat necessariò, quia non potest se non amare.

Patrem genuisse Filium voluntariè duobus modis potest intelligi.

Notandum 3. Cùm quæritur an divinus Pater Filium suum *volens genuerit*: Quæstionem hanc duplicem referre sensum; quorum *Primus* est, an Pater producat Filium *voluntate*, idque voluntate, vel concurrente ad Filii sicut ad Creaturarum productionem, vel voluntate immediatè eliciente productionem Filii, sicut concurrit ad productionem Spiritus sancti; vel denique voluntate applicante aut copulante parentem cum prole, idest, intellectum Patris ad generationem Verbi. *Secundus* sensus C est, An saltem *voluntariè* Pater genuerit Filium; idque vel antecedenter, vel concomitanter, vel subsequenter, hoc est, an voluerit generationem Filii in priori signo originis, quô nundum intelligitur Filius productus, vel dum producitur in secundo signo; vel ubi productus concipitur in tertio signo.

Conclusio Prima.

Verbi divini processio est naturalis.

VERBI *divini processio nullatenus est libera, sed naturalis.* Hæc Conclusio probata manet ex illis quæ diximus Filium non procedere per voluntatem, sed per memoriam fœcundam, divinumque Patris intellectum, qui, ut D constat, non est facultas liberè, sed naturaliter operans & producens.

Probatur 1. authoritate Concilii Nicæni

Confirmatur, insuper authoritate. Primò quidem Concilii Nicæni lib. 2. circa medium; *Dei Patris sapientia*, inquit, *Deus verè est ex ipso Deo, æternus ex æterno, verus ex vero, cùm sit naturâ Filius æterni Dei & Patris.* Similiter

2. Ex sanctis Patribus. Athanasio.

Athanasius Orat. 2. contra Arrianos, Filium esse dicit *ex Patre naturale genimen & naturalem fœtum & partum*: Et Orat. 3. Verbi generationem appellat *naturalem generationem*: Et Oratione 4. invehitur adversus Arrianos qui Deo necessitatem coactionis adscribebant, eó quòd Catholici Filium Dei naturaliter & necessariò à Patre genitum esse dicerent: Unde subjungit; *Id enim quod oppositum est voluntati* E *animadverterunt: Id autem quod majus est altiusque non conspexerunt. Vt enim opponitur voluntati, id quod est præter animi sententiam: ita altius est priusque voluntate, id quod secundùm naturam est.* Eôdem modô loquitur sanctus Basi-

Basilio.

lius qui lib. 2. contra Eunomium, ubi Filii generationem *connaturalem ad Patrem* nominat:

Cyrillo Alexand.

Et Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Thesauri cap. 6. ait; *Dignitatem ipse Filius habet à natura, ut videlicet Deus Pater suus naturaliter sit*: Et Am-

Ambrosio.

brosius lib. 4. de Fide cap. 4. *Sicut bonus Pater, ait, non ex voluntate est aut necessitate, sed super utrumque, hoc est naturâ: Ita non generat ex voluntate, aut necessitate Pater.* Similiter lo-

Hilario.

quuntur Hilarius lib. 6. de Trinit. ubi ait,

Augustino.

Ex se Vnigeniti sui naturalis docetur nativitas: Et Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 20. notat *Verbum esse Filium natura, non voluntatis.* His itaque constat Verbi generationem esse naturalem, non verò liberam.

9. Triplici ratione.

Confirmatur etiam ratione: Omnis productio quæ fit à principio intrinseco ex se determinato ad unum, propterea que necessariò operante, est omninò naturalis: Sed Verbi divini generatio procedit ab intellectu intrinsecè determinato ad unum & omnimodè necessariò operante: Ergo est etiam omnimodè naturalis. *Deinde*; Productio illa censenda est absolutè naturalis, quæ per se & formalissimè communicat naturam producendo sibi simile in natura: sed talis est Verbi divini productio, ut vidimus in præcedenti Articulo. Ergo, &c. *Denique*: Productio illa eò magis censenda est naturalis, quò longiùs distat à libero: Sed Verbi generatio summè distat à libertate; quia nullomodo procedit à voluntate, quæ est thronus & origo libertatis: Ergo etiam absolutè dicenda est naturalis.

Aliqui Patres cum Concilio Tolerano videntur contrarium asserere.

Objic. 1. Plures ex sanctis Patribus asserentes Verbum procedere per voluntatem: Io primis enim Iacobus Zebædei filius, qui apud Clementem Romanum lib. 8. Constitutionum cap. 12. sic Patrem æternum alloquitur: *Ipsum verò ante omnia sæcula generasti voluntate, potentiâ & bonitate sine ullo medio Filium unigenitum.* Idem habet cap. 16. Secundò Athanasius in Evangelium de sanctissima Deipara scribit: *Verbum esse ex voluntate Paterna.* Tertiò Hilarius lib. de Synodis proximè ante exemplum fidei Syrmieæ, *Nativitas*, inquit, *in eo adeò perfecta natura est, ut qui ex substantia Dei natus est, etiam ex consilio ejus, ac voluntate nascatur.* Similiter S. Augustinus libro 15. de Trinitate cap. 20. Filium Dei appellat *Consilium de consilio, voluntatem de voluntate*: Quibus concinit Concilium Toletanum 11. in Confessione fidei scribens; *Secundùm essentiam voluntas genuit voluntatem, Filius est voluntas ex voluntate*: Ergo Verbum divinum non naturaliter, sed voluntariè produci dicendum est.

Sed facilè exponitur.

Nego consequentiam: Non enim ea est sanctorum Patrum sententia; sed idcirco dicunt Filium voluntate produci, quia nempe ejus productione communicatur natura divina quæ omnia attributa, adeoque etiam voluntatem essentialiter complectitur; unde veluti omnia hæc ad Verbi formationem concurrere dicuntur, non per modum principii producentis, sed per modum Divinitatis communicatæ; ita videlicet ut Pater qui est ipsa sua voluntas, consilium, sapientia, & cæteræ perfectiones, genuerit Filium, qui sit etiam sua voluntas, consilium, &c. ut explicat præfatum Concilium Toletanum scibens eô modô Filium dici voluntatem de voluntate quomodo dicitur *natura de natura, quoniam secundùm Athanasium non aliud est voluntas, aliud natura Patris.*

Confirmatur hæc responsio etiam ex illis verbis sancti Iacobi (*sine ullo medio*) quibus significat Filium non esse genitum concurrente voluntate tanquam principio productivo; sed tanquam voluntate inclusa in essentia cum aliis attributis: unde ait Filium voluntate generari quomodo potentiâ & bonitate; Certum est autem quòd Verbum non procedat à potentia & bonitate tanquam à principiis: Ergo nec ita procedit à voluntate.

Quod autem ea pariter sit mens præfatorum Patrum, constat; nam Hilarius & Augustinus libris de Trinitate, toti sunt ut probent Verbum non adoptione sur libera voluntate, sed naturâ esse Filium: Similiter S. Athanasius illud pluribus evincit contra Arrianos: Unde Orat. 4. *Verbum*, inquit, *ex natura gignens non prædeliberat; cum Pater in Verbo reliqua omnia quæ voluntate decernit, faciat, & condat: quemadmodum Iacobus Apostolus docuit, volens progenuit nos Verbô veritatis.* Et infrà proferens discrimen inter productionem Filii & Creaturarum subdit; *Filius proprium germen substantiæ Patris non aliunde est, sed à Patre, ideoque de illo non deliberatur, ne & de seipsô deliberari videatur*; quia nimirum si decrevisset Pater non habere Filium, eô ipsô decrevisset ut ipse non esset Pater, ac subinde simpliciter non esset.

Proponitur Sophisma Arrianorũ.

Objicies 2. Sophisma Arrianorum quod ita refert Nazianz. Orat. 3. de Theologia; *Vel volens*, inquiunt, *Pater Filium genuit, vel nolens... Si nolens, vim ergo ei illatam necesse est: & quisnam est qui vim intulit? & quomodo cui vis allata est Deus esse potest? Si autem volens, ergo Filius voluntate est Filius, quô igitur modô ex Patre progenitus est? Ita novam quamdam Matrem voluntatem Patris locô comminiscuntur.*

Illud in eos retorquent Nazianzenus & Augustinus.

Retorquet objectionem Nazianz. ibidem: *Pater vel volens Deus est, vel nolens: Si volens, quomodo velle cœpit? Non enim priùs quàm fit?* Et infrà; *Quid autem afferri poterit qui juxta tuam argumentandi rationem ipse quoque voluntatis fœtus sit? Quòd si nolens, quis enim coegit ut esset?* Idem habet Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 20. & Cyrillus lib. 1. Thes. cap. 8. unde

Solvitur.

Respondeo: in forma Pater producit Filium volens voluntate effectiva aut productiva, nego: Voluntate operativa & essentiali, concedo. Triplex itaque distingui potest divina voluntas, juxta triplicem habitudinem ad tres distinctos terminos, nimirum ad Creaturas, Spiritum sanctum, & Filium. Etenim est principium effectivum Creaturarum quas producit ad extra liberè libertate contradictionis, quia posset eas non producere si ita nollet: Est etiam principium productivum Spiritus sancti ad intra per spirationem quæ libera est libertate essentiali, ut dicemus infrà: Denique est operativa circa divinam essentiam, & etiam circa Verbi divini productionem; quoniam in priori Signo originis Pater divinus novit, & vult & amat suam essentiam, & seipsum; imò etiam Filium & Spiritum sanctum intellectione & volitione essentiali & simpliciter operativa, priusquàm concipiatur producere Filium & Spiritum sanctum in posterioribus Signis, ut aperiet iterum

Triplex in Deo voluntas, effectiva Creaturarum, productiva Spiritus S. & operativa Verbi.

CONCLUSIO SECUNDA.

Pater producit Verbum voluntate antecedente, concomitante & consequente.

PATER *producit Verbum voluntariè voluntate tam antecedente quàm concomitante, & consequente*: Hæc est Doctoris in 1. dist. 6. num. 5. ubi primam Conclusionis partem sic probat. *Dico*, inquit, *quòd Pater hôc modô gignit Filium volens, quia Pater in primo signo originis intelligit formaliter, & tunc etiam potest habere actum volendi formaliter in secundo signo originis gignit Filium, nec tantùm vult illam gignitionem*

Explicatur prima Pars à Doctore.

volitione

volitione sequenti primam genitionem, sed volitione habita in primo signo originis, qua volitione Pater formaliter vult, præsupposita aliquomodo intellectione quâ Pater intelligit, non autem genitione Verbi; sic ergo dico quòd Pater volens generat non tantùm voluntate consequente, sed voluntate antecedente.

Dicere præsupponit intelligere & velle essentiale.

Quam veritatem sic exponit ille, vel quivis alius additione sequenti. In primo instanti Pater habet perfectum intelligere cujuscumque intelligibilis & volibilis à se: Ergo in illo signo intelligit generationem Filii, & in secundo signo instantis habet terminum productum; nam & in primo signo, etsi nulla persona procederet ab eo, habet intelligere & velle; & in illo priori, intelligit actum dicendi, qui est quasi posterior respectu actus intelligendi & volendi. Non igitur Pater tantùm complacet voluntate in productione filii, sed volens præcedit actum generationis Filii; quia Pater quidquid intelligit per essentiam suam intelligit, & quidquid vult, per essentiam suam vult: Unde licèt intelligere Patris præcedat velle; velle tamen Patris præcedit dicere: ita quòd priùs Pater est perfectus in se, & Beatus per intelligere & velle, quàm ista alteri personæ communicet per productionem; quia quod non convenit ei in primo instanti quô Pater est, nunquam ei convenit, eò quòd nulla perfectio potest sibi addi productione cujuscumque personæ, quia nulla persona habet nisi quod est sibi communicatum ab illo: *Velle* igitur sicut *intelligere* præcedit *dicere*: sic *spirare* sequitur *dicere* aliquomodo scilicet ordine originis.

Secunda & tertia pars probantur primò ex scriptura.

Secunda & tertia pars probantur illis omnibus Scripturæ textibus quibus insinuatur Filium à Patre diligi, & Patrem in eo complacere: Sic Matth. 3. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*: Sic pariter Proverbiorum 8. Sapientia æterna ait, *Cum eo eram cuncta componens & delectabar per singulos dies, &c.* Cujus loco septuaginta Interpretes legunt. *Ego eram cui adgaudebat quotidie, &c.* Unde Athanasius Orat. 2. contra Arrianos, *Deus*, inquit, *ipse imaginis genitor est, quam contuendo exhilaratur*: Simili modo Tertullianus lib. 6. contra Praxeam præfatum contextum legit, *Ego eram cum illo compingens, ego eram ad quam gaudebat: quotidie autem oblectabar in persona ipsius.* Ubi observanda est dilectio cum gaudio non solùm circa Divinitatem, sed etiam circa personas Patris & Filii.

2. Ex sanctis Patribus Athanasio & Tertulliano.

Confirmatur etiam illis omnibus sanctorum Patrum sententiis qui dicunt Filium Dei à Patre dilectum, & à volente Patre genitum. Sic Clemens Romanus lib. 7. Constitutionum cap. 42. ait *Filium beneplacitô Patris genitum*, Justinus Dialogô cum Tryphone, *Volente Patre progenitum*: & Cyrillus Dialogô de Trinit. lib. 2. postquàm negavit voluntatem quæ divinam generationem præcesserit per modum principii producentis, *Est enim non absque voluntate* (generatio) *qua est naturaliter, cùm voluntas cum natura ejus simul currat, ut sit, qua est.* Quæ hanc adversus Conclusionem possent objici, soluta sunt in Quæstione 2. præsentis Articuli, ubi probavimus productionem Filii & Spiritus sancti supponere notitiam & amorem nedum Essentiæ divinæ, sed etiam ejusdem Filii & Spiritus sancti.

Conclusio Tertia.

Spiritus S. processio est necessaria, libera tamen.

SPIRITUS *sancti processio est necessaria, & tamen libera libertate essentiali.* Hæc est Doctoris in 1. dist: 10. num. 10. & sequentibus, nec-non & sancti Thomæ, ut constat maximè quæst. 10. de potentia art. 2. ad 5. ubi cùm objecisset, *Quod si Spiritus sanctus procedat per modum voluntatis, oportet quòd procedat per modum libertatis, quod autem procedit per modum libertatis potest procedere, vel non procedere, quia quæ liberè fiunt non sunt determinata ad unum: Ergo Pater potuit producere Spiritum sanctum, vel non producere, & dare ei quamcumque mensuram magnitudinis vellet, &c.* Respondet, *Quòd naturalis necessitas secundùm quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut Augustinus docet in 5. lib. de Civitate Dei cap. 10. libertas enim voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur: Non est violentia vel coactio in hoc quod aliquid secundùm ordinem suæ naturæ movetur. Sed magis in hoc quod naturalis motus impeditur, sicut cum impeditur grave ne descendat ad medium; Unde voluntas liberè appetit felicitatem licet necessariò appetat illam.*

Ut docet nedum Doctor Subtilis, sed etiam Angelicus.

Sic autem & Deus sua voluntate liberè amat seipsum, & necessarium est quòd tantùm amet seipsum quantùm bonus est; sicut tantùm intelligit seipsum quantum est, liberè ergo Spiritus sanctus procedit à Patre non tamen possibiliter, sed ex necessitate, nec possibile fuit ipsum procedere minorem Patre, sed necessarium fuit ipsum Patri esse æqualem, sicut & Filium qui est Verbum Patris. Ex quibus apertè constat sanctum Thomam asserere non solùm libertatem cum necessitate subsistere; sed etiam expressè convenit cum Doctore, Spiritum sanctum procedere liberè & tamen necessariò.

Naturale aliquando idem significat ac necessarium & ut opponitur contingenti.

Nec refert quòd ibidem respondendo ad 3 & prima p. q. 41. a. 2. utramque divinam processionem *Naturalem* appellet, affirmetque Spiritum sanctum naturaliter procedere, quamvis procedat per modum voluntatis. Ibi namque *Naturale* accipit pro necessario, & ut opponitur contingenti; adeoque *Voluntarium* quod ibi opponit naturali, sumit pro libero libertate ad opposita; non verò pro libertate essentiali quam docet subsistere cum necessario.

Multiplici ratione probatur. Primo quia Spiritus sanctus procedit per modum voluntatis qui est liber.

Probatur itaque Conclusio. Spiritus sanctus procedit per voluntatem seu per proprium modum operandi voluntatis: Sed proprius modus operandi voluntatis est liber: Ergo procedit liberè. Major probata manet ex dictis, & conceditur ab omnibus. Minor verò probatur: Libertas est de intrinseca ratione voluntatis, ita ut non magis repugnet hominem concipi sine animali rationali, quàm voluntatem sine libertate; *Aut enim voluntas non est, aut libera dicenda est*, ut inquiebat sanctus Augustinus laudatus in 2. Notabili: Ergo quidquid à voluntate tanquam principiô quo producitur, liberè producitur.

2. Quia procedit ut amor & donum.

Deinde quidquid procedit ut *amor* & ut *donum* liberè procedit, nihil enim est liberius amore & dono: Sed ex S. Augustino lib. 15. de Trinit. Spiritus sanctus procedit, *Non quomodo natus, sed quomodo datus*: Ergo procedit ut amor & donum, & consequenter liberè.

Denique idcirco Adversarii negant Spiritum sanctum procedere liberè quia contendunt nul-

lam libertatem cum necessitate subsistere, & omnem libertatem esse vel contrarietatis seu specificationis, vel contradictionis seu exercitii: At hoc falsum est: Ergo & illud unde sequitur. Probatur minor: Primò namque actus amoris, & desiderii quô appetimus fœlicitatem est absque dubio liber, ut experimur; sed non est liber libertate specificationis, quia ille actus non potest fieri odium aut aversio, non enim possumus odisse fœlicitatem: Ergo ille actus simul est necessarius & liber, non quidem libertate specificationis quâ possumus amare vel odisse aliquod objectum: Ergo debet esse liber illa libertate quam essentialem appellamus; quæque definiri potest, *Potentia volitiva agens ex plena deliberatione absque coactione, & violentia*, seu ut alii loquuntur, *Potentia eligibiliter, & delectabiliter agens.* Secundò Christus liberè mortuus est juxta illud Joannis 10. *Nemo tollit animam meam, sed ego pono eam*, & tamen non potuit non acceptare mortem sibi imperatam à Patre, quùm fuerit impeccabilis; si enim mori refugisset, Paternæ voluntati fuisset inobediens, adeoque peccasset: Ergo simul liberè & necessariò mortuus est; non quidem libertate specificationis, vel exercitii: Ergo libertate essentiali. *Tertiò* in Deo est vera sanctitas eaque infinita laude digna juxta illud Psalmi 98. *Quoniam sanctus Domine Deus noster*: Sed sanctitas necessariò requirit libertatem in actibus, nullatenus enim compati potest cum sola naturalitate actionum; in his enim quæ naturalia sunt, nec laude, nec vituperiô digni sumus. Ergo Deus debet dici liber in illis suis actibus, non solùm erga creaturas; (quamvis enim creaturæ non essent possibiles, Deus nihilominus esset infinitè sanctus) sed maximè erga seipsum amandum: & amor Dei erga seipsum est summè necessarius, tam secundùm specificationem, quàm secundùm exercitium, nullatenus enim eum omittere potest, & multò minus mutare in odium: Ergo datur aliquis actus qui sit simul necessarius & liber, non quidem libertate specificationis aut exercitii, adeoque libertate essentiali.

Optimè stat libertas essentialis cum necessitate.

Desideramus fœlicitatem liberè & necessariò.

Libertas essentialis est potentia eligibiliter & delectabiliter agens.

Christus mortuus est liberè & necessariò.

Confirmant has omnes rationes Scotistæ, ex eo quòd perfectissimus modus operandi quē concipere possumus, concedendus & assignandus est divinæ voluntati: Sed modus operandi liberè simul & necessariò est omnium præstantissimus: Ergo illum debemus Deo assignare. Major constat. Probatur minor: Bonum quò firmiùs possidetur, eò melius: at certum est quòd liberè operari sit bonum principio libero: Ergo quò certiùs & fixiùs ab ipso possidetur, eò meliùs & perfectiùs ei inest: atqui certissimè possidetur, quòd necessariò habetur: Ergo libertas operationis potest necessariò competere alicui; imò & debet, ut perfectissimô modô operetur.

Modus operandi liberè simul & necessariò est omnium præstantissimus.

Dices 1. Spiritus sanctus procedit naturaliter: Ergo non liberè. Consequentia patet ex dictis, modus enim operandi naturaliter & liberè sunt directè oppositi. Probatur antecedens ex sancto Cyrillo librô 13. thesauri capite 1. & 2. ubi dicit Spiritum sanctum, *Ex ipso Filio & in ipso naturaliter existentem*: Et infra, *non est igitur alius Spiritus à Deitatis essentia, sed ex ipsa & in ipsa naturaliter, sicut digitus in manu & manus in corpore.*

Videtur sanctus Cyryllus contrarium asserere.

Denique circa finem ejusdem capitis, Spiri- A tum sanctum appellat *Ex ipsa essentia Divinitatis naturaliter emissum*: Ergo ejus processio non est libera, sed naturalis.

Distinguo antecedens: Spiritus sanctus procedit naturaliter, hoc est, à natura ipsa divina, quæ est principium remotum suæ processionis sicut & Filii, concedo: id est, modô naturali, quatenus *Naturale* opponitur libero, nego: Similiter probatio est distinguenda; nec enim aliud voluit sanctus Cyrillus quàm quòd Spiritus sanctus producatur per sibi communicatam divinam Essentiam: Unde ibidem cap. 1. *Spiritus sanctus*, inquit, *in ipso Deo essentialiter est, & inseparabiliter ex eo procedit*, hoc est, habet eandem essentiam cum principio suo productivo.

Explicatur.

Instabis: Spiritus sanctus procedit à princi-
B pio determinato ad unum; Ergo ejus processio est naturalis, etiam quoad modum producendi naturaliter. Patet antecedens, quia Spiritus sanctus nequit non esse, adeoque necessariò provenit à principio determinato ad sui productionem.

Distinguo antecedens: Provenit à principio determinato ad unum ex propria & voluntaria sua determinatione, concedo: ex determinatione per formam naturalem, sicut determinatur grave à sua forma naturali ad motum deorsum, nego: Determinatur ergo voluntas
C divina à seipsa propter suam rectitudinem circa objectum infinitum: *Essentia enim divina*, inquit Doctor laudatus num. 11. *Quæ est primum objectum illius voluntatis est ex se volenda: igitur voluntas de necessitate est in actu recto volendi illud objectum quod est ex se rectè volendum; & sicut ex necessitate est principium volendi, ita ex necessitate est principium producendi amorem illius ..... Et talis voluntas habens tale objectum præsens, est principium communicandi divinam naturam, quia est principium producendi amorem infinitum productum*: Talis enim amor
D productus proportionatur tam potentiæ quàm objecto: Unde sequitur quòd actus productivus Spiritus sancti sit necessarius, tam ex parte objecti infiniti, quàm ex parte rectitudinis voluntatis, quæ non potest non amare bonum infinitum, & producere terminum adæquatum ipsi objecto.

Principium ad unum determinatum non est naturale quando voluntariè seipsum determinat, benè verò quando determinatur à forma sua naturali.

Dices 2. Talis est actio productiva alicujus termini, qualis est terminus productus: Sed Spiritus sanctus naturaliter est Deus; non enim potest dici Deus liberè in ullo sensu libertatis: Ergo ejus productio est etiam naturalis, & nullatenus libera.

Potest esse libertas in actione producentis cum naturalitate termini.

Nego majorem: Deus enim liberè producit la-
E pidem, quùm omnia ad extra liberrimè faciat; lapis tamen nullô modô est liber, imò purè naturaliter existit: Ergo potest esse libertas in actione producentis cum naturalitate termini producti; adeoque quamquam Spiritus sanctus nullatenus liberè sit Deus, tamen ejus productio potest esse aliquatenus libera.

Lapis à Deo liberè producitur, & tamen est purè naturalis.

Dices 3. Etsi Spiritus sancti processio sit libera, non minùs potest esse naturalis: Ergo ex hac parte deficit nostræ conclusionis veritas. Probatur antecedens: Sicut naturale & liberum dividunt principium agendi; ita pariter illud dividunt necessarium & contingens: Sed idem principium potest agere contingenter & necessariò: Ergo etiam poterit agere naturaliter, & liberè. Major patet ex dictis

in 1. Notabili. Probatur minor; Voluntas divina eadem & simplex, simul est principium agendi contingenter & necessariò; etenim necessariò producit Spiritum sanctum, & contingenter Creaturas: Ergo, &c.

Idem principium non potest agere necessariò & contingenter circa eundem terminum, potest tamen agere necessariò circa terminum primarium, & contingenter circa terminum secundariũ.


Distinguo minorem: Idem principium potest agere contingenter & necessariò respectu termini primarii & adæquati, nego: Potest agere necessariò circa terminum adæquatum & primarium ac intrinsecum, & contingenter circa terminum secundarium inadæquatum & extrinsecum, concedo: Itaque voluntas divina ut habet rationem actus primi, per se & ab intrinseco est productiva Spiritus sancti, qui est ejus terminus adæquatus primarius & intrinsecus: Sed respectu Creaturæ quam contingenter producit, non terminatur ejus actus volendi nisi tantùm secundariò, extrinsecè & inadæquatè: Unde cùm diversitas hujus actus proveniat ex diversitate terminationis, & hæc ex diversitate termini; cùmque Creatura sit ens contingens, etiam illa terminatio divinæ voluntatis ad Creaturam dicitur contingens.

Omnipotentia formaliter à voluntate distincta est principium immediatũ productivum Creaturarum.

Vel absolutè: *Nego minorem*, & ad ejus probationem dico, voluntatem divinam non esse principium productivum Creaturarum immediatum, sed omnipotentiam divinam, quæ formaliter à divina voluntate distinguitur, adeoque illa productionum diversitas, nempe Spiritus sancti & Creaturarum, non in idem principium, sed in diversa est refundenda.

Dices 4. Si Spiritus sanctus procedat liberè, sequitur eum præcognosci antequam producatur: Sed hoc est absurdum: Ergo, &c. *Major* patet, Nihil enim producitur actu voluntatis, nisi quod præcognoscitur. *Minor* probatur: Si enim cognoscatur Spiritus sanctus, vel dum præcognoscitur est aliquid, vel nihil; non potest dici nihil, quia ut sic non posset præcognosci, & insuper sequeretur eum præsupponere nihil ante sui productionem, quod nemo dixerit: Si sit aliquid, vel aliquid existens, vel aliquid possibile: Non primum, quia sic existeret ante existentiam: Non etiam secundum, quia Spiritus sanctus non potest habere esse possibile.

Respondet Doctor ibidem numerô 14. *Quòd in illo priori Signo originis antequam intelligatur Spiritus sanctus spirari, Pater & Filius cognoscunt Spiritum sanctum ut intuitivè, licèt non ut existentem in se, quia cognoscunt essentiam divinam quæ est ratio cognoscendi intuitivè, quodcumque objectum intelligibile:* Quod etiam nos supra docuimus, nempe Spiritum sanctum & Filium præintelligi ad eorum productionem, adeoque præfatum argumentum, aliis quidem vim infert, non verò nobis; qualiter autem præcognoscatur dictum est Articulô præcedenti.



DISPUTATIO SECUNDA.

De Proprietatibus Constitutivis, Distinctivis, & Notificativis Divinarum Personarum.



E Vulgata quantùm licuit divinarum Personarum origine & existentiâ, ordo doctrinæ postulat, ut earum quidditas, seu constitutiva principia inspiciantur penitiùs & limatiùs explicentur. Etenim præter divinam naturam illis adorandis Personis communem; præter unius ab alia procedentis discrepantiam: Certum est proprietates eis inesse aliquas, quibus in formali ratione Personæ constituuntur, invicemque distant.

At si cujusvis, etiam exilis & vilissimi vermiculi naturam detegere nequeat oculatissimus quisque Philosophus; quis Theologorum audebit ad ipsum Divinitatis sinum assurgere, ibique indagatione curiosa scrutari quibus characteribus divinæ Personæ constituantur, & invicem distinctæ appareant? Imò quis non cum S. Hilario lib. 2. de Trinitate pronuntiet? *Immensum est quod exigitur, incomprehensibile est quod audetur, ut ultra præfinitionem Dei sermo de Deo sit. Posuit natura nomina Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: Extra significantiam sermonis est, extra sensus intentionem, extra intelligentiæ conceptionem, quidquid ultra quæritur, non enunciatur, non attingitur, non tenetur.* Verùm subdit ipse, *Euntes de importuosis locis in altum, turbato mari sumus; nec regredi, nec progredi sine periculo licet; plus tamen difficultatis in emetiendis est quàm in emensis.*

Attamen ut ingentes, quæ hac in Disputatione difficultates occurrunt, aliquantulum emolliamus, eas omnes ordine justo tribus claudemus Articulis, quorum *Primus* aperiet qualiter divinæ Personæ constituantur & distinguantur: *Secundus* referet relationes divinarum Personarum in esse personali constitutivas & distinctivas: *Tertius* tandem complectetur characteres, seu notiones, quibus illæ adorandæ Personæ invicem distinctæ nobis innotescunt.



ARTICULUS PRIMUS.

De Personis, Hypostasibus, & Subsistentiis divinis.

DOctè sapienterque monet S. Hilarius librô 2. de Trinit. *Hæreticos cœlestium verborum simplicitatem pro voluntatis suæ sensu, non pro veritatis ipsius absolutione suscipere, aliter interpretantes quàm dictorum virtus postulet; De intelligentia enim hæresis, non de Scriptura est, & sensus, non sermo fit crimen.* Subdit: *Ita & imperitos perdunt dum rationem prædicationis hujus affirmant; & audientes fallunt, dum naturam nominibus adimunt.* Concludit: *Ergo.... quia malignitas instinctu diabolicæ fraudulentiæ excitata, veritatem rerum per naturæ nomina eludit; nos naturam nominum proferamus.* Maximè verò nominum hypostasis, Personæ, & subsisten-

goificandam personam fuisse usurpatam.

DE NOMINE SUBSISTENTIÆ.

Multiplex subsistentiæ significatio.

SUbsistentiæ vocabolum varias antiquitùs habuit significationes: nam ut ait Rusticus in disputatioue conira Atephalos, *Subsistentia interdum personam significat, nonnunquam verò substantiam; in sancta enim Synodo Ephesina utrumque monstratur.* Imò Athanasius in Quæstiooibus q. 4. *Subsistentiæ* nomen extendere videtur ad quodlibet individuum etiam accidentis significandum, ait enim, *Tres subsistentia orbis solaris, radius, & lux:* Insuper, *tres subsistentia subjectum ignis, urens, & lucens.* Frequentiùs tamen usurpatum fuit in Conciliis ad significandam hypostasim vel personam, ita Continm Nicænum t. lib. 2. ait, *Vna divinitas sancta Trinitatis in tribus subsistentiis perfectis æqualibus consideratur:* Et circa finem ejusdem libri, postquam personas & hypostases divinas distinxit, adjungit, *Quidquid per se subsistit, quatenus per se subsistit, propriè natura personam sive faciem, sive figuram habere dicitur;* Similiter Constantiuopolitanum r. Epist. ad Damasum dicit Deum, *In tribus perfectissimis subsistentiis, sive in tribus perfectis, ut neque Sabellii languor locum habeat confusione subsistentiarum personis aut peremptione proprietatum.*

Deoique Constantinopolitanum secundum anathematismô 2. ait, *Si quis non confitetur unam Deitatem in tribus subsistentiis, sive personis adorandam, anathema sit:* Idem repetit Cooeilium Lateranense sub Martino primo, Consultatione 5. Can. t. dicens, *Si quis non confitetur secundùm sanctos Patres propriè & verè Patrem Filium, & Spiritum sanctum, Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus, anathema sit.*

Hoc ipsum confirmant omnes sancti Patres quos in longum profert Roiz disp. 34. sect. 3. Unde Theodoretus in breviario Liberati capite nltimo additiouum ait, *Subsistentia & persona in nullo significatorum differunt nisi nomine: subsistentia enim persona est; sed natura quidem, & substantia generale quoddam, subsistentia verò atque persona quoddam proprium significat.*

DE NOMINE PERSONÆ.

Primaria Personæ significatio.

NOmen *Persona* ut affirmat Boëtius lib. de duabus naturis, videtur traductum ea iis quæ in comœdiis tragœdiisque eos quorum interest homines repræsentabant, seu ut addit Anitius *Quoniam personis inductis Histriones quorum intererat in tragadia, vel comedia representabant, idcirco cateros homines quorum certa esset pro sui forma agnitio, & Latini* personas, *& Graci* prosopa *vocaverunt.* Iode juxta primariam sui institutionem, usurpatum fuit ad designandam cujusque faciem & figuram; qualiter Patres Concilii Nicæni lib. 2. personam usurpaverunt, *Cùm personam audimus,* inquiunt, *ne suspicemur quod est divinum habere humanam effigiem, expers est enim compositionis atque figura,* cùm autem probasset ex Evangelio, maximè ex illo Matth. 16. *Faciem cœli dijudicare nostis,* ubi pro *facie* Græcè legitur *Prosopon,* concludit, *quidquid enim per se subsistit, quatenus per se subsistit propria natura personam, sive faciem, sive figuram habere dicitur.*

Designat cujusque faciem.

Idem nunc significat ac suppositum.

Nihilominus usus iovaluit ut *Persona* nomen significaret idem ac suppositum sive ultimum complementum naturæ individualis: qua ratione etiam usurpatur passim in scripturis, ubi legimus Deum non esse acceptatorem personarum, maximè Actorum 10. Romanorum 2. &c. Unde ut Græcis morem geramus, essentiam pro *Vsia*, substantiam pro *Hyparsi*, suppositum pro *Hypostasi*, personam pro *Prosopo* usurpabimus. His prælibatis tria sunt in præsenti Articulo resoluenda. Primum, an & quomodo nomen & ratio personæ Deo conveniat. Secundum, quibusnam divinæ Personæ constituantur, an videlicet proprietatibus absolutis, vel relativis. Tertium denique, an præter tres subsistentias relativas & personarum constitutivas admittenda sit una absoluta quâ divina Essentia subsistit.

QUÆSTIO PRIMA.

An & quomodo ratio Persona Deo conveniat?

I.

Duplex personæ divinæ definitio
1. à Boëtio.
2. à Richardo.

NOTANDUM 1. Variam esse, sed maximè duplicem personæ definitionem. Primam tradit Boëtius supra laudatus, dicens, *Persona est rationalis natura individua substantia:* Quam definitionem, licèt non improbet Doctor, in 1. dist. 23. num. 4. nihilominus censet eam exponendam esse per definitionem traditam à Ricardo lib. 4. de Trinit. cap. 22. dicente quòd *Persona est intellectualis natura incommunicabilis existentia.* Etenim secundùm definitionem Boëtii sequeretur animam rationalem, imò, & Deitatem, quatenus præscindit à suppositis divinis esse personam, quia tam Divinitas quàm anima rationalis, est rationalis naturæ individua substantia; nullus tamen Deitatem sic consideratam personam appellabit; aliàs quatuor essent Personæ divinæ: Nullus pariter asserere debet animam rationalem esse personam; siquidem non est ultimatè completa, nec incommunicabilis, semper enim dicit ordinem ad corpus, uel quod informat, vel quod informare potest. Non tamen me latet plures huic sententiæ quantùm ad animam rationalem refragari; at de his viderint Physici & Metaphysici.

II.

Discrimen inter naturam & personam.

Notandum 2. Ex eodem ibidem, naturam in hoc à persona distingui, quòd natura sit communicabilis, persona autem sit incommunicabilis *ut quo*, & *ut quod*. Communicari ut quod, est communicari ut superius suis inferioribus cum quibus sit idem, sic natura humana est communicabilis *ut quod* Petro & Paulo, qui uterque reverà est homo; communicari *ut quo*, est communicari, vel ut natura singularis suo supposito, uel ut forma subjecto à qua denominatur, sic v. g. natura humana in Christo esto sit singularis, tamen est communicabilis *ut quo* quia est unibilis supposito Verbi, sic pariter albedo quæ est in pariete, est communicabilis, *ut quo*, quia ipsi unitur tanquam subjecto quod informat: Hanc utramque communicabilitatem excludit ratio personæ & suppositi, siquidem natura personata, nec est alteri communicabilis per modum superioris & naturæ com-

Quid sit communicari ut quod & ut quo?

at eadem etiam communicatur Filio & Spiritui sancto: Ergo in Patre non est incommunicabilis, adeoque nec personata.

Respondeo 1. Distinguendo majorem: Natura personata est incommunicabilis præcisè quatenus natura singularis est, nego: natura enim humana Christi verè & propriè singularis ac individualis est, & tamen communicatur & unitur Verbo: est incommunicabilis reduplicativè ut personata, hoc est, quatenus significat præcisè naturam determinatam per personalitatem seu personam in concreto, concedo. Et similiter distincta minore

Natura singularis non est incommunicabilis, sed ut personata.

Nego consequentiam: Itaque natura divina est quidem in Patre communicabilis alteri, quatenus natura divina est; non verò quatenus personalitas est Patris; ut sic enim nihil aliud significat, quàm suppositum constans naturâ divinâ, & Paternitate; adeoque nihil aliud significat quàm Patrem. Certum est autem quòd Pater divinus non sit communicabilis Filio ut cum eo sit unum & idem; imò ab eo distinguitur realiter.

Respondeo 2. Hoc esse peculiare divinæ naturæ, quòd eadem omninò & indivisibilis communicari possit tribus suppositis, quia nec plures numerò naturas divinas patitur illius infinitas; nec aliquam multiplicationem & divisionem summa illius unitas & simplicitas sustinet: Secùs est autem de naturis creatis quæ cùm finitæ sint & multiplicabiles; inde fit quòd eadem numero natura non possit esse in pluribus suppositis.

Natura divina etiam personata in Patre adhuc communicatur Filio & Spiritui sancto

Dices 3. Natura divina quatenus præscindit à divinis Personis est omnimodè completa & incommunicabilis alteri naturæ; siquidem est individua & singularis: Ergo ipsi non opus est ulla superveniens ratio personæ & suppositi quæ ipsam compleat & incommunicabilem efficiat.

Distinguo antecedens: Est omnimodè completa in ratione naturæ divinæ, nimirum quia constat prædicatis essentialibus, modis intrinsecis, & attributis ipsam perficientibus & constituentibus in ratione entis infinitè perfecti, concedo: Est completa in esse hypostatico & ultimo incommunicabili, nego. Natura enim divina præcisè sumpta, tota & integra inest Patri, Filio, & Spiritui sancto: Unde ex se non habet rationem suppositi neque personæ; siquidem non est ultimò terminata secundùm existentiam; sed constituitur in esse personæ per proprietates illas relativas quæ sunt ultimus terminus existentiæ naturæ divinæ, & cum illa constituunt tres subsistentes ulterius incommunicabiles aliis ut terminantibus.

Natura divina quatenus præscindit à personis est omnimodè completa in ratione naturæ, non personæ.

CONCLUSIO SECUNDA.

PROBABILIUS *est Personalitates divinas esse modum aliquem positivum terminantem naturam divinam, & illam veluti complentem in esse incommunicabili.* Hæc videtur esse genuina Doctoris sententia in 3. dist. 1. quæstione 1. num. 10. ubi cùm dixisset naturam creatam dici posse communicabilem tribus modis, nempe vel *actualiter* sicut anima communicatur corpori quod actu informat, vel *aptitudinaliter* sicut anima separata quæ habet inclinationem ad corpus informandum, vel *obedientialiter* qualis est potentia obedientialis in anima rationali, ad informandum corpus ejus, subdit, *Persona divina non tantùm habet negationem communicationis actualis & aptitudinalis: Sed etiam habet repugnantiam ad communicationem* ut quod, & ut quo. *Repugnantia autem talis non potest esse nisi per entitatem positivam, & ideo sequitur personam istam nunquam esse sine tali entitate; sed & persona creata, quia non repugnat ei communicari, cùm sit in potentia obedientiali non est sic incommunicabilis, & ideo non oportet sibi tribuere talem entitatem personalem* positivam, sed ei sufficit duplex negatio communicationis actualis & aptitudinalis.

Natura creata est communicabilis tribus modis actualiter, aptitudinaliter, & obedientialiter.

His tribus modis natura divina Personata est incommunicabilis.

Probatur insuper: Personalitas divina duplex munus sortitur, complet enim naturam divinam, eamque ultimò terminat; & personas divinas constituit, ac distinguit: Sed natura divina non potest compleri per simplicem negationem, neque Personæ divinæ constitui, & realiter invicem distingui per aliquid purè negativum: Ergo ratio personæ in divinis debet esse aliquid positivum.

Deinde ex sancto Augustino lib. de Doctrina Christiana *Res quibus fruendum est sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus.* Insuper ex eodem 7. de Trinit. cap. 5. *Non est aliud Deum esse, & personam esse*: Sed res & Deitas sunt aliquid positivum: Ergo pariter divina personalitas pro formali est aliquid positivum.

Ratio personæ in divinis est aliquid positivum.

Denique Persona divina est ens reale positivum: Ergo formale illius constitutivum debet etiam esse reale & positivum.

Dices. Personalitas creata formaliter consistit in duplici incommunicabilitate ut quo & ut quod, nihilque positivum importat præter rationem individui: Ergo ita dicendum de personalitate divina.

Nego consequentiam: Et ratio disparitatis est primò, quia ut supra dixit Doctor, Personalitas divina dicit repugnantiam ad omnimodam communicationem, qualem non dicit persona creata; negatio autē fundata in repugnantia cùm sit omnimodè inseparabilis à subjecto, ideo requirit aliquid in subjecto ratione cujus ab eo nequeat separari: Unde fit ut omnis repugnantia sit alicujus repugnantia, hoc est, alicujus non habentis potentiam ad aliquid: negatio verò simplex quam dicit personalitas creata non ita est à subjecto inseparabilis, quia de facto separatur in natura humana à Verbo divino assumpta.

Adde quòd etiam seclusa personalitate creata adhuc remaneat ratio individui quæ sufficienter distinguit naturam singularem ab alia; seclusa autem divina personalitate nihil superesset quò personæ divinæ constituerentur & invicem distinguerentur.

CONCLUSIO TERTIA.

ABSTRAHI *potest à divinis personis aliquis conceptus communis qui sit ipsis univocus in ratione personæ.* Ita Doctor in 1. dist. 25. num. 1. & probat: Quia quælibet ex tribus personis divinis dicitur persona; & reverà tres conveniunt in ratione personæ ut sic, non autem sicut Petrus & Paulus conveniunt in hoc homine, nam *hic homo* dicitur tantùm æquivocè de Petro & Paulo: Pronomen enim *hic* significat quod demonstrat: Unde quando dicitur de Petro *hic*

Potest abstrahi à divinis personis aliquis conceptus communis qui sit ipsis univocus in ratione personæ.

homo, demonstratur res illa singularis quæ est Petrus, quæque diversa est omnimodè ab alia re singulari quæ est Paulus: Unde fit ut *hic homo* non dicatur de eis univocè: at Persona divina verè de tribus secundum propriam suam rationem; siquidem quælibet earum reverà est naturæ divinæ incommunicabilis existentia; Ergo ipsis convenit univocè.

Quidquid numeratur est univocum.

Confirmat: Si personæ nomen non conveniret ipsis univocè, non dicerentur tres personæ; nihil enim numeratur, nisi quòd est univocum: Unde canis cœlestis & terrestris non rectè dicuntur duo canes, quia nomen *Canis* non est univocum cœlesti & terrestri: Sed reverà dicuntur tres divinæ personæ: Ergo personæ nomen & ratio ipsis univocè convenit.

Dices: Tam verè & propriè dicuntur tria individua & singularia creata, quàm tres Personæ divinæ: Sed ex Doctore singularia creata, conveniunt in ratione communi univoca; Etenim *hic homo* univocè non convenit Petro & Paulo: Ergo quamvis dicantur tres Personæ divinæ, non rectè infertur personæ nomen & rationem ipsis convenire univocè.

Respondeo ad majorem, eatenus dici tria individua, quatenus verum est quod numeratur in eis natura creata quæ ipsis univocè convenit: Unde cùm ita numerari non possit natura divina in personis divinis, quia eadem numerô est in tribus; ideo debet numerari in ipsis aliud univocum eis conveniens; hoc autem aliud nequit esse, nisi id quod formaliter dicit persona: Ergo ratio personæ debet esse ipsis univoca.

Instabis: Non solùm tria individua creata, sed etiam tres differentiæ individuales & singularitates propriè dicuntur; sed tres differentiæ individuales non conveniunt in ratione communi univoca: Ergo quamvis dicantur tres personæ divinæ, non inde sequitur eas univocè convenire.

Tres differentiæ individuales equidem numerâtur, etsi non sint propriè univocæ, sed propter proportionem officii.

Respondeo: Equidem tres singularitates rectè dici, non propter communitatem naturæ conceptus univoci, sed propter proportionem officii; quia æquè distingunt ultimò & & reddunt naturam incommmnicabilem pluribus inferioribus: At Personæ divinæ non solùm ita conveniunt propter proportionem officii, sed etiam propter definitionem & rationem Personæ divinæ quæ ipsis competit; quælibet enim earum reverà est naturæ divinæ incommunicabilis existentia, ut quo & ut quod. Unde non est paritas.

Quæstio Secunda.

An, & quibus proprietatibus divinæ Personæ in esse personali constituantur & distinguantur?

I.

Triplex circa præsentem Quæstioné Authorum sententia.

NOTANDUM 1. Variam esse, sed maximè triplicem, circa præsentis Quæstionis resolutionem, Theologorum sententiam: quarum *Prima*, inquit Doctor in 1. dist. 2. num. 1. fuit *Præpositivi* affirmantis divinas Personas se totis constitui & distingui, quam sententiam pridem à Scholis eliminatam denuò revocavit *Gregorius Arriminensis* in 1. dist. 26. & 27. *Secunda* est *Linconiensis* & *Ioannis à Ripa* ibidem dicentium, esse quidem in divinis aliquas pro- A prietates personarum constitutivas & distinctivas, sed eas esse absolutas non relativas; quam sententiam quia Doctor laudatus variis probat argumentis, & soluit ea omnia quæ in eam solent objici, nonnulli Recentiores eandem ipsi perperam tribuunt. *Tertia* tandem communis & universalis Theologorum sententia jam prævalet, divinas personas constitui per proprietates relativas: qualiter autem id fiat non eodem modô omnes explicant, etenim argumenta Scoti, inquit, Vasques disp. 189. cap. 1. usque adeò exercuerunt Thomistarum ingenia, ut in varias opiniones eos diviserint, quidam enim asserũt personas non constitui relationibus quatenus relationes sunt, sed quatenus formæ hypostaticæ, dicunt enim divinam relationem B duo sibi vindicare, nimirum esse *in se*, seu per se; & esse *ad aliud*; ac secundum esse *in se*, constituere personam, secundum verò esse *ad aliud*, non constituere, sed referre personam ad aliam sibi correlativam: Aliqui cum sancto Bonaventura in 1. dist. 26. quæst. 3. docent, tres personas constitui relationibus ut origines sunt v. g. Patrem divinum in ratione personæ constitui Paternitate, non ut Paternitas est, sed ut generatio activa. Cæteri denique cum Subtili Doctore censent relationes divinas esse divinarum Personarum constitutivas quatenus formaliter sunt relationes.

In qualibet relatione duo sunt distinguenda esse in se, & esse ad aliud.

III.

Duplex constitutio realis & formalis.

Notandum 2. hîc non moveri Quæstionem C de constitutione reali quæ fiat per constitutiva realiter invicem distincta, sed formali quæ nimirum fit per constitutiva formaliter distincta; licèt enim quælibet divina Persona sit ens realiter simplex & indivisibile propter indistinctionem realem proprietatum personalium ab essentia; nihilominus duplex in ea concipitur entitas, quarum una est absoluta & simpliciter; altera relatiua & modalis, seu modus taliter essendi: per primam Deus est unus, & constituitur formaliter in ratione Dei: per secundam verò est trinus & constituitur in ratione Patris & Filii, & Spiritus sancti. Esse absolutum priùs est prioritate rationis & signi quàm relativum; est enim primarium quod per relativum tanquam per esse secundarium contrahitur & de- D terminatur ad personam; unde relationes rectè concipiuntur quasi advenire naturæ divinæ illamque constituere in esse personali, quod secundum se considerata, nempe quatenus divinitas est, non habet.

In qualibet persona divina est duplex entitas absoluta & relativa.

III.

Proprietates relativæ sunt substantiales quamvis adveniant naturæ divinæ.

Notandum 3. Quòd etsi proprietates relativæ concipiantur advenire naturæ divinæ iam essentialiter constitutæ, non tamen sunt accidentales, sed substantiales; quemadmodum formæ, licèt non sint materiæ essentiales, sed aduenientes, & ut inquiunt Logici, accidentales, tamen sunt in se substantiales & unà cum E materia constituunt compositum, non ex accidente & subjecto, sed ex substantiis diversis. Insuper nedum illæ proprietates sunt substantiales, & constituunt substantias, seu res per se existẽtes, verùm etiam sunt formæ hypostaticæ, & rationes suppositorum ac personarum, quæ unà cum Essentia divina constituunt Personam divinam in esse naturæ intellectualis completæ & ultimò terminatæ secundum existentiam. His prænotatis tria sunt determinanda: Primò quòd Personæ divinæ constituantur proprietatibus: Secundò quòd illæ proprietates sint relativæ. Tertiò quòd divinas Personas

Status Quæstionis.

formaliter,

formaliter constituant præcisè quatenus sunt relationes.

CONCLUSIO PRIMA.

Personæ divinæ non constituuntur nec distinguuntur se totis.

PERSONÆ *divinæ non constituuntur, nec distinguuntur se totis, sed per aliquas proprietates personales.* Hæc est communis inter Theologos, & colligitur ac firmatur.

Probatur 1. authoritate Conciliorum.

Primò ex variis Conciliis, præsertim ex Lateranensi cap. *Firmiter* ubi dicitur quòd *Sanctissima Trinitas secundùm communem essentiam est indivisa, secundùm verò personales proprietates discreta*: Item in Concilio Florentino sess. 1. asseritur *Personas divinas per suas proprietates differre*: Denique Ecclesia cantat in præfatione Missæ Festi sanctissimæ Trinitatis, *Vt in personis proprietas, in essentia unitas, & in majestate adoretur æqualitas.*

2. Authoritate sanctorum Patrum.

Probatur 2. autoritate sanctorum Patrum. Primò quidem sancti Dionysii lib. de Divinis nominibus cap. 2. dicentis, *Ea quæ sunt divinæ fœcunditatis inter se non reciprocari, sed solum Patrem fontem esse cælestis Divinitatis, ita ut non sit Pater Filius, nec Filius Pater, sed laudes sanctæ suas cuique Personæ divinæ proprietates conservent.* Item sanctus Basilius lib. 2. contra Eunomium, *Proprietates*, inquit, *ac notæ quasi characteres quidam ac formæ in substantia inspectæ distinguunt quidem quod commune est appropriatis characteribus, communicationem verò substantiæ non amputant.* Sanctus Athanasius Dialog. 1. *Hypostasis*, ait, *proprietatem habet minimè communem hypostasibus quæ essentiæ subsunt, nec numeri multiplicationem admittit cùm sit unica & singularis; quidquid verò numeri multiplicationem admittit omnino proprietatem habet, & quod proprietatem habet numerum admittit.* Sanctus Ambrosius in Symbolum Apostolorum cap. 11. *Nos*, inquit, *Deitatis personas in proprietatibus suis distinguentes, unitatem tamen sanctissimæ Trinitatis inseparabilem confitemur*: His adstipulator sanctus Augustinus sermone 38. de Tempore, *Habent*, inquit, *singulæ in Trinitate personæ aliquid proprium quò inseparabili æqualitate aliquam in se ostendant proprietatem*: Vnde Concilium Toletanum 11. in Confessione Fidei meritò concludit, *Est*, inquit, *unicuique personæ manens sua proprietas: Pater enim æternitatem habet sine nativitate, Filius æternitatem cum nativitate, Spiritus sanctus processionem sine nativitate.*

3. Quintuplici ratione.

Probat 3. Doctor ratione Theologica: Quæcumque non sunt primò diversa, sed habent aliquid in quo conveniunt, non distinguuntur se totis; sed aliquô sui: At Personæ divinæ, non sunt primò diversæ, quia sunt ejusdem essentiæ: Ergo non distinguuntur se totis, sed aliquô sui.

1. Quia personæ non sunt primò diversæ.

Deinde plures proprietates sunt in eadem persona, sicut in Patre innascibilitas & generatio activa, quæ secundùm sanctum Augustinum 5. de Trinit. cap. 6. invicem distinguuntur, nam inquit, *Si Pater non esset ingenitus, posset tamen esse Pater, & è converso:* Ergo etsi per impossibile una non distingueret Patrem ab aliquo, posset alia distinguere, & è converso; adeoque Pater semper habet aliquid quô distinguitur à Filio, & consequenter non distinguuntur se totis.

2. Quia Spiratio activa est communis Patri & Filio.

Denique in Patre est generatio activa, & spiratio activa: Sed spiratione activa non distinguitur à Filio: Imò illa est cum Filio communis: Ergo Pater non seipsô totô distinguitur, sed aliquô sui.

3. Quia essentiâ non distinguuntur.

Confirmantur hæ rationes. Si personæ se totis distinguuntur: Ergo etiam essentiâ distinguuntur: Sed hoc fieri nequit; quia in essentia conveniunt, idem autem non potest esse principium conveniendi & distinguendi. *Insuper* aut Persona divina v. g. Pater, habet aliquid ultrà essentiam, quod non habet Filius, aut non habet: Si primum, habemus intentum: Si secundum, non potest reddi ratio cur hæc persona sit Pater potius quàm altera; imò neque cur sit persona distincta ab altera: Ergo meritò oppositam conclusionis sententiam temerariam esse & penè hæreticam nonnulli Recentiores pronuntiant; nihilominus ipsius assertores

Objiciunt 1. Persona divina est æquè simplex ac essentia: Sed essentia ipsa divina seipsâ distinguitur à quocumque alio: Ergo & persona.

Confirmatur: Paternitas non magis est simplex, quàm Pater: Sed Paternitas, quia simplex est, nullô à se distinctô constituitur: Ergo nec Pater.

Persona divina est æquè simplex ac essentia, simplicitate reali, non formali.

Nego majorem: Nam ut observavimus in 2. Notabili Persona divina constituitur in esse personæ completæ per entitatem Deitatis & personalitatis, adeoque persona duas dicit entitates, seu formalitates sui constitutivas, & sic minus dici posset simplex quàm essentia. *Vel distinguo* est æquè simplex ac essentia, simplicitate reali, quæ excludit compositionem realem ex partibus realiter distinctis, concedo: Simplicitate formali, quæ excludit pluralitatem formalitatum, nego: Hæc autem simplicitas formalis non convenit Deo, sed realis, ut probavimus agendo de divina Simplicitate: similiter distinguenda est confirmatio. *Addo insuper*, Paternitatem non ideo non constitui aliquô ab ipsa distinctô quia simplex est, sed quia concipitur per modum formæ quæ non constat formalitatibus aliis: Unde cùm Pater per modum totius & concreti significetur, constetque natura & Paternitate quæ formaliter distinguuntur, etiam per aliud à natura divina distinctum constitui debet, adeoque non eadem est ratio de Paternitate ac de Patre.

Objiciunt 2. Constitutum dependet & causatur à constituente: Sed Personæ divinæ sunt omnino independentes & incausatæ: Ergo non constituuntur aliquô distinctô.

Constitutum reale dependet à constituente, non formale.

Distinguo majorem: Constitutum reale, quod fit per unionem constituentium realiter distinctorum, qualis est constitutio compositi physici, quæ fit per unionem materiæ cum forma, dependet à constituente & uniente constitutiva, concedo: Constitutum formale, quod fit per formalitates realiter indistinctas, quæque seipsis & independenter ab aliquo extrinseco uniuntur & totum constituunt, ita dependet, nego.

Substantia aliquando idem significat ac Essentia.

Objiciunt 3. Ex Concilio Lateranensi capite *Firmiter* dicitur quòd *Pater totam substantiam dedit Filio*: Sed proprietates illæ si quæ sint, sive relativæ sive absolutæ, sunt substantiæ: Ergo illas dedit Filio; adeoque per eas non distinguitur à Filio: Ergo nec per eas Pater divinus in esse personæ constituitur.

Respondeo Concilium nomine *substantiæ* intel-

ligere essentiam & naturam divinam, quatenus præscindit à proprietatibus personalibus; qualiter etiam sancti Patres soliti sunt in hac materia opponere substantiam relationi: Unde Boëtius circa finem libri de Trinitate, *Substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem.* Quibus opponit unitatem multitudini, substantiam relationi.

CONCLUSIO SECUNDA.

Personæ divinæ constituuntur & distinguuntur proprietatibus relativis.

PERSONÆ *divinæ constituuntur, & distinguuntur proprietatibus non absolutis, sed relativis.* Hæc est communior, & verior Theologorum sententia, &

Probaturque ex Scriptura.

Probatur primò illis omnibus Scripturæ sacræ textibus, quibus divinæ Personæ nominibus relativis *Patris, Filii,* & *Spiritus veritatis à Patre procedentis* appellantur, maximè verò ex illo Matthæi ultimo ubi Christus mittens Apostolos ad Gentium conversionem præcipit ut Baptisent eos, *In nomine Patris, Filii & Spiritus sancti*, ex quibus locis sic arguo: Scriptura sacra, & Christus Dominus Personas divinas designat nominibus maximè propriis, & personales proprietates significantibus: Sed hæc nomina ex primaria sua impositione significant relationem, non verò quid absolutum: Ergo proprietates illæ personales sunt relativæ. Major constat: Christus enim Dominus ea nomina personis imposuit, quæ optimè quadrant in illas, prout à nobis in hac vita possunt concipi atque distingui.

2. Ex Conciliis.

Probatur 2. Ex Conciliis, maximè Toletano 11. in Confessione Fidei cap. 1. *In relativis*, inquit, *personarum nominibus, Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus sanctus ad utrosque refertur: quæ cùm relativè tres personæ dicantur, una tamen natura per substantiam creditur:* Et infra, *In relatione personarum numerus cernitur.* Idem colligitur ex Concilio Florentino ubi Joannes Theologus Ecclesiæ Latinæ causam agens, tacitè approbante Concilio dixit *Sola relatio apud omnes Græcos & Latinos Doctores divinas processione personas multiplicat; Cui etiam duo illa à quo & ad quod de quibus suprà dictum est conveniunt. Siquidem igitur relationes hujusmodi personas multiplicant, ita ut non alia ratione quàm vi relationis Pater à Filio, una persona ab alia differant.* Censet ergo Personas divinas relationibus constitui & distingui; quod confirmatur insuper ex oratione quam habuit Bessarion Patriarcha pro unione utriusque Ecclesiæ Græcæ scilicet & Latinæ, ubi cap. 6. ait, *Ideo utrôque quidem modò distinguuntur divinæ Personæ; priùs tamen & principaliter, secundùm modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituuntur divinæ Personæ*: Et paucis interjectis, *utrôque quidem modò distinguuntur divinæ Personæ, sed principaliùs relatione sive proprietatibus.*

3. Ex sanctis Patribus Nazianzeno.

Probatur 3. Authoritate sanctorum Patrum, etenim Nazianzenus Orat. 37. *Mutua eorum relationis differentia*, inquit, *diversa quoque ipsis nomina procreavit*: Nimirum Patris & Filii.

Chrysost.

Similiter Chrysostomus homil. 5. de incomprehensibili Dei natura sic distinguit, *Nomina Dei propria ut personarum denotetur proprietas, Pater namque & Filius nomen personæ proprium est, Deus verò & Dominus commune*: Sanctus Cyrillus Alexandrinus librô 12. thesauri

Cyrillo Alexandrino.

cap. 15. *Nulla*, inquit, *differentia est inter Patrem & Filium nisi sola personalis, quia Pater est, & ille Filius, quomodo Filius erit creatus, quùm Pater increatus sit? præsertim cùm relativa nomina alterum ad alterum dicantur, & unò dictô alterum statim intelligat? nam qui Patrem dicit, Filium illico intellexit, & qui Filium appellavit, ad Patrem confestim retulit.* Concinit & Damascenus de Fide cap. 11. *Unum*, inquit, *Deum agnoscimus, in solis autem proprietatibus nimirum Paternitatis, Filiationis, & Processionis, atque quantùm ad causam, & ea quæ ad causam proficiscuntur, at persona perfectionem, hoc est, existendi modum discrimen advertimus.*

Damasc.

Denique sanctus Anselmus librô de processione Spiritus sancti capite 1. ita scribit. *Hæc itaque sola causa pluralitatis est in Deo, ut Pater & Filius & Spiritus sanctus dici non possint de se invicem, sed alii sint ad invicem, &c.* Quibus omnibus patet apertam esse sanctorum Patrum sententiam divinas Personas proprietatibus non absolutis, sed relativis constitui.

Anselmo.

4. Triplici ratione.

Ratione efficaci, hæc veritas probari nequit: Nam omnes quæ excogitari possunt proponit, & subtiliter solvit Doctor in 1. dist. 25. num. 31. sola itaque hæc formari potest. In mysteriis Fidei, maximè in mysterio Trinitatis, nihil debet affirmari, nisi quod conformius apparet Scripturæ sacræ, & sanctorum Patrum dictis: Sed tam Scriptura sacra quàm sancti Patres significant Personas divinas constitui non absolutis, sed relativis: Ergo ita tenendum est.

1. Quia id conformius apparet Scripturæ sacræ.

Deinde sancti Patres plerumque docent omnia absoluta esse tribus divinis personis communia: Sed proprietates personales non sunt tribus communes: Ergo non sunt quid absolutum.

2. Quia omnia absoluta sunt communia.

Denique per id formaliter divinæ Personæ constituuntur, per quod formaliter distinguuntur & multiplicantur: Sed id fit per solas relationes ut constat ex dictis; sola enim relatio multiplicat Trinitatem: Unde commune illud effatum, *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*: Ergo, &c.

3. Quia personæ per relationes multiplicantur.

Objicies 1. Illud Proverbiorum 30. ubi Salomon de Deo loquens, quærit inter alia, *Quod est nomen ejus*, id est Patris, *& quod nomen Filii ejus si nosti?* Ex quo sic arguitur. Omnis quæstio supponit aliquid, & aliud inquirit: Sed hic supponuntur Pater & Filius divinus esse; & insuper quæruntur eorum propria nomina: Ergo Salomon supponit proprium nomen primæ & secundæ personæ non esse *Patrem*, & *Filium*, aliàs non esset locus quæstioni, sic enim sciret, & nesciret idem, seu scire supponeret, & investigaret, quô nihil ineptius.

Respondeo Salomonem ibi quidem meritò quærere aliud, quod adæquatè & exactè explicet naturam & proprietatem tum Patris, tum Filii divini; quia licet hæc nomina Pater & Filius significent personas divinas constitui & distingui per relationes, non tamen sufficienter explicant quæ, & quales sint illæ divinæ relationes constitutivæ, & qualiter illæ divinæ Personæ constituantur: constitutionem quidem personarum per relationem significant; personarum dignitatem non explicant.

Hæc nomina Pater & Filius non sufficienter explicant personarũ dignitatem.

Objicies 2. Una Persona divina refertur ad aliam per relationem: Ergo per eam non

constituuntur in esse personæ. Patet antecedens; id enim quod refertur, nec est essentia, quia relatum distingui debet realiter a termino; Essentia autem divina quæ est in Patre non distinguitur realiter à seipsa in Filio; imò est eadem realiter; neque etiam relatio refertur, quia ipsamet est causa referendi; ideoque quod refertur est persona. Probatur consequentia 1. authoritate sancti Augustini dicentis libro 7. de Trinit. cap. 2. *Omne relativum est aliquid excepta relatione.* Et cap. 3. *Si Pater*, inquit, *non est aliquid ad se, non est quod refertur.*

Deinde, quod refertur per relationem, est prius relatione, quia est fundamentum & subjectum relationis; fundamentum autem præsupponitur ad id quod in eo fundatur.

Denique, quod denominatur relatum, non est essentia nec relatio: Ergo est suppositum & persona: Ergo quemadmodum paries qui denominatur albus, præsupponitur ad albedinem, ita persona præsupponi debet ad relationem per quam refertur, adeoque per eam non constituitur in ratione personæ.

Negat consequentiam Doctor num. 41. Illud enim quod refertur, est totum suppositum constans essentia & relatione, quod quidem suppositum ita constitutum dicitur relativum seu relatum.

Ad primam probationem Respondet num. 42. sanctum Augustinum non velle quòd illud relatum *ut quod* sit quid absolutum, sed tantùm quòd includat aliquod absolutum tanquam fundamentum relationis.

Relatio creata præsupponit subjectum non divina.

Ad secundam probationem, dicit antecedens esse verum de relationibus creatis, quæ non constituunt suppositum in esse suppositi, non verò de divinis quæ sunt suppositorum constitutivæ: constitutum enim est posterius omnibus suis constitutivis, aut saltem simul naturâ cum eis; adeoque persona constituta per relationem, est simul naturâ cum ipsa relatione, per quam constituitur in esse Personæ divinæ.

Adde quòd, idcirco relationes creatæ debent supponere id quod referunt, quia sunt accidentia quæ adveniunt fundamentis tanquam subjectis: Secus autem est de relationibus divinis, quæ cùm sint substantiales, non præexigunt subjectum quod referant, sed solùm præsupponunt essentiam ex qua oriuntur, & cum qua personam constituunt.

Quia illa est accidens, hæc substantia.

Eodem modo solvitur tertia probatio. Ideo namque albedo supponit album, quia est accidens ipsi extrinsecùs adveniens, & ab eo realiter distinctum; Essentia autem divina nec distinguitur realiter à relatione, sicut nec persona relata, ideoque non debet ad eam præsupponi.

Objicies 3. Relatio realis suponit extrema constitura realiter distincta: Sed relationes divinæ sunt reales: Ergo supponunt personas relatas ad invicem, realiter constitutas & distinctas, adeoque illas non constituunt. Probatur major: Tum quia id quod refertur, priùs constituitur quàm referatur: Tum quia Aristoteles probat identitatem idcirco non esse relationem realem, quia non præexigit extrema realiter distincta: Tum denique quia persona producens in esse personali constituta, est prior origine & ratione quàm persona ab illa procedens: atqui relatio neutro modo potest esse

A prior, quia relata sunt simul natura & cognitione: Ergo persona producens non constituitur in suo esse personali per relationem.

Relatio transcendentalis non præsupponit extrema constituta & distincta.

Negat majorem Doctor ibidem num. 42. inprimis enim, illud falsum est de relationibus transcendentalibus, quæ non supponunt extrema jam constituta & distincta, sed sunt unum extremorum quod seipso formaliter & ex natura sua refertur ad aliud, estque per se formaliter relatio ad aliud; sic v. g. refertur cognitio ad objectum, potentia ad possibile, &c. relationes autem Personarum divinarum sunt transcendentales.

Ad primam probationem dico, id quod refertur per aliud, debet priùs constitui quàm referatur, concedo: quod refertur per seipsum, nego: Personæ autem divinæ referuntur ad se B invicem per seipsas: Unde fit quòd Persona divina non priùs constituatur in esse quàm referatur.

Ad secundam probationem dicit Doctor non ex eo solùm Aristotelem colligere identitatem non esse relationem realem, quia non præexigit extrema realiter distincta; sed præterea, quia supponit quòd identitas unius ad se, non faciat etiam extrema realiter distincta.

Duplex prioritas, durationis & originis.

Ad tertiam probationem distinguo majorem: C Persona producens est prior origine, productâ prioritate *in quo* seu durationis, nego: Prioritate *à quo* seu originis, concedo: Ad minorem dico, relata esse simul natura & cognitione, quia à productione unius colligitur existentia illius correlati; vel in esse existendi, vel in esse objectivo. Inde fit quòd in primo signo originis quo concipitur Pater, etiam cognoscatur Filius, non quidem in esse existenti pro illo priori signo, sed tantùm in esse objectivo, ut dictum est agendo de objectis divinarum processionum.

In divinis una relatio potest esse altera relatione prior origine, non naturâ.

Adde quòd, inquit Doctor num. 44. quamvis relationes sint simul naturâ, tamen ex aliquibus correlationibus, una potest esse prior alterâ prioritate originis, sic enim actio prior D est passione sibi correlativa.

Instabis: Suppositum præintelligitur aliquo modo actioni, quia priùs intelligitur unumquodque per se existere quàm per se agat: Ergo in priori signo originis vel suppositum Patris intelligitur ut aliquid absolutum, vel ut aliquid respectivum: Si primum, habetur intentum: Si secundum, ergo in illo priori signo originis etiam præsupponitur Filius antequàm generetur, & sic non erit terminus generationis.

Confirmatur, quia quacumque prioritate etiam unum correlativum præintelligatur alicui, eadem prioritate etiam illius correlativum præintelligitur.

E *Adde quòd* si Paternitas sit constitutiva Patris, sic erit prior Patre: Ergo Filiatio quæ simul est cum Paternitate erit etiam prior Patre, & sic Filius non erit à Patre productus.

Suppositum non est prius actione quando per illam constituitur.

Distinguit majorem Doctor: Quando suppositum non constituitur per actionem productivã, concedit: quando ita constituitur, negat. Pater autem divinus constituitur in esse Patris & primæ personæ per generationem activam; adeoque ad illam non debet præsupponi. Negat etiam secundam partem consequentis simul, & ejus confirmationem, quia ut mox dictum est, simultas naturæ quam habent correlativa non tollit prioritatem originis & conse-

quentet non impedit quin priùs origine Paternitas competat Patri qoàm sit Filiatio, aut intelligatur convenire Filio.

Objicies 4. Omnis relatio realis terminatut ad absolotum: sed hoc esset falsum, si persona ad quam terminatur Paternitas, constitueretur per relationem, sic enim non esset quid absolotum, sed quid respectivum. Ergo, &c.

Relationes extrema constituentes non debent terminari ad absolutum.

Negat majorem Doctor n. 43. Quamvis enim verum sit de relationibus oon coostituentibus extrema quòd terminari debeant ad absolutum; falsum tameo est de iis quæ constituuot extrema realiter distincta: sicut enim earum fundamentum est qoid respectivum, ita pariter earum terminos *qui* potest esse quid respectivom, quia constituitur in esse termini per relationes.

CONCLUSIO TERTIA.

Personæ divinæ constituuntur per relationes sub formali ratione relationum.

PERSONÆ *divinæ constituuntur in esse personali per relationes sub formali ratione relationum:* Hæc videtur esse genuina Doctoris sententia, ut colligitur ex variis locis, maximè verò *q. 4. quodlibetica n.* 4. & *q.* 19. *num.* 5. & *in primum dist.* 2. *q.* 7. *dist.* 5. *q.* 2. & *dist.* 11. *q.* 4. Denique fusissimè *dist.* 26. per totam, & probatur primò authoritate Concilii Tolerani 11. cap. 1. ubi dicitur quòd *Personæ divinæ hoc solò numerum insinuant quòd ad invicem sunt, & in hoc numero carent quòd in se sunt:*

Probatur 1. authoritate Concilii Toletani.

Ergo ex definitiooe Concilii relationes, non coustituunt nec distinguunt personas secundùm eorum *esse in*, ut volunt Thomistæ, sed secundùm earum *esse ad*, hoc est sub formali ratione relationis. Colligitur pariter ex discursu Joannis Theologi in Concilio Florentino sess. 18. dicentis; *Igitur relationes hujusmodi personas multiplicant, ita ut non alia ratione quàm vi relationis Pater à Filio ac una persona ab alia differant.* Quid est autem *vi relationis differre*, nisi sub ratione formali relationis? proprium autem esse relationis, inquit Philosophos est *esse ad*, oon verò *esse in*: Ergo reverà personas divinas constituunt sub formali ratione relationis.

2. Ratione multiplici.

Probatur ratione: Relatio non potest coostituere, aot distinguere personas divinas, nisi secundum rationem formalem qoam habet: At ooo habet aliam rationem formalem quàm relativam. Ergo præcisè constituit personas, quatenus est relativa, seu quatenus respicit terminom.

1. Quia relatio non habet aliam rationem formalem quàm relativam.

Confirmatur: Non potest relatio concipi, nisi intelligatur secundùm suam essentiam, & rationem formalem quâ à cæteris entibus differt: Sed propria essentia relationis est respicere terminum; per hoc enim à cæteris entibus differt, cætera enim entia habent esse in se; hoc verò totum est ad aliud: Ergo, &c.

2. Quia relatio tota est ad aliud.

Secundò: Illud per quod relatio formaliter constituit personam, vel est aliquid formaliter per se, vel ad aliud. Si primum, illud est absolotum; adeoque personæ noo constituuntur per relationem: Si secundum, ergo reverà constituit formaliter Personas divinas quatenus est relatio.

3. Quia effectus formalis relationis est referre unum ad aliud.

Tertiò, Impossibile est concipere formam aliquam inesse alicui, quin tribuat ipsi suum effectum formalem: Sed effectus formalis relationis est referre actu unum ad aliud: Ergo eô ipsô quô intelligitur Paternitas divina, v. g. etiam intelligitur actu referens Patrem ad Filium, & coosequenter implicat qoòd Paternitas intelligatur constituere Patrem in ratiooe personæ, quin intelligatur ut actu referens Patrem & Filium. Insuper illud *esse in*, quod dicit relatio, vel significat essentiam cum qua personam constituit, vel personam constitutam: Non primum, quia relatio Paternitatis oon dicitur esse in essentia, sed in Patre: Non etiam secundum, Sic enim relatio Paternitatis non constitueret primum soppositum, sed jam constitutum supponeret, sicut forma supponit subjectum in quo est.

Objicitur S. Augustinus.

Objiciunt 1. Sanctum Augustinum lib. 7. de Trinit. cap. 2. dicentem: *Substantia ipse Pater est, non quò Pater est, sed quò est ita dicitur persona Patris, ad se quippe dicitur persona non ad Filium vel Spiritum Sanctum:* Ergo ex mente S. Augustini persooa divina non est formaliter ad aliam; adeoque oon constituitur io esse personæ per relationem reduplicativè ut relatio est.

Sed explicatur.

Respondeo S. Augustinum per illud *esse ad se*, non negare persooam esse relativam ad aliam, illud enim ibidem astruit, sed tantùm quòd quælibet persona habeat in se principium sui constitutivum, & realiter distinctum ab alia persona: *Vel dico* eum ibidem velle qoòd divinæ relationes personales sint substantiales & per se, oon autem accidentales, & in alio tanquam in subjecto inhæsionis, ut sunt relatiooes Creaturarum.

Rationes personæ & relationis sunt oppositæ in creatis, non in divinis.

Objiciut 2. Ratio personæ & ratio relationis sunt oppositæ; Persona enim est quid in se subsistens; relativum autem est essentialiter ad aliud; Personalitas est ipsa substantia in se, relatio verò est ipsa referentia ad aliud: Ergo persona non coostituitur in rationæ personæ per relationem reduplicativè, ut relatio est.

Distinguo antecedens: Rationes personæ & relationis sont oppositæ in creatis, concedo: In divinis, nego: Disparitas enim est, quòd relatio creata sit accidens præsupponens subjectum jam undequaque substantialiter completum, adeoque habens rationem subsistentis & personæ: Secus autem in divinis, ubi relatio ipsa persooas constituit & distinguit.

Objicies 3. Si divinæ relationes quatenus relationes sunt reduplicativè, divinas Personas constituerent & distinguerent, maximè vel qoatenos relationes sont, vel quatenus sunt relationes divinæ. Non primum, qoia tunc quælibet relatio etiam creata esset constitutiva & distinctiva personæ: Noo etiam secundum, aliàs cuilibet relationi diviœ competeret personam constituere, adeoque spiratio activa quæ relatio divina est personam divioam coostitueret, quod falsum est: Ergo, &c.

Relationes personas constituunt quatenus significant distinctionem realem unius ab alia.

Respondeo: Rationem illam constitotivam personæ competere divinis relationibus noo præcisè quatenus divinæ sunt, sed quatenus habent invicem oppositionem ratione processionis & originem unius personæ ab alia: Vel potius quatenus importãt & significant distinctionem realem unius ab alia: Spiratio autem activa talem distinctionem non importat, quia fit per unum & idem principium formale *quo*, nempe per voluntatem.

Corollarium I.

Relationes non constituunt personas quatenus sunt formæ hypostaticæ.

EX dictis *infertur* 1. contra Thomistas divinas relationes non esse constitutivas personarum quatenus sunt formæ hypostaticæ, ut rectè probat Doctor in 1. d. 28. q. 3. n. 2. *Tum quia* relatio considerata ut forma hypostatica, concipitur ut entitas, vel absoluta, vel respectiva: Licèt enim conceptus entis in communi, nec sit respectivus nec absolutus, quia ens ut sic præscindit ab ente respectivo & absoluto, ac utrumque sub se complectitur: Tamen entitas singularis, qualis est entitas constitutiva personæ in esse incommunicabili, debet esse vel absoluta, vel respectiva, siquidem inter ens singulare absolutum & respectivum non datur medium: Sed entitas constitutiva personæ non potest esse absoluta, alioquin sequeretur divinas personas constitui per absoluta, quod improbatum est: Ergo concipi debet ut relativa. *Tum quia* illa ratio formæ hypostaticæ, vel significat aliquid distinctum à ratione formali Paternitatis, v. g. ut relatio est formaliter, vel non: Si primum, ergo Pater non constituitur per relationem, sed per formalitatem distinctam à formalitate relationis, quod tamen omnes Thomistæ improbant. Si secundum: Ergo personæ formaliter constituuntur per relationes, ut relationes sunt, siquidem constituuntur per entitatem quæ est formaliter relatio.

Confirmatur à simili. Quamvis Albedo, v. g. possit concipi ut disgregativa visus absque eo quòd concipiatur ut est qualitas; tamen sicut nemo dicere potest eam non esse albificativam, nec disgregativam visus, ut est talis qualitas; ita à pari quamquam possimus formare aliquem conceptum de Paternitate divina in quo explicitè nón involveretur conceptus relationis, tamen non propterea deberet inferri quòd non constituat personas ut relatio est.

Corollarium II.

Origines non sunt formaliter relationes distinctæ.

INFERTUR 2. Ex eodem ibidem n. 3. quòd etsi divinæ origines non sint distinctæ formaliter à relationibus: *Tum quia* aliàs essent quid absolutum, adeoque essent tribus personis communes quod implicat; *Tum quia* nihil tam ad aliud quàm generatio & spiratio activa aut passiva; adeoque generatio activa nihil aliud est formaliter quàm Paternitas, sicut & generatio passiva idem est formaliter cum Filiatione; attamen non præcisè divinas Personas constituunt, ut origines sunt reduplicativè, sed tantùm ut relationes.

Primò quia inquit Doctor, origo ut origo formaliter est tantùm via inter personam producentem & productam: Ergo non est forma constitutiva earum; imò videtur supponere in persona producente formam propriam constitutivam; etenim priùs aliquid concipitur habere suum esse quàm concipiatur operari: Ergo priùs Pater concipitur constitutus in ratione personæ saltem inadæquatè quàm concipiatur adæquatè producere Filium: Idem dicendum de persona producta. Origo enim est via quâ persona producta recipit suum esse, & consequenter quâ recipit formam sui constitutivam in esse personæ.

Secundò constitutivum rei habentis esse fi-

A xum & permanens, debet exprimi per modum fixi & permanentis, non autem ut via ad esse, hoc est, non ut *in fieri*, sed ut *in facto esse*: At personæ divinæ habent esse fixum & permanens: Origo autem significat aliquid fluens & tantùm præcisè significat esse quod fit & producitur: Ergo personæ divinæ in facto esse non constituuntur adæquatè per origines, sed per relationes.

Tamen non constituunt personas præcisè ut origines sunt.

Tertiò denique origo ut origo formaliter, est quid absolutum vel quid respectivum: Non primum, ut dictum est, & insuper sequeretur quòd personæ constituerentur per aliquid absolutum, si in suo esse personali per origines

B absolutas essent constitutæ: Si secundum: Ergo personas non constituunt, ut origines præcisè, sed ut relationes.

Itaque divinæ origines personas quidem realiter distinctas propriè significant, non autem formaliter constituunt. Quô sensu intelligendi sunt illi sancti Patres qui divinas Personas per origines constitui & distingui videntur asserere. Sic S. Cyrillus librô 2. Thesauri cap. 3. *Ve hypostasim ait, quæ generat & quæ generatur divina Scriptura rationibus distingueret. Patris & Filii nominibus usa est.* Sic. S. Anselmus librô de processione Spiritus sancti cap. 2. *Hæc*, in-

Etsi eas distinctas propriè significent.

C quit, *sola causa pluralitatis est in Deo, ut Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, dici non possint de invicem, sed alii sint ab invicem, quia prædictis duobus modis est Deus de Deo, quod totum dici potest relatio.* Sic denique S. Damascenus librô 1. de Fide cap. 2. dicit; *Patrem, Filium, & Spiritum sanctum omninò esse unum excepta ingeniti, generationis & processionis proprietate:* Non quòd reverà Patres velint Personas divinas constitui per origines; sed quòd constitutæ & realiter distinctæ meliùs innotescant per relationes quatenus origines sunt, quàm prout concipiuntur sub formali conceptu relationum. Hanc ipsam doctrinam ex Doctore Subtili mutuatam

D luculenter expendit Cardinalis Bessarion in Concilio Florentino oratione pro unione utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ cap. 6. dicens; *Relatio & origo etsi secundùm modum intelligendi differunt, (siquidem origo significatur per modum actus, ut generatio; Relatio verò per modum formæ ut paternitas, re tamen non differunt, ideo utroque quidem modò distinguuntur divinæ Personæ; priùs tamen & principaliter secundùm modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituuntur divinæ Personæ; Consequenter autem per diversum modum, sive per originem. Non enim generare & genitum esse, quod originis est constituit principaliter personam, sed Paternitas & Filiatio, sive Patrem & Filium*

E *esse quod relationis est: Sed quia relatio & origo idem sunt re, & relatio consequitur originem (secundum conceptum;) ideo utroque quidem modò distinguuntur divinæ Personæ, sed principaliùs relatione.*

Corollarium III.

Ingenitum non constituit primam personam.

INFERTUR 3. Patrem divinum non constitui per rationem *ingeniti*; sed per relationem Paternitatis, quia inquit Doctor in 1. d. 28. q. 2. n. 11. ingenitum dicit formaliter negationem: Sed divina persona non potest formaliter constitui per negationem: Ergo, &c. Major patet, Ingenitum enim est negatio geniti. Mi-

norem probat Doctor, Nulla negatio potest esse de se incommunicabilis; sed debet esse incommunicabilis ratione alterius: Ergo non potest efficere per se personam incommunicabilem, sed tantùm ratione alterius incommunicabilis cui inest: At nihil est in essentia divina quod sit incommunicabile. Ergo nulla negatio cum essentia divina potest constituere personam.

Confirmatur, & præcedens ratio magis illustratur. In prima Persona divina debet esse negatio communicabilitatis inseparabilis à suo fundamento, & reddens illud fundamentum omninò incommunicabile tam actualiter, quàm aptitudinaliter & obedientialiter, quia persona divina habet repugnantiam ad sui communicationem: Sed illud fundamentum non est essentia divina, nec aliquod absolutum commune tribus Personis. Ergo debet esse aliquod illud positivum absolutum quod sit constitutivum & distinctivum primæ personæ. Ergo prima persona formaliter non constituitur per negationem, adeoque nec per rationem ingeniti quæ est formaliter negatio.

Reponunt aliqui: Rationem ingeniti non esse negationem puram & simplicem, sed importare aliquid positivum, nempe rationem primi principii & fontalis Divinitatis: Sed

Quia formaliter dicit negationem.

Contra. Instat Doctor *quodlibetô* 4. Ratio illa primi principii significat Patrem esse *à se*, idque vel effectivè, quia ipse est causa sui ipsius, vel tantùm negativè, quia nempe nullum habet principium sui ipsius: Non primum, quia repugnat ut aliquid sit author & causa sui esse; alioqui esset antequam esset, ut pluries jam dictum: Si secundum, ergo esse primum principium est tantùm negatio alterius prioris principii; adeoque non est aliquid positivum:

Secundò, Si ingenitum dicat aliquid positivum, maximè vel aliquid absolutum, vel relativum: Si absolutum, ergo prima persona constituitur per aliquid absolutum, quod sancti Patres & Concilia denegant: Si relativum, vel illa relatio est eadem formaliter cum Paternitate, & habetur propositum; vel est ab ea distincta formaliter, & sic erunt plures quàm quatuor relationes Personarum divinarum distinctivæ, quod nullus Theologorum admittit.

Tertiò denique fontalis illa ratio Divinitatis quæ est in Patre, vel est essentia, vel relatio. Si essentia, non potest esse constitutiva & distinctiva personæ: Si relatio, vel est Paternitas, vel à Paternitate distincta; Et sic recurrit prior instantia. Fatendum est ergo primam personam constitui formaliter per Paternitatem, quæ in suo conceptu formali relationis constitutivæ primi suppositi, importat rationem ingeniti, & primi principii, &c.

Quæstio Tertia.

An sint in Deo tres subsistentiæ relativæ personales, & una absoluta?

I. Per se existere duobus modis intelligitur.

NOTANDUM 1. Nomen *subsistentiæ* hic usurpari ad significandum modum existendi per se: Hic autem sumitur dupliciter: Primò, prout opponitur existentiæ in alio per inhæsionem; qualiter omnis substantia dicitur ens per se subsistens, sive interim illa sit completa, sive incompleta: Sic quælibet pars corporis Physici sive integralis sive essentialis, licet existens in toto, dicitur ens per se subsistens, non minùs quàm ipsummet corpus physicum. *Secundò* sumitur *per se existere*, quatenus significat existentiam perfectissimam & independentem ab alio tanquam à perfectivo vel sustentante, qualiter natura quævis omnimodè completa constansque suis prædicatis essentialibus nec-non & attributis ac proprietatibus, priùs naturâ quàm sit in proprio supposito vel alieno, dicitur ens per se subsistens; sic humanitas priùs naturâ quàm assumatur à Persona Verbi, dicitur per se existens seu subsistens, neque enim nomine *subsistentiæ* significatur persona seu hypostasis, sed etiam res quæcumque per se & in se existens, ut disertè edocet Rusticus lib. de Incarnatione contra Acephalos: *Clarissimè igitur*, inquit, *subsistentiæ nomen nonnunquam personam, interdum verò naturam significat.*

II. Modus existendi per se completè duplex communicabilis & incommunicabilis.

Notandum 2. Modum existendi *per se completè*, iterum esse duplicem, nimirum communicabilem & incommunicabilem. Prior convenit naturæ cuilibet communi substantiali, quæ quatenus præscindit ab iis, quibus communicatur, sicut dicitur natura verè completa & realis; ita pariter dicenda est per se existens, sive subsistens: Posterior verò convenit naturæ singulari non modò completæ in ratione naturæ singularis, sed etiam in ratione personæ, seu suppositi. Inde duplex circa præsentem quæstionem oritur difficultas. Prima, an natura divina quatenus præscindit à divinis personis & relationibus constitutivis personarum, dici possit per se subsistens, habeatque existentiam absolutam & subsistentiam distinctam à subsistentiis relativis: Secunda, an ex hypothesi quòd hæc detur subsistentia absoluta, tres aliæ admittendæ sint relativæ realiter invicem & formaliter ab existentia absoluta distinctæ.

Status quæstionis.

III. Multiplex Authorum sententia.

Notandum 3. Circa duas præfatas difficultates duplicem esse oppositam Authorum sententiam: Primò namque Vasquez Disp. 125. affirmat naturam divinam subsistere in divinis personis per proprias tantùm earum subsistentias relativas; adeoque negat dari in divinis aliquam subsistentiam absolutam communem tribus personis & propriam divinæ naturæ. Durandus verò in 1. dist. 13. q. 2. existimat tres Personas divinas totam rationem subsistendi desumere à subsistentia absoluta essentiæ divinæ in illis inclusa; incommunicabilitatem verò habere à relationibus suis constitutivis; adeoque tres subsistentias relativas ad constituendas divinas personas esse omninò superfluas. Has inter extremas sententias mediâ & tutiori viâ incedunt Doctoris Subtilis discipuli, quos sequuntur graviores Thomistæ, affirmantes admittendam esse unam subsistentiam absolutam & tres relativas.

Conclusio Prima.

IV. Tres sunt subsistentiæ relativæ in divinis.

REVERA *tres sunt subsistentiæ relativæ in divinis Personis.* Hæc Conclusio sufficienter constat ex SS. Patribus laudatis initiô præsentis Articuli in explanatione nominis *subsistentiæ*, & insuper probatur. Plures sunt subsistentiæ in divinis: sed non sunt plures absolutæ subsistentiæ. Ergo plures sunt relativæ. Major patet, Tum ex dictis, tum maximè ex Sexta Synodo

Probatur 1. ex sanctis Patribus.

Generali, actione 11. ubi dicitur, quòd *Sanctissima Trinitas innumerabilis facta est personalibus subsistentiis*: Similiter ex sanctis Patribus, maximè Cyrillo Alexandrino Dialogô de Trinit. lib. 3. ubi ait; *Omnis nostræ fidei sermo huc tendit, ut unam videamus Deitatis naturam quæ in tribus subsistentiis propriè subsistit*: Sic pariter Athanasius sermone de Deipara, ait; *Vnum Deum in tribus subsistentiis prædicamus, in quibus una sit substantia*. Sic denique S. Ambrosius in Symbolum Apostolorum cap. 2. dicit; *Catholicum est ut & unum Deum secundùm unitatem substantiæ fateamur, & Patrem & Filium in sua quemque subsistentia sentiamus*.

Primum Adversariorum effugium. Præcluditur.

A

Reponunt aliqui: Quòd dum Concilia & sancti Patres plores in Deo subsistentias prædicant, subsistentiam accipiunt pro personalitate.

B

Contra: Acceptio ista, vel est propria, vel impropria locutio: Si primum, habetur propositum, scilicet subsistentiam in aliqua sui propria acceptione in Deo esse moltiplicem: Si secundum, sanè dedecet absque ulla urgenti necessitate Conciliorum & Patrum verba ad imperfectum sensum detorquere. Adde quòd si Patres & Concilia usurpaverint subsistentiam pro personalitate, reverà concluditur propositum; sicut enim plures sunt personalitates relativæ in divinis; ita etiam plures erunt subsistentiæ relativæ.

2. Replica.

Reponunt alii: Concilia & sanctos Patres sumere subsistentiam, non pro personalitate in abstracto, sed pro personis, & re subsistente in concreto; itaque quando affirmant in Deo admittendas esse plures subsistentias, idem est ac si dicerent esse plures personas & res subsistentes eadem subsistentiâ essentiali.

C

Diluitur.

Contra: Loquuntur sancti Patres & Concilia de subsistentiis quasi de formis quibus divinæ Personæ constituuntur, distinguuntur, & numerantur; sed hoc est usurpare subsistentiam in abstracto, & non in concreto: Ergo, &c.

Deinde: Etiamsi usurpent subsistentiam in concreto, semper inferte licet distinctas esse subsistentias relativas: Etenim ad multiplicationem concreti substantivi necessariò est multiplicari formas: Unde tres Personæ dici nequeunt tres Dii, quia nomen *Deus* substantivum est; & una est solùm forma per illud nomen significata scilicet *Deitas*: Ergo si tantùm datur una subsistentia absoluta, non poterit multiplicari in personis, sicut nec ipsa Deitas multiplicatur. Et consequenter cùm Concilia & sancti Patres affirment subsistentias multiplicari, necessum est quòd distinguant subsistentias relativas ab absoluta.

D

Probatur 2. ratione multiplici.

1. Quia subsistentiæ idem sunt cum relationibus.

PROBATUR insuper Conclusio ratione Theologica: Quidquid convenit divinis Personis ratione relationum quibus constituuntur in esse personali, in eis multiplicatur: Sed subsistentiæ ipsis ita conveniunt: Ergo multiplicantur. Major constat, Multiplicata enim ratione formali necessum est multiplicari etiam id quod est idem formaliter cum ipsa: Sed subsistentiæ sunt idem formaliter cum relationibus constitutivis divinarum Personarum: Subsistentia enim ut dicit modum subsistendi incommunicabiliter est ipsamet ratio constitutiva personæ in esse personali: Etenim personæ divinæ quatenus personæ sunt, per se subsistunt independenter & incommunicabiliter: Ergo reverà habent subsistentias incommunicabiles.

E

2. Quia in Deo sunt diversa principia *quod*.

Deinde: Ubi sunt diversa principia productiva *quod*, debent esse diversæ subsistentiæ; sicut enim operari sequitur esse, ita principium productivum *quod* supponit esse completum, adeoque per se subsistens: Sed in Deo sunt diversa principia productivæ *quod* Filii & Spiritus sancti. Pater enim est principium *quod* Filii, & Pater & Filius sunt principium *quod* productionis Spiritus sancti: Ergo Pater & Filius debent habere distinctas subsistentias.

3. Quia humanitas Christi terminata est tantùm per subsistentiam Verbi.

Denique: Humanitas Christi assumpta est tantùm & terminata per subsistentiam Verbi, non verò per subsistentiam Patris aut Spiritus sancti: Ergo subsistentia Verbi distinguitur à subsistentia Patris & Spiritus sancti, adeoque non subsistunt unicâ subsistentiâ absolutâ.

Dices 1. Subsistere est perfectio simpliciter simplex: Sed relatio in divinis nullam dicit perfectionem, ut constabit Articulô sequenti: Ergo pariter nulla relatio est subsistentia.

Subsistentia absoluta est perfectio, non item relativa.

Distinguo majorem: Per se subsistere communicabiliter & absolutè dicit perfectionem, concedo: Per se subsistere incommunicabiliter & relativè dicit perfectionem, nego.

Objicies 2. Ratio subsistentiæ est aliquid absolutum: Ergo nulla datur in divinis subsistentia relativa. Consequentia patet. Probatur antecedens ex S. Augustino 7. de Trinit. cap. 4. dicente, *Omnis res subsistit ad se; quantò magis Deus*: Sed illud quod est ad se, & non ad aliud, absolutum est: Ergo ratio subsistendi est aliquid absolutum.

V.

Quæ absoluta aliquando dicitur, id est independens à substentante.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico, S. Augustinum ibi loqui de subsistentia, ut dicit perseitatem independentem ab alio sustentante, qualis est subsistentia absoluta conveniens Personis divinis ratione essentiæ ipsis communicatæ, non verò ratione relationum.

Vel dico ipsum velle tantùm quòd subsistentia vel subsistens non sit ad alterum; ita ut sit alterius rei subsistentia vel subsistens, sicut Pater, v. g. est Filii Pater: Hoc tamen non impedit quin subsistentia sit relativa, sicut persona, quæ licet dici nequeat persona alterius personæ, non minùs tamen est relativa.

Dices 3. Natura divina, ut mox probabimus, subsistit subsistentiâ absolutâ: Ergo non subsistit subsistentiis relativis. Patet consequentia; Subsistentia enim est ultimus terminus in linea subsistendi: Ergo per aliam terminari non potest, & consequenter præter absolutam admitti non debet relativa.

Subsistentia incommunicabilis, est ultimus terminus in ratione subsistendi, non verò communicabilis.

Distinguo antecedens: Subsistit subsistentiâ communicabili, concedo: incommunicabili, nego: Similiter distinguo consequentiam, non debent admitti aliæ subsistentiæ communicabiles & absolutæ, concedo: Incommunicabiles & relativæ, nego.

Probationem pariter distinguo: Subsistentia personalis & incommunicabilis est ultimus terminus in ratione subsistendi, concedo: Non personalis & communicabilis, nego. Subsistentia enim absoluta & essentialis, sicut non est incommunicabilis, ita nec habet rationem ultimi termini, sed tantùm termini constituentis naturam undequaque completam in ratione naturæ divinæ & reddentis illam capacem, ut communicetur tribus Personis divinis.

Secundò pro perseitate excludente communicabilitatem supposito. Priori modo non idem significat ac hypostasis, sed tantùm posteriori juxta priorem acceptationem, dicimus vnicam esse subsistentiam absolutam in Deo; juxta posteriorem reverà sunt tres subsistentiæ relativæ.

IX. *Dices* 2. Subsistentia est ultimus terminus naturæ quam afficit: Sed Essentia divina antecedenter ad personalitates, non habet aliquid quod sit ejus ultimus terminus: Ergo non habet subsistentiã. Probatur minor: Ultimus terminus terminum posteriorem excludit; at essentia divina non excludit terminum posteriorem; siquidem adhuc terminatur subsistentiis relativis: Ergo, &c.

Subsistentia absoluta non est ultimus terminus naturæ divinæ.

Distinguo majorem: Subsistentia personalis & incommunicabilis alteri supposito est ultimus naturæ terminus, qui nullum posteriorem agnoscit, concedo: Subsistentia absoluta & naturalis, quæ naturam per se existentem efficit, & nihilominus communicabilem alteri ut supposito, debet esse ejus ultimus terminus, nego: Ut sic enim natura divina cum sit infinitè fœcunda, ex ratione sua postulat divinis Personis communicari, & ab eis ultimò terminari, & ultra incommunicabilis fieri.

Dices 3. Subsistere est per se existere, non solùm independenter ab alio, sed etiam cum repugnantia ad essendum in alio; sicut *inhærere*, est esse in alio cum repugnantia ad existendum per se; at natura divina quatenus præscindit à Personis, hoc modo per se existendi non gaudet; imò potiùs postulat in Personis existere: Ergo ut sic non verè subsistit.

X. *Distinguo majorem*: Est per se existere, & non in alio, tanquam in sustentante, concedo: tanquam in ultimo terminante, nego. Et similiter distincta minore; nego consequentiam. Natura namque divina, etsi postulet esse in Personis tanquam in terminis suæ fœcunditatis; non tamen in eis est tanquam in sustentante & eam complente; Essentia enim divina nullam perfectionem accipit à Personis, imò omnis Personarum perfectio ab ipsa profluit; neque ab eis completur in ratione naturæ divinæ, sed tantùm in eis ejus infinita fœcunditas derivatur, & ab eis terminatur.

Sed relativa quæ naturam non sustentat aut perficit sed tantùm terminat.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Relationibus divinarum Personarum Constitutivis.

I. DUPLEX maximè relationum genus in Deo distinguunt Theologi, quarum aliquas *ad extra*, alias *ad intra* nominant. Relationes *ad extra* sunt quibus Deus ad Creaturas refertur, vel ab æterno, ut sunt relationes Omnipotentiæ & Notitiæ simplicis ad res possibiles, nec-non & Prædestinantis, Reprobantis, &c ad Creaturas, rationales futuras; vel in tempore, ut sunt relationes Creatoris, Gubernatoris, Redemptoris, &c. Relationes *ad intra* sunt quibus divinæ Personæ ad invicem mutuò referuntur. Quæ iterum duplicis sunt generis, aliquæ enim sunt *propriæ* singulis divinis Personis; aliæ sunt tribus *communes*. Propriæ alio nomine dicuntur relationes originis, quibus maximè constituuntur divinæ Personæ; eæque sunt Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & Spiratio passiva, quæ omnes, si Spirationem activam excipias, sunt in singulis personis alterius & alterius rationis, invicemque distinguuntur realiter. Communes sunt quæ in singulis personis reperiuntur, fundanturque super unitatem, & metaphoricam quantitatem, & qualitatem divinam, & dicuntur æqualitas, identitas, & similitudo.

Quid relationes ad extra.

Quid relationes ad intra.

Aliæ propriæ, aliæ communes.

De Relationibus *ad extra* non est præsenti loco disputandum; sed de relationibus *ad intra*. De quibus maximè Tria veniunt resoluenda: 1. An omnes relationes ad intra tam communes, quàm propriæ, sint reales. 2. Quænam ex propriis sint reverà divinarum Personarum constitutivæ. 3. An relationes personarum constitutivæ aliquam perfectionem importent & connotent.

Articuli distributio.

QUÆSTIO PRIMA.

An omnes Relationes divinæ ad intra sint reales?

II. NOTANDUM 1. Nomine relationis nos intelligere illam veluti formam, quâ una res aliam respicit & cum ea comparatur. Unde fit ut in qualibet relatione duplex distinguatur esse, nimirum esse *in* & esse *ad*. Cùm enim relatio sit habitudo unius ad aliud, necessariò est in subjecto quod refert, & ad terminum quem respicit. An autem relatio secundùm illud duplex esse sit realis, non conveniunt Authores; quidam enim cum Guillelmo Parisiensi laudato à Carthusiano in 1. dist. 26. q. 2. affirmant tam in Deo quàm in Creaturis omnibus relationes non esse reales entitates, sed tantùm entia rationis; aut saltem solùm denominationes extrinsecas, ut docuit Ochamus in 1. dist. 30. quæst. 4. Nonnulli contendunt relationes non esse reales quatenus sunt *ad aliquid*, sed tantùm prout sunt in aliquo, ita plerique Thomistæ cum S. Thoma de potentia, quæst. 4. artic. 5. & in, dist. 26. quæst. art. 2. ad 3. Cæteri denique cum Doctore Subtili conveniunt relationes divinas ad intra esse reales secundùm illud esse duplex, nempe in aliquo & ad aliquid.

Relatio habet duplex esse, esse *in* & esse *ad*.

III. *Notandum* 2. Ex Doctore quodlibeto 6. n. 33. ad realitatem relationis tria maximè desiderari. *Primum*, fundamentum reale quod sit in re & ex natura rei: *Secundum*, extrema realia & realiter distincta: *Tertium*, quod ipsum ex natura rei insit extremis, absque scilicet omni consideratione intellectus, vel absque operatione potentiæ extrinsecæ. Advertendum insuper relationum realium, maximè earum quæ appellãtur mutuæ, tres esse proprietates, quarum *Prima* est, quod sint simul naturâ: *Secunda*, quod sint simul cognitione seu definitione: *Tertia*, quod dicantur ad convertentiam; quas omnes ex Aristotele sic expendit sanctus Cyrillus lib. 2. Thesauri cap. 3. *Quæ ad aliquid sunt*, inquit, *& natura & ratione simul sunt, & alterum ex altero infertur.* Consequens est ergo relationes eas esse dicendas reales quibus tres præfatæ conditiones, tresque designatæ proprietates competunt: An autem hæ omnes divinis relationibus *ad intra* quadrent, hic erit determinandum.

Ad relationem realem tria maximè desiderantur.

IV. *Notandum* 3. Relationes divinas in tribus

Relationes divinæ in tribus à creatis discrepant. maximè à creatis discrepare. *Primò* namque A creata relatio nullius ferè est entitatis & existentiæ, nullius activitatis ac efficaciæ, nullius denique soliditatis ac permanentiæ; imò propriæ fragilitatis & tenuitatis defectu, eodem pene momento, quo nascitur evanescit: Divina verò relatio tantæ est tamque sublimis entitatis, ut augustissimam Trinitatem instituat divinasque personas in esse personali constituat. *Secundò* Creaturarum relationes sunt accidentales, adeoque egent subjecto tum ut existant tum ut conserventur: Divinæ verò relationes substantiales sunt ac per se subsistentes, & licèt ab Essentia divina tanquam ab omnis entitatis & perfectionis pelago profluant, B ipsamque ad constitutionem personarum determinent; tamen ipsi divinæ essentiæ, non insunt tanquam subjecto, sed ei realiter identificantur. *Tertiò* relationes intrinsecùs advenientes in Creaturis supponunt sua extrema, hoc est, fundamentum & terminum, realiter existentia & distincta, quia oriuntur tantùm ex positione fundamenti & termini: At divinæ relationes non supponunt, sed constituunt divinas Personas, easque realiter distinctas efficiunt.

Quæstionis partitio. His prælibatis tria supersunt statuenda. *Primum* an divinæ relationes personales & propriæ sint verè reales: *Secundum* an sint reales tam secundùm esse *ad aliquid* quàm secundùm esse *in aliquo*. *Tertium* an relationes communes identitatis, æqualitatis, & similitudinis sint etiam verè reales.

Conclusio Prima.

V. Relationes propriæ sunt simpliciter reales. Relationes *divinis Personis propriæ sunt simpliciter reales.* Hæc sufficienter constat ex iis quæ diximus probando divinas Personas constitui per relationes reduplicativè ut relationes sunt.

Probatur insuper authoritate Conciliorum, maximè Toletani 11. cap. 1. dicentis, *In relativis personarum nominibus Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus sanctus ad utrosque refertur. Quæ cùm relativè tres personæ dicantur, una tamen natura per substantiam creditur.* Ut apertè indigitant Concilia. Patet id ipsum ex Concilio Florentino sessione 18. ubi Joannes Theologus, ex communi sententia Græcorum Patrum & Latinorum ait, *Sola relatio apud omnes Græcos, & Latinos Doctores, divina processione personas multiplicat, ita ut non alia ratione quàm vi relationis una persona ab alia differat.* Ex quibus sic argumentor: Divinæ Personæ realiter constituuntur, & distinguuntur: Ergo per aliquid reale constitutivum & distinctivum: Sed illud, ex Conciliis, non est aliud quàm relatio: Ergo illa reverà est realis.

E *Probatur* 2. Illæ relationes reverà sunt dicendæ reales, quibus competunt tres ad realem relationem proprietates desiderandæ: Sed illæ conveniunt relationibus notionalibus: Ergo hæ sunt reales. Et ratio confirmat. Major constat: Proprietas enim sequitur entitatem; adeoque si illa sit realis, hæc pariter realis erit. Probatur minor: Tres conditiones sunt, quod relationes mutuæ sint simul naturâ, simul cognitione, & reciproca illatione, ut dictum est in secundo Notabili: At illæ quadrant in relationes divinarum Personarum constitutivas; siquidem Pater & Filius divinus, Verbi gratiâ, simul sunt naturâ, Pater & Filius sunt simul naturâ, & ex unius existentia, infertur existentia alterius, ut disertè probat sanctus Cyrillus Dialogo de Trinit lib. 4. *Si non est Filius existens genitus*, inquir, *neque Pater esset juxta rationem congruam; Pater siquidem est quia genuit: igitur & simul subsistere & simul tolli utrumque verum.* Illatione. Sunt etiam simul cognitione; Et notitia. nam inquit sanctus Basilius libro 2. contra Eunomium, *Ex quo Pater est, & Filius est, & illico cum quis Patris cogitationem capit, Filii etiam incurrit, nam Pater Filii videlicet Pater*: Cui concinit Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 7. *Patris nomen*, ait, *simul cum ipsius nominis appellatione exhibet intelligendum & Filium; quemadmodum similiter Filium quis nominans etiam & Patrem intelligit*; nam ut subjicit Gregorius Nyssenus Epist. contra Apollinarem; *Ubi Quis Patrem nominaverit, certum est eum Filii cujuspiam significationem intulisse; quomodo enim Pater appellabitur nisi Filius etiam intelligatur?* Favet sanctus Hilarius libro 7. de Trinitate. *Nomen Patris*, inquit, *habet in se Filii nomen, non enim nisi per Filium Pater est; & significatio Filii demonstratio Patris est, quia nonnisi ex Patre sit Filius.* Ergo si realis relationis proprietas personalibus relationibus competat, illæ reverà dicendæ erunt reales.

C *Probatur* 3. Illæ relationes reverà sunt dicendæ reales, quibus competunt tres conditiones ad relationem realem requisitæ, nempe quod ejus fundamentum sit reale, quod sit inter extrema realia, quodque fundamento insit ex natura rei & citra considerationem intellectus: Nulla conditio ad relationem realem deest relationibus notionalibus. Sed hæ tres conditiones conveniunt relationibus personalibus: Prima quidem; quia origo activa & passiva in quibus fundantur relationes producentis & producti, est reverà fundamentum reale: Secundò relationes illæ sunt inter extrema realiter distincta; producens enim & productum distinguuntur realiter invicem.

Denique relationes illæ & habitudines unius Personæ ad aliam ipsis competunt citra quamlibet intellectus operationem; etsi enim nullus D unquam fuisset intellectus creatus, non minùs reverà Pater divinus esset Filii Pater, & Filius Patris Filius: Ergo non minùs reverà habuissent relationem invicem.

VI. *Dices* 1. Relatio realis exigit extrema realiter distincta: Sed relationes divinæ non habent extrema realiter distincta. Probatur, nam relationes illæ sunt inter Essentiam, quæ ab una Persona communicatur alteri: Sed Essentia divina in Persona eam communicante, non distinguitur à seipsa quatenus est in Persona cui communicatur; imò est omnino eadem: Ergo, &c.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico: Essentiam ipsam divinam non esse extremum, seu fundamentum proximum relationis quæ intercedit inter divinas Personas; sed illæmet divinæ Personæ sunt ipsa relationum extrema; non enim Essentia, sed ipsæ divinæ Personæ realiter referuntur ad invicem; adeoque cùm Personæ sint realiter distinctæ, etiam earum relationes sunt inter extrema realiter distincta. Non Essentia, sed persona refertur.

Instabis: Non solùm relatio exigit, sed etiam præexigit realitatem & distinctionem extremorum: At relationes divinæ, non supponunt extrema realia & realiter distincta: Ergo non sunt reales.

Distinguo majorem: Relatio creata præexigit realitatem & distinctionem realem extremorum, quia non oritur nisi ex positis fundamento & termino, concedo: Relatio increata & divina ita exigit extrema realiter distincta, nego. Cùm enim hæc sit constitutiva & distinctiva divinæ Personæ quia est terminativa communicationis divinæ Essentiæ; idcirco non supponit, sed efficit distinctionem extremorum.

VII. *Dices* 2. Idcirco affirmantur esse in Deo relationes reales, quia Personæ divinæ denominantur nominibus relativis: Sed exinde non licet colligere in eis esse aliquas relationes reales: Ergo, &c. Major constat ex probationibus Conclusionis. Minor probatur: Tam enim reverà Deus realiter dicitur Dominus, Creator, &c. quàm prima persona dicitur Pater: Sed ex eò quòd Deus appelletur nomine relativo *Domini*, non sequitur in eo esse relationem realem, quæ intercedit inter Dominum & Servum in creatis: Ergo ex eo quòd prima persona appelletur Pater, concludere non licet eandem esse relationem, quæ est inter Patrem & Filium in creatis.

Deus dicitur realiter Dominus & realiter Pater.

Nego minorem, & ad ejus probationem distinguo majorem: Tam realiter Deus dicitur *Dominus* quàm prima persona dicitur *Pater*, realitate terminationis, quia nempe relatio Dominii terminatur ad Creaturas realiter existentes, sicut proportione servata relatio Paternitatis terminatur ad Filium realiter existentem, concedo: Tam realiter intrinsecè, seu per formam relativam intrinsecam, nego: Relatio enim Domini tantùm oritur ab extrinseco, & Deo convenit jam constituto undequaque in suo esse tum essentiali, tum personali; idcirco dicitur relatio ipsi adveniens ab extrinseco, nempe ex productione creaturæ; relatio verò Paternitatis ipsi ab intrinseco competit, non solùm quia fluit ab essentia cum qua est eadem realiter, & à qua solùm formaliter distinguitur, sed etiam quia cum Essentia divina concurrit ad intrinsecam constitutionem personæ divinæ in suo esse personali.

Sed Pater intrinsecè, Dominus extrinsecè.

VIII. *Dices* 3. Boëtius libro 1. de Trinit. circa medium enumeratis omnibus prædicamentis ait, *Hæc cùm quis in divinam verterit prædicationem cuncta mutantur quæ prædicari possunt: ad aliquid verò omnino non potest prædicari*: Ergo ex eo sequitur relationem, quæ est prædicamentum *ad aliud*, non Deo realiter competere; sicut convenit substantia, & quæ ultra substantiam significantur per modum vel quantitatis, vel qualitatis, vel actionis, &c.

Boëtius censuit relationes non prædicari de Deo

Respondeo Boëtium velle quòd relationes non eòdem modò prædicentur de Divinitate, quomodo enunciantur cætera prædicamenta, sed modò omnino diversò: Cùm enim inquisivisset libro proximè sequenti, *Vtrum Pater & Filius & Spiritus sanctus de Divinitate substantialiter prædicentur*: post medium libri ita concludit, *Ex his igitur intelligimus Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non de ipsa Divinitate substantialiter dici; sed aliò quodam modò: Si enim substantialiter prædicaretur de singulis, & de omnibus singulariter diceretur: Nunc verò ad aliquid dici manifestum est, nam & Pater alicujus Pater est*. Fatetur ergo Boëtius relationes prædicari & dici de Deo tanquam *ad aliquid*; qui est alius quidam modus prædicationis distinctus à prædicatione substantiæ & cæterorum prædicamentorum quæ de singulis personis verificatur. Singulæ namque dicuntur per se existentes, æquales, similes, &c. non autem singulæ dicuntur Pater, &c.

Eodem modo quo cætera prædicamenta, sed diversò.

CONCLUSIO SECUNDA.

IX. RELATIONES *originis Personarum divinarum constitutivæ reverà sunt reales secundùm esse ad aliquid.*

Relationes originis sunt reales secundùm esse ad.

Probatur ex illis omnibus quibus jam insinuatum est relationes divinas esse personarum constitutivas quatenus relationes sunt, etenim relationes originis sunt personarum divinarum constitutivæ quatenus reales sunt & secundùm propriam rationem quâ sunt relationes: Sed sunt relationes propriæ secundùm esse *ad aliud*: Ergo sunt etiam relationes & constitutivæ secundùm esse earum ad aliquid. Major constat ex dictis. Probatur minor: Secluso esse ad aliquid à relatione nihil amplius remanet per quod unum intelligatur referri ad aliud: Sed ablata à relatione ratione referendi unum ad aliud, non remanet amplius relatio: Ergo secluso esse ad aliquid non est ampliùs vera relatio.

1. Quia relationes constituunt personas secundùm esse ad.

Confirmatur: Eo modo divinæ relationes personas constituunt, quomodo eas distinguunt: Sed eas distinguunt tantùm secundùm esse *ad*. Probatur. Non distinguunt nisi quatenus opponuntur: sed opponuntur invicem tantùm secundum esse *ad*; non verò secundùm esse *in* quod est ipsis commune cum formis absolutis: Ergo, &c.

Secundò: Paternitas secundùm formalissimam rationem Paternitatis, est relatio ad Filium: Ergo relatio secundùm formalissimam rationem relationis, seu secundum esse *ad aliud* est entitas realis. Major patet: Si enim Paternitas secundùm formalissimam rationem non esset entitas realis, Deus non esset verè & propriè Pater, sed tantùm per quandam comparationem intellectus humani; ideoque minùs propriè esset Pater & Filius quàm homo generans, & genitus, qui realiter sunt Pater & Filius. Minor autem constat ex dictis, quibus probavimus plurimis sanctorum Patrum authoritatibus rationem propriam Paternitatis totam esse ad Filium, sicut tota ratio Filii est ad Patrem. Et probatur insuper ex Concilio Uuormatiensi in professione fidei, ubi repetens verba Concilii Toletani 11. dicentis, *In relativis personarum nominibus Pater ad Filium & Filius ad Patrem & Spiritus sanctus ad utrosque refertur*, &c. Subdit. *Quòd Pater est non ad se, sed ad Filium; & quod Filius est, non ad se; sed ad Patrem est*. Cui concinit sanctus Bernardus Epist. 192. ad Innocentium ubi ait, *Non quod ad se, sed quod ad Filium est, Patris nomine designatur*. Ergo vera ratio relationis est ad aliud.

2. Quia Paternitas nihil aliud est quàm relatio ad Filium.

Tertiò denique: Si relatio secundùm esse ad aliud, non esset ex se proprié realis, sed ex eo solùm quòd realis est substantia Dei, vel ejus amor, & intellectio; sequeretur relationes divinas æternas non esse reales perfectiori & veriori modò, quàm sint reales relationes ex tempore convenientes Deo, à quibus realiter denominatur *Dominus* & *Creator*; etenim istæ similiter fundantur in operationibus intellectus, & voluntatis divinæ, Deus enim in tempore realiter, & propriè Dominus appellatur à reali

3. Quia magis sunt reales quã relationes ex tempore Deo convenientes.

fubjectione Creaturarum fuppofito fundamento volitionis & imperii, quo Deus ab æterno prædefinivit Creaturas producere, & gubernata : Sed boc confequens eft abfurdum, alias relationes originis effent tantùm deoominationes extrinfecæ; adeoque non effent realia, & intrinfeca principia conftitutiva divinarum Perfonarum : Ergo, &c.

Objicies 1. Effe ad aliquid, formaliter tantùm refpicit terminum: Sed refpicere formaliter terminum, non eft aliqua ratio realis : Ergo effe ad aliquid non eft reale. Major patet. Probatur minor : illud per fe non eft reale, quod commune eft enti reali & rationis: Sed refpicere terminum, eft quid commune relationi reali & rationis; utraque enim refert fundamentum B ad terminum: Ergo, &c.

X.

Refpicere terminum non eft commune enti reali & rationis.

Nego minorem, & ad probationem ejos, nego minorem : Relatio enim rationis reverà non refpicit terminum, fed aoncipitur ad modum earum relationum, quæ terminom refpiciunt, ficut quodlibet ens rationis non eft ens, fed concipitur ad modum eotis.

Et quamvis effet, non minùs *effe ad* relationis effet reale.

Deinde tam effe *in aliquo* dicitur da relatione reali & rationis, quàm effe *ad aliud*, etenim relationes rationis tam concipiontur ad modum accidentium inhærentium fubjectis quàm eoocipiuntur effe ad aliud : Ergo fi ex eo quòd effe ad terminum dicatur de relatione reali & rationis, fequeretur relationem oon effe realem qoatenus eft ad aliquid, etiam non effet dicenda C realis quatenus eft in aliquo, ficque relatio fecundùm nullam fui rationem affet realis, quod aft abfurdum.

Dices 2. Tota realitas cujuflibet entis in ipfo aft : Ergo realiter tantùm poteft effe realis fecundùm effe *in*, non verò fecundùm aliod effe oppofitum huic, quale eft effe *ad*.

XI.

Totum effe entis abloluti eft in fe, non verò entis relativi.

Diftinguo majorem: Tota realitas entis abfoluti aft effe *in fe* & *ad fe*, concedo : Eutis relativi, nego. Imò ex relativorum definitione totum aorum effe eft ad aliud; nam inquit Ariftoteles defiuiendo relationem, *Sunt ad aliquid quibus hoc ipfum effe, eft ad aliquid fe habere*, id eft habitudinem habere ad alteram. Cætera quæ poffent objici depromuntur ex Philofophia & jam D folvimus in noftea *Philofophia Academica* probando relationes effe entia realia, idcirco fit

CONCLUSIO TERTIA.

XII.

Reverà in Deo funt relationes identitatis.

REVERA *in Dea funt relationes identitatis, æqualitatis, & fimilitudinis* : *Eæque funt reales*. Hæc Conclofio duas habet partes. Quarum *Probatur prima* : In eis funt relationes identitatis, æqoalitatis, & fimilitudinis, in qoibus eft perfecta identitas, æqualitas, & fimilitudo: Sed illa perfectiffimè intercedit inter divinas Perfonas. E

Primò namque inter eas eft fumma *Identitas* effentialis : Tum quia eadem eft effentia numerô in tribos perfonis : Tum quia Effentia divina, ratione fuæ infinitatis, identificat fibi relationes divinarum Perfonarum conftitutivas, qoò fit, ot licèt tres fint perfonæ, tamen eft unicus Deus : Ergo inter illas eft fomma & perfecta identitas.

Æqualitas.

Secundò eft etiam omnimoda *Æqualitas* inter divinas Perfonas, ut colligitur ex illo ad Philippenfes 2. obi de Verbo divino Paulus ait, *Non rapinam arbitratus eft effe fe æqualem Deo*, A id eft, non tyrannicè, nec per rapinam ufurpavit æqualitatem Dei, fed ei fuit connaturalis. Hæc aotem divina æqualitas in tribus potiffimum attenditur, nimirum in perfectionum infinita magnitudine, in exiftentiæ æterna immotabilitate, & in poteftatis inexhaofta fœcunditate, ut expendit fanctus Fulgentius librô da fida ad Petrum cap. 1. dicens, *Quòd nullus horum* fcilicet Pâtris & Filii & Spiritus fancti, *Extra quemlibet ipforum eft, quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut fuperat poteftate : quia nec Filio nec Spiritu fancto, aut anterior, aut major Pater eft, nec Filii æternitas atque immenfitas velut anterior, aut major Spiritus fancti immenfitatem, æternitatemque aut præcedere, aut excedere naturaliter poteft*. B Concinit & Concilium Toletanum 6. in profeffione fidei ante medium, *In hac*, inquit, *Trinitate tanta eft unitas fubftantiæ ut pluralitate careat, & æqualitatem teneat, nec minor in fingulis quàm in omnibus : nec major in omnibus quàm in fingulis perfonis manet* : Firmatur pariter ex Symbolo fancti Athanafii dicentis, *In hac Trinitate nihil prius aut pofterius, nihil majus aut minus, fed totæ tres perfonæ coæternæ fibi funt & coæquales*.

Ex fimilitudine.

Tertiò denique boc ipfum patet de *Similitudine* : Eft eoim inter divinas Perfonas perfecta affimilatio, rationa attributorum & perfectionom divinarum, in qoibus illæ divinæ Perfonæ C dicuntur omnino fimiles : Unde Athanafius in Symbolo, *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus fanctus* : Hinc oratione prima contra Arrianos ait, *Filius quatenus eft Verbum & Sapientia Patris, omnia habet quæ funt Patris, æternitatem, immutabilitatem, & per omnia & in omnibus eandem fimilitudinem*. Quam etiam fimilitudinem habet Spiritus Sanctos, oon quidem vi formaliffima fuæ proceffionis ficut Filius, fed ratione fibi communicatæ naturæ divinæ; quamobrem nonnolli Patres eò proceffeiont ut Spiritum fanctum appellarent formam & imaginem & Verbum Filii, ut patebit Difputatione fequenti.

Hanc divinam fimilitudinem probat S. Hila- D rius lib. 3. de Trinit. ex illo Genefis FACIAMOS HOMINEM, &c. *Qui dicit*, inquit, FACIAMUS HOMINEM AD IMAGINEM, ET SIMILITUDINEM NOSTRAM; *invicem effe fui fimiles in eo quòd fimilitudinem noftram dicat, oftendit*. Probat verò Richardus Victorinos libro 3. de Trinitate cap. 7. ex perfecta Charitate quæ eft inter divinas Perfonas. *Plenitudo Charitatis exigit*, inquit, *ut uterque ab altero fit fummè dilectus, & confequenter fecundùm prædictam difcretionis normam, uterque fit fummè diligendus. Vbi autem uterque eft æquè diligendus, oportet ut uterque fit æquè perfectus: oportet itaque utrumque effe æquè potentem,* E *æquè fapientem, æquè bonum, æquè beatum*, &c. Quæ hanc adverfos veritatem poffent objici, jam foluta funt ex dictis de confubftantialitate & æqualitate divinarom Perfoonarum.

PROBATUR ITAQUE SECUNDA PARS : Nempe qood illæ relationes identitatis, æqualitatis, & fimilitodinis reverà fint reales. Ut affirmat Doctor in 1. dift. 31. & alibi. XIII.

Suntque reales.

Probatur 1. Relatio realis eft, quæ competit extremis feclusô opere iotellectus : Sed tales funt præfatæ relationes : Ergo font reales. Major patet. Minor probatur ex fanctis Patribus & Conciliis, maximè Nicæno, Toletano 1,

1. Quia id Patet ex Conciliis.

Constantinopolitano 1. in quibus Filius divinos dicitur esse ejusdem essentiæ cum Patre, & illi in omnibus æqualis & perfectè similis.

Confirmatur: A parte rei Filius divinus habet omnia requisita ex parte fundamenti ad relationes identitatis, æqualitatis, & similitudinis cum Patre: Ergo reverà etiam à parte rei habet illas rationes. Patet consequentia: Nam in istis relationibus intrinsecùs advenientibus posito sufficienti fundamentô & terminô, necessariò resultat relatio. Probatur antecedens, nam ex Aristotele lib. 5. metaphysicorum cap. 15. *Eadem sunt quorum substantia est una: similia verò quorum qualitas una, æqualia autem quorum quantitas una*: Sed à parte rei in Patre & Filio est una substantia, nempe natura divina; una pariter qualitas, nempe perfectiones attributales & modales; una denique quantitas, non molis, sed moris, nempe Divinitas, Majestas & celsitudo: Ergo pariter in eis sunt à parte rei relationes identitatis, æqualitatis & similitudinis.

2. Quia reales sunt in Creaturis.

Secundò æqualitas & similitudo sunt relationes reales in Creaturis: Ergo multò magis in Deo. Patet antecedens: Probatur consequentia. Æqualitas, & similitudo multò perfectiùs sunt in divinis, quàm in Creaturis: Ergo multò fortiùs constabit eas esse reales in Deo. Antecedens est ipsius sancti Augustini lib. 5. de Trinitate capite 4. & 5. ubi summam æqualitatem personarum probat ex summa simplicitate illarum, & capite 10. de Filio quatenus imagine loquens ait, *Ubi jam est tanta congruentia, & prima æqualitas & prima similitudo nulla in re dissidens, & nullo modo inæqualis, & nulla ex parte dissimilis, sed ad identidem respondens ei cujus imago est.*

3 Quia adsunt omnia requisita.

Tertiò probat Doctor laudatus numero 2. Illæ relationes sunt reales, quibus competunt omnes conditiones ad relationem realem desiderandæ, nempe: Primò ut extrema sint realia: Secundò ut realiter distinguantur: Tertiò ut relatio resultet ex natura rei, seu extremorum, adeoque absque ulla comparatione intellectus: Sed tres illæ conditiones reverà præfatis relationibus congruunt. Primò namque essentia & perfectiones divinæ, quæ sunt fundamenta identitatis, æqualitatis & similitudinis Personarum, reverà sunt reales: Secundò Personæ ipsæ inter quas intercedunt illæ relationes, sunt realiter existentes, invicem realiter distinctæ: Tertiò denique nulla opus est intellectûs comparatione, ut illæ divinæ Personæ sint eædem, æquales, & similes: Ergo reverà tres illæ conditiones ad relationem realem necessariæ prædictis relationibus conveniunt.

Replicant Thomistæ præter tres assignatas conditiones, quartam desiderari; nempe quòd fundamentum *quo* realiter distinguatur in utroque extremo: Hoc autem in divinis non occurrit; nam eadem est essentia eædemque numero perfectiones in tribus adorandis Personis; adeoque propter defectum hujus conditionis præfatæ relationes in Deo non possunt esse reales.

Non est necesse ut fundamentum *quo* realiter distinguatur.

Contra 1. Paternitas & Filiatio in Creaturis sunt relationes reales: Sed fundamentum Paternitatis non distinguitur realiter à fundamento Filiationis; fundamentum enim Paternitatis est generatio activa, & fundamentum generationis, generatio passiva: Sed actio, & passio realiter non distinguuntur ex Philosopho 3. *Physic.* ut etiam ultro fatentur Thomistæ: Ergo fundamentum Paternitatis creatæ non distinguitur realiter à fundamento Filiationis: Adeoque ut relationes sint reales, non est necessaria distinctio realis fundamentorum.

Inter duo subjecta eadem numerô quantitate affecta intercederet relatio æqualitatis.

Secundò: Si eadem numerô quantitas aut qualitas constitueretur in diversis subjectis, intercederet inter illa subjecta, relatio æqualitatis & similitudinis: Sed in tali casu fundamentum non esset distinctum realiter in illis extremis: Ergo unitas, & identitas essentiæ, & perfectionum divinarum in Personis divinis, non obstat quin in eis sint realis identitas, æqualitas, & similitudo.

Quæ illa denominaret talia, sicut spirantes & æternitas coæternos efficit.

Replicant 2. quòd in eo casu non exurgeret æqualitas & similitudo inter illa subjecta, quia inquiunt forma posita in duobus subjectis non reddit illa duo talia; etenim ad dualitatem opus est multiplicari formas. At replica falsa ostenditur duabus instantiis: Primò enim in Patre æterno & in Filio est unica spiratio activa, & tamen Pater & Filius sunt duo spirantes: Item in tribus Personis ejusdem sanctissimæ Trinitatis est unica æternitas, & tamen sanctus Athanasius in Symbolo docet quòd illi tres sunt coæterni; ergo albedo v. g. posita in duobus subjectis verè faciet duo alba, adeoque duo similia; quanquam tamen unica sit numerô forma, & consequenter ad realitatem relationis non est necessaria realis distinctio fundamenti in extremis, sed satis est quòd ipsa extrema sint realiter distincta.

Nec idem refertur ad seipsum.

Replicant 3. Si non multiplicaretur fundamentum, sequeretur quòd idem referretur ad seipsum; fundamentum enim est id quod refertur.

Nego sequelam: Fundamentum enim est quidem ratio referendi, non verò id quod refertur; extrema enim sunt ea quæ referuntur, hæc autem sunt divinæ personæ realiter invicem distinctæ.

Quò major sit unitas essentiæ, &c eò perfectior identitas, &c.

Confirmantur supradictæ rationes: Præfatæ relationes fundantur in unitate: Ergo quantò major erit unitas essentiæ, perfectionis & magnitudinis, tantò præstantior erit identitas, æqualitas & similitudo; & per consequens si exurgat relatio identitatis inter duas substantias numerô vel specie distinctas, multò magis exurget inter extrema, in quibus erit unica numerô substantia. Insuper

XIV.

Dices 1. Si æqualitas & aliæ relationes essent reales in divinis, sequeretur in Deo dari plures relationes reales, quàm quatuor: Sed consequens videtur falsum, & contra communem Theologorum sententiam: Ergo & antecedens. Sequela majoris est evidens, nam relationes identitatis, æqualitatis, & similitudinis distinguuntur formaliter à relationibus originis: Ergo reverà essent in Deo plures relationes, quàm quatuor. Imò ipsemet Doctor duas relationes similitudinis, duas æqualitatis, & duas identitatis in qualibet Persona divina constituit, quarum unâ ad unam, & alterâ ad alteram Personam refertur: Ex quibus resultant 18. Relationes reales; quibus si quatuor relationes originis adjungas, erunt in Deo viginti duæ relationes reales. *Rursus*, cùm omnes perfectiones divinæ distinguantur ex natura rei; sintque omnes infinitæ intensivè: Consequens erit tot esse relationes æqualitatis & similitudinis, quot attributa, quæ certè ingentem relationum numerum in divinis efficient.

Nec implicat in Deo esse plures formalitates relativas.

Negat minorem Doctor ibidem numero 7. A *Potest concedi*, inquit, *quòd quot sunt perfectiones in Deo simpliciter, tot sunt etiam habitudines, & tot æqualitates: sicut tamen illæ omnes sunt simpliciter una res; ita & æqualitates secundùm eas sunt simpliciter una res.* Itaque non implicat in Deo plures esse formalitates relativas, sicut plures sunt absolutæ.

XV. *Dices* 2. Non sunt multiplicandæ formalitates nec entitates in Divinis absque ulla urgente necessitate: At nulla videtur esse necessitas multiplicandi tot entitates relativas; etenim Personæ divinæ seipsis possunt dici invicem æquales, eædem, & similes; per hoc enim dici potest nihil aliud significari, quàm quòd habeant eandem essentiam, & perfectionem, seu quod una B non habeat aliam essentiam, nec majorem, aut minorem perfectionem, quàm altera: Ergo ad id entitates illæ positivæ superfluunt.

Personæ divinæ non possunt dici seipsis æquales, &c.

Nego Minorem, & ad ejus probationem dico, quòd cùm æqualitas, identitas, & similitudo divina sint positivæ, etiam illæ denominationes fieri debent per aliquid positivum; adeoque per aliquam formalitatem positivam: At habere eandem essentiam & perfectionem, seu non habere aliam essentiam & perfectionem non est formaliter aliquid positivum, sed purè negativum; ideoque hoc non sufficit ad illam denominationem identitatis, æqualitatis & si- C militudinis; sed ad id requiritur entitas aliqua seu formalitas relativa, tum ab essentia & attributis, cùm ab ipsis relationibus originis formaliter, aut saltem modaliter distincta.

XVI. *Dices* 3. Æqualitas est relatio simpliciter simplex: Sed relatio in divinis non est talis: Ergo æqualitas non est relatio.

Distinguit majorem Doctor in 1. distinctione 19. quæst. 1. num. 8. Æqualitas fundamentaliter sumpta est perfectio simpliciter simplex, quia præexigit naturam perfectam & omnimodè infinitam in Personis, concedo: æqualitas sumpta formaliter, quatenus nimirum est formalitas relativa, quâ Personæ divinæ referuntur ad invicē est perfectio simpliciter, nego: Seu ut loquitur D Doctor ibidem, *Dico quòd perfectio simpliciter, id est, quæ formaliter posset esse infinita, non dicit nisi aliquid quod potest esse essentiale in divinis & ad se, & tale aliquo modo præintelligitur relationibus originis ejusmodi, sicut sapientia bonitas, &c. æqualitas autem non præintelligitur relationibus originis, nec potest esse ad se; Pater enim non est æqualis sibi, sed Filio, & ideo æqualitas hoc modo non dicit perfectionem simpliciter, dicit tamen perfectionem quæ in omni natura comparando ad aliquid ejusdem naturæ, melior est suo opposito; quia oppositum ejus de necessitate dicit imperfectionem, non enim est inæqualitas in eadem natura nisi alterum individuum imperfectè habeat il-* E *lam naturam.*

Æqualitas fundamentaliter sumpta est perfectio simpliciter, non item æqualitas formaliter spectata.

Nec obstat quòd *distinct.* 26. affirmet *æqualitatem* pro formali dicere perfectionem, id enim non dicit ex propria sententia, sed ex mente aliorum, qui ex eo quòd personæ dicerentur constitui absoluto; inferebant inde sequi quòd esset aliqua perfectio in una persona quæ non esset in alia; quam illationem nullam esse ostendit Doctor dicens quòd meliùs concluderent quòd relatio non constitueret personam, *Nam probabilius videtur*, inquit, *quòd relatio possit esse perfectio, quàm quòd sit proprietas hypostatica, &c.* Supple in sententia arguentis.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quænam relationes sint divinarum Personarum constitutivæ?

NOTANDUM 1. Communem esse Theologorum sententiam, quatuor admittendas esse relationes personales & originis, nimirum *Paternitatem*, *Filiationem*, *Spirationem Passivam*, & *Spirationem activam*. Hæ namque solæ sunt relationes quæ fundantur in processionibus divinis consideratis per modum actionis & passionis: Duæ namque tantùm sunt reales processiones, ut supra probavimus, nempe generatio Verbi & processio Spiritus sancti. Quæ possunt considerari bifariam, nimirum activè vel passivè: generatio *activè* sumpta dicitur Paternitas: *passivè* autem Filiatio nominatur. Similiter processio Spiritus sancti, spectari potest activé vel passivè: Priori modo, dicitur spiratio activa quæ est in Patre & Filio, & per quam à Spiritu sancto distinguuntur: Posteriori verò appellatur spiratio passiva. I.

Quatuor sunt relationes originis.

Notandum 2. Omnes etiam penè Theologos convenire Paternitatem esse reverà constitutivam primæ Personæ divinæ, Filiationem secundæ, & Spirationem passivam tertiæ; at non levis difficultas de spiratione activa, num videlicet etiam distinctam aliquam Personam divinam constituat; etenim si non sit alicujus personæ constitutiva, cur cum relationibus personalibus constitutivis locum obtinet? Si verò sit, jam non solum tres, sed reverà quatuor erunt divinæ Personæ; adeoque ruit omnino divinæ Trinitatis mysterium. Hos erroris scopulos ut declinent Theologi, censent aliqui cum Gregorio in 1. dist. 26. spirationem activam à relationibus originis esse ablegandam; quibus partim subscribit *Baro* noster Apologia 3. actione 3. Thomistæ eam quidem non respuunt, sed contendunt eam à Paternitate & Filiatione solùm virtualiter esse distinctam: Durandus verò contendit eam à Paternitate & Filiatione realiter distingui: Doctor verò Subtilis *quodlibeto* 5. affirmat spirationem esse quidem realem, non tamen realiter, sed solùm formaliter & actu à Paternitate & Filiatione esse diversam. II.

Non tamē quatuor personæ quia spiratio activa non constituit quartā personam.

Notandum 3. Certò certius esse Patrem & Filium distingui realiter à Spiritu sancto & Spiritum sanctum similiter ab eis esse distinctum: At qua virtute fiat hæc distinctio non conveniunt omnes. Volunt enim aliqui hanc distinctionem à Paternitate & Filiatione esse repetendam, ita quòd ad id superflua sit spiratio activè. E contra cæteri affirmant hanc realem distinctionem non aliunde quàm à spiratione activa esse colligendam. Inde duo maximè veniunt in præsenti Quæstione statuenda: *Primum*, quòd spiratio activa sit relatio realis ad personarum distinctionem necessaria: *Secundum*, quòd à Paternitate & Filiatione non realiter, nec solùm virtualiter, sed formaliter distinguatur. III.

Per quid Pater & Filius distinguantur à Spiritu S. maxima lis est apud Theologos

CONCLUSIO PRIMA.

SPIRATIO *activa est relatio realis, & ad Personarum divinarum completam distinctionem colligendam necessaria.* IV.

Spiratio activa est relatio realis & per eam Pater & Filius distinguuntur realiter à Spiritu sancto.

Probatur Conclusio: Inter principium & terminum realiter à principio procedentem, realis relatio intercedit, maximè quando terminus procedens est ejusdem naturæ cum suo principio: Sed Pater & Filius sunt unum principium à quo realiter procedit Spiritus sanctus, qui est ejusdem naturæ cum Patre & Filio: Ergo Pater & Filius reali & mutua relatione respiciunt Spiritum sanctum. *Subsumo*: Sed eum ita non respiciunt per Paternitatem & Filiationem: Ergo respicere debent per aliam relationem; adeoque per Spirationem activam. Major syllogismi constat; non enim est potior ratio cur inter primam & secundam Personam intercedat mutua relatio realis principii & termini procedentis, videlicet Paternitas & Filiatio, quàm inter Spiritum sanctum, & Patrem & Filium, à quibus procedit tanquam terminus à principio. Illatio autem probatur à sancto Augustino Serm. 38. de Tempore ubi ait, *Ipsa relatio Spiritus sancti non ita reciproca ratione converti poterit sicut Pater & Filius, nam Pater Filii Pater dicitur, & Filius, Patris Filius dicitur. Spiritus verò sanctus uniformiter dicitur ad Patrem & Filium, quia Patris & Filii Spiritus est, dicimus enim Spiritum sanctum Spiritum Patris.... Sed non vicissim dicimus Patrem Spiritus sancti, ne Filius ejus intelligatur Spiritus sanctus: Item dicimus Spiritum sanctum Spiritum Filii, sed non dicimus Filium Spiritus sancti, ne Pater ejus intelligatur Spiritus sanctus*: Ergo illa relatio mutua non est ratione Paternitatis & Filiationis, adeoque alia relatio est admittenda.

Vt affirmat S. August.

Confirmatur ex eodem libro 5. de Trinitate cap. 11. ubi probat inter Patrem ac Filium & Spiritum sanctum esse mutuam relationem, non sub ratione *Spiritus*, sed sub ratione *Doni*: Ait enim, *Ipsa relatio non apparet ex hoc nomine videlicet* Spiritus sanctus, *apparet autem cum dicitur* donum Dei, *Donum enim est Patris & Filii, quia & à Patre procedit & Apostolus ait* qui Spiritum Christi non habet, hic non ets eius... *Donum ergo donatoris & donator doni cum dicimus, relativè utrumque ad invicem dicimus*: Ergo censet inter Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse relationem mutuam: Sed Pater & Filius non mutuò referuntur ad Spiritum sanctum per relationem Paternitatis & Filiationis, sed sub ratione doni, ut ipsemet docet cap. 12. ubi probat relationi Spiritus sancti non esse correlativam relationem Patris, nec relationem Filii. *Cùm dicimus*, inquit, *donum Patris & Filii, non quidem dicere possumus Patrem doni aut Filium doni, sed ut hæc sibi vicissim respondeant, dicimus donum donatoris, & donatorem doni, quia hic potuit inveniri usitatum vocabulum, illic non potuit: Dicimus ergo relativè Pater; idemque relativè dicitur principium, & si quid fortè aliud, sed Pater ad Filium dicitur, principium verò ad omnia quæ ab ipso sunt*: Ergo censet sanctus Augustinus Patrem & Filium reverà referri ad Spiritum sanctum, non per relationem Paternitatis & Filiationis, sed per relationem principii: At hæc relatio dicitur Spiratio activa: Ergo hæc reverà est realis.

Et ex aliis sanctis Patribus probat Bessarion.

Hoc ipsum luculenter ex sanctis Patribus probavit Bessarion in Concilio Florentino oratione pro unione cap. 6. ubi cum suasisset inter Filium & Spiritum sanctum esse relationem mutuam ut causæ ad causatum, & causati ad causam, more Græcorum usurpando nomen

A *causæ pro principio*, probat inde illam relationem non fieri per Filiationem: Unde concludit quod *Cùm Filius prout Filius non referatur ad Spiritum, non enim dicitur Filius Spiritûs, restat ut referatur ad Spiritum tanquam aspirans, cum Spiritus etiam referatur ad Filium tanquam Spiritus; Spiritus enim Spiranti, & passiva Spiratio activa spirationi correspondet, Spiritus verò & Spiritus Filii multis locis sacræ Scripturæ dicitur & Spiratio ejus; hic enim Spiritus (ut sacer Athanasius Spiratio est Filii: Cum igitur ad Filium Spiritus, & tanquam spiratio, & tanquã Spiritus referatur, Filius quoque tanquam spirans refertur ad Spiritum.* In quibus duo concludit, primũ quod inter Filium & Spiritum sit relatio mutua. Secundum

B quod hæc relatio ex parte Filii non sit Filiatio, sed spiratio activa, & consequenter quod cum realiter Filius referatur ad Spiritum sanctum, spiratio activa necessariò debet esse realis.

Licet spirationis activæ nulla sit mentio apud SS. Patres.

Dices 1. Nihil est asserendum in mysterio Trinitatis, nisi vel Scripturæ, vel Conciliorum aut sanctorum Patrum oraculis fulciatur: At Spirationis activæ nulla mentio apud sanctos Patres, imò Albinus Flavius lib. 1. de Trinit. cap. 5. dicit, *Relationem Spiritûs sancti ad Patrem & Filium non esse reciprocam*, id est, mu-

C tuam: Ergo hæc spiratio activa non est asserenda.

Eam tamen sufficienter designarunt per relationem mutuam inter omnes Personas.

Nego minorem: Quamquam enim sancti Patres relationem inter Patrem & Filium non appellaverint *Spirationem activam*; eam tamen sufficienter designarunt statuendo relationem mutuam inter omnes Personas, ut nedum supra asseruimus ex sancto Augustino; sed etiam ut constat ex Concilio Tolerano 11. dicente, *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt*: Et Nazianzeno Orat. 37. *Manifestationis*, inquit, *ut ita dicam, mutuæque eorum relationis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit.* Est igitur inter illas divinas Personas mutua relatio realis; at hæc ex parte Patris & Filii non est Pa-

D ternitas & Filiatio respectu Spiritus sancti: Ergo sufficienter affirmant sancti Patres aliam esse admittendam, nempe Spirationem activam, quàm tacitè approbavit Concilium Florentinum ut supra diximus: imò & indicaverat Concilium Lugdunense sub Gregorio X. c. unico de summa Trinitate, non solùm dicens, *Vna spiratione* Patrem & Filium producere Spiritum S. sed etiam esse *Vnum principium* Spiritus sancti; adeoque eadem ratione habent relationem ad Spiritum sanctum quâ sunt ejus principium: At ex Concilio sunt ejus principium per Spirationem activam, & consequenter ex mente Concilii ad eum referuntur per Spirationem

E activam.

Pater refertur mutuò ad Spiritum S. sed non sub ratione Patris.

Ad Albinum Flavium, Respondeo ipsum velle quidem Patrem & Filium non referri ad Spiritum sanctum relatione mutua sub ratione Patris & Filii, sed tantùm sub ratione principii, ut supra diximus ex S. Augustino.

Dices 2. Sancti Patres solummodò assignant tres relationes personales: *Insuper* Concilium Lateranense capite *Damnamus* excludit quaternitatem realem in divinis: Sed si Spiratio activa esset realis, reverà esset quaternitas relationum realium in divinis: Ergo, &c.

Denique sanctus Damascenus lib. 1. de fide cap. 10. & 11. copiosè de relationibus divinis disserit: At nullatenus meminit Spirationis activæ: Ergo censet eam non esse admittendam.

Cur SS. Patres tres tãtùm proprietates personales assignaverint.

Respondeo 1. Sanctos Patres idcirco assignasse tantùm tres proprietates personales realiter distinctas, quia tantùm agebant de relationibus personarum constitutivis & distinctis realiter; unde cùm activa Spiratio Personam non constituat, nec realiter distinguatur à Paternitate & Filiatione, idcirco de ipsa eis non fuit sermo.

Spiratio activa non infert quaternitatem.

Ad Concilium Lateranense dico illud eatenus excludere quaternitatem in divinis, quatenus ex ea inferretur quaternitas Personarum, at ex admissa spiratione activa illud non infertur, hæc enim non est personæ divinæ constitutiva: Ergo Concilium illam non excludit.

Adde quòd excludat Concilium quaternitatem distinctorum realiter tamquam res à re: At Spiratio activa non ita distinguitur à Paternitate & Filiatione, ut statim probabimus: Ergo in nos non pugnat.

Nec nobis adversatur Damascenus.

Ad sanctum Damascenum Respondeo ab authoritate negativa nihil certò colligi, maximè quando contrarium inferre licet: At S. Damasc. sufficiens subministrat fundamentum in eodem c. 11. asserendi realem relationem Spirationis activæ dum circa medium ait, *In solis proprietatibus Paternitatis, Filiationis & Processionis secundùm causam & causale Deum intelligi:* Quibus denotat mutuam esse reciprocationem principii producentis & termini producti inter Spiritum sanctum, & Patrem, ac Filium: At hæc non potest esse Paternitas & Filiatio: Ergo Spiratio activa.

Dices 3. Relatio principii in Deo non est semper realis, nam reverà Deus est principium Creaturarum, nec tamen ad eas habet relationem realem: Ergo licèt Pater & Filius sint principium Spiritus sancti, non inde sequitur quod habeant relationem realem Spirationis activæ.

Relatio principii in Deo non est semper realis, & quando.

Distinguo antecedens: Quando principium producens & terminus productus sunt diversi ordinis & diversæ naturæ, concedo: Quando sunt ejusdem, nego. Relatio autem Creatoris ad res creatas, est ad res alterius ordinis & naturæ & Deo solùm advenit in tempore: At verò Spiratio activa est ad terminum ejusdem ordinis & naturæ, illaque Deo convenit ab æterno, & idcirco est realis.

Dices 4. Spiratio activa supponit Patrem & Filium constitutos: Ergo si sit realis, ipsis adveniet tantùm ex resultantia, & per modum accidentis: Sed hoc Deum dedecet: Ergo, &c.

Spiratio activa resultat à Patre & Filio non secundùm rem, sed secundùm formalitatem.

Nego minorem: Hæc enim resultantia non fit secundùm rem, sed secundùm formalitatem, nec advenit ab aliqua actione extrinseca ut relationes creatæ, sed ab intrinseco, & ex fœcunditate divinæ voluntatis: Sicut ergo non repugnat quod ab essentia resultent attributa, ab ea non realiter, sed tantùm formaliter distincta; sic etiam non repugnat quod à Patre & Filio resultet illa Spiratio activa.

VIII.

Conclusio Secunda.

Spiratio activa non distinguitur realiter à Paternitate & Filiatione.

Spiratio *activa non distinguitur realiter, sed formaliter actu à Paternitate & Filiatione.* Hæc est omnium pene Theologum quantum ad primam partem &

1. Quia quaternitas

Probatur 1. Ex Concilio Lateranensi cap. *Damnamus*, ubi proscribitur sententia Abbatis Joachim, dicentis quaternitatem esse admittendam in Deo, eò quòd Essentia realiter esset distincta à Personis realiter etiam ab invicem distinctis; statuitque Concilium quod ideo solummodo Trinitas est non quaternitas, quia quælibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura, ex quo sic licet argumentari. Statuit Concilium non esse quaternitatem rerum in divinis: At si Spiratio activa distingueretur realiter à Paternitate & Filiatione, esset in divinis rerum quaternitas: Ergo ex mente Concilii ita non distinguitur.

in divinis non est admittenda.

Confirmatur, nam Concilium ibidem maximè, proscribit quaternitatem personarum; at si Spiratio distingueretur realiter, esset personarum quaternitas, esset enim illa relatio per se subsistens, adeoque esset suppositum, & consequenter foret persona, quia quodlibet suppositum intellectualis naturæ est persona.

Secundò: Ex sanctis Patribus & plurimis Conciliis jam à nobis sæpè laudatis, maximè verò ex sancto Anselmo libro de Spiritu sancto, *In divinis omnia sunt unum, nisi ubi obviat relationis oppositio*, sive sit oppositio relativa ut volunt Thomistæ, sive disparata ut patebit infra, agendo de distinctione Spiritus sancti à Filio: Sed inter Paternitatem & Spirationem activam non est oppositio relativa, quia una non producitur ab alia; nec est inter principium producens & terminum productum: Nec etiam est disparata, quia ad hanc requiritur quod sit constitutiva Personæ, Spiratio autem activa non constituit Personam: Ergo nullam dicit oppositionem cum Paternitate & Filiatione, adeoque ab illis realiter non distinguitur.

3. Quia spiratio activa non producitur à Paternitate & Filiatione.

Tertiò denique, in divinis quod non procedit ab alio, non distinguitur realiter ab illo: Sed Spiratio activa non procedit à Paternitate & Filiatione: Ergo non distinguitur realiter ab illis. Minor constat, duæ namque tantùm sunt divinæ processiones. Major etiam est evidens; tria enim sunt tantùm distinctionis realis initia, nimirum quorum unum est producens & aliud productum, quorum unum existere potest alio non existente, & quæ inexistere possunt in subjectis realiter distinctis; duo autem posteriora nequeunt esse in divinis: Ergo solùm primum distinctionis indicium ibi admittitur: Unde meritò Joannes Theologus in Concilio Florentino Sess. 18. *Sola*, inquit, *relatio quam principalem habitudinem superiùs nominamus, apud omnes tam Græcos quàm Latinos Doctores divina processione personas multiplicat.*

IX.

Sed solùm formaliter.

Secunda pars sufficienter colligitur ex dictis, etenim Spiratio activa est relatio realis: Sed non est eadem formaliter cum Paternitate, & Filiatione, neque ab ea distinguitur realiter: Ergo saltem formaliter distinguitur. Major patet ex prima conclusione: Patet etiam minor, quantùm ad secundam partem ex mox dictis.

1. Quia habet terminum distinctum.

Probatur itaque illius prima pars: Illæ relationes distinguuntur saltem formaliter, quæ habent per se distinctos terminos, suntque rationes ex quibus colligitur personarum distinctio & diversitas: Sed talis est Spiratio activa respectu Paternitatis & Filiationis, siquidem Paternitas per se respicit Filium, & Filiatio Patrem, Spiratio autem activa Spiritum sanctum, estque ratio cur Pater, & Filius distinguantur à Spiritu sancto.

Insuper ipsamet efficit mutuam relationem inter Patrem, Filium, & Spiritum S. quam ita

ita non efficit Paternitas nec Filiatio, ut probatum est in præcedenti conclusione: Ergo ad minùs Spiratio activa formaliter distinguetur à Paternitate & Filiatione. Insuper relatio disparata non est eadem formaliter cum relatione directè opposita: Sed Paternitas & Filiatio sunt relationes disparatæ tantùm respectu Spirationis passivæ, Spiratio verò activa est ipsi directè opposita: Ergo hæc à Paternitate & Filiatione saltem formaliter distinguitur.

2. Quia est directè opposita spirationi passivæ, Paternitas verò & Filiatio solùm disparatè.

Denique si Spiratio activa idem esset formaliter cum Paternitate, tam verum esset dicere quod Pater produceret Filium per spirare quàm per generare; & sic Verbum tam posset dici Spiritus quàm Filius: Sed consequens est absurdum: Ergo, &c. Patet sequela: Ubi enim nulla est in re distinctio, non potest etiam esse prædicatorum realium ipsius rei diversitas; adeoque si Paternitas & Spiratio activa nullatenus distinguantur à parte rei, quidquid affirmatur de una, etiam affirmari potest de altera.

Dices: Sicut datur oppositio disparata inter Filiationem, & Spirationem passivam, ita pariter datur inter Filiationem, & Spirationem activam: Sed prior oppositio sufficit ad distinguendam realiter Filiationem à Spiratione passiva: Ergo posterior etiam sufficiet ad eam distinguendam à Spiratione activa; adeoque non solùm formaliter, sed etiam realiter distinguentur.

Respondeo ad majorem. non idcirco solùm Filium à Spiritu sancto distingui realiter sub formali ratione Filii, quia Filiatio est relatio opposita disparatè cum Spiratione passiva, sed maximè quia Spiratio passiva est omnino incompossibilis cum Filiatione in eodem supposito; si enim Filiatio & Spiratio passiva essent in eodem supposito Filii, sequeretur quod bis esset productus, scilicet per generationem ab intellectu & per spirationem à voluntate: At verò idipsum non sequitur ex spiratione activa, & Filiatione; licet enim Filius spiret & producat Spiritum S. non propterea desinit esse Filius.

Filiatio est incompossibilis cum [Spi]ratione [pas]siva.

X. *Dices* 2. Sicut se habent generari & spirari, sic se habent generare & spirare: Sed generari & spirari distinguuntur realiter, efficiuntque relationes realiter distinctas: Ergo etiam generare & spirare realiter distinguuntur, & distinctas realiter relationes efficiunt.

Generari & spirari magis opponuntur quā generare & spirare.

Nego majorem: Nam generari, & spirari opponuntur saltem mediante spiratione activa; constituuntque diversas Personas; generare autem & spirare non opponuntur propriè; ideo generari & spirari distinguuntur realiter, non ita generare & spirare.

Instabis: Sicut se habet generare ad generari, ita se habet spirare ad spirari: Ergo à permutata proportione, sicut se habet generare ad spirare, ita se habet generari ad spirari: Sed generari & spirari realiter distinguuntur: Ergo generare & spirare etiam distinguentur realiter. Consequentia patet; quia non est major ratio distinctionis in uno binario extremorum quàm in altero.

Nego consequentiam: Licet enim permutata proportio in quantitate vim habeat inferendi, cæteris tamen in rebus nihil probat, imò falsa apparet multis exemplis. Verbi gratiâ sicut se habet ignis ad calorem, ita se habet aqua ad frigus: Ergo permutata proportione, sicut se habet calor ad frigus, ita se habet ignis ad aquam: Sed calor & frigus possunt esse simul in eodem subjecto in gradibus remissis: Ergo etiam aqua & ignis poterunt esse simul in eadem materia secundùm aliquos sui gradus; quæ consequentia omnino falsa est.

Quia spirari procedit à generari non item spirare à generare.

Ratio itaque disparitatis est, quoniam spirari passivum, hoc est Spiritus sanctus, realiter procedit à generari activo quod est ipsemet Filius productus; ideoque necessariò distinguitur ab illo tanquam à principio producente: at verò spirativum non procedit à generatione activa tanquam à principio producente, adeoque non servant eandem proportionem permutatam.

QUÆSTIO TERTIA.

An relationes originis sint formaliter infinitæ & perfectæ?

I. NOTANDUM 1. Ex Doctore *quæst.* 5. *quodlibet quod.* Relationes originis considerari possunt bifariam, nimirū vel realiter & identicè; quatenus nempe idem sunt realiter cum Essentia divina, nec-non & cum Personis quas cum illa Essentia constituunt: Vel formaliter, & secundùm propriam suam entitatem relativam, seu quatenus formaliter ab Essentia divina distinguuntur, suntque veluti formæ hypostaticæ eam determinantes ad constitutionem divinarum Personarum. Priori modo certum est eas esse realiter infinitè perfectas, ut sic enim sunt una eademque res cum ipsa Divinitate, cujus infinitam perfectionem in se imbibunt: At difficultas est an ipsæ relationes posteriori modo consideratæ aliquam perfectionem & infinitatem importent; ita quòd quemadmodum Attributa addunt Essentiæ divinæ aliquam perfectionem absolutam formaliter distinctam à perfectione ipsius essentiæ, ita pariter relationes originis præter absolutam perfectionem essentiæ quam realiter includunt, adjiciant ei aliquam perfectionem relativam etiam formaliter ab ejus essentiali perfectione distinctam.

Relationes originis & realiter & formaliter considerantur.

Status quæstionis elucidatur.

II. *Notandum* 2. Ex eodem ibidem numero 27. quod ens reale ut sic, primò dividitur in ens *quantum* & in ens *non quantum*: Deinde ens quantum in ens finitum & infinitum: Postea ens finitum in decem Prædicamenta. Per ens quantum intelligit ens perfectum, seu quantum quantitate perfectionis: Per ens verò non quantum intelligit ens non habens hanc perfectionem. *Insuper* advertendum quod triplex distingui possit perfectio: Prima est *Moralis* quæ in Deo est absoluta & unica, nempe divina Sanctitas de qua hîc non est sermo. Secunda est *Transcendentalis* seu entitativa, quæ est integritas rei constantis omnibus quæ desiderantur ad ejus constitutionem in ratione talis entis; & hæc convenit omni prorsus enti. Tertia est perfectio *Virtutis* seu *qualificativa*, quæ est perfectio gradualis uniuscujusque naturæ secundùm quam natura dicitur magis aut minùs vel æquè perfecta. Conveniunt omnes, divinas relationes esse perfectas perfectione illa transcendentali, siquidem habent quidquid de-

Quot modis ens dividatur.

Triplex perfectio, *Moralis Transcendentalis & Qualificativa.*

ſiderari poteſt ad complementum divinæ relationis hypoſtaticæ: Verùm non ita conſentiunt eas, eſſe perfectas perfectione qualificativa quâ dici poſſint perficere Eſſentiam divinam relativè, ſicut attributa eam abſolutè perficiunt.

III. *Notandum* 3. Ex eodem ibidem duplex eſſe infinitum, ſcilicet intenſivè & extenſivè. *Infinitum extenſivè* eſt quod ad plura numero in infinitum extenditur, qualis eſt numerus infinitus creaturarum poſſibilium. *Infinitum intenſivè* duobus modis ab eodem deſcribitur: Primò quidem *Abſolutè*, ita quod infinitum ſit illud cui nihil entitatis & perfectionis deeſt eo modo quo poſſibile eſt illud habere in aliquo uno, ſcilicet vel formaliter, vel realiter & identicè, vel eminenter, qualiter infinitas deſcribi poteſt, *Omnis entitatis & cujuſlibet excogitandæ perfectionis ſimpliciſſima & eminentiſſima complexio:* Comparativè autem infinitum deſcribi poteſt, *Id quod excedit quodcumque ens finitum ultra omnem determinatam, vel determinabilem proportionem entis:* Sic inquit Doctor infinitum diſtinguitur à quolibet ente finito quantumcumque perfecto; nullum enim eſt ens finitum, quod ab alio non excedatur; albedo enim verbi gratiâ exceditur à ſcientia in triplo, ſcientia ab anima intellectiva in decuplo, hæc ab Angelis centuplo, Deus autem, qui eſt infinitus, excedit omne finitum ultra omnem proportionem aſſignabilem entitatis & perfectionis. Per priorem deſcriptionem, infinitas exigit ut ab ente infinito removeatur carentia entitatis & perfectionis qualiſcumque; quippe cum ens ſic infinitum nulla omnino perfectione carere debeat: Per poſteriorem removetur ab infinito quodcumque ſuperius à quo poſſit excedi. His ita prælibatis reſoluendum eſt an relationes divinæ Perſonarum conſtitutivæ & diſtinctivæ ſint formaliter perfectiones infinitæ.

Infinitum aliud extenſivè.

Aliud intenſivè.

Conclusio Unica.

IV. Relationes *originis nullam formaliter dicunt perfectionem, neque finita ſunt, nec infinita.* Ita Doctor Subtilis pluribi, ſed maximè in 1. diſtinctione 8. quæſtione 3. numero 16. ait. *Quidquid communiter dicitur de Deo & creatura eſt indifferens ad finitum & infinitum, loquendo de eſſentialibus; vel ſaltem ad finitum & non finitum, loquendo de quibuſcumque; quia relatio divina nec eſt finita nec infinita.* Idem habet quæſtione 4. numero 23. ubi dicit quod ſi Paternitas & Deitas concipiantur in abſtracto, hæc prædicatio *Deitas eſt Paternitas*, non poteſt eſſe vera. *Quia*, inquit, *unum eorum non eſt formaliter infinitum, ſed tantùm Deitas eſt formaliter infinita.* At ex profeſſo hanc concluſionem amplectitur & probat quæſtione 5. quodlibetica, *De ſecundo Articulo*, inquit, *teneo hanc concluſionem Paternitas non eſt formaliter infinita, & ad hoc ſunt tres rationes: Prima ratio ſumitur ex entis infiniti unitate: Secunda ex ejus communicabilitate: Tertia ex ejus ſimplicitate & incompoſſibilitate, ſiquidem ens infinitum intenſivè eſt unicum implurificabile, & non arctatum, ſed communicabile & cuicumque incompoſſibile.*

Relationes originis nullam dicunt formaliter perfectionem.

Ut docet Doctor Subtilis.

Primam rationem sic format. Non poſ-

A ſunt eſſe plura realiter diſtincta formaliter intenſivè infinita: Sed plures ſunt relationes originis realiter diſtinctæ: Ergo non ſunt formaliter infinitæ intenſivè. Minor conſtat ex dictis: Majorem probat tribus mediis, nimirum ex comparatione illorum infinitorum inter ſe: Secundò ex comparatione inter finitum & infinitum: Tertiò ex comparatione illorum plurium infinitorum ad intellectum & voluntatem. *Primò* quidem infinitum intenſivè realiter ſibi vendicat omnem perfectionem ſimpliciter: Sed non vendicat ſibi realiter perfectionem illam quam habet aliud ens à quo diſtinguitur realiter: Ergo non poſſunt eſſe duo infinita ſimpliciter invicem realiter diſtincta.

1. Quia non poſſunt eſſe plura infinita.

B *Ex ſecundo medio ſic probat majorem*: In entibus eſſentialiter ſubordinatis tandem devenitur ad aliquod ens quod ſufficienter terminat dependentiam omnium entium finitorum, quodque neceſſariò debet eſſe infinitum & unicum; infinitum quidem, quia debet à ſe habere omnem perfectionem, aliàs rurſum dependeret ab alio, nec in ipſo eſſet entium ſubordinatorum ſtatus: Unicum verò quia non poſſunt eſſe ejuſdem effectus plures cauſæ totales ejuſdem ordinis. *Denique ex tertio medio eandem majorem ſic probat:* Ens infinitum eſt objectum adæquatum intellectus infiniti, & voluntatis infinitæ: Sed non poſſunt eſſe plura objecta adæquata ejuſdem intellectus & voluntatis: Ergo non poſſunt eſſe plura entia infinita realiter diſtincta.

C Secundam rationem sic format: Omnis perfectio ſimpliciter eſt communicabilis: Sed omne infinitum intenſivè eſt perfectio ſimpliciter: Ergo omne intenſivum infinitum eſt communicabile. *Subſumit*: At nulla proprietas Perſonalis eſt communicabilis, quia ipſa eſt formalis ratio exiſtendi incommunicabiliter: Ergo nulla proprietas Perſonalis eſt perfectio ſimpliciter; adeoque relatio originis, quæ eſt proprietas Perſonalis in divinis, non eſt perfectio ſimpliciter. Majorem primi ſyllogiſmi probat ex deſcriptione perfectionis ſimpliciter, *Quæ* ex ſancto Anſelmo *eſt in quolibet melior ipſa quàm non ipſa*, (hoc eſt, ut exponit Doctor) quæ in quolibet, quatenus entis ſuppoſitum eſt, melior eſt ipſa quàm alia ſecum incompatibilis in eodem: Sed quod eſt formaliter incommunicabile, eſt formaliter incompoſſibile alteri in eodem ſuppoſito entis: Ergo quod eſt formaliter incommunicabile, non eſt perfectio ſimpliciter: Sed omnis perfectio ſimpliciter in divinis, eſt communicabilis: Ergo relationes originis cum ſint incommunicabiles, non ſunt perfectiones ſimpliciter.

2. Quia omnis perfectio ſimpliciter eſt communicabilis.

D

E Ex quo colligo cum Doctore ibidem, nullam perfectionem ſimpliciter ſimplicem eſſe alteri perfectioni ſimpliciter ſimplici incompoſſibilem; nam ſi eſſet verbi gratiâ *A.* incompoſſibilis cum *B.* & ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices: Ergo *A.* eſt melior quàm *B.* quæ eſt non ipſa; & *B.* cum ſit etiam perfectio, erit melior quàm *A.* quæ eſt non ipſa, & conſequenter *A.* eſſet perfectior, & imperfectior reſpectu *B.* quod eſt impoſſibile.

Nulla perfectio ſimpliciter ſimplex eſt alteri incompoſſibilis.

Tertia denique ratio Doctoris ſic formatur. Perfectio ſimpliciter & infinita, debet ita realiter identificari cum omni perfectione

compossibili secum in eodem supposito, ut una earum possit de altera prædicari in abstracto: Sed relatio originis non ita realiter identificatur cuilibet secum compossibili in eodem supposito: Ergo relatio originis non est perfectio simpliciter & infinita. Minor patet: Licèt enim Spiratio activa v. g. realiter identificetur generationi, ut supra probatum est, tamen hæc propositio non est vera *generatio activa est spiratio activa*; aliàs verum esset quod Pater divinus æquè Filium produceret per *spirare* quàm per *generare*; sicque Filius tam procederet per voluntatem, quàm per intellectum, quod apertè falsum est. Majorem probat quoad primam partem, nempe quod perfectio simpliciter & infinita debeat realiter identificari cuilibet secum compossibili in eodem subjecto: Tum quia nihil est essentiale in divinis quod non sit realiter idem Essentiæ divinæ & cuilibet essentiali, quod aliunde non provenit quàm quia omne essentiale est perfectio simpliciter simplex. Tum quia infinitum non potest componi cum altero, aliàs esset pars ejus, & excederetur à toto; excessus autem repugnat infinito: Sed si aliquid compossibile sibi in eodem supposito, non esset sibi omnino idem realiter, non possent constituere unum nisi per aliquam compositionem: Ergo omnis perfectio simpliciter & infinita debet esse realiter eadem cuilibet secum compossibili in eodem supposito. Ex quibus infertur *Secunda pars*, quæ enim sunt idem realiter verè de se invicem prædicantur & affirmantur ratione identitatis prædicati cum subjecto; quantumcumque enim fiat abstractio à subjecto, cum semper remaneat identitas prædicati cum subjecto, etiam semper vera est affirmatio unius de alio.

Confirmatur Conclusio ab absurdis quæ sequuntur ex opposita sententia. Primò quidem, si relationes divinæ dicant perfectionem aliquam, sequitur quòd una persona continebit aliquam perfectionem, quam alia non continet; quia nimirum quælibet continet relationem personalem sibi propriam alteri non convenientem; Patri enim non convenit Filiatio, nec Filio Paternitas, nec Spiritui sancto Paternitas, & Filiatio; & consequenter Personæ divinæ non erunt infinitæ, quia cuilibet deest aliqua perfectio; infinitè perfecto autem nulla perfectio simpliciter simplex deesse debet.

Insuper, cum in Patre & Filio sint duæ relationes, nempe in Patre Paternitas & spiratio activa, similiter in Filio Filiatio cum eadem activa spiratione; in Spiritu sancto verò sit tantùm unica nempe spiratio passiva; consequens est quod si relationes sint perfectiones simpliciter simplices, Pater & Filius perfectiores erunt Spiritu S. siquidem habent unam perfectionem simpliciter simplicem, cui nullam correspondentem habet Spiritus sanctus; hoc autem est absurdissimum: Ergo & illud unde sequitur.

Objicit Doctor ibidem quatuor difficultates adversus præfatam suam doctrinam. *Primò* quod non est comprehensibile ab intellecto creato & finito est infinitum: Sed relatio divinæ originis non est comprehensibilis ab intellecto finito juxta illud Isaiæ 43. *Generationem ejus quis enarrabit?* Ergo est formaliter infinita; omne enim finitum est comprehensibile. *Secundò* omnis actio adæquata principio & termino infinito, est formaliter infinita: Sed generatio divina est actio adæquata principio formaliter infinito, nimirum memoriæ infinitè fœcundæ, & termino infinito *qui*, nempe Filio, & termino *quo*, nimirum essentiæ communicatæ, quorum uterque terminus est infinitus: Ergo generatio divina est formaliter infinita. *Tertiò* ratio subsistendi per se est perfectissimus modus essendi: Sed relationes originis sunt rationes subsistendi per se: Ergo sunt perfectissimæ. *Quartò* quod est idem essentiæ infinitæ, non potest non esse infinitum: at relationes originis identificantur Essentiæ divinæ: Ergo non possunt non esse infinitæ.

Absurda quæ sequuntur ex opposita sententia.

Quatuor difficultates proponit Doctor.

Respondet Doctor ad 1. negando majorem, ad rationem enim incomprehensibilitatis alicujus, sufficit identificatio ejus cum infinito; non enim potest aliquid comprehendi nisi perfectè cognoscatur illius esse; neque hoc potest ita cognosci, nisi apprehendantur omnes illius modi omnesque ejus perfectiones, infinitæ autem perfectiones comprehendi nequeunt ab intellectu finito; adeoque ut aliquid sit incomprehensibile sufficit quod identificetur infinito: At relationes originis identificantur essentiæ infinitæ: Ergo licet ex se non sint formaliter infinitæ, non propterea sunt comprehensibiles ab intellectu creato & finito.

Sed omnes diluuntur & enodantur.

Ad secundum, Respondet duplicem esse adæquationem, nimirum proportionalem, & quantitativam: & proportionalem rursus duplicem, videlicet intensivam & extensivam; Unde io forma distinguit minorem, generatio divina est adæquata suo principio & termino adæquatione proportionali extensiva quæ tantùm requirit ut origo seu actio ità sit à tali principio & ad talem terminum, ut ab alio & ad alium esse nequeat; atque tale principium possit sese extendere ad aliam actionem elicien dam, nec talis terminus ab alia actione produci, concedit: Est adæquata adæquatione quantitativa aut proportionali intensiva, quæ omnino requirat eandem perfectionem in origine & termino, qualis est in principio, negat; nam omne enim origo creata sic adæquatur suo principio, quod semper est perfectius sua actione & termino producto, quia minus dependet. Ex adæquatione autem proportionali extensiva non sequitur quod si unum sit infinitum formaliter, alterum quoque similiter infinitum esse debeat, quia infinitas formalis intensiva quantitatem & graduum intensionem respicit, non verò extensionem.

Adæquatio duplex, proportionata & quantitativa.

Illa rursus duplex intensiva & extensiva.

Ad tertium Respondet *per se subsistere* esse æquivocum, & accipi dupliciter: Primò quidem pro modo existendi per se & independenter à quolibet alio; & sic est quid absolutum in divinis; adeoque est perfectio simpliciter simplex, estque existentia absoluta, de qua superiùs. Secundò pro modo existendi incommunicabiliter alteri tanquam supposito, sicque nec est perfectio simpliciter simplex, neque secundùm quid; hoc autem tantùm posteriori modo relationes divinæ dicuntur rationes per se subsistendi, adeoque nec sunt perfectæ, nec imperfectæ.

Per se subsistere est æquivocũ.

Ad quartum distinguit majorem. Quidquid identificatur infinito, est infinitum, si sit capax infinitatis, concedit: secus negat: Relationes autem originis non sunt capaces infinitatis ratione suæ incommunicabilitatis, & propter jam

Relationes originis non sunt capaces infinitatis.

assignatas rationes, adeoque neganda est consequentia.

VI. *Objicies* 2. Relationes divinæ tam à Conciliis quàm à Patribus dicuntut perfectiones: Ergo reverà tales sunt. Probatur antecedens ex Concilio Constantinopolitano Epistola ad Damasum, *Credimus*, inquit, *equalem honorem ac dignitatem, & imperium coaeternum in tribus perfectissimis subsistentiis, seu tribus perfectis personis:* Similiter Iustinus in expositione fidei de Trinitate, *Maluimus*, inquit, *unius Deitatis in tribus perfectis subsistentiis, notitiam exponere.* Item Cyrillus Alexandrinus libro 1. Thesauri cap. 6. *Perfectus*, inquit, *est, non solùm quia Deus, sed etiam quia Pater:* Subscribit Damascenus 1. fidei cap. 11. dicens, *In proprietatibus Paternitatis, Filialitatis, & Processionis, secundùm causam, & causale* (seu causatum) & *Personalem perfectionem, id est, existentiæ modum differentiam intelligimus:* Idem lib. de decretis primæ institutionis, *Hypostases*, inquit, *& personæ Pater, Filius & Spiritus sanctus, unusquisque: enim eorum perfecta est hypostasis, & perfecta persona.* Ergo reverà relationes personales sunt perfectiones, & perfectæ.

SS. PP. qui solent objici.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico sanctos Patres & Concilia laudatis textibus, & aliis similibus accipere divinam hypostasim, & personam, non in abstracto pro formali subsistentia & personalitate, quatenus formaliter distinguitur ab essentia divina & cum ea concurrit ad constituendam divinam personam: Sed in concreto pro ipsamet divina Persona, quatenus nempe simul importat essentiam & personalitatem, qualiter reverà Personæ divinæ sunt perfectissimæ. Quod autem aliter non sint accipienda dicta sanctorum Patrum, sufficienter colligitur ex eorum verbis laudatis.

Commodè explicantur de Personis in concreto

Ad sanctum Damascenum maximè, *Respondeo* eum nolle proprietates personales formaliter esse perfectiones; contrarium enim docet cap. 9. dicens, *Omnia quæ Pater habet sunt Filii, hoc uno excepto quod* INGENITUS *non est; quæ quidem vox nec naturæ discrimen, nec dignitatem atque authoritatem, sed existentiæ modum indicat.* Solùm itaque eas proprietates in concreto & pro personis acceptas, perfectiones nominat.

Objicies 3. Mysterium Trinitatis quatenus Trinitas est, est summè adorandum, adeoque infinitè perfectum: Sed Trinitas quatenus Trinitas, divinas relationes connotat & importat: Ergo verum est quod relationes dicant summam & infinitam perfectionem.

Distinguo majorem: Mysterium Trinitatis dicit summam perfectionem se tenentem ex parte naturæ divinæ quæ tribus Personis communicatur unà cum suis attributis & perfectionibus, concedo: Provenientem à relationibus divinis quæ sunt termini divinæ communicationis & fœcunditatis, nego: Tota namque perfectio quæ in adorando Trinitatis mysterio relucet, repetenda est ex parte naturæ divinæ quæ summè & infinitè divinas Personas constituit & perficit; non verò ex parte relationum, quæ sunt puri termini divinæ fœcunditatis & naturæ, nullam ipsi addentes perfectionem, sed tantùm dantes illi modum subsistendi incommunicabiliter.

Tota Trinitatis perfectio repetenda est ex parte naturæ, non ex parte relationum.

VIII. *Objices* 4. Subsistentia Verbi divini quatenus formaliter ab essentia distincta, terminat naturam A humanam assumptam, eique nec-non & ejus actionibus summam perfectionem & dignitatem confert: Ergo ipsamet illam perfectionem habet formaliter. Patet consequentia: Quod enim præstat Verbi divini personalitas naturæ humanæ, non confert in ratione causæ efficientis, sed formalis; adeoque seipsâ tanquam formâ dignificat actiones, & perficit naturam hominis assumpti, & consequenter ipsamet aut est perfectio aut formaliter continet summam perfectionem. Probatur antecedens: Nam homo assumptus ratione personalitatis ei communicatæ, est adorabilis, idque adoratione latriæ: Ergo continet bonum, non qualecumque, sed infinitum & summum, quia summum cultum meretur.

B *Nego antecedens* Quantùm ad secundam partem, nempe quod subsistentia Verbi, quatenus formaliter ab Essentia divina distinguitur, conferat summam perfectionem humanitati Christi; & ejus probationem distinguo: Homo assumptus, est adorabilis & summè perfectus ratione solius personalitatis Verbi, nego: Ratione Deitatis sibi conjunctæ hypostaticè, concedo: Christus enim idcirco dicitur summè perfectus & dignus summo cultu, non præcisè tantùm quia subsistit subsistentiâ Verbi, sed quia ratione hujus subsistentiæ unitur hypostaticè Deitati, C estque Homo-Deus.

Christus est adorandus non sub ratione personalitatis, sed sub ratione naturæ.

ARTICULUS TERTIUS.

De Notionibus Divinis.

NOTIONIS nomine nil aliud prætendunt Theologi quàm propriam rationẽ cognoscendi unam personam. Quæ ratio sumitur vel pro conceptu formali quò illam divinam Personam specialiter cognoscimus, & discernimus ab alia, de qua sanctus Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 6. *Alia notio est quâ intelligitur genitor, alia quâ ingenitus.* Vel pro conceptu D objectivo, seu aliqua nota speciali, & veluti charactere se tenente ex parte ejusdem personæ, ratione cujus ipsam cognoscimus ut ab alia distinctam, de qua sanctus Basilius lib. 2. contra Eunomium, *Proprietates*, inquit, *ac notæ quasi characteres quidam & formæ in substantia inspectæ, distinguunt.* De notionibus secundùm hanc posteriorem acceptationem duo veniunt resolvenda 1. An sint admittendi aliqui characteres in divinis Personis quibus invicem distinctæ appareant. 2. Quod illi characteres solitò quinque numerentur. Quoniam autem præcipuæ difficultates quæ hanc materiam spectant superiùs enodatæ sunt ex iis quæ diximus de proprietatibus & relationibus personalibus; idcirco E tres præfatas inquisitiones involuet, & resoluet

Quid Notio?

Et quotuplex?

Articuli partitio.

QUÆSTIO UNICA.

An, quot, & quales sint divinarum Personarum Notiones?

I. NOTANDUM 1. Quod etsi una eademque realis formalitas simul sit proprietas, relatio, & notio: Hæc tamen invicem juxta variam habitudinem discrepant; Paternitas enim

Quomodo eadem formalitas

Juxta variam habitudinem discrepat.

v. g. dicitur *Relatio* quatenus respicit terminum, & Personam generantem refert ad genitam: Dicitur autem *Proprietas* quatenus convenit tantùm primo divino supposito primamque Personam afficit; Nominatur autem *Notio* comparativè ad intellectum, quoniam est ipsi ratio cognoscendi primam Personam ab aliis distinctam, quæ omnia licèt unam eandemque formalitatem significent, hunc tamen servant ordinem ut priùs illa formalitas dicatur relatio, Deinde proprietas, ac tandem notio; Nihil enim potest esse ratio manifestandi aliud, nisi sit illi proprium, nec potest esse proprium, nisi ab aliis distinguatur. Distinctio autem divinarum Personarum petitur ab earum principio constitutivo, quod est ipsa relatio personalis.

II.

Tres ad notionē conditiones desiderandæ.

Notandum 2. Tres maximè ad notionem conditiones desiderari. *Prima*, ut sit proprietas alicujus, vel aliquarum personarum, non tamen tribus sit communis, quâ ratione nec divina essentia, nec quid essentiale habet rationem notionis. *Secunda*, ut significetur & exprimatur in abstracto; Notiones enim sunt veluti formæ quibus divinæ Personæ cognoscuntur, inde fit quod nomina *Pater*, *Filius*, & *Spiritus sanctus* non sint nec dici possint notiones, quia personas ipsasmet directè significant in concreto, non autem denotant per se illas formas quibus personæ possint innotescere, quales sunt *Paternitas*, *&c.* *Tertia*, quòd significet illam formam non veluti in fieri, sed quasi in facto esse, cujus defectu *generare & generari*, item *spirare & spirari* dici nequeunt notiones, quia significantur ut in fieri. Atqui etiam Scotistæ quartam addunt, nempe quod notio significet & importet dignitatem Personæ: at hoc repugnat Doctori & veritati: Siquidem, ut supra diximus, relationes personales nullam formaliter perfectionem connotant.

III.

Notionis definitio traditur & expenditur.

Notandum 3. Notionem sic describi à Theologis, *Notio est propria ratio seu nota cognoscendi personam divinam ut distinctam ab alia:* Hæc satis superque patet ex mox dictis; dicitur namque *ratio* seu *nota*, quia est veluti character seu sigillum, quo designatur & notatur una persona ab alia distincta, unde Justinus in expositione fidei de Trinit. *Dum geniti vocabulum*, inquit, *quasi notam quandam audimus, mox cogitamus Filium quemadmodum & per procedentis notam Spiritus propriam personam dicimus:* Additur secundò, propria ratio cognoscendi personam; *Nam*, inquit S. Basilius lib. 2. contra Eunomium, *cùm una Deitas sit, impossibile est propriam notionem Patris vel Filii capere, nisi proprietatum acceptione cogitatio nostra confirmata sit:* Subditur denique, ut distinctam ab alia: *Nec enim*, inquit S. Basilius lib. unico de Spiritu sancto cap. 5. explicans illud Apostoli ad Ephes. 4. *Vnus Deus & Pater, &c. In hoc adhibentur notiones, non ut naturæ diversitatem inducant, sed ut impermixtam Patris ac Filii notionem approbaret: Sic eat adhibuis Apostolus.*

CONCLUSIO PRIMA.

IV.

Admittendæ sunt notiones.

ADMITTENDÆ *sunt notiones veluti quidam characteres quibus divina Persona nobis faciliùs innotescunt.* Hæc est cōmunis inter Theologos nedum, sed & SS. PP. Patet hæc veritas ex 3. Notabili, & probatur insuper maximè ex S. Gregorio Nysseno Epist. 43. *Necessarium est*, A inquit, *ut per proprias quasdam notiones inconfusa habeatur in Triade comparatio:* Et infra de Spiritu sancto, *Causa Patris insertam habet essentiam; unde & progreditur, hanc notionem ac cognoscibile signum ejus, qua secundùm hypostasim est, proprietatis habet, quo cum Filio simul & ipse se facit internosci:* Et post pauca de Filio dicit, *Nullam prorsus notionum communicationem secundùm proprietatem suam tam cum Patre quàm cum Spiritu sancto habet, sed ex dictis jam signis solus agnoscitur:* Tandem de Patre subjungit, *Pater verò, qui super omnia Deus est, peculiarem hypostaseos sua notionem solus habet, quod Pater est & quod ex nulla omnino causa subsistit, atque iste iterum indicio & ipse propriè ac separatim agnoscitur.* Quibus apertè fatetur divinas Personas suis B notis & characteribus invicem distinctas agnosci, ubi quamquam notionis vocabulum usurpet in concreto, quod & faciunt plerique Patres; rectiùs tamen in abstracto accipi constat: Siquidem quærentibus quomodo tres divinæ Personæ invicem conveniant & differant, faciliùs & rectiùs respondetur, dicendo, Patrem distingui à Filio per Paternitatem, quàm si utendo nomine concreto *Patris*, diceretur Patrem idcirco differre à Filio quia generat illum; hæc namque circumlocutio est, non verò ratio formalis.

Ut disertè indicat S. Gregorius Nyssenus.

Et aliis Patres.

Confirmatur ex aliis SS. Patribus qui notiones in abstracto usurpant: Primò quidem ex S. Basilio lib. 2. contra Eunomium dicente; C *Proprietates ac nota quasi characteres quidam ac forma in substantia inspecta distinguunt quidem quod commune est appropriatis characteribus.* Consentit Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 2. ubi docet quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus *tres sunt non substantiâ sed formâ, nec potestate, sed specie:* Cujus rationem reddit, *quia unus Deus ex quo & gradus isti, & forma, & species in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti deputantur.* Quasi diceret tres divinas Personas invicem distinctas agnosci, non per concreta earum nomina, sed per relationes ac veluti formas earum constitutivas & distinctivas; quas idcirco S. Damascenus lib. 3. de Fide cap. 6. D *Proprietates charactericas signalesque appellat:* Unde cap. 7. ait; *Dei Verbi filiationis charactericam & discretivam proprietatem secundùm quam discreta est à Patre & Spiritu sancto.*

Sed & ratio confirmat.

Probatur eadem Conclusio ratione: Illud admittendum est in divinis, quod maximè conducit ad faciliùs percipiendam & explicandam divinarum Personarum distinctionem: Sed ad id mirum in modum conferunt notiones divinæ: Ergo sunt admittendæ. *Major* constat, Siquidem usurpanda sunt à Theologis ipsa vocabula, quæ magis conferunt ad explanationem & reserationem tam abstrusi, tamque ineffabilis Mysterii. *Minor* probatur. Duobus modis innotescere potest & exprimi divinarum Personarum E proprietas & distinctio, nimirum per nomina concreta & abstracta: Sed convenientiora sunt abstracta vocabula ad significandam non modo simplicitatem, sed etiam distinctionem Personarum quàm concreta, quoniam abstracta concipiuntur ut simplicissimæ formæ, propereaque sunt magis apta divinæ simplicitati concipiendæ atque significandæ: Unde Nazianzenus oratione 39. *Spiritus sanctus*, inquit, *procedens à Patre, non tamen Filiationis modo, ut nec generationis, verùm processionis: Liceat enim perspicuitatis gratiâ nomina fingere.* Censet ergo abstracta

nomina perspicuitatem & claritatem conferre distinctioni personarum: Ergo, &c.

Confirmatur: Tres notiones conveniunt Patri, duæ Filio, & unica Spiritui sancto: Patri namque convenit *Innascibilitas, Paternitas, & Spiratio activa*; Filio convenit *Filiatio, & Spiratio activa*; sed Spiritui sancto sola *Processio*, sive *Spiratio passiva* congruit: Ergo per proprium uniuscujusque Personæ nomen concretum sufficienter ab alia non intelligitur distingui; adeoque conveniens fuit notiones in abstracto significari per peculiares proprietates uniuscujusque Personæ, quibus faciliùs innotescerent omnes modi per quos ab alia Persona distinguitur. Patet consequentia, Facilè namque per hæc abstracta nomina explicamus Patrem & Filium, distingui à Spiritu sancto, non per Paternitatem, & Filiationem, sed per Spirationem activam; quâ tamen invicem inter se conveniunt, sed differunt per Paternitatem, & Filiationem: Ergo, &c.

V. *Objicies* 1. Quæ sunt simplicia, cognoscuntur & distinguuntur seipsis, nec formis, seu notis indigent quibus distincta appareant: Sed Personæ divinæ sunt simplicissimæ: Ergo non indigent notionibus ut distinctè cognoscantur.

Licet enim simplicia formaliter notis & characteribus non egeant, aliter tamen sentiendum de simplicibus realiter.

Distinguo maj. Quæ sunt simplicia tam formaliter quàm realiter notis & characteribus non egent, concedo: Quæ sunt simplicia tantùm realiter, non verò formaliter, nego. *Minorem* similiter distinguo: Personæ divinæ sunt simplicissimæ realiter, hoc est non constituuntur ex partibus realiter distinctis, concedo: Sunt simplicissimæ formaliter, nego: Plures enim complectuntur entitates formaliter invicem distinctas, constant namque divinâ essentiâ, necnon & relationibus, quibus constituuntur in ratione personæ, unde sicut concreta realiter simplicia meliùs cognoscuntur per aliquam formam in abstracto significatam quàm per ipsum nomen concretum; sic etiam divinæ Personæ faciliùs innotescunt per divinas notiones, quàm per nomina concreta Patris, Filii, &c.

Pater Deitatem & relationem, *Paternitas* verò solam relationem connotat.

Instabis. Nihil significatur nomine *Patris*, quod itidem non significetur nomine *Paternitatis*, tam enim Paternitas denotat generationem quàm nomen *Pater*: Ergo vel neutrum sufficit, vel alterutrum superfluit.

Distinguo antecedens; Idem significatur realiter & diverso modo, concedo: Formaliter & eodem modo, nego. Etenim vocabulum *Pater*, non solùm importat formam Paternitatis, sed insuper Deitatem connotat vel in recto, vel saltem in obliquo; Paternitas autem, neque in recto, neque in obliquo formaliter significat Deitatem, sed in recto dicit proprietatem, atque in obliquo connotat personam Patris cujus est proprietas; Licet autem in Paternitate imbibatur & contineatur realiter Divinitas; hæc tamen inclusio provenit tantùm ex re significata, non verò ex modo significandi vocis.

Conclusio Secunda.

VI. Rectè assignantur quinque notiones.

Recte *solitò numerantur à Theologis quinque notiones, quibus Persona divina nobis innotescunt, nimirum Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio Activa & Passiva*.

Probatur: Tot sunt admittendæ notiones, quot sunt modi quibus divinæ Personæ cognosci possunt invicem distinctæ: Sed ille modus est quintuplex: Ergo: &c. *Major* patet. Notiones enim tantùm admittuntur ad faciliùs detegendam & percipiendam distinctionem Personarum. Probat *minorem* S. Bonaventura in 1. dist. 26. art. unico, quæst. 4. *Ratio distinguendi, inquit, accipitur à parte originis; aut igitur positivè, aut privativè; Si privativè, aut privat originem per modum producti, & hoc vel specialiter, vel generaliter: Si specialiter, non dicit nobilitatem: si generaliter, sic dicit nobilitatem, & ideo notio privativa est una sola, scilicet Innascibilitas. Si autem accipiatur à parte originis positivè cùm duplex sit origo, & cuilibet respondeat de necessitate duplex habitudo, & Spiratio activa & passiva & in universo quinque.*

Quia quinque sunt modi, quibus divinæ personæ innotescût.

Vt probat sanctus Bonaventura.

Simili penè modo probat S. Thomas prima parte, quæstione 32. art. 3. Cùm notio pertineat ad ordinem originis, tot debent admitti notiones quot sunt ordines originum: Sed isti sunt quinque: Ergo totidem sunt divinæ notiones. Probatur *minor*, In divinis duæ tantùm sunt processiones ex quibus quælibet importat duplicem ordinem positivum originis, nempe *à quo est alius*, & *qui est ab alio*: Primò namque processio per intellectum importat ordinem ejus à quo est alius, qui ordo vocatur *Paternitas*, & est notio Patris: Similiter importat ordinem ejus qui est ab alio diciturque *Filiatio*, quæ est notio Filii. Similiter processio per voluntatem etiam hunc duplicem importat ordinem, nempe ejus à quo est alius, qui ordo est *Spiratio activa* per quem producitur Spiritus sanctus, & hæc notio distinguit Patrem, & Filium à Spiritu sancto; & ejus qui est ab alio, & hic ordo dicitur *Spiratio passiva*, quæ est notio Spiritus sancti. Præter autem illos ordines originis positivos, est adhuc alius ad originem spectans negativè, nempe ordo ejus à quo est alius, & qui non est ab alio, & sic est *Innascibilitas*, quæ est alia notio Patris: Præter hos autem quinque non apparet alius modus originis: Ergo sunt tantùm quinque notiones.

Et sanctus Thomas.

Dices: Tot & non plures debent esse notiones, quot sunt proprietates constituentes & distinguentes Personas divinas: Notiones enim statuuntur in ordine ad cognitionem Personarum prout in se constituuntur & distinguuntur: Atqui proprietates illæ sunt tantùm quatuor, nempe Paternitas, Filiatio & Spiratio tam activa quàm passiva: Ergo totidem sunt notiones; adeoque cùm Innascibilitas non constituat personam, etiam non potest habere rationem notionis. VII.

Distinguo majorem: Tot debent esse notiones positivæ quot proprietates, concedo: Tot debent esse tam positivæ quàm negativæ, nego. Quatuor enim illæ proprietates possunt fundare plures quàm quatuor conceptus positivos, vel negativos; etenim Personæ divinæ cognosci possunt à nobis, vel *positivè* penes habitudinem & oppositionem relativam, quam habent ad seipsas; vel *negativè* penes exclusionem principii externi vel interni: Inde fit quod quamvis Persona Patris sufficienter innotescat positivè distincta ab aliis personis per Paternitatem & Spirationem activam; nihilominus quoniam remaneret dubitandi locus an Pater sit productus ab alio nec-ne; ut intelligatur persona omninò improducta, necessariò opus est tribuatur ipsi Innascibilitas quæ est negatio generationis, & productionis ab alio.

Notiones aliæ sunt positivæ, aliæ negativæ.

Dices 2. Spiratio activa est communis Patri, & Filio: Ergo non est propria notio alicujus divinæ Personæ. Patet antecedens ex dictis, & patebit ampliùs ex dicendis: Consequentia etiam certa fit ex conditionibus ad notiones desiderandis quas assignavimus.

VIII. *Alia uni tantum, aliæ duabus personis conveniunt.* *Respondeo*: Proprietates esse duplicis rationis: Aliquæ enim sunt singulares & uni soli Personæ convenientes, ut Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva: Alia verò est non singularis, nec tamen omnibus communis, sed tantùm duabus personis propria, nempe Spiratio activa quæ Patri & Filio convenit, non autem Spiritui sancto. Unde fit, ut sub ea ratione quâ non convenit Spiritui sancto, sufficienter eum distinguat à Patre & Filio, cumque sit Patri & Filio propria, etiam dicenda est notio Patris & Filii.

IX. *Dices* 3. Innascibilitas in Patre, vel sumitur pro materiali, vel pro formali: Si primum, non est quid distinctum à Paternitate; ut sic enim pro formali significat Paternitatem: Si secundum, non potest dici notio, cùm sit pura negatio principii productivi, & consequenter dignitatem non explicet, quæ videtur desiderari ad rationem notionis.

Quomodo ingenitum dicit dignitatem iuxta mentem S. Thomæ & Scoti. *Respondet* Divus Thomas Innascibilitatem pro formali dicere negationem, & nihilominus inferre dignitatem: Negatio enim, inquit, dignitatem importat quando affirmatio ipsi opposita dicit imperfectionem; etenim in Rege, v. g. est dignitas quod non sit artifex, mercator: Innascibilitas autem negat processionem ab alio, quæ licèt in Filio & Spiritu sancto non dicat imperfectionem sed perfectionem, tamen in Patre imperfectionem importaret: Significaret enim eum non esse primum principium, fontem, & originem totius Trinitatis.

Resp. Doctor in 1. q. 2. n. 7. *Quod ingenitum sub propria ratione sua ut significat non habere genitorem, est proprietas Patris & sufficienter importat dignitatem; idest, non indignitatem; hoc enim sufficit ad personalem proprietatem quod non sit indignitas, sicut & personalia in divinis non dicuntur esse imperfectiones: Non tamen perfectiones simpliciter, idest, universaliter in quolibet melius ipsum quàm non ipsum.*

Deinde ad mentem sancti Thomæ reponit, *Quod ingenitum in quantum negat habere genitorem, dicit dignitatem personalem prima persona in divinis, quia sicut dignitas est in secunda persona habere principium originans: Ita est dignitas in prima persona non habere, & tamen non oportet quod ista dignitas sit dignitas formaliter alicujus positivi proprii connotati per hoc quod est ingenitum. Unde negatio potest dici esse dignitatis in aliquo pro quanto indignitatis esset, si opposita affirmatio poneretur in eo, sicut dignitas est in Rege non esse ignavum & impudicum.*

X. *An plures dentur notiones quàm quinque.* *Dices* 4. Qua ratione *Innascibilitas* statuitur notio propria Patri, eadem & *Inspirabilitas* tribuenda erit Filio, nec-non & *Ingenerativitas*, seu negatio virtutis generativæ alterius Filii: Similiter Spiritui sancto tribuenda erit *Ingenerabilitas*; nec-non & *Inspirativitas*, seu negatio virtutis spirandi & generandi; nam & Filius potest intelligi generare alium Filium, si enim sit simul Filius & Spirator, quidni simul erit genitus & generans: Spiratus quoque intelligi potest generativus; nam in rebus creatis amor potest applicare intellectum ad concipiendum Verbum, atque ita potest esse principium Verbi, si non elicitivum, saltem imperativum: Ergo ut appareat hæc Filio & Spiritui sancto non convenire, oportet ut eis præfatæ notiones tribuantur, adeoque multò plures quàm quinque possunt esse notiones.

Respondet Doctor in 1. dist. 28. q. 1. n. 9. non esse inconveniens quod plures admittantur notiones quàm quinque; sicut enim tempore sancti Ambrosii notio *Innascibilitatis* & *Ingeniti* erat ignota, ab ipso S. Ambrosio & aliis Patribus rejecta: Postea verò à sancto Augustino & aliis Patribus accepta fuit, vel ut addit ipsemet Doctor, *Si à principio fuerunt tantùm nota tres proprietates notionales, scilicet* Paternitas, Filiatio, & Spiratio, *hoc ex verbo Salvatoris in Evangelio & Ioannis in Canonica sua cap. 1. tamen postea per investigationem innotuerunt aliæ notiones & proprietates quæ prius erant in se; licet non prius notæ; & ita sicut posteriores concesserunt plures notiones quàm priores, non tamen priores eas negaverunt licet non eas dixerint: Ita non videtur inconveniens de posterioribus ad illos Doctores ponere tales notiones, dum tamen possint concludere illas ex dictis priorum.* Censet itaque Doctor reverà admitti posse plures notiones quàm quinque: Attamen ut communiori Theologorum sententiæ morem geramus. *Mens Doctoris Subtilis proponitur.*

Respondeo 2. Præfatas notiones vel ad priores reduci, vel ab aliis excludi: Etenim cum Spiratio activa tribuatur Filio, per eam sufficienter intelligitur quod ipse non possit per Spirationem produci, aliàs produceret seipsum. *Adde* quod spiratio activa & passiva relativè opponuntur, adeoque requirunt terminos realiter distinctos, & sic esse nequeunt in eadem Persona: & consequenter ad positionem Spirationis activæ in Filio sufficienter intelligitur ab eo excludi ratio Spirationis passivæ; sicque alia ratione nempe *Inspirabilitate* non eget ad eam exclusionem significandam. Similiter cum, ut supra probatum est, non possint esse plures processiones, pluresque Personæ ejusdem rationis in Deo; nec una Persona procedens per intellectum possit procedere per voluntatem, & vice-versa; Consequens quod cum sit unus Filius in divinis procedens per intellectum, & unus Spiritus sanctus procedens per voluntatem, sufficienter cognoscitur quod non possit alius Filius aut Spiritus sanctus produci: adeoque ad id significandum non est opus notionibus *Inspirativitatis* in Spiritu sancto, aut *Ingenerativitatis* in Filio & Spiritu sancto: Hæc negatio virtutis generativæ aut spirativæ, aliunde sufficienter cognoscitur excludenda. *Inspirabilitas, Ingenerativitas, &c. ad priores notiones reducuntur, vel ab eis excluduntur.*

Dices 5. Ratio Verbi & Imaginis est propria Filio, sicut & ratio *amoris* & *doni* Spiritui sancto: at utraque ratio divinas illas Personas ut distinctas significat: Ergo habet utraque vim notionis, adeoque plures sunt notiones quàm quinque. XI.

Respondeo: Quòd hæc nomina non tam significent proprietates quàm appropriationes, significant enim modum processionis Filii per intellectum, & Spiritus sancti per voluntatem; qui modi procedendi satis superque diversi apparent per origines & relationes divinarum Personarum constitutivas, adeoque ad id exprimendum non est necessaria notionum divinarum ultra quinarium multiplicatio. *Ratio Verbi & imaginis, item ratio amoris & doni non tam significant proprietates quàm appropriationem.*

Adde quod etiamsi huic veritati aperta ratio non suffragaretur; non tamen idcirco à communi Theologorum sententia recedere congrueret; sapiendum enim & loquendum ut multi, maximè circa hoc abstrusum Trinitatis mysterium.

DISPUTATIO TERTIA.

De Divinis Personis in Particulari.

I. ARRAT sacer textus *Exodi* 19. & 20. quod cum Moyses divino urgente mandato per duos dies integros seipsum parasset ad Dei conspectum & consortium, tandem die tertio montis Sanaï cacumen subiens, *accessit ad caliginem in qua erat Deus.* Ex duabus jam absolutis Disputationibus liquet, nos dies veluti duos mysticos implevisse, ut divinæ Trinitatis montem & celsitudinem circumiremus, quatenus exploratis illius existentia ac principiis paratior ac vegetior esset noster animus ad intimum illarum divinarum Personarum intuitum. Iam itaque cujusque divinæ Personæ conspectum & thronum subire licet, & proprios ac singulares earum characteres inspicere & sigillatim reserare; quod utique præstabimus tribus in sequentibus Articulis.

ARTICULUS PRIMUS.

De præcellentiis primæ divinæ Personæ.

II. Tres primæ Personæ characteres.

TRIBUS maximè gloriæ titulis illustratur prima in divinis Persona, juxta triplicem illius considerationem: Spectari namque potest vel secundùm suam primitatem & quatenus à nulla alia ducit originem diciturque *Innascibilis*, seu *Ingenita*: Vel per respectum ad Filium quem sola producit, & *Pater* nominatur: Vel denique per habitudinem ad duas simul Personas productas quibus Deitatem ex infinita sua fœcunditate communicat, & earum *principium* appellatur: De quibus quædam sunt tribus sequentibus Quæstionibus delibanda.

QUÆSTIO PRIMA.

An & quomodo nomen Patris primæ in divinis Personæ conveniat?

III. Nomen *Patris* tripliciter usurpatur.

NOTANDUM I. Nomen *Patris* Deo attributum in sacris litteris sumi tripliciter: *Primò* quidem generaliter pro principio productivo Creaturarum, juxta illud Deuteronomii 32. *Numquid non ipse est Pater tuus qui possedit te, & fecit & creavit te?* Qualiter nomen Patris tribus divinis Personis est commune non minus quàm potentia creandi & ejus exercitium. *Secundò*, specialiùs pro Deo justificante & sibi adoptante Creaturam rationalem in Filium beneficio gratiæ sanctificantis, de quo Paulus ad Romanos 8. *Accepistis Spiritum adoptionis Filiorum in quo clamamus Abba Pater, &c.* Et hoc modo etiam tribus Personis est commune, sicut & voluntas ac potentia creandi ac justificandi; appropriatur tamen Spiritui sancto; quia hæc gratia sanctificans conceditur & justificatio fit per amorem; Spiritus autem sanctus est amor vi suæ processionis. *Tertiò* tandem sumitur notionaliter pro principio generativo Filii consubstantialis & ejusdem naturæ cum suo principio, qualiter Patris nomen soli primæ Personæ propriè convenire dicitur, aliis autem divinis Personis tantùm analogicè.

IV. Adverbium *propriè* trifariam accipitur.

Notandum 2. Adverbium *propriè* maximè trifariam usurpari: Primò quidem ad idem significandum quod verè & non fictè, qualiter Christus Joann. 15. ait: *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est.* Secundò ad designandam propriam & non metaphoricam loquutionem, qualiter Christus dicitur Salvator, &c. Tertiò denique, quatenus proprium dicitur quod non est commune pluribus, sed uni soli convenit; Sic Paternitas dicitur propria primæ Personæ, Filiatio secundæ, & Spiratio passiva tertiæ: Hoc autem ultimo modo vocabulum *propriè* usurpamus in præsenti Quæstione.

V. *Notandum* 3. Quod etsi hac in mortali vita non possimus nomen aliquod ita proprium Deo tribuere, ut eum significet & notificet qualis est in se; tamen ex rebus creatis aliqua mutuari licet nomina quibus res divinas significemus secundùm quandam similitudinem & proportionem quam habent cum ipsis Creaturis, quibus significandis priùs imposita fuerunt hæc vocabula: *Infinitas enim nostræ intelligentiæ*, inquit Hilarius lib. 1. de Trinit. *cogit species quasdam ex inferioribus tamquam superiorum indices quærere, ut rerum familiarium consuetudine admonente ex sensus nostri conscientia ad insoliti sensus opinionem educeremur.* Unde provenit ut modus significandi eorum vocabulorum quatenus Deo tribuuntur, semper sit improprius, nisi priùs resecaverimus ab ejusmodi vocabulis omnes passiones sensuum & reliquas imperfectiones quæ comitantur Creaturarum entitatem vel operationem per illa vocabula significatam. His prænotatis duo restant statuenda. Primum, quod res significata nomine Patris propriè conveniat soli primæ divinæ Personæ: Secundò quod longè præstantiùs hoc augustum nomen ipsi quadret quàm ulli Creaturæ.

CONCLUSIO PRIMA.

VI. Prima Persona propriè dicitur Pater. Quia id apertè Scriptura testatur.

PRIMA *in divinis Persona propriè Pater appellatur.* Hæc est de fide, & colligitur ex innumeris Scripturæ textibus, quibus Verbum incarnatum Personam à quâ suam æternam ducit originem, & vitam ac esse divinum accipit, Patrem suum appellat, ut pluribus insinuatum est supra, maximè ex illo Math. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Unde S. Cyrillus, Dialogo

A Dialogo de Trinitate cap. 2. *Baptizare jussit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; nimirum quia collegit & præ aliis proposuit nomina distinctissima nobis constituentia uniuscujusque significati propriam existentiam.* Constat pariter ex iis quæ diximus probando divinas Personas constitui per veras relationes originis: At hæ aliæ non sunt quàm Paternitas, Filiatio & Spiratio passiva: Ergo verè ac propriè Deo convenit relatio Paternitatis: Adeoque prima Persona verè dicitur Pater.

2. Quia quod significatur per nomen *Patris* verè ac propriè primæ Personæ competit.

Probatur insuper. Nomen Patris verè ac propriè primæ Personæ congruit, si significatum per hoc nomen ipsi verè ac propriè competat: At ita est: Probatur, quod propriè significatur nomine Patris, est quod Persona cui tribuitur producat aliam per veram generationem quæ sit origo viventis à vivente in similitudinē naturæ: At prima Persona divina secundam ita producit, ut probatum est: Ergo, &c. *Confirmatur* ex eo quod Christus ipsemet profiteatur se in mandatis & commissis habere ut proprium nomen sui principii hominibus notum faceret, sic enim circa vitæ finem Patrem alloquitur Joann. 17. *Manifestavi nomen tuum hominibus, &c.* Videlicet nomen *Patris*, ut intelligunt SS. Patres, Augustinus tract. 106. in Joannem, Chrysostomus Homil. 80. & meritò quidem, priùs namque Christus Joann. 16. dixerat: *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de* Patre *meo annuntiabo vobis*: Unde Cyrillus libro 10. Thesauri cap. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quia videlicet verus Pater es, & Filium verum habes*, Joannes etiam ait 1. cap. 5. *Ut simus in vero Filio ejus.*

3. Quia semper generans, semper habet Filium genitum.

Probat 2. S. Athanasius Orat. 2. nomen Patris primatiò competere Deo, ab eoque in hominum genus proprietatem ejus transisse; adeoque magis propriè Deo quàm hominibus tribuendum, eò quod nullus hominum simpliciter sit Pater dicendus, quia nullus est qui non sit alterius parentis Filius, nullusque qui Filio adeoque sua Paternitate carere non possit: *Verùm*, inquit, *in Divinitate non sic accidit... nam neque Pater ex Patre est altero... neque Filius ex fluxione Patris, aut ab genito Patre genitus*: Inde concludit, unde sola in Divinitate *Pater propriè est Pater, & Filius propriè Filius est; in iisque solis hoc consistit, ut & Pater semper Pater sit, & Filius sit semper Filius.* Ipsi concinit Faustinus libro 2. contra Arrianos; *Solus*, inquit, *propriè verus est Pater, qui sine initio & fine Pater est; non enim aliquando cœpit esse quod Pater: sed semper Pater est, semper habens Filium ex se genitum.*

VII.

Non negant SS. Patres nomen Patris Deo propriè convenire.

Dices, Sancti Patres negant Patris ac Filii nomen Deo convenire: Ergo nulla Conclusio. Probatur antecedens: Primò quidem ex S. Dionysio qui libro de Theologia mystica cap. 5. circa medium ait; *Deum nec Spiritum esse, ut nos sciamus, nec Filii nec Patris rationem esse, nec aliquid eorum quæ nobis aut cuipiam naturæ sunt cognita.* Similiter S. Basilius tractatu de vera & pia fide circa medium, ait, *Vocabulum Patris, si cum integra significatione sicut apud nos est in usu, accipiamus in Deo, impiè facimus*; Ergo, &c.

Sed solùm ei nonconvenire eo modo quo tribuitur Creaturis.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico, Non eam esse laudatorum Patrum sententiam, ut nomen & rationem Patris censeant esse à Deo removendam, sed tantum quod Deo non conveniat eo modo quô Creaturis tribuitur: quod ut pateat evidentiùs ad præfatas authoritates sigillatim respondeo: Sanctum Dionysium eo modo negare Deum esse Patrem, quomodo ibidem antea dixerat eum non esse *Scientiam, nec Veritatem, nec Regnum, nec Sapientiam: neque Unum, neque unitatem, neque Divinitatem, aut Bonitatem*; eô scilicet modô quô hæc concipere solet imbecillis & infirma nostræ mentis tenuitas: Sed hæc sit omnia, modo quodam superexcellenti; quippe cum inquit in fine capitis, *Et omnem affirmationem superet perfecta illa & singularis causa omnium, & omni negatione superior sit præstantia ejus qui & ab omnibus omnino secretus est, & universa multùm* B *superat.*

Ad S. Basilium similiter dico eum non excludere rationem Patris à Deo; siquidem in lib. 5. contra Eunomium affirmat quod verè generat Deus & edit Verbum verè: & lib. 2. dixerat loquens de vocibus, *Generatio, Pater*, & *Filius*, quod qui *has negligere voces audet, universam Evangelii simul delet virtutem*; itaque vult tantum esse rescecandam passionis significationem, quæ in generationibus creatis invenitur; ac retinendam solummodo productionem similis in natura, ubi sermo est de Generatione divina: Unde post verba in objectione laudata subdit, *Quandoquidem unà cum eo necessario simul, & affectio, & defluxio seminis genitivi &* C *ignorantia & infirmitas, & talia quæcumque in ipso nomine* Patris *evulgantur in Creaturis.*

CONCLUSIO SECUNDA.

VIII.

Nomen & ratio Patris longè præstantiùs Deo convenit quàm Creaturis.

NOMEN *& ratio Patris longè præstantiùs Deo convenit quàm Creaturis*: Hæc est certissima apud sanctos Patres, eamque variis rationibus confirmant.

1. Paternitas divina est fons & origo cujuscumque Paternitatis creatæ.

Primò quidem quod quæcumque Creaturarum Paternitas à divina Paternitate ducit originem: Unde Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Joannem cap. 8. ita scribit, *Paternitatis nomen* D *non habet Deus ex nobis: sed nos potius ab illo videmur accepisse; fidelis est quippe sermo* Pauli *clamantis* ad Ephesios 3. *Ex ipso omnis* Paternitas *in Cœlis, & in terra nominatur.* Ipsi subscribit sanctus Hieronymus in eadem Apostoli verba dicens, *Quomodo Deus essentiæ suæ nomen atque substantiæ cæteris impertit, ut ipsa quoque dicantur &c. Sic & Paternitatis nomen ex semetipso largitus est omnibus. Sicut ergo solus bonus bonos facit; & solus immortalis immortalitatem tribuit, & solus verus veritatis nomen impertit; ita solus* Pater *qui Creator est omnium & universorum causa, substantiis præstat cæteris ut Patres esse dicantur.*

2. Pater divinus nullum alium Patrem, nec Filius alterum Filium agnoscit.

E *Secundò*, Excellentiam divinæ Paternitatis supra creatam deducunt ex eo quòd Pater divinus nullum alium Patrem agnoscat, nec Filius alterum Filium gignat; sic S. Athanasius Epist. ad Serapionem, *Ob id*, inquit, *solus & unus* Pater *solius & unius Filii* Pater *est, atque in sola Deitate istud* Patrem *esse ac Filium constituit & semper est: Nam inter homines si quis* Pater *dicitur, ille alterius* Filius *fuit: Et si quis hujus* Filius, *ille vicissim alterius* Pater *appellatur, adeo ut in hominibus propriè non servetur* Patris *&* Filii *appellatio.*

3. Paternitas substantialiter Deo competit, accidentariò tantùm Creaturis.

Tertiò quod Paternitas quidditativè & substantialiter Deo competat, non autem accidentariò tantùm ut Creaturis; quocirca S. Cyrillus libro 12. Thesauri cap. 5. profitetur *ex Patre essentialiter prodire Filium.*

4. Pater æternus perfectissimè sibi assimilat Filium.

Quartò denique hanc præcellentiam inferunt ex eo quod Pater æternus respiciat perfectissimum Filium, præstantissima generatione productum, & sibi perfectissimè assimilatum: Unde has omnes & alias præcellentias divinæ Paternitatis ita perstringit S. Nazianz. Orat. 25. *Patrem esse credamus, Patrem multò veriùs quàm qui apud nos id nomen obtinet; Tum quia proprio & singulari modo Pater est; Tum quia solus, non enim cum mulieris conjunctione atque congressu: Tum quia solius nempe Unigeniti; Tum quia solum, nec enim ipse prinsquam Pater esset fuit Filius: Tum quia in totum & totius Pater, quod de nobis certò affirmari nequit: Tum quia à principio, nec enim posteriùs Pater esse cœpit.*

IX.

Deus magis est Pater sui Filii quàm Creaturarum.

Ex his collige: Longè præstantiùs Deum dici Patrem sui Filii, quàm dicatur Pater Creaturarum. Primò quia Deus dicitur Pater Creaturum non naturaliter & necessariò, sed contingenter & liberè: *Secundò* non per principium conjunctum & actionem immanentem ac generativam ad intra, sed per actionem factivam & creativam ad extra. *Tertiò* non ab æterno, sed in tempore. *Quartò* Paternitas in Deo nihil est reale, sed mera denominatio extrinseca. *Quintò* denique in Creaturas non influit similitudinem in natura, nec eas perfectè sibi assimilat in substantia, sed tantùm vel in similitudine vestigii, quæ convenit rebus irrationalibus respectu quarum dicitur interdum Pater; sic Iob 38. *Quis est pluviæ Pater?* Vel in similitudine Imaginis; quæ reperitur in qualibet Creatura rationali, juxta quam omnes homines dicere possunt *Pater noster qui es in Cœlis:* Vel denique in similitudine gratiæ, quâ ratione frequens est Patris appellatio, tam in Veteri quàm in Novo Testamento.

Nec adversatur S. Basilius.

Nec refert quod sanctus Basilius lib. 2. contra Eunomium circa medium dicat, *Pater noster est Deus non abusione aut translatione, sed propriè primò, & verè dictus;* His verbis nihil aliud indicare voluit Basilius quàm quod Deus præstantiori modo sit nostrum principium, quàm parentes à quibus ortum ducimus: Tum quia ipse solus animam creat, & corporis format partes & organa. Tum quia omnibus nobis ad vitam necessaria subministrat. Tum denique quia ex suavi sua providentia omnia disponit, tuetur, ac conservat: Unde meritò Christus Matth. 23. monebat Discipulos, *Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester qui in Cœlis est.*

Quæstio Secunda.

An & quomodo primæ Personæ conveniat nomen & ratio Ingeniti?

I.

Ingeniti nomen ab Aëtio excogitatum.

Notandum 1. Ingeniti vocabulum primò excogitatum fuisse ab Aëtio Eunomii Magistro, ut refert sanctus Athanasius Dialogo 2. de Trinit. Hoc ipsum usurpârunt Ariani, quò faciliùs Verbi divini consubstantialitatem impugnarent, & Catholicos impeterent, interrogando utrùm sint plures Ingeniti, vel unus tantùm? ut si responderent esse unicum ingenitum; illicò inferrent Ariani Filium non esse Ingenitum, sed solum Patrem; ac subinde Filium connumerarent inter Creaturas factas & creatas: Si verò reponerent Catholici esse duos aut tres Ingenitos, videlicet Patrem, Filium & Spiritum sanctum, inde colligerent Ariani tres Deos à Catholicis affirmari: Ariani namque pro certo habebant naturam Dei in eo consistere quod sit Ingenitus. Hinc observat sanctus Epiphanius Hæresi 76. amplius quadraginta argumenta ex nomine *Ingeniti* deprompta, ab ipso Aëtio adversus Catholicos fuisse vibrata. Quapropter Gregorius Nazianzenus Oratione 37. vocabulum *Ingeniti* appellat, *arcem ac murum perfugii Hæreticorum istorum:* Nyssenus verò lib. 1. contra Eunomium, *Propugnaculum unde in Catholicum Dogma impressionem faciebat Eunomius.* Inde nonnulli sancti Patres *Ingeniti* nomen exosum habuerunt, & putaverunt rejiciendum à Theologicis Disputationibus; sic sanctus Athanasius Oratione 2. contra Arianos circa medium, ait; *Vanum esse institutionem hujus vocis, cum nihil aliud in se contineat nisi meram præstigiationem.*

Ab Arianis deinde usurpatum est adversus Catholicos.

II.

Quatuor maximè habet significationes.

Notandum 2. Hoc ipsum Ingeniti vocabulum plures, sed maximè quatuor habere significationes, ut observat sanctus Athanasius Oratione 2. contra Arianos. Primò quatenus opponitur infecto, seu non existenti, sed quod potest existere: *Sic, inquit, Ingenitum dicitur quod nondum factum est, ut lignum quod nondum abiit in formam scaphæ.* Secundò pro eo quod opponitur rei quæ nec existit, nec potest existere: *Sicut, ait, triangulus nulla ratione fieri potest quadrangulus.* Tertiò quatenus opponitur improducto, & sic dicit Ingenitum esse, *Quod jam est, sed natum ab aliquo non est, nec ulla ratione suæ originis Patrem habet:* & in hac acceptione notat *unicum & solum Patrem esse Ingenitum:* Quartò denique dicitur Ingenitum *quod factum non est, sed est sempiternum & incorruptum:* Et sic tam Filius, & Spiritus sanctus, quam Pater dici possunt Ingeniti: imò hac acceptione Maximus Taurinensis in Homilia de Symbolo, Deitatem Ingenitam, & Innascibilem pronuntiat, dicens; *In Deo natura Innascibilis, in Patre Unigeniti veritas, in Omnipotente plenitudo virtutis ostenditur; est namque per ingenitam Deitatem Omnipotens, & per Omnipotentiam Pater.* Hic autem *Ingeniti* vocabulum in tertia acceptione usurpamus, quæ acceptio us pareat evidentiùs

III.

Ingeniti vocabulum soli Patri tributum accipi debet privativè.

Notandum 3. Ingeniti nomen quatenus æterno Patri tribuitur, accipi debere *privativè*, quatenus nempe negat omnem productionem, & idem quod *improductum*, & *improducibile* significat. Si enim hac voce negetur santum generatio vel nativitas propriè sumpta, æquè Spiritus sanctus dicetur Ingenitus ac Pater; quoniam uterque incapax est nativitatis & generationis: Si verò negetur quæcumque productio; sed negativè tantùm, non autem privativè, hoc est, significando puram negationem producibilitatis; Ingeniti ratio Deitati æquè conveniet ac

Patri; Deitas enim omnino incapax est realis productionis; quocirca ut ingenitum esse, seu improducibile soli æterno Patri proprium sit, debet *ingeniti* nomen sumi privativè: Non quidem quatenus privatio dicit carentiam alicujus positivi quod possit aut debeat inesse Patri, sed quod *ingenitum* neget productionem quæ non repugnat illi convenire, non quatenus Pater, sed quatenus Persona divina est: Ita quod hæc privatio dicatur similis ei quæ à Philosophis appellatur privatio secundùm genus, non secundùm speciem; qua ratione talpa dicitur privari visu, quia in quantum est animal, non repugnat ei videre, licet repugnet ei ut talpa est: Sic (si ita à vilioribus ad divina explicationis gratiâ argumentari liceat) cùm Pater divinus sit Persona divina, cùmque in genere Personarum divinarum non repugnet produci, quia reipsa Filius & Spiritus sanctus producuntur; inde fit quod productio non repugnet Patri ut Persona divina est: sed tantùm quatenus Pater est; adeoque *ingeniti* ratio sumi debet in eo privativè. An autem Hæc ratio ipsi tanquam proprietas Personalis tribuenda sit, aperiet

Conclusio Unica.

IV. Sicque sumptum est proprietas Patris divini.

Nomen *& ratio* ingeniti *quatenus omnem productionem privativè excludit, reverà est proprietas Patris divini.* Probatur primò ex Concilio Antiocheno 1. in professione fidei ubi decernitur *esse unum Deum ingenitum sine principio*, ubi nomen *Dei* supponit pro persona Patris juxta morem Scripturæ sacræ. Insuper Nicæni Patres lib. 2. Disputatori hæc credenda, & non scrutanda proponunt, *Unus ingenitus Deus & Pater: unus ex eo genitus, unigenitus Filius Deus Verbum. Sicut non est alter Deus cum Deo & Patre ingenitus; ita neque congenitus, neque prior, neque posterior Filius*: Unde S. Athanasius Epist. ad Serapionem, ut refert sanctus Thomas Opusculo primo contra errores Græcorum cap. 8. ait: *Inprincipiatum esse & ingenitum soli Deo Patri Catholica Ecclesia congregata apud Nicæam fideliter attribuit, & toti mundo, sic esse credendum sub anathemate mandavit.*

Ut Probant Concilia.

SS. Patres. Id ipsum probant sancti Patres; in primis enim Athanasius in Quæstionibus de natura Dei quæst. 5. ait; *Proprium Patris ingenitum esse, Filii verò genitum, Spiritus sancti procedere*: Hoc ipsum pluries inculcat Nazianzenus, maximè verò Orat. 23. ubi ait, *Patris proprietas hæc est quod ingenitus sit*: Similiter Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostasis ait; *Eximium insigne notamque solius Patris esse quod à nulla causa subsistit*: Subscribit & Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 2. ubi ait; *Pater solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus; non quidem in Scripturis, sed in consuetudine disputantium*: Idem proferunt cæteri Patres, quotquot de adoranda Trinitate scripserunt.

Nec-non & ratio. *Probatur eadem ipsa veritas ratione Theologica.* Pater divinus non tantum id habet proprium & singulare, ut per fœcunditatem generativam sit principium Filii, & per Spirativam unà cum Filio sit principium Spiritus sancti, sed etiam ut inter Personas divinas ipse solus existat sine alio principio à quo realiter producatur, quemadmodum producuntur aliæ duæ Personæ: At hæc improductionis ratio appellatur nomine *ingeniti*: Ergo reverà tanquam proprietas æterno Patri convenit: *Deinde* unica est in divina Trinitate Persona improducta, nimirum Pater: Ergo ratio improducti ipsi soli propria est. Patet antecedens ex dictis in tertia quæstione primæ Disputationis, ubi probavimus impossibile esse plures divinas Personas esse ingenitas, seu improductas.

V. Ingeniti nomen ab aliquibus SS. Patribus proscripti, & quibus de causis.

Dices 1. Sancti Patres censuerunt proscribendum esse vocabulum *ingeniti*, eò quod in Scripturis sacris non exprimatur, & hæreticis fallendi ac blasphemandi ansam præbeat: Insuper quod vocabulum *Patris* sufficienter significet quidquid exprimere potest nomen *Ingeniti*: Ergo nomen hoc æterno Patri pro singulari proprietate non est ascribendum. Probatur antecedens, quantum ad omnes partes ex S. Basilio lib. 1. contra Eunomium; *Ego*, inquit, *ingeniti sive innascibilis appellationem quamvis summopere cogitationibus nostris congruat, tamen quoniam nullo loco in Scripturis ipsam invenio, & quoniam primum est elementum blasphemiæ istorum, silentio tradendam meritò dixerim; præsertim cùm Patris vox & id possit quod ingeniti.*

Ab iisdem tamen ritè interpretatum & acceptum est ad dignoscendũ Patrem ab aliis Personis.

Respondeo; Equidem vocabulum *ingeniti* ab aliquibus sanctis Patribus his de causis fuisse explosum; nihilominùs ritè interpretatum & acceptum usurpârunt ad significandum discrimen Patris æterni à duabus aliis divinis Personis, ut ipsemet etiam usurpat S. Basilius lib. 2. contra Eunomium, ubi docet *Genitum atque Ingenitum, esse specificas quasdam proprietates Filii & Patris divini*: Nec refert quod verbum istud in divinis litteris non exprimatur, in ipsis enim etiam non legitur vocabulum *Trinitatis*; Nec tamen idcirco deneganda est divina Personarum Trinitas: Unde Sixtus primus Epist. 1. Decretali post medium ait; *Patrem in divinis litteris ingenitum propriè positum, nec legere possunt, neque probare; sed quia id ipsum fides exigit Christiana, absque ulla dubitatione ingenitus creditur*; Cui concinit Fulgentius ad objectionem septimam Arrianorum, *Ingenitus*, inquit, *Pater nusquam in Scripturis Canonicis legitur, & tamen secundùm fidei veritatem ingenitus prædicatur.*

VI. Ingenitum quid significet apud Græcos.

Dices 2. Ingenitum secundùm vocis genuinam significationem idem significat ac increatum: at non solùm Pater, sed etiam Filius & Spiritus sanctus verè sunt increati: Ergo etiam ingeniti.

Respondet ad majorem S. Cyrillus lib. 11. Thesauri cap. unico: *Quod ingenitum unico N Græcè scriptum, non factum, neque creatum significat, & de Deo universaliter prædicatur, idest de singulis personis divinis, gemino autem N. N. scriptum, non natum, nec ex alio esse significat, & Patri accommodatur*; Videlicet ut principium solius Patris: Cui concinit Hugo Eterianus libro 2. contra Græcos cap. 5. *Ingenitum, inquit, quoniam per unum N apud Græcos scribitur quantum hoc nomen increatum significat, & non solum divinæ naturæ, si sic dicatur, verùm tribus competit Personis, etenim natura pariter cum Personis incaussata est; cum autem per duo N. N. ἀγέννητος scribitur, soli propriè Patri, non Filio, non Spiritui, neque alicui Creaturæ convenit.*

Quæstio Tertia.

An & quomodo Pater dicatur Principium, Causa, Author, *&* Fons *in divinis?*

I. Principii nomen in divinis *Essentialiter Notionaliter & Principaliter* accipitur.

NOTANDUM 1. Principii nomen tripliciter in divinis usurpari posse, nimirum *Essentialiter*, *Notionaliter*, *& Principaliter*. Primô modô significat fœcunditatem Divinitatis *ad extra* convenientem tribus Personis, quâ per Omnipotentiam Creaturas omnes producunt: Secundô modô designat ejusdem Divinitatis fœcunditatem *ad intra* quâ Pater Filium, & Pater unà cum Filio, Spiritum sanctum producunt: Tertiô modô significat dignitatem illam, quâ prima in divinis Persona à nulla producta cæteras producit. Principium essentialiter acceptum convenit tribus Personis indivisim, opera enim divinæ Trinitatis ad extra sunt indivisa; quia divinæ illæ Personæ per unicam voluntatem & potentiam Creaturas producunt: Principium notionaliter sumptum, commune est Patri & Filio, siquidem Pater & Filius unicum sunt principium Spiritus sancti: Unde sanctus Augustinus libro contra Maximinum capite 17. *Pater*, inquit, *principium non de principio, Filius principium de principio, sed utrumque simul, non duo, sed unum principium*: Tandem principium principaliter usurpatum soli Patri proprium esse dicitur.

II. Quod discrimé inter *Principium & Causam*.

Notandum 2. Quod quamvis Aristoteles 5. Metaph. Textu 1. enumeratis omnibus modis, quibus *Principium* dicitur, affirmet etiam tot modis *causam* dici; quasi vellet idem esse causam quod principium; nihilominus ut notat Asclepius in commentario ad illum locum, id non dicit Philosophus ex rei veritate, neque ex opinione sua, sed ex vulgi sensu. *Nam*, inquit, *amplior est principii significatio quàm causa: ideo priori loco, & ante causam commemoravit principium; etenim quidquid est causa, idipsum & principium est, non tamen vicissim quidquid est principium, id causa esse debet.* Hoc autem maximè discrimen est inter causam & principium, quod principium sit, *Id ex quo aliud vel alius*, causa verò *quæ influit esse in aliud antea non existens*: Inde causa significat superioritatem & perfectionem majorem in producente quàm in producto; adeoque in effectu dependentiam, contingentiam, & imperfectionem quandam denotat. *Neque enim*, inquit sanctus Dionysius de Divinis nominibus c. 2. *Perfecta est inter effecta, & causas similitudo, sed effecta quidem causarum quas possunt præferunt imagines: causæ autem secretæ sunt ab effectis, suntque principii sui ratione superiores.* Hinc causa propriè sumpta longè à principio discrepat.

III. Quid *Authoris* nomen significet apud Latinos.

Notandum 3. Nomen *Authoris* interdum apud Latinos idem perinde ac principium significare; dixi apud Latinos; nam Græci vel nullum habent quod illi respondeat; vel si quod propriè ad illud accommodârunt, eô minimè in divinis utuntur, ut observat S. Thomas in opusculo cap. 1. quare soli quidem Latini Patres hanc appellationem à Creaturis ad divina transferunt. In qua tamen usurpanda, cautione aliqua opus est; siquidem *Author* interdum dicitur is penes quem in alterum est potestas, seu qui jure, ac dignitate antecedit, sic Ter-

A tullianus lib. de fuga cap. 1. Primores ac Magistros Ecclesiæ, Authores, id est, duces & antesignanos quibus sunt alii inferiores, appellat, *Sed quum*, inquit, *ipsi Authores; id est, ipsi Diaconi, Presbyteri & Episcopi fugiunt, quomodo Laicus intelligere poterit qua ratione dictum*, FUGITE DE CIVITATE IN CIVITATEM? *Itaque quum duces fugiunt, quis de gregario numero sustinebit ad gradum in acie figendum suadentes*: Itaque nomen Authoris non aliter alicui divinæ Personæ tribuendum est respectu alterius, quàm ad idem, quod principium, significandum.

B

Conclusio Prima.

IV. *Esse principium principaliter* propriè Patri convenit.

PATRI *divino proprium est quod sit principaliter principium, & fons* Divinitatis *communicata duabus divinis Personis productis*: Hæc Conclusio duas partes complectitur, quarum

Probatur prima authoritate sanctorum Patrum, qui divinum Patrem principium esse sine principio prædicant. Sic Gregorius Nazianzenus Orat. 32. *Nomen porro ejus qui principio caret est Pater, principii Filius, ei qui est cum principio Spiritus sanctus.* Sic Phæbadius libro contra Arrianos, *Hic est*, ait de Patre, *principium sine principio*: Sic Cyrillus Alexandrinus
C lib. 2. Thesauri cap. 1. *Alius*, inquit, *est Pater, alius Filius, & alius est principium, alius ex principio*: Sic Augustinus de Trinit. capite 14. *Si gignens*, inquit, *ad id quod gignitur principium est, Pater ad Filium principium est, quia gignit eum*: Unde meritò Magister sententiarum in 1. dist. 29. cap. primo ait, *Pater principium sine principio. Filius principium de principio, Spiritus sanctus principium de utroque.* Cui concinit S. Thomas Opusculo 1. contra errores Græcorum cap. 32. *Necessarium*, inquit, *est credere sanctam Trinitatem, Patrem scilicet sine principio, Filium verò principium à Patre princi-*
D *pio: Spiritum autem sanctum cum principio Filio unum Deum esse.*

V. Sicut & esse fontem totius Divinitatis.

Probatur secunda pars: Primò quidem ex Concilio Toletano 6. cap. 1. *Confitemur*, inquit, *Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius Divinitatis.* Idem repetit Uuormaciense in professione Fidei. Confirmatur Testimonio sanctorum Patrum, maximè Dionysii lib. de Divinis nominibus cap. 2. *A divinis Scriptis accepimus*, inquit, *Patrem quidem esse, ut ita dicam, fontanam Divinitatis; Iesum autem & Spiritum fœcundæ Divinitatis, si ita fas est loqui, gemmæ, seu germina.* Concinit Athanasius contra Gregales Sabellii, ubi de Patre ait, *Solus fons Deitatis*, & circa finem, *Pater radix & fons Filii,*
E *& Spiritus S.* Subscribit & Augustinus quarto de Trinit. cap. 20. ubi ita declarat Ioan. 15. SPIRITUM VERITATIS QUEM EGO MITTAM VOBIS A PATRE, *Videlicet*, inquit, *ostendens quod totius Divinitatis, vel si melius dicitur, Deitatis principium Pater est.* Quam loquendi formulam servauit etiam Eugenius quartus in Litteris unionis dicens, *Pater fons & principium totius Deitatis.*

VI. Quomodo sancti Patres dicunt alias à Patre personas esse sine principio.

Dices 1. Non solus Pater, sed etiam Filius imò & Spiritus sanctus dicuntur esse sine principio: Ergo nomen & ratio principii principaliter æterno Patri non competit. Probatur antecedens ex Zacharia Mitylenæo libro de Mundi opificio, *Pater*, inquit, *expers princi-*

pii, & ingenite: Fili sine principio genite: Spiritus Dei sine principio à Patre procedens: Similiter Athanasius in quæstionibus quæst. 13. asserit, *Esse principio carentes, & principii expertes simul tres Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.* Et Hippolitus martyr homil. de consummatione mundi sic Filium alloquitur, *Tu unà cum Patre cares principio.* Eandem appellationem *Principio carentis*, ipsi tribuit Athanasius ad Liberium.

Respondeo sanctos Patres ita esse intelligendos quod velint divinas Personas esse expertes principii durationis, creationis & affectionis: non autem principii emanationis unius ab alia, ut luculenter explicat sanctus Gregorius Nyssenus lib. 1. contra Eunomium. *Quando*, inquit, *in voce ἀνάρχου* (hoc est principii expertis,) *Nihil intelligitur aliud nisi id quod ex nullo penitus principio habet ut subsistat; hoc ipsum solius esse Patris proprium confitemur. Cùm autem de reliquis principii significationibus inquisitio fit; quoniam & creationis principium est, & temporis, & ordinis; etiam in iis unigenitum Filium omni principio superiorem esse testamur, ut supra omne creationis principium, & temporis motionem, & ordinis consecutionem illum esse credamus, per quem omnia facta sunt; itaque quem ratione subsistentiæ non expertem esse principii putamus, in reliquis omnibus carere principio fatemur: & Patrem quidem principio carentem & ingenitum; Filium verò principio quidem eo quem diximus modo carentem, non tamen ingenitum esse dicimus.* Quibus nihil magis ad rem.

VII. *Dices* 2. Principium est à quo aliquid procedit aut producitur: Sed Deitas non procedit neque producitur à Patre: Ergo nec est illius fons nec principium.

Pater non est fons Deitatis in abstracto, sed in concreto.

Distinguo minorem: Deitas in abstracto & quatenus præscindit à Personis non procedit à Patre, neque Pater est ejus principium, concedo: Deitas in concreto & accepta pro Personis divinis quæ à Patre ducunt originem & producuntur, nego: Unde signanter in conclusione dixi, *Patrem esse principium Divinitatis communicatæ*, hoc est principium ex quo communicatur Divinitas duabus Personis productis. Quod si per Filium etiam communicetur Divinitas Spiritui sancto; non tamen propterea dici potest Filius principium totius Divinitatis communicatæ, prout communicata est per productionem, quoniam non est ratio communicandi divinam naturam sibi ipsi, sed eam accipit à Patre.

Conclusio Secunda.

VIII. PATER *reverà dicitur Causa & Author Filii, sed non in propria utriusque nominis significatione.*

Pater dici potest causa Filii.

Probatur prima pars: Authoritate Patrum Græcorum, maximè Basilii lib. 1. contra Eunomium: *Vox ipsa Patris*, inquit, *quid aliud significat nisi hoc quod causa est & principium ejus qui ex ipso genitus est*? Sic etiam Gregorius Nyssenus lib. ad Ablavium, *Eam*, inquit, *quæ circa causam & causatum consideratur differentiam non negamus, per quod solùm discerni alterum ab altero deprehendimus; nimirum ex eo quòd credimus aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa.*

Item Chrysostomus in caput 1. Epistolæ ad A Hebræos homil. 2. *Si enim*, inquit, *causa Filii Pater est, multò amplius eorum causa est quæ per Filium facta declarantur*: Subscribit etiam Damascenus lib. 1. de Fide cap. 11. *Unus*, inquit, *Pater sine principio, hoc est sine causa; non enim ex aliquo. Unus Filius, & qui Filius est, & non sine principio, hoc est, sine causa, ex Patre enim est.*

Idipsum colligitur ex Patribus Latinis; nam Hilarius lib. 12. de Trinitate, *Ejus qui est*, inquit, *ad id quod est causa Pater est.* Similiter Augustinus lib. 7. de Trinit. ait, *Quæ causa illi est ut sapiens sit, ipsa illi causa est ut sit: Proinde* B *si Sapientia quam genuit causa illi est ut sapiens sit, etiam ut sit ipsa illi causa est.*

Hoc ipsum probatur de nomine *Authoris*; nam sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 29. affirmat Patrem, *Esse causam & Authorem Divinitatis quæ in Filio & Spiritu sancto consideratur*: Similiter sanctus Athanasius Dialogo 2. contra Anomæum; cum dixisset, *Patrem esse causam & authorem Filii*: Subjungit, *Deus est fons Spiritus sancti, & Author ejusdem, non extrinsecus eum recipiens, sed ex se sinens scaturire.*

Nec-non & Author.

Idipsum affirmant Patres Latini, maximè Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. ubi sic eum carpit; *Sed habet, inquis, Dei Filius au-* C *thorem Patrem, si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis authorem, quia ille genuit, genitus est iste, quia iste de illo est, non ille de isto, fateor & concedo: si autem per nomen Authoris minorem vis facere Filium, Patremque majorem, nec ejusdem substantiæ Filium cujus est Pater, detestabor & respuam.* Ipsi concinit sanctus Hilarius 9. de Trinitate, *Cùm enim*, inquit, *innascibilis Deus ad perfectam divinæ beatitudinis Nativitatem unigenito Deo Author sit, authorem nativitatis esse Sacramentum Paternum est.*

Quod autem hæc *Authoris & Causæ* appellatio omnino sit impropria quatenus Personis divinis producentibus tribuitur, satis liquet tum D ex ratione ipsius causæ & Authoris, quæ inferioritatem in producto sonat; tum ex sancto Augustino mox laudato: Unde sanctus Cyrillus libro 2. Dialogorum de Trinitate, ait, *Causam & causatum neque nominare fas est, decet item de Deo potius dicere Patrem, ac genitum Filium*: Quod luculenter explicat Bessarion in Oratione quam habuit in Concilio Florentino *Notandum*, inquit, *quod sancti Doctores Orientales etiam in divinis utantur nomine causæ & causati largo modo: non quidem ut limitationem & dependentiam importat, sed prout productionem, & emanationem à principio ejus quod est à prin-* E *cipio significat.* Itaque eatenus Persona divina producens dicitur causa productæ, quatenus solùm est ejus principium.

Sed non in propria utriusque vocis significatione.

ARTICULUS SECUNDUS.

De propriis Secundæ divinæ Personæ characteribus.

I. QUEMADMODUM *Theologi*, inquit sanctus Dionysius 1. de Divinis nominibus, *Multis nominibus appellatam Deitatem laudant; velut cum rursus eam inducunt dicentem*, EGO SUM QUI EST, VITA, LUX, DEUS, VERITAS; *Et cum iidem Theologi omnium causam*

& Authorem multis nominibus ex effectis omnibus laudant, ut bonum, ut pulchrum, ut sapientem, ut diligendum, ut Deum Deorum, ut Dominum Dominorum, ut Sanctum Sanctorum, &c. Sic inquit S. Thomas 1. p. q. 15. art. 2. ad 3. *Ad exprimendas diversas Filii Dei perfectiones, diversa ei attribuuntur nomina: nam ut ostendatur connaturalis Patri, dicitur Filius; ut ostendatur coaeternus, dicitur* splendor: *ut ostendatur omnino similis, dicitur* Imago; *ut ostendatur immaterialiter genitus, dicitur* Verbum, *&c.*

Duodecim nomina quæ secundæ Personæ Scriptura tribuit.

Omnia autem nomina quæ Filio Dei Scriptura sacra attribuit, sub duodenario complectitur S. Ambrosius libro 2. de Trinit. vocatur enim Filius Dei, Verbum, Imago, Idea, Principium, Sapientia, Lux, Candor lucis æternæ, Figura Substantiæ, Character, Speculum, Ueritas. *Hi sunt* (inquit ibidem Ambrosius) *pretiosi illi lapides, sardius, jaspis, smaragdus, chrysolitus, & alii, quibus sancti Aaronis, qui Christi figuram gessit, vestimentum intexitur: Hic veri amictus est Sacerdotis, hæc vestis nuptialis, hoc pretiosum rationale....* Filius Dei *dicitur quia ex Deo Patre nascitur:* Verbum, *quia ex ore Altissimi, cum perfecta ejus notitia prodit,* Imaoo, splenoor gloriæ, et speculum, *quia nihil ei deest quominus perfectè Patrem exprimere possit:* Vapor virtutis Dei, *quia ejusdem cum Patre naturæ:* Canoor lucis æternæ, *quia ei coæternus:* Characts r, *quia à Patre: Personali differentia non essentiali perfectione discretus.*

Ex iis autem alia sunt communia, alia propria.

Ex his autem omnibus nominibus aliqua sunt communia tribus Personis, & Filio solùm appropriata, ut *Lux, Virtus, Idea, &c* Alia verò notionalia & propria, ut *Filius, Verbum, Imago, Character. Figura Substantiæ.* Nomen *Filii* proprium esse secundæ divinæ Personæ satis liquet ex dictis Quæst. 5. primæ Disput. & Quæst. 3. secundæ. Superest itaque expendamus alia nomina *propria & appropriata* tribus in sequentibus Quæstionibus.

Quæstio Prima.

An nomen & ratio Verbi *soli Filio divino conveniat?*

I.

Quinam hæretici circa *Dei Verbum* erraverint.

NOTANDUM 1. Circa Dei Verbum varios hæreticos hallucinatos fuisse. Primò namque *Valentinus* somniavit Verbum non esse Filium Dei, nec à Deo immediatè processisse, sed conjugio inenarrabilis tamquam Patris, & silentii tamquam Matris partam fuisse mentem,

Valentinus.

quæ cum unigenito Filio peperit veritatem; Deinde post multa sæcula processisse Verbum ex mente simul & veritate, ut refert Irenæus lib. 1. cap. 1.

Paulus Samosatenus.

Secundò *Paulus Samosatenus* asserebat Verbum divinum non esse subsistens, sed prolatitium & transitorium, ut narrat Epiphanius hæresi 65. ait: *Quidam ex discipulis Samosatensis,* inquit Athanasius Orat. 5. contra Arianos, *dividentes Verbum à Filio, dicunt Filium quidem esse Christum, Verbum tamen alium;* Quorum rationem objiciemus & solvemus infra.

Et Alogii.

Tertiò *Alogi*, hoc est sine Verbo, respuebant appellationem Verbi, eo quod inquiebant Filius Dei nec ore nec mente sit pronuntiatus, quocirca rejiciebant omnia scripta sancti Ioannis quòd in eis Verbi divini fieret mentio, ita August. Hæresi 30. Hoc ipsum asseruisse videntur Arius & Eunomius existimantes omne Verbum esse prolationem vocis, ut narrat S. Athanasius libro de Decretis Nicænæ Synodi.

Varia Arrianorum deliria.

At magis non consentientes Discipuli quidam Ariani dicebant Verbum semper fuisse, sed non semper fuisse Filium: Aliqui hominem assumptum à Verbo volebant esse Filium: Cæteri, duo cum Arrio variante sententiam distinguebant Verba; alterum existens in Deo quod est ejus Sapientia ab eadem Persona Patris indistincta: Alium extraneum à Patris substantia, de quo dicebat Arrius locutum fuisse S. Joannem quando dixit, In principio erat Verbum. Tandem Michael Servetus anno 1540. præcedentes jam pridem sepultos errores ab inferis evocans, asseruit Verbum Dei nil aliud esse quàm *dispositionem quâ placitum est ei arcanum voluntatis suæ nobis revelare.* Quos omnes errores ut in inferos unde emerserunt retrudamus

II.

Cur Filius Verbum appelletur.

Notandum 2. ex S. Augustino libro de Fide & Symbolo cap. 3 Filium Dei *Verbum Patris ideo dictum esse, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus, quum verum loquimur ut noster animus innotescat audienti, & quidquid secretum in corde gerimus per signa hujusmodi ad alterius cognitionem proferatur: Sic illa Sapientia, quam Deus Pater genuit quoniam per ipsam innotescit animus secretissimus Patris, Verbum ejus convenientissimè nominatur.* Inde Richardus Victorinus libro 6. de Trinit. cap. 12. colligit solum Filium esse Verbum, non ita Spiritum sanctum, *Quia*, inquit, *Verbum nascitur de corde solo, & ipso propalatur proferentis intentio: Iure igitur solius Patris sola genitura Verbum nominatur, per quod ipse qui principalis est Sapientia manifestatur.* Subjicit nihilominus aliam & quidem genuinam rationem cur Filius dicatur Verbum, nempe quod dictione producatur, nam ut ibidem observat, idem est Verbum quod corde concipitur, & quod voce profertur: *Quid enim*, inquit, *est vox, nisi verbi vehiculum, vel si magis placet verbi indumentum? nunquid est alius aliquis homo indutus, & alius aliquis cum fuerit exutus:* Unde infert, *Quod si aurem haberet aliquis ad locutionem cordis, quemadmodum habet ad locutionem oris, non omnino opus haberet, ut ei exterior locutio fieret.* Ratum itaque ac constans est Filium Dei rectè Verbum appellari, vel quia Patrem repræsentat & manifestat; vel quia dictione producitur.

III.

In tribus conveniunt Verbum creatum & increatum.

Notandum 3. Qood etsi S. Athanasius Orat. 3. contra Arrianos dixerit, *Non tale esse quærendum Dei Verbum, quale nostrum est, quia non talis est Deus, quales nos sumus:* Nihilominus Verbum increatum & creatum in tribus maximè conveniunt. Primò namque utrumque spirituale est, ac mentis fœtus permanens & non transitorius; nam ut loquitur quisquis est Author libri de cognitione veræ vitæ apud Augustinum tom. 9. *Summus Pater Verbum suum, seipsum cogitando genuit, quod in Patris & Spiritus sancti essentia simul coessentiale subsistit.* Secundò utrumque est immaneos intra ipsum dicentem. sic enim Verbum divinum exit à Patre, ut numquam extra ejus sinum exeat: *Processit à Patre*, inquit S. Chrysologus, *sed à Patre penitus non abscessit*: Vel ut ait Tertullianus libro contra Praxeam: *Protulit Deus sermonem quemadmodum radix fruticem, fons fluvium, & Sol radium.... nec tamen frutex à radice, nec flumen à*

fonte, nec radius à sole discernitur, nam ut ait Ioannes, VERBUM ERAT APUD DEUM. Unde Zeno Veronensis serm. 3. de æterna Verbi generat. Filium Dei appellat, *Nobilem cordis Patris inquilinum.* Tertiò utrumque repræsentat & exprimit objectum ad cujus intuitum formatur. *Quamcumque enim rem*, inquit Anselmus in Monol. cap. 31. *Mens, seu per corporis imaginationem, seu per rationem cupit veraciter cogitare, ejus utique similitudinem, quantùm valet in ipsa sua cogitatione conatur exprimere.*

Differunt pariter Verbum creatum & increatū maximè in tribus. 1. Quia illud est accidens, hoc substantia. 2. Illud est forma constituens intelligentem in actu secundo, unde producitur ex indigentia intelligentis, nempe ut fiat intelligens; hoc verò producitur ex fœcunditate, non autem ex ulla indigentia, quia Pater priùs est essentialiter intelligens quàm Verbum dicat. 3. Illud non est ejusdem naturæ cum dicente; hoc verò est ejusdem omnino naturæ cum Patre à quo dicitur & producitur.

CONCLUSIO UNICA.

IV. RATIO & *appellatio Verbi soli Filio divino propriè convenit.* Hæc est omnium pœne Theologorum contra Durandum in 1. dist. 27. quæst. 2. & dist. 27. quæst. 3. ubi docet *Verbum* propriè sumptum esse prædicatum essentiale & commune tribus Persoois.

Filius propriè *Verbi* vocabulo designatur.

Vt edocent SS. Patres.

Probatur primò ex omnibus Scripturæ sacræ textibus quibus Filius *Verbum* signanter appellatur, maximè ex 1. cap. Ioannis, ubi pluries Verbi nomen exprimitur. *Vt hoc nomen*, inquit Cyrillus lib. 7. Thesauri cap. 1. *Quasi proprium Filii elegisse videatur*, IN PRINCIPIO, *inquit*, ERAT VERBUM, & VERBUM ERAT, *&c. Vides quomodo ipsum esse Filii secundùm naturam hoc nomen significat*: Et infra, *Frustra miramur Evangelistam, & quasi magnum quid proprium tonasse, tonitrui Filium appellamus, nisi* VERBUM, *quasi proprium, mirabile & inauditum pronunciasset.*

Hanc eandem veritatem suis Testimoniis probant alii Patres in primis verò sanctus Augustinus libro 7. de Trinit. cap. 2. *Pater igitur*, inquit, *& Filius simul una essentia, & una magnitudo, & una veritas, & una sapientia; sed non Pater & Filius simul ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius: sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dicitur: Ita & Verbum ad eum cujus Verbum est refertur, cum dicitur Verbum. Eò quippe Filius, quo Verbum & Verbum, quò Filius.* Itaque ratio Verbi non est proprietas distincta, sed formaliter eadem cum Filiatione: Vnde concludit, *Quoniam igitur Pater & Filius, simul non utique unus Filius, consequens est ut Pater & Filius simul, non ambo unum Verbum.*

At ratio Verbi quæ est propria Filio distinguitur à Sapientia quæ est tantùm appropriata, unde subdit: *Et propterea non eo Verbum, quò Sapientia quia Verbum non ad se dicitur, sed tantùm relativè ad eum cujus est Verbum; sicut Filius ad Patrem, Sapientia verò eò quò Essentia, & ideo quia una Essentia una Sapientia. Quoniam verò & Verbum Sapientia est, sed non eò Verbum quò Sapientia; Verbum enim relativè, Sapientia verò essentialiter intelligitur id dici accipiamus, cum dicitur Verbum, ac si dicatur nata sapientia ut sit Filius & imago.*

Probatur 3. ratione Theologica. Illa appellatio censenda est propria Filio Dei, quâ ordinariè Scriptura sacra utitur ad designandam secundā in Deitate Personam: Sed hæc ad id usurpat nomen *Verbi* ut patet, tum ex dictis, tum ex primæ Ioann. 1. cap. 5. *Tres sunt qui Testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*: Nam ea dictione *tres*, significatur personarum numerus & distinctio, quapropter oportuit singulis tribuere proprium nomen quō distinguitur quælibet persona ab alia: Ergo sicut nomen *Patris* non est metaphoricum; sed proprium; ita tale debet esse nomen *Verbi*.

Et ratio suadet.

Deinde ratio formalis Verbi consistit in eo quod sit terminus productus per dictionem repræsentans objectum: Sed Filius Dei ut probatum est disp. 2. est terminus productus per dictionem & objectum suum perfectissimè repræsentat: Ergo solus Filius est propriè & reverà Verbum.

V. *Dices* 1. Ubi vulgata Joan. 1. exprimit *Verbum*, plures è sanctis Patribus, maximè Cyprianus, Hieronymus, &c. legunt, *Sermonem* & *Rationem*, atqui sermo & ratio non est proprietas Filii divini: Ergo neque Verbum.

Respondet sanctus Augustinus lib. 83. quæstiooum quæst. 63. *Quod Græcè λόγος dicitur, Latinè & rationem & Verbum significat, sed hoc loco Ioannis* 1. *melius* Verbum *interpretamur, ut non significetur solùm ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt operativâ potentiâ.* Ratio autem, etsi nihil per illam fiat, rectè ratio dicitur; quamvis enim Filius ab æterno foret Verbum; etiamsi nihil faciendum esset in tempore, nihilominus illa vis & quidditativa proprietas, ut per Verbum fiant, quæcumque facienda sunt, aptiùs significantur nomine *Verbi*, quàm nomine *Rationis*, aut *Sermonis*.

Filius meliùs dicitur Verbum quàm sermo aut ratio.

VI. *Dices* 2. Verbum in divinis commune est tribus Personis: Ergo non est proprietas solius Filii. Probatur antecedens: Primò quidem à sancto Irenæo libro 2. cap. 48. *Deus totus*, inquit, *existens mens, & totus existens logos*, id est, *Verbum*: Similiter sanctus Ambrosius libro unico de Filii Divinitate cap. 5. *Sive*, inquit, *lumen de lumine dicas, sive Verbum de Verbo, sive Spiritum de Spiritu, sive Dominum de Domino, quodcumque de eo dixeris, unius tamen essentiæ Patrem & Filium credas.* Insuper sanctus Athanasius, *Adversus eos qui dicunt passus est Deus sermo carne*, ait, *qui dicit Deum logon, essentiam simplicem significat*: Hoc ipsum profitetur sanctus Dionysius lib. de Divinis nominibus cap. 1. ubi nomina Deo convenientia referens inter ea hæc commemorat ut nempe dicatur, *Vita largitor Sapientia, Mens, Verbum, &c.* Ergo reverà nomen Verbi censet esse prædicatum non notionale, sed essentiale.

Nec est nomen commune cæteris Personis.

Nego antecedens: Nec enim ea fuit mens SS. Patrum, in primis enim Irenæus ibidem affirmat, *Ex cogitatione & sensu Verbum emitti*; adeoque censet solùm illud esse dicendum Verbum, quod producitur per dictionem sive internam, sive externam; solus autem Filius ut constat, sic producitur, & consequenter solus est Verbum appellandus: Quod si *Totum Deum esse logon* dicat; non aliud vult significare quàm

assignatas rationes, adeoque neganda est consequentia.

VI. *Objicies* 2. Relationes divinæ tam à Conciliis quàm à Patribus dicuntur perfectiones: Ergo reverà tales sunt. Probatur antecedens ex Concilio Constantinopolitano Epistola ad Damasum, *Credimus*, inquit, *æqualem honorem ac dignitatem, & imperium coæternum in tribus perfectissimis subsistentiis, seu tribus perfectis personis*: Similiter Iustinus in expositione fidei de Trinitate, *Maluimus*, inquit, *unius Deitatis in tribus perfectis subsistentiis, notitiam exponere*. Item Cyrillus Alexandrinus libro 1. Thesauri cap. 6. *Perfectus*, inquit, *est, non solùm quia Deus, sed etiam quia Pater*: Subscribit Damascenus 1. fidei cap. 11. dicens, *In proprietatibus Paternitatis, Filialitatis, & Processionis, secundùm causam, & causale* (seu causatum) & *Personalem perfectionem, id est, existentiæ modum differentiam intelligimus*: Idem lib. de decretis primæ institutionis, *Hypostases*, inquit, *& personæ Pater, Filius & Spiritus sanctus, unusquisque; enim eorum perfecta est hypostasis, & perfecta persona*. Ergo reverà relationes personales sunt perfectiones, & perfectæ.

SS. PP. qui solent objici.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico sanctos Patres & Concilia laudatis textibus, & aliis similibus accipere divinam hypostasim, & personam, non in abstracto pro formali subsistentia & personalitate, quatenus formaliter distinguitur ab essentia divina & cum ea concurrit ad constituendam divinam personam: Sed in concreto pro ipsamet divina Persona, quatenus nempe simul importat essentiam & personalitatem, qualiter reverà Personæ divinæ sunt perfectissimæ. Quod autem aliter non sint accipienda dicta sanctorum Patrum, sufficienter colligitur ex eorum verbis laudatis.

Commodè explicantur de Personis in concreto

Ad sanctum Damascenum maximè, *Respondeo* eum nolle proprietates personales formaliter esse perfectiones; contrarium enim docet cap. 9. dicens, *Omnia quæ Pater habet sunt Filii, hoc uno excepto quod* INGENITUS *non est; quæ quidem vox nec naturæ discrimen, nec dignitatem atque authoritatem, sed existentiæ modum indicat*. Solùm itaque eas proprietates in concreto & pro personis acceptas, perfectiones nominat.

Objicies 3. Mysterium Trinitatis quatenus Trinitas est, est summè adorandum, adeoque infinitè perfectum: Sed Trinitas quatenus Trinitas, divinas relationes connotat & importat: Ergo verum est quod relationes dicant summam & infinitam perfectionem.

Distinguo majorem: Mysterium Trinitatis dicit summam perfectionem se tenentem ex parte naturæ divinæ quæ tribus Personis communicatur unà cum suis attributis & perfectionibus, concedo: Provenientem à relationibus divinis quæ sunt termini divinæ communicationis & fœcunditatis, nego: Tota namque perfectio quæ in adorando Trinitatis mysterio relucet, repetenda est ex parte naturæ divinæ quæ summè & infinitè divinas Personas constituit & perficit; non verò ex parte relationum, quæ sunt puri termini divinæ fœcunditatis & naturæ, nullam ipsi addentes perfectionem, sed tantùm dantes illi modum subsistendi incommunicabiliter.

Tota Trinitatis perfectio repetenda est ex parte naturæ, non ex parte relationum.

VIII. *Objices* 4. Subsistentia Verbi divini quatenus formaliter ab essentia distincta, terminat naturam humanam assumptam, eique nec-non & ejus actionibus summam perfectionem & dignitatem confert: Ergo ipsamet illam perfectionem habet formaliter. Patet consequentia: Quod enim præstat Verbi divini personalitas naturæ humanæ, non confert in ratione causæ efficientis, sed formalis; adeoque seipsâ tanquam formâ dignificat actiones, & perficit naturam hominis assumpti, & consequenter ipsamet aut est perfectio aut formaliter continet summam perfectionem. Probatur antecedens: Nam homo assumptus ratione personalitatis ei communicatæ, est adorabilis, idque adoratione latriæ: Ergo continet bonum, non qualecumque, sed infinitum & summum, quia summum cultum meretur.

Nego antecedens Quantùm ad secundam partem, nempe quod subsistentia Verbi, quatenus formaliter ab Essentia divina distinguitur, conferat summam perfectionem humanitati Christi; & ejus probationem distinguo: Homo assumptus, est adorabilis & summè perfectus ratione solius personalitatis Verbi, nego: Ratione Deitatis sibi conjunctæ hypostaticè, concedo: Christus enim idcirco dicitur summè perfectus & dignus summo cultu, non præcisè tantùm quia subsistit subsistentiâ Verbi, sed quia ratione hujus subsistentiæ unitur hypostaticè Deitati, estque Homo-Deus.

Christus est adorandus non sub ratione personalitatis, sed sub ratione naturæ.

ARTICULUS TERTIUS.

De Notionibus Divinis.

NOTIONIS nomine nil aliud prætendunt Theologi quàm propriam rationē cognoscendi unam personam. Quæ ratio sumitur vel pro conceptu formali quò illam divinam Personam specialiter cognoscimus, & discernimus ab alia, de qua sanctus Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 6. *Alia notio est quâ intelligitur genitor, alia quâ ingenitus*. Vel pro conceptu objectivo, seu aliqua nota speciali, & veluti charactere se tenente ex parte ejusdem personæ, ratione cujus ipsam cognoscimus ut ab alia distinctam, de qua sanctus Basilius lib. 2. contra Eunomium, *Proprietates*, inquit, *ac notæ quasi characteres quidam & formæ in substantia inspecta, distinguunt*. De notionibus secundùm hanc posteriorem acceptationem duo veniunt resolvenda 1. An sint admittendi aliqui characteres in divinis Personis quibus invicem distinctæ appareant. 2. Quod illi characteres solitò quinque numerentur. Quoniam autem præcipuæ difficultates quæ hanc materiam spectant superiùs enodatæ sunt ex iis quæ diximus de proprietatibus & relationibus personalibus; idcirco tres præfatas inquisitiones involvet, & resolvet

Quid Notio? Et quotuplex?

Articuli partitio.

QUÆSTIO UNICA.

An, quot, & quales sint divinarum Personarum Notiones?

I. NOTANDUM 1. Quod etsi una eademque realis formalitas simul sit proprietas, relatio, & notio: Hæc tamen invicem juxta variam habitudinem discrepant; Paternitas enim

Quomodo eadem formalitas

Juxta variam habitudinem discrepat.

v. g. dicitur *Relatio* quatenus respicit terminum, & Personam generantem refert ad genitam: Dicitur autem *Proprietas* quatenus convenit tantùm primo divino supposito primamque Personam afficit; Nominatur autem *Notio* comparativè ad intellectum, quoniam est ipsi ratio cognoscendi primam Personam ab aliis distinctam, quæ omnia licèt unam eandemque formalitatem significent, hunc tamen servant ordinem ut priùs illa formalitas dicatur relatio, Deinde proprietas, ac tandem notio; Nihil enim potest esse ratio manifestandi aliud, nisi sit illi proprium, nec potest esse proprium, nisi ab aliis distinguatur. Distinctio autem divinarum Personarum petitur ab earum principio constitutivo, quod est ipsa relatio personalis.

II. *Notandum* 2. Tres maximè ad notionem conditiones desiderari. *Prima*, ut sit proprietas alicujus, vel aliquarum personarum, non tamen tribus sit communis, quâ ratione nec divina essentia, nec quid essentiale habet rationem notionis. *Secunda*, ut significetur & exprimatur in abstracto; Notiones enim sunt veluti formæ quibus divinæ Personæ cognoscuntur, inde fit quod nomina *Pater*, *Filius*, & *Spiritus sanctus* non sint nec dici possint notiones, quia personas ipsasmet directè significant in concreto, non autem denotant per se illas formas quibus personæ possint innotescere, quales sunt *Paternitas*, *&c. Tertia*, quòd significet illam formam non veluti in fieri, sed quasi in facto esse, cujus defectu *generare & generari*, item *spirare & spirari* dici nequeunt notiones, quia significantur ut in fieri. Aliqui etiam Scotistæ quartam addunt, nempe quod notio significet & importet dignitatem Personæ: at hoc repugnat Doctori & veritati: Siquidem, ut supra diximus, relationes personales nullam formaliter perfectionem connotant.

Tres ad notionē conditiones desiderandæ.

III. *Notandum* 3. Notionem sic describi à Theologis, *Notio est propria ratio seu nota cognoscendi personam divinam ut distinctam ab alia*: Hæc satis superque patet ex mox dictis; dicitur namque *ratio seu nota*, quia est veluti character seu sigillum, quo designatur & notatur una persona ab alia distincta, unde Justinus in expositione fidei de Trinit. *Dum geniti vocabulum*, inquit, *quasi notam quandam audimus, mox cogitamus Filium quemadmodum & per procedentis notam Spiritus propriam personam dicimus*: Additur secundò, propria ratio cognoscendi personam; *Nam*, inquit S. Basilius lib. 2. contra Eunomium, *cùm una Deitas sit, impossibile est propriam notionem Patris vel Filii capere, nisi proprietatum acceptione cogitatio nostra confirmata fit*: Subditur denique, ut distinctam ab alia; *Nec enim*, inquit S. Basilius lib. unico de Spiritu sancto cap. 5. explicans illud Apostoli ad Ephes. 4. *Unus Deus & Pater, &c. In hoc adhibentur notiones, non ut natura diversitatem inducant, sed ut impermixtam Patris ac Filii notionem appareat: Sic eas adhibuit Apostolus.*

Notionis definitio traditur & expenditur.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. ADMITTENDÆ *sunt notiones veluti quidam characteres quibus divinæ Personæ nobis facilius innotescunt*. Hæc est cōmunis inter Theologos nedum, sed & SS. PP. Patet hæc veritas ex 3. Notabili, & probatur insuper maximè ex S. Gregorio Nysseno Epist. 43. *Necessarium est*, inquit, *ut per proprias quasdam notiones inconfusa habeatur in Triade comparatio*: Et infra de Spiritu sancto, *Causa Patris insertam habet essentiam; unde & progreditur, hanc notionem ac cognoscibile signum ejus, qua secundum hypostasim est, proprietatis habet, quo cum Filio simul & ipse se facit internosci*; Et post pauca de Filio dicit, *Nullam prorsus notionum communicationem secundum proprietatem suam tam cum Patre quàm cum Spiritu sancto habet, sed ex dictis jam signis solus agnoscitur*: Tandem de Patre subjungit, *Pater verò, qui super omnia Deus est, peculiarem hypostaseos sua notionem solus habet; quod Pater est & quod ex nulla omnino causa subsistit, atque iste iterum indicio & ipse propriè ac separatim agnoscitur.* Quibus apertè fatetur divinas Personas suis notis & characteribus invicem distinctas agnosci, ubi quamquam notionis vocabulum usurpet in concreto, quod & faciunt plerique Patres; rectiùs tamen in abstracto accipi constat; Siquidem quærentibus quomodo tres divinæ Personæ invicem conveniant & differant, faciliùs & rectiùs respondetur, dicendo, Patrem distingui à Filio per Paternitatem, quàm si utendo nomine concreto *Patris*, diceretur Patrem idcirco differre à Filio quia generat illum; hæc namque circumlocutio est, non verò ratio formalis.

Admittendæ sunt notiones.

Ut disertè indicat S. Gregorius Nyssenus.

Confirmatur ex aliis SS. Patribus qui notiones in abstracto usurpant; Primò quidem ex S. Basilio lib. 2. contra Eunomium dicente; *Proprietates ac nota quasi characteres quidam ac forma in substantia inspecta distinguunt quidem quod commune est appropriatis characteribus*. Consentit Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 2. ubi docet quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus *tres sunt non substantiâ sed formâ, nec potestate, sed specie*: Cujus rationem reddit, *quia unus Deus est quo & gradus isti, & forma, & species in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti deputantur*. Quasi diceret tres divinas Personas invicem distinctas agnosci, non per concreta earum nomina, sed per relationes ac veluti formas earum constitutivas & distinctivas; quas idcirco S. Damascenus lib. 3. de Fide cap. 6. *Proprietates characterìcas signalesque appellat*: Unde cap. 7. ait; *Dei Verbi filiationis characterìcam & discretivam proprietatem secundùm quam discreta est à Patre & Spiritu sancto*.

Et aliis Patres.

Probatur eadem Conclusio ratione: Illud admittendum est in divinis, quod maximè conducit ad faciliùs percipiendam & explicandam divinarum Personarum distinctionem: Sed ad id mirum in modum conferunt notiones divinæ: Ergo sunt admittendæ. *Major* constat, Siquidem usurpanda sunt à Theologis ipsa vocabula, quæ magis conferunt ad explanationem & reserationem tam abstrusi, tamque ineffabilis Mysterii. *Minor* probatur. Duobus modis innotescere potest & exprimi divinarum Personarum proprietas & distinctio, nimirum per nomina concreta & abstracta: Sed convenientiora sunt abstracta vocabula ad significandam non modo simplicitatem, sed etiam distinctionem Personarum quàm concreta, quoniam abstracta concipiuntur ut simplicissimæ formæ, proptereaque sunt magis apta divinæ simplicitati concipiendæ atque significandæ: Unde Nazianzenus oratione 39. *Spiritus sanctus*, inquit, *procedens à Patre, non tamen Filiationis modo, ut nec generationis, verùm processionis: Liceat enim perspicuitatis gratiâ nomina fingere.* Censet ergo abstracta

Sed & ratio confirmat.

nomina perspicuitatem & claritatem conferre distinctioni personarum: Ergo, &c.

Confirmatur. Tres notiones conveniunt Patri, duæ Filio, & unica Spiritui sancto: Patri namque convenit *Innascibilitas, Paternitas, & Spiratio activa*; Filio convenit *Filiatio*, & *Spiratio activa*; sed Spiritui sancto sola *Processio*, sive *Spiratio passiva* congruit: Ergo per proprium uniuscujusque Personæ nomen concretum sufficientet ab alia non intelligitur distingui; adeoque conveniens fuit notiones in abstracto significari per peculiares proprietates uniuscujusque Personæ, quibus faciliùs innotescerent omnes modi per quos ab alia Persona distinguitur. Patet consequentia, Facilè namque per hæc abstracta nomina explicamus Patrem & Filium distingui à Spiritu sancto, non per Paternitatem, & Filiationem, sed per Spirationem activam; quâ tamen invicem inter se conveniunt, sed differunt per Paternitatem, & Filiationem: Ergo, &c.

V. *Objicies* 1. Quæ sunt simplicia, cognoscuntur & distinguuntur seipsis, nec formis, seu notis indigent quibus distincta appareant: Sed Personæ divinæ sunt simplicissimæ: Ergo non indigent notionibus ut distinctè cognoscantur.

Licet enim simplicia formaliter notis & characteribus non egeant, aliter tamen sentiendum de simplicibus realiter.

Distinguo maj. Quæ sunt simplicia tam formaliter quàm realiter notis & characteribus non egent, concedo: Quæ sunt simplicia tantùm realiter, non verò formaliter, nego. *Minorem* similiter distinguo: Personæ divinæ sunt simplicissimæ realiter, hoc est non constituuntur ex partibus realiter distinctis, concedo: Sunt simplicissimæ formaliter, nego: Plures enim complectuntur entitates formaliter invicem distinctas, constant namque divinâ essentiâ, necnon & relationibus, quibus constituuntur in ratione personæ, unde sicut concreta realiter simplicia meliùs cognoscuntur per aliquam formam in abstracto significatam quàm per ipsum nomen concretum; sic etiam divinæ Personæ faciliùs innotescunt per divinas notiones, quàm per nomina concreta Patris, Filii, &c.

Pater Deitatem & relationem, Paternitas verò solam relationem connotat.

Instabis. Nihil significatur nomine *Patris*, quod itidem non significetur nomine *Paternitatis*, tam enim Paternitas denotat generationem quàm nomen *Pater*: Ergo vel neutrum sufficit, vel alterutrum superfluit.

Distinguo antecedens; Idem significatur realiter & diverso modo, concedo: Formaliter & eodem modo, nego. Etenim vocabulum *Pater*, non solùm importat formam Paternitatis, sed insuper Deitatem connotat vel in recto, vel saltem in obliquo; Paternitas autem, neque in recto, neque in obliquo formaliter significat Deitatem, sed in recto dicit proprietatem, atque in obliquo connotat personam Patris cujus est proprietas; Licet autem in Paternitate imbibatur & contineatur realiter Divinitas; hæc tamen inclusio provenit tantùm ex re significata, non verò ex modo significandi vocis.

Conclusio Secunda.

VI. *Rectè assignantur quinque notiones.*

RECTE *solitò numerantur à Theologis quinque notiones, quibus Persona divinæ nobis innotescunt, nimirum Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio Activa & Passiva.*

Probatur: Tot sunt admittendæ notiones, quot sunt modi quibus divinæ Personæ cognosci possunt invicem distinctæ: Sed ille modus A est quintuplex: Ergo: &c. *Major* patet. Notiones enim tantùm admittuntur ad faciliùs detegendam & percipiendam distinctionem Personarum. Probat *minorem* S. Bonaventura in 1. dist. 26. art. unico, quæst. 4. *Ratio distinguendi*, inquit, *accipitur à parte originis; aut igitur positivè, aut privativè; Si privativè, aut privat originem per modum producti, & hoc vel specialiter, vel generaliter: Si specialiter, non dicit nobilitatem: si generaliter, sic dicit nobilitatem, & ideo notio privativa est una sola, scilicet Innascibilitas. Si autem accipiatur à parte originis positivè cùm duplex sit origo, & cuilibet respondeat de necessitate duplex habitudo, & Spiratio activa & passiva & in universo quinque.*

Quia quinque sunt modi, quibus divinæ personæ innotescit. Ut probat sanctus Bonaventura.

B Simili penè modo probat S. Thomas prima parte, quæstione 32. art. 3. Cùm notio pertineat ad ordinem originis, tot debent admitti notiones quot sunt ordines originum: Sed isti sunt quinque: Ergo totidem sunt divinæ notiones. Probatur *minor*, In divinis duæ tantùm sunt processiones ex quibus quælibet importat duplicem ordinem positivum originis, nempe *à quo est alius*, & *qui est ab alio*: Primò namque processio per intellectum importat ordinem ejus à quo est alius, qui ordo vocatur *Paternitas*, & est notio Patris: Similiter importat ordinem ejus qui est ab alio dicitur que *Filiatio*, quæ est notio Filii. Similiter processio per voluntatem etiam hunc duplicem importat ordi- C nem, nempe ejus à quo est alius, qui ordo est *Spiratio activa* per quem producitur Spiritus sanctus, & hæc notio distinguit Patrem, & Filium à Spiritu sancto; & ejus qui est ab alio, & hic ordo dicitur *Spiratio passiva*, quæ est notio Spiritus sancti. Præter autem illos ordines originis positivos, est adhuc alius ad originem spectans negativè, nempe ordo ejus à quo est alius, & qui non est ab alio, & sic est *Innascibilitas*, quæ est alia notio Patris: Præter hos autem quinque non apparet alius modus originis: Ergo sunt tantùm quinque notiones.

Et sanctus Thomas.

VII. *Dices*: Tot & non plures debent esse notio- D nes, quot sunt proprietates constituentes & distinguentes Personas divinas: Notiones enim statuuntur in ordine ad cognitionem Personarum prout in se constituuntur & distinguuntur: Atqui proprietates illæ sunt tantùm quatuor, nempe Paternitas, Filiatio & Spiratio tam activa quàm passiva: Ergo totidem sunt notiones; adeoque cùm Innascibilitas non constituat personam, etiam non potest habere rationem notionis.

Distinguo majorem: Tot debent esse notiones positivæ quot proprietates, concedo: Tot debent esse tam positivæ quàm negativæ, nego. Quatuor enim illæ proprietates possunt funda- E re plures quàm quatuor conceptus positivos, vel negativos; etenim Personæ divinæ cognosci possunt à nobis, vel *positivè* penes habitudinem & oppositionem relativam, quam habent ad seipsas: vel *negativè* penes exclusionem principii externi vel interni: Inde fit quod quamvis Persona Patris sufficienter innotescat positivè distincta ab aliis personis per Paternitatem & Spirationem activam; nihilominus quoniam remaneret dubitandi locus an Pater sit productus ab alio nec-ne; ut intelligatur persona omninò improducta, necessariò opus est tribuatur ipsi Innascibilitas quæ est negatio generationis, & productionis ab alio.

Notiones aliæ sunt positivæ, aliæ negativæ.

Dices 2. Spiratio activa est communis Patri, & Filio: Ergo non est propria notio alicujus divinæ Personæ. Patet antecedens ex dictis, & patebit ampliùs ex dicendis: Consequentia etiam certa fit ex conditionibus ad notiones desiderandis quas assignavimus.

VIII. *Respondeo*: Proprietates esse duplicis rationis: Aliquæ enim sunt singulares & uni soli Personæ convenientes, ut Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva: Alia verò est non singularis, nec tamen omnibus communis, sed tantùm duabus personis propria, nempe Spiratio activa quæ Patri & Filio convenit, non autem Spiritui sancto. Unde fit, ut sub ea ratione quâ non convenit Spiritui sancto, sufficienter eum distinguat à Patre & Filio, cumque sit Patri & Filio propria, etiam dicenda est notio Patris & Filii.

Aliæ uni tantum, aliæ duabus personis cōveniunt.

IX. *Dices* 3. Innascibilitas in Patre, vel sumitur pro materiali, vel pro formali: Si primum, non est quid distinctum à Paternitate; ut sic enim pro formali significat Paternitatem: Si secundum, non potest dici notio, cùm sit pura negatio principii productivi, & consequenter dignitatem non explicet, quæ videtur desiderari ad rationem notionis.

Quomodo ingenitum dicit dignitatem iuxta mentem S. Thomæ & Scoti.

Respondet Divus Thomas Innascibilitatem pro formali dicere negationem, & nihilominus inferre dignitatem: Negatio enim, inquit, dignitatem importat quando affirmatio ipsi opposita dicit imperfectionem; etenim in Rege, v. g. est dignitas quod non sit artifex, mercator: Innascibilitas autem negat processionem ab alio, quæ licèt in Filio & Spiritu sancto non dicat imperfectionem sed perfectionem, tamen in Patre imperfectionem importaret: Significaret enim eum non esse primum principium, fontem, & originem totius Trinitatis.

Resp. Doctor in 1. q. 2. n. 7. *Quod ingenitum sub propria ratione sua ut significat non habere genitorem, est proprietas Patris & sufficienter importat dignitatem; idest, non indignitatem; hoc enim sufficit ad personalem proprietatem quod non sit indignitas, sicut & personalia in divinis non dicuntur esse imperfectiones: Non tamen perfectiones simpliciter, idest, universaliter in quolibet melius ipsum quàm non ipsum.*

Deinde ad mentem sancti Thomæ reponit, *Quod ingenitum in quantum negat habere genitorem, dicit dignitatem personalem prima persona in divinis, quia sicut dignitas est in secunda persona habere principium originans: Ita est dignitas in prima persona non habere, & tamen non oportet quod ista dignitas sit dignitas formaliter alicujus positivi proprii connotati per hoc quod est* ingenitum. *Vnde negatio potest dici esse dignitatis in aliquo pro quanto indignitatis esset, si opposita affirmatio poneretur in eo, sicut dignitas est in Rege non esse ignavum & impudicum.*

X. *Dices* 4. Qua ratione *Innascibilitas* statuitur notio propria Patri, eadem & *Inspirabilitas* tribuenda erit Filio, nec-non & *Ingenerativitas*, seu negatio virtutis generativæ alterius Filii: Similiter Spiritui sancto tribuenda erit *Ingenerabilitas*; nec-non & *Inspirativitas*, seu negatio virtutis spirandi & generandi: nam & Filius potest intelligi generare alium Filium, si enim sit simul Filius & Spirator, quidni simul erit genitus & generans: Spiratus quoque intelligi potest generativus; nam in rebus creatis amor potest applicare intellectum ad concipiendum Verbum, atque ita potest esse principium Verbi, si non elicitivum, saltem imperativum: Ergo ut appareat hæc Filio & Spiritui sancto non convenire, oportet ut eis præfatæ notiones tribuantur, adeoque multò plures quàm quinque possunt esse notiones.

An plures dentur notiones quàm quinque.

Respondet Doctor in 1. dist. 28. q. 1. n. 9. non esse inconveniens quod plures admittantur notiones quàm quinque; sicut enim tempore sancti Ambrosii notio *Innascibilitatis* & *Ingeniti* erat ignota, ab ipso S. Ambrosio & aliis Patribus rejecta: Postea verò à sancto Augustino & aliis Patribus accepta fuit, vel ut addit ipsemet Doctor, *Si à principio fuerunt tantùm notæ tres proprietates notionales, scilicet* Paternitas, Filiatio, & Spiratio, *hoc ex verbo Salvatoris in Evangelio & Ioannis in Canonica sua cap. 1. tamen postea per investigationem innotuerunt aliæ notiones & proprietates quæ prius erant in se; licet non prius notæ; & ita sicut posteriores concesserunt plures notiones quàm priores, non tamen priores eas negaverunt licet non eas dixerint: Ita non videtur inconveniens de posterioribus ad illos Doctores ponere tales notiones, dum tamen possint concludere illas ex dictis priorum.* Censet itaque Doctor reverà admitti posse plures notiones quàm quinque: Attamen ut communiori Theologorum sententiæ morem geramus.

Mens Doctoris Subtilis proponitur.

Respondeo 2. Præfatas notiones vel ad priores reduci, vel ab aliis excludi: Etenim cum Spiratio activa tribuatur Filio, per eam sufficienter intelligitur quod ipse non possit per Spirationem produci, aliàs produceret seipsum. *Adde* quod spiratio activa & passiva relativè opponuntur, adeoque requirunt terminos realiter distinctos, & sic esse nequeunt in eadem Persona: & consequenter ad positionem Spirationis activæ in Filio sufficienter intelligitur ab eo excludi ratio Spirationis passivæ; sicque alia ratione nempe *Inspirabilitate* non eget ad eam exclusionem significandam. Similiter cum, ut supra probatum est, non possint esse plures processiones, pluresque Personæ ejusdem rationis in Deo; nec una Persona procedens per intellectum possit procedere per voluntatem, & vice-versa; Consequens quod cum sit unus Filius in divinis procedens per intellectum, & unus Spiritus sanctus procedens per voluntatem, sufficienter cognoscitur quod non possit alius Filius aut Spiritus sanctus produci: adeoque ad id significandum non est opus notionibus *Inspirativitatis* in Spiritu sancto, aut *Ingenerativitatis* in Filio & Spiritu sancto: Hæc negatio virtutis generativæ aut spirativæ, aliunde sufficienter cognoscitur excludenda.

Inspirabilitas, Ingenerativitas, &c. ad priores notiones reducuntur, vel ab eis excluduntur.

XI. *Dices* 5. Ratio VERBI & IMAGINIS est propria Filio, sicut & ratio *amoris* & *doni* Spiritui sancto: at utraque ratio divinas illas Personas ut distinctas significat: Ergo habet utraque vim notionis, adeoque plures sunt notiones quàm quinque.

Respondeo: Quòd hæc nomina non tam significent proprietates quàm appropriationes, significant enim modum processionis Filii per intellectum, & Spiritus sancti per voluntatem; qui modi procedendi satis superque diversi apparent per origines & relationes divinarum Personarum constitutivas, adeoque ad id exprimendum non est necessaria notionum divinarum ultra quinarium multiplicatio.

Ratio Verbi & imaginis, item ratio amoris & doni non tam significant proprietates quàm appropriationem.

Dialogo de Trinitate cap. 2. *Baptizare jussit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; nimirum quia collegit & præ aliis proposuit nomina distinctissima nobis constituentia uniuscujusque significati propriam existentiam.* Constat pariter ex iis quæ diximus probando divinas Personas constitui per veras relationes originis: At hæ aliæ non sunt quàm Paternitas, Filiatio & Spiratio passiva: Ergo verè ac propriè Deo convenit relatio Paternitatis: Adeoque prima Persona verè dicitur Pater.

2. Quia quod significatur per nomen *Patris* verè ac propriè primæ Personæ competit.

Probatur insuper. Nomen Patris verè ac propriè primæ Personæ congruit, si significatum per hoc nomen ipsi verè ac propriè competat: At ita est: Probatur, quod propriè significatur nomine Patris, est quod Persona cui tribuitur producat aliam per veram generationem quæ sit origo viventis à vivente in similitudinē naturæ: At prima Persona divina secundam ita producit, ut probatum est: Ergo, &c. *Confirmatur* ex eo quod Christus ipsemet profiteatur se in mandatis & commissis habere ut proprium nomen sui principii hominibus notum faceret, sic enim circa vitæ finem Patrem alloquitur Joann. 17. *Manifestavi nomen tuum hominibus, &c.* Videlicet nomen *Patris*, ut intelligunt SS. Patres, Augustinus tract. 106. in Joannem, Chrysostomus Homil. 80. & meritò quidem, priùs namque Christus Joann. 16. dixerat: *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis:* Unde Cyrillus libro 10. Thesauri cap. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quia videlicet verus Pater es, & Filium verum habes*, Joannes etiam ait 1. cap. 5. *Ut simus in vero Filio ejus.*

3. Quia semper generans, semper habet Filium genitum.

Probat 2. S. Athanasius Orat. 2. nomen Patris primariò competere Deo, ab eoque in hominum genus proprietatem ejus transisse; adeoque magis propriè Deo quàm hominibus tribuendum, eò quod nullus hominum simpliciter sit Pater dicendus, quia nullus est qui non sit alterius parentis Filius, nullusque qui Filio adeoque sua Paternitate carere non possit: *Verùm*, inquit, *in Divinitate non sic accidit... nam neque Pater ex Patre est altero..., neque Filius ex fluxione Patris, aut ab genito Patre genitus:* Inde concludit, unde sola in Divinitate *Pater propriè est Pater, & Filius propriè Filius est; in iisque solis hoc consistit, ut & Pater semper Pater sit, & Filius sit semper Filius.* Ipsi concinit Faustinus libro 2. contra Arrianos; *Solus*, inquit, *propriè verus est Pater, qui sine initio & fine Pater est; non enim aliquando cœpit esse quod Pater: sed semper Pater est, semper habens Filium ex se genitum.*

VII. Non negant SS. Patres nomen Patris Deo propriè convenire.

Dices. Sancti Patres negant Patris ac Filii nomen Deo convenire: Ergo nulla Conclusio. Probatur antecedens: Primò quidem ex S. Dionysio qui libro de Theologia mystica cap. 5. circa medium ait; *Deum nec Spiritum esse, ut nos sciamus, nec Filii nec Patris rationem esse, nec aliquid eorum quæ nobis aut cuipiam natura sunt cognita.* Similiter S. Basilius tractatu de vera & pia fide circa medium, ait, *Vocabulum Patris, si cum integra significatione sicut apud nos est in usu, accipiamus in Deo, impiè facimus;* Ergo, &c.

Sed solùm ei non convenire eo modo quo tribuitur Creaturis.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico, Non eam esse laudatorum Patrum sententiam, ut nomen & rationem Patris censeant esse à Deo removendam, sed tantum quod Deo non conveniat eo modo quô Creaturis tribuitur: quod ut pateat evidentiùs ad præfatas authoritates sigillatim respondeo: Sanctum Dionysium eo modo negare Deum esse Patrem, quomodo ibidem antea dixerat eum non esse *Scientiam, nec Veritatem, nec Regnum, nec Sapientiam: neque Unum, neque unitatem, neque Divinitatem, aut Bonitatem*; eô scilicet modô quô hæc concipere solet imbecillis & infirma nostræ mentis tenuitas: Sed hæc sit omnia, modo quodam superexcellenti; quippe cum inquit in fine capitis, *Et omnem affirmationem superet perfecta illa & singularis causa omnium, & omni negatione superior sit præstantia ejus qui & ab omnibus omnino secretus est, & universa multùm superat.*

Ad S. Basilium similiter dico eum non excludere rationem Patris à Deo; siquidem in lib. 5. contra Eunomium affirmat quod verè generat Deus & edit Verbum verè: & lib. 2. dixerat loquens de vocibus, *Generatio, Pater, & Filius*, quod qui *has negligere voces audet, universam Evangelii simul delet virtutem;* itaque vult tantum esse resecandam passionis significationem, quæ in generationibus creatis invenitur; ac retinendam solummodo productionem similis in natura, ubi sermo est de Generatione divina: Unde post verba in objectione laudata subdit, *Quandoquidem unà cum eo necessario simul, & affectio, & defluxio seminis genitivi & ignorantia & infirmitas, & talia quæcumque in ipso nomine* Patris *evulgantur in Creaturis.*

Conclusio Secunda.

VIII. Nomen & ratio Patris longè præstantiùs Deo convenit quàm Creaturis.

Nomen *& ratio Patris longè præstantiùs Deo convenit quàm Creaturis:* Hæc est certissima apud sanctos Patres, eamque variis rationibus confirmant.

1. Paternitas divina est fons & origo cujuscumque Paternitatis creatæ.

Primò quidem quod quæcumque Creaturarum Paternitas à divina Paternitate ducit originem: Unde Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Joannem cap. 8. ita scribit, *Paternitatis nomen non habet Deus ex nobis: sed nos potius ab illo videmur accepisse; fidelis est quippe sermo Pauli clamantis* ad Ephesios 3. *Ex ipso omnis Paternitas in Cœlis, & in terra nominatur.* Ipsi subscribit sanctus Hieronymus in eadem Apostoli verba dicens, *Quomodo Deus essentia sua nomen atque substantia cæteris impertit, ut ipsa quoque dicantur &c. Sic & Paternitatis nomen ex semetipso largitus est omnibus. Sicut ergo solus bonus bonos facit, & solus immortalis immortalitatem tribuit, & solus verus veritatis nomen impertit; ita solus Pater qui Creator est omnium & universorum causa, substantiis præstat cæteris ut Patres esse dicantur.*

2. Pater divinus nullum alium Patrem, nec Filius alterum Filium agnoscit.

Secundò, Excellentiam divinæ Paternitatis supra creatam deducunt ex eo quòd Pater divinus nullum alium Patrem agnoscat, nec Filius alterum Filium gignat; sic S. Athanasius Epist. ad Serapionem, *Ob id*, inquit, *solus & unus Pater solius & unius Filii Pater est, atque in sola Deitate istud Patrem esse ac Filium constituit & semper est: Nam inter homines si quis Pater dicitur, ille alterius Filius fuit: Et si quis hujus Filius, ille vicissim alterius Pater appellatur, adeo ut in hominibus propriè non servetur Patris & Filii appellatio.*

Patri; Deitas enim omnino incapax est realis productionis; quocirca ut ingenitum esse, seu improducibile soli æterno Patri proprium sit, debet *ingeniti* nomen sumi privativè: Non quidem quatenus privatio dicit carentiam alicujus positivi quod possit aut debeat inesse Patri, sed quod *ingenitum* neget productionem quæ non repugnat illi convenire, non quatenus Pater, sed quatenus Persona divina est: Ita quod hæc privatio dicatur similis ei quæ à Philosophis appellatur privatio secundùm genus, non secundùm speciem; qua ratione talpa dicitur privari visu, quia in quantum est animal, non repugnat ei videre, licet repugnet ei ut talpa est: Sic (si ita à vilioribus ad divina explicationis gratiâ argumentari liceat) cùm Pater divinus sit Persona divina, cumque in genere Personarum divinarum non repugnet produci, quia reipsa Filius & Spiritus sanctus producuntur; inde fit quod productio non repugnet Patri ut Persona divina est: sed tantùm quatenus Pater est; adeoque *ingeniti* ratio sumi debet in eo privativè. An autem Hæc ratio ipsi tanquam proprietas Personalis tribuenda sit, aperiet

Conclusio Unica.

IV.

Sicque sumptum est proprietas Patris divini.

NOMEN *& ratio* INGENITI *quatenus omnem productionem privativè excludit, reverà est proprietas Patris divini.* Probatur primò ex Concilio Antiocheno 1. in professione fidei ubi decernitur *esse unum Deum ingenitum sine principio*, ubi nomen *Dei* supponit pro persona Patris juxta morem Scripturæ sacræ. Insuper Nicæni Patres lib. 2. Disputatori hæc credenda, & non scrutanda proponunt, *Unus ingenitus Deus & Pater: unus ex eo genitus, unigenitus Filius Deus Verbum. Sicut non est alter Deus cum Deo & Patre ingenitus; ita neque congenitus, neque prior, neque posterior Filius*: Unde S. Athanasius Epist. ad Serapionem, ut refert sanctus Thomas Opusculo primo contra errores Græcorum cap. 8. ait: *Inprincipiatum esse & ingenitum soli Deo Patri Catholica Ecclesia congregata apud Nicæam fideliter attribuit, & toti mundo, sic esse credendum sub anathemate mandavit.*

Ut Probant Concilia.

SS. Patres.

Id ipsum probant sancti Patres; in primis enim Athanasius in Quæstionibus de natura Dei quæst. 5. ait; *Proprium Patris ingenitum esse, Filii verò genitum, Spiritus sancti procedere*: Hoc ipsum pluries inculcat Nazianzenus, maximè verò Orat. 23. ubi ait, *Patris proprietas hæc est quod ingenitus sit*; Similiter Nyssenus lib. de differentia essentiæ & hypostasis ait; *Eximium insigne notamque solius Patris esse quod à nulla causa subsistit*: Subscribit & Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 2. ubi ait; *Pater solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus; non quidem in Scripturis, sed in consuetudine disputantium*: Idem profitentur cæteri Patres, quotquot de adoranda Trinitate scripserunt.

Nec-non & ratio.

Probatur eadem ipsa veritas ratione Theologica. Pater divinus non tantum id habet proprium & singulare, ut per fœcunditatem generativam sit principium Filii, & per Spirativam unà cum Filio sit principium Spiritus sancti, sed etiam ut inter Personas divinas ipse solus existat sine alio principio à quo realiter producatur, quemadmodum producuntur aliæ duæ Personæ: At hæc improductionis ratio appellatur nomine *ingeniti*: Ergo reverà tanquam proprietas æterno Patri convenit: *Deinde* unica est in divina Trinitate Persona improducta, nimirum Pater: Ergo ratio improducti ipsi soli propria est. Patet antecedens ex dictis in tertia quæstione primæ Disputationis, ubi probavimus impossibile esse plures divinas Personas esse ingenitas, seu improductas.

V.

Ingeniti nomen ab aliquibus SS. Patribus proscriptū, & quibus de causis.

Dices 1. Sancti Patres censuerunt proscribendum esse vocabulum *ingeniti*, eò quod in Scripturis sacris non exprimatur, & hæreticis fallendi ac blasphemandi ansam præbeat: Insuper quod vocabulum *Patris* sufficienter significet quidquid exprimere potest nomen *Ingeniti*: Ergo nomen hoc æterno Patri pro singulari proprietate non est ascribendum. Probatur antecedens, quantum ad omnes partes ex S. Basilio lib. 1. contra Eunomium; *Ego*, inquit, *ingeniti sive innascibilis appellationem quamvis summopere cogitationibus nostris congruat, tamen quoniam nullo loco in Scripturis ipsam invenio, & quoniam primum est elementum blasphemiæ istorum, silentio tradendam meritò dixerim; præsertim cùm Patris vox & id possit quod ingeniti.*

Ab iisdem tamen ritè interpretatum & acceptum est ad dignoscendū Patrem ab aliis Personis.

Respondeo; Equidem vocabulum *ingeniti* ab aliquibus sanctis Patribus his de causis fuisse explosum; nihilominùs ritè interpretatum & acceptum usurpârunt ad significandum discrimen Patris æterni à duabus aliis divinis Personis, ut ipsemet etiam usurpat S. Basilius lib. 2. contra Eunomium, ubi docet *Genitum atque Ingenitum, esse specificas quasdam proprietates Filii & Patris divini*: Nec refert quod verbum istud in divinis litteris non exprimatur, in ipsis enim etiam non legitur vocabulum *Trinitatis*; Nec tamen ideirco deneganda est divina Personarum Trinitas: Unde Sixtus primus Epist. 1. Decretali post medium ait; *Patrem in divinis litteris ingenitum propriè positum, nec legere possunt, neque probare; sed quia id ipsum fides exigit Christiana, absque ulla dubitatione ingenitus creditur*; Cui concinit Fulgentius ad objectionem septimam Arianorum. *Ingenitus*, inquit, *Pater nunquam in Scripturis Canonicis legitur, & tamen secundùm fidei veritatem ingenitus prædicatur.*

VI.

Ingenitum quid significet apud Græcos.

Dices 2. Ingenitum secundùm vocis genuinam significationem idem significat ac increatum: at non solùm Pater, sed etiam Filius & Spiritus sanctus verè sunt increati: Ergo etiam ingeniti.

Respondet ad majorem S. Cyrillus lib. 11. Thesauri cap. unico: *Quod ingenitum unico N Græcè scriptum, non factum, neque creatum significat, & de Deo universaliter prædicatur, idest de singulis personis divinis, gemino autem N. N. scriptum, non natum, nec ex alio esse significat, & Patri accommodatur*; Videlicet ut principium solius Patris: Cui concinit Hugo Eterianus libro 2. contra Græcos cap. 5. *Ingenitum*, inquit, *quoniam per unum N apud Græcos scribitur quantum hoc nomen increatum significat, & non solum divina natura, si sic dicatur, verùm tribus competit Personis, etenim natura pariter cum Personis incaussata est; cum autem per duo N. N. ἀγέννητον scribitur, soli propriè Patri, non Filio, non Spiritui, neque alicui Creaturæ convenit.*

Quæstio Tertia.

An & quomodo Pater dicatur Principium, Causa, Author, *&* Fons *in divinis?*

I. Principii nomen in divinis *Essentialiter Notionaliter* & *Principaliter* accipitur.

NOTANDUM 1. Principii nomen tripliciter in divinis usurpari posse, nimirum *Essentialiter*, *Notionaliter*, *& Principaliter.* Primô modô significat fœcunditatem Divinitatis *ad extra* convenientem tribus Personis, quâ per Omnipotentiam Creaturas omnes producunt: Secundô modô designat ejusdem Divinitatis fœcunditatem *ad intra* quâ Pater Filium, & Pater unà cum Filio, Spiritum sanctum producunt: Tertiô modô significat dignitatem illam, quâ prima in divinis Persona à nulla producta cæteras producit. Principium essentialiter acceptum convenit tribus Personis indivisim, opera enim divinæ Trinitatis ad extra sunt indivisa; quia divinæ illæ Personæ per unicam voluntatem & potentiam Creaturas producunt: Principium notionaliter sumptum, commune est Patri & Filio, siquidem Pater & Filius unicum sunt principium Spiritus sancti: Unde sanctus Augustinus libro contra Maximinum capite 17. *Pater*, inquit, *principium non de principio, Filius principium de principio, sed utrumque simul, non duo, sed unum principium*: Tandem principium principaliter usurpatum soli Patri proprium esse dicitur.

II. Quod discrimē inter *Principium* & *Causam.*

Notandum 2. Quod quamvis Aristoteles 5. Metaph. Textu 1. enumeratis omnibus modis, quibus *Principium* dicitur, affirmet etiam tot modis *causam* dici; quasi vellet idem esse causam quod principium; nihilominus ut notat Asclepius in commentario ad illum locum, id non dicit Philosophus ex rei veritate, neque ex opinione sua, sed ex vulgi sensu. *Nam*, inquit, *amplior est principii significatio quàm causæ: ideo priori loco, & ante causam commemoravit principium; etenim quidquid est causa, idipsum & principium est, non tamen vicissim quidquid est principium, id causa esse debet.* Hoc autem maximè discrimen est inter causam & principium, quod principium sit, *Id ex quo aliud vel alius*, causa verò *quæ influit esse in aliud antea non existens*: Inde causa significat superioritatem & perfectionem majorem in producente quàm in producto; adeoque in effectu dependentiam, contingentiam, & imperfectionem quandam denotat. *Neque enim*, inquit sanctus Dionysius de Divinis nominibus c. 2. *Perfecta est inter effecta, & causas similitudo, sed effecta quidem causarum quas possunt præferunt imagines: causæ autem secretæ sunt ab effectis, suntque principii sui ratione superiores.* Hinc causa propriè sumpta longè à principio discrepat.

III. Quid *Authoris* nomen significet apud Latinos.

Notandum 3. Nomen *Authoris* interdum apud Latinos idem perinde ac principium significare; dixi apud Latinos; nam Græci vel nullum habent quod illi respondeat; vel si quod propriè ad illud accommodârunt, eô minimè in divinis utuntur, ut observat S. Thomas in opusculo cap. 1. quare soli quidem Latini Patres hanc appellationem à Creaturis ad divina transferunt. In qua tamen usurpanda, cautione aliqua opus est; siquidem *Author* interdum dicitur is penes quem in alterum est potestas, seu qui jure, ac dignitate antecedit, sic Ter-

A tullianus lib. de fuga cap. 1. Primores ac Magistros Ecclesiæ, Authores, id est, duces & antesignanos quibus sunt alii inferiores, appellat, *Sed quùm*, inquit, *ipsi Authores; id est, ipsi Diaconi, Presbyteri & Episcopi fugiunt, quomodo Laicus intelligere poterit qua ratione dictum*, FUGITE DE CIVITATE IN CIVITATEM? *Itaque quum duces fugiunt, quis de gregario numero sustinebit ad gradum in acie figendum suadentes*: Itaque nomen Authoris non aliter alicui divinæ Personæ tribuendum est respectu alterius, quàm ad idem, quod principium, significandum.

B

Conclusio Prima.

IV. *Esse principium principaliter* propriè Patri convenit.

PATRI *divino proprium est quod sit principaliter principium, & fons* Divinitatis *communicata duabus divinis Personis productis*: Hæc Conclusio duas partes complectitur, quarum

Probatur prima authoritate sanctorum Patrum, qui divinum Patrem principium esse sine principio prædicant. Sic Gregorius Nazianzenus Orat. 32. *Nomen porro ejus qui principio caret est Pater, principii Filius, ei qui est cum principio Spiritus sanctus.* Sic Phæbadius libro contra Arrianos, *Hic est*, ait de Patre, *principium sine principio:* Sic Cyrillus Alexandrinus
C lib. 2. Thesauri cap. 1. *Alius*, inquit, *est Pater, alius Filius, & alius est principium, alius ex principio*: Sic Augustinus de Trinit. capite 14. *Si gignens*, inquit, *ad id quod gignitur principium est, Pater ad Filium principium est, quia gignit eum*: Unde meritò Magister sententiarum in 1. dist. 29. cap. primo ait, *Pater principium sine principio, Filius principium de principio, Spiritus sanctus principium de utroque.* Cui concinit S. Thomas Opusculo 1. contra errores Græcorum cap. 32. *Necessarium*, inquit, *est credere sanctam Trinitatem, Patrem scilicet sine*
D *principio, Filium verò principium à Patre principio: Spiritum autem sanctum cum principio Filio unum Deum esse.*

V. Sicut & esse fontem totius Divinitatis.

Probatur secunda pars: Primò quidem ex Concilio Toletano 6. cap. 1. *Confitemur*, inquit, *Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius Divinitatis.* Idem repetit Uuormaciense in professione Fidei. Confirmatur Testimonio sanctorum Patrum, maximè Dionysii lib. de Divinis nominibus cap. 2. *A divinis Scriptis accepimus*, inquit, *Patrem quidem esse, ut ita dicam, fontanam Divinitatis; Iesum autem & Spiritum fœcundæ Divinitatis, si ita fas est loqui, gemmæ, seu germina.* Concinit Athanasius contra Gregales Sabellii, ubi de Patre ait, *Solus fons Deitatis*, & circa finem, *Pater radix & fons Filii,*
E *& Spiritus S.* Subscribit & Augustinus quarto de Trinit. cap. 20. ubi ita declarat Ioan. 15. SPIRITUM VERITATIS QUEM EGO MITTAM VOBIS A PATRE, *Videlicet*, inquit, *ostendens quod totius Divinitatis, vel si melius dicitur, Deitatis principium Pater est.* Quam loquendi formulam servauit etiam Eugenius quartus in Litteris unionis dicens, *Pater fons & principium totius Deitatis.*

VI. Quomodo sancti Patres dicunt alias à Patre personas esse sine principio.

Dices 1. Non solus Pater, sed etiam Filius imò & Spiritus sanctus dicuntur esse sine principio: Ergo nomen & ratio principii principaliter æterno Patri non competit. Probatur antecedens ex Zacharia Mitylenæo libro de Mundi opificio, *Pater*, inquit, *expers princi-*

pii, & ingenite: Fili sine principio genite: Spiritus Dei sine principio à Patre procedens: Similiter Athanasius in quæstionibus quæst. 15. asserit, *Esse principio carentes, & principii expertes simul tres Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.* Et Hippolitus martyr homil. de consummatione mundi sic Filium alloquitur, *Tu unà cum Patre cares principio.* Eandem appellationem *Principio carentis*, ipsi tribuit Athanasius ad Liberium.

Respondeo sanctos Patres ita esse intelligendos quod velint divinas Personas esse expertes principii durationis, creationis & affectionis: non autem principii emanationis unius ab alia, ut luculenter explicat sanctus Gregorius Nyssenus lib. 1. contra Eunomium. *Quando*, inquit, *in voce* ἀνάρχου (hoc est principii expertis,) *Nihil intelligitur aliud nisi id quod ex nullo penitus principio habet ut subsistat; hoc ipsum solius esse Patris proprium confitemur. Cùm autem de reliquis principii significationibus inquisitio fit; quoniam & creationis principium est, & temporis, & ordinis; etiam in iis unigenitum Filium omni principio superiorem esse testamur, ut supra omne creationis principium, & temporis motionem, & ordinis consecutionem illum esse credamus, per quem omnia facta sunt; itaque quem ratione subsistentiæ non expertem esse principii putamus, in reliquis omnibus carere principio fatemur: & Patrem quidem principio carentem & ingenitum, Filium verò principio quidem eo quem diximus modo carentem, non tamen ingenitum esse dicimus.* Quibus nihil magis ad rem.

VII. *Dices* 2. Principium est à quo aliquid procedit aut producitur: Sed Deitas non procedit neque producitur à Patre: Ergo nec est illius fons nec principium.

Pater non est fons Deitatis in abstracto, sed in concreto.

Distinguo minorem: Deitas in abstracto & quatenus præscindit à Personis non procedit à Patre, neque Pater est ejus principium, concedo: Deitas in concreto & accepta pro Personis divinis quæ à Patre ducunt originem & producuntur, nego: Unde signanter in conclusione dixi, *Patrem esse principium Divinitatis communicatæ*, hoc est principium ex quo communicatur Divinitas duabus Personis productis. Quod si per Filium etiam communicetur Divinitas Spiritui sancto; non tamen propterea dici potest Filius principium totius Divinitatis communicatæ, prout communicata est per productionem, quoniam non est ratio communicandi divinam naturam sibi ipsi, sed eam accipit à Patre.

Conclusio Secunda.

VIII. Pater reverà dicitur *Causa & Author* Filii, *sed non in propria utriusque nominis significatione.*

Pater dici potest causa Filii.

Probatur prima pars: Authoritate Patrum Græcorum, maximè Basilii lib. 1. contra Eunomium: *Vox ipsa Patris*, inquit, *quid aliud significat nisi hoc quod causa est & principium ejus qui ex ipso genitus est?* Sic etiam Gregorius Nyssenus lib. ad Ablavium, *Eam*, inquit, *quæ circa causam & causatum consideratur differentiam non negamus, per quod solùm discerni alterum ab altero deprehendimus; nimirum ex eo quod credimus aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa.*

Item Chrysostomus in caput 1. Epistolæ ad Hebræos homil. 2. *Si enim*, inquit, *causa Filii Pater est, multò amplius eorum causa est quæ per Filium facta declarantur:* Subscribit etiam Damascenus lib. 1. de Fide cap. 11. *Unus*, inquit, *Pater sine principio, hoc est sine causa; non enim ex aliquo. Unus Filius, & qui Filius est, & non sine principio, hoc est, sine causa, ex Patre enim est.*

Idipsum colligitur ex Patribus Latinis; nam Hilarius lib. 12. de Trinitate, *Ejus qui est*, inquit, *ad id quod est causa Pater est.* Similiter Augustinus lib. 7. de Trinit. ait, *Quæ causa illi est ut sapiens sit, ipsa illi causa est ut sit: Proinde si Sapientia quam genuit causa illi est ut sapiens sit, etiam ut sit ipsa illi causa est.*

Nec-non & Author.

Hoc ipsum probatur de nomine *Authoris*; nam sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 29. affirmat Patrem, *Esse causam & Authorem Divinitatis quæ in Filio & Spiritu sancto consideratur*: Similiter sanctus Athanasius Dialogo 2. contra Anomæum; cum dixisset, *Patrem esse causam & authorem Filii*: Subjungit, *Deus est fons Spiritus sancti, & Author ejusdem, non extrinsecus eum recipiens, sed ex se finens scaturire.*

Idipsum affirmant Patres Latini, maximè Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. ubi sic eum carpit. *Sed habet, inquis, Dei Filius authorem Patrem, si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis authorem, quia ille genuit, genitus est iste, quia iste de illo est, non ille de isto, fateor & concedo: si autem per nomen Authoris minorem vis facere Filium, Patremque majorem, nec ejusdem substantiæ Filium cujus est Pater, detestabor & respuam.* Ipsi concinit sanctus Hilarius 9. de Trinitate, *Cùm enim*, inquit, *innascibilis Deus ad perfectam divinæ beatitudinis Nativitatem unigenito Deo Author sis, authorem nativitatis esse Sacramentum Paternum est.*

Sed non in propria utriusque vocis significatione.

Quod autem hæc *Authoris & Causæ* appellatio omnino sit impropria quatenus Personis divinis producentibus tribuitur, satis liquet tum ex ratione ipsius causæ & Authoris, quæ inferioritatem in producto sonat; tum ea sancto Augustino modò laudato: Unde sanctus Cyrillus libro 2. Dialogorum de Trinitate, ait, *Causam & causatum neque nominare fas est, decet item de Deo potius dicere Patrem, ac genitum Filium:* Quod luculenter explicat Bessarion in Oratione quam habuit in Concilio Florentino *Notandum*, inquit, *quod sancti Doctores Orientales etiam in divinis utantur nomine causæ & causati largo modo: non quidem ut limitationem & dependentiam importat, sed prout productionem, & emanationem à principio ejus quod est à principio significat.* Itaque eatenus Persona divina producens dicitur causa productæ, quatenus solùm est ejus principium.

ARTICULUS SECUNDUS.

De propriis Secundæ divinæ Personæ characteribus.

I. Quemadmodum *Theologi*, inquit sanctus Dionysius 1. de Divinis nominibus, *Multis nominibus appellatam* Deitatem *laudant; velut cum rursus eam inducunt dicentem,* Ego sum qui est, vita, lux, Deus, veritas; *Et cum iidem Theologi omnium causam*

& Authorem multis nominibus ex effectis omnibus laudant, ut bonum, ut pulchrum, ut sapientem, ut diligendum, ut Deum Deorum, ut Dominum Dominorum, ut Sanctum Sanctorum, &c. Sic inquit S. Thomas 1. p. q. 15. art. 2. ad 3. *Ad exprimendas diversas Filii Dei perfectiones, diversa ei attribuuntur nomina: nam ut ostendatur connaturalis Patri, dicitur Filius; ut ostendatur coæternus, dicitur* splendor: *ut ostendatur omnino similis, dicitur* Imago; *ut ostendatur immaterialiter genitus, dicitur* Verbum, *&c.*

Duodecim nomina quæ secundæ Personæ Scriptura tribuit.

Omnia autem nomina quæ Filio Dei Scriptura sacra attribuit, sub duodenario complectitur S. Ambrosius libro 2. de Trinit. vocatur enim Filius Dei, Verbum, Imago, Idea, Principium, Sapientia, Lux, Candor lucis æternæ, Figura Substantiæ, Character, Speculum, Ueritas. *Hi sunt* (inquit ibidem Ambrosius) *pretiosi illi lapides, sardius, jaspis, smaragdus, chrysolitus, & alii, quibus sancti Aaronis, qui Christi figuram gessit, vestimentum intexitur: Hic veri amictus est Sacerdotis, hæc vestis nuptialis, hoc pretiosum rationale....* FILIUS DEI *dicitur quia ex Deo Patre nascitur:* VERBUM, *quia ex ore Altissimi, cum perfecta ejus notitia prodit,* IMAGO, SPLENDOR GLORIÆ, ET SPECULUM, *quia nihil ei deest quominus perfectè Patrem exprimere possit:* VAPOR VIRTUTIS DEI, *quia ejusdem cum Patre naturæ:* CANOOR LUCIS ÆTERNÆ, *quia ei coæternus:* CHARACTER, *quia à Patre: Personali differentia non essentiali perfectione discretus.*

Ex iis autem alia sunt communia, alia propria.

Ex his autem omnibus oomioibus aliqua sunt communia tribus Personis, & Filio solùm appropriata, ut *Lux, Virtus, Idea, &c* Alia veró notionalia & propria, ut *Filius, Verbum, Imago, Character, Figura Substantiæ.* Nomen *Filii* proprium esse secundæ divinæ Personæ satis liquet ex dictis Quæst. 5. primæ Disput. & Quæst. 3. secundæ. Superest itaque expendamus alia nomina *propria & appropriata* tribus io sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

An nomen & ratio Verbi *soli Filio divino conveniat?*

I.

Quinam hæretici circa Dei Verbum erraverint.

NOTANDUM 1. Circa Dei Verbum varios hæreticos ballucinatos fuisse. Primò namque *Valentinus* somniavit Verbum non esse Filium Dei, nec à Deo immediatè processisse, sed conjugio inenarrabilis tamquam Patris, & silentii tamquam Matris partam fuisse mentem,

Valentinus.

quæ cum unigenito Filio peperit veritatem; Deiode post multa sæcula processisse Verbum ex mente simul & veritate, ut refert Irenæus

Paulus Samosatenus.

lib. 1. cap. 1. Secundò *Paulus Samosatenus* asserebat Verbum divinum non esse subsistens, sed prolatitium & transitorium, ut narrat Epiphanius hæresi 65. ait: *Quidam ex discipulis Samosatensis*, inquit Athanasius Orat. 5. contra Arianos, *dividentes Verbum à Filio, dicunt Filium quidem esse Christum, Verbum tamen alium;*

Et Alogii.

Quorum rationem objiciemus & solvemus infra. Tertiò *Alogi*, hoc est sine Verbo, respuebant appellationem Verbi, eo quod inquiebaot Filius Dei nec ore nec meote sit pronuntiatus, quocirca rejiciebant omoia scripta sancti Ioannis quòd in eis Verbi divini fieret mentio, ita August. Hæresi 30. Hoc ipsum asseruisse videntur Arius & Eunomius existimantes omne Verbum esse prolationem vocis, ut narrat S. Athanasius libro de Decretis Nicænæ Syoodi. At magis non consentientes Discipuli quidam Ariani dicebaot Verbum semper fuisse, sed non semper fuisse Filium: Aliqui hominem assumptum à Verbo volebant esse Filium: Cæteri, duo cum Arrio variante sententiam distinguebant Verba; alterum existens in Deo quod est ejus Sapientia ab eadem Persona Patris indistincta: Alium extraneum à Patris substantia, de quo dicebat Arrius locutum fuisse S. Juannem quandu dixit, IN PRINCIPIO ERAT VERBUM. Tandem Michael Servetus anoo 1540. præcedentes jam pridem sepultos errores ab inferis evocans, asseruit Verbum Dei nil aliud esse quàm *dispositionem quâ placitum est ei arcanum voluntatis suæ nobis revelare.* Quos omnes errores ut in inferos unde emerserunt retrudamus

Varia Arianorum deliria.

II.

Cur Filius Verbum appellatur.

Notandum 2. ex S. Augustino libro de Fide & Symbolo cap. 3 Filium Dei *Verbum Patris ideo dictum esse, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus, quum verum loquimur ut noster animus innotescat audienti, & quidquid secretum in corde gerimus per signa hujusmodi ad alterius cognitionem proferatur: Sic illa Sapientia, quam Deus Pater genuit quoniam per ipsam innotescit animus secretissimus Patris, Verbum ejus convenientissimè nominatur.* Inde Richardus Victorinus libro 6. de Trinit. cap. 12. colligit solum Filium esse Verbum, noo ita Spiritum sanctum, *Quia*, inquit, *Verbum nascitur de corde solo, & ipso propalatur proferentis intentio: Iure igitur solius Patris sola genitura Verbum nominatur, per quod ipse qui principalis est Sapientia manifestatur.* Subjicit nihilominus aliam & quidem genuinam rationem cur Filius dicatur Verbum, nempe quod dictione producatur, nam ut ibidem observat, idem est Verbum quod corde concipitur, & quod voce profertur: *Quid enim*, inquit, *est vox, nisi verbi vehiculum, vel si magis placet verbi indumentum? nunquid est alius aliquis homo induens, & alius aliquis cum fuerit exutus:* Unde infert, *Quod si autem haberet aliquis ad locutionem cordis, quemadmodum habet ad locutionem oris, non omnino opus haberet, ut ei exterior locutio fieret.* Ratum itaque ac coostans est Filium Dei rectè Verbum appellari, vel quia Patrem repræsentat & manifestat; vel quia dictione producitur.

III.

In tribus conveniunt Verbum creatum & increatum.

Notandum 3. Quod etsi S. Athanasius Orat. 3. contra Arrianos dixerit, *Non tale esse quærendum Dei Verbum, quale nostrum est, quia non talis est Deus, quales nos sumus:* Nihilominus Verbum increatum & creatum in tribus maximè conveniuot. Primò namque utrumque spirituale est, ac mentis fœtus permanens & non traositorius; nam ut loquitur quisquis est Author libri de cognitione veræ vitæ apud Augustinum tom. 9. *Summus Pater Verbum suum, seipsum cogitando genuit, quod in Patris & Spiritus sancti essentia simul coessentiale subsistit.* Secundò utrumque est immanens intra ipsum dicentem, sic enim Verbum divinum exit à Patre, ut numquam extra ejus sinum exeat: *Processit à Patre*, inquit S. Chrysologus, *sed à Patre penitus non abscessit*: Vel ut ait Tertullianus libro contra Praxeam: *Protulit Deus sermonem quemadmodum radix fruticem, fons fluvium, & Sol radium.... nec tamen frutex à radice, nec flumen à*

fonte, nec radius à sole discernitur, nam ut ait Ioannes, VERBUM ERAT APUD DEUM: Unde Zeno Veronensis serm. 3. de æterna Verbi generat. Filium Dei appellat, *Nobilem cordis Patris inquilinum.* Tertiò utrumque repræsentat & exprimit objectum ad cujus intuitum formatur, *Quamcumque enim rem*, inquit Anselmus in Monol. cap. 31. *Mens, seu per corporis imaginationem, seu per rationem cupit veraciter cogitare, ejus utique similitudinem, quantùm valet in ipsa sua cogitatione conatur exprimere.*

Differunt pariter Verbum creatum & increatũ maximè in tribus. 1. Quia illud est accidens; hoc substantia. 2. Illud est forma constituens intelligentem in actu secundo, unde producitur ex indigentia intelligentis, nempe ut fiat intelligens; hoc verò producitur ex fœcunditate, non autem ex ulla indigentia, quia Pater priùs est essentialiter intelligens quàm Verbum dicat. 3. Illud non est ejusdem naturæ cum dicente; hoc verò est ejusdem omnino naturæ cum Patre à quo dicitur & producitur.

CONCLUSIO UNICA.

IV. RATIO *& appellatio Verbi soli Filio divino propriè convenit.* Hæc est omnium pœne Theologorum contra Durandum in 1. dist. 27. quæst. 2. & dist. 27. quæst. 3. ubi docet *Verbum* propriè sumptum esse prædicatum essentiale & commune tribus Personis.

Filius propriè *Verbi* vocabulo designatur.

Vt edocent SS. Patres.

Probatur primò ex omnibus Scripturæ sacræ textibus quibus Filius *Verbum* signanter appellatur, maximè ex 1. cap. Ioannis, ubi pluries Verbi nomen exprimitur, *Vt hoc nomen*, inquit Cyrillus lib. 7. Thesauri cap. 1. *Quasi proprium Filii elegisse videatur,* IN PRINCIPIO, *inquit,* ERAT VERBUM, & VERBUM ERAT, *&c. Vides quomodo ipsum esse* Filii *secundùm naturam hoc nomen significat:* Et infra, *Frustra miramur Evangelistam, & quasi magnum quid proprium tonasset, tonitrui Filium appellamus, nisi* VERBUM, *quasi proprium, mirabile & inauditum pronunciasset.*

Hanc eandem veritatem suis Testimoniis probant alii Patres in primis verò sanctus Augustinus libro 7. de Trinit. cap. 2. *Pater igitur*, inquit, *& Filius simul una essentia, & una magnitudo, & una veritas, & una sapientia; sed non Pater & Filius simul ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius: sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dicitur: Ita & Verbum ad eum cujus Verbum est refertur, cum dicitur Verbum. Eò quippe Filius, quo Verbum, & Verbum, quò Filius.* Itaque ratio Verbi non est proprietas distincta, sed formaliter eadem cum Filiatione: Vnde concludit, *Quoniam igitur Pater & Filius, simul non utique unus Filius, consequens est ut Pater & Filius simul, non ambo unum Verbum.*

At ratio Verbi quæ est propria Filio distinguitur à Sapientia quæ est tantùm appropriata, unde subdit: *Et propterea non eo Verbum, quò Sapientia quia Verbum non ad se dicitur, sed tantùm relativè ad eum cujus est Verbum; sicut Filius ad Patrem, Sapientia verò eò quò Essentia, & ideo quia una Essentia una Sapientia. Quoniam verò & Verbum Sapientia est, sed non eò Verbum quò Sapientia; Verbum enim relativè, Sapientia verò essentialiter intelligitur id dici accipiamus, cum dicitur Verbum, ac si dicatur nata sapientia ut sit Filius & imago.*

Probatur 3. *ratione Theologica.* Illa appellatio censenda est propria Filio Dei, quâ ordinariè Scriptura sacra utitur ad designandam secundã in Deitate Personam: Sed hæc ad id usurpat nomen *Verbi* ut patet, tum ex dictis, tum ex primæ Ioann. 1. cap. 5. *Tres sunt qui Testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus:* Nam ea dictione *tres*, significatur personarum numerus & distinctio, quapropter oportuit singulis tribuere proprium nomen quô distinguitur quælibet persona ab alia: Ergo sicut nomen *Patris* non est metaphoricum, sed proprium; ita tale debet esse nomen *Verbi.*

Et ratio suadet.

Deinde ratio formalis Verbi consistit in eo quod sit terminus productus per dictionem repræsentans objectum: Sed Filius Dei ut probatum est disp. 2. est terminus productus per dictionem & objectum suum perfectissimè repræsentat: Ergo solus Filius est propriè & reverà Verbum.

Dices 1. Ubi vulgata Joan. 1. exprimit *Verbum*, plures è sanctis Patribus, maximè Cyprianus, Hieronymus, &c. legunt, *Sermonem* & *Rationem*, atqui sermo & ratio non est proprietas Filii divini: Ergo neque Verbum. V.

Respondet sanctus Augustinus lib. 83. quæstionum quæst. 63. *Quod Græcè* λόγος *dicitur, Latinè & rationem & Verbum significat, sed hoc loco Ioannis* 1. *melius* Verbum *interpretamur, ut non significetur solùm ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt operativâ potentiâ.* Ratio autem, etsi nihil per illam fiat, rectè ratio dicitur; quamvis enim Filius ab æterno foret Verbum; etiamsi nihil faciendum esset in tempore, nihilominus illa vis & quidditativa proprietas, ut per Verbum fiant, quæcumque facienda sunt, aptiùs significantur nomine *Verbi*, quàm nomine *Rationis*, aut *Sermonis.*

Filius meliùs dicitur Verbum quàm sermo aut ratio.

Dices 2. Verbum in divinis commune est tribus Personis: Ergo non est proprietas solius Filii. Probatur antecedens: Primò quidem à sancto Irenæo libro 2. cap. 48. *Deus totus*, inquit, *existens mens, & totus existens logos*, id est, *Verbum*: Similiter sanctus Ambrosius libro unico de Filii Divinitate cap. 5. *Sive*, inquit, *lumen de lumine dicas, sive Verbum de Verbo, sive Spiritum de Spiritu, sive Dominum de Domino, quodcumque de eo dixeris, unius tamen essentiæ Patrem & Filium credas.* Insuper sanctus Athanasius, *Adversus eos qui dicunt passus est Deus sermo carne*, ait, *qui dicit Deum logon, essentiam simplicem significat:* Hoc ipsum profitetur sanctus Dionysius lib. de Divinis nominibus cap. 1. ubi nomina Deo convenientia referens inter ea hæc commemorat ut nempe dicatur, *Vitæ largitor Sapientia, Mens, Verbum, &c.* Ergo reverà nomen Verbi censet esse prædicatum non notionale, sed essentiale. VI.

Nec est nomen commune cæteris Personis.

Nego antecedens: Nec enim ea fuit mens SS. Patrum, in primis enim Irenæus ibidem affirmat, *Ex cogitatione & sensu Verbum emitti*; adeoque censet solùm illud esse dicendum Verbum, quod producitur per dictionem sive internam, sive externam; solus autem Filius ut constat, sic producitur, & consequenter solus est Verbum appellandus: Quod si *Totum Deum esse logon* dicat; non aliud vult significare quàm

quod Verbum non est pars Dei, sed est totus Deus insuper.

Ad Ambrosium dico, eum ibi non asserere ex propria mente quod Filius sit *Verbum de Verbo*, quod si quis hæc diceret, non propterea derogaret fidei consubstantialitatis.

Ad Athanasium repono ibi non negare *Sermone*, seu *Verbo* significari Personam, sed negat significari duas naturas in una Persona sicut significantur nomine Christi: Unde subdit, *Qui verò dicit Christum, is duarum conjunctionem naturarum declarat.*

Denique ad sanctum Dionysium dico eum ibi complecti adunatim omnia nomina, sive Personalia, sive Essentialia quæ Deo tribuuntur à Theologis; adeoque nomen *Verbi* cum aliis Personalibus recenset.

VII. *Dices* 3. Nomen *Verbi* metaphoricè tantummodo Deo tribuitur: Ergo non designat peculiarem Filii proprietatem. Probatur antecedens ex Theophilacto ad illud Ioannis 1. *Hoc erat in principio apud Deum*, ubi ait: *Neque ullum aliud proprium nomen quis invenerit dignum Deo; Verbum ipsum substantialiter, & propriè non est nomen Vnigeniti; sed tantùm manifestat absque affectione, natum de Patre Filium, &c.* Similiter Chrysostomus homil. 1. in Ioannem dicit, *Præcipuam causam ob quam Ioannes Filium appellavit* VERBUM, *fuisse, quoniam Patrem nobis annuntiaturus erat;* OMNIA ENIM, *inquit*, QUÆCUMQUE AUDIVI A PATRE NOTA FECI VOBIS.

Respondeo: Præfatos Patres nihil aliud velle, quàm quod nullum à nobis excogitari possit nomen proprium & dignum Deo, & illius verè significativum & expressivum: Unde Chrysostomus paulò superiùs dixerat, *Deum neque dicere, neque intelligere pro ipsius magnitudine quisquam potest: & cum dici nequeat quænam sit Dei substantia, eam nobis ex operibus manifestat*: Unde nomen Verbi Deo tribuitur ad significandum quod procedat ab intellectu divino tanquam terminus expressivus sui objecti; quia nullum nomen aptius à nobis est usitatum ad idipsum exprimendum.

VIII. *Dices* 4. Nomen & ratio Verbi etiam Spiritui sancto convenit: Ergo non est peculiaris Filii divini proprietas. Probatur antecedens ex sancto Basilio lib. 5. contra Eunomium cap. 11. dicens, *Dei quidem Verbum Filius est; Filii autem Verbum Spiritus*, quod probat ex illo ad Hebræos 1. *Portans omnia Verbo virtutis suæ*, addit, *& quoniam Verbum Filii per Deum*, inquit idem Apostolus Ephes. 6. *Gladium Spiritus quod est Verbum Dei*: Ergo, &c.

Nisi quando sumitur figuratè & metaphoricè.

Distinguo antecedens: Tribuitur propriè & ex natura rei, nego: figuratè & metaphoricè, concedo: Metaphora autem consistit in eo quod sicut Verbi proprium est ab aliqua Persona procedere & emitti ad exprimendum ejus sensum & voluntatem; qua ratione Christus se Patris æterni Verbum esse probat dicens, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris*: Ita Spiritus sanctus dici potest Verbum Filii, quia à Filio emittitur, ad ejus sensus & voluntatem fidelibus intimandam, juxta illud Joan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

Spiritus sanctus dicitur interdum Verbū ab effectu quem operatur in Evangelizantibus.

Adde quod etiam dici possit Verbum Filii, ab effectu quem operatur in cordibus Evangelizantium veritates à Christo propalatas; *Non enim*, inquit Christus Apostolos alloquens Matth. 10. *Vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

Ad sanctum Paulum dico: Primò quod Filius divinus, *Portet omnia Verbo virtutis suæ*: Hoc est potentissimo suo imperio omnia conservat eâdem facilitate quâ producit, juxta illud Psalmi 148. *Ipse dixit & facta sunt, &c.* Ita exponit sanctus Chrysostomus homil. 2. Vel quod omnia contineat & servet seipso quod est Verbum omnipotens, quemadmodum Joann. 12. ait, *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum.* Hoc est, Ipse Ego qui sum sermo Patris, ut interpretatur sanctus Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 12.

Ad secundum repono, quod per *Gladium Spiritus*, non intelligendus sit Spiritus sanctus qui sit Verbum Filii; sed gladius Spiritualis qui est ipsa divina doctrina, quâ ubique nos pugnare oportet adversus omnes tum visibiles cum invisibiles salutis adversarios.

IX. *Dices* 5. Verbum divinum distinguitur à Filio Dei: Ergo ratio Verbi non est Filii divini proprietas. Probabant antecedens Samosatenses ex illo Act. 10. *Verbum misit Deus Filiis Israël pacem annuntians per Christum, &c.*

Verbum divinum non distinguitur à Filio Dei.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico: Primò quod Verbum ibi non accipitur pro Persona divina, sed pro nuntio quod extra Deum dicitur & annuntiatur hominibus. Secundò dico quod per hæc possit etiam intelligi divinus Filius quem Deus Pater misit in mundum, Evangelium pacis prædicaturus in assumpta humanitate; nec enim novum est in Scripturis eandem Personam in eadem sententia repeti, non adhibito ejus nomine aut pronomine relativo, ut patet ex illo 1. ad Corinth. 1. *Expectantibus revelationem Iesu Christi, qui & confirmabit vos sine crimine in die adventus Domini nostri Iesu Christi.* Ita respondet sanctus Athanasius Oratione 5. contra Arrianos circa finem.

Dices ultimò: Vnius & ejusdem Personæ non sunt duæ proprietates hypostaticæ, sed unica: sed ratio Verbi distinguitur à Filiatione: Ergo non est Filii divini proprietas.

Eidem Personæ non repugnant duæ proprietates.

Respondeo 1. negando majorem, etenim in Patre & Filio est Spiratio activa formaliter à Paternitate & Filiatione distincta, ex quâ etiam arguitur eorum realis distinctio à Persona Spiritus sancti; adeoque uni & eidem Personæ non repugnant duæ formalitates seu relationes aut proprietates hypostaticæ.

Respondeo 2. rationem Verbi non esse distinctam formaliter à ratione Filii, neque duas esse relationes, sed unicam diversimodè conceptam; ut constat tum ex S. Augustino supra laudato: Tum ex sancto Athanasio Oratione 2. contra Arrianos dicente, *Eo ipso quo Verbum Patris sui est Filius, est Verbum Patris, &c.* Ipsi concinit Nazianzenus Orat. 36. circa finem, *Filius*, inquit, *mihi dici videtur quia essentiâ idem est cum Patre, tum etiam quia ex illo est. Verbum porro, quia ita se habet ad Patrem, ut sermo ad mentem, &c.* Vnde una eademque est ratio Verbi & Filii, sed tantùm diversimodè considerata; adeoque neganda est minor.

QUÆSTIO

QUÆSTIO SECUNDA.

An, & quomodo Verbo divino competat ratio Imaginis?

I. Quid imago?

NOTANDUM 1. Imaginem esse similitudinem alicujus ab ipso procedentem, ita ut ad rationem imaginis duo necessariò concurrant, nimirum *Similitudo*, & *Processio*. Similitudo inquam, vel in specie seu in natura specifica, aut saltem in signo speciei, id est in aliquo specialiter repræsentativo naturæ specificæ, sicut se habet imago picta respectu prototypi; nam ut loquitur S. Aug. de Genesi ad litteram c. 16. *Omnis imago similis est ei cujus imago est.* Secundò ad propriam rationem imaginis requiritur Processio ejus ab eo cujus dicitur imago: *Nam*, inquit sanctus Augustinus, *imago tunc est cum de aliquo exprimitur.* Cujus processionis defectu Pater non est imago Filii licèt ei perfectè similis, neque pictura censetur imago objecti quo velut exemplari non est usus pictor, licèt alioqui pictura sit illi objecto similis; nec denique inter homines, licet duo sint inter se simillimi, si tamen unus ab altero non procedit, non dicitur illius imago. Duo ergo illa ad imaginem necessaria sunt, nempe Similitudo & Processio.

III. Sicut triplex est similitudo, ita & triplex imago.

Notandum 2. Quod quemadmodum triplex potest reperiri similitudo ab alio expressa, scilicet, vel in re artificiali; vel in intentionali, vel in naturali; ita triplex dari potest imago; nimirum *Artificialis* ut statua, vel tabella ad alicujus expressionem formata; *Intentionalis* ut species impressa & expressa ab objecto; & *Naturalis* ut Filius respectu Patris cujus similitudinem specificam refert. Inde sequitur quod tantò perfectior est imago quantò major est similitudo procedentis ab alio: Hinc imago artificialis omnium est imperfectissima, quia tantùm refert similitudinem in qualitate, nempe in D figura illius rei quam imago repræsentat: Imago intentionalis perfectior est, quia importat similitudinem non solùm in signo speciei, sed etiam in ipsa specie seu natura, sub modo essendi, non quidem naturali, sed intelligibili, vel intentionali: At omnium præstantissima est imago naturalis, quia importat similitudinem in specie seu natura sub modo essendi naturali & entitativo.

III. Imago, similitudo, æqualitas invicem distinguuntur.

Notandum 3. Ex sancto Augustino libro 83. quæstionum quæstione 74. quod imago, æqualitas, & similitudo invicem distinguantur, *Quia*, inquit, *ubi imago continuò similitudo, non continuò æqualitas: ubi æqualitas continuò* E *similitudo, non continuò imago: ubi similitudo non continuò imago, nec continuò æqualitas: ut in speculo est imago hominis quia de illo expressa est; est etiam necessariò similitudo, non tamen æqualitas quia multa desunt imagini quæ tamen insunt illi rei de qua expressa est. Ubi æqualitas continuò similitudo, non continuò imago, velut in duobus ovis paribus, quia inest æqualitas, inest similitudo, quæcumque enim adsunt uni, adsunt & alteri, imago tamen non est quia neutrum de altero expressum est. Ubi similitudo non continuò imago, non continuò æqualitas, omne quippe ovum*

A *omni ovo in quantum ovum est simile est, sed ovum perdicis quamvis in quantum ovum est simile est ovo Gallinæ, nec imago tamen ejus est, quia de illo expressum non est, nec æquale quia brevius est & alterius generis animantium.* Ubi ergo in aliquo alium repræsentante non solùm est similitudo, sed etiam perfecta æqualitas repræsentantis ad repræsentatum: tunc pariter in eo ratio imaginis perfectissimè inexistit. Quibus præmissis duo sunt resolvenda. Primum an vera & perfecta ratio imaginis competat Filio. Secundum an ipsi soli quadret. Quæ duo ut simul definiantur, sit

B

CONCLUSIO UNICA.

IV. Ratio imaginis propriè soli Filio tribuitur.

RATIO *imaginis perfectè & propriè soli Filio convenit in divinis.* Patet hujusce conclusionis veritas ex dictis de generatione Filii: Et colligitur insuper ex variis Scripturæ textibus quibus Filius divinus vocatur Imago Patris; sic ad Collossenses 1. *Qui est imago Dei invisibilis*: Ad Hebræos 1. *Qui cum sit Splendor gloriæ & Figura substantiæ ejus*, seu ut vertit sanctus Chrysostomus ibidem homil. 3. *Character substantiæ ejus*, utpote inquit, *Quemadmodum ipse Pater in seipso subsistit, nullius* C *indigus, ita & Filius.*

Ut apertè significant Scriptura sacra.

SS. Patres.

Probatur etiam à sanctis Patribus: in primis namque Athanasius Epistolâ de decretis Nicænæ Synodi, ait, *Quod si eum imaginem nomines, Filium hoc esse eo ipso indicaveris, quid enim est simile Deo nisi sua ipsius progenies?* Subscribit Nazianzenus Oratione 4. de Theologia: *Brevis & compendiosa facilisque Paternæ naturæ declaratio est Filius: omne enim quod genitum est genitorem suum tacita quadam voce definit.* Concinit Nyssenus libro de differentia essentiæ & hypostaseos, *Filii hypostasis*, inquit, *quasi forma ac facies est qua Pater cognoscitur, & Patris hypostasis in forma Filii cognoscitur manente ea quæ in his consideratur proprietate ad discretionem Personarum.*

Et ratio Theologica quia habet duplicē conditionem ad rationem imaginis necessariam.

Probatur insuper ratione Theologica. Soli divino Filio conveniunt duæ præfatæ conditiones ad rationem imaginis desiderandæ, nempe similitudo & processio ab eo cujus similitudinem refert: Ergo solus Filius est imago. Patet antecedens ex iis quæ diximus ad evincendum processionem Verbi esse veram generationem, quia procedit ut simile principio producenti.

Confirmatur insuper ex sanctis Patribus qui ex hac duplici conditione colligunt Filium esse imaginem Patris, sic sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 3. Thesauri cap. 5. *Propter hoc*, inquit, *Filius Verbum, & Imago Dei est, quia ex ipso Patre verè ac propriè genitus est.* Et Athanasius Oratione 4. contra Arrianos, *Licèt*, inquit, *ille solus sit imago vera, & genuinus Patris sui fœtus, nihil inde obstaculi nascitur, quod & nos ad imaginem Dei creati recitemur & quod gloria & imago Dei nuncupati simus; cum id non ex nostra indole fiat sed ob imaginem Dei & veram ejus gloriam in nobis habitantem, quæ quidem ipsa est ratio sive Verbum Dei, quod nostri gratiâ postmodum caro factum est.*

Confirmatur iterum Filium esse veram Facies,

FFff

imaginem Patris, ex aliis nominibus quæ solô modô significandi ab imagine differunt, sed in re significata idem omnino quod imago exprimunt, quorum primum est nomen *facies* quæ interdum usurpatur à Scriptura ad significandum Filium divinum, sic Psalmo 138. *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* nam inquit Nyssenus laudatus: *Filii hypostasis quasi forma ac facies est qua Pater cognoscitur:* Unde antiqui Patriarchæ Verbi divini incarnationem exorantes, dicebant Psalmo 79. *Ostende nobis faciem tuam & salvi erimus.* Cui nomini etiam quadrat appellatio *Vultus.* Unde Cyrillus libro 3. in Joannem capite 29. *Hoc modo*, inquit *illud etiam intelligimus,* SIGNATUM EST SUPER NOS LUMEN VULTUS TUI DOMINE: *Vultum enim Dei Patris Filium appellat, id est, Patris Characterem.*

Species. *Secundum* nomen est *Species*: Unde Christus ipsemet Ioannis 5. *Pater testimonium perhibet de me, neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis, & Verbum ejus non habetis in vobis manens, quia quem misit ille huic vos non creditis:* Quod expendens Athanasius Oratione 4. laudata, ait, *Pulchre sic Verbum conjunxit formæ ut palam faceret se esse Verbum Dei, & Imaginem, Characterem, & speciem sui Patris:* Hinc Danielis capite 3. dicitur quod, *Species quarti erat similis Filio Dei:* Ex quo idem sanctus Athanasius sermone contra omnes hæreses infert Arrianos *Deteriores esse Nabuchodonosore, quia Filium Deo, neque similem, neque consubstantialem esse volunt.*

Sigillum & Character solo modo significandi ab imagine differunt. *Tertiò* appellatur *Sigillum & Character*: Colligiturque ex Verbis Ioannis 6. *Hunc Pater signavit Deus.* Quæ sic ponderat Basilius libro unico de Spiritu sancto capite 6. dicens, *Christus splendor gloriæ hunc Pater signavit Deus, seque totum in eo expressit.* Cui concinit Nazianzenus supra laudatus, ubi docet Filium appellari *Characterem ut purum Patris sigillum minimèque mendax*: Cujus hanc rationem reddit sanctus Ambrosius libro in Proœmio libri 2. de fide: *Imago*, inquit, *& splendor & character dicitur Dei Filius, quia hacincomprehensibilem & investigabilem Paternæ Divinitatem majestatis in Filio, & expressam similitudinem revelarunt.* Alias hujusmodi appellationes legere poteris apud Ruiz disputat. 64. sectione 8.

V. *Dices* 1. Homo dicitur factus ad imaginem & similitudinem divinæ Trinitatis juxta illud Genesis 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* Unde Chrysostomus sermone de Trinitate, *Significans*, inquit, *Scriptura esse unam imaginem S. Trinitatis dicit* ET FECIT DEUS HOMINEM SECUNDÙM IMAGINEM DEI FECIT EUM: Et Hilarius libro 5. de Trinitate, *Ad Patris*, inquit, *& Filii imaginem homo conditur, nomen non discrepat, natura non differt, una enim est imaginis ad quam homo creatus est species*: Et Fulgentius libro de fide ad Petrum, *Vna est*, inquit, *sanctæ Trinitatis Divinitas & imago ad quam factus est homo:* Ergo ratio imaginis non competit Verbo divino Personaliter, sed etiam ipsi Divinitati imò & Trinitati.

Nomen imaginis vel pro exemplari vel pro similitudine producta usurpatur. *Respondeo* nomen *Imaginis* sumi dupliciter, nimirum, vel pro exemplari & prototypo ad cujus similitudinem aliquid formatur, vel pro similitudine producta ad alterius imitationem. Priori modo sumitur nomen imaginis tum à Scriptura, tum à Patribus laudatis in objectione; Divinitas enim est quidem exemplar ad cujus imitationem factus est homo, non autem est imago propriè dicta.

VI. *Dices* 2. Spiritus sanctus reverà etiam appellatur imago: Ergo hæc ratio soli Filio non convenit. Probatur antecedens ex illo ad Romanos 8. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui:* Unde Cyrillus Dialogo de Trinitate libro 7. *Quod autem similitudo vera Filii Spiritus sit*, inquit, *scribentem audiat Beatum Paulum, quia quos prænovit, hos prædefinivit conformes imagini Filii ejus*: Unde Damascenus libro 1. de fide capite 18. ait, *Imago Patris est Filius, & Filii Spiritus sanctus per quem Christus homini inhabitans dat ei, secundùm quod est imaginem*: Ergo, &c. Spiritus sanctus appellatur imago.

Sed impropriè quatenus imago significat quamcumque similitudinem. *Respondeo*: Cum nostro de Bassoli in 1. distinctione 27. quæstione 3. articulo 3. prædictos Patres usurpare impropriè nomen imaginis & ampliasse latitudine tanta, quæ comprehenderet quamcumque similitudinem perfectam in natura Personæ procedentis cum principio à quo procedit; licèt non procedat ab eo tanquam ab exemplati; nec consequenter procedat ut similis ex vi processionis formaliter: Quod idcirco fecerunt, ut evidentiùs probarent Spiritum sanctum esse Patri consubstantialem non minus quàm Filium; quoniam Spiritus sanctus reipsa non est minùs similis & æqualis Patri, nec minùs potest in cognitionem Patris deducere quàm ipse Filius.

Instabis: Spiritus sanctus est infinitè similior Patri & Filio quàm creaturæ Deo: Sed creaturæ spirituales putà homines & Angeli, sunt reverà perfectæ imagines Dei: Ergo multò magis Spiritus sanctus est perfecta Patris & Filii imago.

Creaturæ rationales non sunt perfectæ imagines Dei. *Respondeo primò* negando minorem: Creaturæ enim non sunt imagines Dei nisi valdè imperfectæ, quia non habent eamdē speciē aut numero naturam, nec aliquod perfectum naturæ divinæ signum; quamquam habeant aliquam imperfectam cum ea similitudinem, nimirum secundùm spiritualitatem substantiæ & operationem intellectus & voluntatis.

Magis tamen propriè dicuntur imagines Dei quàm Spiritus sanctus. *Respondeo secundò*: Quod etsi illæ creaturæ, imperfectæ sint imagines Dei, nihilominus ratio imaginis divinæ magis propriè ipsis convenit quàm Spiritui sancto, quia habent illam imperfectam similitudinem cum Deo formaliter ex vi suæ productionis: Siquidem ab eo formantur tanquam artefacta ab artifice; atque ita sicut artifex opus efformat ad similitudinem ideæ quam mente præconcepit; ita Deus Creaturas condidit respiciendo ad seipsum ut ad earum exemplar: At Spiritus sanctus non habet similitudinem cum principio producente formaliter vi suæ processionis; sed solùm identicè & ratione infinitatis; adeoque ratio imaginis non æquè propriè ipsi convenit ac Spiritui sancto.

VII. Non solùm Filius est imago Pa- Ex his collige Filium divinū duobus modis esse Patris imaginem: Primò *Naturalem*, quatenus ab ipso procedit realiter in omnimodam similitudinem naturæ divinæ. Secundò *Intentiona-*

tris naturalis, sed etiam intentionalis.

lem quatenus vi suæ productionis procedit ut A
Verbum & notitia; sicque procedit ut exprimens intentionaliter Patrem: Atque ita ejus imago est, non solùm quatenus est ejusdem naturæ & substantiæ cum illo; sed etiam quatenus est notitia producta ejusdem Patris; quæ postrema imaginis ratio, maximè propria est Filio divino; solus enim procedit ut Verbum, & ut notitia perfectè exprimens suum principium.

Quæstio Tertia.

An & quomodo ratio Sapientiæ *Filio divino conveniat?*

Quæstionis distributio.

TERTIUM nominum genus quibus Dei Filius in Scripturis sacris designatur, est *Sapientia*. Hoc enim vocabulum plerumque supponitur pro Persona Verbi, ut constabit infra. Quapropter tria maximè hic sunt resolvenda. 1. An reverâ Sapientiæ nomen ita conveniat Verbo ut pro ejus Persona supponere possit. 2. Qualiter hæc appellatio Verbo divino quadret, an videlicet propriè vel appropriatè? 3. An Pater divinus sit sapiens eâ sapientiâ quæ est Verbum? Quocirca C

I. Quod discrimen inter Essentialia, Propria, & Appropriata.

Notandum 1. Hoc esse discrimen inter essentialia, propria, & appropriata in divinis, quod *Essentialia* sint illa prædicata vel quidditativa, vel modificativa, vel attributiva communia tribus divinis Personis quales sunt natura divina immensitas, bonitas, &c. *Propria* autem sunt illæ proprietates seu formalitates relativæ quibus unaquæque Persona constituitur & ab alia distinguitur. *Appropriata* verò sunt illa prædicata essentialia & absoluta, reverà quidem communia tribus Personis, nihilominus propter singularem quandam rationem & affinitatem uni potius Personæ, quàm alteri accommodata: Sic ad extinguendam hæresim eorum qui dicerent Patrem divinum esse impotentem ob senectutem, attribuitur ei Omnipotentia, quæ tamen tribus divinis Personis indivisim convenit: Sic pariter quia Verbum divinum procedit per intellectum cujus est nosse & sapere, & quia Spiritus sanctus procedit per voluntatem quæ est sacrarium amoris, bonitatis, & sanctitatis: Idcirco Filio appropriatur notitia, sapientia, &c. Spiritui verò sanctitas, bonitas & amor specialiter attribuitur. D

II. Cur uni Personæ appropriētur aliqua essentialia?

Notandum 2. Conveniens fuisse quod uni Personæ vel alteri specialiter appropriarentur aliqua attributa essentialia & aliquæ operationes ad extra, quamvis hæc essent reverà tribus divinis Personis communia; cujus assertionis veritas colligitur nedum ex Scriptura sacra in qua plures tales appropriationes conspiciuntur, sed etiam ex Sanctis Patribus qui varias appropriatas perfectiones uni potius divinæ Personæ quàm alteri accommodârunt; *Ut per proprietatem vocis aut operis, insinuetur nobis veritas Trinitatis, & non dividat intellectus, quod distinguit auditus*, inquit sanctus Leo serm. 2. de Pentec. cap. 2. *Nunquam enim*, ut subdit, *intelligitur Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur.* Favet etiam ratio, conveniens namque fuit obscuriora & difficiliora manifestari per ea quæ faciliùs percipiuntur: At attributa & operationes Dei ad extra clariùs intelliguntur à nobis quàm proprietates ac distinctiones; siquidem per evidentem demonstrationem ex cognitis Creaturis possumus assurgere ad notitiam divinorum attributorum; non ita ad cognitionem personalium proprietatum; adeoque conveniens fuit uni divinæ Personæ accommodare aliquod speciale attributum naturaliter notum, quò illius ab alia distinctio faciliùs innotesceret. Unde Richardus Victorinus Opusculo de tribus appropriatis cap. 2. loquens de Potentia, Sapientia & Bonitate divina, ait, *In his tribus forma & imago summæ Trinitatis exprimitur, ut invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt* B *intellecta conspiciantur. Quæ igitur sunt in Trinitate illa, tres tribus, similia similibus, propria propriis, &c.*

III. Duo ad perfectam appropriationem desiderantur.

Notandum 3. Ad perfectam appropriationem duo desiderari. *Primum* quod sit cognitio & quædam affinitas attributi cum proprietate Personæ, sicut mox dictum est, quoniam Filius procedit per intellectionem, ei appropriatur Sapientia, ut audito hoc nomine moveantur audientes ad deprehendendum aliquid peculiare in secunda Persona quod non sit commune cæteris, nempe rationem Verbi, Imaginis, &c. *Secundum* quod per appropriatam perfectionem removeatur imperfectio quam rudiores possent in divina Persona suspicari; sic inquit Alensis 1. parte quæst. 67. membro 3. artic. 1. tribuitur Patri Potentia, ne crederetur infirmior ob vetustatem; Filio Sapientia, ne imbecillior ob inventutem; & Spiritui Bonitas, ne crudelis audiretur: Inde fit quod appropriationem S. Thomas appellet, *Viam similitudinis & dissimilitudinis*: Albertus 1. p. quæst. 48. *Accessum & recessum*: Henricus 2. p. art. 72. quæst. 1. *Correspondentiam secundum similitudinem*: Sed omnium optimè hanc utramque appropriationis conditionem colligit Alensis laudatus ex fine, nempe, *Ut instruatur veritas, & occurratur errori.* His ita præmissis tria jam prælibata probare incumbit, itaque sit

Conclusio Prima.

IV. Sapientia interdum supponitur pro nomine Verbi.

REVERÀ *Sapientia tribuitur Filio, & interdum pro ejus nomine supponitur.*

PROBATUR ea Scriptura sacra. Primò quidem, quia plerumque Sapientia appellatur genita: Sed nullum attributum essentiale quatenus tale, potest dici genitum: Ergo tunc sapientiæ nomen supponitur pro Persona Verbi. Minor constat: Quia essentia nec generat nec ge- E neratur. Probatur major; nam Proverb. 8. divina illa Sapientia ait, *Nondum erant Abyssi & ego jam concepta eram*: Et iterum, *Ante omnes colles ego parturiebar*: Et Ecclesiast. 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omne creaturam.* Hinc S. Paulus 1. ad Corinth. 1. Christum Dominum appellat, *Dei virtutem & Dei sapientiam.* Unde sanctus Basilius libro 4. contra Eunomium meritò colligit, quod *Si est Christus Dei virtus & Dei sapientia, hæc autem increata & coæterna sunt Deo, (non enim fuit aliquando sapientiæ aut virtutis expers;) increatus & coæternus est Deo Christus.*

Confirmatur ex sanctis Patribus qui simili modo probant Filium Dei esse æternum, adeoque coævum & consubstantialem Patri: Sic S.

Ambrosius libro de Symbolo cap. 11. Arrianos dicentes: *Erat aliquando tempus, quando non erat; & antequam nasceretur non erat:* ita refellit. *Numquid potuit esse tempus quando Pater sine vita, sine Sapientia, sine Virtute, sine Verbo quod Christus est, fuerit?* Ipsi concinit S. Augustinus Oratione contra hæreses cap. 6. *Vides ergo quia semper erat, de quo tu audes dicere*, non erat. *Aut si dicit Deum aliquando sine Verbo, aut sine ratione fuisse, jam non Filio tantùm, sed & Patri adversarius eris.* Unde libro 7. de Trinit. cap. 1. ait; *Impium est dicere Deum non esse Patrem Sapentiæ suæ:* Hinc Theophilactus in 1. Ioannis: *Impossibile est*, inquit, *Deum esse absque sermone, & sapientia, & virtute: Idcirco quia Verbum, Sapientia, & Virtus Patris existit Filius, credimus ipsum semper esse apud Deum, hoc est, cum Patre.*

Hæc omnia luculenter explicat Eusebius ille quisquis sit Author Homiliæ primæ de Symbolo: *Sicut*, inquit, *esse non potest Sol sine splendore, vel ignis sine calore, vel immortalitas sine æternitate, vel æternitas sine immortalitate, vel virtus sine fortitudine; sicut inquam esse non potest, vel ratio sine sapientia; vel veritas sine justitia; vel bonitas sine misericordia; ita nunquam potuit esse Pater sine Filio: Omnes enim virtutes continentur in Filio.* Quibus omnibus patet, reverà nedum in Scriptura sacra, sed etiam apud SS. Patres Sapientiam supponi pro Filio.

CONCLUSIO SECUNDA.

V. SAPIENTIA *tribuitur Filio divino non propriè, sed appropriatè.* Hæc est communis, & eam probat S. Augustinus libro 7. de Trinit. cap. 1. ubi cum dixisset; *Quia in illa simplicitate non est aliud sapere quàm esse, eadem ibi sapientia est quæ essentia.* Concludit, *Pater igitur & Filius simul una essentia, & una magnitudo, & una veritas, & una sapientia; sed non Pater & Filius simul ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius;* Cujus rationem ibidem reddit quod Filius Imago & Verbum non ad se, sed ad Patrem ac relativè dicitur. Exinde infert quod Filius non eo sit Verbum quo Sapientia, quia Sapientia eo est quo essentia. *Propterea*, inquit, *non eò Verbum quò Sapientia, quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relativè ad eum cujus est Verbum, sicut Filius ad Patrem; Sapientia verò quo essentia: & ideo quia una Essentia, una Sapientia.* Quibus apertè constat quod Sapientia sit attributum essentiale, adeoque tribus Personis divinis commune, non autem soli Filio proprium.

Sed ut plurimum tribuitur ipsi tantùm appropriatè.

Hinc S. Augstinus ibidem infert quod quando Sapientiæ nomen supponitur pro Persona Filii, non Sapientia simpliciter dici debet, sed Sapientia nata seu genita, *Quoniam verò*, inquit, *& Verbum Sapientia est, sed non eo Verbum quo Sapientia: Verbum enim relativè, Sapientia verò essentialiter intelligitur: Id dici accipiamus cùm dicitur Verbum, ac si dicatur nata Sapientia, ut sit Filius & Imago: Et hæc duo cum dicuntur, idest nata Sapientia in uno eorum eo quod nata est & Verbum & Imago & Filius intelligitur, & in his omnibus nominibus non intelligatur essentia, quia relativè dicuntur.*

Ex his apertè constat Sapientiæ nomen non simpliciter esse Filio proprium, sed tantùm cum addito, nempe cum dicitur nata, vel genita Sapientia; Hæc enim ratione soli Filio non solùm appropriatè, sed etiam propriè congruit, nec aliud quod nomen Verbi & Filii exprimit.

CONCLUSIO TERTIA.

VI. PATER *divinus non est Sapiens Sapientia genita:* Hæc est communis & eam sic probat Doctor in 1. dist. 32. q. 2. n. 9. Si Pater divinus esset Sapiens sapientiâ genitâ, *vel* Sapientia genita esset forma quâ Pater fieret formaliter Sapiens, sicut Paternitate est Pater; *vel* Sapientia genita esset principium Sapientiæ quæ est in Patre, quo sensu Magister sententiarum concedit Filium esse Sapientem Sapientia ingenita principiativè, nimirum quia Sapientia ingenita Patris est principium Sapientiæ genitæ quæ est Filius: *vel* denique sensus esset quod Filius esset principium subauthoritativum respectu actus Sapiendi qui est in Patre, sicut Verbum est principium subauthoritativum respectu actus creandi, Pater enim dicitur creare Verbo: at neutrum horum licitè & verè dici potest.

Pater divinus non est Sapiens Sapientia genita.

Non quidem primum nec secundum, aliàs Pater divinus reciperet Sapientiam à Filio, quod est absurdum: *Si enim*, inquit S. Augustinus libro 15. de Trinit. cap. 7. *solus sibi Filius intelligit, ut intelligentia sit & sibi, & Patri & Spiritui sancto, ad illam reditur absurditatem, ut Pater non sit sapiens de seipso, sed de Filio, nec Sapientia Sapientiam genuerit, sed ea Sapientia Pater dicatur Sapiens esse quam genuit. . . . Etsi hoc est Deo esse quod sapere, & ea illi essentia est quæ Sapientia, non Filius à Patre, quod verum est; sed à Filio potius habet Pater essentiam quod absurdissimum atque falsissimum est.*

Quia Verbum nec est forma quâ Pater fieret formaliter Sapiens, nec est principium Sapientiæ Patris.

Nec etiam tertium, quia principium subauthoritativum habet veram actionem respectu cujus dicitur tale principium; Filius enim, v. g. verè influit in Creaturas quas per eum & cum eo Pater producit: sed Sapientia genita nullum habet influxum respectu actus sapiendi in Patre. Unde concludit S. Augustinus ibidem; *Est ergo Deus Pater sapiens ea quâ ipsa sua est Sapientia, & Filius Sapientia Patris de Sapientia, quod est Pater de quo genitus est Filius.* Unde meritò revocavit libro primò retractationum cap. 26. quod docuerat in libro 83. quæstionum quæst. 23. *Deum dici Sapientem quod ipse eam genuerit, quâ Sapiens dicitur, Sapientiam.* Quam utique sententiam retractavit & ibidem asserit se accuratius in libris de Trinit. illam expendisse.

Nec denique est principium subauthoritativum respectu actus Sapiendi qui est in Patre

VII. *Dices* 1. Pater divinus dicit Verbo, secundum S. Augustinum 7. de Trinit. cap. 1. sed ex S. Anselmo in Monologio cap. 63. *Nihil aliud est summo Spiritus dicere, quàm quasi cogitando intueri:* Ergo Pater intuetur Verbo, adeoque etiam sapit Verbo.

Pater quidem dicit Verbô.

Distinguit minorem Doctor num. 10. Si dicere accipiatur essentialiter quatenus idem significat ac intelligere uti accipit sanctus Anselmus, concedit; Si usurpetur notionaliter & quatenus idem importat ac producere Verbum: Negat minorem similiter & consequentiam, ut sic enim dictio ab intellectione essentiali distinguitur. Itaque eatenus tantùm Pater dicit Verbo, quatenus nempe est principium Verbi quod ex sua ratione est formaliter declarativum & expressivum omnis declarabilis & manifestabi-

Sed dicere ibi accipitur essentialiter non notionaliter.

lis; Sicque Pater tantum est causa activa, non verò formalis illius repræsentationis & expressionis: Non secus ac si Petrus efficeret speculum in qnn omnes species & rerum Imagines exciperentur; Speculnm istud esset quidem causa formalis istius repræsentationis, Petrus verò tantùm causa effectiva. Hinc est qnod quamvis Pater hoc modo dicat Verbo; non tamen dici potest sapere Verbn, quia sapere accipitur essentialiter, non verò notionaliter.

Dices 2. Fatetur Doctor ibidem quæst. 1. n. 7. quod Pater divinus rectè dicatur diligere se Spiritu sanctn. Ergo à pari etiam non incon-

VIII. grnè dicitur qnod sit Sapiens Sapientia genita. Probatur sequela. Ideo Pater dicitur diligere se Spiritu sancto, quia prndncit Spiritum sanctum qui est amor Patris per appropriationem: sed etiam producit Verbum quod appropriatè dicitur Sapientia Patris: Ergo, &c.

Nec refert quod Pater & Filius diligant se Spiritu sancto.

Nego sequelam, & ad ejus probatinnem dico hoc esse discrimen inter *diligere* & *sapere* in divinis, qnnd *diligere* potest accipi notionaliter, quatenns significat productionem Spiritus sancti qui dicitur amor productus, qua ratione diligere nihil aliud est quàm spirare amorem productum: *Sapere* autem non ordinatur ad significandam prnductionem Sapientiæ, sed tantùm attingentiam & perceptionem objecti, quò fit ut tantùm accipiatur essentialiter pro tota intellectione, non autem notionaliter, pro dictione productiva Verbi divini; adeoque inter utrumque non est paritas.

Magnum enim est discrimen inter diligere & sapere in divinis.

ARTICULUS TERTIUS.

De Persona Spiritus sancti.

TERTIAM in divina Trinitate Personam *Spiritum sanctum* peculiari vocabulo nnminari omnibus Fidelibus ultrò compertum est; *Licet*

I. *enim*, inquit S. Ambrosius in Symbnlo cap. 1. *Pater sit Spiritus, & Filius sit Spiritus, & Pater sit Sanctus, & Filius sit sanctus; sola tamen tertia Persona Spiritus sanctus nuncupatur.* Cujus appellationis proprietatem colligit S. Hieronymus in 4. cap. ad Galatas ex Psalmn 50. ubi. Psaltes Regius tres divinas Persnnas Spiritus nominans, tribus eas peculiaribus titulis designat; etenim inquit ille S. Doctor. PRINCIPALEM *Spiritum Patrem appellat, quia Filius ex Patre & non ex Filio, Spiritum autem* RECTUM, *veritatis atque justitiæ Christum Dominnm significat, quia Pater omne judicium dedit Filio, ut David ait;* DEUS JUDICIUM TUUM REGI DA. *Porro Spiritum* SANCTUM *aperto nomine vocat.* At hanc appellationem tertiæ divinæ Personæ propriam clariùs edicit novum Testamentum, in quo quoties de divinis Personis expressa fit mentio, toties tertia Spiritus sanctus appellatur: sic Mathæi nltimo, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* 1. Joannis 5. *Tres sunt qui testimoninm dant in Cœlo Pater, Verbum & Spiritus sanctus:* Unde S. Chrysostomus Homilia 3. de Spiritu sancto, ait, *Dicitur Spiritus; ista enim est prima & propria appellatio; & ut evidentiorem habens intelligentiam Spiritus sancti naturam demonstrat.*

Cur tertia Trinitatis Persona Spiritus sanctus nuncupetur.

Porrò hanc appellatinnem *Spiritus* potius à respiratinne seu halitu spirativo, quàm à spiri-

A tualitate & immaterialitate deductam volunt Theologi: & quidem congruè ob singularem analogiam & similitudinem quam habet illius processio cum halitus & vitalis Spiritus emissione, sicut enim (ut omittam cætera) ipse halitus ex corde & ore ducit originem, ita inquit S. Cyrillus lib. 13. Thesauri cap. 3. Spiritus sanctus *ex ipsa Dei substantia prodit, sicut & Spiritus qui ex humano prodit ore:* Id apertè docet Iob dicens cap. 33. *Spiritus Domini fecit me, & spiraculum Omnipotentis vivificabit me.* Idcirco Christus Dnminus Joann. 20. *Insufflavit in Discipulos & dixit, accipite Spiritum sanctum:* Quod ita ponderat idem Cyrillus lib. 9. cap. 44.

Spiritus etymon traditur & expenditur.

B *Propterea corporaliter Christus sufflavit; ostendens hoc signo, quod quemadmodum ab ore humano corporaliter humanus Spiritus procedit; sic ex divina substantia, Deitati congruenter, Spiritus qui ab ea est, profunditur.* Hæc autem deductio & appropriatin nominis *Spiritus* etsi prnpria sit; non ideo tamen omnimodâ, sed valde imperfectâ analogiâ cum halitu convenit; etenim ut doctè observat S. Basilius libro unico de Spiritu sancto cap. 16. *Nec Verbum est significativus aëris ictus, per vocis instrumenta prolatus; nec Spiritus oris halitus è partibus respiratoriis efflatus; sed Spiritus oris Dei Spiritus est veritatis, qui à Patre procedit.* De qun tria maximè hîc super-

C sunt resolvenda: 1. An à Patre & Filin reverà procedat: 2. An si ex hypothesi quod à Filin non procederet ab eo realiter distingueretur. 3. Quæ sint ejus proprietates & peculiares dotes.

Articuli distributio.

QUÆSTIN PRIMA.

An reverà Spiritus sanctus à Patre Filioque procedat?

II.

D SPIRITUM sanctum à Patre procedere in confesso habent quicumque ejus Divinitatem fatentur: Eunomius enim qui asserebat eum à soln Filio originem ducere, non Deum, sed facturam Verbi, sicut & Verbum ipsum facturam Patris esse somniabat, ut refert & refellit S. Basilius lib. 2. contra Eunomium dicentem, *Si è creaturis subvehatur aliquis ad substantiæ comprehensionem, intelligit Filium Ingeniti* (idest Patris) *esse facturam; Unigeniti vero Paracletum.* At celebris adhuc remanet controversia Græcns inter & Latinos de prneessione ipsius Spiritus sancti à Filio, quæ contentio ut solvatur evidentiùs, primùm ejus origo est detegenda.

E Itaque

Notandum 1. Nondum exploratum esse quisnam primus asseruerit Spiritum sanctum à soln Patre procedere uti deviantes Græci cnntendnnt. Nam qnod existiment aliqui primum hujus erroris assertorem fuisse Macedoninm Spiritus sancti Divinitatis impugnatorem, vix habet speciem veritatis, neque huic assertioni quidquam suffragatur illa Epistola Iustiniani Episcnpi Siciliæ ad Petrum Episcopum Antiochenum quæ habetur in quinto Concilio Generali, in qua legitur *Macedonius spirat à Patre solo Spiritum sanctum*, quidam enim viri doctissimi pro verbo *spirat*, legendum putant *separat*; idque valdè cnngruit hæresi & sententiæ Macedonii, qui cum Spiritus sancti Divinitatem ne-

Quis Spiritum sanctũ à solo Patre procedere primus asseruerit nondum compertum est.

garet, negabat pariter ejus cum Patre consubstantialitatem; adeoque illum à Patre divellebat & separabat.

Tamen communis sententia hujus erroris authorem facit Theodoretum.

Nihilominus communiori Historicorum Ecclesiasticorum calculo hujus erroris primus Assertor creditur Theodoretus dum adhuc Nestorianus esset, is enim scribens pro Nestorianis adversus Anathematismos Cyrilli Alexandrini, quibus damnabantur errores Nestorii; Et impugnans nonum anathematismum quo Cyrillus dixerat, *Spiritum sanctum Proprium esse Filii*, sic reponit Theodoretus: *Proprium Spiritum Filii, siquidem ut ejusdem natura à Patre procedentem dixit* Cyrillus, *simul & nos confitemur; si verò tanquam ex Filio vel per Filium suam habere existentiam & essentiam dicit, id esse blasphemum & impium dicimus.* Quam utique futilem ac interpositam erroneam sententiam Theodoreti in responsione sua consultò omisit Cyrillus, ut intentatam disputationem prosequeretur, ostendendo nempe Spiritum sanctum esse Filio proprium, hoc est, non adventitium & ex accidente illi inditum, cujus contrarium cum Nestorianis docebat Theodoretus, qua de causa à Concilio Ephesino fuit anathematisatus: Verùm paulò post resipiscens ejurata priori sententia summo omnium applausu Catholicus exceptus & proclamatus fuit in Concilio Chalcedunensi. Quocirca hîc error de processione Filii à solo Patre, hoc ipso tempore videtur fuisse expunctus & sopitus.

II.

Qui error rursus innovatus est circa annum 766.

Notandum 2. Hunc errorem rursus innovatum fuisse circa annum 766. nam circa hoc tempus Annales nostri referunt celebratum fuisse Concilium *Gentiliacense* juxta Parisios, in quo præter quæstionem de cultu sacris imaginibus exhibendo, etiam hæc agitata fuit, *Utrum Spiritus sanctus sicut procedit à Patre, ita procedat à Filio*; ut tradit Ado Viennensis in Chronico: Cujus convocandæ Synodi causa hæc fuit nempe quòd cùm Imperator *Constantinus Copronymus* Iconoclasta legatos misisset ad *Pipinum* Regem Galliæ pro ipsius confœderatione impetranda, contigit quod dum Galli Græcos arguerent ob suarum imaginum despectum; Græci è contra Gallis & Ecclesiæ Latinæ exprobrabant, quod ad Symbolum vocem *Filioque* adjecissent. quocirca ne hæc impietatis seminatæ zizania longiùs serperent, Concilium utrumque statuit, & sacras imagines colendas, & verè Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere.

A Ioanne Monacho ut suspicatur Ioannes Pytheus.

Verùm non ita extirpari potuerunt hæc erroris semina quin brevi regerminarent: Etenim ipsemet Ado refert sub annum 809. celebratam fuisse Synodum *Aquisgrani* ex mandato Caroli Magni in qua actum est, *De processione Spiritus sancti à Patre & Filio. Quam quæstionem Ioannes quidam Monachus Ierosolymis primò concitavit, cujus definiendæ causa Bernharicus Episcopus Vuormaciensis, atque Iesse Episcopus Ambianensis, & Adelhardus Abbas Monasterii Corbeia Romam ad Leonem Papam missi sunt, &c.* Ut referunt Annales Francorum ad annum 809. hunc porro Ioannem illius erroris innovatorem Joannes Pithœus suspicatur fuisse *Damascenum* illum sanctissimum & eruditissimum monachum, qui Ierosolymis degerat circa annum 730. Nec abs re, is quippe Spiritum sanctum non procedere à Filio videtur pronuntiare libro 1. de fide cap. 11. ubi cum pluries dixisset eum à Patre procedere, circa finem capitis addit, *Ex Filio autem Spiritum sanctum non dicimus, sed Spiritum Filii nominamus*: At quàm facilè excusari possit Damascenus infra patebit. Advertendum nihilominus obiter in Synodo Aquisgranensi, non tam de processione ipsa à Filio videri actum fuisse, quàm de additione illa quatuor Syllabarum *Filioque* ad Symbolum. Ut colligitur ex collatione Leonis Papæ cum Legatis hujus Synodi, ut infra dicemus.

III.

Tandem authore Photio in hæresim erupit.

Notandum 3. Hunc tandem errorem apertam in hæresim erupisse authore Photio, qui ejecto sancto Ignatio Constantinopolitano Patriarcha, in ejus sedem & locum intrusus anno 858. qui hac de causa à Nicolao I. summo Pontifice damnatus, exinde furens in Romanam Ecclesiam varias in eam calumnias commentus est, ac multa illi capita hæresum objecit, maximè quod Latini Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere assererent. *Hoc enim est*, inquit Hugo Ætherianus lib. 2. contra Græcos capite 15. *qui post Theodoretum in aquorea puteum fodiens arena, non semina, sed venena sepeliendo diri valdè languoris fidei Christianorum causa factus est.* Ex tunc enim omnes pœne Græci in eam erroneam opinionem conspirarunt, eamque velut publicam tesseram habuerunt quâ inconsutilem Christi tunicam scinderent nefario nedum Schismate, sed & variis Hæresibus ab Ecclesia Latina Catholicæ veritatis firmissima columna recedendo. Exinde pluries tentatum est eos ad fidem & unitatem Ecclesiæ revocare: *At* inquit Cardinalis Osius lib. de Communione sub utraque specie, *Toties doctrinis variis & peregrinis abducti sunt à fide, ut decies & quater ad Ecclesiæ gremium redierint, & toties se abdicaverint.* Quocirca enitendum est quæstionem hanc exactissimè discutere, ut quàm vecors, quàmque tetra Græcorum insania sit, clariùs innotescat. Idcirco sit

CONCLUSIO UNICA.

IV.

Spiritus sanctus à Patre Filioque procedit.

Reverà *Spiritus sanctus à Patre Filioque procedit*. Hæc est de fide determinata in variis Conciliis, & propugnata à sanctis Patribus utriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis infra proferendis.

Colligitur & Probatur 1. ex Scriptura sacra.

Ut non obscurè evincitur.

1. Ex Scriptura sacra

Primò quidem ex Ioann. cap. 16. vers. 14. ubi Christus promittens Apostolis se missurum Paracletum Spiritum veritatis qui eos doceret omnem veritatem, ait, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.* Quem textum sic ponderat sanctus Ignatius Epistolâ ad Ephesios ubi refert Filium ad Patrem dixisse, *Ego te clarificavi super terram, opus perfeci quod dedisti mihi ut facerem: de Spiritu sancto ait, ille me clarificabit super terram, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis: Ergo uterque eorum ipsum glorificat à quo & accipit quod faceret.* Quibus Verbis infert Ignatius quod sicut Filius Patrem glorificavit, quia recipit à Patre ab eo procedendo; ita Spiritus sanctus Filium glorificat, quia accipit ab eo procedendo; nam Verbum *accipiet*, non aliud quàm processionem significat, quoniam in Evangelio numquam dicitur unam Personam divinam dare alteri, & hanc ab illa accipere, nisi hæc ab illa procedat: quocirca nusquam legimus quod

Pater divinus accipiat aliquid à Filio aut Spirito sancto, nec Filium à Spiritu sancto, quia nec Filius à Spiritu sancto, oec Pater ab eo & Filio procedit. Quod elatè probat S. Epiphanius in Ancorato, ubi cum initio dixisset *Spiritus sanctus in medio Patris & Filii ex Patre & Filio*, circa medium ait, *Si verò Christus ex Patre creditur Deus ex Deo & Spiritus ex Christo, aut ab utrisque, sicut Christus dicit* QUI A PATRE PROCEDIT, ET HIC DE MEO ACCIPIAT, *&c.*

Confirmatur ex verbis sequentibus versu 15. *Omnia quæ Pater habet mea sunt, propterea dixi quia de meo accipiet*: Ergo Filius habet à Patre non solum essentiam, sed virtutem spirandi seu fœcunditatem producendi Spiritum sanctum; Omnes enim perfectiones substantiales Patris sunt ipsi Filio communes hoc uno excepto quod Filius oon est Pater. Insuper ideo Christus dicit quod ab eo Spiritus sanctus accipiet, quia ipse habet omnia quæ Pater; particula enim *propterea*, causam refert cur dixerit DE MEO ACCIPIET, nempe quia, *Omnia quæ habet &c.* Unde S. Augustinus *A quo habet Filius ut sit Deus, ab illo habet utique ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus.* Et libro 3. contra Maximinum cap. 14. *Qui talem Filium genuit, gignendo dedit ut etiam de ipso procederet Spiritus sanctus.* Quæ omnia luculenter explicat Eugenius IV. In Litteris vnionis, *Quoniam*, inquit, *omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit præter esse Patrem; hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus est.*

His autem subscribit ipsemet sanctus Damascenus quem pro suo tuendo errore Græci nobis objiciunt, nam libro 1. de Fide cap. 9. ait; *Omnia quæ habet Pater Filii sunt, hoc uno excepto quod ingenitus non est.* Et cap. 11. *Vnum denique omnino sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, nisi quod Pater genitus non est, Filius genitus est, & Spiritus sanctus processit.* At si Spiritus sanctus non procederet à Filio, nec hic illum spiraret, non sola generatione, sed etiam spirandi virtute à Patre distingueretur: Ergo cum sanctus Damascenus affirmet Patrem & Filium omnia habere communia præter Paternitatem & Filiationem, hauddubiè sentit eos habere vim spirandi communem, adeoque Spiritum sanctum ab utroque procedere.

Secundò, Probatur ex iis Scripturæ sacræ textibus, quibus Filius divinus spondet Apostolis se missurum eis Spiritum sanctum: Sic eodem cap. 16. v. 7. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero mittam eum ad vos.* Et priùs cap. 15. dixerat, *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre:* At missio unius Personæ ab alia intelligi nequit, nisi substantialiter ab illa procedat, à qua mittitur, maximè quando Personæ sunt ejosdem naturæ & substantiæ, sicut ipsimet Græci de Filio & Spiritu sancto affirmant: Ergo reverà Spiritus sanctus à Filio procedit, siquidem ab eo mittitur. Unde Gregorius magnus Homilia 26. in Evangelia; *Spiritus* ait, *sancti Missio est ipsa Processio, quia de Patre procedit & Filio*: Cui coocinit Athanasius Epistola ad Serapionem, ubi ait; *Filius in nomine Patris venit, Spiritum verò sanctum quem mittet Pater in nomine meo: quum istiusmodi ordinem & naturam habeat Spiritus ad Filium qualem Filius habet ad Patrem, &c.* Quasi diceret quia Filius à Patre procedit, etiam à Patre mittitur, ita etiam Spiritus sanctus mittitur à Filio, quia ab illo procedit.

Reponunt Græci quod Filius ipse mittatur à Spiritu sancto à quo tameo non procedit: Ergo ex eo quod Spiritus sanctus mittatur à Filio, non sequitur quod ab eo procedat. Probatur antecedens ex illo Isaiæ 48. *Et nunc Dominus misit me Spiritus ejus.* Et Lucæ 4. *Spiritus Domini super me propter quod unxit me, & evangelizare pauperibus misit me.* Verùm

Respondeo Christum Dominum equidem mitti à Spiritu sancto, in quantum est, ratione humanitatis assumptæ, inferior Spiritu sancto, adeoque ab eo mitti potest missiooe authoritativa; cujus quidem missionis denominatio per communicationem idiomatum licet tribui possit Verbo; reverà tamen Christus immediatè & præcisè non mittitur à Spiritu sancto quatenus est Verbum increatum; adeoque ex hoc nihil contra præsentem assertionem evincitur.

Tertiò, probatur ex illis omnibus textibus quibus Spiritus sanctus dicitur *Spiritus Christi & Filii*; Sic ad Romanos 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et ad Galatas 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra:* Sed nulla ratione posset dici Spiritus Filii, oisi ad Filium referretur; oec ad eum referri nisi ab eo procederet: Si enim aut naturæ identitas & potentiæ, aut alia causa sufficeret ut diceretur Spiritus Filii, posset eadem ratione dici Filius Spiritus sancti. *Confirmatur:* Nam sicut Filius quidditativè respicit Patrem generantem, sic etiam Spiritus respicit spirantem; unde sicut Verbum non potest vocari Filius Personæ quæ non est Pater; ita Spiritus sanctus ooo potuisset vocari Spiritus Personæ quæ non esset spirator.

Probatur 2. ex definitionibus & doctrina Conciliorum.

V.

2. Ex definitionibus Conciliorum.

PRIMÒ quidem hæc veritas deffinita est in Epistola quam misit Cyrillus cum Coocilio Alexandrioo ad Nestorium, quæque recepta fuit ac probata à toto Coocilio Ephesino quod est Generale tertium & decima est inter Epistolas Cyrilli, ubi dicitur, *Spiritus veritatis nominatur, & est Christus veritas, & effunditur ab eo sicut & ex Deo Patre*; seu ut io antiqua Coociliorum compilatione habebatur *procedit ab eo sicut à Patre.* Atque in universum approbatæ suot omnes Epistolæ Synodales Cyrilli à Concilio Chalcedooensi quod est Generale tertium actione quinta, & à sexta Synodo, quæ est Constantinopolitana tertia actione decima-septima, & Concilium Generale septimum, nempe Nicænum 2. actione 7. referens & approbans Symbolum Nicænum conscriptum io primo generali Concilio addit, *Qui ex Patre Filioque procedit.* Cum tamen illud Concilium maxima ex parte fuerit Græcorum Patrum. *Nec refert* quòd in Concilio Florentino sess. 6. & 7. Græci recentiores dixerint in suis codicibus hujus Concilii non legi particulam *Filioque*: Docte namque & apprimè reposuit Andreas Theologus Ecclesiæ Latinæ, & in illa sess. 7. testificatus est se habuisse codicem vetustissimum manuscriptum in quo particula illa continebatur. Præterea citatus est ibidem Historicus antiquus ejusdem particulæ testis.

Nec pariter refert quod sanctus Damascenus

Tam Græcorum.

qui tempore prædicti Concilii septimi floruit scripserit *Ex Filio Spiritum sanctum non dicimus*, ut relatum est in tertio Notabili. Etenim probabile est vel illum priùs obiisse ante celebrationem prædicti Concilii; aut priùs illum librum de fide scripsisse; cujus indicium est, quod in suis operibus non citat Concilia nisi usque ad sextum.

Quàm Latinorum.

Hæc pariter veritas definita est in pluribus Conciliis Latinis. Primò namque Agatho Papa in Epistola 1. Quæ est etiam Romanæ Synodi haberturque in 6. Synodo Generali, dicit *Ex Patre Filioque procedit*, quem locum depravatum fuisse à Græcis conquestus est Iulianus Cardinalis in Disputatione quam habuit contra eos in Concilio Florentino: Nec mirum ita de- B crevisse hunc Pontificem cum suo Romano Concilio; siquidem multis annis ipso antiquior Leo magnus, Epistola ad Turribium Asturiensem Episcopum cap. 1. dicit *Ex utroque processit*.

Insuper sub Athanasio Papa Christi 400. anno celebratum est Concilium *Toletanum tertium*, in quo pariter hæc veritas deffinitur his verbis, *Credimus Spiritum quoque esse Paracletum qui nec Pater sit ipse nec Filius, sed à Patre Filioque procedens*: Nec-non & in *Toletano tertio* sub Pelagio 2. anno 589. ubi in confessione fidei à 150. Patribus exposita Can. 3. dicitur, *Quicumque Spiritum sanctum non credit à Patre & Filio procedere, Anathema sit*. Idem deffinitur in Con- C cilio *Toletano quarto cap.* 1. & in 8. circa tempora Martini primi, & in 11. sub Adeodato summo Pontifice, quæ omnia Concilia celebrata sunt ante sextam Synodum generalem.

Eandem etiam veritatem legimus in Concilio *Gotfeldensi*, anno 650. apud Bedam lib. 4. Historiæ Anglicanæ cap. 17. ubi apertè profitentur Patres Spiritum sanctum *à Patre & Filio*. Deinde celebrata sunt Concilia Gentiliacense, anno 766. *Aquisgranense* circa annum 809. *Vuormaciense* sub annum 860. & circa annum millesimum nonagesimum tempore Urbani secundi apud *Barum* celebratum est Concilium ex Græcis & Latinis, ut author est sanctus Anselmus cui ipse interfuit, & fusiùs rem totam D narrat ut testis oculatus, scriptor vitæ ejusdem sancti Anselmi lib. 2.

Similiter hanc ipsam veritatem deffinierunt Concilia generalia *Lateranense* sub Innocentio III. cap. 1. præsentibus etiam Græcis & eisdem consentientibus, ut constat ex illius cap. 4. *Lugdunense* sub Gregorio X. in quo præsentibus & consentientibus Græcis hæc veritas definita est, terque cantatum est Symbolum Nicænum Græcè & Latinè cum explicatione illa *ex Patre Filioque procedit*: Denique Concilium *Florentinum* anno millesimo quadringentesimo trigesimo octavo, post diuturnas & exactas hac de re disputationes inter Patres Græcos & Latinos, E tandem deffinitum est *Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere*, ut constat in Litteris unionis quibus Patres tam Latini quàm Græci subscripserunt.

Verùm ut levia & mobilia sunt Græcorum ingenia, non diu in fide ac concordia manserunt; sed subinde pristinum in schisma, & errores suos relapsi sunt; suumque vomitum resorbuerunt quo adhuc inquinantur. Nec mirum, siquidem in primitiis ipsis Ecclesiæ *Factum est murmur Græcorum adversus Hebræos*, quibus so-

A lis Ecclesia tunc constabat, ut inde fatale præsagium esset Græcos ad divisionē & contentionem propensos, lugendo suo schismate Ecclesiam, Christi tunicam inconsutilem, divisuros.

Probatur 3. ex Patribus Græcis.

VI.

1. Ex Patribus Græcis eadem veritas colligitur.

PRIMÒ quidem ex Symbolo S. Athanasii, in quo legimus *Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

1. Ex Symbolo S. Athanasii, quod verè ipsius est.

Reponunt 1. Græci hoc Symbolum non esse Athanasii. At *contra* primò Gregorius Nazianzenus oratione de laudibus sancti Athanasii testatur eum edidisse perfectam fidei confessionem quam obtulit Imperatori, quamque totus Oriens & Occidens veneratur, *Imperatori*, inquit, *donum verè regium & magnificum offert, scriptam nimirum confessionem adversus novum dogma* (scilicet Arrianorum) & post pauca *Hujus cōfessionis ut mihi videtur authoritate permoti tum Occidentales, tum quidquid in Oriente vitale est*, &c. Deinde sanctus Augustinus in Psalmum 120. nomine Athanasii præcedentem versiculum recitat, *De hoc sole*, inquit, *Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchrè locutus est: Filius à Patre solo est*, &c. Alius quoque locis ejusdem Symboli meminit, sed suppresso Athanasii nomine, purà 5. *de Trinit. cap.* 8. & in Enchiridio cap. 35. &c. Quibus constat tempore sancti Augustini nemini dubium fuisse hoc Symbolum à sancto Athanasio fuisse editum. Denique affirmant *Genebrardus* lib. 3. de Trinit. Et *Nanclerus* in Chronologia extare pervetustum codicem in Cœnobio S. Germani Parisiensis, in quo asseritur Athanasium prædictum Symbolum edidisse Treviris, dum propter ingruentes Arrianorum persecutiones in quodam puteo latitaret.

Particula *& Filio* non fuit addita à Latinis.

Reponunt 2. Particulam *& Filio* additam fuisse à Latinis: At *contra* 1. In Græco etiam Athanasii Symbolo hæc particula legitur. Deinde in Concilio Toletano 4. anno 633. celebrato, ac proinde ante schisma Græcorum refertur idem Symbolum Athanasii cum illa particula *& Filio*, quæ autem tunc fuisset ratio hanc additionem faciendi, cum nulla adhuc publica iorer utramque Ecclesiam lis moveretur. Denique quod caput est hanc eandem veritatem pluribus docet ipsemet Athanasius maximè oratione 4. contra Arrianos: *Non enim*, ait, *tria principia aut tres Patres introducimus quemadmodum Marcionistæ; cum non tres Soles ad comparationem adducamus; sed unicum Solem ejusque splendorem, unicamque ex ambabus lucem.* Quibus comparat Patrem Soli, Filium splendori, & Spiritum sanctum luci non à Sole tantùm, sed à splendore orientem. Et in Epist. ad Serapionem de Spiritu sancto sic loquitur: *Mandat Apostolus*, HÆRETICUM HOMINEM POST UNAM AUT ALTERAM CORREPTIONEM DEVITA, *etiamsi quos videas cum Helia volantes per aera, & cum Petro, & Moyse sicco pede calcantes maria, nisi Spiritum sanctum profiteantur Deum essentialiter ex Deo Filio existentem, sicut & Filium naturaliter Deum genitum essentialiter ex Deo Patre existentem, ut nos profitemur, eos non recipias.*

2. Ex S. Basilio.

Secundò Sanctus Basilius lib. 3. contra Eunomium, ait, *Cur necesse est si dignitate & ordine tertius est Spiritus, naturâ quoque ipsum tertium esse, dignitate namque ipsum secundum à Filio, cum ab ipso esse habeat, & omnino ab illa causa dependeat*,

dependeat, pietatis ratio tradit: Natura verò tertium, uti neque ex sanctis Scriptoribus didicimus, neque ex prædictis colligere possibile est. Similiter Epiphanius hæresi 62. *Ex eadem*, inquit, *essentia, ex eadem veritate, ex Patre & Filio cum Patre & Filio semper in substantia Spiritus sanctus*: Et hæresi 69. *Quo*, inquit, *ostendat Christus Dominus lumen Patrem & lumen Filium, & lumen Spiritum sanctum, & fontem ex fonte, ex Patre & Unigenito Spiritum sanctum, flumina enim ex alvo ejus fluent.* Subscribit & Cyrillus Alexandrinus nedum anathematismo nono, sed & pluribi, maximè lib. de recta fide ad Reginam, ubi concludit circa finem, *Ex Patre procedit Filius per omnia illi æqualis & similis: Procedit autem per utrosque vivificans quoque Spiritus.* Et lib. 11. in Joannem cap. 27. *Ex ipsa*, inquit, *substantia Dei Patris prodiens (Spiritus sanctus) profusus autem ad sanctos per consubstantiale Verbum, à quo est secundum emissionem ad esse atque subsistere.* Quæ clarius lib. 13. Thesauri cap. 1. declarat, dicens: *Necesse est omnino confiteri Spiritum sanctum ex substantia Patris & Filii esse*: Et cap. 2. *Ex Filio autem naturaliter ac essentialiter Spiritum sanctum sicut ex Patre provenire credimus.* Hanc ipsam veritatem egregiè explicat Nazianzenus Oratione 37. ubi divinam Trinitatem comparat tribus Personis generis humani, scilicet Patrem Adæ, quia Pater à nulla Persona, ut Adam à nullo homine originem duxit; Filium verò Evæ, quia Eva ex solius Adami substantia processit, ut Filius à solo Patre; Spiritum verò Seth, quia ab Adamo & Eva ortus est, ut Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit. Missas facio aliorum Patrum Græcorum sententias, quas abundè legere poteris in Concilio Florentino, nec-non & apud sanctum Thomam Opusculo 1. contra Græcorum errores, cap. 32. Hugonem Eterianum, Petavium, & innumeros alios tum Recentiores, tum Antiquiores, qui Patres Græcos huic veritati adstipulari demonstrant.

3. Epiphanio. 4. Cyrillo Alexandrino. 5. Gregorio Nazianzeno.

Probatur tertiò ex Patribus Latinis.

VII. 4. Ex Patribus Latinis. S. Martiali. Tertulliano.

PRIMÒ quidem S. Martialis Epist. 1. ad Burdegalenses cap. 10. ait, *Spiritus sanctus in divina æqualitate gloriosus processit ineffabiliter ab eo qui genuit & ab eo qui genitus est; itaque Spiritus Dominus Domini procedens est à Patre & Verbo.* Favet Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 8. *Tertius*, inquit, *est Spiritus à Deo & Filio, sicut tertius à radice, fructus ex frutice, & tertius ex fonte rivus & flumine, & tertius à Sole apex ex radio.*

Hilario. Ambrosio.

Similiter Hilarius lib. 8. de Trinit. asserit Spiritum *à Filio accipere*, idem esse quod procedere à Filio; sicut accipit & procedit Filius à Patre. Subscribit Ambrosius lib. de Symbolo cap. 3. *Spiritus autem sanctus*, inquit, *verè Spiritus est, procedens quidem à Patre & Filio, sed non est ipse Filius quia non generatur, neque Pater, quia procedit ab utroque, non genitus, non ingenitus, non factus.* At omnium optimè & subtilissimè hanc veritatem edocuit sanctus Augustinus pluribi, maximè in 4. de Trinit. *Nec possumus*, inquit, *dicere quod Spiritus sanctus à Filio non procedat, neque enim frustra idem Spiritus, & Patris, & Filii Spiritus dicitur*: Et lib. 15. cap. 26. hanc veritatem sæpius inculcat; *De utroque autem splendore*, inquit, *sic docetur, quia*

Sed præcipuè Augustino.

A *ipse Filius ait de Patre procedit: & cum resurrexisset à mortuis & apparuisset Discipulis suis insufflavit & ait*, ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM, *ut etiam de se procedere ostenderet.* Frustraneum esset alios sanctos Patres Latinos ad hujus veritatem contestandam advocare; sunt enim innumeri, & ad unum omnes in idem dogma conspirant. Quocirca maximè culpandi sunt omnes Græci quod tot tantisque divinæ veritatis fidissimis Testibus fidem non faciant, quos tamen præ cæteris audiendos clamant Patres quintæ Synodi generalis profitentes ita apertè: *Sequimur per omnia sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ,* B *Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Probum, & suscipimus omnia quæ de recta fide & damnatione hæreticorum scripserunt.*

Hæc omnia probavit lugenda Ecclesiæ Orientalis jactura, quâ scilicet Deus ipse videtur suum suffragium tulisse pro Latinis: nam à tempore quô Græci ab eorum communione sese subduxerunt propter simultates has de processione Spiritus sancti; Græci semper ruerunt in pejus, & illa natio olim, doctrinâ ad invidiam conspicua, sanctitate ad miraculum celebris, imperio Gentium Domina; hodie C sub dira Turcarum captivitate luget, & sine Rege, sine Principe, sine Academiis & Scholis Barbaricum Saracenorum jugum sustinet: & quod mirum Constantinopolis expugnata, & Græcorum Imperium disturbatum fuit anno 1452. die 28. Maij, juxta celebriores Authores, in quo die incurrerat Festum Pentecostes Spiritui sancto sacrum, ut verificetur illud quod Christus dixit Matth. 12. *Qui blasphemiam dixerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Unde lugenda Ecclesiæ Orientalis jactura ortum habuerit.

Probatur ratione Theologica.

VIII. 5. Tandem eadem doctrina ratione firmatur à Doctore Subtili.

A Doctore Subtili in 1. *dist.* 11. *q.* 1. Habens D principium perfectum productivum priusquam intelligatur habere productum, potest illo principio producere, quando scilicet principium est ita perfectum quod non dependeat à passivo, nec potest per aliquid impediri: Sed Filius habet voluntatem, quæ est principium productivum amoris adæquati, & habet etiam ut præintelligitur producto actui voluntatis: Ergo potest eâ producere, igitur eâ producit. Probat minorem: Generatio & Spiratio habent aliquem ordinem inter se, ita quod aliquo modo generatio est prior spiratione, & in illo priori communicatur genito omnis perfectio divina quæ sibi non repugnat, & ita voluntas: Ergo E habet tunc voluntatem ut priorem producto per actum voluntatis, quia adhuc non intelligitur productio aliqua facta per modum, vel actum voluntatis.

Confirmatur ex eo, quòd si dubitandum esset de influxu Patris & Filii in productionem Spiritus sancti, potius videretur ambigendum de Patre quàm de Filio, utpote cum Pater in productione sui Filii jam habeat actionem sibi adæquatam si rationem naturalem spectes, ipsius enim actio productiva Filii est infinita, & consequenter adæquat principium, idcirco videtur non posse cum illa aliam ullam habere, saltem adæquatam; propterea videtur quod non possit amplius per novam actionem infinitam occupari ad novam productionem alte-

rius Personæ: Filius autem nullam productivam actionem habet antecedenter ad productionem Spiritus sancti, neque aliam habere potest ad intra nisi solam spirationem; adeoque si ratio naturalis spectetur, hæc actio spirativa potius ipsi quàm Patri videretur esse concedenda, si uni tantùm divinæ Personæ tribueretur.

IX. Scriptura sacra non excludit Filium à productione Spiritus sancti.

Objiciunt Græci primò quidem Scripturam sacram, quæ quoties Spiritus sancti processionem commemorat, toties solius Patris meminit, sic Joannis 15. *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis qui à Patre procedit:* Ergo censet à solo Patre ipsum procedere.

Nego consequentiam: Nam ut advertit sanctus Augustinus lib. 3. contra Maximinum his verbis, *non excluditur Filius*, sed exprimitur Pater ut author principalis, quia nempe est principium sine principio, ad quod totum refert quod ipsemet habet. Qua ratione dicebat Joannis 7. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris:* Quæ sic ponderat August. tractatu 29. in Ioannem; *Quia*, inquit, *Verbum non potest esse nullius, sed alicujus, & suam Doctrinam dicit seipsum, & non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum quàm tu, & quid non tam tuum quàm tu si alicujus es quod es?* Itaque Filius divinus totum quod est refundit in Patrem, adeoque illam fœcunditatem productivam Spiritus sancti quam à Patre accepit ipsi attribuit. Quod sanctus Augustinus lib. 15. de de Trinit. cap. 17. egregiè explicat, dicens, *Non frustrà*, inquit, *in hac Trinit. non dicitur de quo procedat principaliter Spiritus sanctus nisi Deus Pater, ideo autem addidi* principaliter, *quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur, sed hoc quoque illi Pater dedit.*

Respondet 2. S. Anselmus lib. de Processione Spiritus sancti, quod asserendo Patrem esse productivum Spiritus sancti, non propterea excludatur Filius, quia affirmatio unius, non est negatio alterius: Imò, inquit, etiamsi diceretur apertè, *Nullus producit Spiritum sanctum nisi Pater*; Illa dictio non idcirco excluderet Filium; siquidem dictiones exclusivæ additæ uni Personæ divinæ non excludunt alias Personas nisi prædicatum illis opponatur relativè, ut patet his verbis Matth. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius:* Quibus tamen non excluditur Filius à cognitione sui, neque Spiritus sanctus à cognitione utriusque.

X. Patres Concilii Ephesini non consenserunt Symbolo Nestorianorum.

Objiciunt 2. In Concilio Ephesino coram Patribus lectum est Symbolum Nestorianorum, in quo expressè continebatur quod Spiritus sanctus non procederet à Filio; neque tamen ullus Patrum reclamavit, adeoque videntur huic propositioni omnes consensisse.

Respondeo 1. Argumentum ab authoritate negativa, quod nullibi multùm, hìc nihil concludere, utpote cum taciturnitas Judicum ad aliud quàm ad istam propositionem detinebatur; De hac enim quæstione processionis Spiritus sancti à Filio, tunc noluit Concilium ex professo disputare quoniam propter aliam convenerat, scilicet de unica Persona Christi Domini, & de Divinitate ejus quem peperit Virgo Maria. Cæterùm satis apertè Concilium suam sententiam significavit, quando probavit Doctrinam Cyrilli damnavitque contrariam Nestorianorum & Theodoreti.

Objiciunt 3. Varias sanctorum Patrum authoritates: Primò quidem sancti *Dionysii*, lib. de divinis nominibus cap. 2. ubi ait, *Solus fons super-substantialis Deitatis est Pater:* Secundò *Nazianzenus* Orat. 24. ubi ait, *Omnia quæ habet Pater, habet etiam Filius excepta causa:* Vel ut vertunt alii, *Excepta causalitate:* Ergo Filius non habet à Patre ut sit causa, seu principium Spiritus sancti. Tertiò *Basilii* Epist. 43. ad Gregorium Nyssenum, ubi ait, *Nullam secundùm propriam notionem communionem habet Filius cum Patre:* At si Filius spiraret, haberet spirationem activam tanquam notionem communem cum Patre: Ergo &c. Denique proferunt *Damascenum* lib. 1. de fide cap. 7. & 8. ubi ait, *Spiritus sanctus à Patre procedit & in Filio quiescit:* Et paulo infra, *Spiritum sanctum dicimus ex Patre, ex Filio non dicimus:* Et iterum, *Spiritus sanctus ex Patre quidem est, non autem ex Filio:* Ergo revera Spiritus sanctus non procedit à Filio.

Nego consequentiam, & ad sanctum *Dionysium* dico; Idcirco eum appellare Patrem fontem supersubstantialem; quia solus est principium sine principio; Filius verò est veluti fluvius ab ipso fonte emanans, à quo sicut & à fonte derivatur stagnum, nempe Spiritus sanctus. Quo sensu etiam Epiphanius hæresi 69. appellat Filium *fontem ex fonte*. Ad *Nazianzenum* dico ipsum loqui de causalitate qua Pater & Filius mutuò referuntur, non verò quâ Spiritum sanctum respiciunt. Ad *Basilium*, respondeo ipsum ibi loqui non de omni notione harum duarum Personarum, sed de propria uniuscujusque, scilicet de Paternitate & Filiatione secundùm quas nullam omnino communionem habent; Patri enim soli convenit Paternitas & Innascibilitas, sicut soli Filio propria est Filiatio. Denique ad *Damascenum* dico, quod quamvis sanctus Thomas 1. p. q. 36. art. 2. ad 3. respondeat *Plures ex Græcis in hoc fuisse sequutos Theodoretum Nestorianum, inter quos fuit etiam Damascenus:* Nihilominus benignè interpretati potest, ut eum Bessarion exposuit orat. pro unione cap. 6. nempe quod Damascenus non negaverit absolutè Spiritum sanctum à Filio procedere: sed tantum dissensisse à Catholicis in modo loquendi, putans esse tutiùs dicere *per Filium* quàm *ex Filio*; videbatur enim ei propositio *ex* denotare primam causam non procedentem ex alia causa, cujus contrarium denotabat propositio *per*, quæ hauddubiè vim causalem habet.

Pater est solus fons Divinitatis quia est principium sine principio.

APPENDIX:

De additione particulæ Filioque *ad Symbolum Nicænum.*

I. CERTO certius est additionem particulæ *Filioque* ad Symbolũ Nicænum Isthmum fuisse, qui duo Maria nedum semi-orbes terræ, sed & utramque Ecclesiam Orientalem & Occidentalẽ divisit & Græcis ansam præbuit sese ab unione & obedientia Romanæ Ecclesiæ subducendi. Ita enim Græcorum Orator Marcus Ephesinus in Concilio Florentino cum professus esset illam Symbolo factam additionem, neque verã, neque convenientem fuisse, subdidit. *Quam sane constat nostri schismatis, ac dissidii præcipuam causam fuisse;* Et infrà, *Romana Ecclesia dogma sibi proprium*

finxerat, idque propterea solvendæ amicitiæ nostræ causam simultatumque nostrarum initium dubio procul fuisse constat; Unde Photius, qui censetur Schisma incepisse in Epistola Encyclica ad Patriarchales sedes Orientis, suo à Romana Ecclesia discessui, hanc causam principem prætexuit, *Quæ est*, inquit, *malorum summa & apex, sacrum etiam Symbolum quod ab omnibus Synodicis & Oecumenicis calculis vim habet irrefragabilem & authoritatem, spuriis & falsis quibusdam disceptationibus.... Adulterare non dubitarunt* (Latini) *Spiritum sanctum non ex Patre solo, sed ex Filio procedere noviter docentes.*

Orta autem est hac Tragœdia, quòd in Conciliis Ephesino & Chalcedonensi Patres statuerint nulli licere tradere aliam fidem à Nicæna, contrarium audentes anathemate videntur perstringit; at verò in Symbolo Nicæno nō habetur hæc particula *Filioque*, nec quidquam æquivalens; adeoque jam videbantur Latini incurrisse censuram ab Ephesino Concilio vibratam. Itaque duo præcipuè hac in Appendice sunt statuenda, nempe quod illa additio legitima fuerit, & inquirendum tempus quò primò fuerit facta.

Hæc additio fuit legitima.

Primum affirmant Patres tam Græci quàm Latini in Florentino Concilio, omnes enim subscripserunt Litteris unionis omnium nomine ab Eugenio quarto editis, in quibus inter cætera hæc leguntur *Definimus explicationem verborum illorum* Filioque, *veritatis declarandæ gratiâ, & imminente tunc necessitate licitè ac rationabiliter Symbolo fuisse additam.* Unde jam non est hujus veritatis relictus ambigendi locus. Verùm ad ampliorem persuasionem, sic urgeo. Additio foret illicita, vel quia falsum enuntiat, vel quia Symbolo Nicæno præter leges sancitas à Conciliis Ephesino & Chalcedonensi facta est; vel denique quia fuit edita absque consensu utriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis: At neutrum horum obstat.

1. Quia falsum non enuntiat.

Non quidem primum, ex dictis namque liquet Spiritum sanctum reverà à Patre Filioque procedere; adeoque particula hanc veritatem enuntians, nullam falsitatem redolet.

2. Quia Ephesinum & Chalcedonense Concilium talem additionem prohibere non potuerunt.

Non etiam secundum; Aliàs in primis culpandi essent illimet Græci qui toties sua Symbola post Nicænum editum mutaverunt; nam Marcus Ephesinus, qui Græcorum partes omnium obstinatissimè tuebatur in Concilio Florentino, fatetur circa finem illius, quod *Inter primum Concilium à quo divinum illud Nicænum Symbolum fuerat editum, ac secundum, non parum sane temporis intercesserat, in quo quidem temporis intervallo ferè triginta alia Symbola à particularibus ac privatis Conciliis prodita fuere.* Deinde damnandi essent & suo fulmine percutiendi Patres Ephesini, Constantinopolitani, & Chalcedonensis Concilii; Nam si, ut volunt Græci, Symbolo Nicæno ne Verbum quidem addere licet, cur itaque ipsimet plura addiderunt? Etenim ut objectum fuit Græcis in Concilio Florentino, particulæ *Cœli & Terræ* habentur in Symbolo Constantinopolitano, quæ in Ephesino & Nicæno non leguntur: Similiter *ex substantia*, habetur in Nicæno, in Ephesino verò & Constantinopolitano non habetur: Item *ex Maria Virgine* est in Constantinopolitano, non autem in Ephesino & Nicæno: Insuper constat in Symbolo Nicæno de Spiritu sancto non plura fuisse pronuntiata quàm illud *& in Spiritum sanctum*; Posteà verò à Patribus Concilii Constantinopolitani addita fuerūt illa verba, *Dominum vivificantem qui ex Patre procedit*; De quibus tamen Græci non conqueruntur: Ergo immeritò etiam queruntur de additione particulæ *Filioque*. Denique par non habet imperium in parem, neque potest quispiam ligare manus suo successori; adeoque non potuit prohibere Ephesinum & Chalcedonense Concilium, ne futura Concilia, datâ opportunitate & urgente necessitate, novam Symboli explicationem & additionem traderent; Liberum enim est successoribus utpote æqualibus alio modo & aliis verbis fidem explicare, modò nihil contra rectam fidem addere velint aut detrahere.

3 Quia edita fuit consentientibus Græcis & Latinis.

Non denique tertium: Siquidem ut demonstrarunt Latini in Concilio Florentino, additio illa *Filioque* à Græcis priusquàm à Romana Ecclesia universaliter probata est, nempe in 7. Synodo generali, quæ tota ferè fuit Patrum Græcorum. Adde quòd sicut ipsimet Græci datis opportunitatibus plura Concilia celebrarunt nullo præsente Patre Ecclesiæ Latinæ, in quibus nonnulla de fide determinarunt hæresesque proscripserunt, & symbola condiderunt; Quidni pariter Latini Patres hanc additionem *Filioque* explicandæ scilicet fidei gratiâ Symbolo potuerunt adjicere? Insuper Romana Ecclesia ad convocandas cæteras nequaquam obstricta est, præsertim cum veteres multæ Synodi diverso Patrum numero celebratæ fuerint & approbatæ absentibus quandoque Latinis Patribus.

Quidam volunt hāc additionem factam à Concilio Romano sub Damaso.

SECUNDUM DUBIUM, nempe quo tempore hæc additio facta fuerit, nondum est sufficienter exploratum; quidam enim volunt illam additionem factam à Concilio Romano sub Damaso, quod hac ratione deducit Stanislaus Socolovius in cap. 1. annotationis censuræ Orientalis Ecclesiæ factæ per Hieremiam Patriarcham Constantinopolitanum, ubi ait quod cùm Patres Ecclesiæ Orientalis Constantinopoli congregatos Damasus evocasset Romam, ut ibi cum Latinis Concilium universale celebrarent, cumque propter varia incommoda illuc procedere non liceret, suam fidem ad Concilium Romanum miserunt, quam probavit Damasus cum Concilio Romano addita solum particula illa *Filioque* Symbolo fidei in eo Concilio edito ad majorem explicationem Symboli Nicæni; quod iterum Constantinopolitani Patres confirmarunt. Hoc autem probat ex Epistola Concilii ad Damasum, & ex Symbolo Damasi quod habetur apud Hieronymum, ubi addita est prædicta particula.

Sed hæc Sententia parum constat.

Verùm hæc sententia parum constat: Tum quia in præfata Epistola Concilii Constantinopolitani, ne verbum quidem de additione particulæ FILIOQUE: Tum quia inter decreta illius Concilii Romani quæ habentur in 9. *libro Tripartitæ historiæ cap.* 16. nihil de processione Spiritus sancti à Filio decernitur, sed Canone 16. tantum damnatur qui negaverit Spiritum sanctum esse à Patre: Quod verò ex Symbolo Damasi profertur parum juvat: Tum quia non constat an Symbolum illud sit reverà Damasi. Insuper longè diversum est à Nicæno & Constantinopolitano: Hîc autem non movetur quæstio ubi hæc veritas primum fuerit definita, sed ubi primum addita fuerit particula

FILIOQUE Symbolo Nicæno quod in Ecclesia decantatur.

Suspicari quis posset sine fundamento factam fuisse hanc additionem per Patres Concilii Toletani primi celebrati anno Christi 400. nam in Confessione fidei quam Idatius Lemouicensis indicat in hac Synodo fuisse editam legimus, *Spiritum quoque esse Paracletum qui nec Pater sit ipse nec Filius, sed à Patre Filioque procedens*. Quod iterum constanter affirmatur in tertia Synodo Toletana. *Verùm* cum illa fidei Confessio longè diversa sit à Symbolo Nicæno quod in Ecclesia cantatur, inde concludere non licet ex tunc hanc particulam FILIOQUE additam fuisse Symbolo de quo conquerebantur Græci. Quocirca,

Verisimilius est factam fuisse ab Ecclesiis particularibus circa annum Christi 620.

Satius dicendum arbitror hanc additionem factam fuisse à quibusdam Ecclesiis particularibus circa annum Christi 620. & inde ab aliis fuisse usurpatam approbante summo Pontifice. Quod inde colligo primò ex Verbis Andreæ Theologi nomine Latinorum in Florentino Concilio sessione 7. dicentis, *Maximo in Gallia & in Hispaniis Schismate imminente, cum jam* EX FILIOQUE *passim celebraretur, Romano Pontifici fuit necesse in multorum Occidentalium ampla dignitatis magnaque Concilii Patrum conventu addito*, ex Filioque, *Symbolum magis illustrare*.

Deinde in Concilio Toletano 8. anno 653. recitatur idem Symbolum Nicænum cum hoc additamento, *Credimus & in Spiritum sanctum vivificatorem ex Patre & Filio procedentem cum Patre & Filio adorandum & glorificandum*.

Denique hujus veritatis indicium est, quod in Synodo Gentiliacensi agitata est quæstio inter Græcos & Latinos de præsenti controversia, & quod caput est, in 7. Synodo generali actione 7. Symbolum cum hac additione recitatur; adeoque teri licet hanc additionem priùs fuisse factam.

Nec refert quod Leo Tertius repulsam dederit quibusdam talem additionem fieri petentibus.

Dices: Magister sententiarum lib. 1. dist. 11. cap. 2. asserit, *Leonem Tertium* qui sedit circiter *Anno 796.* dedisse repulsam Oratoribus Caroli Magni, petentibus ejus nomine atque etiam Concilii Aquis-Grani additionem ac celebrationem particulæ FILIOQUE in Missa: Ergo signum est hanc additionem nondum ab Ecclesia Romana fuisse probatam; cur enim Leonem pigeret hoc concedere, si tot annis ante fuisset approbatum & concessum à suis prædecessoribus? Renuit tamen, nam ut refert Baronius tomo 9. ad annum 809. Præfatis Oratoribus respondit, *Si priusquam ita cantaretur interrogatus essem, ne inferretur utique respondissem*: Et statim suum Concilium suamque sententiam confirmans subdit, *Nunquid magis salutare est credere, periculosumve non credere Spiritum sanctum à Filio sicut à Patre procedere, quàm Filium Sapientiam Deum à Sapientia Deo; veritatem Deum à veritate Deo genitum esse: & tamen utrumque unam sapientiam, unam veritatem essentialiter Deum esse; quum tamen id à sanctis Patribus eidem Symbolo constet non additum esse*.

Sicut nec officit quod Symbolum Constantinopolitanū curaverit exarari sine particula FILIOQUE.

Insuper affirmat idem Magister sententiarum quod Pontifex statim à recessu prædictorum Oratorum, curaverit Symbolum Constantinopolitanum exarari duabus tabulis argenteis, in una quidem Latinè in altera Græcè, utrobique sine additamento illo *Filioque*: Ergo consequens est quod illo ipso tempore hæc additio nondum erat legitimè facta nec ab Ecclesia Romana probata.

Respondeo: Meritò quidem hæc præstitisse Leonem Tertium quoniam fortè illo ipso tempore nondum hæc additio legebatur ab Ecclesia Romana in sacrificio Missæ, licet in aliquibus Ecclesiis particularibus mos invaluisset hanc particulam *Filioque* pridem Symbolo Constantinopolitano additam inter Missarum solemnia recitandi: non tamen propterea additionem damnavit, sed quod in Missa cantaretur absque prævia ordinatione Romanæ Ecclesiæ non probavit.

Nec refert quod iste curaverit Symbolum, ita exarari sine præfata particula: id enim fecit ut salvaretur memoria integri Symboli Constantinopolitani quæ poterat obliterari nova explicatione Symboli; utque constaret nihil contrarium antiquitati doceri; sed integram retineri fidem antiquam, solis explicationibus denuò positis.

QUÆSTIO SECUNDA.

Vtrum Spiritus sanctus distingueretur realiter à Filio, si ab ipso non procederet?

I.

Hæc quæstio licet procedat ex impossibili non est inutilis.

NOTANDUM 1. Ex Doctore in 1. distinct. 11. quæstione 2. num. 2. Godfredum quodlib. 7. quæst. 4. quæstionem hanc inutilem judicasse & solutionis indignam, propterea quod supponat impossibile, nempe Filium non procedere à Spiritu sancto; talis autem suppositio non videtur admittenda à respondente, quia exinde redargui posset & adigi ad concedenda contradictoria, quod maximè respondentem urgeret & in errorem induceret. Verùm cæteri omnes Scholastici tanti fecerunt eam quæstionem, ut accuratas & subtiles in ejus resolutione disputationes texuerint; nec fuit cassus eorum labor: Sicut enim utiliter similes aliæ quæstiones agitantur in Scholis, putà an si Deus non esset mutabilis, foret æternus? An si homo non esset risibilis, esset distinctus ab equo? Prima quidem ad investigandum an immutabilitas sit formalis ratio æternitatis: Secunda ad cognoscendum formale principium constituens hominem & eum à brutis distinguens, tametsi istæ suppositiones sint impossibiles; ita pariter quamvis suppositio à nobis facta sit impossibilis: quia tamen maximè conducit ad percipiendam rationem formalem distinctivam Filii à Spiritu sancto, idcirco nec superflua nec implicans censeri debet. Adde quòd S. August. libro de Trinitate cap. 6. similem hypothesim impossibilem admittat docens quod *Si Pater Filium non genuisset nihil prohiberet eum dici ingenitum*: Certum est enim quod Patrem non gignere Filium, sit omninò impossibile; attamen ex hac suppositione impossibili rectè concludit S. Augustinus quod etsi in divinis Persona non esset generans, non minùs foret ingenita.

II.

Propositiones illativæ sunt duplicis generis.

Notandum 2. Ex eodem Doctore ibidem: Propositiones illativas esse duplicis generis, aliæ namque inferunt per prædicatum primò intrinsecum; aliæ verò per locum extrinsecum. Prioris generis sunt, ex quibus per locum intrinsecum, & consequentia essentiali unum sequitur

ex alio; ut ex hac *homo est*, intrinsecè sequitur ista: Ergo *est rationalis*; quia rationale est prædicatum intrinsecum & essentiale homini. Posterioris generis sunt quæ consequentiâ tantùm veluti accidentali inferuntur ex altero, necessariò tamen; sic ex hac *homo est*, sequitur tantùm extrinsecè licèt necessariò: Ergo *risibilis est*; quia risibilitas non est de primaria intrinseca & essentiali ratione hominis, sed est quid extrinsecum constitutioni ejus essentiali. In prioribus suppositionibus hypotheticis, certum est quod sublato posteriori, sequitur per locum intrinsecum ablatio prioris, v. g. *Si Petrus non esset rationalis*, consequentiâ intrinsecâ sequeretur *ipsum non fore hominem*: In posterioribus verò quantumcumque removeatur posterius, non sequitur per locum intrinsecum ablatio prioris v. g. in hac hypothesi, *Si homo non esset risibilis*, non sequitur per locum intrinsecum, *non fore hominem*, quia sublata risibilitate, adhuc remanent intrinseca & essentialia principia constitutiva hominis, nempe animal, & rationale. Unde ad propositum, hæc propositio *Filius est Spirator*, dicitur esse posterioris generis respectu constitutionis Filii; & per consequens respectu distinctionis ejus à quovis alio, quia sublata Spiratione activa adhuc remanet adæquatum principium constitutivum Filii, nempe essentia & Filiatio.

III. *Notandum* 3. Huic quæstioni ansam præbuisse Angelicum Doctorem 1. *part. quæst.* 36. *art.* 2. Ut enim probaret adversus Græcos, Spiritum sanctum reverà à Filio procedere, hac præsertim ratione usus est, nimirum quia Spiritus sanctus non distingueretur realiter à Filio, si reverà ab ipso non procederet. Quam rationem expendens Doctor quæst. laudatâ, illam esse infirmam demonstrat, utpote cum Spiritus sanctus realiter à Filio non minùs distingueretur etiam si reverà ab ipso non procederet: Duæ namque in Filio distinguendæ sunt relationes, nempe *Filiatio* & *Spiratio activa* formaliter aut saltem modaliter invicem distinctæ, quarum priore Filius constituitur, nedum in ratione Filii divini, sed & in ratione Personæ divinæ omnimodè completæ & perfectæ: Posterior autem velut ex priore resultat eamque supponit; adeoque supponit etiam Personam Filii omnimodè completam & à qualibet alia Persona distinctam: quod ut pateat evidentiùs, sit

Huic quæstioni ansam præbuit Divus Thomas.

IV.

Conclusio Unica.

Spiritus sanctus si non procederet à Filio distingueretur realiter ab ipso.

Etsi *per impossibile Spiritus sanctus non procederet à Filio, reverà tamen ab eo distingueretur realiter*. Hæc est Doctoris & omnium ejus Discipulorum & colligitur

Vt edocent SS. Patres.

Primò quidem ex sanctis Patribus, docentibus Spiritum sanctum distingui à Filio, non præcisè quod ab eo procedat, sed quia ipsius emanatio est alterius rationis ab emanatione Filii, sic sanctus Augustinus l. 5. de Trinitate cap. 14. proferens rationem ob quam Spiritus sanctus non sit Filius, ait, *Exit enim non quomodo natus, sed quomodo datus, & ideo non dicitur Filius, quia nec natus est sicut Vnigenitus.* Favet etiam Gregorius Nyssenus laudatus à Bessarione in Oratione pro unione ex lib. 1. in Evangelia, nondum Latinè edito; ubi inter alia hæc habet, *Spiritus Patri conjunctus est, & secundùm quod uterque increatus, & secundùm quod uterque ex primo principio suam substantiam habet conjunctus: distinguitur sua proprietate quæ est quod nec unigenitus, ex Patre productus est, & quod per ipsum Filius sit manifestus.* Quibus apertam assignat rationem distinctionis Patris à Spiritu sancto, non ex spiratione, sed ex proprietate eorum constitutiva. Idem dicendum de Filio; atque adeo non est vera eorum doctrina qui distinctionem Spiritus sancti à Patre & Filio ex sola spiratione activa & passiva repetunt.

August.

Gregorius. Nyssenus.

Anselmus.

Subscribit apertè Anselmus Tractatu contra Græcos de processione Spiritus sancti capite 2. ubi ait: *Quoniam Filius existit de Deo nascendo, & Spiritus procedendo, ipsa diversitate nativitatis, & processione referuntur ad invicem ut diversi & alii ab invicem.* Rursus ibidem, *Filius autem (ut interim aliam taceam causam, quoniam nondum constat quod Spiritus sanctus de ipso sit & procedat) ideo non est Spiritus sanctus; nec Spiritus sanctus est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus sanctus autem non nascendo, sed procedendo.* Quam rationem sic urget cap. 3. *Alii sunt ab invicem per hoc quod dictum est, ut putà quia alter nascitur, alter verò procedit; & ideo cum nascitur unus non potest cum eo nasci ille, qui per hoc est alius ab eo quia non similiter nascitur, sed procedit; & cum unus procedit nequit ille simul procedere qui per hoc est alius ab illo quia non similiter procedit, sed nascitur.* Unde cap. 4. concludit, *Si per aliud non essent plures Filius & Spiritus sanctus, per hoc solum essent diversi, scilicet quia alter nascendo, alter existit procedendo.* Quibus certè clarissimè & subtilissimè nostram sententiam comprobat: Unde *Vrbanus* Pontifex qui in Concilio Barrensi sancti Anselmi doctrinam cum universo Patrum cœtu & applausu probavit, nonne similiter Scoti doctrinam ex tunc definivisse videtur?

Sed quod caput est, hanc ipsammet sententiam approbat Doctor Angelicus quodlib. 4 art. 3. ubi docet rem distingui per suam formam non solùm ab opposita, sed à disparata, & exemplum ponit de saphiro quem dicit per suam formam distingui non solùm ab aliis lapidibus, sed à Plantis: Unde concludit. *Sic ergo dicendum quod Filius sua Filiatione distinguitur quidem à Patre secundùm oppositionem relativam Filiationis ad Paternitatem: sed à Spiritu sancto distinguitur Filiatione per quod Spiritus sanctus non habet Filiationem quam Filius habet*: Ergo reverà censet Filium per Filiationem, non verò præcisè per spirationem activam distingui à Spiritu sancto; adeoque etiam per impossibile sublatâ spiratione activâ à Filio, non minus ab eo realiter distingueretur per Filiationem.

Imò & ipsemet Doctor Angelicus.

Probat Doctor conclusionem primò, Eodem principio quo res constituitur etiam à quocumque alio distinguitur; quia, inquit, eodem est aliquid ens, & unum unitate conveniente tali entitati; quod autem in se unum est, etiam distinctum est à quolibet alio; adeoque principium rei constitutivum est etiam ejusdem distinctivum; unde homo distinguitur per animalitatem per quam constituitur in esse animalis, à quocumque non habente animalitatem, & per rationalitatē quâ constituitur in esse hominis distinguitur ab eo omni quod non est homo: sed Filius divinus constituitur in esse Personali per Filiationem: Ergo etiam per Filiatio-

Ratio multiplex demonstrat.

1. Quia idem est principium distinctivū ac constitutivum.

formaliter aliquid hujus concreti ; concretum enim *Spirans* duo tantùm dicit, scilicet essentiam & relationem spirationis activæ; Paternitas autem neutrum horum est : Siquidem Paternitas cum essentia facit ut generans sit Pater & ad solum Filium in ratione generantis & Patris referatur : Ergo Paternitas nihil conducit ad rationem spirantis.

Denique principium spirativum idem est in Patre & Filio ; at veró Paternitas non est eadem in utroque: Ergo Paternitas non est aliquid hujus principii, adeoque formaliter nihil conducit ad formalem rationem spirantis.

VII. Authoritates Conciliorum.

Objiciunt 1. Thomistæ authoritatem Conciliorum : *Primò* quidem Concilii Toletani 1. in Confessione fidei, *Credimus in Spiritum sanctum, qui nec Pater nec Filius, eo quod à Patre Filioque procedat.* Sed in casu nostro non procederet à Filio : Ergo in eo casu non esset distinctus à Filio. *Secundò* Toletani 11. *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, & in hoc numero carent, quod ad se sunt*: Sed non sunt ad invicem nisi secundùm relationes originis : Ergo ubi non essent illæ relationes, (uti non forent in nostro casu) etiam non esset Personarum numerus & distinctio. *Tertiò* Concilii Florentini sess. ultima, *Nam credentes Spiritum sanctum ex Filio nequaquam procedere ; necesse est ut intelligant Spiritum sanctum ex solo Patre procedere, ac consequenter eum esse Filium.*

Confirmatur per verba sequentia, *Qui proferunt Spiritum sanctum distingui à Filio, & cum hoc procedere à solo Patre, substantiam ab hypostasi separant, & partitionem imaginantur divinæ substantiæ.* Urgetur ex sess. 18. ubi legimus, *Secundum omnes Doctores tam Græcos quàm Latinos sola processionum differentia quæ principaliùs dicitur, multiplicat Personas in divinis ad quam sola accommodantur, qui est ab alio & à quo est alius, &c.* Quæ Verba proferuntur à Latinorum Theologo ut evinceret quod cum Græci admittant Spiritum sanctum à Filio distingui realiter ; etiam debent admittere quod ab eo procedat : Ergo casu in quo ita non procederet ab eo non distingueretur.

Solvuntur.

Respondeo ad primum. Verba Concilii non fideliter referri, siquidem non habetur particula causalis *eo quod*, sed absolutè dicitur, *Qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed à Patre Filioque procedens*, quod ultro fatemur.

Ad secundum dico Concilium nihil aliud velle quàm quod Personæ divinæ sint reverà plures ratione relationum, non veró ratione essentiæ & absolutorum, ita quod plures sint quia relativæ sunt, sive interim relationes illæ sint oppositæ, sive tantùm disparatæ : Vnde illud AD INVICEM non debet intelligi determinatè & formaliter de relatione opposita, sed de relatione ut sic & quatenus præscindit ab opposita & disparata; Concilium enim ibi opponit ESSE AD INVICEM seu relativum, modo essendi AD SE seu absolutè : At hæc divisio & oppositio non foret adæquata, si sub priori membro comprehenderet solùm relationes oppositas, non veró etiam disparatas ; hæ namque non possunt sub posteriori membro comprehendi quia non sunt ad se : Ergo hæc authoritas nobis non officit.

In referendis Conciliorum textibus Adversariorũ mala fides.

Ad Concilium Florentinum dico duos priores textus mala fide referri, nam in priori Concilium non habet *eum esse Filium*, imò contradictorium, nempe *eum non esse Filium*. Vt patet in omnibus exemplaribus hactenus editis. Nec verum est quod reponunt aliqui, nempe quod si ponatur particula *non*, nullus erit sermonis sensus : nam sensus clarus est Græcos dicentes Spiritum sanctum non procedere à Filio, sed à solo Patre ; necessarió nihilominus admittere quod non sit Filius, ne contradicant mysterio Trinitatis : Vnde illud *consequenter* non ibi habet vim illationis, quasi ex eo quod Græci admittant Spiritum procedere à solo Patre, consequens esset secundùm eos quod Spiritus sanctus non sit Filius, hæc enim esset inepta illatio, sed hæc particula idem significat ac *sequenter* seu *ulterius* aut *præterea*. Pariter in secundo textu, non legitur illud, *Distingui à Filio* : Sed *qui proferunt Spiritum sanctum, ex sola Patris Persona procedere, hi procul dubio re substantiam ab hypostasi separant, &c.* Quæ verba nobis non adversantur.

Ad posteriorem textum dico Concilium loqui de facto, nempe, quod nunc aperta magis ratio distinctionis unius Personæ ab alia sit quia procedit & refertur : Inde tamen non est inferendum quod non suppetat alia ratio distinctionis, si talis non adesset unius ab alia processio.

VIII. Patres qui nobis adversari videntur.

Objiciunt 2. Ex Boëtio libro 1. de Trinitate cap. 22. *Essentia continet unitatem ; relatio verò multiplicat Trinitatem* : Ergo nulla Persona distinguitur ab alia nisi quæ refertur ad illam. Insuper ex sancto Anselmo libro de Process. Spiritus sancti, cap. 3. *Vnitas non amittit suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio*, ex quo vulgatum axioma, *Omnia in divinis sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio.*

Denique sanctus Augustinus libro 2. de Civit. cap. 10. *Ideo simplex Deus, quoniam quod habet, hoc est, excepto eo quod relativè quæque Persona ad alteram dicitur, sicut Pater habet Filium, & non est Filius* : Ergo si Spiritus sanctus non procederet à Filio esset Filius, quia tunc relativè non diceretur ad illum.

Exponuntur.

Respondeo ad 1. negando consequentiam, aliud enim est quod Persona distinguatur solùm ab illa ad quam refertur ; & aliud quod nulla Persona distinguatur nisi habeat relationem per quam distinguatur : In eo autem casu Filius etiam haberet Filiationem quâ constitueretur & distingueretur ab aliis Personis.

Adde quòd etiam per Filiationem in eo casu referretur ad Spiritum sanctum, non quidem per modum producentis aut producti, sed per modum distincti realiter ad illud à quo distinguitur.

Ad secundum dico sanctum Anselmum admittere etiam oppositionem relationum inter relationes disparatas : Nam eodem capite pauló ante verba in objectione laudata dicit illam oppositionem relationis esse oppositionem *Nativitatis & Processionis*, quæ ut constat, non est relativa, sed disparata : Vnde etiam signanter non dixit omnia in divinis esse unum ubi non obviat relativa, sed *relationis* oppositio; quæ scilicet oppositio tam relativam quàm disparatam complectitur : Adde quòd ipsemet nostram conclusionem apertè propugnet ut dictum est.

Ad tertium Doctor negat consequentiam, non enim S. Augustinus vult quod qualibet Persona esset alia ad quam non haberet correlationem;

Sed tantùm quod habeat quidquid habet alia præter relationem ejus Personalem: In casu autem nostro Spiritus sanctus non haberet Filiationem, nec Filius Spirationem passivam: Ergo non essent unica Persona, sed duæ realiter invicem distinctæ.

IX.

Relatio disparata est sufficiens ratio distinguendi Spiritum S. à Patre & Filio.

Objiciunt 3. Si relatio Filiationis esset sufficiens ratio distinguendi Filium realiter à Spiritu sancto in casu proposito, aut hoc faceret secundùm quidditatem & formalitatem suam, aut secundùm esse reale & entitativum: Non secundum, quia ut sic idem est quod Essentia divina: Ergo primum. Sed relatio ut relatio est formaliter tantùm respicit oppositum: Ergo tantùm distinguit ut est correlatio: At in casu proposito non essent in Filio & Spiritu sancto correlationes, seu relationes oppositæ: Ergo Filius non distingueretur à Spiritu sancto.

Distinguo minorem: Respicit oppositum relativè, nego: disparatè concedo: Ad subsumptum, in illo casu non essent relationes oppositæ, hoc est, veræ correlationes, concedo: non essent relationes oppositæ, hoc est, distinctæ realiter, nego: Siquidem Spiratio passiva & Filiatio sunt relationes disparatæ & invicem distinctæ realiter ut dictum est, quæ ratio disparata sufficit ad distinctionem illam Personalem. Itaque sicut Paternitas distingueret Patrem à Spiritu sancto in eo casu quo à Patre non procederet; quamvis Spiritus sanctus non haberet correlationem ipsi oppositam relativè, sed tantùm disparatè; ita Filius distingueretur ab ipso, quia Spiritus sanctus habet relationem distinctam realiter à Filiatione, quamvis illa relatio in Spiritu sancto non esset correlatio Filiationis, hoc est, Paternitas.

Instabis: Relatio eô modô distinguit quô constituit; sed constituit tantùm in ordine ad terminum: Ergo tantùm à termino distinguit: Atqui terminus relationis, est id quod habet correlationem: Ergo tantùm distinguit ab eo quod habet correlationem: sed Spiritus S. in illo casu non haberet correlationem Filiationis, nec esset terminus ejus: Ergo Filius per Filiationem quatenus relatio est, non potest distingui realiter à Spiritu sancto.

Paternitas distinguit Patrem à Spiritu S.

Respondeo 1. Distinguendo majorem: eo modo distinguit quo constituit, hoc est, si constituat essentialiter distinguit essentialiter; si constituat accidentariò, ita pariter distinguit, concedo majorem: Hoc est, si constituat relativè in ordine ad unum tantùm terminum, ab illo solo distinguit, nego majorem: Quamvis enim Paternitas constituat formaliter Patrem in ordine ad Filium; nihilominus etiam illum distinguit à Spiritu sancto.

Non per modum producentis, sed per modum Personæ realiter distinctæ.

Respondeo 2. Admissa majore distinguendo minorem: Constituit in ordine ad terminum quem respicit tantùm per modum correlativi proprii sicut Pater habet pro correlativo Filium, nego: quem respicit per modum termini aliquo modo, concedo: Similiter distinguo subsumptum, in illo casu Spiritus sanctus non haberet Filiationem pro termino quem respiceret per modum producentis, concedo: quem respiceret per modum Personæ à se realiter distinctæ, nego.

X.

Paternitas & spiratio activa non constituunt Personas distinctas.

Objiciunt 4. Si ad distinctionem Personarum sufficerent relationes disparatæ, quæ non essent correlationes, sequeretur quod Paternitas & Spiratio activa deberent constituere duas Personas: sed hoc est falsum secundùm omnes: Ergo ad Personalem distinctionem non sufficiunt relationes disparatæ.

Confirmatur quia non magis deberet Paternitas & Spiratio passiva constituere duas Personas, quàm Paternitas & Spiratio activa: sed hæ non constituunt: Ergo nec illæ, & consequenter in casu proposito non distingueretur realiter Filius à Spiritu sancto.

Quia duæ productiones activæ non repugnant eidē supposito, benè verò duæ productiones passivæ.

Negat Doctor sequelam objectionis, & antecedens confirmationis ejus, & hanc ait disparem esse rationem duarum harum combinationum scilicet *Generationis*, & *Spirationis* activæ cum *Generatione*, & *Spiratione passiva*, quia duæ productiones activæ respectu diversorum terminorum non repugnant in eodem supposito; benè enim intelligi potest quod quispiam habeat plures actiones plurium productivas, ut de facto contingit non solùm in Patre æterno qui est productivus Filii & Spiritus sancti; sed etiam in Sole respectu plurium effectuum; duæ verò productiones totales passivæ repugnant in eodem supposito, quia sequeretur quod simul & semel unum bis produceretur productione totali quod implicat: Ex eo autem quod Paternitas & Spiratio activa sint in eadem prima Persona, nihil aliud sequitur quàm quod illa Persona duas habeat productiones totales respectu duorum diversorum terminorum: Si autem Filiatio & Spiratio passiva essent in una eademque Persona, sequeretur in ea esse duas productiones passivas, eamque bis produci quod implicat; adeoque si unum non repugnet, inde non sequitur quod etiam aliud non pugnet.

Instabis: Duæ relationes ex se non sunt incompossibiles, nisi invicem opponantur: sed Filiatio & Spiratio passiva non opponuntur: Ergo ex se non sunt incompossibiles.

Distinguo majorem: Nisi opponantur formaliter per modum duarum correlationum, nego majorem: Nam duæ productiones passivæ totales ejusdem effectus ab eadem vel diversa causa non sunt correlationes, & tamen repugnant in eodem effectu, seu eadem re: nisi opponantur disparatè; ita ut una alterius exigat exclusionem, concedo majorem: & similiter distincta minore, neganda est consequentia.

XI.

Duæ relationes disparatæ sunt interdum incompossibiles.

Objiciunt 5. In divinis non est asserenda distinctio nisi ubi eam aut fides astruit, aut ratio probat: At in eo supposito nec fides asserit, nec ratio probat fore distinctionem realem inter Spiritum sanctum & Filium: Ergo non est asserenda.

Respondeo primò in minore peti principium, de hoc enim quæritur utrum id ratio probet necne.

Deinde retorqueri potest argumentum hoc modo, in divinis non est asserenda i entitas, nisi eam aut fides doceat; aut ratio convincat: Sed in casu posito, nec fides nec ratio evincit fore identitatem Filii cum Spiritu sancto: Ergo nec id est asserendum.

XII.

Quatuor oppositiones disparatæ inter relationes divinas.

Objiciunt denique: Inter divinas relationes quatuor concipi possunt oppositiones disparatæ: Prima quidem inter *Generare* & *Spirare*: Secunda inter *Generari* & *Spirari*: Tertia inter *Generare* & *Spirari*: Quarta denique inter *Generari* & *Spirari*: Sed nulla istarum est sufficiens principium formale distinctivum Personarum: Non quidem prima aut secunda; quia

tunc

tunc sequeretur Genitum & Spiratum, esse A duas Personas, & similiter Genitorem & Spiratorem duas alias, quod est falsum. Non etiam Tertia aut Quarta, nam illæ oppositiones disparatæ ita essent Personarũ distinctivæ, vel quatenus disparatæ sunt; vel quatenus sunt tales: Non primum, etenim si propositioni disparatæ relationum, quatenus disparata est, convenit esse principium formale distinctivum Personarum; jam omnis oppositio relativa disparata distinguet, & ita *Generare*, ac *Spirare*, sicut & *Generari* ac *Spirari* constituent duas Personas: Non etiam secundum, quia non videtur potior B ratio cur hæ sint Personarum distinctivæ quàm aliæ: Ergo, &c.

Respondeo 1. Dici posse quod sint Personarum distinctivæ præcisè quatenus sunt disparatæ; nec inde sequi quod omnes, relationes disparatæ ita debeant esse Personarum distinctivæ; maximè cum non omnes; etiam relativè oppositæ relationes, sint Personatum distinctivæ; etenim Spiratio activa & passiva sunt correlationes, & relativè oppositæ, & tamen non distinguunt personaliter; Spiratio enim activa in Patre non est Personalis, quum ille ante ipsam jam concipiatur constitutus in esse Personæ per Paternitatem & generationem activam, quæ instanti originis præcedit Spirationem.

Secundò dico: Non omnes quidem relationes disparatas esse Personarum distinctivas, sed tantum eas quæ Personales sunt, seu quibus divinæ Personæ constituuntur, quales sunt Paternitas, Spiratio passiva, & Filiatio cum ipsa Spiratione passiva comparata.

COROLLARIA.

Spiritus sanctus non exigit per se produci à duabus Personis.

Ex his sequitur primò, quod etsi Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, tamen absolutè posset procedere ab unica Persona. Siquidem Pater & Filius seorsim habent sufficiens principium productivum Spiritus sancti, nempe voluntatem infinitam ab objecto infinito, scilicet essentia divina, fœcundatam: Ergo D si de facto non procederet à duabus; nihilominùs reverà procedere posset ab unica Persona æquè perfectus.

XIII. *Collige* 2. Quod Pater & Filius sint unicum principium Spiritus sancti: Tum quia, ut inquit S. Augustinus 5. de Trinit. cap. 14. *Sicut Pater & Filius unus Deus, & ad creaturam relatus; sic relativè ad Spiritum sanctum, unum principium.* Tum quia sicut Pater gignendo Filium cõmunicat ei eandem essentiam, ita & eandem vim spirativam: Ergo ratione illius unius vis spirativæ, dicendi sunt unum principium Spiritus sancti. Consequentia patet; Sicut enim ex E eo Pater, Filius, & Spiritus sanctus dicuntur unus Deus, quia habent unicam Divinitatem; & unus Creator, quia habent unicam vim creativam; sic etiam Pater & Filius dicendi sunt unus Spirator, seu unicum principium Spiritus sancti, quia habent unicam vim spirativam.

Pater & Filius sunt unicum principium Spiritus sancti.

XIV. *Collige* 3. Quod Pater & Filius non possint quidem dici *duo Spiratores*, bene verò *duo Spirantes*, ut docet Doctor in 1. dist. 12. q. 1. quia inquit, terminus pluralis *duo* junctus nomini *Spirator* significaret vim spirativam in Patre & Filio esse distinctam & duplicem, quoniam vocabulum *Spirator* formaliter designat vim spirandi: Secus est autem de participio *Spirante*, quod significat Personam habentem illam vim spirativam; ita ut sicut sunt duæ Personæ producentes Spiritum sanctum, ita possunt dici duæ spirantes, hoc est duæ Personæ habentes vim spirativam. Ratio autem disparitatis est, quòd ad pluralitatem nominum substantivorum concretorum, non sufficit pluralitas suppositorum, sed etiam requiritur pluralitas formarum: Ad pluralitatem verò adjectivorum & participiorum, sufficit pluralitas suppositorum. Hinc veræ sunt istæ propositiones, Pater, Filius, & Spiritus sanctus *sunt unus Creator, una Causa, unus Gubernator, &c.* Quia habent unicam eandemque vim creandi, causandi, &c. Similiter propter pluralitatem suppositorum, veræ sunt etiam istæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus *sunt tres Creantes, Causantes, & Gubernantes.*

Non possunt dici duo Spiratores, sed duo Spirantes.

QUÆSTIO TERTIA.

Quinam sint proprii & appropriati sancti Spiritus characteres?

C JAM diximus in Præludio hujusce Disputationis, *Spiritus* nomen, quatenus Amorem spiratum significat, esse soli tertiæ divinæ Personæ proprium: Remanet verò solvenda difficultas de tribus maximè vocabulis, quæ ipsi tum à Scriptura, tum à Patribus tribuuntur, dum videlicet appellatur *Sanctus*, *donum Dei*, & *Charitas* ac *Amor*: An autem hæc nomina sint ipsi propria vel tantùm appropriata, resolvendum est impræsentiarum. Quocirca

Notandum 1. Sanctum tribus modis usurpari. *Primò* quidem pro eo quod est purum & omni immunditia defæcatum, & sic sanctificatio dicitur emundatio à peccato per gratiam. *Secundò*, Sanctum, idem est quod cultui divino deputatum & consecratum & hoc modo dicitur Templum sanctificari sicut & vasa, quæ in ministerium Templi deserviunt; sed multò magis rationalis Creatura sancta dicitur, quando ad divinum obsequium applicatur: *Tertiò* Sanctum idem est, quod firmum seu in bono confirmatum: Certum est autem his tribus modis sanctitatem effectivè Spiritui sancto appropriari, ille enim per infusionem Gratiæ sanctificantis Creaturam rationalem emundat ab omni inquinamento carnis & spiritus, & eam à terrenorum affectuum colluvione defœcans, in Deum totius puritatis centrum evehit, ex qua evectione secundus sanctitatis radius erumpit, videlicet consecratio & divino cultui mancipatio & applicatio: Amor enim est principium ordinationis in Deum, & per eum maximè Deo dedicamur & consecramur; quò demum fit ut anima in virtute firmetur ac roboretur, & quandam immobilitatem in bono consequatur quæ totius est sanctitatis character. An autem præter hanc sanctitatis effectivæ appropriationem, etiam divina essentialis sanctitas Spiritui sancto peculiari titulo conveniat, hic determinandum est. I.

Sanctum tribus modis usurpatur.

Notandum 2. Ex Aristotele lib. 4. Topicorum cap. 4. quod *Donum alicujus & alicui dicitur, & datio alicujus & alicui dicitur: Est autem* II.

Tria in dono reperiuntur.

datio genus Doni : nam Donum datio eſt irredibilis : Ideſt liberalis ſine ulla ſpe retributionis: Ex qua definitione colligitur tria reperiri in Dono. *Primum* rem ipſam quæ donatur : *Secundum* relationem rei datæ ad donantem : *Tertium* denique reſpectus rum dantis quum dati ad ipſum cui ſit datio. Noo eſt autem neceſſe diſtinctionem realem intercedere inter donans & datum, namque unum & idem cùm alteri dat ſeipſom, ſimul donans & datum eſt. Obſervandum inſuper quod quamquam ratio doni in divinis primariò & per ſe coonotet reſpectum rationis ad Creaturas, oibilominùs etiam ſecundariò eonnotat proceſſiooem per modum libertatis : Unde io illo eonnotato duo reperiuotus, ſcilicet emanatio, & modus emanationis, ita quod donatum in divinis primò debeat emanare ab eo qui donat ; ſecundò ita emanare ut producatur liberè ſeu per voluntatem, in quibus duobus maximè fundatur relatio rationis doni ; quæ tantum in tempore terminatur ad Creaturam cui ſit donatio.

III. Dilectio ſeu Amor in divinis trifariam accipitur.

Notandum 3. Dilectionem, ſeu Amorem in divinis uſurpari trifariam : *Primò* quidem eſſentialiter, quatenus ſignificat actum volitionis & dilectionis qui eſt commuois tribus Perſonis, ſicut enim Intelligere & Iotellectio eſt eſſentialis Deo, ita Diligere & Amor eſt quid eſſentiale abſolutum & commune. *Secundò* ſumitur ioterdum uotionaliter, quatenus nempe ſignificat actionem productivam termini producti per voluotatem, & ſie Diligere idem eſt ac Spirare, & terminus illius oon eſt alius, quàm ipſa Perſona ſpirata, quæ dicitur Spiritus ſanctus. *Tertiò denique* uſurpatur mixtô quodam modô, pro babitudine diligentis ad res dilectas : Quod rurſus duobus modis uſurpari poteſt, nimirum principiativè & formaliter ; quatenus nempe Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum qui eſt Amativus (ſi ita loqui liceat) ſeu amor omnis amabilis ; dicuntur etiam principiativè eſſe Amorem omnis amabilis : quatenus verò Spiritus ſanctus per Amorem vi ſuæ proceſſionis ſibi communicatum reſpicit quidquid eſt amabile, cenſetur eſſe amativus formaliter omnis amabilis : Qua ratione habet duplicem reſpectum ; uoum realem ad principium ſui productivum, alterum rationis ad res amatas vel amabiles. Qualiter autem Amoris nomen ipſi propriè eooveniat, infrà reſolvendum eſt ; interim ſit

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Sanctitas appropriatur Spiritui ſancto. Ut conſtat ex S. Auguſtino.

SANCTITAS *maximè appropriatur Tertiæ in divinis Perſonæ* ; Hæc eſt de fide, ſiquidem hæc adoranda Perſona, oedum Scripturæ ſacræ, ſed & Conciliorum & Sanctorum Patrum Oraculis conſtanter SPIRITUS SANCTUS appellatur, quocirca ſanctus Auguſtious lib. 10. de Civitate cap. 24. eum appellat ſanctitatem Patris & Filii ; quam utique appellationem lib. 11. cap. 24. ita expeodit, *Verum boni Patris & boni Filii Spiritus ſanctus, quia communis Ambobus eſt, rectè* BONITAS *dici poſſit Amborum, non audeo temerariam præcipitare ſententiam : Veruntamen Amborum eum dicere* SANCTITATEM, *facilius auſus fuero, non Amborum, quaſi qualitatem, ſed ipſum quoque ſubſtantiam & tertiam in Trinitate Perſonam. Ad hoc enim me probabiliùs ducit quod cum ſit & Pater ſpiritus, & Filius ſpiritus, & Pater ſanctus, & Filius ſanctus ; propriè tamen ipſe vocatur* SPIRITUS SANCTUS, *tanquam ſanctitas ſubſtantialis & conſubſtantialis Amborum.* Ipſi præcinit ſanctus Cyrillus lib. Dialogo 7. de Trinitate ; *Sanctus eſt*, inquit, *Spiritus ipſum, non participatione, neque externa ad Filium habitudine, ſed naturâ, & veritate : Nam ut ſtupidum & inſulſum eſt hominem appellari, reverà quidem hominem, tamen aliud ab eo quiddam intelligi ; ita ſtultum admodum eſt Spiritum quidem ſanctum nominare Spiritum, & tamen ipſum excludere ab eo ut natura ſit ſanctus, & abſurdè aliam in naturam excludere : Non enim gloria aut excellentia modum aliquem nomen iſtud illi ſignificabit, quemadmodum hac Principatus, & Thronus, & Dominatio quæ iis tribuuntur quæ ab illo ſunt condita : ſed ſubſtantialem potius qualitatem exprimet, veluti nomen illud Pater Patri, & Filius Filio, &c.* Quibus apertè dicere videtur ſanctitatem oedum appropriatam, ſed etiam veluti propriam eſſe Spiritui ſancto, ſicut Patri propria eſt Paternitas, & Filio Filiatio.

Et ratione.

Quod utique etiam ratio ſuadet, ſi attendatur modus amoris quô tertia illa divina perſona procedit : Omnis enim ſanctitas aut malitia ab amore & voluntate originem habet : Unde etiam peculiari ratione ad illam tertiam divinam Perſonam ſpectat Homines & Angelos ſanctificare ; quare ſanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 13. Theſauri cap. 4. *Sanctus*, inquit, *Spiritus dicitur, quia ſanctus eſſentialiter dicitur, naturalis enim & viva & ſubſiſtens Dei operatio eſt quæ Creaturas per ſuam participationem ſanctificando perficit.* Et paulo inferius, *Ipſam ſanctificandi virtutem, quæ ex Patre naturaliter prodit & Creaturas ſanctificat atque perficit, Spiritum ſanctum appellamus.* Qualiter autem Creaturarum ſanctificatio ipſi approprietur, jam ſufficienter dictum eſt in ſecundò Notabili.

CONCLUSIO SECUNDA.

V. Quemadmodum & Donum. Ut Scriptura ſacra diſertè aperit.

NOMEN *& ratio Doni Spiritui ſancto maximè appropriatur.* Hanc Concluſionem plurimis Scripturæ textibus probat ſanctus Auguſtious libro 15. de Trinitate, capite 19. maximè verò ex ſequentibus Joannis 4. Chriſtus Samaritanam alloquens, ait ; *Mulier ſi ſcires Donum Dei*, loquebatur autem Chriſtus de aqua vitæ quam capite 7. Ioannes dicit eſſe Spiritum ſanctum his verbis, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ ; hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum :* Item Actuum 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia Donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri* : Hoc autem dixit ſanctus Petrus quando Simon Magus *videns quia per impoſitionem manuum* Apoſtolorum *daretur* SPIRITUS SANCTUS *obtulit eis pecuniam* : Hoc ipſum probat ſanctus Auguſtinus ex ratione ipſa originis ſancti Spiritus qui, inquit, libro 5. de Trinitate cap. 14. *Exiit non quomodo natus, ſed quomodo datus*, quia ſcilicet procedit ut Amor qui prima radix eſt gratuitæ donatioois : Ideo namque donamus gratis, quia volumus bonum Perſonæ accipienti, quapropter Amor babet rationem primi doni per quod omnia gratuita donaotur : cum igitur Spiritus ſanctus ex vi ſuæ proceſſionis formaliter

procedat ut amor productus per voluotatem; consequens est ipsi ratione suæ proprietatis Personalis convenire peculiarem aliquam rationem doni, quooiam ex vi suæ originis formaliter procedit secundum primam radicem liberalitatis gratuitæ.

VI.

Spiritus sanctus habet rationē Doni non solùm respectu creaturarum.

Dices 1. Spiritus S. est ab æterno: Sed ab æternò non potest habere rationem dooi: Ergo ratio doni ipsi noo competit ratiooe proprietatis Personalis. Major constat. Probatur mioor: Dooum necessariò duplicem respectum importat, unum ad Personam à qua datur, & alium ad Personam cui datur: Sed ab æteroo nulla fuit creatura cui Spiritus sanctus donari posset: Ergo nec potuit habere rationem doui.

Sed etiam respectu Patris & Filii.

Respondent aliqui Spiritum sanctum habere ratiooem *Doni* non solùm respectu creaturarum, sed etiam respectu Patris & Filii, est enim veluti dooum quod Pater donat Filio vicissimque FiliusPatri, quatenus uous alteri suum amorem impendit atque rependit.

Donum dicitur ex eo quod dari possit.

Respondeo 2. Donum non dici ex eo quod actu detur, sed ex eo quod habeat aptitudinem ut possit dari: Unde ab æterno divina Persona dicitur donum, licet in tempore tantùm donetur, ut egregiè explicat sanctus Augustinus de Trinitate cap. 15. *Quia sic procedebat ut donabile, jam donum erat, & antequam esset qui daretur, aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum; nam donum potest esse, & antequam detur, donatum autem nisi datum fuerit nullo modo dici potest:* Et paucis interpositis; *Sempiternò Spiritus donum, temporaliter autem donatur.*

VII.

Spiritus autem sanctus dari potest quatuor modis juxta mentem S. Bonaventuræ.

Dices 2. Spiritus sanctus non solùm à Deo, sed etiam à Creaturis datur, siquidem Actorum 8. legimus quod per impossitionem manuum Apostolorum daretur Spiritus saoctus: Ergo noo solum est donum Dei.

Respondet S. Bonaventura in 1. *distinctione* 14. *articulo* 2. *quæstione* 2. Spiritum sanctum dari posse quatuor modis, vel sicut à præparante, seu ministrante Sacramenta: Vel sicut ab annuntiante salutaria documeota, vel sicut ab impetrante per orationem sive per bona opera, vel sicut à producente. Primo & secundo modo tam confertur à bonis quàm à malis: Secundò modo tantùm coosertur à bonis: Tertiò modo tantùm donatur à Deo, siquidem à solo Patre & Filio producitur & donatur Creaturis, tanquam donorum omnium maximum & inexhausta boootum omnium quæ in nos à Deo fluunt origo. Nam ioquit sanctus Basilius in libro de Spiritu sancto, *Per Spiritum sanctum datur in Paradiso restitutio, in Regnum Cælorum reditus, in adoptionem Filiorum reversio: datur fiducia Deum appellandi Patrem, consortem fieri gratiæ, Christum Filium lucis appellari, æternæ gloriæ participem esse, & ut semel omnia dicam, esse in omnis benedictionis plenitudine*: Siquidem ut addit sanctus Chrysostomus homil. 2. de Spiritu sancto, *Ille est nostræ imaginis reformatio, mentis perfectio spiritualis, mentalium oculorum nostrorum sol, interni nostri hominis lumen, copula unionis nostræ cum Christo, Animarum exultatio, cordis tripudium, mentis requies, sapientiæ communicatio: Hoc Prophetæ illustrantur, Reges inunguntur, Sacerdotes ordinantur, Doctores illuminantur, Ecclesia sanctificantur, altaria fundantur, unguentum consecratur, aqua purgantur, Dæmones abiguntur, morbi curantur, peccatores Deo reconciliantur.*

CONCLUSIO TERTIA.

VIII.

Item competit ipsi ratio divini amoris.

SPIRITUI *sancto maximè convenit nomen & ratio divini Amoris.* Hæc pariter colligitur ex Scriptura sacra illis maximè locis quibus charitas & amor appellatur, sic ad Romaoos 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Quod ita expeodit sanctus Augustinus 15. de Trinitate cap. 18. *Dilectio quæ ex Deo est, & Deus est, propriè Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei Charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.* Et cap. 19. appellat Spirituo S. Charitatem & Amorem Amborum nempe Patris & Filii: *Etsi Charitas*, inquit, *quâ Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius ineffabiliter communionem demonstrat Amborum, quid convenientius, quàm ut ille Charitas dicatur propriè qui Spiritus est communis Amborum.*

Non solùm Appropriatè.

Licet autem affirmet charitatem propriè convenire Spiritui, nou diffiteor illum, *Propriè*, pro appropriatè usurpasse, nam subdit, *Sicut non solus est in illa Trinitate vel Spiritus vel sanctus: sed Pater est Spiritus, & Filius Spiritus: & Pater sanctus & Filius sanctus, quod non ambigit pietas: & tamen iste non frustrà propriè dicitur Spiritus sanctus: quia enim est communis Ambobus, id vocatur ipse propriè, quod Ambo communiter.*

Sed etiam Propriè.

Nihilominus non solùm appropriatè, sed etiam propriè Spiritus sanctus nominari potest Amor, tum ratione processionis, quia procedit per voluntatem quâ propriè spiratur amor; tum ex additione alicujus prædicati, si nempe dicatur amor productus vel spiratus. Primum egregiè explicat sanctus Petrus Damianus in Opusculo primo cap. 2. dicens, *Et hæc summa illa Charitas est quâ genitus à gignente diligitur suumque diligit genitorem: ideoque non ampliùs quàm tria sunt, & essentialiter indivisa, & tripartita proprietate distincta; unus diligens illum qui de illo est, unus diligens eum à quo est; & ipsa dilectio de qua dicitur quia Deus Charitas est.* Secundum verò pluribus inculcat saoctus Augustinus locis laudatis.

Cæterum ita Charitas vel amor aut dilectio Patris & Filii putandus est Spiritus sanctus, ut tamen non sit ipsa essentialis Charitas quâ divinæ Personæ se invicem diligunt, nam 1. Joan. 4. *Deus Charitas est*: Vnde quidam uti refert sanctus Augustinus libro de fide & Symbolo cap. 9. ut Spiritum sanctum distinctam à Patre & Filio Personam uegarent, *Ausi sunt... ipsam communionem Patris & Filii atque ut ita dicam Deitatem.... Spiritum sanctum credere, &c.*

Et effectivè.

Itaque Spiritus sanctus est amor *appropriatè*, quia procedit per voluntatem cujus est amare; & *propriè* quia est terminus per amorem Spiratus, seu amor productus: & *Effectivè* quia *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Quod ita expendit sanctus Bernardus Epistolâ 107. *O geminum ipsum firmissimum erga nos amoris argumentum! Christus moritur; meretur amari: Spiritus afficit & facit amari: Ille facit cur ametur; ille ut ametur: ille multùm dilectionem in nobis commendat, iste dat: in illo cernimus quod amemus, ab isto sumimus, unde amemus: Charitas ergo ab illo occasio, ex isto affectio.*

Insuper hîc advertendum quod cùm Spiritus A sanctus mutuus sit amor Patris & Filii, sive mutui amoris fructus ac terminus, non solùm *Amborum unitas & communio* appellatur ab Augustino 6. de Trinit. cap. 5. sed & *osculum*, *amplexus*, *vinculum utriusque* à nonnullis dicitur: Sic sanctus Bernardus serm. 8. in Cantica, *Si*, inquit, *rectè Pater osculans, Filius osculatus accipitur; non erit abs re osculum Spiritum sanctum intelligi, utpote Filii qui imperturbabilis pax sit, gluten firmum, individuus amor, individua unitas.* Et serm. 1. in Octava Paschæ, *Spiritus est indissolubile vinculum Trinitatis per quem sicut Pater & Filius unum sunt, sic & nos unum sumus in ipsis.* Similiter Laurentius Iustinianus libro B de Obedientia Spiritum sanctum vocat, *Charitatis indissolubile vinculum & pacis suavissimum osculum, mutuique amoris beatissimum amplexum.*

IX. Afferuntur alia divinis Spiritus S. nomina.

Aliæ sunt hujusce divini Spiritus appellationes, quarum aliquas ita expendit Seraphicus Bonaventura in compendio Theologico lib. 1. cap. 9. *Dicitur enim* 1. Fons vivus, *quia septemplici rivo donorum (quæ recenset Isaias 11.) in nos fluit.* 2. Ignis, *Quia affectum nobis accendit.* 3. Charitas, *Non solùm quia est amor Patris & Filii, sed quia nos amantes facit.* 4. Spiritualis unctio, *Quia omnes tribulationes mundanas suaves facit & mundas, secundùm illud prosæ in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.* 5. C Dextræ Dei digitus, *Quia sicut corporales res digito demonstrantur, ita per Spiritum sanctum ostenduntur res spirituales oculo spirituali.* 6. Paracletus, *Quia consolationes cœlestes mentibus instillat.* 7. Magistrorum optimus, *Quia intellectum ad Dei cognitionem & sui ipsius illuminat.*

Plures alios characteres ei tribuit divina Sapientia cap. 7. nam *Spiritus intelligentiæ dicitur* Rectus, *Quia* (inquit Cornelius Mussius lib. 3. Historiæ sacræ) *prava vertit in directa, & aspera in vias planas*: Bonus, *Quò omnia mala pelluntur vel cooperantur in bonum*: Principalis, *Quia principes nos facit, perturbationum Dominos, vitiorum triumphatores*: Dulcis, *Per quem* D *amara omnia dulcescunt dum Charitas diffunditur in cordibus nostris*: Sanctus, *Quo peccata remittuntur & peccatores sanctificantur*: Mundus, *Quò nihil mundius, qui facit mundos, cui non placent nisi mundi*; Simplex, *Qui effugit fictos & odit omnem dolum*: Subtilis, *Ad illabendum & ad scrutanda & examinanda judicia profunda Dei*: Modestus, *Sancti pudoris & verecundiæ Author*: Disertus, *Qui aperit ora mutorum & linguas infantium facit esse disertas*: Securus, *Futuri & præsentis*: Certus, *Quia nec fallitur nec fallit*: Mobilis, *abrumpens omnes injustas moras impii otii, negligentiæ & tarditatis impatiens*: E Humanus, *Omnium hominum amans animas.*

APPENDIX

De Missione divinarum Personarum.

I. Aliquæ divinæ Personæ ab aliis mittuntur.

DIVINARUM Personarum aliquas ab aliis ad Creaturas mitti fide constat pluribus Scripturæ textibus exarata, nam Joann. 3. Christus ait, *Misit Deus Filium suum in mundum, non ut judicet mundum, &c.* Et 15. *Quem Pater sanctificavit & misit in mundum.* Et 16. *Exivi à Patre & veni in mundum*, nam inquit Aug. 2. de Trinit. cap. 5. *A Patre exire & venire in hunc mundum, hoc est mitti.* Similiter de Spiritu sancto idem Filius ait, *Cum assumptus fuero à vobis mittam eum ad vos*, Joann. 16. & ad Galatas 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui.* 1. Petr. 1. *Spiritu sancto misso de Cælo.* Et Psalmo 103. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, &c.*

Adde quòd missionis definitio infra tradenda divinis Personis conveniat. Superest itaque determinandum quid sit illa divina Missio, & quibus ac qualiter divinis Personis quadret, quæ ut fiant evidentiora

Observandum ex sancto Bonaventura in 1. dist. 15. part. 1. quæstione 1. Missionem à Creaturis ad divina secundùm aliquam Analogiam transferri. Missio autem in creatis maxime triplicem dicit respectum; Primum quidem ad principium sive ad mittentem: Secundum ad terminum quò aliqua res mittitur: Tertium ad Missum sive ad eum qui mittitur. In ordine autem ad principium, sive ad mittentem, varia potest esse missionis comparatio, sive tanquam ad dantem alteri esse, sic radius mittitur à sole, radix aut flos ab arbore; sive tanquam ad dantem virtutem, & sic mittitur jaculum à projectore: Sive tanquam ad dantem jurisdictionem seu authoritatem, & sic mittitur nuntius à prætore, & legatus à Pontifice. Iuxta autem hanc triplicem acceptionem reverà Missio est in divinis, nam Filius mittitur à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio tanquam habens esse & virtutem, adeoque etiam authoritatem à mittente.

Sicut Missio in creatis triplicem habet respectum.

Iuxta autem alias comparationes quibus mittens se habet ad Missum, ut dans consilium, sicut Consiliarii mittunt Regem ad bellum; vel ut imperans, sicut Dominus mittit servum, manifestè non convenit missio divinis Personis, consilium enim accipere imperitiæ indicium est; impetio autem subdi diminutæ est potestatis.

Similiter in ordine ad terminum Missio triplicem habere potest respectum; mittitur enim aliquis ad aliquid vel tanquam ad locum in quo quiescat, sic lapis mittitur deorsum; vel tanquam ad possessorem, sic mittitur donum alicui: vel tanquam ad operationem in aliquo aut cum aliquo faciendam; sic autem Persona divina mittitur ut nobiscum sit, seu in nobis per internam habitationem quiescat, ut à nobis possideatur, & ut nobiscum operetur bona; nam Spiritus sanctus dicitur: Primò, *Habitare in cordibus nostris*: Secundò esse *Donum Dei altissimi*: Tertiò *Operari in nobis omnia prout vult.*

Sic in divinis.

Insuper ad perfectiorem dicendorum intelligentiam Removendæ sunt tres imperfectiones Missionis creatæ à Missione divina. Primò namque in Missione creata est separatio Missi à mittente: Secundò subjectio Missi ad mittentem, & authoritas mittentis in Missum: Tertiò mutatio in Misso dum unum locum deserit, alterum acquirit: Has autem imperfectiones removent à divinis Personis earum essentiæ unitas, immensitas, & æqualitas; etenim unitas separationem; æqualitas submissionem; & immensitas mutationem localem excludit. His ita ex Seraphico Doctore prænotatis.

II.

Filius & Spiritus sanctus à Patre mittuntur.

Dico 1. Non tantum dona Creata quæ appropriantur Filio & Spiritui sancto, sed etiam ipsasmet Personas Filii & Spiritus sancti reverà mitti; quod utique patet ex Scriptura sacra, quorum unum aut alterum textum ponderare sufficit Ioannis 14. *Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia*; sed munus Consolatoris, docentis, & suggerentis non exercet nisi Persona subsistens: Ergo qui mittitur reverà est Persona Spiritus sancti: Similiter cap. 15. *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*; Idem itaque qui procedit à Patre, quique per infallibilem authoritatem testimonium perhibet de Filio, ille idem mittitur à Filio simul & à Patre: Ergo missio non tantum intelligitur de ipsius donis; sed etiam de ipsamet Persona. Denique ad Romanos 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Quibus patet nobis dari Spiritum ipsum qui distinguitur à dono creato charitatis tanquam author illius.

Non solùm quoad dona creata quæ ipsis attribuuntur.

Sed etiam quoad ipsius Personas.

Confirmatur: Ex sanctis Patribus, maximè Augustino lib. 15. de Trinit. cap. 26. ubi probans Divinitatem Spiritus sancti ex eo quod jusserit Christus baptisari omnes gentes in nomine Patris, concludit, *Ipse est igitur qui de Cœlo etiam datus est die Pentecostes: Quomodo ergo Deus non est qui dat Spiritum sanctum, imò quantus Deus est qui dat Deum.* Quibus apertè docet ipsum Spiritum in cujus nomine baptizamur, & qui verè Deus est, fuisse datum die Pentecostes. Item sermone 43. de verbis Domini: *Magna est*, inquit, *misericordia Dei, donum dat æquale sibi, quia donum Dei Spiritus sanctus est, & unus Deus tota Trinitas Pater, Filius, & Spiritus sanctus*: Confirmat autem Apostoli verbis *Charitas Christi diffusa est, &c.* Probatur etiam ratione, si tantummodo mitteretur donum & non ipsa Persona Spiritus sancti, sequeretur ipsum non posse dici ratione personalitatis donum: sed hoc falsum est ex dictis, quia Personalis notio Spiritus sancti, est esse donum, & amorem Spiratum; Ergo quemadmodum ei convenit esse amorem in seipso, & non tantum in effectu: Ergo etiam convenit donari. Deinde si tantum mitteretur penes dona, posset eludi mysterium Incarnationis, & dici quod missio Filii facta sit in aliquibus donis: Cur enim hæc sic exponetur, illa verò non? Cum Scriptura sacra æqualiter utramque nomine missionis exprimat.

III.

Persona missa producitur à mittente.

Dico 2. Missionem supponere processionem Personæ missæ à mittente. Colligitur pariter ex Scriptura sacra, nam Joannis 7. Christus ait, *A meipso non veni, sed est verus qui misit me quem vos nescitis: Ego scio eum; quia ab ipso sum, & ipse me misit*: Similiter cap. 16. *Exivi à Patre & veni in mundum*; quem textum ita ponderat Cyrillus Alexandrinus libro 11. in cap. 9. *Exivisse*, inquit, *à Deo, nihil aliud est nisi natum esse, effulsisseque ex substantia Patris eo processu quo est, & in propria intelligitur subsistentia.... Aut exivisse à Patre dicit, idest Homo factus sum, & ad vestram natura[m] descendi.* Unde Augustinus Tract. 102. in Ioann. *Exiit à Patre, quia de Patre est, & in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit.*

Probatur & Colligitur Spiritus sancti processio à Filio, ex eo quod ab ipso mittatur, ut supra diximus: Ergo processio præsupponitur ad missionem. Confirmat S. Anselmus Tractatu de processione Spiritus sancti dicens, *Nimis difficile, imò impossibile est ostendere quomodo non procedat ab utroque; Unde enim Filio cum Patre dare simul, vel mittere Spiritum sanctum, & hunc esse utriusque, si simul non est de utroque? Cur enim magis det Filius Spiritum sanctum quàm Spiritus sanctus Filium? Aut cur magis Spiritus Filii quàm Filius Spiritus S. nisi quia Filius non est ita de Patre simul & de Spiritu sancto, sicut Spiritus sanctus est de Patre simul & Filio.* Eodemmodo processit Joannes Theologus in Concilio Florentino, sessione 24. ubi expendens illud Ioannis 15. *Quem ego mittam vobis*, ait, *mittam, quid aliud obsecro significat quàm quòd ex aliquo mittitur? Qui verò quippiam mittit, is suum mittere videtur, id quod mittitur ex ipso dicitur esse, ut si Præfectus provinciæ quidquam fecerit, is non ex se, verùm Imperatoris jussu id fecisse videtur; ita etiam Filius, qui cum in generatione à consubstantiali Patre Spiritum sanctum accepisset, eandem & Paternam facultatem, ac naturam habens, eundem Spiritum mittere creditur.*

Confirmatur, Ex eo quod sanctus Augustinus asserat missionem non tantùm includere apparitionem alicujus divinæ Personæ per Creaturam visibilem: Si enim inquit lib. 4. de Trinit. cap. 1. *Si voluisset etiam Deus Pater, per subjectam Creaturam visibiliter appareret; absurdissimè tamen aut à Filio quem genuit, aut à Spiritu sancto, qui de illo procedit missus diceretur, non alia certè ratione, nisi quia,* ut dixerat cap. 20. *Pater, cum ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus; non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat.* Sed insuper missio requirit processionem Personæ missæ a Persona mittente; etenim in missione servari debet authoritas Personæ mittentis, & subauthoritas Personæ missæ seclusa tamen omni superioritate & inferioritate; sed hæc authoritas & subauthoritas reperitur tantùm inter Personam producentem & productam: Ergo Persona ipsa arguit processionem ad intra. Denique missio includit egressum missi à mittente; sed inter divinas Personas non est egressus nisi secundum processionem: Ergo missio passiva includit processionem.

Dices: Filius divinus mittitur à Spiritu sancto, ut constat ex illo Isayæ 48. DOMINUS DEVS MISIT ME & SPIRITUS EIUS: Unde sanctus Augustinus 2. de Trinit. 5. Attribuit missionem Filii Spiritui sancto: MISIT, inquit, DEVS FILIVM SUVM FACTUM EX MVLIERE; *ubi satis ostendit eò ipsum missum Filium quò factum ex muliere. Proinde mitti à Patre sine Spiritu sancto non potuit, quia Pater intelligitur misisse cùm eum fecit ex fœmina; quod utique non fecit sine Spiritu sancto.* Item sanctus Ambrosius libro 2. de Spiritu sancto, *Quis est qui dicit*, ME MISIT DOMINVS, ET SPIRITVS EIVS, *nisi qui venit à Patre ut salvos faceret peccatores, idest, Christus? Ergo & Pater Filium misit & Spiritus sanctus.* Item idem Ambrosius ibidem, *Rursus datus est à Patre, ut Isaïas dicit*: PVER NATUS EST NOBIS, ET FILIUS DATUS EST NOBIS. *Datus est, audeo dicere, & à Spiritu sancto, quia* IV.

& à Spiritu sancto missus est. Dicit enim Filius Dei, SPIRITUS DOMINI SUPER ME PROPTER QUOD UNXIT ME, EVANGELIZARE PAUPERIBUS MISIT ME. Item Concilium Toletanum 11. in Confessione fidei: *Filius missus non solùm à Patre, sed à Spiritu sancto credendus est in eo quod per Prophetam dicitur*, ET NUNC DEUS MISIT ME ET SPIRITUS EIUS: Sed Filius non procedit à Spiritu sancto: Ergo Missio processionem non supponit.

Respondeo: Hanc Missionem intelligi de Filio secundùm humanitatem quatenus nempe in natura assumpta missus fuit, idque non per naturam, sed per voluntatem & imperium, ad prædicandum aliaque salutis nostræ opera exequenda; eatenus enim humanitas missa dicitur à tota Trinitate, atque à Deo, etiam à Verbo ipso, ut sequentia verba Concilii Toletani declarant, *A seipso quoque*, inquit, *missus accipitur, pro eo quod inseparabilis non solùm voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur.*

Confirmat Doctor in 1. dist. 15. num. 4. ex sancto Ambrosio in 3. libro de Spiritu sancto capite 2. ubi expendens illud Isaïæ 16. *Spiritus Domini super me*, benè inquit, dicit Ambrosius, *Spiritus sanctus Domini misit me ad prædicandum*: Quia quasi Filius hominis est missus & unctus, nam secundùm Deitatem, non super Christum est Spiritus, sed in Christo: Ergo illa authoritas Isaïæ quæ dicit Christum missum à Spiritu sancto intelligitur de Christo homine, non autem de Missione Verbi æterni incarnandi. Fatetur tamen Doctor non esse improbabilem sententiam Magistri affirmantis Missionem non necessariò requirere processionem unius Personæ ab alia, sed sufficere manifestationem ejus per aliquem effectum visibilem.

Nec refert quod quælibet divina Persona possit donare seipsam; inde enim non sequitur quod etiam possit seipsam mittere, quia plura ad missionem quàm ad donationem requiruntur; siquidem in mittente requiritur velut authoritas, & in misso subauthoritas, quæ in divinis per *producere & produci* explicantur.

Missio necessariò importat manifestationem Personæ missæ per effectum aliquem externum.

DICO 3. Missionem necessariò importare manifestationem Personæ missæ per productionem alicujus doni creati invisibilis, aut visibilis. Probatur 1. ex Verbis Christi Joann. 4. *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus*: Et cap. 6. *Descendi non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris. Hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, &c.* Unde meritò Sapiens cap. 9. Orabat Missionem Sapientiæ divinæ his verbis, *Mitte illam de Cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.*

Confirmatur ex eo quod sancti Patres non aliter divinarum Personarum Missionem exponant, quàm per productionem alicujus effectus in creatura; unde meritò colligit Doctor quæstione laudata Missionem divinam semper connotare mutationem realem in creatura; quæ mutatio licet fiat à tota Trinitate, quoniam opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, tamen peculiariter tribuitur Personæ missæ propter novum Personalem aut moralem vel mysticum modum, quo ipsa Persona incipit esse de novo in creatura, ut disertè explicant sancti Patres maximè Athanasius Oratione 5. contra Arrianos ubi expendens illa Christi verba, *Qui misit me Pater, &c.* ait, *unitionem cum homine quo hominibus invisibilis natura Dei per visibilem innotescere posset Missionem nominavit: non enim Deus locum mutat more nostro........ Sed quia se in carne præsentem sistebat ideo sancti viri vocabulo Missionis uti voluerunt*: Et August. 2. de Trinitate capite 5. *Pater invisibilis*, inquit, *unà cum Filio secum invisibili eundem Filium visibilem faciendo misisse eum dictus est*: Et in fine capitis infert, *jam in promptu est intelligere etiam de Spiritu sancto, cur Missus & ipse dicatur; facta est enim quædam creaturæ species ex tempore in qua visibiliter ostenderetur Spiritus sanctus .... Hæc operatio visibiliter expressa & oculis oblata mortalibus Missio Spiritus sancti dicta est.* Quibus Verbis non excludunt sancti Patres rationem processionis æternæ Personæ missæ à mittente; sed eam cum operatione externa connectunt.

Describitur Missio divina.

Hinc Missio divina rectè describi potest, *Processio alicujus Personæ divinæ à Persona mittente ad creaturam in qua incipit esse novo modo*: Ex quibus liquet solùm Patrem non posse mitti etsi seipsum det & veniat cum aliis divinis Personis ad inhabitandum in anima per gratiam sanctificantem juxta illud Ioannis 14. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Nam inquit sanctus Augustinus lib. contra Arrianos cap. 4. *Solus Pater legitur non missus, quia solus non habet Authorem, de quo sit genitus vel à quo procedat.* Liquet pariter Filium à Patre solo propriè mitti in mundum ad incarnationem, juxta illud Ioan. 8. *Ego à Deo exivi & veni in mundum:* Sicut enim à solo Patre procedit, ita ab eo solo mittitur: Spiritus sanctus verò à Patre simul & Filio mittitur utpote abutroque procedens.

VI.

Missio ex parte effectus duplex est, visibilis & invisibilis.

DICO 4. Missionem ex parte effectus esse duplicem nimirum visibilem & invisibilem. *Invisibilis est*, Quâ Filius & Spiritus sanctus mittuntur ad inhabitandam peculiari modo creaturam rationalem per gratiam sanctificantem, ut communiter affirmant Doctores cum Seraphico Bonaventura *dist.* 15. *part.* 2. *articulo* 1. *quæst.* 1. Siquidem ad Missionem requiritur ut Persona missa existat in eo ad quem mittitur & ab eo possideatur; divinæ autem illæ Personæ perfectè non possidentur à Creatura rationali nisi per gratiam gratum facientem, per quam nimirum est in facultate habentis & rectè utentis, ut per eam divina illa Persona missa tanquam objecto fruatur.

An autem Missio illa invisibilis fiat non solùm ad illos qui primò innovantur per gratiam, seu primò justificantur, sed etiam ad illos qui crescunt in gratia per augmentum justificationis, non invicem conveniunt Authores; Quidam enim hoc affirmant, alii negant. Rectiùs tamen cum Seraphico Doctore *ibidem quæst.* 3. & accommodatiùs ad conceptum Missionis videntur opinari qui novam Missionem fieri per gratiæ augmentum negant; eatenus enim præcisè non incipit in Iusto Persona missa esse novo modo, nisi quatenus hujusmodi augmenti seu profectus occasione operatur in justo quædam pecularia dona vel effectus, v. g. donum Prophetiæ vel simile: qua ratione dum super Eli-

eum requievit duplex Spiritus Eliæ, rectè dicitur ad eum missus Spiritus sanctus.

Visibilis alia est substantialis in essendo, alia in repræsentando.

Missio visibilis, ut observat noster *Henrinx Disp.* 3. *quæstione* 4. *numero* 46. Alia est substantialis in essendo, sive est ad subsistendum; uti est sola Incarnatio Verbi; Alia solum est ad repræsentandum, sive ad apparendum in forma visibili; uti missus est Spiritus sanctus in Specie Columbæ in linguis igneis, in sono, in nube lucida, quæ non fuerunt à Spiritu sancto substantialiter assumpta, sed solùm usurpata tanquam signa ex instituto significantia, non quidem omnes Personas, sed specialiter Spiritum sanctum, ac repræsentantia interiorem sanctificationem. Fuerunt autem hæc Symbola formata sive immediatè à Deo: sive (ut censet Augustinus 3. de Trinit. cap. 4. & 10. & seq.) ministeriô Angelorum: Unde Columba erat quidem verum corpus, sed non vera nec viva Columba, juxta veriorem sententiam quam tradit S. Bonaventura *Disp.* 16. *Art.* 1. *Quæst.* 3. *ad* 4. Idenque statim desiit; Hinc etiam apud Evangelistas Matth. 3. & Luc 3. *Sicut Columba* legitur Spiritus descendisse. Similiter juxta S. Bonaventuram supra, ignis quidem fuit verum corpus, non tamen verus ignis, quia non comburebat; ideoque dicuntur apparuisse *Dispertita linguæ tanquam ignis*, Act. 2.

VII.

Proferuntur causæ cur Spiritus sanctus apparuerit sub specie Ignis, Columbæ, & Venti.

Pluribus autem mysticis de causis divinus ille Spiritus apparuit in die Pentecostes sub specie ignis, Columbæ, & Venti, seu Spiritus vehementis. *Ignis* enim figuram assumpsit primò ut suam Divinitatem testaretur: Ignis enim Divinitatis Symbolum est, juxta illud Deuteron. DEUS NOSTER IGNIS CONSUMENS EST: Unde preclarè sanctus Gregorius Homil. 30. in Evangelia, *Patri & Filio coæternus illius in igne monstratur, quia incorporeus invisibilis atque ineffabilis, Ignis Deus est.* Insuper hac ipsa ignis adumbratione seipsum notionalem Amorem Patris & Filii testabatur; Amor namque ignis quidam est, & sub ignis specie effingi solet, ac semper à Poëtis cum ignibus & flammis describitur.

Triplici de causa sub Igne apparuit.

Secundò ut divinam suam erga Creaturas fœcunditatem exprimeret, sicut enim ignis in propria sphæra infœcundus videtur, nihilque producit, at in sublunaribus omnium prorsus productionum parens est & causa: Sic etiam divinus ille Spiritus in ipso Deitatis sinu nihil equidem producit, at inquit Cornelius Mutius lib. 3. de sacra Historia, *Cœlos ille, Terram, Elementa, cunctaque animantia producit; productaque fovet, conservat, vivificat & renovat; Naturæ Conditor, gratiæ Author, gloriæ Consummator, rerum omnium universale Principium:* Ab ipso namque omnia fluunt Charismata gratiarum, ipse enim est qui in Christo renascentes, in Dei filios adoptat in Baptismate, *Eodem Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem*, inquit S. Leo, quam utique mirandam fœcunditatem respiciens Sponsa, exorabat Canticorum primo, OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI, quæ sic expendit sanctus Bernardus Serm. 9. *Tanta*, inquit, *efficacia & fœcunditatis osculum sanctum est* (nempe Spiritus sanctus, qui Patris & Filii suavissimum est osculum) *ut ex ipso mox cum acceperit illud Sponsa concipiat, tumescentibus nimirum uberibus, & lacte quasi pinguescentibus: per charitatem enim anima sancta nedum Dei Filium concipit, sed ipsamet Dei Filia efficitur.*

Tertiò: Ignis tres præcipuos habet effectus, nimirum *urere, purgare, illuminare*, quos omnes Spiritus sanctus operatur in nobis, siquidem sui amoris igne corda nostra succendit; Unde sanctus Augustinus in Soliloquio: *O ignis sancte quàm dulciter ardes, quàm desideranter aduris*, urit, inquam, non quidem ut destruat & consumat, sicut ignis corporeus, sed potius ut augeat & perficiat. Unde meritò Christus dicebat *Ignem veni mittere in terram, quid volo nisi ut ardeat?* Quod præclarè expendit sanctus Ambrosius Serm. 18. in Psalmum 118. *Ignem Dominus misit in terram, non ut eam Sodomitano rursus inflammaret incendio, nec ut eam donata munere fœcunditatis, aut usu, vel flore viriditatis excluderet: Opus enim suum probare magis, atque augere quàm minuere, aut damnare consuevit. Divinum ergo Dominus ignem in novo sparsit Testamento, qui secretos mentium divinæ cognitionis ardore inflammaret affectus, qui vaporem fidei & devotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet.* Similiter purgat & illuminat, juxta illud Threnorum *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me:* Unde sanctus Gregorius fœlicissimam Spiritus sancti Scholam pronuntiat; *In qua nulla est ad discendum mora, mox enim ut tetigerit mentem docet, solumque tetigisse docuisse est:* Nam ut addit Homil. 30. in Evangelia: *Ecce implet Citharœdum puerum, & psalmistam facit; implet Pastorem armentarium, & Prophetam reddit; implet Piscatorem, & efficit Prædicatorem: Implet persecutorem, & Doctorem Gentium instituit: Implet Publicanum, & Evangelistam facit. O qualis artifex est iste Spiritus!*

Triplici Columbæ figuram induit.

Induit similiter speciem *Columbæ*: Primò ut testaretur puritatem & munditiam quam Spiritus sanctus specialiter efficit & exquirit, cujusque egregium Symbolum est Columba: Unde pulchrè Basilius *Columba castissima tota cœlestibus incumbit, nec unquam, vel minimum granum è terra attollit quin statim in Cœlum oculos attollat; non circa cadavera, & carnes volitat, sed residet juxta fluenta aquarum ubi Cœli imago relucet, semper ejus obtutibus objiciuntur cœlestia, semper superna contemplatur.* Secundò assumpsit Columbæ figuram ut se mansuetudinis Authorem & Amatorem ostentaret: Unde Paschasius lib. 2. in Matthæum, *Spiritus sanctus in specie Columbæ apparuit, ut per eam exponeret quales futuri erant qui ad gratiam ejusdem Spiritus pervenirent; Columba enim fel non habet & ex hoc insinuat quod in felle amaritudinis esse non debet quisquis ad gratiam Spiritus sancti venire exoptat.* Tertiò denique hac specie Columbæ se Pacis Artificem pronuntiavit; nam ut ait Tertullianus lib. de Baptismo cap. 8. *Quemadmodum post aquas diluvii, quibus iniquitas purgata est, pacem cœlestis iræ præco Columba terris annuntiavit demissa ex Arca & cum OLEA reversa, quod signum etiam apud nationes paci prætenditur: ita post vetera delicta Columba sancti Spiritus advolat, pacem Dei afferens emissa de Cœlis.*

Denique suum in animas illapsum testatus est specie *Venti & Spiritus vehementis:* Primò quidem ut suam originem significaret & proprietatem Personalem demonstraret,


Triplici pariter ratione sub venti flatu, sensibilem se præbuit.

procedit enim ut amor; amor autem impulsum quemdam significat quô voluntas amantis in amatum impellitur: Secundò quemadmodum ventorum origo nos latet illique soli comperta qui educit ventos de Thesauris suis, ita dicebat Christus Ioannis 8. *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde veniat, aut quò vadat.* Tertiò tandem ventus seu aër necessarius est ad vitam; sine enim halitu, & respiratione non vivitur: sic etiam Spiritus sanctus omnino necessarius est ad vitam spiritualem: Unde sanctus Ambrosius expendens illa verba Genesis 2. *Formavit hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*: Necnon & illa quæ Christus insuflans in Discipulos ait, *Accipite Spiritum sanctum*: Sic loquitur, *Insuflaverat tibi Deus ut inspirationis suæ donô haberes gratiam quam culpa sustulerat; factus eras in animam viventem, sed quia peccator signaculum tenere non potuit, propterea venit Iesus, & cum hæc dixisset insufflavit dicens*, ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM.

Plura dicenda aggrederer nisi me deterreret Ecclesiastici capite 43. Oraculum, *Multa*, inquit, *de Deo dicemus, & non perveniemus, & consummatio sermonum universa ipse est.* Quapropter finem dicendi faciam inclamando divini Spiritus illapsum hisce sancti Augustini verbis Tract. 74. in Ioannem, *Veni Spiritus alme, veni divini amor Numinis, Patris omnipotentis, prolisque Beatissima sancta communicatio, Omnipotens Paraclete, mœrentium consolator, cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, & tenebrosa quaque mentis meæ corusci Numinis fulgore pius habitator lætifica! Veni fortitudo fragilium, humilium Doctor, superborum destructor! Veni Pater pauperum, veni datormunerum, veni lumen cordium. Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium.* Amen.

Finis primus nostræ Theologiæ Tomus de Deo in se Subsistente, Operante, & Producente.





INDEX



INDEX
RERUM ET SENTENTIARUM QUÆ IN HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

A

Abaillardus.

ABAILLARDUS erravit circa Visionem beatificam sicut ejus Discipulus Arnaldus. *page* 188

Actio.

Actiones Dei ad extra sunt liberæ. 216
Actio productiva in Creaturis triplicem habet imperfectionem adjunctam. 522
Actio secundum conceptum communem nullam involuit imperfectionem. 534

Activum.

Ratio Activi non dependet per se à ratione passivi. 524

Actus.

Actus purus necessariò existit. 70
Tria sunt in actu primo intelligendi distinguenda. 93
Quomodo isdem Actus in Deo possit esse nunc Amor, nunc Odium? 170
Simplex Actus potest distinctis Actibus æquivalere. 241
Actus voluntatis sunt triplicis generis. 335
Quomodo isdem Actus divinæ voluntatis sit necessarius & contingens? 346
Tres voluntatis prædestinantis actus. 387
Triplex genus Actuum divinorum. 388
Actus prædestinantis considerari potest vel absolutè, vel respectivè. 457
Actus essentiales & notionales non exigunt distinctas potentias. 528
Duplex intellectus Actus. 532
Duplex differentia inter Actum intellectus & voluntatis. 540

Adæquatio.

Adæquatio duplex, proportionata & quantitativa 587
Adæquatio quantitativa iterum duplex. *ibidem*

Adoptio.

Duo ad divinam adoptionem requiruntur. 443

Æqualitas.

Æqualitas fundamentaliter sumpta est perfectio simpliciter, non item æqualitas formaliter spectata. 582

Æternitas.

Summa æternitatis cum immensitate societas. 154
Multiplex Æternitatis usurpatio. 155
Æternitas quid? *ibid.*
Alia æternitatis descriptio à sancto Bonaventura. 556
Æternitas est verè duratio. 156
Quomodo æternitas cum tempore, & immensitas cum loco comparentur? 157
Æternitas non est mensura respectu Dei. *ibid.*
Æternitas duplex. 158
Tria in æternitate consideranda. *ibid*
Æternitas Deo convenit. 159
Tres ad veram æternitatem requiruntur conditiones. *ibid.*
Discrimen inter immortale & æternum. 160
Æternitas non est perfectio distincta ab immutabilitate. 161
Non est comparanda æternitas cum existentia sicut comparatur infinitas cum Essentia divina. *ibid.*
Quomodo æternitas probetur per immutabilitatem? *ibid.*
Triplex præcipuè inter æternitatem & tempus discrimen. 162
Æternitas prædestinationis dupliciter spectatur. 388

Agens.

Agentia sunt duplicis generis. 147
Non omne Agens agit ut perficiatur. 524

Amor.

Amor Dei erga seipsum est Amor amicitiæ saltem improprius. 328
Mira divini Amoris circulatio. *ibid.*
Amor Dei erga Creaturas vel est benevolentiæ, vel complacentiæ. 330
Necessitas divini Amoris erga Creaturas possibiles oritur ex immutabilitate divinæ Voluntatis. 333
Amor Dei erga nos est vera amicitia. 334
Verus est Amor in Deo formaliter à gaudio distinctus. 335
In Deo verus est amor amicitiæ erga Creaturas rationales, concupiscentiæ verò erga irrationales. 336. 337

Angelus.

Angelus & animæ rationales sunt tantùm impropriè immortales. 160
Angeli superiores illuminant inferiores. 235

Anima.

Quare & in quibus Anima dicatur vitæ causa? 90
Anima rationalis est terminus formalis generationis, tamen non est genita. 557

Appetitus.

Appetitus hominis duplex innatus & elicitus. 193
Appetitus elicitus duplex. *ibdem*

Apprehensio.

Apprehensio quid? 240

Appropriatio.

Duo ad perfectam appropriationem desiderantur. 603

Argumentatio.

Quid, & in quo sita sit argumentatio? 45

Arrius. Arriani.

Tertullianus facem prætulit Arrianis. 515
Qualiter Arrius hæresim suam disseminaverit? *ibid.*
Quinam & quot fuerint primi ejus Asseclæ? *ibid.*
Qualiter Arriana hæresis post Concilium Nicænum tres in factiones abierit? *ibid.*
Quinam Patres ante Arrianam hæresim exortam filii divinitatis meminerint? 517

Athenagoras.

Athenagoras censuit Deum esse accidentium participem. 130

Athei.

Quinam primi fuerint Athei? 64

Attributum.

Attributum trifariam usurpatur. 98
Genuina Attributi definitio. 99
Attributa variè possunt concipi. 100
Attributa secundum se sunt æqualis perfectionis. 102
Attributa sunt inæqualia secundum nos. *ibid.*
Attributa non tantùm nomine & varia connotatione ab essentia discrepant. 105
Attributa divina ab invicem formaliter distinguuntur. 111
Attributa divina distinguuntur formaliter ab essentia. 114
Attributa divina non distinguuntur tanquam res à re, sed tanquam formalitas ab entitate. 116
Quare Attributa divina aliter de se invicem prædicentur identicè quàm rationalitas & animalitas? 118
Difficilis sancti Augustini sententia contra distinctionem formalem Attributorum proponitur & solvitur. *ibid.*
Cur Attributa potiori jure identificentur cum Essentia divina quàm relationes personales? *ibid.*
Atttributa non sunt de conceptu formali Essentiæ divinæ. *ibid.*

Audius.

Audius ab hæreseos labe deffenditur. 126

Augustinus.

Sanctus Augustinus duos tantùm Soliloquiorum libros edidit. 451
Quid per donum perseverantiæ intellexerit? 452

Author.

Quid Authoris nomen significet apud Latinos? 596

Auxilium.

Auxilium ad salutem est efficax vel ex parte Dei donantis, vel ex parte hominis suscipientis. 455

Axioma.

Illud Axioma propter quod unum quodque tale, &c. non est semper verum. 557

INDEX RERUM

B

Beati.

Qualiter Beati possint ratiocinari? 19
Beati vident omnia quæ sunt in Deo formaliter. 218
Quomodo Beati videant attributa quæ dicunt respectum ad extra? 229
Beati vident decreta libera in Deo, & etiam eorum objecta. 230
Beati præter Deum aliquas etiam vident creaturas. 234
Beati vident in verbo ea quæ ad ipsos spectant. 236
Beatus ut elevatus ad ordinem gratiæ cognoscit præcipua fidei mysteria. *ibid.*
Beatus minoris meriti potest esse Beatior alterô perfectioris meriti extensivè; non intensivè. 238
Quicquid Beati vident in verbo ab initio suæ Beatitudinis vident. 242
Præter visionem Beatificam duo sunt operationum genera in Beatis. 243

Beatitudo.

Beatitudo nullo naturali principio cognosci potest. 4
Inæqualitas Beatitudinis duplex. 244
Quænam in Beatitudine sit æqualitas? 245
Vnde proveniat inæqualitas physica Beatitudinis. *ibid.*
Beatitudo considerari potest vel ut præmium, vel ut effectus. 248
Quomodo Christi Beatitudine non possit dari major? *ibidem*

Boëtius.

Boëtius censuit relationes non prædicari de Deo eodem modo quô cætera prædicamenta; sed diverso. 579

Bonitas.

Bonitas triplex. 253
Bonitas naturalis duplex. *ibid.*
Bonitas Dei omnibus comperta. 254
Divinæ bonitatis varia commendatio. 255
Totuplex in Creaturis potest distingui Bonitas, quotuplex esse. 330
Iustitia & Misericordia Dei solùm moventur à Bonitate increata. 334
Bonitas divina est sui communicativa cum subordinatione ad voluntatem. 340

Bonum.

Aliquid cooperari potest in Bonum tripliciter. 377
Quadruplex boni acceptio. 378
Bona naturalia sunt quintuplicis generis 464
Bona naturalia tribus modis possunt esse effectus prædestinationis. *ibid.*
Bona naturalia conceduntur per providentiam generalem, vel particularem. *ibid.*
Qualiter Bona naturalia habeant proportionem ad gloriam? 466

C

Quomodo Causæ sint notiores & ignotiores effectibus? 20
Causa alia subordinans, alia subordinata. 66
Triplex conditio ad subordinationem causarum per se *ibid.*
Triplex discrimen inter causam subordinatam per se, & per accidens. *ibid.*
Causa subordinata nequit agere sine concursu subordinantis. 67
Causa efficiens alia principalis, alia instrumentalis. 225
Causa perfectior perfectiorem effectum producit. 246
Causa necessaria duplex. 399

Certitudo.

Certitudo ab evidentia discrepat. 20
Quid & quotuplex sit certitudo? 41
Quid sit certitudo cognitionis? 392

Character.

Triplex veræ Deitatis Character. 78
Tres primæ personæ Characteres. 592

Christus.

Christus ut homo non habet unionem connaturalem cum ultimo fine. 187
Christus gratis prædestinatus est ad incarnationem, sicut & nos ad primam gratiam. 455
Christus est nostræ prædestinationis causa exemplaris, finalis, & meritoria 457
Christus est causa meritoria nostræ prædestinationis quantùm ad executionem, & etiam quantùm ad intentionem. *ibid.*
Christus fuit prævisus & destinatus ante omnes Creaturas quibus omnes gratias ipsis collatas meruit. 458
Christus habet absolutam authoritatem in hominum salutem. *ibid.*
Quare Christus non dicatur meruisse Reprobationem Impiorum, sicut meruit Prædestinationem Iustorum? 460
Christus non meruit permissionem peccati quatenus præcisè permissio peccati est. 468
Christus est verus Dei Filius. 516
Quomodo Christus dicatur unus esse cum Patre? *ibid.*
Quædam conveniunt Christo secundùm unam naturam quæ non conveniunt ei secundùm alteram. 518
Christus non habet unicam visionem sibi adæquatam. 530
Christus quatenus Deus & homo dicitur primogenitus negativè, non positivè, nisi impropriè, & metaphoricè. 542
Christus mortuus est liberè & necessariò. 562
Christus est adorandus non sub ratione Personalitatis, sed sub ratione naturæ? 588

Circulus.

Non potest dari generationum Circulus. 69

Cælum.

Quare Cælum dicatur locus Dei. 146

Coexistentia.

Quomodo Coexistentia dicatur relatio? 163
Quomodo indivisibile possit coexistere divisibili? *ibid.*
Coexistentia Dei ad tempus est divisibilis, licet ejus existentia sit indivisa. *ibid.*
Discrimen inter Coexistere toti æternitati, & totaliter. 164

Cognitio.

Qualiter cognitio de contigentibus dici possit certa? 19
Discrimen inter cognitionem distinctam, quidditativam, & Comprehensivam. 176
Perfectior Cognitio non semper perfectiorem actum voluntatis generat. 178
Triplex Cognitio in beatis. 233
Triplex modus quô Creaturæ in Deo cognoscuntur. *ibid.*
Cognitio Creaturarum in verbo non repugnat, neque ex parte objecti, neque ex parte actûs, neque ex parte potentiæ. 235
Cognitio duplex directa & reflexa. 240
Cognitio reflexa alia supra potentiam, alia supra actionem. *ibid.*
Quare divina Cognitio omnia quæ sunt in Deo percipiat? 264
Nedum Scelerati homines, sed etiam Philosophi Deo cognitionem rerum minimarum denegarunt. 267
Quodnam sit discrimen inter cognitionem Creatam & divinam? 294
Cognitio intuitiva supponit objectum suum existens in instanti reali naturæ, vel durationis, non originis & emanationis. 554

Cognosci.

Creatura cognoscitur ut in se est terminativè, non motivè. 234
Creaturæ videntur in Deo formaliter. 235
Quid sit Deum cognosci totaliter? 250
Aliud est rem cognosci in seipsa, aliud in alia, aliud ex alia 265
Res futuras tripliei viâ possumus Cognoscere. 392

Communicari.

Quid sit Communicari ut quod & ut quo? 565

Compositio.

Compositio duplex. 120
Compositio est Aliquid præter partes. 125
Duplex animadvertitur in qualibet Creatura compositionis modus. 136

Compositum.

Composita interdum perfectiora sunt in creatis, interdum verò minùs perfecta. 122
Composita sunt triplicis generis. 135
Composita iterum sunt duplicis generis. *ibid.*

Comprehensio.

Comprehensio duplex. 249
Quid sit utraque? *ibid.*
Ad veram Comprehensionem duo desiderantur. *ibid.*
Ad Comprehensionem potentiæ sufficit ut cognoscatur secundùm omnes gradus quos habet, non quos habere potest. 552

Conceptus.

Conceptus objectivus non redolet imperfectionem in Deo. 317

Conceptus essentialis & quidditativus de Deo formari potest à nobis. 83

Conclusio.

Conclusio non semper sequi debet debiliorem præmissam. 43
Quomodo Conclusiones Theologiæ sint certiores primis principiis? *ibid.*

Concursus.

Concursus Dei, objectivus est ab ipsa Dei voluntate. 216
Concursus Dei lumen ritè potest appellari. 213

Constitutio.

Duplex est rerum Constitutio. 90
Constitutio formalis tria requirit. 93
Constitutio rerum duplex, realis & formalis. 568

Constitutum.

Constitutum reale dependet à constituente, non formale. 569

Continentia.

Continentia triplex. 100

Continere.

Continentia Eminentialis non semper est perfectior. 101
Triplex Continentiæ genus. 136
Continentiæ Eminentialis duplex modus. *ibid.*
Continentiæ Eminentialis formalis duplex iterum modus. 140
Multiplex in Deo continentia. 118

Contingens.

Implicat omnia entia esse Contigentia. 70

Conversio.

Conversio triplex. 172
Conversio adhuc triplex. 173
Conversio non fit sine desitione termini à quo, & productione termini ad quem. *ibid.*

Corpus.

Corpus infinitum non fit majus per coëxistentiam corporis finiti. 59
Quomodo Corpus infinitum esset extra mundum? 152

Creare Creatio.

Ad Creandum per se non requiritur virtus infinita. 150
Discrimen inter decretum & actum Creationis. 345

Creatura.

Creatura nihil penè est in suo triplici statu. 81
Creaturæ agunt in distans non agendo in medium. 148
Creaturæ sunt Deo præsentes tribus modis. 162
Quomodo Creaturæ possint esse terminus diuinæ volitionis & Cognitionis? 172
Inter Deum & Creaturam est necessaria connexio dependentiæ ex parte Creaturarum, & superioritatis ex parte Dei. 216
Creaturæ habent triplex esse in Deo. 268
Creaturæ possibiles non efficiunt infinitum Cathegorematicum. 269
Creaturæ non sunt objectum motivum intellectus diuini, sed tantùm terminatiuum. 272
Creaturæ habent triplex esse. 274
Creaturæ non habent esse reale ab æterno. 275
Creaturæ non repræsentantur in Essentia diuina antequam intelligantur. 279
Qualiter Creaturæ possibiles sint intelligibiles? 280
Creaturæ possibiles cognoscuntur à Deo tantùm scientia simplicis intelligentiæ, idque vel in Essentia, vel in Omnipotentia diuina. *ibid.*
Creaturæ in triplici statu, triplicem ad Deum habent dependentiam. 287
Quadruplex status in quo concipiuntur Creaturæ. 318
Creaturæ dicunt respectum dependentiæ, non verò condecentiæ ad bonitatem Dei. 334
Creaturæ & in fieri, & in conseruari egent influxu causæ primæ, non autem secundæ. 381
Absolutè nulla Creatura sine Dei influxu subsistere valet. *ibid.*

Credibile.

Credibilium triplex genus. 11

D

Decretum.

DEcretum divinum quid & quotuplex? 298
Decretum conditionatum aliud ex parte subjecti, aliud ex parte objecti. *ibid.*
Discrimen inter utrumque. *ibid.*
Admittenda sunt in Deo Decreta absoluta quidem subjectiuè & ex parte Dei decernentis & volentis, sed conditionata objectiuè & ex parte rei decretæ ac objecti voliti. 298
Qualiter Decreta conditionata sint libera? 300
Ex sacra Scriptura colligitur in Deo esse decreta conditionata, quæ non sunt de re vana & repugnante. *ibid.*
Ex Decretis conditionatis non sequitur Deum habere voluntates oppositas. 301
Decreta conditionata probantur à posteriori. *ibid.*
Illa Decreta non debent esse innumerabilia. *ibid.*
Sine divino Decreto nihil est futurum. 302
Non est in Deo duplex Decretum Aliud intentionis, & aliud executionis, neque etiam duplex Decreti connotatio. 416
Reuerà Scriptura sacra prædestinationis Decretum ex meritis tanquam ex causa morali procedere significat. *ibid.*

Dæmon.

Prodigia à Gentilibus patrata fiebant ope Dæmonum. 78
Dæmones interdum cessant lædere, ut curasse credantur. *ibid.*
Quomodo Gentilium vates & oracula futura prædixerint? *ibid.*
Quàm incerta & deceptoria fuerint Dæmonum oracula. *ibid.*
Dæmones intuitiuè cognoscebant Christum, non tamen ejus subsistentiam. 132

Deffectus.

Nouem sunt præcipui Deffectus à Deo remouendi. 101

Demonstratio.

Demonstratio quid & quotuplex? 64

Determinatio.

Triplex distingui potest voluntatis Determinatio. 385

Deitas. Deus.

Quomodo Deus seipsum & Alia noscat? 18
Quomodo Deus sub ratione Deitatis à nobis viatoribus cognoscatur? 32
Quomodo Deitas sit etiam objectum motiuum Theologiæ? 33
Deus non est objectum Theologiæ præcisè quatenus est finis ultimus. 37
Nominis *Dei* varia usurpatio, significatio, & Etymon. 57
Quare Deus infinitè bonus non debet omne malum à rerum natura excludere? 58
Quomodo Deus dicatur ens à se? 60
Deus est, est propositio per se nota. 61
Quomodo Deus sit ratio cognoscendi omnia? 63
Quam ingentem Deorum multitudinem Gentiles induxerint? 70
Hæretici etiam Deorum pluralitatem induxerunt. 75
Deus est unicus. *ibid.*
Lepidum Minutii argumentum contra Deorum pluralitatem. *ibid.*
Dei unitas probatur ab ejus triplici operatione. 76
Plures Dii non non essent meliores unicô. 78
Pluralitas Deorum potiùs fuit fictio Gentilium quàm assertio. 79
Deus non potest à nobis accuratè deffiniri. 80
Triplex est via quâ ad Dei notitiam pertingimus. *ibid.*
Deus affirmativè & negativè potest à nobis cognosci. 81
Deus meliùs cognoscitur per negationem quam per affirmationem. 82
Formari potest à viatoribus conceptus tum Attributalis tum Essentialis de Deo. 83
Deus quid? *ibid.*
Deus est ens propriissimè. 85
Notatio digna de esse Dei. *ibid.*
Deus est ens per essentiam. 86
Quomodo Deus dicatur causa sui? *ibid.*
Deus est substantia completa, spiritualis, vivens. 89
Quare Deus nominibus accidentium appelletur? *ibid.*
In Deo sunt rationes formales convenientiæ & disconvenientiæ. 96
Deus ultimò constituitur per infinitatem radicalem. *ibid.*
Longè aliter fideles quàm hæretici de Deo sapiunt. 119
Deus est omninò simplex. 120
Deus non est compositus ex materia & forma. 126
Deus non constat partibus, nec quantitate. 128

Quare Deus dicatur extensus? 129
Deus non est accidentium particeps. ibid.
Deus non constat genere & differentia cathegoricis. 132
Deus constat genere & differentia transcendentalibus. ibid.
Deus non componitur ex personalitatibus. 134
Deus est omninò simplex. 135
Deus est infinitus. 137
Deus est omnimodè perfectus. 140
Deus cum creaturis non efficit aliquid intensivè perfectiùs. 141
Cur Deus ab Antiquis sit appellatus sphæra? ibid.
Deus non continet formaliter in se perfectiones secundùm quid, sed tantùm eminenter, aut virtualiter ibid.
Deus est verè immensus. 143
Aliter omnia sunt in Deo, & Aliter Deus est in omnibus. 146
Deus non mutatur ad mutationem rerum quibus inexistit. ibid.
Qualiter Deus dicatur accedere, recedere, &c? ibid.
In Deo duo sunt diversa operationum genera. 147
Deus posset operari ubi non esset præsens substantialiter. 148
Deus omnipotenti sua voluntate cuncta producit. ibid.
Quomodo Deus concipiatur existere extra mundum? 151
Deus non est in spatiis imaginariis. ibid.
Qualiter Deus possit esse extra mundum? 152
Deus non mutaretur si produceret aliquam Creaturam extra mundum. ibid.
Qualiter Deus dicatur esse extra Cœlos? 153
Deus Creaturæ reverà coëxistit. 162
Nihilominùs reverà Deus tempus omne prætergreditur. 163
Quomodo Deus & omnia quæ in eo sunt, sint actus puri? 164
Deus est immutabilis secundùm entitatem. 165
Ratio efficax quâ Proclus probat Dei immutabilitatem. 166
Deus non est mutabilis ad formam. 167
Deus non est mutatus per nova nomina Domini, Creatoris, &c. 168
Deus per operationes intellectus & voluntatis non mutatur. ibid.
Deus noua producit, non noua actione intrinsecâ, sed tantùm extrinsecâ. 170
Deus non potest esse terminus annihilationis, neque transformationis. 172
Deus nec est conuertibilis in Aliud, nec Aliud in ipsum. 173
Deus non est mutabilis relativè. 174
Solus Deus est immutabilis. 175
Deus est ineffabilis. ibid.
Deus non est ineffabilis sibi ipsi, nec nobis absolutè. ibid.
Deus est Anonymus, & Polyonimus. 176
Deus potest distinctè cognosci per aliquod nomen. ibid.
Quid significet nomen Deus? 180
Deum esse visibilem simul & invisivibilem testatur Scriptura sacra. 181
Deus est invisibilis naturaliter ab oculo corporeo. 182
Quomodo Deus clarè visus sit finis naturalis hominis? 185
Triplex modus concipiendi Deum visibilem oculo corporis. 188
Deus non est visibilis etiam supernaturaliter oculo corporeo. 189
Deus potest clarè videri ab intellectu creato & confortato per lumen gloriæ. 191
Cur Deus concurrere debeat immediatè effectivè, non verò objectivè? 214
Deus est objectum beatificum immediatum in ratione terminantis, non in ratione moventis. 217
Si Deus non esset volens nihil causaret ad extra. ibid.
Deus habet proportionem cum intellectu creato in ratione objecti. 219
Deus per seipsum facere potest quicquid faciunt causæ secundæ efficientes. 221
Deus continet Creaturas tum secundùm esse, tum secundùm cognosci. 235
Deus est incomprehensibilis. 249
Deus solus est intensiuè incomprehensibilis 251
Deus non potest dici unus numerò 251
Deus est summè verus. 254
Deus inadæquatè concipi potest absque eo quòd concipiatur ut verus. 253
Deus est bonus bonitate respectiua. 254
Deus ideo mundum condidit, quia bonus est. 255
Deus in seipso se & alia novit. 267
Deus distinctissimé omnia cognoscit, etiam minutissima. 268
Deus cognoscit Creaturas numerò infinitas. 269
Deus Creaturas novit in seipso. ibid.
Deus omnes Creaturas continet secundum earum esse intelligibile ac entitativum. 270
Non omnes conveniunt de modo quò Deus cognoscit Creaturas. 267
Qualiter in Deo sit duplex modus cognoscendi Creaturas. 272
Probabile est Deum Creaturas cognoscere in seipsis 271
Certò constat Deum habere scientiam, 273
Deus certò novit futura contingentia. 283
Deus certò novit quicquid est scibile. ibid.
In quo Deus cognoscat peccata futura? 290
Qualiter quod à Deo decretum est, sit necessarium? 293
Deus novit futura conditionata. 294
Deus certò novit euentum rei futuræ conditionatè, si conditio poneretur. 296
Deus habet ideas omnium rerum. 314
Quomodo Deus habeat ideam peccati? 319
Quomodo Deus dicatur cognoscere peccatum per accidens? 320
Quomodo Deus dicatur cognoscere peccatum per privationem? ibid.
Quomodo in Deo sit varietas? 322
Quomodo in Deo sit appetitus naturalis & elicitus? ibid.
Deus seipsum amat primariò & comprehensivè propter suam bonitatem essentialem, non attributalem, 327
Deus se amat necessariò & liberé libertate essentiali. 318
Fide constat Deum Creaturas actu existentes diligere. 330
Deus amat amore inefficaci Creaturas possibiles. ibid.
Deus amat liberè Creaturas actuales, necessariò tamen possibiles diligit. 331 332
Deus movetur ad amorem Creaturarum tantùm per suam bonitatem. ibid.
Deus non tam necessariò Creaturas possibiles diligit quàm seipsum. 333
Deus licèt non habeat finem sui, tamen habet finem suorum effectuum. 334
Nec Spes, nec Desperatio Deo ullatenus convenit, nec pariter tristitia, nec timor. 335
Deus nihil desiderat aut fugit. 338
Deus est liberrimus. 339
Quatuor momenta quibus Doctor demonstrat adversus Philosophos Deum non agere necessariò. 340
Deus est liber tum libertate contrarietatis, tum libertate contradictionis. 341
Quomodo fortitudo & temperantia possint esse in Deo? 355
Quomodo Deus sit dicendus Creaturæ debitor? 358
Religio & pietas non sunt propriè in Deo 361
Deus bonos miseriis, malos verò deliciis abundare permittit pluribus de causis. 368
Deus & præstantissimis, & vilissimis providet tum in communi, tum in particulari. 369
Deus non habet æqualem curam de omnibus. 370
Deus fato non subjicitur. 376
Quare Deus permittat fieri mala? 377
Quoslibet morum & naturæ defectus Deus ordinat ad universi pulchritudinem. 378
Cur Deus plura homini noxiva creaverit? 379
Deus nec imbecillis est, nec invidus ex eo quòd mala non tollat. ibid.
Deus res omnes immediatè condidit, & in fines suos etiam immediaté ordinat. 380
Deus immediatè & per se conservat Creaturas. ibid.
Deus concurrit immediatè ad omnes effectus Creaturarum. 381
Deus nedum inferioribus Creaturis ad superiorum conservationem, sed etiam superioribus ad inferiorum regimen & tutelam utitur. 382

Cur Deus Creaturas rationales prædestinet, non autem ratione destitutas. 385
Quomodo Deus ut supremum liberum nostras voluntates contineat? 402
Deus nos elegit ex mero beneplacito, non ad gloriam, sed ad gratiam. 446
Deus in tempore nihil exequitur nisi quod æterno decrevit. 458
Deus non est Causa efficiens mali moralis. 467
Deus neminem reprobat nisi ex prævisis demeritis. 473
Deus neminem deserit nisi deseratur. 477
Deus non dicitur solus per exclusionem personarum, sed plurium Deorum. 509
In Deo est intellectus habens objectum præsens cujus proinde gignit notitiam. 523
Deus est in perpetuo actu generationis. 531
Deus non dicitur hominum genitor sive Pater nisi latè & impropriè. 541
Deus dicitur realiter Pater, & realiter Dominus, sed Pater intrinsecè, & Dominus extrinsecè. 579
Non implicat in Deo esse plures formalitates relativas. 582
Deus est magis Pater Filii sui, quàm Creaturarum 594

Dicere.

Dicere opponitur relativè dicto. 535
Dicere præsupponit intelligere, & velle essentiale. 561

Dictio.

Dictio non se habet per modum includentis & intellectio per modum inclusi. 535
Dictio & verbum spectari possunt vel in fieri, vel in facto esse. 536
Dictio non est actus absolutus in ratione actionis. 537
Dictio est constitutiva Patris, quæ varias sortitur appellationes propter diversos respectus. 538
Nonnulli Scotistæ affirmant dictionem in Patre priorem esse intellectione, sed Alii rectiùs negant. ibid.

Dilectio.

Dilectio seu Amor in divinis trifariam accipitur. 618

Discursus.

Ad perfectum discursum tria desiderantur. 17
Ad discursum non requiritur prioritas & successio temporis. 18
In quo differat Discursus Theologicus à Philosophico? 45
Discursus Deum demonstrat per Creaturas. 57
Discursus quid? 140
Discursus duplex. ibid.

Dissuasio.

Cur Dissuasio non sit distincta à Concilio? 525

Distinctio.

Vnde Distinctio formalis? 100
Quomodo divisio, distinctio, & non identitas discrepent? 103
Quadruplex genus distinctionis. ibid.
Inter essentiam & attributa non intercedit distinctio essentialis, nec realis. 103. 104
Distinctio formalis sufficit ad salvanda contradictoria. 105
Quid sit Distinctio virtualis? 107
Quænam præcisè dicantur formaliter distingui? 108
Distinctio virtualis non sufficit ad salvandas & solvendas propositiones contradictorias, præsertim quæ fiunt de intellectu & voluntate. 113
Distinctioni formali non repugnat Concilium Florentinum, immo ipsam propugnat. 110
Neque etiam Concilium Remense quod solùm reprobat distinctionem realem quam Gilbertus inter relationes & essentiam asserebat. ibid.
Nova Thomistarum contra distinctionem formalem effugia proponuntur & impugnantur. 113
Distinctio formalis divinæ simplicitati non officit. 115
Distinctio formalis non efficit quòd res non sit talis, sed quod non concipiatur taliter. 117
Omnis distinctio non est relatio. ibid.
Quare distincta formaliter de se invicem prædicentur in Deo, non verò in creatis. 518
Difficilis sancti Augustini sententia contra distinctionem formalem proponitur & solvitur. ibid.
Distinctio formalis in Deo non impedit quin sit actus purus. 261
Inter dantem & accipientem est realis distinctio. 509
In Deo nulla est distinctio specifica, nec numerica, sunt tamen quæ quasi plusquam numero distinguuntur. 517
Distinctio rerum concipi potest vel quoad se, vel quoad nos. ibid.

Dividi.

Quæ dividuntur in inferioribus, non semper adunantur in superioribus. 116

Divinitas.

Varia fuerunt Gentilium circa Divinitatem figmenta. 125

Divisibile.

Tribus modis dici potest aliquid divisibile. 162

Doctor.

Doctores in Ecclesia desiderantur duplicem ob finem. 8

Donum.

Tria in dono reperiuntur. 617

Duratio.

Quatuor durationis modi & earum discrimen. 155
Qualiter una duratio est major aut minor alterâ? 157
Erronea Philosophorum de Dei duratione sententia. 158
Duratio non est modus positivus rei durantis. 162

E

Effectus.

Effectus necessarius duplex. 109
Tres sunt prædestinationis effectus. 460
Ad directum prædestinationis effectum quatuor desiderantur. ibid.
Tres sunt directi prædestinationis effectus. ibid.
Effectus directi prædestinationis supponuntur ad invicem, non ita indirecti. 467

Electio.

Electio triplex. 388
Electio Iacob & reprobatio Esaü significat, vel prædestinationem & reprobationem post prævisa merita, vel solam electionem ad gratiam, vel ad fidem. 446. 447

Ens.

Ens necessarium necessariò existit. 70
Ens summum non ita perfectè Deum exprimit ac ens infinitum. 84
Ens trifariam usurpatur. ibid.
Quid sit ens necessarium & ens contingens? 282
Ens à se non cognoscit causam. 525
Totum esse entis absoluti est in se, non verò entis relativi. 580

Entitas.

Sola Entitas non est terminus productionis Dei, sed tota Creatura. 50
Entitas hominis supponitur ad prædestinationem, non verò ad eam sequitur, sicut bona indoles & animi vivacitas. 466

Epistola.

Cur variæ à sanctis Patribus ad Demetriadem & ejus matrem scriptæ fuerint Epistolæ? 409

Esse.

Esse *ut sic* supponitur ad operari ut sic, non tamen esse *hic* debet supponi ad operari hic. 149
Primum esse distinctum Creaturarum est ab intellectu divino. 276
Illud esse Creaturarum in seipsis non est quid reale ab æterno. 277
Esse in Deo plus dicit quàm cognosci à Deo. 319
Esse ideale Creaturarum præstantius est esse entitativo in uno sensu, non verò in alio. 320

Essentia.

Essentia divina non constituitur per Aseitatem. 93
Quomodo Essentia divina dicatur Pater? 109
Essentia divina est infinitè perfecta licèt relationes non involvat. ibid.
Quomodo essentia divina per Attributa perficiatur? 215
Qualiter concipiatur essentia divina ut præscindens ab Attributis? 217
Qualiter rerum essentiæ sint æternæ? 161
Essentia divina præcisè est tantùm intelligibilis remotè. 216
Essentia divina potest videri sine personis. 230
Essentia divina non est radix Attributorum ut considerantur formaliter, sed tantùm ut realiter. 238
Essentia divina omnes omninò Creaturas repræsentat, sed liberè. 236
Quomodo essentia divina sit formaliter vivens? 161
Essentia divina est objectum primarium divini intellectus. 265
Essentia divina est per se infinita fundamentaliter. 266

Essentia divina non habet rationem speciei intelligibilis. 275
Qualiter rerum essentiæ dicantur æternæ? 276
Essentia divina est primum objectum tum intellectus, tum voluntatis divinæ. 316
Qui essentiæ divinæ unitatem impugnaverint? 508
Essentia divina non mutatur per productionem Personarum. 526
Essentia divina est idem objectum materiale, non formale. 528
Priùs movetur Essentia divina ad objectum infinitum, quàm ad finitum. 550
Essentia divina necessariò cognoscibilis est ut fœcunda. 553
Essentia divina est terminus formalis generationis. 555
Essentia divina in generatione non habet rationem subjecti. *ibid.*
Essentia divina in diversis Personis est simul terminus formalis à quo & ad quem. 558
Filius recipit à Patre eandem numerô Essentiam sicut & Spiritus sanctus à Patre & Filio. *ibid.*
Talis Essentiæ divinæ communicatio sufficit ad veram & perfectam generationem. *ibid.*
Essentia est principium sufficienter activum per se independenter à Personis. 576

Essentiale.

Quod discrimen inter Essentialia, propria, & appropriata? 601
Cur uni Personæ approprientur aliqua essentialia? *ibidem*

Evidentia.

Evidentia quid? 20
Evidentia consequentiæ non sufficit ad scientiam. 22
Cum evidentia revelationis potest stare inevidentia revelati. 23
Evidentia revelationis non sufficit ad scientiam. *ibid.*
Sine evidentia nulla est scientia perfecta. 24
Quomodo Evidentia sit perfectio scientiæ? *ibid.*

Execratio.

Execratio quid, & quomodo contingat? 476

Existentia. Existere.

Existentia Dei triplici lumine constare debet. 55
Existentia Dei non potest invincibiliter ignorari. *ibid.*
Existentia Dei basis est omnium articulorum fidei. 57
Existentia Dei demonstrari potest per Creaturas. 65
Existentia Dei non potest demonstrari à priori. *ibid.*
Prima demonstratio existentiæ Dei ex Causa efficiente. 66
Id quô majus excogitari nequit necessariò existit. 70
Triplex Argumentum Physicum ad demonstrandam Dei existentiam. 78
Existentia quid? 85
Existentia duplex. *ibid.*
Existentia est de conceptu essentiali Dei. 86
Existentia & naturalis entitas hominis non potest censeri prædestinationis effectus subsidiarius. 464
Per se existere duobus modis intelligitur. 574
Modus existendi per se duplex. *ibid.*

F

Fatum.

Fatum quid? 576
Fatum à providentia distinguitur tanquam effectus à causa. *ibid.*

Fides.

Fides non solùm Deum supponit, sed etiam detegit & indicat, nec propterea Dei existentia bis creditur. 57

Filiatio.

Filiatio est incompossibilis cum spiratione passiva. 585

Filius.

Filius est Patri consubstantialis & unus Deus. 516
Qualiter Filius dicatur minor Patre ab Hilario? 518
Quomodo Filius dicatur ignorare diem Iudicii? *ibid.*
Filius & Spiritus sanctus procedunt ab unico principio. 583
Quomodo Filius dicatur Autotheos, id est, sine principio, & Iehova sicut & Pater? 526
Filius exhaurit totam & totaliter divini intellectus, non item voluntatis fœcunditatem. 529
Virtus impensa in productione Filii non est infinita in ratione virtutis divinæ simpliciter, sed tantùm in ratione virtutis intellectivæ. *ibid.*
Si Filius produceretur per intellectionem, Pater non esset beatus ante generationem, vel saltem aliquid notionale priùs esset aliquo essentiali. 535
Filius rectiùs nominatur verbum à dictione, quàm ab intellectione. 537
Ut Filius assimiletur Patri, non debet habere Paternitatem. 541
Si Filius non haberet vim spirativam non ideo desineret esse Filius. 544
Dei Filius in Scripturis verbum dicitur, non metaphoricè, sed propriè. 546
Omnia quæ habet Filius accipit à Patre, vel formaliter, vel identicè. 552
Filius est tantùm Imago illius à quo producitur, non objecti quod repræsentat. 554
Qualiter Filius dicatur esse de substantia Patris, non de propria, nec tamen Filius substantiæ Patris nominetur? 555
Filius accipit realitatem personalem ex vi Filiationis, & essentialem ex vi essentiæ sibi communicatæ. 557

Finis.

Finis ultimus necessariò est unicus. 69
Tria requiruntur ut aliquid ad aliud tanquam ad finem ordinetur. 528
Duplex animalium finis. 385

Fœcunditas.

Non eodem modo fœcunditas Deo & Creaturis competit. 547

Forma. Formalitas.

Plura requiruntur ad Formam producendam quàm ad eam recipiendam. 8
Forma variè dicitur. 100
Multiplicatur formalitas non multiplicata entitate. 104
Non omne quod denominat formaliter est propriè forma 225
Omnis forma dependet à subjecto, vel ab efficiente. 122
Quomodo forma possit esse in subjecto capaci denominationis, & illud non denominare? 348

Futura.

Futurorum est triplex genus. 282
Futura conceptibilia sunt, vel in se, vel in suis causis, vel ante, vel in, vel post decretum. 285
Futura Deus novit in sua essentia, sed præsupposito decreto. 286
Eximia hac de re Doctoris Subtilis doctrina. *ibid.*
Futura magis sunt in nostra potestate quàm præterita aut præsentia. 291
Futura conditionata sunt triplicis generis. 294
Qualiter futura conditionata determinatam veritatem habeant? 297

Futuritio.

Nulla est rerum Futuritio antecedenter ad divinum decretum. 287

G

Gaudium.

Gaudium est formaliter Generatio in Deo. 534
Generatio non importat semper mutationem, nec dependentiam. 526
Generatio reperitur in Deo seclusa omni imperfectione. *ibid.*
Fide constat esse in Deo Generationem, qualiter autem fiat, est explicatu difficillimum ut sancti Patres constanter edocent, tam Græci, quàm Latini. 539
Generatio viventium triplex. *ibid.*
Quatuor ad Generationem desideranda. *ibid.*
Major similitudo generica nihil confert ad generationem. 545
Productio Verbi creati est quædam spiritualis generatio. 547

Generari.

Generari & spirari magis opponuntur quàm generare & spirare. 585

Genus.

Quodnam discrimen inter genus categoricum & transcendentale? 133

Gilbertus.

Gilbertus censuit divinas relationes distingui realiter ab essentia. 105
Non idem censuit de attributis. *ibid.*

Gloria.

Gloria Dei non est quid creatum, sed ipsemet Deus ut glorificandus. 334
Duplex est Gloria Iustis à Deo destinata, altera æterna, altera temporalis. 447

Gloriam æternam solis operibus ex gratia reddendam docet sanctus Augustinus contra Pelagianos, qui prædestinationem ad gloriam post præuisa merita constanter edocet. 449
Quare gloriam æternam sanctus Augustinus gratiam appellet? 451

Glorificatio.

Glorificatio est effectus prædestinationis. 463
Quid vocabulô *glorificavit* significetur? ibid.
Qualiter glorificatio sit prædestinationis objectum. 464

Gradus.

Gradus generis & differentiæ bifariam concipi potest. 131
Quatuor gradus immaterialitatis secundum Thomistas. 213

Gratia.

Gratia necessariò gratis datur. 433
Licèt Deus uni tribuat gratiam non autem alteri, non idcirco est personarum acceptor. ibid.
Gratia non destruit liberum arbitrium, imò perficit. 434

H

Habitus.

Quomodo Habitus pareat? 29
Habitus fidei à Theologico habitu distinguitur. 43
In quo differant supernaturales Habitus à naturalibus? 218
Habitus non requiritur absolutè ad actum supernaturalem. 221
Habitus supernaturales desiderantur tantùm ad producendos actus supernaturales. 223

Hæreticus.

Quando qui negat conclusionem Theologicam dici debeat Hæreticus? 44

Homo.

Quare Homo potiùs quàm Angelus fuit redemptus? 363
Qualiter Homo à Deo derelictus in horrenda peccata præceps ruat? 477

Homousion.

Vox Homousion usurpata fuit in Concilio Nicæno contra Sabellium & Arrium quam longè ante hæretici quidam vsurpaverant. 520
Quæ causa Patres Nicænos impulit ut illa voce uterentur? ibid.
Hujus vocabuli præbuit ansam Eusebius Nicomediensis. ibid.
Quomodo Constantinus Imperator vocem Homousion reprehenderit? 521
In Ariminensi Concilio nihil decretum fuit contra vocem Homousion. ibid.

Humanitas.

Humanitas Christi omnimodè est significanda. 459

Hypostasis.

Maxima olim Controversia circa Hypostasis significationem, cui occasionem dedit Osius Cordubensis Episcopus. 564
Hypostasis vocabulum personam significat ex usu Ecclesiæ, imò & antiquitatis. ibid.

I

Iactura.

Vnde Lugenda Ecclesiæ Orientalis Iactura ortum habuerit? 609

Idea.

Quid significet nomen Idea? 313
Varia de divinis Ideis Theologorum placita. 314
Ideæ deffinitio. ibid.
Quid sit Idea divina? 316
Ideæ in Deo non distinguuntur realiter, neque etiam formaliter, sed tantùm denominativè. 318
Vtrum Filius & Spiritus sanctus habeant sui Ideam? 319
Quomodo imperfecta habeant sui Ideam? 320

Identitas.

Identitas formalis quid? 108
Strictior potest esse aliqua Identitas conceptus creati quàm increati. 261

Idololatria.

Idololatria criminum omnium est maximum. 74
Idololatriæ Dæmon est Parens quam in Cœlum, Paradisum & mundum inducere tentavit. ibid.

Ignorantia.

Ignorantia triplex. 55

Imago.

Imaginis divinæ ratio, non in corpore, sed in anima est constituenda. 127
Quid sit Imago? 601
Sicut triplex est similitudo, ita triplex est Imago. ibid.
Imago, similitudo, æqualitas invicem distinguuntur. ibid.
Ratio Imaginis propriè soli Filio tribuitur. ibid.
Duplex conditio ad rationem Imaginis necessaria. ibid.
Sigillum & character solo modo significandi ab imagine differunt 602
Nomen Imaginis vel pro exemplari, vel pro similitudine producta usurpatur. ibid.
Quomodo Spiritus sanctus appelletur Imago? ibid.
Creaturæ rationales non sunt perfectæ Imagines Dei? ibid.
Creaturæ magis propriè dicuntur Dei Imagines quàm Spiritus sanctus. ibid.
Non solùm Filius est Imago Patris naturalis, sed etiam intentionalis. ibid.

Immensitas.

Immensitas infinitati est affinis. 142
In divinam Immensitatem varius Antiquorum error. ibid.
Grave discrimen inter præsentiam, ubiquitatem & Immensitatem. 143
Divina Immensitas Etnichos non latuit. 147
Immensitas soli Deo convenit. 153

Immutabilitas.

Ratio efficax quâ Proclus probat Dei Immutabilitatem. 166
Selectæ sanctorum Patrum de Dei Immutabilitate sententiæ. ibid.
Egregia de Immutabilitate sententia. 169

Incarnatio.

Incarnatio ex pura Dei misericordia est decreta. 459

Incomprehensibilitas.

Quæ sit incomprehensibilitatis cum visibilitate connexio? 249
Deus dicitur quadruplici modo incomprehensibilis. ibid.

Indivisibile.

Indivisibilia sunt tantùm simplicia secundùm quid. 136
Quomodo Indivisibile possit coëxistere divisibili? 163

Inæqualitas.

Inæqualitatis principium Aliud Morale, Aliud Physicum. 244
Physicum iterum duplex. ibid.

Inferius.

Qualiter Inferiora subjiciantur superioribus, & ab eis perficiantur? 403

Infinitas.

Duplex in Deo Infinitas. 95
Infinitas radicalis non est tota essentia formaliter. 97
quare perfectiùs divina Essentia per Infinitatem quàm per alias perfectiones innotescat? ibid.
Infinitas est principium & radix attributorum. ibid.
Infinitas est specialis Dei perfectio. 142
Infinitas immensitati elt affinis. ibid

Infinitum.

Infinitum posset esse in loco & tempore determinato & infinito si detur. 59.
Quomodo virtus Infinita potest movere in tempore? ibid.
Omne & totum tam Infinito quàm finito tribui possunt. 68
An Infinitorum entium collectio sit possibilis? ibid.
Infinitum duplex. 100
An duo Infinita possint esse inæqualia? 102
Infinitum sumitur privativè, vel negativè. 136
Infinitum negativè iterum duplex. ibid.
Infinitum quid? 137
Non potest dari maximum Infinitum, nec minus etiam Infinitum admittitur. 138
Infinitum Aliud intensivè, Aliud extensivè. 586

Ingenitum.

Ingeniti nomen duobus modis apud sanctos Patres usurpatur. 543
Ingenitum non constituit primam Personam. 573
Quomodo Ingenitum dicit dignitatem? 592
Ingeniti nomen ab Arrio excogitatum, ab Arrianis deinde usurpatum est adversus Catholicos. 594
Quatuor maximè habet significationes. ibid.
Ingeniti vocabulum si soli Patri tribuatur accipi debet privativè. ibid.
Ingenitū privativè sumptū est proprietas Patris divni. 595

Ingeniti nomen ab aliquibus Patribus proscribtum quibus de causis? ibid.
Ab iisdem tamen ritè interpretatum & acceptum est ad dignoscendum Patrem ab aliis Personis. ibid.
Ingenitum quid significet apud Græcos? ibid.

Instans.

Quid sit Instans materiale & formale apud Thomistas? 401
Sicut varia Instantia naturæ in eodem instanti temporis, sic varia instantia originis distingui possunt in eodem instanti naturæ. 549
Unum instans naturæ subdividi potest in alia minutiora instantia. ibid.

Intellectio.

Intellectio divina plura complectitur quæ essentiæ Dei non competunt. 95
Quam actualitatem denotet divina Intellectio? ibid.
Quomodo secunda Persona dicatur recipere intellectionem? ibid.
In quo sita sit Intellectio? 224
Intellectio creata non est actio formaliter & propriè dicta. 532
Intellectio à dictione formaliter distinguitur. 533

Intellectus.

Intellectus nobilitas ex nobilitate sui objecti demonstratur. 7
Quare intellectus feratus circa objectum supernaturale, non sensus? ibid.
Plus Intellectus potest recipere, quàm producere. ibid.
Per quid & quomodo Intellectus proportionetur objecto supernaturali? ibid.
Intellectus ex se est indifferens ad cognitionem naturalem aut supernaturalem. 8
Intellectus divinus non est formale constitutivum essentiæ divinæ. 94
Repugnat Intellectum produci alium aliô perfectiorem in infinitum. 187
Licèt Intellectus creatus non possit cognoscere omnes creaturas possibiles, non minùs Deum attingere potest. 192
Intellectus nusquam assentietur objecto fidei quantumcumque proposito, nisi insuper confortetur. 220
Intellectus solo Dei concursu extrinseco adjutus, potest videre Deum. 228
Intellectus æquè constituitur in actu primo ad visionem beatificam per concursum quàm per lumen. 222
Intellectus duplex, Agens & Patiens, quid uterque? 224
Intellectus est causa activa partialis visionis beatificæ. 225
Intellectus concurrit principaliter ad visionem. 256
Intellectus lumine gloriæ instructus perfectior est visione beatifica. ibid.
Intellectus habet proportionem inchoatam cum visione beatifica. 227
Intellectus non minùs est causa princeps actûs vitalis, licèt à solo Deo possit produci. ibid.
Intellectus beati elevatur secundum omnes gradus. 246
Quomodo virtus Intellectus inchoata dicatur respectu visionis beatificæ & completa? 247
Licèt Intectus creatus non sit generativus in creatis, secùs tamen in divinis. 548
Nullus Intellectus præter divinum producit aliquid simile producenti in natura. 344

Intelligere.

Ad intelligendum tria desiderantur. 259

Ioannes.

Ioannes vigesimus secundus Millenariis non adhæsit. 107

Ira.

Ira est formaliter in Deo. 338

Iudicare. Iudicium.

Aliquis potest judicare de alio dupliciter juxta sanctum Bonaventuram. 241
Iudicium quid? 240
Quàm inscrutabilia semper sint Dei judicia sive prædestinatio fiat ante, vel post prævisa merita. 457

Ius. Iustitia.

Discrimen Inter Ius positivum & naturale. 8
Iustitiæ nomen à jure desumptum. 356
Iustitiæ duplex deffinitio. ibid.
Sicut quadruplex est Ius, ita quadruplex Iustitia. ibid.
Iustitia duplex, discrimen inter utramque. ibid.
Quænam virtutes ad justitiam revocentur? ibid.
Iustitia est in Deo propriè. 357
Iustitia legalis & commutativa non sunt in Deo propriè. 359
Iustitia distributiva in Deo verè potest affirmari. 360

Iustificatio.

Iustificatio duplex. 461
Iustificatio duplicem habet effectum. ibid.
Iustificatio perseverans est effectus prædestinationis. 462
Iustificatio interrupta quæ habet effectum in vitam æternam est effectus prædestinationis. ibid.

L

Liber.

Triplex est Divinitatis Liber. 72
Reverà est Liber vitæ in quo prædestinati scribi dicuntur 478
Quis Liber vitæ? ibid.
Est etiam Liber moralis pro Reprobis, non tamen ita propriè dicitur ac Liber vitæ. 479

Libertas.

Quomodo divina Libertas cum immutabilitate concordet? 171
Quotuplex Libertas? 316
Quid sit Libertas essentialis? ibid.
Necessitas non peccandi in Beatis stat cum eorum libertate. ibid.
Libertas essentialis non consistit in indifferentia, vel in dominio super actum. 329
In quo discrepent indifferentia, necessitas, & libertas? 330
Libertas in genere duplex. 338
Variæ de divina Libertate Theologorum sententiæ. 342
Libertas Dei est perfectio ipsi intrinseca. ibid.
Libertas divina etiam inadæquatè non consistit in extrinseco. 341
Libertas divina non consistit in forma contingenti distincta à perfectionibus necessariis, nec in modo aliquo defectibili, neque etiã in aliquo respectu rationis 344
Quid sit formaliter divina Libertas in sententia Doctoris Subtilis, cujus egregia doctrina expenditur. 345
Quid sit Libertas, & quam indifferentiam requirat? 397
Quotuplex Libertas? 559
Optimè stat Libertas essentialis cum necessitate. 562
Libertas essentialis est potentia eligibiliter, & delectabiliter agens. ibid.
Potest esse Libertas in actione producentis cum naturalitate termini. ibid.

Liberum.

Liberum & necessarium non opponuntur in mente Doctoris. 529

Lumen.

Triplex Lumen quô res divinæ nobis innotescunt. 19
Lumen gloriæ cur ita appelletur? 218
Discrimen inter Lumen gloriæ & speciem impressam. ibid.
Lumen gloriæ triplex. ibid.
Tria Luminis gloriæ munia assignant aliqui Theologi. ibid.
Lumen gloriæ in intellectu Beati necessariò requiritur. ibid.
Non est necesse ut Lumen gloriæ sit vitale ad juvandum intellectum. 219
Quomodo Lumen gloriæ dicatur vitale? ibid.
Quomodo Lumen gloriæ determinet intellectum ad visionem beatificam? 220
Lumen gloriæ est qualitas habitualis à specie & concursu distincta. ibid.
Lumen gloriæ est actus primus necessarius ut producatur visio connaturaliter, non verò ut producatur simpliciter. 222
Cur Lumen gloriæ possit suppleri? ibid.
Lumen gloriæ requiritur non ut sit formalis illustratio objecti, sed ut concurrat effectivè. ibid.
Unicum munus luminis gloriæ est concurrere effectivè cum intellectu. 223
Triplex Lumen quô veritas detegitur. 496

M

Malum.

Qualiter malum conferat ad decorem universi. 377
Malum est privatio ordinis particularis, non universalis. 378
Malum duplex. 467
Mala naturæ sunt occasionales effectus Prædestinationis. ibid.

Materia.

Materia prima non potest esse primum rerum omnium principium. 72

Medium.

Medium.
Quid sit medium cognitionis ut quod & ut quò? 279
Ad medium cognitionis duo maximè requiruntur. 285
Media cum fine duplici modò comparantur. 371
Mensura.
Triplex mensuræ genus. 155
Mensura iterum duplex. 157
Mensuræ definitio. 158
Triplex mensura durationis rerum. 240
Meritum.
Quomodo merita nostra moveant Dei voluntatem? 333
Misericordia.
Misericordiæ etymologia. 362
Misericordia quid importat? ibid.
Misericordia est veluti duplex in Deo. ibid.
Misericordia est in Deo formaliter. ibid.
Misericordia divina alia generalis, alia specialis. 363
Triplex opus divinæ Misericordiæ. ibid.
Missio.
Sicut Missio in creatis triplicem habet respectum, sic in divinis. 620
Missio necessariò importat manifestationem Personæ missæ per effectum aliquem externum. 622
Missio divina quid? ibid.
Missio ex parte effectus duplex est. ibid.
Missio visibilis alia est substantialis in essendo, alia in repræsentando. 623
Mitti.
Filius & Spiritus sanctus à Patre mittuntur, non solùm quoad dona quæ ipsis attribuuntur, sed etiam quoad ipsorum personas. 621
Modus.
Modus quid? 98
Modus divinus quid? 99
Quotuplex sit discrimen inter modum & attributum? ibid.
Modi principiandi per modum naturæ & voluntatis non possunt reduci ad unicum principium. 528
Quadruplex operandi modus. 559
Modus operandi liberè simul & necessariò est omnium præstantissimus. 562
Quinque sunt modi quibus divinæ Personæ innotescunt. 590
Mors.
Mors 1. & 2. mysticè, vel litteraliter exponi potest. 205
Mundus.
Mundus non esset tam perfectus, si non essent tot defectus? 379
Mutatio.
Mutatio triplex. 165
Per solam mutationem intrinsecam res propriè mutari dicitur. ibid.
Quot modis res spirituales mutationi subjaceant? ibid.
Tria ad veram mutationem sunt necessaria. 167
Denominatio Creatoris, Domini, &c. nullam mutationem in Deo infert. 174
Quam mutationem efficiunt relationes? 175
Actûs intrinseca mutatio non fit propter mutationem objecti secundarii, sed tantùm primarii. 245

N

Natura.
QValiter Natura non deficit in necessariis? 7
Natura communis non determinatur ex se ad certum numerum ndividuorum. 76
Natura divina est indivisibilis realiter, non formaliter. 232
Sola Natura intellectualis creata potest prædestinari. 391
Natura præcisa à sua personalitate potest esse objectum prædestinationis. ibid.
Quare Natura divina sit immultiplicabilis? 510
Natura seorsim sumpta non est principium distinctum ab intellectu & voluntate. 511
Natura divina est quidem principium productivum, non seorsim, sed quatenus conjuncta est cum intellectu & voluntate. 528
Natura divina est remotum principium quo processionum divinarum. 548
Divinus intellectus, & divina voluntas à sola Natura divina tanquam ab objecto primario & adæquato fœcundantur. 549
Natura est terminus formalis in productione Creaturarum. 556
Natura divina præcisè secundùm se considerata est perfecta in esse naturæ divinæ & infinitæ, non verò in esse Personæ. 566
Natura singularis non est communicabilis, sed ut personata. 567
Natura divina etiam personata in Patre adhuc communicatur Filio & Spiritui sancto. ibid.
Natura divina quatenus præscindit à Personis est omnimode completa in ratione naturæ, non personæ. ibid.
Natura creata est communicabilis tribus modis. ibid.
Natura divina est incommunicabilis tribus modis ibid.
Natura divina ut præscindit à Personis habet subsistentiam absolutam. 576
Natura divina ut præscindit à Personis existit per se ibid.
Naturale.
Naturale quot modis usurpatur? 182
Naturale aliquando idem significat ac necessarium, & ut opponitur contingenti. 561
Negatio.
Negatio potest inesse duobus modis. 160
Necessarium.
Aliquid potest esse necessarium ex se formaliter, & ab alio productivè. 525
Necessitas.
Necessitas multiplex. 3
Necessitas duplex. 291
Necessitas iterum multiplex. 318
Necessitas quadruplex. 559
Nomen.
Nomen proprium duplex. 17
Potest à viatore designari Nomen quod significet conceptum quem Deus habet de seipso, aut Beati de illo. 177
Potest designari Nomen ad significandam rem perfectiùs quàm eam noverimus. ibid.
Significatio nominis sumenda est ex conceptu audientis. ibid.
Quatuor desiderantur ad perfectā nominis notitiam. 178
Potest etiam à viatore designari nomen Deum comprehensivè significans. ibid.
Nomina quæ Deo tribuuntur alia sunt negantia, alia affirmantia, quæ iterum sunt vel absoluta, vel relativa, vel ad intra, vel ad extra. 179
Decem Nomina Dei secundum Hæbreos. ibid.
Dei Nomen ex quatuor litteris coalescit. 180
Nomina negativa non conveniunt Deo secundum formalem significationem. ibid.
Nomina affirmativa formaliter Deo conveniunt. ibid.
Nomina relativa non conveniunt Deo formaliter. ibid.
Notio.
Tres ad Notionem conditiones desiderandæ. 589
Notionis definitio expenditur. ibid.
Admittendæ sunt Notiones. ibid.
Rectè designantur quinque Notiones. 590
Notiones aliæ sunt positivæ, aliæ negativæ. ibid.
Aliæ uni tantùm, aliæ duabus Personis conveniunt. 591
An plures dentur Notiones quàm quinque? ibid.
Inspirabilitas, ingenerativitas, &c. ad priores Notiones reducuntur, vel ab eis excluduntur. ibid.
Notitia.
Ab objecto & potentia pariter omnis Notitia. 211
Triplex Dei Notitia. 219
Triplex in nobis notitia. 240
Notitia ingenita non est adæquata in ratione notitiæ genitæ. 524
Cur Filius & Spiritus sanctus non producant notitiam genitam, licet habeant intellectum. ibid.
Numerus.
Tria ad rationem numeri desideranda. 251

O

Obduratio.
QVid sit Obduratio, & unde dicta? 476
Qualiter fiat cordis Obduratio? 477
Quàm lugenda humani cordis Obduratio. 478
Objectum.
Objectum naturale intellectus duplex. 6
Objectum Theologiæ duplex. 17
Quid sit objectum Scientiæ? 29
Quid objectum materiale? ibid.
Quid objectum formale & quotuplex? ibid.
Deus sub ratione Deitatis est Objectum formale Theologiæ. 31
Præstat nobilius objectum imperfectè cognoscere, quàm minus nobile perfectissimè. 44
Objectum divinæ potentiæ est non solùm ens possibile absolute, sed etiam sub conditione. 127
Objectum visionis duplex. 182
Inter objectum & potentiam sufficit proportio habitudi-

INDEX RERUM

nis. 192
Objectum supernaturale continetur intra objectum potentiæ naturalis ut est in potentia obedientiali. ibid.
Objectum proximè intelligibile potest suum concursum suspendere, adeoque speciem substituere. 214
Objectum visionis terminat vel per se, vel per aliud sibi simile 217
Objectum visionis beatificæ, aliud primarium, aliud secundarium. 218
Quodnam discrimen inter utrumque. ibid.
Quomodo personæ & attributa sint objectum primarium? 219
Multiplex divinæ cognitionis objectum. 265
De primario divini intellectus objecto varia placita ibid.
Objectum voluntatis duplex. 288
Quadruplex divinę notitię, divinique amoris objectū. 348

Obscuritas.

Obscuritas duplex. 22

Oculus.

Licèt Oculus posset videre indivisibile, non posset tamen cernere spiritum. 289

Odium.

Quotuplex Odium? 337
Admittitur in Deo Odium abominationis, nec-non & inimicitiæ. ibid.

Omnipotentia.

Omnipotentia formaliter à voluntate distincta est principium immediatum productiuum Creaturarum. 363

Oppositio.

Non omnis oppositio contradictoria infert distinctionem formalem, sed tantùm ea quæ est inter terminos adæquatè conceptos. 114
Quatuor oppositiones disparatæ inter relationes divinas. 616

Opus.

Qualiter omnia Dei opera sint perfecta. 320
Opera meritoria non sunt effectus prædestinationis propriè dictæ. 454

Oratio.

Execrandus orandi modus à Dæmone inspiratus. 131

Ordinabile.

Triplici modô aliquid est ordinabile. 376

Ordo.

Nullus est in Dei decretis Ordo realis. 349
Quid sit in Deo Ordo originis & naturæ? ibid.
Ordo inter divina decreta desumitur vel permissivè, vel positivè. ibid.
Inter divina decreta est ordo prioris & posterioris. ibid.
Quare in Deo possit esse Ordo licet non sit in eo discursus. 351
Ordo inter divina decreta non est mutuandus ex ordine quem inter se servant illorum objecta, neque ex ipsorum objectorum dignitate, nec ex naturali dispositione sed tantùm quatenus ipsa objecta divinæ voluntati subsant. ibid.
Quid sit in Deo ordo intentionis, & executionis? 352
Ordo quem statuit Doctor in decernenda prædestinatione, non secundùm intentionem, sed executionem. 459

Origo.

Origines non sunt formaliter à relationibus distinctæ, tamen non constituunt personas præcisè ut origines sunt, etsi eas distinctas propriè significent. 373

P

Parabola.

QValiter Parabolæ debeant explicari? 243

Paradisus.

Quis Paradisus Latroni confitenti repromissus? 202

Particula.

Particula *si* triplicem habet significationem. 298
Particula *de*, non significat semper consubstantialitatē. 358
Particula, *& Filio*, non fuit addita à Latinis. 608
Illius additio fuit legitima, nec ipsam prohibere potuerunt Concilia Ephesinum & Chalcedonense. 611
Hæc additio fuit edita consentientibus Græcis & Latinis. ibid.
Quidam volunt hanc additionem factam à Concilio Romano sub Damaso, sed hæc sententia parum cōstat. ibid.
Verisimilius est factam fuisse ab Ecclesiis particularibus circa annum Christi 620. 612
Nec refert quod Leo tertius repulsam dederit quibusdam talem additionem fieri petentibus, sicut nec officit quod Symbolum Constantinopolitanum curaverit exarari sine particula. *filioque*. ibid.

Parvulus.

Cur ex duobus Parvulis unus baptisetur, Alius non? 451

Passio.

Qualiter Passiones Deo tribuantur? 267

Pater.

Quomodo Pater divinus determinetur solùm ad duo supposita producenda? 76
Pater est Beatus priusquàm generet Filium. 231
Non solùm Pater & Filius denotant diversa officia, sed etiam diversas entitates. 308
Pater non est Sapiens sapientiâ genitâ. 336
Quomodo Pater seipsum cognoscat in Verbo? 337
Pater cùm generat nō cōcipitur cognoscere creaturas. 552
Pater priùs cognoscit & diligit seipsum, quàm generet Filium. 553
Patrem genuisse Filium voluntariè duobus modis potest intelligi. 559
Pater producit Verbum voluntate antecedente, concomitante, & consequente. 560
Pater & Filius sunt simul naturâ, illatione, & notitia 578
Pater refertur mutuò ad Spiritum sanctum, sed non sub ratione Patris. 583
Pater Deitatem & relationem, Paternitas verò solam relationem connotat. 590
Nomen Patris tripliciter usurpatur. 592
Prima Persona propriè dicitur Pater. ibid.
Quod significatur per nomen Patris verè ac propriè primæ Personæ competit. 593
Nomen & ratio Patris longè præstantiùs Deo convenit quàm Creaturis. ibid.
Pater divinus nullum alium Patrem, nec Filius alterum Filium agnoscit. 593
Pater æternus perfectissimè sibi assimilat Filium. 594
Pater non est fons Divinitatis in abstracto, sed in concreto. 597
Pater dici potest causa Filii sicut & Author, sed non in propria utriusque vocis significatione. ibid.
Pater divinus non est sapiens sapientia genita. 604
Pater quidem dicit verbô, sed dicere ibi accipitur essentialiter, non notionaliter. ibid.
Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto. 605
Pater est fons Divinitatis, quia est principium sine principio. 610
Pater etiam si non spiraret, tamen à Spiritu sancto distingueretur. 614

Paternitas.

Paternitas nihil aliud est quàm relatio ad Filium. 579
Paternitas divina est fons & origo cujuscumque Paternitatis creatæ. 595
Paternitas substantialiter Deo competit, accidentariò tantùm Creaturis. 594
Paternitas distinguit Patrem à Spiritu sancto. 610
Paternitas & Spiratio activa non constituunt personas distinctas. ibid.

Patres.

Cæteri Patres præter unicum Augustinum non ita exactè expenderunt naturam verbi mentalis. 536
Patres Concilii Ephesini non consenserunt Simbolo Nestorianorum. 610

Peccatum.

Quomodo peccatum omne sit injustitia in Deum? 359
Peccatum formaliter subest divinæ providentiæ. 377
Quodnam sit corpus, cor, & spiritus Peccati? 395
Peccatum tum originale, tum finale prævisum est causa reprobationis. 475
Peccatum originale est tantùm remota & radicalis causa reprobationis. 476

Pelagius.

Quis & qualis fuerit? 407
Qualiter & quomodò hæreticus innotuerit? ibid.
A quibus primum impugnata & in apertum latens Pelagii hæresis deducta fuerit? 408
Quæ scripserit Pelagius? ibid.
Pelagius aliquando visus fuit vir doctus & probus. 409
Quot & qui fuerint Pelagii ac Cælestii errores? ibid.
Quanam arte Pelagius Concilii Diospolitani Patres luserit? 411
Quibus in Conciliis damnatus fuit Pelagius? ibid.
Pelagii errores primum damnati sunt à Romana Sede, deinde in Concilio Carthaginensi, demum à variis summis Pontificibus maxime ab Innocentio & Zozimo. 411. 412
Quos habuerit Asseclas & Patronos? 413
Quinam præcipui fuerint illius Impugnatores & Expugnatores? 414
Vtrum Pelagius aliquando suum errorem temperaverit, & tandem aliquod internum ac necessarium gratiæ auxilium admiserit? ibid.
Prima gratia quam admisit fuit liberū arbitrium. 415
Admisit etiam gratiam doctrinæ, gratiam exemplarem, gratiā remissionis peccatorum, internā illustrationē. ib.

Visus est admittere gratiam internam, sed fallaciter. 416
Admittit gratiam internam supernaturalem, non ad necessariò, sed tantùm ad faciliùs operandum. 417
Pelagio prima causa errandi fuit zelus subdolus. ibid.
Ex Pelagianismo duo subotti errores oppositi. ibid.

Perfectio.

Perfectio est in subjecto tribus modis. 34
Perfectiones aliter Deo, aliter Creaturis conveniunt. 79
Duplex est divina perfectio. 98
Quid sit Perfectio simplex, & simpliciter simplex. ibid.
Perfectiones divinæ non sunt numerò infinitæ. 100
Perfectiones sunt in Deo actu & formaliter. 121
Perfectiones divinæ nec sunt essentiales essentiæ, nec extrinsecæ. 110
Perfectiones divinas detegere & explicare maxima difficultas. 119
Perfectiones Creaturarum sunt duplicis generis. 139
Aliquid dicitur infinitè perfectum dupliciter. 140
Omnes perfectiones simplicites simplices sunt in Deo formaliter & eminenter. ibid.
Perfectiones secundum quid non sunt in Deo formaliter, sed tantùm eminenter aut virtualiter. 141
Quomodo perfectio effectus supernaturalis sit mensuranda? 247
Perfectio triplex. 585
Omnis perfectio simpliciter est communicabilis. 586
Nulla perfectio simpliciter simplex est alteri incompossibilis. ibid.
Tota Trinitatis perfectio repetenda est ex parte naturæ, non ex parte relationum. 588

Perfectivum.

Aliquid est Perfectivum alterius tripliciter. 254

Permissio.

Vtrum Permissio designet actum positivum problematicè disputat Doctor. 325
Permissio duplex. ibid.
Permissio Physica respicit vel omissionem, vel positionem actûs. ibid.
Permissio actûs faciendi est à Deo decreta. 467
Permissio peccati potest esse effectus occasionalis prædestinationis. 468
Quomodo permissio peccati possit dici donũ gratiæ? ibid.

Perseverantia.

Quomodo mereri possimus donum Perseverantiæ? 455

Persona.

Persona divina beata esse posset, etsi unica. 505
Tres tantùm Personæ sunt in Deo. 510
Si plures essent Personæ quàm tres essent plures Dii. ibid.
Quare possit tantùm in divinis esse una Persona improducta & duæ productæ? 515
Gravis difficultas ex verbis S. Augustini contra divinarum Personarum numerum proponitur & solvitur. 513
Tres divinæ Personæ sunt unus Deus. ibid.
Non censuere Patres Personas divinas convenire tantùm specificè sicut duo homines conveniunt in natura humana. 514
Sancti Patres non excludunt alias Personas cùm solum Patrem Deum nominant. 519
Non potest esse realis distinctio Personarum sine reali productione. 525
Persona divina habere potest potentiam Logicam, non verò Phisicam. 526
Personæ divinæ non procedunt per actus essentiales. 534
Priùs producuntur Personæ divinæ quàm Creaturæ habeant ullum esse. 550
Sublatis Creaturis non minùs Personæ divinæ subsisterent. ibid.
Personæ productæ eodem instanti cognoscuntur quo Personæ producentes. 555
Quomodo una Persona sit de essentia alterius, non consentiunt Theologi. 554
Primaria Personæ significatio. 565
Duplex Personæ divinæ deffinitio. ibid.
Discrimen inter naturam & personam. ibid.
Nomen personæ propriè Deo competit. 566
Licèt nomen Personæ fuerit ignotum primis Christianis ratio tamen Personæ in sacris litteris de Deo dicitur, illudque nomen à Spiritu Sancto inspiratum est ut Catholici una voce responderent Sabellianis quærentibus quid essent illa tria? ibid.
Ratio Personæ in divinis est aliquid positivum. 567
Potest abstrahi à divinis Personis Aliquis Conceptus comunis qui sit ipsis univocus. ibid.
In qualibet Persona divina est duplex entitas. 568
Personæ divinæ non constituuntur, nec distinguuntur se totis. 569
Personæ non sunt primò diversæ. ibid.
Persona divina est æquè simplex ac essentia simplicitate reali, non formali. ibid.
Personæ divinæ constituuntur & distinguuntur proprietatibus relativis. 570
Personæ per relationes multiplicantur. ibid.
Personæ divinæ constituuntur per relationes sub ratione formali relationum. 572
Rationes Personæ & relationis sunt oppositæ in Creatis, non in divinis. ibid.
Personæ divinæ non possunt dici seipsis æquales. 582
Duodecim nomina quæ secundæ Personæ scriptura tribuit, è quibus Alia sunt comunia, alia propria. 598
Eidem Personæ non repugnant diversæ proprietates. 600
Aliquæ divinæ Personæ ab Aliis mittuntur. 620
Persona missa producitur à mittente. 621

Plato.

Plato non fuit primus idearum Assertor, nec eas extra Deum existere asseruit. 313

Pluralitas.

Pluralitas duplex. 122

Pœna.

Quare pœnæ hujus vitæ sint prædestinationis effectus non verò pœnæ alterius? 468
pœna triplex. 477

Pœnitentia.

Qualites Deo tribuatur pœnitentia in scriptura? 171

Possibilitas. Possibile.

Qualiter rerum possibilitas omnipotentiam in Deo supponat & inferat. 270
Triplex est rerum possibilitas. 274
In detegenda rerum possibilitate tria sunt distinguenda instantia. ibid.
Possibile & impossibile non sunt contradictoria. 46

Potentia.

Potentia dicitur naturalis bifariam. 7
Ex diversitate operationum rectè infertur potentiarum diversitas. 112
Quodnam discrimen inter omnipotentiam & potentiam infinitam. 139
Duplex potentia visiva, corporea, & spiritualis. 181
Triplex Potentia activa, sicut & passiva. 188
Quid sit potentia obedientialis? ibid.
Quid sit potentia obedientialis intellectus? 247
Potentia intellectiva in Deo ab essentia distinguitur formaliter. 259

Practicum. Praxis.

Quidquid in Deo est Practicum, est respectu nostri. 35
Quomodo Practicum & speculativum eidem possint inesse. ibid.
Quid & quotuplex sit praxis & quæ ad eam conditiones requirantur? 34

Præcursor.

Qui fuerint Pelagianismi Præcursores. 404

Prædestinatiani.

Vnde suborta fuerit hæresis Prædestinatianorum pro qua acerrimè pugnant Calvinistæ. 422. 423
Prædestinatianos hæreticos extitisse disertè probant S. Augustinus & Prosper. 423
Prædestinatiani damnati sunt in Concilijs Arausicano & Arelatensi. 424
Sanctus Augustinus prædestinatianæ hæresis mentionem facit plutibi. 425
Falsum est Gennadium primum omnium prædestinatianos in hæreticorum album reposuisse. ibid.
Falsum etiam Concilii Arelatensis præsules Semipelagianos fuisse. 426
Epistolæ Lucidi nihil nisi specie tenus Semipelagianismum redolent. 427
Gothescalcus prædestinatianam hæresim innovavit. 428

Prædestinatio.

Quam inscrutabile sit divinæ prędestinationis arcanũ. 383
Vnde derivetur prædestinationis vocabulum? 384
Prædestinatio trifariam usurpatur. ibid.
Prædestinatio triplex. ibid.
Qui divinæ Prædestinationis existentiam impugnaverint? ibid.
Admittenda est in Deo Prædestinatio. 385
Sine Prædestinatione salvari nemo potest. ibid.
Prædestinatio non destruit sollicitudinem de salute consequenda, sed adstruit. 386
Prædestinatio respicit intellectum, voluntatem, & potentiam. 387
Prædestinatio duplex. ibid.
Prædestinatio præcisè versatur circa gratiã & gloriã. ibid.
Quid sit Prædestinatio? 388
Quomodo differant propositum, Prædestinatio, & electio? ibid.

Prædestinatio est actus immanens in Deo æternus, sed tamen mixtus. 389
Prædestinatio libera est & contingens, necessaria tamen respectivè 390
Prædestinatio alia communis, alia specialis. ibid.
Prædestinatio præservativa locum habet in Angelis, non liberativa. 391
Triplex error circa prædestinationis certitudinem. 392
Prædestinatio ut sit completa requirit cooperationem hominis. 393
Dantur quædam signa Prædestinationis. 395
Quatuor ad Prædestinationis integritatem desiderantur. 397
Prædestinatio non officit humanæ libertati, neque ex parte infallibilis præscientiæ, neque ex parte æterni decreti. 398
Non rectè conciliatur divina Prædestinatio per decretum prædeterminans. 400
Qualiter concilietur Prædestinatio cum humana libertate? 403
Non eadem fuit Pelagii & Iuliani de causis Prædestinationis sententia. 432
Certum est Prædestinationis coronidem à meritis dependere. 434
Prædestinatio tripliciter potest usurpari. ibid.
Prædestinatio fit ex prævisis meritis non solùm quantùm ad executioné, sed etiam quantùm ad intentioné. 435
Quibus in negotio Prædestinationis ex sanctis Patribus maximè credendum 438
Sanctus Augustinus præscientiam Prædestinationi præsupponi edocet. 4 9
Stricta est Prædestinationis cum præscientia connexio. 440
Prædestinatio significat vel internam dispositionem ad gratiam, vel prædestinationem ad gratiam, vel prædestinationem ad gloriam post prævisa merita. 447
Sanctus Augustinus duplicem Prædestinationem ad gratiam & gloriam agnovit. 450
Prædestinatio spectari potest vel penes actum prædestinantis, vel penes effectum Prædestinationis. 457
Prædestinatio facta secundum propositum voluntatis non excludit Christi meritum. 459
Prædestinatio tam est de fine quàm de mediis. 464
Naturalis activitas ingenii etiam & mors præmatura possunt esse Prædestinationis effectus. 465

Prædestinatus.

Quot modis aliquid possit dici Prædestinatum? 390
Prædestinatorum nullus perire potest. 392
Quomodo Prædestinatus possit damnari? 393
Prædestinatorũ numerus fixus est & determinatus. ibid.
Quomodo quis accipere potest coronam alterius? 394
Sine revelatione nemo sit se esse Prædestinatum. ibid.
Major est numerus Reproborũ quàm Prædestinatorũ. 396
Quomodo Prædestinatus dicatur non posse peccare? 399
Eximiè Prædestinati non eliguntur absolutè independenter à prævisis eorum meritis. 456
Prædestinatorum donatio Christo à Patre facta non excludit ejus meritum. 459

Præmissa.

Quomodo Præmissa naturalis concurrat ad conclusionem Theologicam? 42
Quomodo Præmissæ sint causæ conclusionis. 45

Præscientia.

Diuina Præscientia non tollit hominis libertatem. 284
Argumentum Marcionis contra diuinã Præscientiã. ibid.
Qualiter sanctus Augustinus negauit Deum habere veram Præscientiam? ibid.
Egregia sancti Gregorii & Boëtii doctrina circa divinam Præscientiam. 285
Diuina Præscientia non tollit rerum contingentiam. 292
Divinæ Præscientiæ certitudo humanam libertatem non lædit. 293
Præscientia & prædestinatio non sunt synonima, sed duo actus distincti & invicem subordinati. 369

Præsentia.

Præsentia Dei in alio multiplex. 143
Quid sit Deum esse præsentem per essentiam, per potentiam, per præsentiam? ibid.
Quomodo ex Scriptura colligatur Dei Præsentia ex ejus operatione? 149
Qualiter actus & potentia debeant esse sibi præsentes? ibid.
Præsentia diuina in omnibus locis non prouenit ab infinitate. 154
Præsentia virtualis Dei est indiuisibilis, non ita præsentia actualis. ibid.
Præsentia immediata objecti non impedit productionem Verbi. 227

Præparatio.

Præparatio mediorum duplex. 389

Præpositio

Præpositionibus de & ex indiscriminatim usi sunt sancti Patres ad significandam consubstantialitatem Personæ productæ & producentis. 558
Præpositio de est ad illam significandam aptior. ibid.
Præpositione ex usi sunt Arriani ad decipiendos Catholicos circa præsentem materiam. 558

Principium.

Principium producit unum dumtaxat terminum adæquatum maximè quando est infinitus. 512
Principiũ operans prius est naturâ quàm producens. 532
Duplex in divinis Principium. 545
Principium quo duplex. ibid.
Nec essentia nec intellectus & voluntas possunt esse principium quod divinarum personarum. 546
Solus intellectus & voluntas sunt principium quo diuinarum Processionum. ibid.
Intellectus & voluntas sunt principia propria Processionũ diuinarũ quatenus modificantur per relationes. 548
Principium ad unum determinatum non est naturale quando voluntatiè seipsum determinat, benè verò quando determinatur à sua forma naturali. 562
Idem Principium non potest agere necessariò & contingenter circa eundem terminum, potest tamen agere necessariò circa terminum primarium, & contingenter circa terminum secundarium. 563
Principii nomen in diuinis essentialiter, notionaliter & principaliter accipitur. 596
Quod discrimen inter Principium & causam? ibid.
Esse principium principaliter propriè Patri conuenit, sicut & esse fontem totius divinitatis. 596
Quomodo sancti Patres dicunt Alias à Patre personas esse sine principio. ibid.
Idem est Principium distinctivum ac cõstitutivum. 613

Prioritas.

In divinis non est prioritas durationis seu rei, sed tantùm signi, & quidem à quo, non verò in quo. 548
Prioritas duplex. 571

Probatio

Probatio fit per locum intrinsecum, vel per locum extrinsecum. 45

Processio.

Processio duplex, 522
In quo conueniant & differant Processio, productio, origo & emanatio? ibid.
Fide constat dari Processionem in diuinis tum Filii à Patre, tum Spiritus sancti ab utroque. ibid.
Processio in Deo fit in unitate naturæ. 525
Processiones sunt activæ, vel passivæ. 527
Duæ sunt & non plures in Deo Processiones formaliter & quasi specificè ab inuicem distinctæ. ibid.
Licèt una Processio non oriatur ab alia, non minùs ab ea distinguitur. 529
Nec sunt, nec plures esse possunt in Deo Processiones ejusdem rationis. ibid.
Divina Processio non potest determinari ad certam pluralitatem. 530
Processiones diuinæ seipsis formaliter distinguuntur. 531
Convenientia generica non obest quominus Processiones diuinæ seipsis primò differant, nec realitas communis per differentias non contrahibilis. ibid.
Processiones diuinæ habent à seipsis suam distinctionem formalem. 532
Processionum diuinarum diuersitas non est repetenda ex eo quòd una sit ab unica, alia verò à duabus personis nec-non quod una origine debeat esse prior alterâ ibid.
Processiones diuinæ non sunt simplices emanationes, sed veræ & propriæ actiones. 532. 533
Licèt Processio communicet essentialia, non tamen ipsa est actus essentialis, sed tantùm essentia est eumprincipium quo hujus productionis. 537
Ratio proxima cur Processio Verbi non item Spiritus sancti sit generatio est quia Verbum producitur naturaliter, & Spiritus sanctus voluntariè. 543
Sanctus Augustinus aliud etiam discrimen profert, sed planè coincidit cum priori sicut & omnia alia discrimina à diuersis Authoribus afferi solita. ibid.
Validum Durandi contra Thomistas de Processionibus Verbi & Spiritus sancti argumentum, sed nullatenus in nos militat. 547
Processiones nullatenus præsupponunt notitiam & amorem Creaturarum, tum futurarũ, tum possibilium. 549
Processiones divinæ nedum supponunt cognitionem & volitionem Essentiæ divinæ, sed etiam trium divinarum personarum. 552
Processiones divinæ sunt de Aliquo. 555

Verbi diuini Processio est naturalis. 559
Affertur Sophisma Arrianorum contra Verbi divini Processionem & soluitur. 560
Spiritus sancti processio est necessaria, libera tamen. 561

Processus.

Non potest admitti processus in infinitum. 66
Licèt daretur processus in infinitum tamen Deus est concedendus. 67
Non potest admitti processus in infinitum in causis accidentario subordinatis. *ibid.*

Prodigium

Prodigia à Gentilibus patrata fiebant ope Dæmonum. 78

Producere, Produci.

Nihil potest seipsum producere. 66
Produci ab Alio summè necessariò non est inferioris aut indigentis naturæ. 525
Unum & idem non potest produci bina productione totali. 614

Productio.

Duæ productiones activæ non repugnant eidem supposito, benè verò duæ productiones passivæ. 616

Prophetia.

Triplex Prophetiæ genus. 297

Proportio.

Quænam sit proportio inter Deum & intellectum creatum? 57

Propositio.

Propositio evidens duplex. 20
Quando propositio sit de fide, vel non? 44
Propositio ex Aliis deducitur vel per modum suasionis, vel illationis. *ibid.*
Propositio triplex. 60
Quænam propositio sit propriè per se notâ? *ibid.*
Quid sit propositio per se nota? *ibid.*
Tres conditiones ad propositionem per se notam. *ibid.*
Propositio magis necessaria non est magis per se nota. 62
Nulla divisio propositionis in per se notam sapientibus & insipientibus, nec in per se notam & per se noscibilem, &c. 63. 64
Qualiter propositiones de Creaturis habeant veritatem ab æterno? 275
Vna propositionum de futuro contingenti est determinatè vera. 283
Quando & quo sensu una è propositionibus contradicentibus si determinatè vera & alia falsa? 289
Propositiones illativæ sunt duplicis generis. 612

Propriè

Adverbium propriè trifariam accipitur. 592

Proprietas.

Discrimen inter proprietas & operationes. 261
Proprietates relativæ sunt substantiales quamvis adveniant naturæ divinæ. 568
Cur sancti Patres tres tantùm proprietates personales assignaverint? 584

Providentia.

Quàm sit difficile de diuina providentia differere? 364
Providentiæ nominis Etymon & significatio. *ibid.*
Qui Providentiam omnem è medio sustulerint? 365
Variæ de diuina Prouidentia Ethnicorum & Christianorum sententiæ. *ibid.*
Quotuplex Prouidentia? *ibid.*
Diuinæ Prouidentiæ existentiam disertè adstruunt sacri codices, nec-non & sanctorum Patrum grauissimæ rationes & momenta. 365. 366
Quomodo Dei Providentia cum libertate hominis, & rerum contingentia concilietur? 367
Ethinicorũ de fato sententia proponitur.& soluitur. *ibid.*
Validum contra divinã Providentiã argumentum. *ibid.*
Prouidentia importat sollicitudinem, sed sine animi commotione. 369
Duplex divinæ Prouidentiæ cura. 370
Prouidentia triplicem requirit actum intellectus, & totidem voluntatis. 371
Quis ordo inter præfatos actus seruandus? *ibid.*
Prouidentia formaliter sumpta est actus voluntatis. 372
Quomodo Prouidentia sit etiam actus intellectus, & pars prudentiæ? 373
Non est de ratione Prouidentiæ ut infallibiliter consequatur finem particularem, sed sufficit quod inferat consecutionem finis generalis congruentis suæ gloriæ & bono universi. 374
Prouidentia conditionata non arguit impotentiam, nec ignorantiam in prouisore, sed tantùm libertatem. 375
Quadruplex diuinæ Prouidentiæ munus 380
Providentia una sufficiens, alia favorabilis. *ibid.*
Quatuor fructus ex diuinæ Prouidentiæ consideratione colligendi. 383
Quomodò Prouidentia sit temporalis & æterna? 389

Pulchritudo.

Bonitatis & Pulchritudinis affinitas. 255
Corporeæ pulchritudinis definitio. *ibid.*
Qualiter Pulchritudo à bonitate discrepet? 256
Quænam sit vera animæ Pulchritudo? *ibid.*
Egregia Pulchritudinis animæ commendatio. *ibid.*
Eximia est Dei Pulchritudo. *ibid.*
Quàm egregiè divinam Pulchritudinem investiget Marcillus Ficinus. 257

R

Ratio.

Ratio specificativa Theologiæ est naturalis. 19
Rationes morales quibus probatur Dei existentia. 73
Rationes Thomistarum circa visionem beatificam expenduntur, & insufficientes demonstrantur. 183
Ratio Verbi & Imaginis, item ratio Amoris & doni non tam significant proprietates quàm appropriationes 591

Raymundus.

Demonstratio Raymundi Lullii non sufficit ad probandum evidenter sanctissimæ Trinitatis mysterium. 500
Raymundus censuit omnes articulos fidei demonstrari posse. 502

Regulari

Aliquid potest Regulari dupliciter. 316

Relatio.

Relationes personales ab Essentia divina formaliter distinguuntur. 108
Aliæ sunt in Deo Relationes præter personales. 117
Duplex Relationum genus in Deo. 172
Relationes divinæ possunt esse termini veræ actionis, non creatæ. 533
Si Relatio esset terminus processionum, non essent univocæ. 557
Relatio est forma constituens in esse personali, non verò in esse substantiali. *ibid.*
In qualibet Relatione duo sunt distinguenda. 568
Relatio creata præsupponit subjectum, non divina. 571
Relatio transcendentalis non præsupponit extrema constituta & distincta. *ibid.*
In divinis una Relatio potest esse altera relatione prior origine non natura. *ibid.*
Relationes extrema constituentes non debent terminari ad absolutum. 572
Relatio non habet aliam rationem formalem quàm relativam. *ibid.*
Effectus formalis Relationis est referre unum ad aliud. *ibid.*
Relationes personas constituunt quatenus significant distinctionem realem unius ab alia. *ibid.*
Relationes non constituunt personas quatenus sunt formæ hypostaticæ. 575
Quid Relationes ad intra? 577
Quid relationes ad extra? *ibid.*
Relationes aliæ propriæ, aliæ communes. *ibid.*
Relatio habet duplex esse. *ibid.*
Ad Relationem realem tria maximè desiderantur. *ibid.*
Relationes divinæ in tribus à creatis discrepant. 578
Relationes propriæ in divinis sunt simpliciter reales. *ibid.*
Relationes originis sunt reales secundum esse ad. 579
Relationes constituunt Personas secundum esse ad. *ibid.*
Relationes originis magis sunt reales quàm relationes ex tempore Deo convenientes. *ibid.*
Reverà in Deo sunt relationes identitatis, æqualitatis, & similitudinis quæ sunt reales. 580
Ad relationem realem non est necesse ut fundamentum quo realiter distinguatur. 581
Inter duo subjecta eadem numero quantitate affecta intercederet relatio æqualitatis. *ibid.*
Quo major est unitas essentiæ eò perfectior relatio identitatis. *ibid.*
Quatuor sunt relationes originis. 582
Relatio principii in Deo non est semper realis, & quando? 584
Relationes originis, & realiter, & formaliter considerantur. 585
Relationes originis nullam dicunt formaliter perfectionem. 586
Relationes originis non sunt capaces infinitatis. 587
Relatio disparata est sufficiens ratio distinguendi Spiritum sanctum à Patre & Filio. 616
Duæ relationes disparatæ sũt interdũ incõpossibiles. *ibid.*

Reliquia.

Quare martirũ sacræ reliquiæ sub altari recondantur. 106

Reprobatio.

Reprobationis usurpatio varia. 469

In reprobatione tres sunt actus intellectus & totidem voluntaris. ibid.
Reprobatio duplex.. ibid.
Reprobatio impii Dei bonitati non adversatur, nec etiam divinæ providentiæ generali detrectat, licet particulari non congruat. 470
Reprobatio quid? ibid.
Non est in Deo reprobatio negativa. 471
Quæ fuerit detestanda Calvini de reprobatione sententia? 472
Calvinus censuit Reprobationis decretô liberum arbitrium extingui, & per illud homines fatali necessitate ad interitum rapi. ibid.

Reprobus

Quomodo Reprobus possit salvari? 386

Res.

Quatuor sunt in qualibet re consideranda. 90
Res possibiles habent esse tribus modis. 160
Res têporaneæ non sunt Deo coëxistentes ab æterno. 164
Res inferioris ordinis non potest adæquare rem superioris ordinis etiam divinitus. 187
Res possibilis non magis est realis quàm chimera, 278
Res possibilis duo complectitur. 279
Res possibiles novit Deus perfectissimè. ibid.
Qualiter res creatæ fiut stabiles & instabiles? 375

Revelatio.

Revelatio quid & quotuplex? 504

S

Salomon.

SAlomon non dicitur absolutè unigenitus. 542

Sanctitas. Sanctum.

Quid sit divina sanctitas? 355
Quadruplex sanctitatis etymologia & Character. ibid.
Sanctitas Deo, hominibus & locis tribuitur, sed variè. ib.
Divina Sanctitas in multis à sanctitate creata distat, maximè verò in quintuplici distantia. 314
Sanctitas appropriatur Spiritui sancto. 618
Sanctum tribus modis usurpatur. 617

Sapere. Sapientia.

Magnum discrimen inter diligere & sapere in divinis. 605
Sapientia multiplex. 25
Quid sit Sapientia infusa & acquisitâ? ibid.
Sapientia Dei magis in minimis, quàm in maximis enitet. 369
Sapientia interdum supponitur pro nomine verbi. 603
Sapientia tribuitur Filio divino, non propriè, sed appropriatè. 604

Sathan.

Religatio Sathanæ facta fuit circa Christi mortem. 204
Religatio Sathanæ duplex distingui potest. ibid.

Scientia.

Scientia multiplex. 16
Scientiæ perfectæ conditiones. 17
Scientia discursiva duplicem imperfectionē connotat. 18
Scientia & fides nequeunt esse simul de eodem. 21
Scientia differt à fide per evidentiam. 24
Quid sit scientia subalternans & subalternata? 27
Tres conditiones ad subalternationem desiderandæ. ibid.
Discrimen inter scientiam subalternantem & subalternatam. ibid.
Scientiæ naturales speculativæ non ordinantur ad praxim etiam virtualiter. 37
Scientia practica est aliquando nobilior speculativâ. ibid.
Quomodo mutetur Scientia ad mutationem objecti? 269
Scientiæ divinæ multiplex divisio. 273
Discrimen inter scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis. 279
Quàm sit arduum & periculosum de scientia visionis aliquid velle certò statuere. 281
Qualis sit ordo notandus in divina rerum Creatarum cognitione. 282
Tria signa rationis in divina scientia statuuntur. 285
Scientiæ distingui possunt per media in quibus, non verò à quibus. 290
Scientia Dei est tantùm speculativa, & non causa futurorum. 291
Scientiæ divinæ necessitas non infert necessitatem in rebus. 292
Quid per Scientiam mediam intelligatur? 302
Cur vocetur media? ibid.
Recenter inventam omnes consentiunt præter Suarium. ibid.
Ostenditur Scientiam mediam esse vetus figmentum. 303
In quo discrepet Scientia nostra conditionata à media? ibid.
Nulla est in Deo Scientia media. ibid.
Sanctus Augustinus Scientiam mediam ut dogmā Semipelagianorum impugnat. ibid.
Sanctus Prosper affirmat Semi-pelagianos propugnasse scientiam illam mediam ad conciliandam humanam libertatem cum Dei decretis. ibid.
Scientia media ratione Theologica exploditur. 306
Scientia media est inutilis ad conciliandam humanam libertatem cum prædestinatione. 307
Egregia sancti Augustini hac de re sententia. ibid.
Scientia media impugnatur ad inconvenientibus ex illa oriundis. 308
Scientia media detrahit divinæ omnipotentiæ, favet Semipelagianis, Pelagianorum etiam errori patrocinatur. ibid.
Duplex distingui potest Scientia conditionata. 440

Scriptura.

Scriptura sacra interdum perspicua, interdum obscura. 10
Quomodo Scriptura sacrá sit locus Theologicus? 48
Scriptura sacra non est ubique obscura. 49
Scripturæ sacræ versio multiplex. 50
Scriptura sacra arguit aliquando ab inefficaci argumento. 149
Scriptura sacra non excludit Filium à productione Spiritus sancti. 610

Simi-pelagiani

In quibus Semi-pelagiani à Pelagianis discrepabant? 418
Cassianus primus Semi-pelagianismi inventor. 420
Faustus Regiensis Semi-pelagianam in hæresim incidit. ibid.
Nihilominus in album Sanctorum est relatus. 421
Qualiter Vincentius Lirinensis Semi-pelagianis adhæserit? ibid.
Qui fuerint Semi-pelagianorum Impugnatores & damnatores? 422
Duplex fuit sententia Massiliensium de sancti Augustini doctrina. 452

Sensus.

Quotuplex Scripturæ sacræ sensus? 48
Sensus Litteralis maximè inservit ad arguendum. ibid.
An sint ejusdem textus varii sensus Litterales? ibid.
Sensus mysticus inservit ad probationem. 49

Similitudo

Triplex Similitudo in intellectu respectu objecti 212
Triplex est rerum similitudo. 355

Simplicitas.

Simplicitas divina non debet esse omnium maxima. 116
Simplicitas duplex. 120
Simplicitas formalis alia simpliciter simplex, alia secundum quid. ibid.
Strictior est simplicitas essentiæ cum pluralitate personarum, quàm cum earum unitate. 122
Diversitas formæ solvit simplicitatem, non verò diversitas originis. ibid.
Simplicitas divina non est solùm negatio. 125
Simplicitas duplex. 155

Solus.

Nomen Solus sumi potest vel categorematicè, vel sincategorematicè: Sincategorematicè quatuor modis. 509

Spatium.

Spatium imaginarium quid? 151
Spatia imaginaria non sunt quædam capacitas realis, sed fictitia. 152

Species.

Species possunt multiplicari in infinitum. 137
Quid & quomodo Species? 211
Speciei impressæ munus triplex. 212
Non repugnat species impressa essentiæ divinæ. ibid.
Nullum est argumentum contra Speciem impressam quod non militet contra expressam. ibid.
Species nedum suplet vices objecti absentis improportionati, sed etiam non agentis per se & immediatè. 214
De facto non datur Species impressa in intellectu Beatorum quæ ipsum determinet ad visionem beatificam. 215
Species non suplet defectum virtutis in potentia, 220
Non est etiam in Deo Species impressa est tamen in eo aliquid per modum habitus intellectualis. 262

Spiratio.

Spiratio activa non constituit distinctam personam? 512
Spiratio & generatio est quidem una res, non verò una actio. 529
Spiratio activa est communis Patri & Filio. 512
Licet Spirationis activæ nulla sit mentio apud sanctos Patres eam tamen sufficienter designarunt per relationem mutuam inter omnes personas. 583
Spiratio activa non infert quaternitatem. 584

Spiratio activa resultat à Patre & Filio, non secundùm rem, sed secundùm formalitatem. *ibid.*
Spiratio activa non distinguitur realiter à Paternitate & Filiatione. *ibid.*
Spiratio activa non producitur à Paternitate & Filiatione. *ibid.*

Spiritus sanctus.

Spiritus sanctus est verus Deus. 519
Eximia sancti Fulgentii de Divinitate Spiritus sancti sententia. *ibid.*
Spiritus sancti productio non est vera generatio. 529
Lepidum, sed ineptum Eunomianorum dilemma contra Divinitatem Spiritus sancti. 542
Spiritus sanctus, Charitas, Amor & Donum in Scripturis appellatur propriè, non metaphoricè. 546
Spiritus sanctus non est de essentia ut de materia. 556
Spiritus sanctus procedit per modum voluntatis qui est liber. 561
Per quid Pater & Filius distinguantur à Spiritu S.? 582
Cur tertia Trinitatis Persona Spiritus sanctus nuncupetur? 605
Spiritus Etymon traditur & expenditur. *ibid.*
Quis Spiritum sanctum à solo Patre procedere primus asseruerit, nondum compertum est. *ibid.*
Theodoretus videtur primus asseruisse Spiritum sanctum à solo Patre procedere. 606
Spiritus sanctus à Patre Filioque procedit. *ibid.*
Spiritus sanctus si non procederet à Filio, distingueretur realiter ab ipso. 613
Spiritus sanctus non exigit per se produci à duabus Personis. 617
Pater & Filius sunt unicum Spiritus sancti principiũ. *ibid.*
Spiritus sanctus habet rationem doni non solùm respectu Creaturarum, sed etiam respectu Patris & Filii. 619
Spiritus sanctus donũ dicitur ex eo quod dari possit. *ibid.*
Spiritus sanctus dari potest quatuor modis. *ibid.*
Spiritui sancto maximè convenit nomen & ratio divini amoris, non solùm appropriatè, sed etiam propriè & effectivè. *ibid.*
Sunt & alia Spiritus sancti nomina. 620
Cur Spiritus sanctus apparuerit sub specie ignis, columbæ & venti? 623

Subsistentia.

Multiplex Subsistentiæ significatio. 565
Subsistentia absoluta non est ultimus terminus naturæ divinæ, sed relativa, quæ naturam non sustentat, aut perficit, sed tantùm terminat. 577
Tres sunt Subsistentiæ relativæ in divinis. 574
Subsistentia incommunicabilis est ultimus terminus in ratione subsistendi, non verò communicabilis. *ibid.*
Subsistentia dupliciter accipitur à Patribus. 576

Subsistere.

Per se subsistere est perfectio Simpliciter. 576
Per se Subsistere est æquivocum. 587

Substantia.

Substantia variè usurpatur. 88
Nulla est creabilis Substantia quæ naturaliter Deum videat. 185
Substantia supernaturalis non est possibilis *ibid.*
Substantia aliquando idem signat ac essentia. 569

Supernaturale.

Quid sit supernaturale quantùm ad entitatem, vel quantùm ad modum. 38
Unde desumatur rerũ naturalitas, & supernaturalitas? *ib.*
Nihil Supernaturale a nobis acquiritur. 39

Suppositum.

Suppositum non est prius actione quando per illam constituitur. 572

T

Tempus.

Tempus non est realiter præsens & coëxistens æternitati. 165

Terminatio.

Terminatio potest esse intrinseca simul & extrinseca. 347

Terminus.

Repugnat duos adæquatos terminos ab infinita potentia produci. 512
Intellectus & voluntas habent terminum sibi adæquatum tum intensivè, tum extensivè. 510
In creatis duplex est terminus actionis productivæ, terminus scilicet à quò, & terminus ad quem. 554
In divinis nullus est terminus à quo propriè dictus. *ibid.*
Terminus totalis ad quem processionum divinarum est Persona producta, formalis verò est essentia communicata. 556
Terminus formalis in creatis efficit distinctionem realem quia producitur, non autem in divinis. 557
Respicere terminum non est commune enti reali & rationis. 380

Tertullianus.

Tertullianus non censuit Deum esse corporeum. 117

Theologia.

Quæ primaria fuerit Theologiæ significatio? 1
Quæ sit Theologiæ etymologia? 3
Varia Theologiæ divisio. 4
Theologia dicitur positiva triplici de causa. 7
Quomodo differant Theologia positiva & scholastica? 8
Quare Theologia positiva sit necessaria? 9
Quatuor Theologiæ positivæ munia. *ibid.*
Theologia mystica frequentiùs idiotis quam doctoribus tribuitur. 11
Theologia Scholastica ita dicitur triplici ratione, *ibid.*
Theologia Scholastica non est absolutè necessaria singulis fidelibus, nec toti Ecclesiæ, est tamen utrisque maximè utilis. *ibid.*
Theologiæ Scholasticæ utilitas probatur multipliciter. 12
In quibus Theologia Scholastica à veteri discrepat? 13
Theologia Scholastica nihil inutile proponit. *ibid.*
Theologia fidem non destruit, sed astruit. 14
Cur Theologia positiva fuerit à veteribus frequentata, non verò Scholastica? 16
Theologia Beatorum est perfecta scientia. 18
Duplex in Beatis potest distingui Theologia. 19
Theologia viatorum non est perfectè scientia. 20
Theologia nostra non potest esse evidens per resolutionem in Theologiam Dei & Beatorum. 23
Theologia Dei & Beatorum præcipuus sapientiæ characteres habet. 25
Theologia viatorum dici potest sapientia. 26
Theologia nostra non subalternatur Theologiæ Dei & Beatorum. 27
Theologia nostra non perseverat in statu Beatitudinis. 28
Theologiæ divisio. 30
Quomodo Theologia probet objecti sui evidentiam? 31
Quomodo Theologia nostra Deum adæquet? 32
Theologia nostra nequit esse speculativa & practica simul. 34
Theologia Dei est speculativa. 35
Theologia nostra est simpliciter practica. 36
Theologiæ nostræ principia considerantur duobus modis. 38
Theologia habitualis non est supernaturalis. *ibid.*
Theologiæ certitudo est supernaturalis remotè. 40
Theologia actualis non est supernaturalis. *ibid.*
Theologia objecti sui certitudinem, non supernaturalitatem attendit. 41
Quomodo Theologia nostra certior sit scientiis naturalibus? *ibid.*
Theologicus assensus est minùs certus assensu fidei. 43
Theologia dignior est omnibus scientiis. 44
Quomodo Theologia probet sua principia? 46
Theol. non solũ est explicativa, sed etiam adhæsiva. 47
Theologiæ universæ divisio. 58

Tribulatio.

Tribulatio virtutem probat, perficit & purgat. 368

Trinitas

Trinitas personarum non propriè numerum conficit. 253
Quadruplex hominum status circa Trinitatis existentiam cæcutit. 495
Tria maximè docet fides de mysterio Trinitatis. 496
Trinitatis mysterium haud obscurè deducitur ex veteri testamento adversus Iudæos. *ibid.*
Eadem Personarum Trinitas colligitur ex novo testamento. 498
Quinam ex Gentilibus & Philosophis Trinitatem aliquatenus agnoverint? 499
Nullus intellectus creatus seclusa revelatione cognoscere potest evidenter mysterium Trinitatis. *ibid.*
Unde Philosophi notitiam Trinitatis habuerint? 502
Non potest naturali ratione demonstrari impossibilitas mysterii Trinitatis. 503
Intellectus creatus fide divina illustratus non potest demonstrare mysterium Trinitatis. 504
Variæ ex rebus naturalibus similitudines quibus mysterium Trinitatis explicatur. 506.
Trinitatis vestigium maximè consistit in unitate, specie ac ordine Creaturarum. *ibid.*
Imago sanctissimæ Trinitatis reperitur in homine. *ibid.*
Qui Trinitatem fuerint insectati? 507
Admittitur in Deo Personarum Trinitas. 508
Seclusa Trinitate Deus non esset infinitè perfectus. 510

V

Vasquez.

Vasquez turpiter allucinatur dum asserit distinctionem formalem in Concilio Remensi fuisse proscriptam, nec ipsi patrocinatur Ottonis Frisingensis dictum. 111

INDEX RERVM

Veracitas.

Veracitas Dei est objectũ motivum Theologiæ nostræ. 33

Verbum.

Verbum divinum relationem terminat, non veram actio-
nem qualis est conversio. 174
Quid Verbum oris & Verbum mentis? 224
Verbum divinum non recipitur in intellectu cùm per se
subsistat. 524
Verbum mentis qualiter à Doctore definiatur? 533
Verbum non est medium quòd, sed medium quo. 288
Cur Filius & Spiritus sanctus non producant Verbum
per suam intellectionem? ibid.
Etiam si detur Verbum non tamen sequitur quod Deus
absens intuitivè videri possit. ibid.
Verbum procedit ab intellectu quatenus intellectus est
saltem radicaliter. 537
Verbum divinum procedit per dictionem, & Spiritus
sanctus per Spirationem. 538
Verbi divini productio est vera generatio. 540
Verbi productio intellectui potiùs quam objecto est tri-
buenda. 541
Sancti Patres nomẽ Verbi latiùs interdũ extenderunt. 547
Verbum divinum est expressivum omnium repræsenta-
bilium, sed pro illo instanti quo repræsentabilia sunt,
non ante, nec id officit illius infinitati. 551
Verbum creatum non exprimit nisi ea à quibus procedit,
non item increatum. ibid.
Cognitio ex qua Verbum divinum procedit, non est
comprehensiva extensivè, sed solùm intensivè. ibid.
Verbum nascitur ex cognitione comprehensiva Essentiæ
divinæ, adeoque & Personarum. 553
Verbum diuinum producitur per communicationem in-
diuisibilem naturæ diuinæ. 558
Quinam hæretici circa Dei Verbum erraverint? 598
Cur Filius Verbum Dei appelletur? ibid.
In tribus conueniunt Verbum creatum & increatum.
ibid.
Filius propriè Verbi vocabulo designatur. 599
Nomen Verbi non est commune tribus Personis nisi
quando sumitur figuratè & metaphoricè. ibid.
Spiritus sanctus dicitur interdum Verbum ab effecto
quem operatur in Euangelisantibus. 600
Verbum nec est forma quâ Pater est formaliter Sapiens,
nec est principium Sapientiæ Patris, nec est princi-
pium subauthoritativum respectu actus sapiendi qui
est in Patre. 604

Veritas.

Veritas triplex. 60
Veritas adhuc triplex. 654
Veritas entitativa dicit respectum intelligibilitatis. ibid.
Talis est Veritas entitatiua quale est ens. ibid.
Quid sit Dei Veritas entitatiua? ibid.
Veritas entitativa est attributum Dei. 253
Veritates rerum Creatarum continentur in Deo quatuor
modis. 276

Virtus.

Virtutes intellectus quinque. 25
Quare virtutes inferiorum in Superioribus adunentur
realiter, non formaliter? 316
Major requiritur Virtus in producendis rebus specie
quàm solo numero diversis. 317
Virtus causativa differt à Virtute communicativa. 281
Quænam Virtutes Deum dedeceant? 355

Videre, Visio.

Videre aliquando usurpatur pro credere. 132
Ad Visionem non requiritur ut totum & totaliter cognos-
catur objectum. 192
Visio beatifica cognosci nequit evidenter. 194
Appetitur Visio beatifica appetitu innato. 196
Non repugnat hominem mortalem Deum videre. 198
Nullus mortalis Deum vidit intuitivè. ibid.
Beati nunc de facto Deum vident. 201
Christi descensùs ad Inferos fructus fuit beata Visio San-
ctis concessa. 202
Perdifficilis Apocalypsis locus de statu beatorum imme-
diatè post mortem. 203
Triplex principium Visionis beatificæ. 211
Visio increata est naturalis. 217
Visio per speciem impressam esset intuitiva. ibid.
Visio intuitiva fieri potest diuinitùs absente objecto ibid.
Visio magis pendet ab intellectu quam à lumine. 222
Cur Visio creata non possit suppleri? ibid.
Non requiritur dispositio prævia ad Visionem neque
quatenus est forma supernaturalis, neque quatenus est
forma cæteris perfectior. 223
Cur Visio beata exigat lumen gloriæ ut actio est, & non
ut passio? 224
Vitalitas & supernaturalitas realiter identificantur in actu
Visionis. 225

Visio tota producitur ab intellectu & lumine gloriæ tan-
quam à principio adæquato & quatenus vitalis est, &
quatenus supernaturalis. 226
Visio beatifica est Verbum mentis. 227
Visio beatifica est distincta prout distinctio opponitur
obscuritati & confusioni. 229
Quando videtur essentia non visis personis quomodo
Deus adhuc videatur ut in se est? 232
Hæc illatio, *qui videt Filium videt & Patrem*, non est ne-
cessaria, sed connaturalis. ibid.
Visio Dei non est causa visionis Creaturarum. 236
Visio beatifica est formaliter cognitio simplex. 241
Visio beatifica est intuitiua. ibid.
Visio beatifica est judicativa & discursiua virtualiter. ib.
Visio beatifica est directa formaliter. ibid.
Visio beatifica est reflexa tantùm virtualiter. 242
Visio non videtur in priori quo videtur Essentia diui-
na, sed in posteriori. ibid.
Major est disproportio inter Deum & Visionem beati-
quàm inter visionem & Creaturas numero finitas. 245
Visio beata mensuratur æternitate participata. ibid.

Vita.

Vita quid & quotuplex? 88
Qualiter conceptus vitæ Deo competat? 95
Vita est præstantissimus divinitatis gradus. 155

Vitium

Quomodo vitia considerentur à Theologo? 31
Deus vitia & mala in bonum ordinat. ibid.

Unio

Unio Verbi divini potiùs est dicenda terminatio quàm
compositio. 136

Unitas. Unum.

Quomodo differant Unitas, simplicitas & identitas? 120
Unitas triplex. 251
Unitas transcendẽtalis duplicẽ importat negationẽ. ibid.
Unitas Deo summè convenit. 252
Unitas entitatiua est Dei proprietas. ibid.
Non eadẽ est ratio formalis unitatis creatæ & divinæ. ib.
Unum non potest esse unum & multiplex sub eadem ra-
tione, bene verò sub diversa. 510
Unum solitariè positum in Scripturis naturæ unitatem si-
gnificat? 517

Univocatio. Univocum

Univocationis gradus quadruplex. 87
Quidquid numeratur est univocum. 568
Quare differentiæ individuales numerentur, etsi non sint
propriè univocæ? ibid.

Vocatio.

Vocatio duplex. 461
Vocatio efficax duplex. ibid.
Vocatio quæ habet effectum in vitam æternam est ef-
fectus Prædestinationis. ibid.
Omnis vocatio fit ratione decreti Prædestinantis, ibid.
Vocatio est unum ex mediis necessariis ad salutem. ibid.
Vocatio in Prædestinato non est similis ei quæ est in Re-
probo. 462
Nulla est Prædestinati vocatio quæ ipsius saluti non de-
serviat. ibid.
Qualiter omnis vocatio inefficax etiam sit effectus Præ-
destinationis? ibid.
Qualiter vocatio reviviscens Pœnitentiæ virtuti tribua-
tur? 463

Voluntas.

Quomodo divina voluntas sit indifferens? 271
Quomodo Deus potuerit velle & non velle creationem
mundi? 272
Divina voluntas non semper realem in Creaturis muta-
tionem infert. 300
Quid significetur nomine voluntatis? 321
Fide divina constat esse in Deo voluntatem. ibid.
Duplex divinæ voluntatis usurpatio. ibid.
Voluntas operativa dicitur vel facultas volitiva, vel
actualis volitio. ibid.
Voluntas diuina ut est facultas duplex est. ibid.
Ratione naturali demonstratur Deum habere volunta-
tem. ibid.
Voluntas ut potẽtia distinguitur ab essẽtia & volitione 323
Voluntas diuina non est productiua, nec receptiua sui
actus. ibid.
Multiplex voluntatis diuinæ diuisio. 323 & 324
Voluntas nostra non est semper recta quoties voluntati
diuinæ est conformis, nisi quando habet quatuor con-
ditiones à S. Bonaventura expressas. 326
Præcipuæ actus coritatur diuinæ voluntatis proprieta-
tes. 335
Voluntas diuina nõ est indifferens ad oppositos actus. 339
Voluntas creata est productiua, receptiua & operatiua. ib.
Triplex in Deo voluntas, effectiua Creaturarũ, producti-
ua Spiritus sancti, & operatiua Verbi. 360

FINIS.